MAGNA

BIBLIOTHECA

VETERVM PATRVM,

Et antiquorum SCRIPTORVM *Ecclesiasticorum.*

PRIMO QVIDEM A MARGARINO DE LA BIGNE EX ALMA SORBONÆ SCHOLA CELEBERRIMO THEOLOGO Doctore Parisiensi composita,

POSTEA STVDIO DOCTISSIMORVM COLONIENSIVM Theologorum ac Professorum aucta:

NVNC VERO ADDITIONE DVCENTORVM CIRCITER AVTHORVM, TAM GRÆCORVM QVI IN EDITIONE Coloniensi, quam LATINORVM qui in Parisiensibus desiderabantur, locupletata, Accuratissimè emendata, & in XVII. Tomos distributa:

Nec non perfectiori ordine disposita, materiarum enim, de quibus scripserunt authores, seriem complectitur, & Historicam methodum per singula sæcula quibus vixerunt, in indice Chronologico copiosissimo continet.

TOMI IV. PARS SECVNDA.






PARISIIS,


Sumptibus Ægidij Morelli Architypographi Regij.

M. DC. XXXXIV.

CVM PRIVILEGIO REGIS.



INDEX OPERVM
QVÆ IN HAC QVARTI MAGNÆ BIBLIOTHECÆ VETERVM PATRVM TOMI SECVNDA PARTE CONTINENTVR.



PAVLINI AQVILEIENSIS EPISCOPI CONTRA FELICEM VRGELITANVM EPISCOPVM.

LIBER PRIMVS.

SCRIPSI Epistulam pridẽ Feci Episcopo charitatis calamo, non contentionis stimulo, fraternæ salutis desiderio, non mordacis reprehensionis stilo, cupiens eum corrigere in Christi dilectione, quem in cuiusdã nominis nouitate de Christo, ac Catholicæ pacis vnitate recedere notũ habetur. Sed vt agnosco, nõ eo charitatis officio vel humilitatis obsequio meæ litterulas diligentiæ recepit, quo me scribere, qui meã pietatis intuitu legerit agnoscere poterit. Nam idẽ præfatus Felix mox libellũ non Epistolari breuitate succinctũ, sed sermonũ serie prolixum nobis dirigere studuit In cuius principio de confessione veræ fidei quædam ex sanctorum Patrum Catholicis sensibus ab eodem bene prolata legebam, sed mox in sequentibus multipliciter pristini erroris assertionem confirmare nitebatur; nec solum antiqua non destruere, sed etiam noua quædam addere peiora prioribus adgressus est: sicut enim fabulæ ferunt Hydrã vna secta ceruice cẽtenis pullulasse capitibus: sic ex vno serpẽtini capitis errore multiplex prauæ doctrinæ seges inhorruit. Nec sibi sufficiebat tantummodo Christum, qui de Virgine natus est, negare proprium esse Filium Dei, sed etiam hunc eundem non consentit verum esse Deum, sed nouo & inaudito anctæ Dei Ecclesię nomine nuncupatiuum Deum nominare illum non timet, diuidens Christũ in duos filios, vnum vocans proprium, alterum adoptiuum: & in duos deos, vnum verum Deum, alterum nuncupatiuum Deum. Atque ad confirmationem huius erroris multa collegit prauo sensu testimonia, quæ ad veræ fidei agnitionem spiritu sancto dictante à doctoribus noui vel veteris testamẽti prolata sunt; speraui, iuxta sententiam sapientissimi Salomonis, dare ei occasionem sapientiæ per litteras precatorias; qui ait, Da occasionem sapienti & sapientior erit. Item, post pauca: argue sapientem & sapientior erit: sed, vt vereor, magis huius sententiæ sequentia illius sensui aptari possunt: Argue (inquit) stultum, & oderit te Illud quoque non iniuste tali præsumptione dici potest, magis expedit, vrsæ captis catulis occurrere, quam fatuo confidenti in stultitia sua. Et item: si contuderis stultũ in pila, quasi typsanas feriẽte desuper pilo non auferetur ab illo stultitia eius. Stultitia magna est hominẽ in sua solius confidere sententia. Et Sanctorum Patrum vel totius Ecclesiæ Catholicos spernere sensus, nonne hæc omnibus hæreticis causa fuit perditionis, quod suæ magis esse voluerũt amatores sententię quam veritatis. Hoc solum si sapienti animo vel humili intelligentia considerare voluisset, præfatum virum Felicem ab errore reuocare debuisset: Quod tota Ecclesia Christi ab ini-A tio Apostolicæ prædicationis hoc nomen adoptionis in Christo vel nuncupatiuæ diuinitatis nunquam habuerit, nunquam prædicauit. Quæ nomina nec in Euangeliis, nec in Apostolorum Epistolis, immo nec in propheticis totius veteris testamenti scriptis alicubi inueniuntur, sed nec in alicuius Sanctorum Patrum & Doctorum Ecclesiasticorum libris, nec in symbolo Apostolico vel Niceni Concilij, vel etiam in alicuius synodi adfirmatione, aut in aliqua Catholicæ fidei auctoritate. Et mirum est, cur non timeant tales doctores noua inferre & incognita antiquis temporibus, dum egregius Doctor Gentium, omnes nouitates vocum, & inuentas nouiter sectas omnino firmiter prohibeat à quoquã Ca-B tholico recipi: in tantum vt etiam Angelis & omni homini anathema indixisse non dubitaret, si aliter prædicassent, quam ab illo prædicatum esset. Inuenitur verò in eius prædicatione Christum qui traditus est à Deo Patre, ad passionem pro nobis, proprium filium Dei dici, & nusquam adoptiuum: & illum qui de patre natus est super omnia Deum benedictum, & nusquam inter omnia nuncupatiuum Deum. Nunquid, non aliter prædicat quam tantus Apostolus Christo in se loquente prædicauit, qui Christum Deum & hominem, quem ille Dei filium proprium nominauit, adoptiuum asserit? Vel qui Deum benedictum de Spiritu sancto & beata Maria Virgine conceptum & natum, nuncupati-C uum Deum adfirmat? Quod qui prædicat sciat se certissime Apostolico anathemati subiacere. Quisquis huius Apostolicæ auctoritatis censuram non metuit, non dormiens, sed omnino mortuus æstimandus est. Tamen qui quatriduanum vocauit de monumento ad vitam, potens est suscitare & illum: ipse enim ait, Qui credit in me, etiam si mortuus fuerit, viuet: Et omnis qui viuit, & credit in me non morietur in æternum; quis est qui viuit, nisi ille de quo Apostolus ait, qui viuit in fide filij Dei; duo sunt quippe quæ in errore hominum difficillimè tolerantur, præsumptio priusquam veritas pateat: & enim iam patuerit, præsumptæ defen-D sio falsitatis. Ex his duobus cœnosis riuulis omnis hæreticorum prauitas emanauit: A quibus vitiis nimis inimicis inuentioni veritatis, & Catholicæ fidei indagationi siue considerationi sanctarum Scripturarum, si me (vt precor & spero) Deus defenderit atque munierit scuto bonæ voluntatis suæ & gratia misericordiæ suæ adiuuauerit, non ero segnis eum quærentibus quærere veritatis soliditatem & cum defendentibus defendere Catholicæ fidei sanctitatem. Nec trepidus ero ad proferendam sententiam meam, in qua magis amabo inspici à rectis; quam timebo morderi a peruersis. Nullus enim reprehensor formidandus est amator veritatis. Etenim aut inimicus reprehensurus est, aut amicus. Si ergo inimicus insultat, ferendus est: Amicus

autem si errat, docendus est: si docet quæ recta sunt, audiendus. A Gratanter enim suscipit oculum columbinum pulcherrima & modestissima charitas: Dentem autem caninum vel euitat cautissima humilitas vel retundit solidissima veritas. Sed tempus est vt discutiamus sermones præfati viri, & sententias sanctæ Scripturæ, quas ad sui sensus nititur trahere testimonium: Aliter sanctos doctores intellexisse ostendamus. In principio itaque libelli sui vnitatem sanctæ Ecclesiæ optime exposuit, sed vtinam in consequentibus eandem seruaret concordiam, quam in principio tantis laudibus exaltare studuit. sed, vt video, gladium melle litum abscondit, vt facilius decipiat incautius legentes libelli seriem.

Dicit itaque: *Credimus & confitemur sanctam Ecclesiam Catholicam toto in orbe diffusam per Apostolorum* B *prædicationem in Christo Domino velut solida petra fundatam, extra quam nullum saluum fieri posse: credimus, nullumque saluum nisi eum qui intra terminos fidei eius, & in concordia charitatis vsque in debitum finem incoacusse permanserit: vnam videlicet non diuisam, simplicem non scissam sed in Catholicis, non in hæreticis, in fidelibus charitate connexis, non schismaticis.*

Elegantissime enim præcipuam sanctæ Dei Ecclesiæ vnitatem toto orbe diffusam adserit, sed minus seipsum suosque sequaces considerat, qui in vno terrarum angulo quædam sanctæ Ecclesiæ (cuius latitudinem laudat) inaudita nomina de Christo Deo cum paucis suis sequacibus susurrat. Igitur si sancta Dei Ecclesia in toto orbe est diffusa, ergo nequaquam in illis est, quia illi non sunt in toto orbe: si vero in illis est, etiam tunc in toto orbe C non est. Quia illi contraria toto orbi fingunt nomina de humanitate Christi Dei nostri qui est caput Ecclesiæ. Porro nos intra terminos apostolicæ doctrinæ & sanctæ Romanæ Ecclesiæ firmiter stamus. Illorum probatissimam sequentes auctoritatem, & sanctissimis inhærentes doctrinis nihil noui inferentes, nullaque recipientes, nisi quæ in illorum Catholicis inueniuntur scriptis; Et quis censendus est hæreticus? An ille qui sanctorum Patrum & totius Ecclesiæ ab initio nascentis fidei Catholicos sequitur sensus: Aut ille qui in vltimo tempore mundi noua quædam nomina inaudita priscis temporibus fingit de Christi Domini humanitate vel diuinitate, illius qui ex virgine natus est. Legimus namque orientales synodos quæ à sanctis patribus congregatæ sunt, D temporibus diuersis contra varios hæresiarchas.

Et nullum inuenimus vsquam dicere vel adfirmare adoptiuum filium, vel nuncupatiuum Deum Christū esse simul & occidentales synodos perspeximus, nec in illis tale aliquid inuenimus: sed nec in aliqua earum, quæ in Hispania, vel Gallia, *vel istis partibus* promulgatæ sunt, hæc nomina, quæ nuper noua temeritas protulit, cōperimus. Sed vbiq; per omnes synodos & libellos sanctorum doctorum semper vnum filium Dei proprium legimus, & vnum Deū verum in duabus naturis prædicari: Et vnum Christum, non duos Christos: nec duos Deos, vnum verum, alterum nuncupatiuū: nec duos filios, vnū proprium, alterum adoptiuum: sed semper vnum filium proprium Dei Patris, eundémque Deum verum, sicut in E sequentibus Euangelicis vel Apostolicis doctrinis siue Sanctorum Patrum testimoniis (diuina opitulante gratia) probare curabimus. Non enim, veluti vos dicitis, trāsferimus lapides (id est) Catholicos sensus de stabilitate Dei Ecclesiæ, sed illum eligimus lapidem qui præcisus de mōte sine manibus impleuit orbem terrarum: super hunc ædificamus. & angularem ponimus in sublimitate structuræ nostræ (quem vestra temeritas cum Iudæis reprobat) potestati illius derogantes, nolentes cadere super illum, vt confringat duritiam cordis vestri: sed expectatis donec cadat super vos in iudicio, & conterat audaciam vestram. Dixistis veritatis voce, necesse est vt scandala veniant. & tacuistis sequentia illius sententiæ, væ tamen homini per quem scandala veniunt. Timeat sibi vnusquisque ne per se scandala dissensionis & schis-

> Ex hoc apparet auctorem huius li. nec Hisp. nec Gallum extitisse. quare magis est verum tib & Paulini Aquileiensis Ep. quam aliorum.

A matici erroris oriantur, In quiete & pace tēporibus turbastis, & in lunæ modum iuxta vestram sententiā decrescere illā fecistis. Nostra vero vnanimitas quantum valet & Dei nos adiuuat gratia, laborat vt crescat, & proficiat ad perfectum diē, de qua in sequentibus addidistis, dum lunaris plenitudine splendoris comparationem fecissetis ita dicentes: sancta Ecclesia, si quando ei (diuina gratia largiente) pax atque quies conlata fuerit, in toto orbe terrarum cunctis in vrbibus seu locis fidelium per vnitatem fidei, per cōcordiam charitatis, quia deest qui tentet vt ita appareat, vt nimium cæcus & manu palpans iudicet, qui eam vbique præsentem non cernit, dicitis quia deest qui tentet: videte ergo rogo vosmetipsos, ne forte sitis tentatores illius, scindentes tunicam Christi, B quā milites in passione illius non ausi sunt diuidere. Et bene subiunxistis: vt nimiū cæcus & manu palpans iudicetur, qui eam vbiq; præsentem non cernit. Videtur enim à vestra cæcitate illā esse absentem. Et si vbique est, agite precibus apud Deū & humilitate apud homines, vt & nobiscū fiat quæ in toto mundo, licet sparsim, fulget & proficit. ne sitis extorres illius luminis, & alieni à claritate plenitudinis perpetuæ lucis. Nolite superbire, & in paucis vobis illius esse regnum putare, de quo dictū est, & dominabitur à mari vsq; ad mare. & à flumine vsq; ad terminos orbis terræ. Et paulopost. Et adorabunt eum omnes reges terræ, omnes gentes seruient ei. De eo certissimè prophetatum est cui vestra præsumptio diuinitatis potentiam subtrahere nititur, de cuius diuina humanitate & humana diuinitate eo ipso donāte in sequē- C tibus plenius dicturi sumus. Iuxta disputationis & vestri sermonis sequentia dicitis: *Aliquando vero Ecclesia in exiguis est, sed non in vno angulo terrarum exclusa, sed neque in vna prouincia aut gente vel regno, sed toto in orbe terrarum diffusa.* Nunquid non vos in vno angulo terrarum, & in vna estis gente? Quare non intelligitis iuxta vestram sententiam in vobis non esse Ecclesiam Christi qui in vno angulo estis terrarum, & vna gente? Aut si in vobis est, proferendum est vobis in qua alia gente sit, vel populo, vel regno, vel qui sint qui vobiscum consentiant in adoptionis vel nuncupationis nomine de Christo. Aut si non potestis in toto orbe socios vestræ sententiæ inuenire, cognoscite vos vestro iudicio hæreticos esse: Et placeat vobis magis cum plurimis saluari D quam cum paucis perire. Animaduertite (Iacobo Apostolo dicente) vnde vestræ sapientiæ sit origo. Ait enim: Quod si zelum amarum habetis, & contentiones in cordibus vestris, nolite gloriari, & mendaces esse aduersus veritatem. Non est ista sapientia desursum descendens, sed terrena, animalis, diabolica. Vbi est zelus & cōtentio, ibi inconstantia & omne opus prauum. Quæ autem desursum est sapientia, primum quidem pudica est, deinde pacifica, modesta, suasibilis, bonis consentiens. Videtisne quod vestra sapientia non est pacifica, non est suasibilis, non bonis consentiens. Et ideo omninoq intelligite eam à Deo non esse datam, sed quadam astutia diabolicæ fraudis inuentam. Dicitis non verū non dixisse quod totus mundus nobiscum idem vniuersalis Ecclesia Christi consentiat nisi vos soli. Probate (si potestis) verum esse E quod dicitis: Ostendite nobis vel vnam gentem, vel vnā vrbem, vel sanctam Romanā Ecclesiam (quæ est caput Ecclesiarum) vel Constantinopolitanam vel Hierosolymitanā ipsius Domini præsentia dedicatam, aut Antiochenam, in quam primū sanctum Christianitatis nomē esse legitur, aut Alexandrinam, vel vllam Ecclesiā in tota Italia vel Germania, vel etiam Gallia, aut Aquitania, immo aut Britannia, quæ vobis consentiat in hac vestra adsertione, vt verum probetis aliquos vos habere socios sententiæ vestræ. Et si nō potestis hoc facere, credite vos sanctæ Dei Ecclesiæ contraria sentire, & cauete vobis Apostolicæ auctoritatis gladium, & sanctæ vniuersalis Ecclesiæ anathema formidate, nisi corrigatis sententiam vestram, & ad vnitatem apostolicæ doctrinæ conuertamini. Proposuistis etiam exemplum duorum litigantiū

quis

qui ex illis æquius se defenderet, An qui causam mouebat prior, aut qui se à persecutione alterius defendere nisus sit. Bene posuistis, sed non veraciter intellexistis quis moueret hoc scãdalum, quomodo inter nostras vestrasque partes versatur. Nũquid non tota Ecclesia Christi damnatis Eutychetis & Nestorij hæresihus vbique in pace Catholica, & in vnitate fidei Apostolicæ nullo turbante, multo quiescebat tẽpore, donec hęc noua, & antiquis temporibus inaudita secta per vestrã insolentiã subito exarsetit. Ac per hoc iustius videtur *Alium* hæreticum censeri qui nouas audet introducere sectas, quam illum qui paternis traditionibus enutritus & edoctus in propugnaculis suæ ciuitatis viriliter stans, se suosque cõciues fortiter defendere nititur, habens armaturam de qua in Cantico canticorũ ipsa decãtat sponsa, Sicut turris Dauid collum tuum, quæ ædificata est cum propugnaculis, mille clypei pẽdent ex ea, omnis armatura fortium. Quid est Dauid rex Hierosolymitanus nisi Christus Dominus Deus noster rex fortis & verus, qui de virga quæ de radice Iesse exiit, vt flos ascendit, cuius ciuitas est sancta & vniuersalis Ecclesia quę partim cum illo regnat coronata in cœlis; partim pro illo laborat peregrinata in terris, donec coronetur & perueniat in patriam. Huius ciuitatis propugnacula sanctæ sunt scripturæ, & præcedentium patrum exempla quibus munita est contra omnes aduersitates; & est hæc armatura fortium, id est, sanctorum Doctorum qui his armis, contra omnes hæreticas prauitates victores extiterunt. His nos pro virium nostrarũ portione, diuina auxiliante gratia, armari, omnes nouitates, & inauditas quæstiones stamus viriliter defendentes Apostolicas traditiones & fidem quam ab illorum ebibimus vberibus. Quod vero quendã beatum Abbatem, & discipulum eius Hitherium Episcopũ dicitis, huic vestræ sectæ primum cõtraire, laudamus eos in eo quod veritatem defendere conati sunt. Sed si verũ est quod dixisti eos duas naturas Christi in vnum confũdere, sicut vinum & aquam, hoc nullatenus cõsentimus: sed in eo si verum est valde eos esse reprehensibiles iudicamus. Catholica enim fides habet, quam nos defendimus, prędicamus & amamus, in Christo duas naturas esse proprias & perfectas, diuinam, (scilicet) qua ex Deo Patre ante omnia tempora consubstantialiter natus est: humanam vero qua in plenitudine tẽporum ex virgine idem ipse filius Dei carnem adsumpsit, & factus est verus homo qui est verus filius Dei totus in suo: vt beatus Leo Papa ait, & totus in nostro, idem in vtroque nõ alter in suo, & alter in nostro. Quia enim verbum cum carne ita est ineffabili modo vnitũ, vt ipsum verbum de quo beatus Ioannes Euangelista dicit: In principio erat Verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum, carnem dicamus factum (sicut idem ipse Euangelista dicit) Et Verbum caro factum est, & habitauit in nobis, id est nobiscum: licet illud Verbum non sit mutatum in carnẽ, & caro illa dicatur Deus, licet non sit in Deitatis naturã mutata, & est vnus filius Dei, & vnus Deus Dominus Iesus Christus. Ob hanc vnitatem dicitur filius hominis descendisse de cœlo, & Dominus gloriæ crucifixus, & sic impassibiliter Verbum Dei passum est, & filius hominis mirabiliter descẽdit de cælo, & illius manus qui creauit cœlum & terram clauis in cruce confixa est: Et illius sãguis, per quem omnia creata sunt, fusus est pro omnium salute, Apostolo testante, qui ait, Et sanguis filij Dei redemit nos. Quæ omnia magis fide venerari, quã ratione discotere debemus: Quia vbi ratio deficit, ibi fides est necessaria. Cõtra naturam est quod virga multis arida diebus floruit in tabernaculo. Contra naturam est vt virgo absque virili coniunctione filium generaret: sed cõditor naturarum nihil sibi impossibile condidit: vnde non potuisset de qualicunque natura quodcunque voluisset efficere. Potuit ne de carne virginis propriũ sibi procreare filium, an non potuit? si non potuit, nõ est omnipotẽs, si vero potuit & noluit, vos debetis dare rationem quare noluisset: Et si hoc poteritis enarrare, Ergo voluntas Dei

A altissimi comprehensibilis est humano animo: & falsum est quod Apostolus ait, incomprehensibilem esse Deũ. Nunquid non maior est dignitas in proprio filio quã in adoptiuo? Nos vero voluit in secundo gradu habere filios adoptiuos per eum qui in primo gradu ex virgine de Spiritu sancto concipiente sibi factus est filius proprius. Quid potuit ex Deo nasci nisi verus Deus. Nam spiritus est Deus, & omnis Catholica Ecclesia cantat, credit & dicat post confessionem paternæ maiestatis de filio vnico & vnigenito huiusmodi verba in symbolo: Credimus & in Iesum Christum filium Dei vnigenitum, natum ex patre ante omnia sæcula: lumen de lumine, Deum verũ de Deo vero, Natum non factum, consubstantialem patri per quẽ omnia facta sunt: Qui propter nos homines & propter nostram salutem descendit de cælo, & incar- B natus est de Spiritu sancto ex Maria virgine, & homo factus est: crucifixus autem pro nobis sub Pontio Pilato passus & sepultus, & resurrexit tertia die, & ascendit in cælum, & sedet ad dexteram Patris, & iterum venturus est cum gloria iudicare viuos & mortuos, cuius regni nõ erit finis. Reuocate ad vosmetipsos oculos cordis vestri, & intelligite huius solidissimi symboli consequentiã de vno vnigenito filio Dei, semper dicit & de duabus naturis in vno filio Dei eundémq; dicit natum de Patre Deũ de Deo: eundem dicit natum de Spiritu sancto & Maria virgine, passum & sepultum & resurgentem die tertia. Quid est quod eum diuidis in duos filios, vnum de Spiritu sancto & Maria virgine natum quem adoptiuum adseris: alterum de Deo Patre, quem verum dicis? Certum C namq; est Dominum Iesum Christum secundum Catholicam fidem & præconia scripturarum duas habere natiuitates, vnam de patre sine tempore: alteram de matre sine virili coniunctione, & harum duarum natiuitatũ proprias habere naturas, Dei scilicet qua de Patre natus, & hominis qua est de matre progenitus: vnus idemque Deus: vnus idemq; homo, vnus idemq; filius Iesus Christus. Gemina enim natiuitas geminam vni Christo dedit naturam. Qui Deus est de patre, item Deus homo est de matre. Has itaq; naturas quas ex vtroque habet parente, Apostolus duas nominat formas dicẽs de ipso: Qui cum in forma Dei esset non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinaniuit formam serui accipiens. Cernis in vna Christi persona vtriusque formæ, vtriusque naturæ mysterium contineri: Idem passi- D bilis & impassibilis, idem mortalis & immortalis: nõ alter & alter, sed idẽ & vnus in duabus naturis: sicut vnus est homo mortalis & immortalis, mortalis carne, immortalis anima, sed vnus est homo & non alter; sic vnus est Christus in diuinitate & in humanitate, non alter & alter: & iuxta Euangelistã si Deus est Verbũ, & Verbum caro factum est, vtique caro Deus est propter verbum & verbum homo propter carnem: Et est Deus & homo Iesus Christus Dei Patris vnus filius vnigenitus in vna persona, sicut sæpe diximus & semper dicemus de his duabus formis. Et beatus Augustinus in libro primo de sancta Trinitate ita disseruit dicens: semetipsum exinaniuit formam serui accipiens. Neq; enim sic accepit formam E serui vt amitteret formam Dei, in qua erat æqualis patri. sic ergo accepta est forma serui, vt non amitteretur forma Dei, cum in forma serui, & in forma Dei, idem ipse sit filius virginis & Dei patris. Et post pauca: proinde in forma Dei fecit hominem, in forma serui factus est homo. Nam si pater tantum sine filio fecisset hominem, nõ scriptum esset, faciamus hominem ad imaginẽ & similitudinem nostram. Ergo quia forma Dei accepit formam serui, vtrumque Deus, vtrumque homo: sed vtrumque Deus propter accipientem Deum: vtrumque autem homo, propter acceptum hominem. Nos non sequimur nec Nestorianam diuisionem, qui propter duas naturas duas personas in Christo inserere voluit; nec Eutychetis confusionem, qui propter vnam personam vnam voluit esse naturam in Christo, ambo à Catholica fide deuiantes, impietate pares quia fidem rectam non se-

meruunt, sed errore impares, qoia iste cōfundit, ille diuidit. Sed vt horū impios & detestabiles Catholico sensu refuremns errores, vtriusque naturæ proprietatem, & vnius personæ tractemus arcanum, vnus est Christus, idē Deus, idemq; homo habens in vocabulis & gestis unum quod humanitati, aliud quod propriæ diuinæ conueniat naturæ, licet vtrumq; simul ad vnam eius personam pertineat, ad vnamq, filij proprietatem, & ad vnam deitatis dignitatem. Igitur sicut Nestoriana impietas in duas Christū diuidit personas propter duas naturas quas ipsa veritas quæ Christus est, palam in se ostendit ipse dum ait: Ego & pater vnum sumus propter diuinitatis substātiam: & iterum: pater maior me est, propter humanitatis naturam: Ita & vestra indocta temeritas in duos eum diuidit filios, vnum proprium alterum adoptiuum, si vero Christus est proprios filius Dei patris & adoptiuus: Ergo est alter & alter, similiter si in diuinitate Deus verus est, & in humanitate Deus nuncupatiuus alter & alter est, & nullatenus sic sentientes potestis vobis euitare impietatem Nestorianæ doctrinæ: Quia quem ille in duas personas diuidit propter duas naturas, hunc vos diuiditis in duos filios, & in duos Deos per adoptionis nomen & nūcupationis. Intelligite quandoquidem hune errorem vestrum, & humiliamini sub manu omnipotentis Dei, & discite veritatis doctrinam ne sitis magistri erroris: ne dū Eutychetis foueam declinare, & permixoonem duarum naturarum cauete videamini, in Nestorij barathrum inconuenienter diuidendo decidatis, licet voce dissimili tamen confessione pari: Quem enim fecit ille in personis alterum & alterum, hunc vos facitis & in filiis duobus, & in diuinitatis diuersitate alterum & alterum: quia nullatenus in vnam personam coniungere potestis, illum qui ait, in Rubi Moysi famulo suo, Ego sum Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Iacob: Et illum qui ait: Deū Pharaonis te constitui. Vnde & beatus Gregorius in quadam homilia in Ezechielem Prophetam, in Christo omnino naturalem testatur diuinitatem esse, noo nuncupatiuam. Ait enim dū de Dei vocabulo tractaret, ecce constitui te Deum Pharaonis: In scriptura sacta aliquando Deus nūcupatiue, aliquando vero Deus essentialiter dicitur. Nuncupatiue enim dicitur, sicut nunc ad Moysem dictum est, Ecce constitui te Deum Pharaonis: sicut iterum Moyses ait, si quis homo hoc vel illud fecerit, applica illum ad Deos videlicet, ad sacerdotes: & sicut Psalmista ait, Deus stetit in synagoga Deorum, in medio autem Deus discernit. Essentialiter autem Deus dicitur, sicut ipse ad Moysē dicit, Ego sum Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Iacob. Vnde Paulus Apostolus volens Dei nomen nuncupatiuum ab essentiali discernere, ait quorum patres ex quibus Christus secundum carnem qui est benedictus super omnia Deus in sæcula. Nuncupatiuus enim Deus inter omnia essentialis autem super omnia. Vt ergo ostenderet Christum naturaliter Deum, non hunc Deum tantummodo, sed Deum super omnia esse memorauit: quia & iustus quilibet Deus est, sed inter omnia, quia nuncupatiuus Deus est: Christus autem Deus super omnia, qui naturaliter Deus est. Igitur non æqua proprietate sunt filij Iacob Patriarchæ Iudas qui sibi in proprium filium genitus est: & Ephraim quem quidem ipse Patriarcha adoptauit sibi in filium. Et licet de vtrisque nepotibus regalis prosapia orta esset; tamen Christus magis voluit de eius nepotibus nasci qui proprius filius fuit, quam de illius quem Patriarcha sibi adoptauit in filium. Quod vero dicitis Christum duos habere patres, Deum omnipotentem, & Dauid Regem, & non posse proprium filium duos habere patres: Quis est hominum qui eo modo nō habeat post proprium patrem, & alium patrem? quod Dauid fuit pater Christi, non solum vnum, sed plures etiam sicut ipsa beata virgo omnipotēs potuit habere patres de quorum genealogia orta est à patre se generante vsque ad Dauid, vel etiam vsque ad ipsum Adam: licet quodam specialis regiæ dignitatis priuilegio, propter Christum filius Dauid dici debeat, sicut & ipse Ioseph Da-

A uid filius dicitur, ad quem Angelus ait: Ioseph fili Dauid noli timere accipere Mariam coniugem tuam: Quia ex Dauid semine sanctissima virgo Maria orta est, de qua sibi Christus carnem adsumpsit. Iam, secundum quod vobis placet, honorabilior est in Christo paternitas Dauid, quā paternitas Dei patris. Et quid vultis de Ioseph ipso dicere, de quo Euangelista ait: Et erat pater eius & mater mirantes de his quæ dicebantur de eo. Et ipsa mater Domini nostri Iesu Christi: Fili quid fecisti nobis sic? Ego & pater tuos dolentes quærebamus te. Cui & ipse filius respondit: Quid est quod quærebatis me? Nesciebatis quod in his quæ patris mei sunt oportet me esse; vt ostēderet patrem suum esse Deum, magis quam Ioseph. Tamen, vt Sanctus Augustinus ait, magis Christus est filius
B Ioseph quam si eum adoptaret aliunde, quia de vxore sua natus est. Ideoque velim respondeatis, an magis sit Iesus Christus qui ex virgine natus est Dei patris aut ipsius Ioseph filius? Nullatenus audetis (vt reor) paternitatem Ioseph præferre paternitati Dei patris in Christo Iesu, ne aperta vos inuoluatis blasphemia: Dum vbi in sanctis Euangeliis ille ipse Deus Christus sibi patrem Deum omnipotentem nominare solet. Quod sæpius legentes quique inuenire possunt quam vt exemplis indigeat. Et ipse quoque pater filium suum eum nominaret, sicut in sancto baptismo legitur: vbi ait: hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui: similiter & in monte sancto audientibus Apostolis qui cum eo erāt, hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui
C ipsum audite. Ergo diuisiooem non fecit vox paterna inter filium & filium: quia quem proprium sibi genuit ex æternitate, proprium quoque sibi voluit habere ex matre. De hac quoque testificatione paternæ vocis & beatus Beda presbyter in expositione Cantici Canticorum huiusmodi mentionem fecit: Dilectus meus candidus & rubicundus, electus ex millibus: Candidus, quia sine peccato: Rubicundus, quia suo sanguine nos redemit. Electus ex millibus, quia ex omni genere humano vnus mediator Dei & hominum per quem mundus reconciliatur, adsumptus est à Deo, solus mortalium à Deo de cælo dignus fuit audire: hic est filius meus dilectus in quo mihi complacui. Quis est tam contentiosus, & tam perfidus, qui testimonio Dei patris non credat de filio suo. Quod testimonium præfatus doctor dicit super illum ve-
D nisse qui mortalis fuit: vbi locum habet vestra cōtentio eam negare filium Dei esse proprium, quem suo testimonio summus pater suum esse propriū, etiam & dilectum testatus est. Nescio qua cæcitate seducti estis quasi non possit esse proprius filius Dei qui ex virgine natus est? Et quomodo sancta Dei Ecclesia beatam virginem genitricem Dei appellare solet nisi quia ille ipse qui natus est ex eius carne, proprius est filius Dei: Et qui natus est ex substantia Dei patris proprius est filius virginis, vt in vtraque generatione sit proprietas non adoptio: veritas non appellatio; sicut in libro Ecclesiasticorum dogmatum legitur, vbi post Catholicam sanctæ Trinitatis confessionem de filij proprietate in vtraque natura congruenter Apostolicis traditionibus insertum legitur: Non pater carnem adsumpsit, neque Spiritus sanctus, sed filius tan-
E tum: vt qui erat diuinitate Dei filius, ipse fieret in homine hominis filius: ne filij nomen ad alterum transiret, qui non erat natiuitate filius. Dei ergo filius hominis factus est filius: natus secundum veritatem naturæ ex Deo Dei filius, vt secundum veritatem naturæ ex homine hominis filius vt veritas geniti non adoptione, non appellatione; sed in vtraque natiuitate filij nomen nascendo haberet: & esset verus Deus, & verus homo, vnus filius. Non ego duos Christos, neque duos filios, sed Deum & hominem vnum filium. Quem propterea & vnigenitum dicimus manentem in duabus substantiis sicut creaturæ veritas contulit non confusis naturis neque immixtis, sicut Timothiani volunt, sed societate vnitis. Deus ergo hominē adsumpsit, homo in Deum transiuit non naturæ versibilitate, sed Dei dignatione, vt nec Deus mutaretur in humanam

manam substantiam, adsumendo hominem; nec homo A in diuinam licet glorificatus in Deum. Nam si necesse est adoptiuum esse Christum Dei patris, propter quod ex substantia sua natus non est secundum carnem: quomodo non est adoptiuus filius virginis ille qui natus est ex Deo, quia de eiusdem virginis substantia creatus non est? Ergo si necesse est hominem ex virgine natum, virginisque filium adoptiue esse filium Dei: ipso modo necessarium est Deum Dei filium adoptiue esse filium virginis, quia alia substantia est Dei patris de qua essentialiter natus est Dei filius: alia virginis de qua corporaliter natus est Christus. Aut si hoc nō audetis dicere (quia Christianum nomen habetis) vt beata virgo non sit proprie Dei genitrix, sed per adoptionem: æquum est vt non audeatis adfirmare filium virginis adoptiuum es- B se Dei patris filium. Quid igitur restat nisi vtriusque parentis verus & perfectus in duabus substantiis Iesus Christus sit filius totus Dei patris proprius, totus virginis matris proprius, vt sit vnus Christus, vnus filius, & vnus Deus? Audiamus quid beatus Augustinus in Epistola ad Hilarium & Prosperum de hac mirabili & speciali Christi natiuitate dicat: Respondeat tu (inquit ille) homo vt à verbo coæterno in vnitatem personæ adsumptus filius Dei vnigenitus esset, vnde hoc meruit natura humana vt ad hanc ineffabilem excellentiam perueniret. Nonne faciente ac suscipiente verbo ipse homo ex quo esse cœpit, filius Dei vnicus esse cœpit? Nonne filium Dei vnicum fœmina illa gratia plena concepit? Nonne de Spiritu sancto & virgine Maria Dei filius vnicus natus est, non carnis libidine, sed singulari Dei C munere? Quid ergo ambiguitatis habet tanti patris testimonium? Ecce eum qui de virgine natus est vnigenitum & vnicum Dei filium non dubitauit nominare & credere. Nunquid vnus filius vnius patris potest vtrumque & vnicus esse & adoptiuus? vel de quolibet sanctorum legitur nisi de Christo solo qui natus est ex virgine vnigenitum Dei filium dici. Et si parum creditis testimoniis sanctorum patrum, credite ipsi Dei filio de se testimonium proferenti. Ait enim in Euangelio: Sic enim dilexit Deus mundum, vt filium suum vnigenitũ daret. Quis autem datus est pro mundi salute, ille vtique qui torcular calcauit solus, & sanguinis effusione rubicunda habuit vestimenta, quem vos per omnia similem esse nobis absque lege peccati contenditis, sicut D in libelli vestri serie ostenditur, vt ipsa verba ponamus quæ vos in eodem posuistis, dicentes, non in gloria deitatis in qua per omnia similis est patri, dissimilis vero omni creaturæ, sed in sola humanitate, in qua per omnia similis factus est nobis excepta lege peccati; similis vtique in natura, cui tamen nullus similis extat vel æqualis in gloria. In hoc autem illum adoptiuum credimus apud patrem, in quo secundum carnem filius est Dauid, non tamen in hoc quod Dominus existit. In multis cum dicimus similem, & nos in plurioribus dissimilem, similis in natura vt dicitis, sed dissimilis in gloria: dissimilis est nobis, si nobiscum est adoptiuus filius, & nuncupatiuus Deus. Videte ne vobismetipsis contraria dicatis, quem adseritis in natura nobis per omnia similem, hunc eundem E dicitis dissimilem in gloria. In hoc enim dissimilem illum nobis dicimus, quia non solummodo purus homo natus est, sicut nos, sed etiam Deus homo: similis in eo quod Apostolus ait, quia pueri communicauerunt carni & sanguini: Et ipse similiter participauit his idem vt per mortem destrueret eum qui habebat mortis imperium. Dissimilis vero in eo quod eandem mortem non misera necessitate, sed misericordi voluntate suscepit, ipso testante, Potestatem habeo ponendi animam meam, & potestatem habeo sumendi eam: Nam nos necessitate morimur non voluntate, sicut Apostolus ait, in hoc enim ingemiscimus quod superuestiri volumus, vt absorbeatur hoc mortale à vita. Et in hoc dissimilis, quod caro illius quam de virgine sumpsit, caro est filij Dei propter vnionem verbi, quod caro factum est: De cuius supereminenti gloria & incorporabili omnibus sanctis illius vtique qui ex virgine factus est, verus sit vnigenitus Dei filius. Præfatus pater Augustinus in libro quem de præsentia Dei ad Dardanum scripsit, mirabiliter & sublimiter disseruit, ita dicens: Quid ergo est? hoc ne interesse arbitramur inter caput & membra cætera, quod in quolibet quamuis præcipuo membro: velut in aliquo magno Propheta aut Apostolo quamuis diuinitas habitet, non tamen vt in capite quod est Christus omnis plenitudo diuinitatis. Nam & in nostro corpore inest sensus singulis membris, sed non tantus quantus in capite, vbi prorsus omne in quinque partitum est. Ibi enim & visus est, & auditus, & olfactus, & gustus & tactus: In cæteris autem solus est tactus. An etiam præter hoc quod in templo, in illo corpore habitat omnis plenitudo diuinitatis. Et aliud quod intersit inter illud caput & cuiuslibet membri excellentiam, est plane quod singulari quadam susceptione hominis illius vna facta est persona cum verbo: De nullo enim sanctorum dici potuit, aut potest, aut poterit, verbum caro factum. Nullus sanctorum qualibet præstantia gratiæ vnigeniti nomen accepit vt quod est ipsum Dei verbum ante sæcula, hoc simul cum adsumpto homine diceretur, singularis est illa susceptio nec cum hominibus aliquis sanctis quantalibet sapientia & sanctitate præstantibus vllo modo potest esse communis, vbi diuinæ gratiæ satis perspicuum clarumque documentum est. Quis enim tã sit sacrilegus vt audeat adfirmare aliquam posse animam per meritum liberi arbitrij, vt alter sit Christus, efficere? vt enim ad personam verbi vnigeniti pertineret, quo pacto per liberum arbitrium communiter omnibus & naturaliter datũ vna sola anima meruisset, nisi hoc singularis gratia præstitisset quam fas est prædicare, de qua nefas est iudicare velle. De hac etiam excellentia illius hominis qui de virgine natus est, idẽ pater in Epistola præfata ad Hilarium & Prosperũ, sublimiter enarrat, vbi abundanter disputat contra aduersarios qui seipsos æquales esse contendunt in gratia Christo propter communionem naturæ, ponens primo verba aduersariorum hoc modo. Respondeat, inquit, homo Deo (si audet) & dicat, cur non & ego? Et si audierit, ô homo tu quis es qui respondeas Deo? Nec si cohibeat, sed augeat impudentiam & dicat: Quomodo audio tu quis es ô homo, cum sim quod audio, id est, homo quod & ille de quo ago, cur non sim quod ille? At enim gratia ille talis & tantus est: cur diuersa est gratia vbi natura communis est? Certe nõ est personarum acceptio apud Deum. Quis non dico Christianus, sed insanus hæc dicat? Appareat itaque nobis in nostro capite ipse fons gratiæ vnde secundum vniuscuiusque mensuram super cuncta eius membra diffundit. Ea gratia fit ab initio fidei suæ homo quicunque Christianus, qua gratia homo ille ab initio factus est Christus. De ipso spiritu est hic renatus de quo est ille natus. Aliter vt sanctus Augustinus vult intelligi plenitudo fontis manat, aliter riuuli mẽsura currit de fonte, quod beatus Baptista testetur: Non enim, inquit, ad mensuram dat Deus spiritum. Pater enim diligit filium, & omnia dedit in manu eius. De riuulorum mensura Apostolus testatur: Vnicuique nostrum data est gratia secundum mẽsuram donationis Christi. Et quia paulo ante fecistis mentionẽ Dauid, velim dicatis de quo interrogasset ipsa veritas Iudæos vbi ait: cuius filius est Christus? Dixerunt: Dauid. Ipse autem proposuit illis quæstionem quomodo dictum sit, Dixit Dominus Domino meo; sede a dextris meis. Si filius est Dauid, quomodo est Dominus eius? Cui autẽ naturę dictum est, sede à dextris meis, diuinę an humanæ? humanæ scilicet, vt in symbolo cãtatur, qui ascendit in cœlos & sedet à dextris Dei. Vnde & Marcus Euangelista in fine Euangelij sui ait: Et Dominus quidem Deus postquam locutus est, assumptus est in cœlum & sedet à dextris Dei. Naturæ cui dictum est: Terra es & in

terram inis, huic dictum est, sede à dextris meis, hoc dixit Christus, vt beatus Hieronymus exposuit in tractatu huius Psalmi ad Pharisæos qui simplicem filium Dauid confitebantur Christum, si filius est Dauid quomodo vocat filium suum Dominum. Et paulo post idem ipse: Videte ergo quid dicit: Dixit Dominus Domino meo. Nunc hic cui præcipitur vt sedeat Deus non sedet adsumptio corporis sedet? huic ergo præcipitur vt sedeat quia homo est qui adsumptus est: De quo & Apostolus ait, & est Dominus omnium: Et si est Dominus omnium, vtique & Dominus est Dauid, de cuius semine natus est carnaliter. Hoc ideo tam subtiliter interrogauit ipse Deus Christus, vt intelligeretur eundem esse Dominum Dauid & qui filius est. Et si hoc parum videatur infidelitati vestræ tanti patris testimonio Dominum esse qui natus est de semine Dauid (vt te quoque, ô Felix huius nouitatis adsertor, specialiter angelicæ vocis adsertione adloquar) audi etiam loquentem ad pastores de Dei ortu angelum Dei: Natus est, inquit, vobis hodie Saluator qui est Christus Dominus in ciuitate Dauid; ne solum vtique Christum hominem intelligeres, & Dei tibi & Saluatoris nomen adiecit: scilicet vt quem Saluatorem esse cognosceres, Deum nequaquam esse dubitares, & cum saluandi virtus non nisi diuinæ competeret potestati, diuinæ eam potentiæ esse non ambigeres, in quo potentiam saluandi esse didicisses, sed & hoc incredulitati tuæ parum fortasse videatur, quia cum Angelus Domini potuisset tã Saluatorẽ quam Deum aut Dei filium nominare, cum vtique impiissime Deum neges quem Saluatorem esse fatearis: Quem beatus doctor gentium Saluatorem sæpius nominare non dubitauit, dicens ad Titum: Apparuit enim gratia Dei Saluatoris nostri. Audi quoque Archangelum Gabrielem Mariæ virgini prædicantem: Spiritus, inquit, sanctus superueniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi, ideo & quod nascetur ex te sanctum, vocabitur filius Dei. Vides quemadmodum natiuitatem Dei indicaturus diuinitatis opera præmiserit: Spiritus enim sanctus, inquit, veniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi, pulcherrime loquens Angelus excellentia verborum maiestatem diuini operis explicauit. Quid enim tanti apparatus opus erat in natiuitate vnius infantuli (vt tu vis) adoptiui? pater obumbrauit, Spiritus sanctus impræguauit, filius incarnatus est dum omnis cælestis terrenaque creatura solo iubentis verbo facta est: vt habet in Psalmo: Ipse dixit & facta sunt, ipse mandauit & creata sunt: Cur parum fuit iussio dicentis, sicut in cæteris omnibus creaturis ad vnius hominis procreationem, si tantummodo purus homo natus est, & non Deus, vel etiam Dei filius verus: sed illa vtique omnis opera Angelicarum potestatum vel omnium creaturarum facta sunt per iussionem Dei: Natiuitas autem Dei filij agenda non erat nisi per aduentum & operationem sanctæ Trinitatis: quia & concipi Deus ab homine nisi se donante & nasci nisi se inlabente non poterat. Et ideo Archangelus superuenturam virgini maiestatem sactã indicabat: videlicet vt quia agi tanta res per humanum officium non valebat, ipsius adfuturam diceret maiestatem in conceptu, qui erat futurus in partu. Et quia Deus superuenit in conceptione, ideo futurus erat Deus in parturitione. Et quid de Deo nisi Deus nasci potuit? Spiritus est Deus, vt Apostolus ait. De quo spiritu (vt in symbolo cantitamus) ex Maria virgine natus est filius Dei. Addidit quoque quærenti virgini Archangelus, ideoque quod ex te nascetur sanctum, vocabitur filius Dei. Hoc est dicere, non ignores hunc tantæ rei apparatum, hoc tanti mysterij sacramentum: Ideo in te veniet maiestas Dei, quia ex te nascetur filios Dei. Quid hic vltra ambigi, aut quid amplius dici potest? Deum dixit superuenturum Dei filium nasciturum. Tu quære nunc si placet, quomodo aut Dei filius sit, quomodo aut Dei filius non sit qui natus est, vel si Dei filius sit quomodo

A Deus non sit? Si vero nec Angelorum credis testimonio, crede saltem ipsius Dei patris, qui ait vbi transfiguratus est Christus in monte sancto, sicut prædiximus, Hic est filius meus in quo mihi bene complacui, ipsum audite. Quam visionem præcepit Apostolis tacere donec filius hominis à mortuis resurgeret; ne dum gloria prædicaretur maiestatis, crucis mysterium impediretur. Cur enim si de diuina natura Dei filij dixisset, hic est filius meus dilectus taceri præcipitur, dum toties Christus se ostendit palam, & prædicauit Dei esse filium veluti vbi ait ego & pater vnum sumus: Item, qui videt me videt & patrem: Item, omnia quæ pater fecit, hæc & filius similiter facit: & multa talia, vbi se in diuina substantia omnino patri æqualem, & patri esse filium non tacuit, sed hæc vox paterna ad hoc in baptismo super filium hominis facta est, vt agnosceretur & crederetur verus esse filius Dei homo qui ex substantia beatæ virginis creatus est: sed forte meæ paruitatis sensus tibi non sufficit, vt de Christo qui de virgine natus est, hæc testimonia patris prolata sint. Audi etiam quomodo patres nostri viri vere Catholici responderent antecessoribus tuis qui Christum nec Dei filium, nec Deum verum voluerunt credere, vt eadem verba ponamus, quæ leguntur in libro beati Cassiani, Vel sic diuino, inquit, credas testimonio à signis cœlestibus quæ super baptismum Christi apparuerunt. hæc sunt verba fidei Catholicæ. Quid ergo Apostolus Thomas tetigit cum ad palpandum Deum accessisset? Christum vtique absque dubio: Quid autem exclamauit? Dominus, inquit, meus & Deus meus. C Nunc si potes & Christum à Deo separa, immuta dictum hoc si vales: Da Dialecticam disputationem, da prudentiam mundialem, & stultam illam verbosa calliditate sapientiam, verte omnes te in facies, & contrahe quicquid siue animis, siue arte vales, quidlibet dicas, quidlibet facias, exire hinc nusquam vales, nisi hoc quod Apostolus tetigit, Deum fatearis. Et quidem si quomodo possis, immutare forsan historiæ Euangelicæ prædicationem velis, vt nec corpus Domini Thomas Apostolus contigisse, nec Christum Dominum Deum dixisse legeret. sed immutari quod in Euangelio Dei scriptum est, nequaquam potest. Cœlum enim & terra trãsibunt, verba vero Dei non præteribunt. Ecce enim etiã nunc tibi ille qui tunc testatus est Thomas Apostolus clamat. Deus est Iesus quem tetigi, Deus cuius membra D palpaui, non ego incorporalia tenui, nec intractabilia tentaui. Non Spiritum manu contigi, de eo tantum credat dixisse Deus est Spiritus iuxta Domini mei dictũ carnem & ossa non habet: Ego corpus Domini mei tetigi: Ego carnem & ossa palpaui: ego digitos meos in locum vulnerum misi, & de Christo Domino meo quem palpaueram proclamaui, Dominus meus & Deus meus. Non enim noui inter Christum & Deum facere distantiam, inserere sacrilegas opiniones inter Iesum & Deum nolo. Diuellere à seipso dominum meum nescio facesse à me quisquis diuersa sẽtis, quisquis diuersa loqueris: Ego aliud Christum quam Deum esse non noui: hoc cum coapostolis meis tenui, hoc Ecclesijs tradidi, hoc E gentibus prædicaui, hoc etiam tibi clamo, Christus Deus est, Christus Deus est. Aliud mens sana non sentit, aliud fides sana non loquitur, diuelli à se diuinitas non potest: Et cum vtique quicquid est Christus, Deus sit, inueniri in Deo aliud non potest quam Deus. Quid ais tu tunc, hæretice, sufficiunt ne hæc testimonia fidei etiam summæ infidelitati, an adhuc aliquid addendum est? Et quid vel post Prophetas, vel post Apostolos addi potest? Nisi forte vt Iudæi quondam expostulabant signum sibi de cælo, etiam tu tibi dari postules, sed perẽti tibi hoc aliud quod responsum tunc illis est, necesse est responderi, Generatio praua & adultera signum quærit, & signum non dabitur ei, nisi signum Ionæ Prophetæ; & vere sufficere tibi signum hoc vel cum Iudæis crucifigentibus poterat, vt dominum Deum non etiam hac re sola edo-

ctus

ctus credetes, quam etiam illi qui persecuti fuerant, crediderunt. Sed tamen quia cœlestis signi fecimus mentionem, ostendam tibi de cœlo signum. & quidem tale, cui nec dæmones vnquam contradixerunt, dum ipsa veritatis necessitate cogente licet Iesum corporeum esse cernerent, Deum tamen, quod erat, esse clamabāt. Quid ergo ait Euangelista de Domino Iesu Christo, baptizatus, (inquit) cōfestim ascendit de aqua, & ecce aperti sunt ei cœli, & vidit Spiritum descendentem sicut columbā venientem super se, & ecce vox de cœlis dicens, Hic est filius meus dilectus in quo mihi complacui. Quid ad hæc nunc hæretice ais: dictum displicet an persona dicentis? nec interpretatione certe indiget intelligētia allocutionis, nec cōmendationem verborum indignitas alloquētis. Deus pater est qui dixit, euidens est quod dictum est, nunquid tam impudentem aut sacrilegā vocem proferre poteris, vt dicas de vnigenito Dei filio, nec Deo patri esse credendum, hic est ergo (inquit) filius meus dilectus in quo mihi complacui, sed tētabis forsitan dicere, vt est dementia, de verbo hoc, non de Christo dictum fuisse: Dic mihi ergo quis erat qui baptizabatur, verbum an Christus? Quis baptizatus esset in Iordane, caro an Spiritus. Negare vtique non potes Christum fuisse: homo ergo ille ex homine ac Deo natus Spiritu sancto in virgine descendente, & virtute Altissimi obumbrāte conceptus, ac sic hominis & Dei filius. Ille vtiq; (vt negare non potes) baptizatus est, si ergo ille baptizatus est, ille & nominatus: quia ille vtique nominatus qui baptizatus est: hic est (inquit) filius meus dilectus, in quo mihi complacui: nūquid dici significantius aut expressius quicquam potest? Christus baptizatus est, Christus de aqua ascendit, Christo baptizato cœli aperti sunt. Descēdit super Christum corporali specie Spiritus sanctus, Christum pater appellauit, hoc si de Christo dictū negare ausus es, superest vt nec baptizatum Christum fuisse nec Spiritum descendisse, nec patrem locutum fuisse contendas: sed vrget tamen & premit te ipsa veritas, vt etiam si confiteri eam nolis, tamen negare non possis. Quid enim ait Euāgelista? baptizatus autem confestim ascēdit de aqua, qui baptizatus est, Christus vtique: Et ecce (inquit) aperti sunt cœli: Cui scilicet nisi illi qui baptizatus est, Christo vtique. Et vidit Spiritum Dei descendentem sicut columbam veniētem super se. Quis vidit? Christus, scilicet, vel Ioannes, super quem descendit? super Christum vtique. Et vox facta est de cœlo dicens. De quo? de Christo, scilicet, quid enim sequitur? Hic est filius meus dilectus in quo mihi complacui, vt omnia illa propter quem facta essent, ostenderentur, vox consecuta est dicens: Hic est filius meus dilectus in quo mihi complacui, hoc est dice-

A re, hic est propter quem cuncta hæc facta sunt: Hic est enim filius meus: propter hunc cœli aperti sunt: propter hunc Spiritus meus venit: propter hūc vox mea facta est, hic est filius meus, dicens ergo hic est filius meus, quem designabat? Illū vtique quem columba tangebat: Quem ergo columba tetigit? Christum scilicet, ergo Christus filius est Dei. Impleta est (vt reor) sponsio mea. Vides ergo hæretice profecto signum tibi de cœlo datum, & quidem non vnum, sed & multa & singularia: habes enim vnum in apertione cœli: Aliud in Spiritus descensione: Tertium in patris voce. Quæ vtique omnia Christum Deum esse declarant. Quia eum & reseratio cœlorum Deum iudicat, & descensio super eum sancti Spiritus Deum approbat, & allocutio patris Deum esse confirmat. Neque enim vel cœlum nisi Domini sui honori patuisset, vel Spiritus specie corporali nisi super Dei filium

B descendisset, nec pater filium nisi vere filium declarasset, præsertim cum his diuinæ natiuitatis significationibus quæ non solum veritatem piæ fidei confirmarent, sed etiam prauitatem impiæ opinionis excluderent. Ineffabili enim diuini dicti magnificentia cum expresse ac significanter dixisset pater, hic est filius meus, addidit etiam illud quod consecutum est dilectus, scilicet, & in quo mihi complacui. Vtique si eum per Prophetiam Deum fortem & Deum magnum iam prædicauerat: Ita hic dicens filius meus dilectus in quo complacui, super proprij filij sui nomen, etiam dilecti & complaciti sibi nomen filij adiecit: vt proprietatem diuinæ, scilicet naturæ nominum significaret adiectio. Et id ad honorem filij Dei peculiariter pertineret, quod nulli omnino homini contigisset. Itaque sicut illa propria ac pecularia in persona Domini nostri Iesu Christi fuerūt quod cœli aperti sunt, quod eum Deus pater cunctis videntibus per aduentan-

C tem atque testantem columbam quasi manu quodammodo sua tetigit, & quasi digito indicante monstrauit dicens: Hic est filius meus: ita illud quoque proprium ei ac singulare, quod peculiariter dilectus & peculiariter patri complacitus nominatur, vt peculiarem vtique naturæ significationē peculiaria additamēta monstrarent, & proprietatem vnigeniti filij etiam cognominum proprietas confirmaret, quam iam honor signorum præcedentium comprobasset. Sed iam libelli istius finis sit. Neque enim hoc dictum Dei patris aut augeri humanis sermonibus aut exæquari potest nobis de Domino nostro Iesu Christo filio suo satis per se ipsum pater idoneus testis est dicens: hic est filius meus. Tu si contradicendum his Dei patris vocibus putas, illi à te necesse est contradici qui eum euidentissima declaratione filium suum esse ab omni mundo voluit agnosci.

Explicuit Liber primus.



PAVLINI AQVILEIENSIS EPISCOPI CONTRA FELICEM VRGELITANVM EPISCOPVM.

LIBER SECVNDVS.



On debet mihi lector imputare A sermonis mei confusam quodammodo disputationem & inordinatam, quia non recto tramite currentis, sed circuloso loquacitatis totam disputantis vestigia sequi necessarium habeo. Et prout ordo proponentis exierit, sermo respondentis subsequatur. Nec mirum si diuerso tramite curram in sermone qui varia sensu etiam & sibimet ipsi aliquantis in locis dissimili peregit per latissimos sanctæ Scripturæ campos non Catholicæ fidei quærens veritatem, sed suo errori licet valde sibi contraria nititur testimonia. Omnium hæreticorum sequens consuetudinem qui diuini eloquij B sententias ad sui probationem erroris prauo sensu interpretari nituntur.

Obiect. Dicis itaque quod nouus homo nouum nomen habere debeat.

Res. Dic rogo quis hoc nouum nomen spiritus vestri insonuit auribus. Forte Deus tecum loquebatur in turbine veluti cum Iob seruo suo, vel etiam in pyreneis collibus in tonitruo & voce tubæ: sicut cum Moyse famulo suo in Sina monte sermocinatus est: vel Dominum cum Isaia Propheta vidisti in solio sedentem, & missus est Seraphim cum ardente calculo labia tua mundare, vt inaudita à sæculis nomina mundo proferre voluisses: vel cum Apostolo raptus fuisti ad tertium cœlum, & ibi audisti ineffabilia verba vel, cum beato Euangelista vidisti & legisti librum sigillatum septem sigillis, quem nemo potuit aperire, nisi Leo de tribu Iuda: C Cuius potestati infeliciter fœlix derogare non meminis. Profer tamen nobis quid tecum loqueretur Deus vel in turbine, vel in pyreneis collibus: vel illa ineffabilia, quæ audisti dic nobis: vel de sigillato libro ostende nobis testimonia noui nominis quod nouo homini indidisti. Credo quod alius spiritus tibi locutus est, Christum esse adoptiuum. Alius Isaiæ Prophetæ inspirauit dicenti: Et vocabitur nomen eius Emmanuel: vel etiam quod alibi ait: Et vocabitur nomen eius admirabilis, consiliarius, Deus fortis, princeps pacis, pater futuri sæculi. Et alius Spiritus tibi dictauit Christum nuncupatiuum esse Deum. Alius alteri Prophetæ dicenti: si adfigit homo Deum suum, quia vos adfigetis me: nunquid non hæc vox Christi potuit esse quando ductus est ad crucem quasi dixisset: Cur quæso redemptorem vestrum non agnoscitis. D Cur Deum indutum pro vobis carne nescitis? Saluatori vestro necem paratis: Auctorem vitæ ad mortem ducitis: Deus vester sum quem suspenditis: Deus vester quem crucifigitis. Quis, rogo, hic error, aut quæ insania est? si adfigit homo Deum suum, quia vos adfigitis me: vides quomodo vox hæc ipsarum quodammodo quæ acta sunt rerum vox sit. Nunquid expressius quicquam aut manifestius quæris? Vides quomodo testimonia sacra natum in carne Dominum Iesum Christum ab ipsis quodammodo incunabulis, vsque ad crucem quam pertulit, prosecuta sunt: Cum vtique illum quem Esaias Dominum in carne nasci prædicauit, hic Deum in cruce videat adfigi. Et ideo à Propheta & illic vbi natus est, Deus dicitur, & illic vbi crucifixus est, Deus euidentissime nominatur. Certissime alius Angelus tibi dormienti in somtis apparuit, alius Ioseph viro Mariæ: Et aliud tibi nomen demonstrauit, aliud illi: vel alius non Gabriel, sed ignotus quilibet nuntius tibi vigilanti adstitit susurrans in aurem, hunc, inquit, puerum qui natus est de virgine adoptiuum vocare memento, sed alius beatissimæ virgini adstitit, & iam non quislibet, sed Gabriel Archangelus clara voce pronuncians: Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi: Ideoque & quod ex te nascetur sanctum filius Dei vocabitur. Si igitur ipse Gabriel qui dicitur fortitudo Dei, te orantem in templo inuenisset non nouem mensium, sed perpetua taciturnitate incredulum, damnasset os tuum: Quia quem ille à Deo missus & diuinæ conscius voluntatis parere virginem prædixit Iesum, id est Saluatorem & magnum, & filium Altissimi, & sanctum, & regnaturum in æternum ostendit, hunc tu paruum & adoptiuum & seruum conditionalem testari non times? Primum ergo illud à te requiro Dominum Iesum Christum qui ex Maria virgine natus est, hominis tantum filium, an etiam Dei filium dicas? sed hoc superfluum est à te quærere, quod perspicuum est te sentire. Et multis verbis licet inaniter confirmare hominis esse tantum filium qui ex virgine natus est, & non Dei nisi per adoptionem. Nos autem, id est Catholicorum omnium fides, nos (inquam) omnes vtrumque & credimus & intelligimus, & scimus & confitemur, quod & hominis est filius qui ex homine natus est, & Dei filius qui ex Spiritu sancto conceptus est. Tu ergo vel vtrumque (id est) Dei filium atque hominis, an tantum hominis esse adseris? si tantum hominis, reclament tibi Apostoli, reclament Prophetæ, reclamat denique ipse, per quem facta est conceptio, Spiritus sanctus. Obruitur impudentissimum os tuum cunctis diuinorum apicum testimoniis. Obruitur sacris voluminibus, sanctis testibus, obruitur denique ipso Dei Euangelio quasi diuina manu multis in locis maxime paterna voce de cœlis, & ipsius testimonio de quo nunc nobis sermo est. Damnat & ipse Archangelus vocem incredulam in te, qui virtute sui sermonis clausit in Zacharia os incredulum: Multo magis & in te qui nec Dei patris testimonio de filio suo testantis, nec Apostolicis doctrinis, nec Propheticis præsagiis, nec Angelicis affatibus consentire vis: sed post hæc veritatis testimonia nouum nomen Dei filio cum paucis Hispaniæ, non dico doctoribus, sed veritatis desertoribus, imponere præsumis. Conuertamini quandoque ad vnitatis Catholicæ concordiam, & dum adhuc lumen habetis currite ne vos tenebræ apprehendant: vt sitis per illum adoptione filiorum digni qui est verus filius Dei, qui in plenitudine diuinitatis natus est perfectus Deus, perfectus homo: Totus Deus, totus homo: totus filius Dei, totus & filius hominis: Et nomen quod Angelus concipienti virgini prædixit, id est, filium Dei firmissime tenete, credite & prædicate; Dei enim filius Iesus Christus est, qui & de diuinitate genitus, & de diuinitate conceptus est: si autem Dei filius, ergo indubitanter Deus: si vero Deus, vnquo omni veritate plenus: Quia gratia & veritas per Iesum Christum facta est. Omnis ergo in eo gratia, omnis veritas, omnis virtus, omnis potentia, omnis diuinitas, omnis denique diuinitatis ac maiestatis ipsius plenitudo, cum eo atque in eo semper fuit, siue in cœlo, siue

in

in terra, siue in vtero, siue in ortu. Nihil vnquam Deo de Deo defuit, semper enim cum Deo deitas; semper in filio proprietas. Idem in hominis exiguitate, qui in Dei maiestate. Et ideo bene Apostolus Christi gratiam nominans Dei gratiam nominauit, quia Christus totum erat quod Deus. Omnis in ipsa statim hominis conceptione Dei virtus, omnis diuinitas, omnis diuinitatis veneTat plenitudo. Inde enim illi omnis diuinitatis perfectio, vnde & origo. Neque enim vnquam ille homo sine Deo fuerat, qui vtique hoc ipsum quod erat, esse à Deo cœperat, hoc ipsum itaque primum velis nolis negare non potes, quod Dominus Iesus Christus filius Dei sit, Archangelo vtrique clamante, quod ex te nascetur sanctum vocabitur filius Dei. Hoc autem posito scitote quicquid de Christo legeris, de Dei filio legere: Quicquid de Domino aut Iesu legeris, ad Dei filium pertinere. Omnia enim hæc illius nomina Dei filium demonstrant: Et ideo tu in his omnibus quæcumq; audieris nomen diuinitatis agnosces. Omnia hæc eius vocabula filium Dei clamant, cum in omnibus videas te Dei filium intelligere debere. Argumentare si placet quomodo Deum valeas à Dei filio separare: Nec enim toties per omnes paginas sanctorum Euãgeliorum Dei filius nominaretur, si proprie non esset Dei filius qui ex virgine secũdum carnem natus est. Quod enim tibi sufficit, si Euangeliorum testimonia sufficiunt, vel cuius testimonio credis, si ipsius patris testimonio incredulus es: legitur quoque in tui libelli textu, in illa (scilicet) in qua iuxta carnis materiam, vniuersi fideles eius membra ipsius sunt, non in illa, hoc est in diuinitate eius in qua non membra habet, sed templum. Quomodo potest esse vt Deus Christus membra non habeat & templum habeat? nunquid non templum Dei est corpus quod ex virgine sumpsit? Vt Euangelista ait: hoc autem dicebat de templo corporis sui. Et si corpus habet, habet vtique & membra, Apostolo attestante: Vos autem estis corpus Christi, & membra de membro. scimus enim diuinam naturam per partes non esse diuisam, sicut corpus in membra diuiditur: Tamen quia dixisti eandem naturam templum habere, si templum habet, id est corpus, habet vtique & membra, quia templum sine membris esse non potest. Nam eadem natura diuinitatis quę ante incarnationem membra non habuit, eadem dum homo facta est, membra habuit, in quibus cruci adfigitur, quæ etiam & post resurrectionem se habere testatur cum dixit Apostolis: Palpate & videte quia spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere, ostendens eis membra & latus, vt veritatem corporis demonstraret post resurrectionem in membris humanis. Non enim minoratio fuit diuinitatis in adsumptione humanitatis: sed humanitatis exaltatio in participatione diuinitatis: sicut sæpe dictus doctor beatus Augustinus in libro de baptismo paruulorum ait: per vnitatem vero personæ, qua vtraque substantia vnus Christus est & filius Dei ambulabat in terra, & idem ipse filius hominis manebat in cælo: fit ergo incredibiliorum fides ex incredibilioribus creditis: si enim diuina substantia longe distantior atque incomparabili diuersitate sublimior potuit propter nos ita suscipere humanam substantiam vt vna persona fieret: Ac sic filius hominis, qui erat in terra per carnis infirmitatem, idem ipse esset in cœlo per participatam carni diuinitatem: Opposuisti etiam & nos dixisse inter alia, Quid post tale tonitruum dubitaris fingentes natiuitati illius nouum adoptionis nomen quod in tota veteris nouique Testamenti serie non inuenitur de Christo. Ad quam, ais, obiectionem & ego vobis respondeo.

Recte nouus homo nouum nomen habere potest.

Dicam & ego mirum quod hoc nouum nomen vobis tantummodo in vltimo Christianitatis tempore innotuit de Christo dici debere: si tamen hoc nomen adoptionis ita nouum est, vt antea non esset in mundo, nisi cum Christo nascente venisset. Nunquid non filia Pha-

A raonis Moysen adoptauit sibi in filium? similiter & Iacob Patriarcha adoptauit sibi in filios Ephraim & Manasse nepotes suos: Prophetæ illud de Christo non prædixerunt? Nec lex in figurationibus sacrificiorum habuit: Euangelistæ non scripserunt: Apostoli non prædicauerunt: successores illorum omnes ignorauerunt: nisi vos soli: Spiritus quoque sanctus per os Isaiæ Prophetæ prædixit sex nomina de ipso: Et vocabitur, inquit, nomen eius Admirabilis, Consiliarius, Deus, fortis, pater futuri sæculi. princeps pacis. Vnde & beatus Hieronymus in expositione huius Prophetiæ dixit: Et licet ex eo quod supra dixerat, Emmanuel, id est nobiscum Deus, Deum illum esse monstraretur: tamen nunc
B Deum factum illius principatum super humerum eius, vel quod crucem suam ipse portauerat: vel per humerum ostendens fortitudinem brachij. Sed & beatus Cassianus contra hæreticas prauitates eiusdem Prophetię ita exposuit sensum: Prouidens absque dubio diuinus Spiritus hanc blasphemantium hæreticorum peruersitatem bis omni mundo Deum qui nascebatur rerum ipsarum vocabulis demonstrauit: vt etiam si blasphemare hæreticus quæreret, blasphemiæ tamen locum penitus inuenire non posset; Filius (inquit) natus est nobis, paruulus datus est nobis, cuius principatus super humerum eius: Et vocabitur nomen eius, Admirabilis, Consiliarius, Deus, fortis, pater futuri sæculi, princeps pacis. Paruulum hunc qui natus est, & principem pacis esse docuit &
C futuri sæculi patrem, & Deum fortem. Quis est ergo tergiuersandi locus? separari paruulus hic qui natus est à Deo, qui in eo natus est non potest, hunc enim, quem natum dixit, patrem futuri sæculi nominauit, Deum fortem esse prædixit. De quo & in superioribus idem Propheta ait: Ecce virgo concipiet & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emmanuel. Euangelista Matthæus hoc exponens ait, quod interpretatur nobiscum Deus. Nam & Angelus Gabriel à Deo missus ad virginem dixit: Ecce enim concipies & paries filium, & vocabis nomen eius Iesum: hic enim erit magnus & filius Altissimi vocabitur. De quo nomine & Apostolus: Et dedit illi nomen quod est super omne nomen, vt in nomine Iesu omne genu flectatur cœlestium, terre-
D strium & infernorum: & omnis lingua confiteatur quia Iesus est Christus in gloria Dei patris. De quo sanctus Proclus Constantinopolitanus Episcopus, in Epistola ad Armenios ait: si alter est Christus præter Deum verum, necesse est vt purus homo sit Christus. Et quomodo eum vltra naturæ meritum cœlestium venerantur exercitus, eique qui minor est, genu flectunt? Quæ est hæc gloria patris in qua est Christus, si non est verus filius Dei patris, sed adoptiuus sicut omnes nos. Et si ita est non est nomen illius super omne nomen, sed inter omnia nomina, id est adoptiuus: quia adoptiuus commune est, nomen omnium sanctorum. De nomine autem Iesu legitur in Actibus Apostolorum: Et baptizati sunt in nomine Iesu: vtique nomen illud quod est Iesus. ab angelo virgini prænunciatum est, vt ille qui ex ea nasceretur,
E vocandus est Iesus: si Iesus non esset Deus quomodo baptizati sunt in nomine Iesu. De quo etiam nomine beatus Cassianus pater ita ait in disputatione eadem in qua supra: nunquid causari aliquid quasi de ambiguitate nominum potes, vt dicas aliud esse Christum, aliud Deum, vt Saluatorem à maiestate nominis sui distrahas, & Deum à diuinitate secernas. Ecce hic vas Dei ex Deo loquitur, & apparuisse ex Maria gratiam Dei euidentissima prædicatione testatur. Ac ne forte non ex Maria Deum apparuisse diceres, scilicet, vt Deum esse natum ex Maria Deum crederes, quem Saluatorem natum negare non posses, expectantes (inquit) beatus Apostolus, spem & aduentum gloriæ magni Dei & Saluatoris nostri Iesu Christi, vidit profecto ille diuinæ sapientiæ doctor ad insidiosas calliditates diabolicæ captionis simplicem tantummodo non sufficere doctrinam, nisi sanctam fidei

gelio, siue ab Angelis, siue ab Apostolis, siue ab aliis sanctis. Aliquando etiam & à dæmonibus, nec non & à Cẽturione homine pagano verus filius Dei nominatur. Quem enim alium vidit ille Centurio in cruce pendentem nisi quem mori cernebat: & hunc esse verum filium Dei confessus est. Vos vero Ecclesi. filij (licet nomine tenus) cum Iodæis obiicitis Christo quod dixisset se esse filium Dei, nec non & nunc in sede paternæ maiestatis regnantem, & in throno cœlestis gloriæ sedentem, quem adorat omnis multitudo Angelorum, Et millia millium ministraut ei, Cuius potestas est æterna, & regni eius non erit finis, vestris adhuc blasphemiis filium proprium & verum Deum negare non metuitis. Nam & ob hoc etiam antecessores vestri Iudæi Christum lapidare voluerunt, quia dixit, multa bona opera ostendi vobis ex patre meo, ptopter quod B eorum opus me vultis lapidare? Quibus respondentibus: de opere bono non lapidamus te, sed de blasphemia, quia tu ipse homo cum sis, facis te ipsum Deum, itemque de paralytico cui ipse ait: Dimittuntur tibi fili peccata tua. Inuidentes Iudæi dixerunt inter se, quis potest peccata dimittere nisi solus Deus? Quibus Christus non solum voce, sed etiam facto se ostendens Deum esse, qui & filius hominis est, ait illis: Quid est facilius dicere, Dimittuntur tibi peccata, an dicere, surge & ambula: vt sciatis autem quia filius hominis potestatem haber in terra dimimittendi peccata, tunc ait paralytico: surge & ambula: & statim sanus factus est homo, sumus itaque (vt ait, vel magis vt Apostolus ait:) Os ossibus, & Caro de carne eius: non C sicut prima mater Eua carnaliter ædificata est de costa viri, sed spiritaliter sanguine Christi qui de latere eius effusus est. Redempti siquidem magno pretio filij Dei non cuiuslibet adoptiui. Quapropter & Apostolus ait: mysterium hoc magnum est: mysterium nominauit quod factum gestum est in Adam & Eua, quia spiritaliter hoc in nobis actum est. Ideo factus est ille verus filius Dei cuius sanguis pro nobis effusus est, vt nos possimus esse adoptiui per illum. Proponis quoque huiusmodi argumentum dicens: Quod si idem

Obiect. Redemptor noster in carne sua, quam ex vtero virginis ab ipso videlicet conceptu, suscepit, adoptiuus apud patrem non est, sed verus & proprius filius, Quid superest nisi vt eadem caro eius non de massa humani E generis, neque de carne matris sit creata & facta, sed

Resp. de substantia patris, sicut & diuinitas eius generata. Proponam & ego argumentum tibi: si ille homo quem adsumpsit filius Dei adoptiuus est, adoptiuus est ille qui eum adsumpsit, quia vna persona est in homine & in Deo, Et est omnino vnus filius, non duo (filij.) Vnus autem filius quomodo potest esse proprius & adoptiuus vnius patris: si adoptiuus est, proprius esse non poterit: si proprius, adoptiuus esse non poterit eiusdem patris. Duos autem esse filios, vnum proprium & alterum adoptiuum nefandissimum est credere de Christo. Adsumpsit namque sibi Dei filius carnem ex virgine, & non amisit proprietatem quam habuit in filij nomine. Sed quamquam duas habuisset post natiuitatem ex virgine, naturas, tamen vnam proprie- F tatem in filij persona firmiter tenuit. Accessit humanitas in vnitatem personæ filij Dei: & mansit eadem proprietas in duabus naturis in filij nomine, quæ ante fuit in vna substantia: in assumptione namque carnis à Deo, persona perit hominis, non natura. In nobis est persona adoptionis, non in filio Dei: Quia singulariter ille vnus homo ex Deo conceptus & in Deum adsumptus habet proprietatem filium Dei esse, quod omnes sancti habent per adoptionem gratię Dei, qui habitu inuentus vt homo, sed diuinitate vt Deus. Nec in illa adsumptione alius est Deus, alius homo, vel alius filius Dei, & alius filius virginis: sed idem est filius Dei, qui & filius virginis: Et idem filius virginis qui & filius Dei: vt sit vnus filius etiam proprius & perfectus in duabus

A naturis Dei & hominis. De quo etiam Christi habitu beatus Augustinus ait: sic assumptus est homo, vt proficeret in melius, & ab eo formaretur ineffabiliter excellentius atque coniunctius quam vestis ab homine cum induitur, hoc ergo nomine habitus satis significauit Apostolus quemadmodum dixerit in similitudinem hominum factus: quia non transfiguratione in hominem, sed habitu factus est, cum indutus est homine, quem sibi coaptans quodammodo atque conformans immortalitati æternitatique sociaret. Non satis autem intel- Obiect.

ligo quid pertineat ad corpus Christi, quod pro nobis pependit in cruce quod ais Apostolum dicere: Hoc (inquit) scientes quia vetus homo noster simul crucifixus est, vt destruatur corpus peccati, vt vltra non seruiamus Resp.

peccato. Christus namque numquam vetus homo B fuit, numquam corpus peccati habuit, sed ab initio conceptionis Deus verus, & verus filius Dei, absque omni peccato conceptus est & natus. Nos vero omnes veteres homines fuimus in peccatis Adam: sed in nouos gratia baptismi per Christum Iesum conuersi & adoptati & prædestinati filios adoptionis. Quam prædestinationem adseris Christum æqualiter nobiscum habere non adtendens Apostolum testantem, aliter Christum esse prædestinatum, aliter & nos: illum dicit prædestinatum esse filium Dei, sicut ait, qui prædestinatus est filius Dei in virtute, in qua virtute, nisi diuinitatis? Nos vero prædestinatos esse per illum in adoptionem filiorum: dicit nos per illum, non ille per nos, prædestinationem habemus. Ponis quoque argumentum de sententia Obiect.

C eiusdem prædicatoris egregij, vbi ait: scire debemus quod omnis viri caput est Christus, caput autem mulieris vir: Caput autem Christi, Deus: Et dicis necesse esse membra adoptiua adoptiuum habere caput, si igitur Christus est caput omnium nostrum, adoptiuus est Resp.

propter membra adoptiua quod nos sumus, nonne vides ea ratione posse dici Deum patrem esse adoptiuum qui caput est Christi? nam caput in corpore membrum est. Et qui caput est capitis, quomodo propter adoptionem capitis, quod Christus est, non erit & illud principale caput adoptiuum? Quod quam impium & absurdum sit, nemo sanum sapiens non intelligit. Ergo hæc sententia Apostolicæ auctoritatis non carnaliter, sed spiritaliter intelligenda est: aliter caro ex carne nascitur, aliter Spiritus ex Spiritu, sicut ipsa veritas in Euan- E gelio dicit: Quod natum est ex carne caro est: Quod natum est ex Spiritu Spiritus est: quia Deus Spiritus est: ex Deo donatus est: spiritalis natiuitas nos facit membra esse Christi: non carnalis, donec ipsa creatura corporis nostri liberata à seruitute corruptionis renouetur in adsumptionem filiorum Dei, & inimica destruatur mors, & induatur hoc mortale immortalitate, & sit Deus omnia in omnibus. Post hæc etiam præfatus Felix non plano pede, sed claudicante gressu per campos scripturæ sanctæ currit multa proponens testimonia, quæ suis partibus non conueniunt: vt sermonem fecisset longiorem vsque dum peruenisset ad Iordanicas vndas, vt Christo baptizato nomen imposuisset adoptionis. Nec adhuc paterna voce de cœlis territus tacere nouit, quæ F etiam vox baptizato Christo testimonium audiente beato Baptista Ioanne perhibuit huiusmodi clamans: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui. De quo testimonio supra plenius diximus. Nunc tantum in hoc loco interrogare libet, si hæc vox paterna ad vnam Christi personam pertineret: si ad vnam, ergo illa vna persona, ad quam hæc vox facta est, tota est filius Dei dilectus licet in duabus naturis si ad diuinitatem tantum, ergo diuinitas baptizata est ibi, & non humanitas: quia super baptizatum hæc vox facta est: homo siquidem, qui baptizatus est, Dei filius a Deo patre prædicatur super quem & Spiritus sanctus in specie columbæ descendit, Quatenus paterna vox & sancti Spiritus descensio eundem esse Dei filium demonstraret qui baptizatus est: de quo etiam & ipse Baptista eo inspiran-

te qui se misit ad baptizandum paternæ voci consonum protulit testimonium dicens: Et ego vidi & testimonium perhibui quia hic est filius Dei. Quid adhuc (ô doctor mirabilis) adoptionis nomen Christo imponis? quem insuper lauacro indiguisse baptismatis & secunda generatione, sicut nos peccatores iam nati per generationem carnalem in filios iræ: vt aperte ex tuis verbis intelligi potest: ais enim inter cætera: Quoniam sicut in prima generatione ex qua secundum carnem nascimur, nullus homo esse potest, qui aliunde originem trahat, nisi de primo illo Adam, qui ex terra virgine creatus est: ita in hac secunda generatione spiritali, in qua renascimur ex aqua & Spiritu sancto, nemo gratiam adoptionis consequi valet, præter illum qui eam in Christo ex carne virginis creatum & natum, qui est secundus Adam, accepit. hac geminas generationes: primam videlicet, quæ secundum carnem est; secundam vero spiritalem, quæ per adoptionem fit: idem Redemptor noster secundum hominem complexus in semetipso continet: primam videlicet quam suscepit ex virgine nascendo: secundam vero quam initiauit in lauacro à mortuis resurgendo.

Res. Et hoc adfirmare niteris in genealogiis quæ in Euangelio leguntur, vna secundum Matthæum, altera secundum Lucam. Quæ omnia sicut a te posita sunt fastidium magis quam profectum generant legentibus, donec ad vltimum peruenires in huiusmodi sententiam. Si quis

Obiect. vero (ais) hanc spiritalem generationem quæ per adoptionem fit in Christo, secundum hominem abdicare vult, prius necesse est vt illam quæ secundum carnem est, ab eo funditus abscedat: Nam si ista quæ spiritalis est, nobiscum non communicat, procul dubio neque in illa quæ carnalis est.

Res. Videat qui legit has præfati doctoris sententias: Primo partium orationis quodammodo inconsonantiam, & sensuum obscuritate tu inuoluit sententiæ ne luceat intelligentia. Quid autem vult intelligi in eo quod ait: initiauit à mortuis resurgendo: A quibus mortuis resurrexit Christus in baptismo. Nunquid peccata habuit, vt à morte peccatorum resurgeret? vel sicut nos in peccatis nati propter primorum præuaricationem parentum, nec ab his liberati nisi in Christo Iesu per secundam generationem, in qua filij iræ efficiuntur filij Dei. Quin potius Christus Iesus absque omni peccato conceptus & natus venit ad baptismum exemplũ humilitatis ostendere, & aquas suo sanctificare baptismo: non vt sanctificaretur in aquis, qui nihil habuit in se peccati à quo mundari debuisset per baptismum, ideo & ipse beatus Baptista venienti ad se Dei filio ait: Ego à te debeo baptizari, & tu venis ad me: quasi dixisset: in me est quod per te purgari debet: in te non est quod per me purgari debeat. Sed hoc sciendum est quod in baptismate Ioannis in quo Christus baptizatus est, non fuit regeneratio, sed quædam præcursoria significatio baptismatis Christi: ideo & in actibus Apostolorum legimus beatum Paulum Apostolum eos rebaptizare, qui baptizati sunt baptismo Ioannis. Nec quisquam in baptismate Ioannis adoptionem filiorum Dei potuit accipere, quantu magis nec Christus adoptatus fuit in filium Deo patri, in eo baptismo in quo nullus potuit adoptionis gratiam accipere: quia nemo in eo baptismo remissionem peccatorum consequi valuit; sed tantum baptizati sunt in pœnitentiam vt crederent in eum: sicut idem præfatus Apostolus ait: Qui venturus est, id est, in Iesum: Nota lector quod dicit credere in Iesum, nullatenus Deus & Dei filius non esset, Iesus qui ex virgine natus est, tantus diceret Apostolus, vt in Iesum credere deberent: quia tantummodo fides Catholica habet credendum esse in patrem & in filium, & in Spiritum sanctum: hoc est in sanctam Trinitatem. Cæterum in aliis Catholicæ fidei professionibus in propositionem apponere nolunt doctores Ecclesiastici, sed tantummodo dicere. Credimus sanctam Ecclesiam & remissionem peccatorum, & Resurrectionem mortuorum, & cætera quæ in symbolo sancto continentur. De discretione vero baptismatis Christi, & baptismatis Ioannis beatus Augustinus in libro Enchyridion ita ait: Illud tamen vnum peccatum quod tam magnum in loco & habitu tantæ fœlicitatis admissum est, vt in vno homine originaliter, & vt ita dicam, radicaliter totum genus humanum damnaretur, nisi per vnum mediatorem Dei & hominum hominẽ Christum Iesum, qui solus potuit ita nasci, vt ei non opus esset renasci: non enim renascebantur qui baptizabantur baptismate Ioannis, à quo & ipse Ioannes baptizatus est: sed quodam præcursorio illius ministerio, qui dicebat, parate viam Domino: vbi vnum quo solo renasci poterant parabatur, huius enim baptismus est, non in aqua tantum sicut fuit Ioannis, verum etiam in Spiritu sancto: vt de illo Spiritu regeneretur quisquis in Christum credit, de quo Christus genitus regeneratione non eguit. Et post pauca in eodem libro: in aqua ergo baptizari voluit à Ioanne, non vt eius iniquitas vlla dilueretur, sed vt magna commendaretur humilitas. Ita quippe nihil in eo Baptismum quod ablueret, sicut mors nihil quod puniret inuenit: vt diabolus veritate iustitiæ, non violentia potestatis oppressus & victus, quoniam ipsum sine vllo peccati merito iniquissime occiderat, per ipsum iustissime amitteret quod peccati merito detinebat; vtrumque enim ab illo id est, baptismum & mors certa dispensationis causa non miseranda necessitate, sed miserante potius voluntate susceptum est: vt vnus peccatum tolleret mundi, sicut vnus peccatum misit in mundum, hoc est, vniuersum genus humanum: Apostolo attestante. Sicut enim in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes viuificabuntur. Quam aperta est hæc blasphemia, vt dicat Christum secũda indiguisse generatione: & quem sæpius sine peccato adfirmat esse: nunc subito quasi peccatorem regeneratione indiguisse contendit: Et qui Deum paulo ante asseruit, & ex vtero virginali natum esse: nunc subito quasi hominem purum lauacri emundatione purgandũ esse pronunciat & ad similitudinem nostram adoptari in filium Dei, qui fuit filius Dei conceptus & natus. Atque has duas generationes in Christo duabus genealogiis Christi quæ in Euangelio leguntur confirmare adgreditur: vnam per quam descendit, alteram per quam ascendit Christus: quasi peccator esset in descensione, & expiatus in ascensione adoptionis. Attende lector nouum Euangelicæ historiæ interpretem. Duas genealogias Christi cum Euangelista memorat secundum Matthæum, Christum descendisse non solũ per iustos, sed etiam per fœminas peccatrices & indiguisse eum baptismo in illa generatione quæ secundum Matthæum habetur: Et per Lucam post Baptismum ascendisse, & per adoptionis gratiã filium Dei esse factum. Et ne quis me falsum fingere de eo æstimet, audiet noui eiusdem interpretis verba. Matthæus (inquit) in exordio Euangelij seriem generationis quæ secundum carnem ad Christum descendit, à Dauid seu Abraham incipiens vsque Ioseph sponsum Mariæ per reges & cæteros de tribu Iuda sibimet succedentes dinumerando perducit: In qua generatione carnis quatuor fœminæ introducuntur, Tres videlicet, ex gentibus, quarta vero illa in qua Dauid peccauit: vt liquide patesceret, quod idem Redemptor noster non solum ex Iudæis, sed & de gentibus: neque de iustis, sed etiam & de peccatoribus veram carnem ex virgine suscepit. Lucas vero seriem generationis quæ per adoptionẽ est, non per genealogiam carnis, quemadmodum Mathæus, sed à baptismo in quo baptizatus est Christus in Iordane, ab ipso Christo incipiens non per tribũ Iuda, vt prior, sed per tribum sacerdotalem texens: neque deorsum descendendo sicut ille, sed sursum versus: non per Salomonem ex Bersabee genitum, sed per Nathan in Dauid recopulans vsque in Adam perduxit ad Deum caput videlicet replicans ad caput. Nec mihi hoc loco opus est ad respondendum verba exaggerare dum veritas Euangelij ostendit de Spiritu sancto ex Maria virgine natum esse Christum, non quasi peccatorem; sed vere filium


filium Dei, immo & Deum. Nonne dubitanti Ioseph A
viro Mariæ Angelus apparuit in somnis dicens: Noli ti-
mere, fili David, accipere Mariam coniugem tuam:
Quod enim ex ea natum est de Spiritu sancto est. Pariet
autem filium & vocabis nomen eius Iesum. Hoc autem
totum factum est, vt adimpleretur quod dictum est per
Prophetam: Pariet filium & vocabis nomen eius Em-
manuel. Et ne ignorantia esset nominis adiunxit Euan-
gelista, quod interpretatur nobiscum Deus, qui in Mat-
thæo Emmanuel dicitur, in Luca filius Altissimi voca-
tur. Et ne dubium esset quis esset Altissimus adiunxit
statim, Et sanctū quod ex te nascetur filius Dei vocabi-
tur. Illam ergo genealogiam quę secundum Lucam est,
Felix per adoptionē adserit ascendere quasi omnes sint
adoptiui qui in ea numerantur, quod longe aliter esse
agnoscit, qui sacras sanctæ scripturæ legit historias. Ad-
dit quoq; atrocissimū erroris sui venenum. Si quis vero
B (inquit) hāc spiritalem generationem quæ per adoptio-
nem fit à Christo secundum hominem abdicare vult,
prius necesse est, vt illam quæ secundum carnem est, ab
eo funditus abscidat. Audite, audite legentes & intelli-
gentes quam aperta est hæc blasphemia. aut duas vult
habere Christum, secundum quod homo est, generatio-
nes, aut etiam nullam, quasi necesse sit, vt post carnalem
habeat etiam & spiritalem in adoptione, vt ęqualiter de
eo dictum intelligatur, sicut & de nobis ipsa veritas ait:
Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu, nō potest in-
troire in regnum Dei. Nullatenus quippe, sicut superius
ostēdimus in baptismo Ioānis regeneratio fuit alicuius,
sed demonstratio maioris mysterij. Neq; Christo ascē-
dēte de aqua ibi eius vnctio fuit, id est sanctificatio, Spi-
ritu sancto descendēte super eum, sed demōstratio quis
esset, & figuratio nostræ vnctionis & adoptionis qua in
baptismo sanctificamur in filios Dei. sicut Beatus Beda
C Presbyter ostendit in expositione prædicationis beati
Petri principis Apostolorum qua Cornelium cum aliis
plurimis instruit ad fidem; Vnctus est ergo (inquit) Iesus
non oleo inuisibili, sed dono gratiæ, quod visibili signi-
ficatur vnguento, quo baptizatos vngit Ecclesia: nec
tamen tunc vnctus Spiritu sancto, quādo super eum ve-
lut columba Spiritus descendit: tunc enim corpus suum
(id est) Ecclesiam suam præfigurare dignatus est, in qua
pręcipue baptizati accipiūt Spiritum sanctum. Sed ista
mystica & inuisibili vnctione tunc intelligēdus est vn-
ctus quando verbum Dei caro factum est: id est quan-
do humana natura sine vllis præcedentibus bonorum
operum meritis Deo verbo est in vtero virginis copu-
lata, ita vt cum illo fieret vna persona. Ob hoc eum cō-

A fitemur natum de Spiritu Sancto & Maria virgine. De
genealogiis vero Christi ita potius intelligendum arbi-
tramur: Quodque per Matthæum narratur, nostrorum
significet susceptionem peccatorū à Domino Christo,
propter quæ in crucis patibulo suspensus est: in genera-
tionibus autem Lucę quę ascēdunt ad Deum, abolitio-
nem peccatorum nostrorum significari per eundem qui
crucifixus est pro peccatis nostris. Ideo eas ille descen-
dens enarrat, iste ascendens: quia descendit Christus ad
liberandos nos: ascendit autem ad iustificandos nos:
descendit vt moreretur pro nobis: ascendit vt viuamus
in illo. Quod enim ait Apostolus: Misit Deus filium
suum in similitudine carnis peccati, susceptio est pecca-
torum: Quod autem ait. vt de peccato damnaret pecca-
tum in carne, expiatio est peccatorum. Ideo Matthęus
ab ipso David per Salomonem descēdit, in cuius matre
B ille peccauit: Lucas vero ad ipsum David per Nathā as-
cendit, per quem Prophetam Deus peccatum illius ex-
piauit. Descendit per regale genus, & ascendit per sa-
cerdotale qui pro nobis sacerdos est & hostia factus:
quia vtrumque est, Rex & sacerdos & Dominus propi-
tiator. Firmissime namq; tenendū est carnē Christi ex v-
troq; genere propagatā, regali scilicet & sacerdotali, in
quibus personis apud illum populum Hebræorum etiā
mystica vnctio figurabatur, id est chrisma, vnde Chri-
sti nomen elucet tanto ante euidentissima significa-
tione prænunciatū. Sed nos libera voce clamamos cum
tota Ecclesia Christi, Christum nec peccatum habuisse
quod expiaretur, nec secūda indiguisse generatione qui
Deus verus, & verus Dei filius de Spiritu S. cōceptus est
& natus. Nam si Christus secūda indiguit generatione,
vtique peccator fuit: Et si peccator fuit. qui est quod ip-
se Dominus ait: Venit princeps mundi huius, & in me
non habet quicquā, si quicquam in eo non habuit prin-
C ceps mundi huius, id est diabolus, cur eguit renasci? nos
vero non filij Dei nascimur, sed renascimur. Ille mox
Dei filius conceptus est & natus: Et ideo adoptione non
eguit, vt filius Dei esset, qui filius Dei natus est: si igitur
per adoptionē filius Dei factus est qui de virgine natus
est: Ergo nec beata virgo Dei genitrix erat, sed tantum-
modo hominis, qui post natiuitatem adoptatus est in
filium Dei: Quod impium credere, quanto magis & di-
cere. Sed huius disputationis hic finis sit, vt liberius ab
alio principio incipiat sermo de his quæ dicenda sunt.
Nam quoddam refrigerium legenti finis libelli præstat:
sicut nauiganti portus maxime cum fragosis locis di-
uersæ disputationis laborat eloquium respondentis.

EXPLICIT LIBER SECVNDVS.

PAVLINI AQVILEIENSIS CONTRA FELICEM.

LIBER TERTIVS.



NOva proponentis Argumentatio, nonum libelli poscit exordium: ne confusa sermonis series legenti fastidium faciat, Et minus intelligatur quid cui parti conueniat, si non competētibus locis ab alio principio orationis incipiat textus sæpe dictus. Igitur sophista subito à baptismate Christi recurrit ad Natiuitatem: Et quem adoptatum in filium Dei, secūda generatione vult intelligi, eundem Dauid regis magis esse filium, quam Dei patris testatur. Et vt eiusdem verba ponamus. Ait ergo: Certe enim idem Redemptor noster in forma humanitatis (vt sacra eloquia testantur) filius Dauid est & filius Dei. Quod vtrumque verum est: Quod tamen non absurde quærendum est, quomodo in eum vtrumque cōueniat: neque enim fieri potest vt vnus filius naturaliter duos patres habere possit: vnum tamen per naturam, alium autem per adoptionem prorsus potest. Huius duplicis paternitatis Dei scilicet & patris & Dauid regis in Christo Iesu in superioribus secundum opportunitatē procul dubio disputationis responsum habes: nisi forte hoc addēdum esse videatur quod nusquam in scripturis sanctis inuenies scriptum Dauid de Christo dixisse, Tu es filius meus dilectus: quomodo Deum patrem legimus super Christo vocem emittere dicendo: Tu es filius meus dilectus in quo mihi bene complacui, sed illum quem paterna vox filium suum dilectum testata est, hūc eundem Dauid Prophetico Spiritu Dominum suum dixisse legitur. Igitur iuxta humanam consuetudinem Dauid inter auos vel proauos Christi numerandus est, magis quam prius pater dicendus sit. Nam si Deus pater, proprius non est Christi pater: ergo nullum habet proprium patrem: Quia beata virgo ex nullius viri semine concepit, sed de Spiritu sancto impregnata est, si Dei patris testimonio credendum æstimes, Crede Christum esse Dei filium, vel si Prophetico ipsius Dauid testimonio credere arbitreris, crede eundem qui filius dicitur Dauid Dominum esse illius. Dicis itaq; quod vnus homo duos patres naturales non possit habere, vnum vero possit naturalem habere, & alterum adoptiuum: Dicā & ego quod nullus pater vnum filium potest habere, vtrumque & naturalem sibi & adoptiuum: Quia ille vnus filius non potest diuidi, vt sit vnus patris & naturalis & adoptiuus: vel quædam pars filij sit adoptiua, & altera naturalis in filij dignitate: velut si vna manus sit adoptiua, & altera propria: vel anima sit adoptiua, & caro in proprietate filij. Quamuis enim anima non sit ex patris semine sicut est caro, tamen vnus est filius patris anima, & carne totus vel adoptiuus, vel proprius, prout conditio nominis, vel naturæ sibi adtulerit. Potest vero in vna persona esse passibilis & impassibilis, mortalis & immortalis: veluti homo immortalis est anima, mortalis carne, sic etiā & Christus impassibilis diuinitate, passibilis carne: Tamē totus vnus idemque est Deus, & homo vnus est Christus in forma Dei, & vnus Christus in forma serui, & vnus Christus æqualis patri, & vnus est Christus minor patre, idem Deus, idē homo, vnus filius Dei patris totus proprius, & virginis matris totus proprius. Quod beatus Leo Papa Romanus in Epistola ad Flauianū perspicue testatur: Cum ergo (inquit) vnus sit Dominus Iesus Christus, & veræ deitatis veræque humanitatis in ipso vna prorsus eadēque persona sit, exaltationem tamen qua illum (sicut doctor gentium dicit) exaltauit & donauit illi nomen, quod omne nomen excellit, ad eandem intelligimus pertinere formam, quæ ditanda erat tantæ glorificationis augmento, in forma quippe Dei æqualis erat filius patri: Et inter genitorem atque vnigenitum nulla erat essentiæ discretio, nulla in maiestate diuersitas: nec per Incarnationis mysterium aliquid decesserat ex verbo quod ei patris ex munere redderetur: forma autem per quam impassibilis Deitas sacramentū magnæ pietatis impleuit, humanæ humilitatis est, quæ in gloriā diuinæ potestatis euecta est: in tantā vnitatē ab ipso cōceptu virginis diuinitate & humanitate cōnserta, vt nec sine homine diuina, nec sine Deo agerentur humana. Nullatenus ergo te! ô Felix, humana ratione inuestigare natiuitate verbi Dei, qua caro factum est posse putes: non enim humana possibilitate omnipotentiam diuinitatis metiri debes, ipse qui lex est naturarū nulla lege alterius naturæ subiacet: nec infirmis humanæ coniecturæ ratiunculis, qui incomprehēsibilis est cōprehendi poterit. Quapropter vnigeniti Dei natiuitatem, vel diuinam vel etiam humanā desine ad nostræ mortalitatis impossibilitatem redire: neque ei qui extra conceptum humanæ originis natus est, humanis diffinitiunculis præiudicare tenteris, quomodo nasci potuisset, vel quomodo esset proprius filius Dei, dum natus esset. si Deo omnia possibilia cognoscas, & hoc ei possibile esset. scito vt propriū filium ex virgine creatū habere valuisset. Dicis quod potuit ex ancilla nasci nisi seruus: Hoc & antecessor tuus Pelagius licet aliis verbis tamen eodem sensu olim dicebat, adserens Christū solitarium esse hominem: Ex quo fonte & Nestorius suā condidit hæresim, quia duas personas in Christo voluit intelligi. Expone igitur quomodo apes animalia viua floribus, rebus scilicet insensatis, nascātur, vel mirabilē illarum naturam, reique publicæ ordinatissimā dispositionem in earum administratione edissere. Dices forsitan quia talis à creatore natura illis condita est. Cogita & intellige qui hæc miracula in minimis creare potuit quę ab homine nec intelligi nec enarrari possunt, quod potuit ex virginali vtero liberum sibi creare filiū. Considera cœli altitudinē terræ stabilitatem, aquarum profunditatem, omnium viuētium diuersitatem: edissere si valeas harum omnium rerum rationes, & nisi hoc posse te profiteatis, quid te presūptuose ingeris ineffabili miraculo natiuitatis Christi, qualiter vel Deus homo fieri potuisset. vel homo Deus, vel Dei filius hominis filius. Nā huius natiuitatis, vel etiam vnitatis in Deo & homine maius est sacramentū quam omnium creaturarū cōditio. Concede igitur Deum aliquid posse, quod humana non valeat infirmitas comprehendere; nec nostra ratiocinatione legem ponamus maiestati æternæ quid possit, dum omnia potest qui omnipotens est. Nec .n. hac sola natiuitate Christi defectiua est potentia illius qui omnipotens est, vt non posset illum hominem, qui ex virgine natus est, sibi propriū vel naturalē filium creare, intellige tandem aliquando ad quem finem vel ad quātam blasphemiā hæc tua adsertio perueniat; aut Dei patris Christum confitere proprium esse filium & verum iuxta omnipotentiam suæ ineffabilis volūtatis: aut si hæc fieri non posse contenderis impotentem suæ voluntatis fateris Deum: Quod impiissimū est credere vel dicere. Ergo ex hac consideratione meliori teipsum indue fide, tuamque cognoscens infirmitatem Deum confitere omnia posse facere quæ vult, & te cuncta non posse intelligere quæ vult creator vt fiāt: Plurimi enim sanctorū professi sunt non intellexisse nec enarrare potuisse hanc mirabilem generationem Christi: ex quibus

Obiect. Resp. Forte vnius.

A B C D E

Illa

Iſaias dum infirmitaies, opprobria, flagella & ſputa quæ Chriſtus pro noſtra paſſos eſt ſalute prædixiſſet, hoc quoque adiecit: Generationem eius quis enarrabit? Beatus quoque Baptiſta Ioannes, ſe indignum teſtatus eſt ſoluere corrigiam calciamenti eius. Quod beatus Gregorius in homiliis ſuis ita expoſuit: ſed huius inquit, incarnationis myſterium humanus oculus penetrare non ſufficit: inueſtigari enim nullatenus poteſt quomodo corporatur verbum: quomodo ſummus & viuificator Spiritus intra vterum matris animatur: Quomodo is qui initium non habet, exiſtit & cõcipitur; corrigia ergo calciamenti eſt ligatura myſterij: Ioannes itaque corrigiam calciamenti ſoluere non valet, qua incarnationis myſterium nec ipſe inueſtigare ſufficit qui hãc per Prophetiæ ſpiritum agnouit. B Quid eſt argo dicere, non ſum dignus ſoluere corrigiam calciamẽti eius, niſi aperte & humiliter, ſuã ignorantiam confiteri ac ſi patenter dicat: Quid mirum ſi mihi ille prælatus eſt quem poſt me quidem natum conſidero, ſed natiuitatis myſterium non adprehendo. Hieronymus quoque doctor Eccleſiæ Chriſti honorabilis in expoſitione nonageſimi octaui pſalmi, hanc generationem Chriſti ſe omnino ignorare non erubuit profiteri: Videte inquit, quam rem audeam loqui: Ego ita adeo ſcabellum, quod quondam fuit ſicut thronum: Et ſi enim noueramus Chriſtum ſecundum carnẽ, habuerat forte ſcabellum ante mortem, ante reſurrectionem, quando manducabat, quando bibebat, quando noſtros patiebatur affectus. Poſtquam vero reſurrexit, & ad cœlos victor aſcendit, ego non intelligo alium ſedentem, & alium ſcabellum, ſed totum in Chriſto thronus eſt. C Quærit & dicit: Quare vel quare quomodo ſit neſcio, & tamen credo quod ſit: mirarer ignorem diuinitatis myſterium, cum me ipſum neſciam. Interrogas me quomodo, quod ſit, & diuinitas incarnatio vnus ſit, cum ego neſciam quomo viuam, Deum intelligiſſe credidiſſe eſt: Deum noſſe honorare eſt, ſufficit mihi ſcire quod ſcriptum eſt: ſufficit mihi ſcire quod credo: Plus autem nec volo nec cupio, ſi enim ſcire voluero, & hoc incipio perdere quod credo: fideles dicimur non rationales: Denique dicitur & à Domino, credis quod ego poſſum hoc facere? Et dicitur ad mulierẽ, fides tua te ſaluam fecit, non ratio, non Inquiſitio, non quare vel quare factum ſit credidit, quia fieret & factum eſt. Simili modo & præfatus pater Gregorius in homilia paſchali præſumptuoſam Inquiſitionẽ natiuitatis Chriſti his verbis compeſcuit: D Qui igitur (ait) paſchalis gaudij ſolemnitatem celebrare deſiderat, agnum nec aqua coquat, nec crudum comedat: vt neque per humanam ſapiẽtiam profunditatem incarnationis illius penetrare appetat: neque in eum tanquam in hominem purum credat, ſed aſſas igne carnes comedat, vt diſpenſari omnia per ſãcti Spiritus potentiam ſciat. Et paulo poſt: Et quod remanſerit, igni comburetis. Quod ex agno remanet, igni comburimus, quando hoc quod de incarnationis myſterio intelligere & penetrare non poſſumus, poteſtati ſancti Spiritus humiliter reſeruamus: vt non ſuperbe quis audeat, vel contemnere, vel denuntiare quod non intelligit, ſed hoc igni tradit cum ſancto Spiritu reſeruat. His & huiuſmodi teſtimoniis ſanctorum patrum humana humilitas ſe ipſam coërceat intra terminum moduli ſui Saluatoriſque noſtri mirabilem natiuitatem humanis ratiunculis deſinat æſtimare, nec plus ſapere E quærat quam oportet ſapere. Audiatq; ſapientiſſimi Salomonis conſiliũ dicentis: altiora te ne quæſieris, & profundiora te ne ſcruteris: opponat quoque ſibimet aliam eiuſdem ſententiam qua terruit præſumptuoſam humanæ infirmitatis temeritatem. Qui multum (ait) mel comedit, non eſt ei bonum: Et qui ſcrutator eſt maieſtatis opprimetur à gloria: ſi noſtræ originis patiẽter neſcimus natiuitatẽ, quomodo anima in vtero matris teneritimã noſtræ carnis ſubſtantiam viuificet: quanto magis Dei omnipotentis humanæque naturæ ineffabilem coniunctionem nos nullo modo comprehendere poſſe, vel in-

A telligere fatendum eſt? Deus autem quomodo voluit, & quãdo voluit, & ex qua voluit, aduenit in mundum, nec tempus ei nec perſona, nec conſuetudo hominum, nec exempla rerum præiudicarunt quin minus eſſet quod voluit. Nam obſiſtere ei lex non potuit creaturarum qui eſt creator ipſe cunctorum: vt poſſet quod voluit promptum illi ſemper fuit, quia poteſtas adfuit voluntati. O homo, tu quis es qui reſpondeas Deo? nunquid legem impones illi qui eſt lex vniuerſitatis? quia omnis creatura voluntati illius ſubiecta eſt. Sed dicis, vt in tuis legitur litteris, quia nullo modo credendum eſt, vt omnipotens Deus pater qui Spiritus eſt, de ſemetipſo carnem generet! Dic rogo ſi ſcias te animam habere an non? nullatenus tanta eſt ignorãtia in te, vt neſcias te animam habere: B ſcias etiã patrem te habuiſſe carnalem, ex cuius carne anima quæ in te eſt, non eſt procreata nec generata, vt Catholica fides habet Et quomodo poteſt fieri, vt tu ipſe totus ſis tui patris proprius filius, & verus, ex cuius carne tua anima non eſt generata? At ſi te ipſum conſentias proprium eſſe filiũ patris tui cum anima & carne, quamuis caro ſola de ſubſtantia patris, & matris procreata ſit: Ergo multo magis perpende oculis cordis, vt intelligas Dei patris Ieſum Chriſtum in vtraq; ſubſtãtia proprium filium & verum fieri poſſe. An illius potentia in hoc impotens eſt vt hoc non poſſit perficere in filio ſuo, quod in cũctis hominibus facit fieri: Aut tuus pater potentior eſt Deo in hac parte, & potuit te proprium filium habere ex anima & corpore, licet anima aliunde ſit corpori immiſſa, ſi vero nullus proprius filius & verus poterit C eſſe niſi ex ſubſtantia patris totus natus ſit, ergo in omni humano nullus pater habet proprium filium & verum, niſi tantum carne ſola, vides ne in quantã ſtultitiam iſte tuus ſenſus deuoluitur, & quam contraria omni rationi & omni humano generi adſeris? Tu igitur ipſius vtens exemplo & re ipſum conſiderans proprietatem filij, quã in te adſeris cognoſſe in filio Dei fieri poſſe: Et qui te ipſum diuidere non vis propter animam & carnẽ in duos filios, propriũ ſcilicet & adoptiuũ: ea ratione nec Chriſtum diuidere tentes in duos filios propter perfectæ diuinitatis & perfectæ humanitatis naturam: quia vnus eſt mediator noſter Ieſus Chriſtus. Sequitur in textu libelli tui. Igitur (inquis) ſi adoptionis nomen In Chriſto Domino ſecũdum carnem claro apertoq; ſermone in vtroque taſtamento (vt vos contenditis) reperire nequimus; cætera tamen omnia quæ adoptionis verbo conueniunt D in diuinis libris perſpicuè atque manifeſtè multis modis repeiuntur. Nam quid quæſo eſt quælibet filij adoptio, niſi electio, niſi gratia, niſi voluntas, niſi adſumptio, niſi ſuſceptio, niſi placitum ſeu applicatio? Quæ vniuerſa nullo modo proprio ac vero filio conuenire queunt. Si quis vero in Chriſti humanitatem adoptionis gratiã negare vult, ſimul cuncta quæ dictis cum eadem adoptione in eo negare ſtudeat. Quid horum rogo quæ propoſuiſti In proprio filio fieri non poteſt? nunquid non Dauid rex maiore gratia elegit Salomonem proprium filium ſuum ſucceſſorẽ ſibi regni, quàm alios filios proprios quos habuit? Ecce maior gratia patris, maior voluntas, maiorq; electio in eo fuit, quam in aliis filiis ſuis, licet & illi proprij eſſent filij, ſed nec omnis adſumptio poteſt eſſe adoptio. Adſumpſit enim Dei filius carnem ex vtero virginali in vnitatem ſuæ perſonæ, nõ in carnẽ E mutatus, ſed vt eſſet proprius filius Dei in duabus ſubſtantiis Dei ſcilicet, & hominis, veluti ante fuit in vna natura proprius Dei filius nihil amittens quod erat, quãuis adſumpſiſſet quod non erat, non diuiſionem faciens in perſonæ proprietate, nec commixtionem in naturarũ coniunctione: ſi autem propter adſumptionẽ, vel ſuſceptionẽ Chriſtus adoptiuus eſt filius qui ex virgine natus eſt, cuius perſonæ in ſãcta Trinitate adoptiuus eſſe dicẽdus eſt? vtique omnino filij perſonæ ipſe adſũpſit hominẽ vel ſuſcepit. Quod ſi ita eſt, nepos eſt patris ſecundum humanitatem Chriſtus qui à Dei filio adſumptus eſt homo, vel vt tu vis, adoptatus. Non ergo omnis adſumpti

adoptio eft. Legitur in Euangelio de Chrifto, quod adfumpfit eum diabolus & ftatuit fuper pinnaculum templi. In qua adfumptione diaboli nulla poteft effe adoptio fed praua tetatio; placitum vero quis nefcit in multis rebus effe poffe nec in adoptione fola, fimiliter & adplicatio? Nam fæpius legitur in hiftoriis: Et aplicuit dux ille vel ille caftra ad hãc vel ad illam ciuitatem, fi applicatio eft adoptio, ergo adoptauit ciuitatem fibi in filium quam magis venit debellare. Ecce & hic cæca ftultitia tua & indocta temeritas apparet, qua non intelligis quã aduerfa & cõtraria omni rationi ponis & confirmas addere etiam vt propter nomẽ ferui fit quoque adoptiuus, non intelligens quod apud priorem populum, qui dura legis feruituti fubiectus eft, propter magnum humilitatis facramentum difpenfationem, quę veræ humanitatis feruum à Prophetis nominari Chriftum aliquibus in locis legimus inter filios fi quidem gratiæ, id eft in nouo populo filius vbique nominatur. Quæ vocabula in Ifaia Propheta manifefte quodã in loco diftinguũtur vbi ait: Paruulus natus eft nobis, & filius datus eft nobis, qui fuit paruulus vel feruus apud fynagogã in vmbra feruientem: apud Chriftianos in luce libertatis viuentes filius eft. Quam difcretionem filij & ferui ipfe quoque Dominus in Euangelio defignare videtur, vbi ait: Seruus nõ manet in domo in æternum, filius autem manet in æternum. Moxque fubiungit dicens: fi filius vos liberauerit vere liberi eritis; Qui apud infideles filius eft fabri & feruus: apud fideles filius eft Dei, & Deus verus. Nefcio qua fronte facerdotem Chrifti (ô noue doctor) te confitearis effe, dum Chriftum Deum denegas. Iudæi claudebant aures corporis ne Apoftolum Paulum prædicãtem audirent Chriftum Deum effe: Tu claudis oculos cordis ne intelligas eundem Deum effe, de quo ipfe egregius prædicator ait: Nos autem prædicamus Chriftum crucifixum Domini virtutem & Domini fapientiam. Et quidem fapientia & virtus Dei, Domino vtique. Nos ergo prædicamus Chriftum crucifixum (inquit) Iudæis quidem fcandalum, gentibus autem ftultitiam. Crux enim Domini quæ ftultitia gentibus, & Iudæis fcandalum fuit, tibi vtrumque eft. Neque enim aut ftultitia vlla maior eft, quàm non credere veritati: aut maius fcandalum, quam audire quod verum eft, nolle, ftultitia vifa eft gentibus Dominum crucifigi, & Iudæis Dei filium mori, fcandalum fuit. Par forte videri potuiffet & impietas tua cum Iudæis, nifi quod in hoc maius eft crimen tuum, quod illi eum negabant Deum effe, in quo adhuc paffio oftendebat hominem: Tu eum denegas Deum, quem iam refurrectio probauit Deum. Ac per hoc illi eum perfequebantur in terra, tu eum perfequeris & in cœlo, nollens illum Deum prædicare regnãtem in cœlo cuius minifterio fungeris in Ecclefia. Poft horum itaque enumerationem nominum, quibus Chriftum niteris confirmare adoptiuum effe, addis & hoc: Quifquis vnũquodlibet denegare decreuerit, quia vnũ abfque alio ftare nequit: quin potius quicumq; ille eft rationis veritate conuictus, velit nolit negaturus eft eum verum hominem. Nos vero verum hominem effe Chriftum, & veram carnem de virgine adfumpfiffe, veraciter & fiducialiter confitemur. Sed & hoc quod ais: qui vnũ horum denegare contendit, quod cætera ftare non poffint, nullatenus verum eft: fcilicet quod propter adfumptionem neceffario fit adoptiuus Dei patris filius homo de virgine natus, ficut fuperius probauimus, & fi hoc vnũ effe non poteft omnino fecundum tuã fententiam, & alia omnia abiicienda funt, quia hoc vnum fine dubio ftare non poteft quod propter adfumptionem carnis fit adoptiuus Chriftus Dei Patris filius. Dicis quod nomẽ adoptionis, electæ creaturæ fit, & non reprobæ: & hoc quam verum fit, fciens quifque intelligit. Poffunt enim & mali adoptiuos habere filios, ficut & boni: Et hoc nomen commune eft bonis & malis: quia in vtrifque inuenietur. Nam qui legit hiftorias fæculares inueniet & in paganis hanc cõfuetudinem adoptionis effe, nec neceffe

A eft femper vbique effe adoptionem, vbi gratia eft. Dicitur in confpectu cuftodis carceris Iofeph inuenire gratiam: Non tamen intelligendum eft eum fibi adoptaffe in filium; fed & in multis locis aliter inueniet gratiam nominari, nec femper ad adoptionem pertinentem, ficut & electionem & adfumptionem, & cætera nomina quæ contentiofe cõgregafti, vt adfirmares neceffario propter hæc nomina Chriftum effe adoptiuum. Quod omnino verum non effe intelligit, qui diligenter facras fiue fæculares legit litteras. Dicis, & vere dicis: Chriftus veritas eft, Iuftitia eft, Æquitas eft, Pietas eft, Mifericordia eft; Non vult nos aliud de fe credere, vel prædicare, quam id quod eft, fi veritas eft Chriftus nullum vtique figmentũ eft in eo: Et fi nullum figmentum eft in eo, vtique verus eft filius: & adoptiuus dici nõ poteft: quia videlicet adoptio quædam eft voluntatis fignificatio, non natiuitatis

B veritas, vult enim habere in nomine qui adoptat fibi filium ex quolibet alieno illum, quem non habet propriũ in natura. Iuxta Pfalmiftã vero, Veritas de terra orta eft: verus vtique filius Dei, qui de terra noftræ naturæ, id eft de virginali carne ortus eft, & natus verus Deus, & verus homo, hoc igitur quod eft, id eft veritas, de eo credimus & prædicamus. Decuit itaque & vere decuit, vt in Dei filio proprietatis effet nobilitas & veritas dignitas non adoptionis communio cum cæteris, vel nuncupationis fragilitas inter cæteros: quia nullum figmentum appellationis in Chrifto, qui eft veritas, & in quo omnis eft plenitudo diuinitatis, fieri potuit Apoftolo adteftãte qui ait: Dei enim filius Iefus Chriftus, qui in vobis per nos prædicatus eft, per me & non, fed eft in illo fuit. Quot-

C quot enim promiffiones Dei funt in illo eft. Hæc eft nãque fumma difputationis noftræ. Nam ego dico, & non folus ego, fed & tota vnanimitas Catholicæ Ecclefiæ, pia crudelitate teftatur Deum effe Chriftũ & filium Dei verum, immo verum Deum qui natus eft de Spiritu fancto & Maria virgine. Tu dicis eundem effe adoptiuũ filium & nuncupatiuum Deum. Hoc ergo à te audire defiderio. fi illũ qui crucifixus eft, & mortuus eft, & die tertio refurrexit. Deum adorare volunt, fi adorandũ eum effe dicis, vtique confequenter Deum effe quem adoraueris vt fatearis neceffe eft, ne te teftimonium illud dãnet diuinum, quod diabolus tertius receffit à Chrifto audiens ab eo, Vade retro fatanas, fcriptum eft: Dominum

E Deum tuum adorabis, & illi foli feruies: fi autem non adorandum Deum æftimes, qui crucifixus eft, Ergo culpandæ funt Angelicæ poteftates, quæ eundem in throno paternæ maieftatis fedentem adorare probantur, Apoftolo adteftante qui ait: Cum introducit primogenitum in orbem terrę dicit: Et adorent eum omnes Angeli Dei: Hoc vero de fufcepto homine dictum effe Ioannes tractator eiufdem Epiftolæ adfirmat in homiliis, quas in eãdem Epiftolam vbi hæc legitur fententia compofuit. Quomodo enim (inquit) magna quædam & altiora dicturus eft præftruit illa primum, & facit illa fufceptibilia, fuperius enim dixerat quia non per Prophetas nobis locutus eft, fed per illum, quia filius melior eft Angelis. Quod ex ipfo argumẽtatus eft nomine. Hic autem iam ex alia re vult argumenta deducere: ex qua ifta? ex

F adoratione videlicet. Nam tanto eum meliorem demõftrat, quanto Dominum feruis conftat effe meliorem. Quomodo fi quis in quandam domum introducat aliquem, & cõfeftim omnes illius domus principes iubeat, vt omnes illum proni fimul adorent: ita & Chriftum fecundum carnem iuffit à cunctis Angelis adorari dicens: Et adorent eum omnes Angeli Dei. Et in fequenti alterius homiliæ loco eundẽ replicat fenfum dicens: Reuera magnum & mirabile & ftupore plenum eft, carnẽ noftram furfum federe, & adorari ab Angelis & Archangelis, & Cherubim & Saraphim. Hoc fæpius in mente verfans exceffum patior, & maiora de genere humano imaginor: maiora quippe video, & clara exordia multã dant feftinationem pro natura noftra. Difce igitur ab Angelis feliciter Chriftum credere Deum, & adorare: ne cum

diabo'o

diabolo infeliciter dobitate iocipias, vel quod peius est eum negare: In quo ille dubitabat, ille dixit, si filius Dei es: Tu dicis filios uei non est, quod ille intertogauit dubitanter, tu negas instauter. Nemo adhuc inoentus est præter huius sectę auctores qui impietatem diabolicam fuerint supergressi, quod ille in Domino cõfessus est esse posse, vos uon creditis esse potuisse. At si ille validissimis sacrę scripturæ testimoniis repulsis discederet à Christo: tamen mansit in eo vsq; ad ipsam crucem omnis suspicio diuinitaris eius, nec tũc qoidem opinati eum filium Dei desiit, postquam tãtum in eo persecutotibus suis licere cognouit. Sed callidus vtiq; hostis inter ipsas quoque corpoteas passiones omnimodo peruenire ad Dei agnitionem etiam in ipso mortis articulo tentauit dicẽs per eos qui crucifixerant: si filius Dei est descendat nunc de cruce, & credemus ei: scilicet, vt motus contumeliis verborum Dominus desereret sacramentum salutis humanæ, dum irasceretut ob iniuriam; sed magna Dei Saluatoris nostri patientia ttiumphi dispensationem & redemptionis nostræ mysteriũ ad resurrectionis glotiam reseruauit. Maiori siquidem miraculo mortuus de sepulchro resurrexit ad vitam, quam viuus descendisset de cruce. Sequitur quoq; in Epistola tua, Sicut ea (inquis) quæ de illo eelsa, atque gloriosa sunt eredimos & eonlaudamus, ita humilitatem eius & omnia indigna, qoæ propter nos misericorditer suscipere voluit, dispicere nollo modo debemus. Dicis itaque illum qui nos creauit cum non essemus, hęc indigna omnia pao pro nobis, scimus quis ille est qui nos creauit proptius filius Dei. Quomodo potest vtrumque esse verum vt ille qui condidit hæc indigna passus esset pro nobis? si ille qui creauit est proprius filius Dei: & ille qui passus est, adoptiuus sit, nullatenus diuidere poteris, sicut ipsa consequẽtia sermonis tui testatur, creatorem ab eo qui hæc passus est pro nobis. At si vnus est in persona, vnus est eoam in proptietate filij, quia proprij filij & adoptiui sicut sæpe dictum est, duæ sunt personæ. Deus igitur & homo qui assumptus est, vna est persona & necesse est vnam esse proprietatem in vna persona, vt tota persona proprius sit filius, vel tota adoptiuus. Vna persona te cogit, vnam confiteri proprietatem filij in doabus naturis ponis. Itaque verba Epistolæ uostræ, vbi post conuenientem sermonis nostri exhortationem diximus. O quantis sanctorum patrum exemplis hanc fidem probare possimus quod Christus Iesus verus est Dei patris filius, & mox à conceptione virginalis vteri verus conceptus est Deus, verus & natus Deus, & ad hæc respondit Hæ sunt sententiæ credulitaris vestræ de geminis in Christo naturis quas ita in singolaritatem personæ coufunditis, vt inter Deum & hominem, inter verbum & carnem, inter creatorem & creaturam, inter suscipientem & susceptum nulla esse differentiam adstruatis. Quod dicis geminas nos natoras io singularitatem vnius personæ confundere: Ex parte quidem verum dicis, Ex parte vero solito tuo more falso calumniaris: nos namque duas naturas in vna Christi persona, nũ (vt tu dicis) cum Eutyche confusas, sed cum Ecclesia Catholica sic ineffabiliter coniõctas credimus & confitemur, vt manente vtriusq; naturę proprietate, & vt ita dicam, salua integritate ambarũ, & diuina humanis, & humana diuinis communicent: essetque in hac sancta & mirabili coniunctione non deitatis conuersio, sed humanitatis exaltatio: id est non Deus conuersus in hominem, sed homo glorificatus in Deum; nec diuina natura amisisset esse quod erat, id est Deus, sed humana natura inciperet esse quod non erat: sicque (vt sæpe diximus, & semper dicemus) vnus sit Christus

A ex duabus naturis mirabiliter & ineffabiliter vniõs totus vnus & verus filius Dei: Ac per hoc in duabus naturis vnus verus Deus & nominatur & vere est quia videlicet & Deus omnipotens nunquam de se aliquid vult dici quod non sit: hoc enim à fide Catholica omnino alienom est sed ita (vt diximus) Dei filius hominem adsumpsit, vt nihil amisisset quod habuit, Et cum susceptione hominis fuit verus filius Dei, sicut semper est: nec etiã minorata est diuinitas propter hominem, nec mutata in hominem, sicut nec homo à natura humanitatis recessit vt oon esset homo, sed natura humanitatis proprietatem naturæ seruauit, & substantia diuinitaos proprietatem diuinitatis non amisit. Tamen homo Deus est Christus, & Deus homo factus, vt sit verum quod beatus Euangelista ait, Verbum caro factum est: in verbi nomine Deum designans, & in carnis nomine hominem demonstrans. De quo B. Hieronymus contra Iouinianum ait: Verbom caro factum est, vt non de carne

B transiremus io verbum, nec verbum desijt esse quod fuerat, nec homo perdidit esse quod natus est. Gloria aucta est, non mutata est natura. Et beatus Augostinus in libro Enchyridion: de quo mediatore (inqoit) longum est, vt quanta dignom est, tanta dicantur, quamuis ab homine dici digna non possint. Quis enim hoc solom congruentibus explicet verbis quod verbum caro factum est, vt habitaret in nobis, vt crederemus in Dei patris omnipotentis vnicum filium natum de Spiritu sancto & Maria virgine: Itaque verbum caro factum est, ad diuinitatem quidem carne suscepta, sed non in carnẽ diuinitate mutata. Carnem porro hîc debemus hominem accipere à parte totum significãte locutione (sicut dictum est) quoniam non ex operibus legis iostificabitur omnis caro (id est) omnis homo. Nã nihil naturæ humanæ in illa susceptione fas est dicere defuisse, sed naturæ ab omni peccati

C nexu omnimodo liberæ, non qualis de vtroque sexu nascitur per concupiscenoam carnis, cum obligatione delicti, cuius reatus regeneratione diluitur: sed qualem de virgine nasci oportebat, quem fides matris non libido conceperat. Illi igitur homini qui ex virgine natus est singulari munere prę cęteris sanctis datum est, vt statim ex quo in vtero virginis incepit homo fieri, esset & Deus, vnde & eadem gloriosa semper virgo Maria non solum hominis, sed & Dei genitrix recte credenda est & confiteuda. Inter alia quoque testimonia quæ congregas de sancta scriptura tu sæpe dicte Felix ponis Euangelicam sententiam & Apostolicam, quibus maxime tota malæ credulitaos tuæ destruitur impietas, vbi ipse Saluator oculis eleuatus ad patrem ait: vt cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti Iesum Christum. Atque iterum de Epistola beao Ioannis Euangelistæ obi ait: Et adsumpsit nos, & dedit nobis sensum, vt cognoscamus verum Deum, & simus in vero filio eius Iesu Christo: hîc

D est verus Deus & vita æterna. Si igitur Deus (secundum quod Angelus prædixit beatæ Mariæ virgini) nomen est humanitaos adsumptæ à Dei filio, & Christus propter regiam dignitatem vero omnino, (ioxta testimonium eiusdem Euangelistæ) siue in Euangelio ipsa veritate dicente: siue in Epistola sua idem ipse qui dicitur Iesus Christus verus est Deus, & verus filius Dei. Aut ergo hæc nomina tollenda sunt ab humanitate filij Dei: aut si hæc oomina illius qui natus est ex virgine. Ergo & ille homo qui natus ex virgine, & his nominibus vocatur, verus est Deus & verus filius Dei, sed qoia de hac ipsa quæstione plura videntur esse dicenda, præsentis libelli hîc terminum ponere curauimus, vt ea quæ sequuntur sequenos libelli disputationi seruentur.

EXPLICIT LIBER TERTIVS.

PAVLINI AQVILEIENSIS CONTRA FELICEM.

LIBER QVARTIVS.



SEqnitur io libello præfati doctoris. Pessimũ & à sæculo inauditæ blasphemiæ argumentum quo omnino Christi Dei impiissima temeritate contradicit diuinitati quod multis sanctorum patrum testimoniis destruẽdum esse necessariũ videtur. Quapropter lectorẽ obsecro, ne me longiorem in hac serie disputationis reprebendat, simplici sermone apud auditores pios fides vera proferri potest: sed impietatis asserno plurima testimoniorum auctoritate diluenda: quatenus in nostræ prauitatis sensus contemptibiles habeat, saltem multimoda Catholicorũ doctorum auctoritate vincatur, vtique Dei Christi donante & miserante elementia corrigatur. Ponit itaque huiusmodi verba: secundo autem modo ait, Nuncupatiue Deus dicitur, sicut superius dictum est de sanctis prędicatoribus, de quibus Saluator Iudæis ait: si enim illos dixit deos ad quos Dei sermo factus qui tamen non natura vt Deus, sed per Dei gratiam ab eo qui verus est Deus deificati dij sunt sub illo vocati: in hoc quippe ordine Dei filius Dominus & redemptor noster iuxta humanitatem, sicut in natura, ita & in nomine quamuis excellentius cunctis electus, verissime tamen cum illis communicat, sicut & in cæteris omnib. (idest) in prędestinatione, in electione, in gratia, in susceptione, in adsumptione in nomen serui, atque applicatione, seu cętera his similia, vt idem qui essentialiter cum Patre & Spiritu sãcto in vnitate deitatis verus est Deus, ipse in forma humanitatis cum electis suis per adoptionis gratiã deificatus fieret & nuncupatiue Deus quem paulo ante Euãgelico testimonio, & ipsius Euangelistæ testificatione dixisti verũ Deum: quomodo nunc dicis nuncupatiuum Deum, aut auctoritate Euangelicæ etiam & ipsius veritatis testificationi quam posuisti vbi ait: Hæc est enim vita æterna vt cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti Iesum Christũ. Et qood idem Euangelista ait: vt cognoscamus verum Deum & simus in vero filio eius Iesu Christo. Consentire habes vel tuam sententiam confirmare aliunde maiore quolibet testimonio quam ipsius veritatis vel tanti Apostoli. & Euangelistæ qui super pectus Domini recubuit. Vel si hoc non ausoses facere, immo quia non potes, restat vt tuam sententiam damnans radas de cor de tuo hoc nomen in Christo. Nuncupatiuæ deitatis quod homo finxit, non Deus: quod humana inuentio, non diuina auctoritas composuit. Dicat beatus Apostolus quid inde sentiat, vel de quo dixisset illud, quod & tu posuisti qui est super omnia Deus benedictus in sæcula: dicit itaque Christo in se loquente: Optabam ego ipse anathema esse à Christo pro fratribus meis, qui sunt cognati mei secundum carnem, qui sunt Israhelitæ, quorũ adoptio est filiorum & gloria, & testamentum & legislatio & obsequium & promissio, quorum patres ex quibus Christus secundum carnem qui est super omnia Deus benedictus in sæcula. Intellige consequentiam sermonis Apostolici, de Israelitis testatur, quasi se excusare volens, quod non propter inuidiam legem illorum non seruaret: sed dum veritatem intellexisset, veritati obedire mallet. Dicit illorũ promissiones, idest, Israelitarum, quorum Patriarchæ patres erant, Ex quibus, id est, Patriarchis, Christus secundũ carnem natus est, quẽ etiam super omnia Deum benedictum in sæcula nominare nõ dubitauit: Deum inquam nominauit benedictum illũ qui natus est carnaliter ex patrum progenie, non nuncupatiuum. De qua sententia beatus Proclus Cõstantinopolitanus Episcopus in Epistolam ad Armenios ita ait

A Apostolos dixit eum Christum, vt ostendat quia secundũ veritatem Deus factus est homo. Dixit eum qui est, vt eum sine initio esse declaret. Dixit eum super omnia, vt totius creaturæ Dominum prædicet: Dixit eum benedictum, vt adoremus eum tanquam omnipotentem humiliter, nec vt conseruum calumniis appetamus. Item Cyrillus Episcopus Alexandrinus de vnitate personę & proprietate in duabus naturis filij Dei: Vnus igitur est (inquit) & ante incarnationem Deus, & qui in humanitate mansit, in qoo erat & est & erit. Non discernendo igitur vnum Dominum Iesum Christum in hominem seorsum, & seorsum in Deum, sed vnum eumdemq; Iesum Christum esse dicimus, non ignorantes differentias naturarum, sed eas inconfusas inter se seruantes: Et post B pauca: Christum, inquit, Deum vnum & Dominum cõfitemur, non tam hominem cum verbo coadorantes, ne diuisionis quædam species indocatur, sed vnum etiam & eundem adorãtes; quia non est alienum à verbo corpus suum cum quo ipse etiam adsidet patri. Nec hoc ita dicimus quasi duobus filius adsidẽtibus, sed vno cum carne per vnitatem: quia si talem copulationem factam per substantiã, aut quasi impossibilem, aut quasi parum decorã noluerimus accipere, in id incidimus vt duos filios esse dicamus, nec enim discernere & dicere hominem separatum fuisse sola filij appellatione honoratum: & rursus verbum quod est ex Deo & nomine & veritate filius Dei, sed discernere in duos filios non debemus vnum Dominum Iesum Christum. Item beatus Hilarius in libro nono fidei Catholicæ. C Hæc itaque humanæ beatitudinis fides vera est, Deum hominem prædicare verbum & carnem confiteri, neq; Deum nescire quod & homo sit, neque carnem ignorare quod verbum sit: Consentanea quoque Euangelicis testimoniis Apostolicisque doctrinis & sanctorum patrum sensibus beatus Cassianus profert in illo libro quem contra hæreticæ prauitatis sectam scripsit. Testamentum (inquit) vetus concinuit nouo Dauid, Ioanni concedat. Et pauló post quem verum hominem dicit Dauid, quia mater Sion dicit homo, & homo natus in ea Eundem verum Deum credit, & prædicat, quia ipse fundauit eam Altissimus, quem verum hominem nouit Ioannes audiens eum dicentem: Quæritis me occidere hominem, qui veritatem locutus D sum vobis: eundẽ verum Deum monstrat dicens: hic est verus Deus, & vita æterna, verum hominem Christum recognoscit, quia verbũ caro factum est, & habitauit in nobis eumdemq; verum Deum ostendit: Quia in principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum: Et paulo post idem Cassianus in libro tertio de sacramento passionis Christi & de vnitate filij Dei differens ait: itaq; sic in se totum hominem verus Deus & summus accepit, & sic plenitudo diuinitatis veritate diuinæ humanæque substantiæ inconfusibiliter permanente semetipsum pleno coniunxit homini, vt vnitate deinceps in æternum manente personæ nec homo Christus à sua diuinitate, nec idem Deus Christus a sua posE sit humanitate disiungi, vnus tamẽ atque idem Christus & ex veritate passionis humanę, quæ nostra fuerant redderet, & ex veritate impassibilis, diuinæ quę sua fuerant, tribuisset. Et sic vtriusque naturæ incõfusa veritas perduraoit vt nec homo à Deo diuelli, nec Deus à suscepto possit homine separari. De qua etiam vnitate clarissimus doctor beatus Augustinus in lib. primo de sãcta Trinitate cap. 3. decimo inter alia multa Catholicæ fidei conuenientia ita ait: nisi tamen idem ipse esset filius hominis propter formã serui quam accepit, qui est filius Dei,

propter Dei formam in qua eſt, non diceret Apoſtolus Paulus de principibus huius ſæculi: ſi enim cognouiſſent, nunquã Dominum gloriæ crucifixiſſent. Ex forma enim ſerui crucifixus eſt. & tamen Dominus gloriæ crucifixus eſt. Talis enim illa ſuceptio, quæ Deum hominẽ faceret & hominem Deum. Item in eodem libro. Cap. 7. Neque enim ſic accepit formam ſerui, vt amitteret formam Dei, in qua erat æqualis patri, ſi ergo ita accepta eſt forma ſerui, vt non amitteretur forma Dei, cum & in forma ſerui & in forma Dei idem ipſe ſit filius vnigenitus Deus patris, illum quem veſtra temeritas adfirmat adoptiuum, hunc beatus Auguſtinus non dubitauit vnigenitum nominare, vbi vnigenitus eſt, ibi locum nõ habet adoptiuus, nec ſecundum veſtram adſertionem vnigenitus eſt tantum in diuina natura, & primogenitus in humana: quia beata virgo alterũ nõ genuit niſi vnum & hunc vnigenitum Dei patris & ſuum: item primogenitus in humanitate, vt ait Euangeliſta, donec peperit filium ſuum primogenitum. In diuina vero natiuitate, ſicut ait Apoſtolus, primogenitus omnis creaturæ. Et ipſe eſt ante omnes, & omnia in illo conſtant, ſecundum formam ſerui ipſe eſt caput corporis Eccleſiæ. De ſententia vero doctoris gentium quam beatum Auguſtinum ſupra expoſuiſſe diximus, ſi enim cognouiſſent nunquam Dominum gloriæ crucifixiſſent; Egregius doctor Cyrillus in Epiſtola ſecunda ad Succeſſum ait: non ſolum Dominum gloriæ, ſed & Deum ſuper omnia benedictum in ſæcula. Beatiſſimus Paulus adfirmat proprium verbi corpus adfixum in ligno. Petrus quoque Rauennenſis Epiſcopus de hac ſancta fide quod Ieſus qui ex virgine natus eſt, verus ſit Deus in ſuo ſermone confirmat: ait enim inter alia Catholicæ fidei teſtimonia. Cõcipies (inquit Angelus) in vtero, & paries filium, & vocabis nomen eius Ieſum, quod Hebraice Ieſus, Græce σώτηρ, Latine ſaluator interpretatur. Merito igitur virginis ſalua ſunt omnia quæ genuit Saluatorem, & vocabis nomen eius Ieſum quia in hoc nomine deitatis adoratur tota maieſtas. Omnes qui commorantur in cælis, vniuerſi qui habitant in terris, cuncti qui in profundo tenẽtur inferni, huic ſe proſternunt nomini, hoc adorãt. Audi Apoſtolum dicentem: vt in nomine Ieſu omne genu flectatur cæleſtium, terreſtrium, & infernorum; hoc nomen eſt quod dedit cæcis viſum, auditum ſurdis, claudis curſum, ſermonem mutis, vitam mortuis: Totamque diaboli poteſtatẽ de obſeſſis corporibus virtus eius nominis effugauit. Et ſi nomen tantũ eſt, quanta poteſtas? ſed quis eſt iſte qui vocatur hoc nomine: dicat Angelus: Et filius (inquit) Altiſſimi vocabitur, videtis quia quod concepit virgo non terreno germine, ſed cæleſti conceptu virgo peperit, ſed Deus ſuſcepit filium. Ergo qui de hac natiuitate humano modo diſputat, ad omnem tendit tanti genitoris iniuriam, intellige ô indocta temeritas, quid poſt tantorum patrum teſtimonia relinqui poſſit nuncupationis in Chriſto vel adoptionis. Dicit ipſa veritas, quod Deus coniunxit homo, non ſeparet. Deus coniunxit ſeipſum humanæ naturæ, vt eſſet vnus Deus in duabus naturis, & vnus filius Dei, quis eſt qui poſſit ſeparare quod Ieſus aduniuit, vel diuidere quod Deus coniunxit? Nam ſi duas perſonas in vno Chriſto propter apertam blaſphemiam timeas fateri, tamen omnia quæ duabus perſonis ineſſe neceſſe eſt in tua confeſſione cõfirmare nõ metuis. Nonne duo ſunt qui verus eſt Deus, & qui nuncupatiuus Deus? nonne etiam & duo ſunt, qui adoptiuus eſt filius, & ille qui verus eſt filius. Alia quippe eſt perſona veri Dei, alia nuncupatiui: Et alia eſt perſona veri filij Dei, altera adoptiui filij. Omnis itaque qui Euangelicam legit hiſtoriam intelligere poteſt quod Ieſus & Chriſtus nomina ſunt humanitatis in filio Dei. Et ſi Ieſus Chriſtus qui natus eſt ex virgine, non eſt verus Deus, quomodo vniuerſalis Eccleſia per totum mundum communi conſuetudine, etiam & vos (vt reor) in omnibus orationibus quæ in miſſarum ſolemniis decantantur, dicere ſolet, per Ieſum Chriſtum

A Dominum noſtrum qui tecum viuit & regnat Deus in vnitate Spiritus ſancti per omnia ſæcula ſæculorum. Sed & ipſe ait Apoſtolis ſuis qui paſſus eſt & reſurrexit: data eſt mihi omnis poteſtas in cælo & in terra. Cui data poteſtas niſi illi qui de virgine natus eſt? nam ſicut paulo ante dixiſti: Dei filius ex Deo ſubſtantialiter natus, eſſentialiter habuit omnem poteſtatem cum patre & Spiritu ſancto: ſed hæc poteſtas data eſt filio virginis: Et ſi omnem poteſtatem habet, quomodo poteſt eſſe vt non ſit omnimodis verus Deus, & verus filius Dei? Moyſes fuit Deus nuncupatiuus, tamen non data eſt ei omnis poteſtas. Ideo ſecundo percuſſit petram ad eliciendam aquam. Quicquid vero miraculorum Chriſtus geſſit in mundo dum viſibili præſentia conuerſatus eſt inter homines propria virtute fecit vt potens & ve-

B rus Deus. Nunquid aliquis ſanctorum per ſe potuit aliquid facere abſque eo qui ait: ſine me nihil poteſtis facere. Dic ergo tu vnde in nomine Ieſu tantas virtutes fecerint Apoſtoli, ſi ipſe Ieſus non habuit propriam poteſtatem, ſed nuncupatiuam. Dic quoque, rogo, qui contradicis diuinitati Ieſu, & non vis in eo poteſtatem eſſe propriam, ſed munus alterius, quomodo & nomen eius tantam poteſtatem habuit, qua ipſe cuius hoc nomen eſt, vt tu blaſphemas, eguit. Quomodo in nomine eius dæmones eiecti, debiles curati, mortui ſuſcitati ſunt. Petrus enim Apoſtolus claudo illi qui ſedebat ad ſpecioſam portam templi, in nomine (inquit) Ieſu Chriſti ſurge & ambula. Et iterum in ciuitate Ioppe ad eum qui ab annis octo paralyticus iacebat in lecto: Æ-

C nea ſanet te (inquit) Ieſus Chriſtus ſurge & ſterne tibi. Paulus quoque ad Spiritum Pithonis: Præcipio (inquit) tibi in nomine Ieſu Chriſti exi ab ea. Et exiit ab ea dæmonium. Quam longe ergo hæc imbecillitas à Domino fuerit hinc intellige quando nec illi imbecilles fuerunt, qui talia per nomen eius facere potuerunt, quos ille per nomen ſuum potentes fecit. Si quidem nemini Apoſtolorum poſt Domini Reſurrectionem vel dæmones vel infirmitates obſtitiſſe agnouimus, nunquid in ſe ipſo infirmus fuit, cuius fides etiam per alios ſuper vniuerſa regnauit. Quid eſt autem quod ipſe cuius poteſtati derogas diſcipulis ſuis ait: in nomine meo dæmonia eiicite. Nunquid ad poteſtatem exercendam nomine alterius eguit, qui ipſum nomen ſuum poteſtatem eſſe fecit. Sed quid adhuc additur: Ecce (inquit) dedi vo-

D his poteſtatem calcandi ſuper ſerpentes & ſcorpiones & ſuper omnem virtutem inimici, quem tu nuncupatiuum Deum dicis. Apoſtolus ſcribens ad Titum, Magnum Deum nominare non dubitauit: Apparuit enim (inquit) gratia Saluatoris noſtri omnibus hominibus erudiens nos vt abnegantes impietatem & ſæcularia deſideria, ſobrie & iuſte & pie viuamus in hoc ſæculo expectantes beatam ſpem & aduentum gloriæ magni Dei ſaluatoris noſtri Ieſu Chriſti. Cuius ſententiæ ſenſum beatus Hieronymus in tractatu eiuſdem Epiſtolæ ita expoſuit: vbi eſt (inquit) Arrios ſerpens, vbi Eunomius coluber, magnus Deus Ieſus Chriſtus Saluator dicitur, non primogenitus omnis creaturæ, non verbũ Dei & ſapientia, quæ ſunt appellationes diuinæ gene-

E rationis, ſed Ieſus & Chriſtus: Quæ vocabula adſumpti hominis ſunt. Neque vero alium Ieſum Chriſtum alium verbum dicimus, vt noua hæreſis calumniatur, ſed eundem & ante ſæcula, & ante mundum & poſt Mariam, immo ex Maria magnum Deum appellamus Saluatorem noſtrum Ieſum Chriſtum, qui dedit ſemetipſum pro nobis. Quis eſt vero qui iudicaturus eſt mũdum homo tantum ſolitarius vel Deus filius hominis; nequaquam ita aduerſarius es veritati vt audeas contradicere ipſius veritatis teſtimonio qui ait: Cum ſederit filius hominis in ſede maieſtatis. Itemque Apoſtolus Paulus eundem qui iudicaturus eſt mundum Deum omnino adfirmauit dicens ad Romanos: Alioquin quomodo iudicabit Deus hunc mundum: niſi forte quia Apoſtolus in alia Epiſtola nos manifeſtandos ante

tribunal Chriſti, in alia, ante tribunal Dei. Ama vitam, Ama ſalutem tuam: Ama eum per quem redemptus es, metue eum a quo iudicandus es: velis enim nolis manifeſtandus ante tribunal Chriſti es, & ſepoſita impietatis blaſphemia ac verborum infidelium cantilena, ſi aliud putas tribunal Dei eſſe, quam Chriſti: venias ante tribunal Chriſti, & inuenies vtroque documento inexplicabili ipſum tribunal Dei eſſe quod Chriſti, totamque in vno filio Ieſu Chriſto diuinitatis potentiam & patris Dei maieſtatem. Idem quoque præfatus genolum prædicator vbi carnis diſpenſationem, & veram diuinitatis celſitudinem Chriſto ineſſe ſcribens ad Corinthios oſtendit: ſi oouer amus (ait) Chriſtum ſecūdum carnem, ſed nunc iam non nooimus: in his ſcilicet pauciſſimis verbis magnum Chriſti incarnationis myſterium demonſtrans: Quæ verba beatus Caſſianus Catholico exponens ſenſu: Aſcendit ergo (inquit) quodam modo quaſi in altiorem gradum doctrinæ Apoſtolicæ prædicatio, & licet ſenſus ibi in vtroque conueniat, ſaeramēſum tamen perfectæ fidei ſententia expreſſiore confirmat, dicens: Et ſi cognouimus ſecundum carnem Chriſtum, ſed nunc iam non nouimus: videlicet quia prius eum & hominem ſcimos & Deum cuoctandum Deum. Ceſſante infirmitate carnis nihil in eo iam nonimus, niſi virtutem diuinitatis, quia totum in Deo virtus eſt maieſtatis diuinæ, vbi eſſe deſut infirmitas imbecillitatis humanæ. Omne ergo penitus hoc teſtimoniū myſterium & ſumptæ carnis & perfectæ diuinitatis expoſuit: dicens enim: & ſi cognouimos Chriſtum ſecundum carnem ſacramentum nati in carne Dei locutus eſt, adiiciens autem nunc non iam nouimus vim depoſitæ infirmitatis ſicuit. Ac per hoc cognitio illius carnis ad ſignificationem pertinet hominis: Ignoratio autem ad honorem diuinitatis. Hoc eſt enim dicere, cognouimus Chriſtum ſecundum carnem quamdiu quod ſecundum carnem cognoſceretur, fuit, nunc iam non nouimus poſtquam eſſe diuiſit. Natura enim carnis in ſpiritalem eſt tranſlata ſubſtantiam, & illud quod fuerit quondam hominis factum eſt totum Dei. Et ideo iam non nouimus Chriſtum ſecundum carnem quia abſorpta per diuinam maieſtatem infirmitate corporea, nihil ſacro reſidet corpori ex quo imbecillitas in eo camis poſſit agnoſci. Ac per hoc quicquid fuerat prius ſubſtantiæ duplicis, factum eſt virtutis vnius: Cum vtique non ſit dubium Chriſtum qui crucifixus eſt ex infirmitate noſtra tutum viuere ex maieſtate diuina. Et paulo poſt. Bene ergo Apoſtolos miſſum ſe ſicut à Deo patre, ita & à Deo filio prædicans confeſſionem ſtatim dominicæ incarnationis adiunxit dicens: qui ſuſcitauit eum à mortuis, verum ſcilicet incarnati Dei corpus ſuſcitatum à mortuis docens: iuxta illud, & ſi cognouimus Chriſtum ſecundum carnem bene addens: ſed nunc iam non nouimus: hoc enim ſe in eo noſſe dicit ſecundum carnem quod ſit à mortuis ſuſcitatus; in eo vero ſe eum iam non noſſe ſecundū carnem, quod ceſſante carnis fragilitate in ſola eum nouerit Dei eſſe virtute. Audi igitur quid idem Apoſtolus de Chriſto dicit, vtrum illum hominem vel etiam Deum voluiſſe intelligi; an experimētum (inquit) quæritis illius qui in me loquitur Chriſtus? Quo loco volo vt ediſſeras mihi (ô Felix) hunc quem loqui Apoſtolus intra ſe dicit, homo ſit an Deus; ſi homo quomodo in corde eius corpus loqui poterat alterius: ſi Deus, ergo non homo Chriſtus, ſed Deus: Quia cum locutus in Apoſtolo Chriſtus ſit & loqui in eo non potuerit niſi Deus, Ergo locutus eſt io eo Chriſtus Deus. Vides itaq; nihil eſſe hic iam quod contra hæc dici queat, nec diſiunctionem aut diuiſionem aliquam inter Chriſtum fieri & Deum poſſe, quia totus in Chriſto Deus, & totus in Deo Chriſtus. Nulla hîc recipi ſeparatio poteſt, nulla diſceſſio; vna tantum eſt ſimplex: vna tantum ſana confeſſio adorare, amare, colere Chriſtum Deum. Concordat quoque beatus Hieronymus præſcriptorum ſenſibus patrum, quod homo aſſumptus à verbo Dei in diuinitatis glorificatus ſit poteſtatem atque indiuiſa maieſtate Deus vous adoretur in Chriſto. Hunc eundem ſenſum in lib. tertio commentariorum Ieremiæ Prophetæ expreſſius ponens vbi ait: ſi maledictus eſt homo qui confidit in homine, ergo maledicti erunt qui eſum tantum hominem confitentur. Quod ſi nobis oppoſitum fuerit, quod & nos eredamus in eum qui dicit: nūc autem quæritis me interficere hominem qui veritatem vobis locutus ſum quam audiui à Deo: hoc Abraham non fecit vos facitis opera veſtri patris: Reſpondebimus illud Apoſtolicum: Et ſi Chriſtum aliquando iuxta carnem cognouimus, ſed nunc iam non nouimus. Denique idem Apoſtolus in principio Epiſtolæ ſuæ ſcribit ad Galatas Paulus Apoſtolus non ab hominibus, neque per hominem, ſed per eſum Chriſtum & Deum patrem qui ſuſcitauit eum à mortuis, & qui mecum ſunt omnes fratres; ſi enim mors abſorpta eſt in victoria quare non carnis humilitas quæ propter humanam ſalutem adſumpta eſt in diuinitatis tranſierit maieſtatem, vt faceret vtrumque vnum? Non hic beatus Hieronymus confuſionem duarum deſignat naturarum, ſed vnitatem potentiæ vt credamus vnam potentiam diuinitatis in Chriſto Domino noſtro, ne dicatur dualitas maieſtatis in Chriſto in quo eſt vnitas indiuiduæ perſonæ. Item idem qui ſupra & vnde ſupra: Per hæc quoque dicimus Deum ſolum noſſe cogitationes hominum, ſic autem de Saluatore dicitur: Videns Ieſus cogitationes eorum: nullusque poteſt videre cogitationes niſi ſolus Deus, Ergo & Chriſtus Deus qui ſcrutatur corda, & reddet vnicuique ſecundum opera ſua. Idem quoque lib. tertio in Amos Prophetam. Tunc quoque primogenitus populus Dei Iſraël, quia in vnigenitum & vere filium Dei miſerit manum, æterno luctu traditus eſt, & nouiſſima eius ſiue qui cum eo erant, amaritudine ſunt repleti. Idem quoque in Zachariam lib. prim. nec mirum ait ſi Chriſtus dicatur omnipotens cui tradita eſt omnis poteſtas in cælo & in terra. Et qui dicit, omnia quæ patris ſunt, mea ſunt. Quomodo Catholicus æſtimari poteſt qui tot & tantorum doctorum teſtimonijs non credit, nec Apoſtolica ad credulitatem mouetur auctoritate, nec diuinæ per Euangelicas paginas conſentit veritati. Igitur tota ſacra ſcriptura huius fidei Catholicæ fulgore quaſi ſtellis lucentibus in cœlo clareſcit, nec vlla in illis diuinitatis nuncupatio ſiue veritas potentia Chriſto adſcribitur, ſed omnia propria virtute ſanitatum beneficia, vel ſignorum miracula quæcunque geſſit, eum efficere teſtantur. Neque enim dubium eſt quin ipſe propria poteſtate omnia fecerit quæ de eo mira leguntur: vehementerque cauendum eſt ne aliquid in Chriſto fallaci imitatione putemos actum, ſed omnia quæcunque vel in nominibus, vel in operibus leguntur de illo, cuncta ſolida veritate acta vel dicta credamus, quia in veritate nulla figmenti obumbratio inueniri poterit. Sed qui verus ſemper erit Deus in Deo patre, verus eſt in homine & Deus. Et qui verus eſt hominis filius, idem ipſe verus eſt & Dei filius: ideoque homo Deus propter Deum, & idem Deus homo propter hominem, vt in homine quocunque anima & corpus. Hæc ergo vnitas & veritas in Chriſto nequaquam poſt Virginis partum cæpta, ſed in ipſo Virginis vtero coniuncta atque vnita eſt: diligenter etenim præcauere debemus vt Chriſtum non modo vnum poſt baptiſmum vel reſurrectionem, ſed ſemper vnum ex quo conceptus eſt in vtero Virginali confiteamur: quia intoleranda blaſphemia eſt vt etiam ſi nunc eum vnum iam eſſe quis concedat, aliquando tamen non vnum ſed duos fuiſſe contendat. Sic enim iſte Felix cum ſuis ſequacibus in ſequenti litterarum ſuarum ſerie etiam ſentire videtur. Si enim ait, vt vos vultis, homo adſumptus à filio Dei, mox à conceptione Virginalis vteri verus conceptus eſt Deus, verus & natus Deus, quomodo ipſe filius Dei ex voce ſorm æ ſeruilis Prophetam veteris teſtamenti de ſemetipſo teſtimonium perhibet,

habet, quod ex vtero matris seruus sit formatus, ipso dicente per Isaiam Propheram: Et nunc hæc dicit Dominus formans me ex vtero seruum sibi vt reducam Iacob ad eum, & Israel congregabitur. Considera lector diligenter quod ille velit de Christo intelligi, qui nobis improperat velle eundem qui ex vtero Virginali tanquam sponsus processit de thalamo suo Deum verum esse & natum. Dicit enim si (vt vos vultis) perspicuum est eum nolle quod nobis obiicit velle: Atque suam sententiam Prophetico adfirmare nititur testimonio, vt magis seruus sit ex vtero formatus quam Deus, quem omnis Catholica Ecclesia in ipso sacræ conceptionis initio Deum verum confitetur, ac prædicat: vt pote quia de Spiritu sancto & Maria virgine conceptum & natum Euangelico testimonio certum habet. Quid enim de Deo nisi Deus nasci debuit? Iste etiam Felix hunc conditionalem seruum sæpius solet adfirmare, non intelligens quod diuinæ dispensationis sacramento seruus nominaretur: scilicet non conditione (vt superius diximus) debitæ seruitutis, sed implendæ paternę voluntatis in salute humana voluntaria obedientia. Nam in Christo quicquid gestum est, totum voluntatis fuit non necessitatis, qui Apostolo testante, humiliauit semetipsum factus obediens patri vsque ad mortem, mortem autem crucis. Alia est namq; voluntaria humilitas, alia seruilis necessitas: Quædam enim de Christo per proprietatem naturæ dicuntur, vt est via, veritas, & vita: quædam per significationem rerum per illum gerendarum à Prophetis de eo prædicata sunt. Quo genere locutionis seruum nominari à Prophetis Christum credendum est; de quo enim Propheta hoc testimonium protulit, in eo statim subiunctum est: Dedi te in lucem gentium vt sis salus mea vsq; ad extremum terræ. Et ne iste honor tantæ lucis paruus videatur [iudicetur] in eo adiunxit: Reges videbunt, & consurgent principes, & adorabunt propter Dominum, quia fidelis est, & sanctum Israel, qui elegit te. Quomodo autem si seruus est, adoratur à regibus & principibus? De quo & paulo ante idem Propheta ex eiusdem persona quem seruum Prophetice nominauit, Posuit me (inquit) sicut sagittam. Christus autem, vt beatus Hieronymus ait: De multis sagittis, & filiis plurimis, vna sagitta electa, & filius vnigenitus est, cui & paterna vox mox respondit: seruus meus es ô Israel, quia in te glorificabor, seruus quia vt in te forma Dei esset, formã serui est dignatus adsumere. Et de Israël quia nat' de semine Iudæorum quodque de nullo alio seruorum intelligi potest, iungitur, quia in te glorificabor. Dicit enim ipse in Euangelio: Pater glorifica nomen tuum: qui in Psalmo loquitur ad filium, Exurge gloria mea, exurge Psalterium & Cythara, idest omnium virtutum chorus. Hæc itaque præfatus pater Hieronymus Christum à conditionali nostræ necessitatis seruitio separans ait: Ex quo intelligitur non communi humanæ conditionis more Christum seruum nominari, sed altiori mysterio debere intelligi. Si ergo seruus est Christus, quomodo tantos fecit liberos Apostolo testante qui ait: Non sumus ancillæ filij, sed liberæ, qua libertate Christus nos liberauit. Et ipsa veritas in Euangelio: Si filius vos liberauerit, vere liberi eritis: nam si omnes sancti liberi sunt, secundum veritatis (quæ Christus est) vocem, quomodo ille solus remansit seruus, qui omnes in se credentes liberos facit. De quibus & alibi ait: Iam non dicam vos seruos, sed amicos: Et in eodem Euangelio: Seruus (inquit) non manet in domo in æternum, filius autem manet. Dominus autem, vt ait sanctus Augustinus, in forma serui non seruus: sed in forma serui Dominus fuit. Quod vero in ipsa sacratissima incarnationis Christi origine Deus verus conceptus sit, multorum Catholicorum testimoniis patrum adfirmari potest, quorum pauca hîc subiicere curauimus: quia res de qua agitur tam clara est & nota, vt non multis indigeat testibus cuius tot sunt testes quot fideles. Dicit ergo beatus Augustinus in lib. sæpe nominato Enchyridion: Numquid antea fuit homo, & hoc ei singulare beneficium præstitum est, quo singulariter promeretur Deum? Nempe ex quo homo esse cœpit, non aliud cœpit esse quam Dei filius, & hoc vnicus & propter Deum verbum, quod illo suscepto caro factum est, vtrique Deus; Vt quemadmodum est vna persona quilibet homo, anima (scilicet) rationalis & caro; ita sit Christus vna persona verbum & homo. Item Fulgentius in lib. Catholicæ fidei: Firmissime (inquit) tene, & nullatenus dubites non carnem Christi sine diuinitate conceptam in vtero Virginis priusquam susciperetur à verbo, sed ipsum verbum Dei suæ carnis susceptione conceptum, ipsamque carnem verbi Dei incarnatione conceptam: nec mirandum est si hæreticus Christum qui ex virgine natus est Deum nuncupatiuum asserere audeat, qui eundem seruum omnimodis Propheticis testimoniis non Catholico sensu intellectis adstruit, nobisque pro culpa obiicit velle eum qui ex virgine natus est, verum Deum prædicare. Hinc enim totius erroris sui videtur origo processisse, vt ex seruo quodam adoptiuum filium facere non potuisset, vel Deum nuncupatiuum. Tria quippe adfirmat in Christo (idest.) quod seruus sit conditionalis, quod filius adoptiuus, & Deus nuncupatiuus.

Tria quoque è contrario negat, hoc est, quod verus Deus nasceretur ex virgine, vel idem qui natus est verus sit filius Dei, & quod nullatenus fieri possit vt baptismi regeneratione non egeat, qui seruus sit natus, sed iam tempus est vt testium nube opprimatur, qui caligine impij erroris obumbratur.

Hilarius vir virtutum omnium atque ornamentorum, & sicut vita ita & eloquentia insignis, In libro fidei secundo: Vnus (inquit) vnigenitus Deus in corpusculi humani forma sanctæ Virginis vtero insertus adhærescit qui omnia continet, & intra quem cuncta sunt humani partus lege profecta. Item in eodem libro, Angelus testis est Deus nobiscum est ille qui nascitur.

Item ipse in lib. nono: natus igitur vnigenitus Deus ex homine homo, & secundum plenitudinem temporum in semetipso prouectutus est Deum hominem, hunc per omnia Euangelici sermonis modum tenuit vt se Dei filium credere doceret, & hominis filium prædicare admoneret, locutus est gerens homo vniuersa quæ Dei sunt: Loquens deinde & gerens Deus vniuersa quæ hominis sunt.

Idem quoque in prooemio expositionis Euangelij secundum Matthæum. Erat namque primum necessarium nobis, vt vnus Deus nostri causa homo natus cognosceretur.

Theophilus quoq; Episcopus Alexandrinus in Epistola Paschali huiusmodi de Christi natiuitate protulit testimonium: Vnus filius patris nostrique mediator nec æqualitatem eius amisit, nec à nostro consortio separatus est inuisibilis Deus, & visibilis Deus: inuisibilis homo, & visibilis homo, in forma serui absconditus, & Dominus glorię confessione credentium comprobatus; neque enim priuauit eum pater naturæ suæ nomine, postquam pro nobis homo pauper effectus est: nec in Iordane fluuio baptizatum altero appellauit vocabulo, sed filium vnigenitũ: Tu es (inquit) filius meus dilectus in quo mihi bene complacui. Ambrosius eximius Dei sacerdos in lib. qui est ad virgines, ita memorat: Gloriosa virginitas, & præclara fœcũditas, Dominus mũdi nascitur, & nullus est gemitus parientis, quia fas erat vt Deo nascente meritum cresceret castitatis. Hieronymus Catholicæ fidei doctor clarissimus in lib. ad Eustochium virginẽ: Dei (inquit) filius pro nostra salute hominis factus est filius: Decem mensibus in vtero vt nascatur expectat, & ille cuius pugillo mundus includitur præsepis continetur angustiis. Item ipsius in commentario Isaiæ: Dominus enim virtutum qui est rex gloriæ,

ipse descendit in vterum virginalem, & ingressus est & egressus orientalem portam. Item Augustinus, cuius supra sæpius mentionem fecimus: Vt autem, inquit, homines nascerentur ex Deo, primum ex omnibus natus est Deus; Christus enim Deus & Christus natus ex homine, non quæsiuit nisi matrem in terra qui iam patrem habebat in cælo. Natus ex Deo per quem facti sumus, natus ex Virgine per quem reformaremur. Item eiusdem in Epistola ad Vosianum: Et ipse Moyses & cæteri Prophetæ veracissime Dominum Christum prophetauerunt, & ei gloriam magnam dederunt: hunc non tanquam patrem sibi nec in eadem miraculorum potentia superiorem, sed plene Dominum Deum omnium, & hominem propter hominem factum venturum pronũciauerunt. Item Gregorius Nazianzenus: Cum ergo, inquit, processisset ex virgine Deus in ea quam adsumpserat humana natura vnum è duobus sibi inuicem contrariis existens carne ac spiritu, aliud in Deum assumitur, aliud deitatis gratiam præstat. Item beatus Cyrillus contra Nestorium: Neque enim, inquit, primo natus est homo communis de sancta Virgine, & tunc demum inhabitauit in eo verbum: sed in ipsa vulua vteroq; virginali se cum carne coniunxit, & sustinuit generationem carnalem carnis suæ. Petrus quoq; Rauennensis Episcopus in eadem Epistola vnde paulo ante posuimus exemplũ: Verbum, inquit, caro factum est, vt homo carne promoueretur in gloriam Dei, non vt Deus in carnis verteretur iniuriam: sicut dicit Apostolus; Qui se iungit Domino, vnus Spiritus est: Et quomodo non quando se iungit Deus homini, vnus est Deus. Et post pauca: Hæretice desine iudicare iudicem tuum, sed adora in cælis Deum, quem Deum magus adorauit in terris. Item B. Beda presbyter in expositione Apostolicæ exhortationis ad Episcopos Ephesiorum: vbi ait, in quos vos Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei, quam adquisiuit sanguine suo; non dubitauit, inquit, sanguinem Dei dicere propter vnionem personæ in duabus naturis eiusdẽ Iesu Christi, propter quam & dictus est filius hominis qui est in cælo. Cesset ergo Nestorius filium hominis à filio Dei separare & duos sibi facere Christos. Dicamus & nos: Cesset itaq; Felix Christum in duos filios vel in duos Deos diuidere, ne Nestorianæ fiat infidelitatis particeps: Quia quod Nestorius in numero personarum, hoc Felix in numero filiorum facere videtur, vnum adoptiuum & alium proprium faciens, filium Dei per vnã diuinitatem maiestatis in duas diuidat potestates, vnã propriam, alteram nuncupatiuam: Nonne quæso hi omnes quasi Prophetico olim spiritu ad confutandas blasphemias tuas hæc dixerunt? Tu enim Dominum nostrum Saluatorem fateris Christum: esse Deum vero negas. Nec hoc solo contentus es nisi etiam & seruum eũ adfirmares esse cõditionalem. Illi vero omnes quos prænominauimus, & alij his multo plures Catholici viri, Christum Dominum & Deum verum prædicauerunt. Illi beatam Virginem Mariam Dei genitricem adfirmant: Tu vero non tantum hominis quem Christũ nominas, sed serui cuiusdam genitricem impia nouitate credere & prædicare videris: Insuper & auctoritatẽ nostræ fidei poposcis à nobis, qui credi possit verum Deũ esse hominẽ qui ex vtero virginali natus est. Dicis enim

Obie. qua auctoritate, idem homo dominicus ex vtero matris verus Deus conceptus, & verus Deus natus à vobis prædicatur cum sit natura verus homo, & per omnia subditus Deo.

Resp. Si auctoritatem quæris quare Deum verum prædicemus, quia natus est ex Virgine, habes in superioribus multorum patrum, quos posuimus, non contemnendam auctoritatem: Tamen si illorũ auctoritati credere renuis, vel ipsius sancti Spiritus per quẽ, & de quo illa mirabilis filij Dei conceptio in vtero virginali facta est: Crede cuius aduentum quærenti virgini quomodo fieri possint quæ ab Angelo dicta sunt ei. Idem Archangelus Gabriel à Deo missus eidem virgini prænunciauit. Nunquid aliud potuit Angelus nuntiare nisi quod illi à

A Deo omnipotente mandatum erat? Qui dicit Angelus? Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi, ideoq; quod nascetur ex te sanctũ vocabitur filius Dei: dum ante ab Angelo dictum est: Erit enim magnus & filius Altissimi vocabitur: modo dicit filius Dei, vt quem antea altissimum dixerat, modo Deũ ostenderet. De Ioanne dicitur ab eodem Angelo: magnus erit corã Deo. Hic enim dicitur magnus ad distinctionem illius, & filius Altissimi, vt intelligeres aliter Ioannem magnũ, dici aliter Iesum qui pronunciatus est ab Angelo. Ille homo magnus, hic magnus Deus, idem ergo filius altissimi qui in vtero virginali cõceptus & natus est, idem homo in tẽpore creatus ex matre qui Deus est ante tẽpora natus ex patre. Si igitur idem homo qui Deus est, & idem Deus qui homo, desinat omnis hære-
B tica prauitas vel hominem hunc purum credere, vel seruum prædicare conditionalem, vel in duos diuidere filios, quem Angelica adnunciatio vnum esse Dei filium prædicit vt in tractatu præfati Bedæ presbyteri legitur, quem in Lucæ scripsit Euangelium: homo, inquit, adsumptus in Deum clarificatus ea claritate qua verbum Dei habuit priusquam mundus esset apud patrem, hoc est, vt idem filij nomen eandem Christi personam homo Deus plenus gratia & veritate sortiretur. Item in eodem tractatu: Ideoq; & quod nascetur ex te sanctum vocabitur filius Dei; ad distinctionem nostræ sanctitatis Iesus singulariter sanctus nasciturus asseritur. Nos quippe etsi sancti efficiamur non tamen nascimur. Ille autem solus veraciter sanctus est, qui vt ipsam conceptionem natu-
C ræ corruptibilis vinceret, ex commixtione carnalis copulæ conceptus non est. Sanctum, inquit, vocabitur filius Dei. Quid hic dicis (Nestoriane) qui beatam Mariam negans Dei esse genitricem, apertam niteris inpugnare veritatem: Ecce Deum dixit superuenturum Dei filium nasciturum: Quomodo ergo ait, Dei filius Deus non est? aut quæ Deum edidit quomodo θεότοκος, id est, Dei genitrix non esse potest? His & huiusmodi testimoniorũ auctoritatibus suffulti nihil aliud de Christo credimus vel prædicamus, nisi illa quæ sanctissimi Ecclesiarum Dei doctores nobis tradiderunt, omnesque nouitates vobiscum execrantes & contradicentes omni doctrinæ quæcunque hanc fidem de Christo Iesu à sanctis patribus promulgatam subuertere nituntur, nec nobis laudem quærentes, sed Catholicam fidem defendentes
D parati satisfacere, quantum nobis diuina donauerit gratia, omni poscenti nos rationem fidei credentes sanctorum patrum testimoniis, & Euangelicæ auctoritati sensus nostros subiicientes, prædicantes verum Deum conceptum esse & natum Christum Dei filium: dicente sancta Synodo Calcidonense, sequamur patrum nostrorum sententias, vnum & eundem confitentes Dominum Iesum Christum, conuenienter edocentes perfectum eundem diuinitate & perfectũ eundem incarnatum Deum: vt ipsa veritas in Euangelio vtrumque se dicit, & filium Dei & filiũ hominis: ait enim cæco: Tu credis in filium Dei: & interroganti quis esset? respondit, & vidisti eum, & qui loquitur tecum ipse est. Item vbi ait: Cum venerit filius hominis in maiestate sua. Naturas in Christo
E duas confitemur, & duas operationes: vnam tamen diuinitatem non duas: sicut enim cum dicimus: homo vidit, non tamen totus homo vidit, sed oculi tantummodo: sic cum dicimus, Deus passus est, sed carne sola. Alia enim sunt opera in humano corpore, capitis, alia pedũ: Nam vnum quodque membrũ habet & opus suum speciale sed vnum est corpus & vnus homo in quo operantur caput & pedes anima regente & viuificante: Aliter enim sentit liuorẽ corpus, aliter animus verbum durum, tamen vnus est homo: sic est vnus Deus qui passus est, & non passus. passus est in humanitate, & nõ passus in diuinitate. Vnde & vnus filius Dei in vna persona & duabus naturis digne pieq; cõfitendus est; sine Deo verbo segregato carnis natura non est concepta in virginali vtero, sed ineffabiliter Dei verbum vnitum est carni, vt vere &

inconfusè perfectus fieret homo: vnde eum hominem simul & Deum confitemur habentem in seipso vtrumque & naturam verbi qoa Deus est, & naturam carnis qua idem Deus homo est. Totus & perfectus Deus in A homine, & perfectus homo in Deo: vnos Deus & vnos homo, etiam & vnus Christus. Qui contra huius fidei veritatem venire tentauerit, nullatenus Catholicus sed schismaticus æstimandus est.

EXPLICIT LIBER QVARTVS.

PAVLINI AQVILEIENSIS CONTRA FELICEM.

LIBER QVINTVS.



VLTIS si quidem prætermissis quæ in libello tuo leguntur quibus niteris adfirmare Dominum nostrum Iesum Christum Deum verum noo esse, atq; quantum nobis diuina donauerat gratia, respondebamus, tandem illò peruenimus vbi destruis quod ædificasti & confiteris quæ negasti. Iam nescio vtrum subdola simulatione prioribus tuis sermonibus melius crederetur, quibus multimoda argumentatione veritatem impugnare probabis, aut cum diabolo timore perterritus nolēs Christum Dei filium esse confiteris cuius testimonium vbiq; ipsa veritas recipere renuit, obmutescere eum præcipiens: quia tali laudatore ipse Dei filius dedignatus est prædicari. Dicis enim eūdem esse filium Dei qui est & filius hominis: & filium hominis qui est filius Dei, vt ex tuis verbis cognosci poterat. Qui illū (inquis) sibi ex vtero matris, scilicet, ab ipso conceptu in singularitate suæ personæ ita vniuit atq; conseruit vt Dei filius esset hominis filius, non mutabilitate naturæ, sed dignatione. Similiter & hominis filius esset Dei filius non versibilitate substātiæ, sed in Dei filio esset verus filius. Nec mirādum est, si ab aliis in Catholica professione dissentire probaris dum tibi ipsi per vices discordare videris. In hac enim sentētia tua Catholicus æstimari potuisses, si prius te ipsum in prauitate tui erroris non ostenderes. Dicis itaque vt in Dei filio vero esset filius, si est in vero Dei filio filius qui est Christus. Igitur & verus est filius, quia in vero nihil potest aliud esse nisi veritas. Et nullū habet locū adoptio in natiuitate veritatis, vnus est ergo Dei filius Christus, Deus & homo verus & perfectus vt sæpe dictum est: Adiungis, quoq, nō duo dij, quod contra temetipsum pugnare manifestum est. Nam si duo Dij non sunt, ergo non est in eo Deus verus, & Deus nūcupatiuus, sed est vnus Dens verus quia Deus veritas est, & non est simulatio in eo; sed totius fons veritatis. Sequitur & altera in libello tuo sententia prioribus tuis verbis noo conueniens. Ipsum, inquit, credimus verum & proprium Dei filium ac verum Deum qui secundum formam Dei bis genitus est, primo videlicet de patre sine matre absq; carne: secundo vero ex matre cum carne sine patre. Illum verum Deum ex vtroq; parente ineffabiliter genitum credimus cui pater per Dauid loquitur ex vtero ante luciferū genui te. Paulo ante dixisti Christum duos habere patres, Dauid scilicet per naturam & Deum patrem ex adoptione. Hic vero horum oblitus verborum, ais, secundo vero ex matre sine patre: Quod vtrumq; verum esse non poterit vt duos habeat & nullum habeat Christus, secundum quod homo est patet. Si ergo secundum tuam sententiam verus Dei filios bis genitus est, & est veros Dei filius in vtraq; natiuitate paterna, scilicet, & materna, quomodo potest fieri vt non sint duo filij ex matre nati: vnus qoem tu asseris Catholica voce verum esse filium Dei: alter quem tua peruersitas verum non esse filium Dei adfirmat, verum & non verum nullatenus vnum esse potest, sic etiam verus filius & nō verus filius nullatenus vnus esse poterit filius, nec Deus verus & Deus nuncupatiuus vnus esse poterit: quia aliud est omnimodis veritas diuinitatis, & aliud nuncupatio nuda deitatis, vt supra ostēdimus in Moyse A & cæteris sanctis, sed vtrumque in vna persona nullatenus esse poterit: quia alia est veritatis dignitas, alia nuncupationis largitas. Quicumque vero hanc simulationem nuncupatiuæ vel appellatiuæ diuinitatis, scilicet, in humanitate Christi adfirmare nititur, nullatenus Nestorianæ impietatis foueam euadere poterit. Vt autem hanc dualitatem personæ in Christo vitare te velle videaris, ponis exempli gratia hominē ex anima & corpore vnum esse filium parentum suorum. Et licet ais ex Deo Deus, & homo ex homine in singularitate personæ Obiic.
vnus atq; idem sit Christus Dei, sicut quicumque homo B ex anima de nihilo creata & carne ex vtroq; parēte formata, vnus est vtrisq; parentibus patris sui, videlicet & matris filius. Hoc itaque exemplum si bene intelligeretur à te, atque si te ipsum sagaciter consideráres, omnem Resp.
erroris perfidiam destruere in te potuisset, tuamque intelligentiam reuocare ad agnitionem veritatis valeret. Ex hac certe radice totius infidelitatis tuæ, spinæ vt videtur, sui creuerunt, quod tuo sensu impossibile videtur, filium aliter posse esse proprium, nisi ex natura parentum totus nascatur; non intelligens te ipsum esse suom proprium patris matrisque tuæ, licet nobilior natura C quæ in te est, anima scilicet ex illorum natura non esset generata: sed ex nihilo vt asseris creata: Quæ est hæc ab omni ratione euersa tuæ mentis cæcitas, qui in Dei patris vnico & proprio filio esse non posse contendis, quod in te ipso esse nullatenus negare poteris? Si igitur ex anima & carne totus est proprius filius & verus parentū tuorum: quare non multo magis credis Deum omnipotentem verum & proprium filium ex virgine natum in duabus substantiis Deum hominem habere potuisse? Nunquid impotens est Deus in se perficere, quod potēs est in vniuscuiusque hominis natiuitate efficere? Aut D ergo temetipsum diuide in duos filios proprium ex carne & adoptiuum ex anima parentibus tuis: aut si hoc absurdum tibi forte videatur, concede Deo patri ea lege vel etiam potentiore proprium & vere filium ex Virgine natum habere potuisse, qua te vis tuorum parentum proprium esse filium: quamuis nullatenus adæquare possis illam ineffabilem Dei & hominis in vna persona natiuitatem, & conuenientiam humanæ conditionis consuetudini. Aut te ergo naturalem nega filium esse ex animæ substantia parentum tuorum: aut Deo concede proprium ex Virginali vtero habere filium: maxime quia talis vnitas est in Deo & homine, E vt sit vna persona Dei hominisque, licet hominis sit proprie quod mortalis fuit, & diuinitatis quod semper fuit. Et sicut te ipsum mortalem & immortalem esse non denegas: ita & Christus diuinitate quidem immortalis, carne sola mortalis erat: Quæ tamen eius carо deuicta morte (iuxta veram & Catholicam fidem) nunc etiam ad dexteram patris collocata, & in diuinitatis potentiam glorificata immutabiliter regnat in cælis.

De his iam superius me scio vberius disputasse, tamen propter sententiæ huius opportunitatem, hic aliquid respondisse in præsenti loco melius æstimaui, quia dum aduersarios ea repetit, quæ ante posuit, necessarium est vt repetitio quoq; meæ responsionis occurrat

ne forte repetit non habere quod contra eum dicatur. Igitur per latissimos sanctæ scripturæ campos quasi pœnitens aliqua à se superius bene prolata decurrēs quærit sententias sacræ scripturæ quibus pristini erroris sectam adfirmare valeat; sed dum non poterit inuenire quod quærit, prauitatis suæ sensu sanctæ scripturæ sententias interpretari nō desistit: vt ex tribus Apostoli auctoritate sententiis intelligi potest. Ponit enim de mirabili & ab

Obie. ipsa veritate laudata professione beati Petri principis Apostolorum huiusmodi sensum veluti ex suis verbis videri potest. Singulariter namque beatus Petrus Apostolus in eo simul duas naturas in vna persona Deo sibi reuelante confessus ait: Tu es Christus filius Dei viui: in eo enim quod ait: Tu es Christus, ad humanitatem eius pertinet in qua iunctus est, ad id quod addidit filius Dei viui ad diuinitatem ipsius in qua essentialiter verus filius Dei est, cōuenit. Item eiusdem beati Petri principis Apostolorum de Actibus Apostolorum profert verba; vbi Cornelio & his qui cum eo erant verbum Dei prædicauit: Qui rursus, inquit, de eius humanitate sigillatim; sicut in Actibus Apostolorum legitur, idem Apostolus Cornelio & sociis eius inter cetera Euangelizans, ait, Iesum à Nazareth, quomodo vnxit eum Deus spiritu sancto, & virtute, hic pertransiuit bene faciendo, & sanādo omnes oppressos à diabolo, quoniam Deus erat cum illo: non dicit Deus erat ipse, sed Deus erat cum illo. Nam si secundum veram professionem Deus verus esset homo ille susceptus à verbo, nequaquam tantus Apostolus auderet dicere Deus erat cum illo; sed potius Deus erat ipse. Tertiam quoque sententiam beati Pauli prædicatoris egregij ponit vbi ait, quoniam Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi: non ait, Deus erat Christus, sed Deus erat in Christo, non quod Christus homo videlicet assumptus, Deus non sit, sed quia non natura sed gratia atque nuncupatione sit Deus. Videte, videte lectores nouū sanctæ scripturæ interpretē qui ni-

Resp. titur Deum disiungere ab homine assumpto & ex vno Deo redemptore nostro duos efficere Deos, vnum verum, alterum nuncupatiuum: & Christum quē tota Ecclesia Deum colit & adorat, non solùm illa quæ in terris in spe laborat, sed & illa quæ in cælis iure gaudet, iste nouus interpres hominē vult solitariū, iuxta Nestorianā vel Pelagianam prauitatem credi. Quod si verum est vt simulatio tantū sit nuncupatiua nominis in Christo, nō veritas diuinitatis, quomodo est verus Redemptor humani generis si est imaginatio potestatis in capite, vnde est veritas salutis in corpore. Igitur vna his tribus sententiis responsio poterit esse quæ vna prauitate interpretatæ sunt ab illo. Nam si Christus idcirco non est Deus, quia dicit Deus erat in Christo, idē Deus erat cum illo, quomodo intelligendus est Dei filius Deus, qui ait, Ego in patre & pater in me. Si igitur non est Deus quia pater in filio est: nec pater ipse Deus est, quia dicitur filius in patre: Idem enim est quod ait: Ego in patre & pater in me: ac si dixisset, pater in filio, & filius in patre: at si verū est Deum esse filium & Deum esse patrem, tametsi ipsa veritas diceret, Ego in patre & pater in me: Ergo & Christus est Deus, tametsi Apostolus dixisset Deus erat in Christo. Itaque si secundum illius Felicis professionem Christus non est, quia Apostolus ait, Deus erat in Christo, omnino duo sunt Deus & pax: Et quarta introducitur persona, quod auertat ab omni corde Christianorum, ille de quo nobis est sermo qui est Deus vnus verus & summus Iesus Christus Dominus noster. Sed quamuis habeamus abundāter probatissimos sanctorū patrum sensus qui aliter has intellexerūt sententias, pauca tamen proferamus ex multis. De confessione itaque beati Petri principis Apostolorum ab ipsa veritate valde excellenter laudata, illud respondemus quod Cassianus antecessor istius Felicis Nestorio respondit: Respondit enim, inquit, primus Apostolorum Petrus, vnus vtique pro omnibus: Idem enim vnius habuit responsio quod habet omnium fides: Sed primum decuit respondere vt idem esset ordo responsionis, qui erat honoris, & ipse antecederet confessionem qui antecedebat ætate. Quid ergo ait? Tu es, inquit, filius Dei viui: simplici interrogatione ad cōfutandum te mihi hæretice, vti necesse est, dic mihi quæso, quis ille fuerit cui Petrus ista respondit. Negare non potes Christum fuisse: Interrogo ergo, Christum quem vocas hominem an Deum? hominem absque dubio: hinc enim omnis est tua hæresis, quia negas Christum filium Dei, ideo etiam Mariā Christotocon esse, non theotocō dicis quia Christi genitrix sit nō Dei. Quid ergo ad hæc respondit Petrus? Tu es, inquit, Christus filius Dei viui: Christum hunc quem tu hominis tantū filium esse adseris, ille testatur filium Dei. Cui vis credamus tibi an Petro? Opinor non es tam impudens, vt præponere te audeas primo Apostolorum. Tamen quid est quod tu non audeas, aut quemadmodum Apostolum non despicies, qui Deum negare non metuisti? Tu es ergo, inquit, Christus filius Dei viui. Nunquid hoc ambigui aut obscuri aliquid in se habet? simplex tantum est & aperta confessio Christum Dei filium prædicat. Et paulò post, videamus quemadmodum confessionē eius is quem confessus est adprobarit: quia plus multo est quam quod Apostolus dixit, si dictum illius Deus ipse laudauit. Dicenti ergo Apostolo: Tu es Christus filius Dei viui, quid à domino Saluatore responsum est? Beatus es, inquit, Simon Bariona, quia caro & sanguis non reuelauit tibi, sed pater meus qui in cælis est: si displicet tibi Apostoli testimonio vti, Dei vtere. Laudādo enim, Deus, quod dictum est, auctoritatem tuam Apostolico dicto addidit: Ita vt etiam si dictum illud Apostoli ore prodiit suum esse, hoc tamē Deus fecerit qui probauit. Beatus es, inquit, Simon Bariona, quia caro & sanguis non reuelauit tibi, sed Spiritus patris mei qui in cælis est. Ergo in Apostoli dicto & Spiritus sancti & præsentis filij & Dei patris testimonium vides. Quid ergo amplius, aut quid simile requiris? filius hominis laudauit, pater interfuit, Spiritus reuelauit. Apostoli ergo dictum totius diuinitatis est testimonium, quia illius hoc dictum necesse est auctoritatem habeat, quo auctore processit Beatus ergo, inquit, es Simon Bariona, quia caro & sanguis non reuelauit tibi, sed Spiritus patris mei qui in cælis est. Ergo si Petro non reuelauerunt ista, & inspirauerunt, iam intelligis qui inspirauerit tibi. Si illum Spiritus Dei docuit qui Christum Dei filium esse confessus est vides quod tu spiritum dæmonis doctus sis qui negare potuisti. Beatus quoque Beda presbyter in tractatu Actuum Apostolorū de eo quod dicitur, Deus erat cum illo, ita exponit: Deus, inquit, erat cū illo, id est, pater cum filio. Melius est enim sic intelligere quam diuinitatem filij cum homine quem adsumpsit, cohabitantem significari, ne Christi personam geminare, & in Nestorianū dogma cadere videamur. De eo vero quod Apostolus ait: Deus erat in Christo, Victor Episcopus Capuæ in libro sponsorum capitulo vicesimo quarto: Deus, inquit, erat in Christo, vtiq; pater in filio, quia in ipso complacuit omnem plenitudinem habitare diuinitatis. In aliis quoque sanctis & Apostolis, vel Patriarchis siue Prophetis gratia fuit: In Christo autem tota diuinitas habitauit, id est, tota iam plenitudo diuinitatis corporaliter. Idem quoque Victor Episcopus ex opere Cyrilli in libro ad Augustas, cuius initium est: Qui diuinū prædicant & cæleste mysterium. In quo ait, habitat omnis plenitudo diuina corporaliter, id est, substantialiter non per participationem neq; per gratiam quæ tribuitur adoptiuis, sed corporaliter id est substantialiter: sicut in homine dicitur habitare eius Spiritus, cum non sit alius ipse homo & Spiritus eius. Idem quoq; Doctor Cassianus qui & supra de inseparabili diuinitatis humanitatisq; operatione, & mira communione rerum gestarū in Christo pro beatissima Catholicæ fidei veritate ita disseruit. Confitentes enim, inquit, vtramq; substantiam carnis ac verbi, vnū eundēq; hominē sēper inseparabilē ab initio ipsius cōceptionis pia fidei credulitate suscipimus,

pimus, & ex tempore susceptæ carnis. Sic omnia dicimus quæ erant Dei transisse in hominem, vt omnia quę erant hominis in Deum venirent, & hac intelligentia verbum factum sit caro: non vt conuersione aut mutabilitate aliqua coeperit esse quod non erat, sed vt potentia diuinæ dispensationis verbum patris nunquam à patre discedens homo propriè fieri dignaretur incarnatus: Et non hominē cum Deo ita natum esse dicam, vt seorsum quæ Dei sunt, soli Deo dem: & seorsum quæ sunt hominis, soli homini reputem: & de vno filio Dei non vnum, sed facere incipiam duos Christos: quod à nobis iam ipse Dominus & Deus Christus auertat: sed sic alterutrum vnus sit verbum & caro, vt manente in sua perfectione naturaliter vtraque substantia sine sui præiudicio & humanitati diuina communicent, & diuinitati humana participent: nec alter Deus, alter homo, sed idem ipse Deus, qui & homo: Et vicissim homo qui & Deus, Iesus Christus vnus Deus. Sed his atq; huiusmodi ô Fœlix, firmissimis sanctorum patrum testimoniis superatus ad alia erroris tui latibula confugere non desisti, atq; exinde serpentini oris venena sibilans, quæris quomodo teipsum perdere possis: Quia vnde bene prolata rectè intelligentes filij adquisitionis saluantur, inde filij perditionis damnantur dum bene prolata in sanctis Scripturis male interpretati non metuunt. Proponit itaque sententiam de Epist. Euangelistæ vbi ait: Aduocatū

Obiect. habemus apud patrem Iesum Christum iustum & ipse est propitiatio pro peccatis nostris, quam ita à te intelligendā asseris: Aduocatus (inquis) idem est, qui & mediator, qui propter culpas delinquentium apud patrem intercedit, quod non de Deo vero, sed de homine assumpto sentiendū est. Quare autem non intelligis quod Euangelista eundem propitiatorē dicit, quem aduocatum, dum ait: Aduocatum habemus apud patrem Iesum Christum iustum. Et ipse est propitiatio pro peccatis nostris, in eo quod aduocatum eum nominauit, hominem designat: Quod vero propitiatorem Deum demonstrat, sed quomodo sit aduocatus qui Deus est, sanctorum patrum testimoniis intellige. Augustinus enim cuius sæpius mentionē facimus, de hac interpellatione in libro contra Ariū ait: solent plane Ariani ex interpellationis causa mouere calumniā dicentes, quod qui interpellatur, interpellante sit maior: quibus respondendum est Deum obliuionē non pati, vt pro illis commoueatur semper quos ipse elegit: sed in hoc interpellat eum, dum semper patri hominem quem suscepit, quasi nostrū pignus ostēdit. & offert, vt verus pontifex & æternus. Sed & huic sensui illius quomodo B. Beda Presbyter in expositione eiusdem Apostolicæ sententiæ conueniat, audi: Vnigenito enim,

Resp. ait, filio pro homine interpellare est, apud coæternū patrē seipsum demonstrare: eique pro humana natura rogasse, est eandem naturam in diuinitatis suæ celsitudinē suscepisse. Interpellat igitur pro nobis Dominus non voce, sed miseratione: sciendum est vere quod nequaquam modo Christi ad dexteram sedentis interpellatio apud patrem talis intelligi debet qualis hominis solet esse, dum quis apud iudicem supplicibus verbis interpellat pro eo: sed patris Deo patri humanitatis in Dei filio dispensatio interpellatio est pro humano genere. Nam & de Spiritu sancto legitur: Ipse spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus: non enim Spiritus sanctus ingemiscit, sed tropica locutione Apostolus vsus significat quod Spiritus sanctus nos ingemiscere facit. Ita dicitur & illum postulare pro sanctis, quia postulare facit sanctos: sic etiam & id, quod de Christo dicitur, quod sit aduocatus, altiori mystico intelligendum est, quam humana interpellandi consuetudo inter homines solet obseruari. Deinde igitur ad Euangelium recurrens huiusmodi proponis sententiam: Ais enim, nusquā enim in Euangelio Dei filius pro nobis, sed tantum filius hominis traditus legitur. Oblitus scilicet quod ipse Dei filius de sua traditione dixisset: Sic enim dilexit Deus mundum, vt filium suum vnigenitum daret, vnigenitus

A itaque filius Dei est filius qui datus est pro mundi salute. Quid vero est datus, nisi traditus? Quod Apostolus quoque confirmat dicens: Qui proprio filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum. Item de eodem Dei filio idem Apostolus ait, qui tradidit semetipsum pro nobis. Quem etiam beatus Petrus Iudæis prædicans filium Dei non dubitauit testificari dicens: Deus patrum nostrorum glorificauit filium suum Iesum, quem vos quidem tradidistis, & negastis ante faciem Pilati iudicante illo dimitti: vos autem sanctum & iustum negastis, & petistis virum homicidam dari vobis, auctorem vero vitæ interfecistis, quem Deus suscitauit à mortuis tertia die. Quid in his verbis Apostolicæ auctoritatis dubitationis esse poterit. filium Dei

B testificabatur qui traditus est & qui mortuus est, immo & resuscitatus. Addidit quoque auctorem vitæ. Quis est ergo auctor vitæ nisi filius Dei? qui pro salute mundi vel à Deo patre, vel à seipso traditus dicitur, sed & ab ipso traditore suo Iuda Iscariote, necnon & à Iudæis traditus esse legitur. Tradidit (inquit B. Petrus) seipsum iudicanti se iniuste, licet aliter à Deo patre, aliter à Iuda traditore, & aliter à seipso, aliter à Iudęis traderetur. A Deo patre propter salutem humani generis: à traditore, vt suæ auaritiæ impleret cupiditatem: à seipso, vt paternæ voluntatis impleret effectum: à Iudæis, vt suæ perfidiæ ostenderent nequitiam. Nullatenus ergo diuidi poterit filius hominis à filio Dei, vel separari à filio hominis filius Dei, quia vnus est filius Dei, Deus & homo qui traditus est propter delicta nostra in mortem. Quod beatus

C Cassianus in libro vnde superius testimonia posuimus, veraciter ostendit: Nec in tempore (inquit) admodū hominem quis à Deo in passione possit, vel Deum ab homine secernere: si enim ad tempus respicis, inuenies semper filium hominis cum Dei filio; ita scilicet vnitum & indiuiduū sibi Christum filium hominis ac Dei filium, quantum ad vocem scripturæ pertinet: nec homo separari à Deo tempore, nec ab homine Deus omnino valeat passione. Hoc etiam symbolo Catholicæ fidei confitemur manifeste quod Iesus Christus Dei filius vnigenitus natus de Spiritu sancto & Maria Virgine passus sit pro humana salute. Nequaquam ergo dubitare vllus catholicus debet quin Dei filius traditus esset pro mūdi salute. Qui n. negat Dei filium traditum esse ad passionē;

D nullatenus Catholicus esse poterit, sed à Catholicę fidei professione in hac obstinatione permanēdo alienus censendus est. Deinde vadis quærendo quid de humanitate Christi vel quid de diuinitate specialiter in sanctis Scripturis dicatur: Tandemq; illuc peruenisti, vbi de die vltimi examinis idem Dominus loquitur: cuius diei cognitionem Christo, in quātum homo est, denegare laboras, Obiect. vt ex tuis verbis agnosci potest. Ipse est enim, inquis, qui secundū pręscientiam deitatis diem iudicij per prophetam prædixit: dies enim vltionis in corde meo, annus redemptionis meæ venit. Ipse nihilominus est propter humanitatis naturā qui in Euang. secundū Marc. protestatur: De die autem illa & hora nemo scit, neq; Angeli cœlorum, neq; filius, nisi pater solus. Hanc vero sententiam Resp. qua Marcus Euangelista filium diem iudicij ignorasse

E dixit, longe aliter sancti patres intellexerunt, quam tu asseris intelligēdam. B. quippe Hieronymus in commentario Matthæi, simul & Beda presbyteri tractatu Marci Euangelistæ, huius sententiæ intelligentiam ita exposuerunt; Causa igitur, inquiunt, reddenda est cur ignorare dicitur: Apostolus scripsit de Saluatore in quo sunt omnes thesauri sapiētiæ & scientiæ absconditi: Sunt ergo omnes thesauri in Christo sapientiæ & scientiæ absconditi. Quare absconditi? post resurrectionem interrogatus ab Apostolis de die iudicij manifestius respōdet: Nō est vestrum scire tempora & momenta quæ pater posuit in sua potestate. Quando dicit non est vestrum, ostendit quod ipse sciat, sed non expediat nosse Apostolis, vt semper incerti de aduentu iudicis sic quotidie viuant quasi die alia iudicandi sint. Si ignorat diem iudicij, quomodo

A verom eſt quod ante dixit : omnia tradita ſunt mihi à patre meo : ſi diei vltimi cognitio non eſt ei tradita, nullatenus omnia tradita ſunt illi à patre. Sanctus quoque Auguſtinus in libro de ſancta Trinitate capitulo 12. horum Chriſti verborum ſenſum per tropum qui apud Grammaticos metonymia dicitur, explanat. De die vero & hora nemo ſcit, neque Angeli in cælo, neque filius, niſi pater. Hoc enim neſcit quod neſcientes facit: Id eſt: quod non ita ſciebat, vt tunc diſcipulis indicaret. Sicut dictum eſt ad Abraham : Nunc cognoui quod times Deum : Id eſt, nunc feci, vt cognoſceres : quia & ipſe ſibi in illa tentatione probatus innotuit. Dic, rogo, quomodo fieri poſſit, vt iudex omnium diem iudicij neſciat? B Et qui merita ſingulorum diiudicaturus eſt tempus eiuſdem examinis ignoret? De cuius iudiciaria poteſtate multo ante in Pſalmis prædicitur : Deus noſter tunc, dicit Propheta, manifeſtus veniet : Deus noſter tunc non ſilebit. Ignis in cōſpectu eius ardebit. &c. In circuitu eius tempeſtas valida : Aduocauit cœlum deſurſum, & terram diſcernere populum ſuum. Et ne ignorares de quo hoc dixiſſet, paulo ante idem Propheta præmiſit : Deus Deorum Dominus locutus eſt, quis eſt ille Deus qui eſt Deorum , idem Sanctorum. Dominus vero omnino Chriſtus qui iudicaturus eſt viuos ac mortuos. Huius locum Prophetiæ beatus Caſſiodorus ita declarat: Ne quis ait, incarnationem Chriſti mediocri crederet æſtimatione poſcendam potentia ipſius ante prædicitur, vt totius C incredulitatis prauitas auferatur, Dij dicunt qui bonis conuerſationibus gratiam ſupernæ maieſtatis accipiunt ſicut in alio Pſalmo ait : Ego dixi Dij eſtis, & filij excelſi omnes. Ita ergo filij dicuntur ſicut & Dij : quod vtrumque gratia præſtat non natura. Deus autem Deorum eſt Chriſtus : Et paulo poſt. Deus enim Chriſtianorum ipſe eſt Deus Deorum qui. & manifeſte veniet & non ſilebit, ſilet enim modo cum mundus iſte peragitur, cum blaſphemias & ſacrilegas voces ſententiæ ſuæ ſeueritate non damnat, ſed ad conuerſionis medicinam ſuſtinet peccatores. Tunc autem non ſilebit, quando ſceleratis dicturus eſt; Ite in ignem æternum qui paratus eſt diabolo & Angelis eius. Hanc vocem metuat qui modo nuncupatum & non verum Deum audet blaſphemare D Chriſtum, qui iudicaturus eſt mundum. Nuncupatio non eſt in veritate poteſtatis, ſed in nominis tantummodo dignitate, qui vocabit cœlum & terram ad iudicium, non ſolùm nomen habet deitatis, ſed etiam poteſtatem diuinitatis. Et neforte contradicas filium hominis eſſe qui habet poteſtatem iudicandi, audi quia idem ipſe de ſua poteſtate diceret. Ait enim : Cum venerit filius hominis in maieſtate ſua, & omnes Angeli cum eo, tunc ſedebit in ſede maieſtatis ſuæ : filium hominis teſtatur in ſua maieſtate, & non in aliena ſeſſurum & iudicaturum , & regnum ſui patris ſanctis daturum : Et alibi : Pater non iudicat quemquam, ſed omne iudicium dedit filio, vt omnes honorificent filium , ſicut honorificant patrem. Et paulo poſt: Sicut pater habet vitam in ſemetipſo , ſic dedit & filio vitam habere in ſemetipſo, & poteſtatem dedit ei iudicium facere, quia filius hominis E eſt. Et ne vlla cuilibet dubitatio remanſiſſet quis ſit qui in iudicio omnibus videbitur, idem beatus Ioan. Euangeliſta propheticum in eo teſtimonium implendum eſſe prædixit. Ait enim : Hoc totum factum eſt, vt impleretur, quod dictum eſt : Os non comminuetis ex eo : Et iterum alia ſcriptura dicit : Videbunt in quem transfixerunt. Vulnera itaque veri corporis verum filium hominis oſtendent qui iudicaturus eſt mundum, forma illa erit iudex quæ ſtetit ante iudicem. Talis apparebit iudex qualis videri poſſit, & ab eis quos coronaturus erit, & ab eis quos damnaturus. Hoc ipſum quippe Chriſto aſcendente Angeli Apoſtolis prædixerunt : ſic, inquiunt, veniet, quemadmodum vidiſtis eum euntem in cœlum: id eſt, in eadem forma carnis atque ſubſtantia veniet iudicaturus, in qua venerat iudicandus, hunc eundem filium hominis qui iudicaturus eſt mundum Apoſtolis

Deum non dubitauit nominare. Ait enim, alioquin quomodo Deus iudicabit hunc mundum ? & alibi : Expectantes beatam ſpem & aduentum gloriæ magni Dei. In ſequentibus quoque ponens verba ipſius veritatis quibus cuidam diuiti ſe bonum magiſtrum nominanti reſpondit, Nemo bonus niſi ſolus Deus.

Valde inconuenienter, quantum ad intelligentiæ pertinet rationem, verba, ô Fœlix, coniungis ipſe enim, ais, qui eſſentialiter cum patre & Spiritu ſancto ſolus eſt bonus eſt Deus ipſe in hominem, licet ſit bonus, non tamen naturaliter à ſemetipſo ſit bonus ; Quomodo ſtare poteſt quod dicis ipſe eſt bonus, & ipſe naturaliter non eſt bonus in ſemetipſo. Super ſe bonus eſt cum Patre & Spiritu ſancto, vtique & ipſe bonus eſt in homine aſſumpto, non aliena bonitate ſed naturali. quia ipſe, & ipſe vnam ſignificant perſonam, & non eſt alter in patre, alter in homine; notandum vero eſt quomodo magiſter velis fieri fidei Catholicæ, dum verborum per quæ fides dicitur, rationem ignores : Corde enim creditur ad iuſtitiam , ore autem confeſſio fit ad ſalutem. Recte itaque in corde credita conuenientibus veræ fidei verbis proferri debent: Sed quædam mihi ſuſpicio ex antecedentibus fidei tuæ profeſſionibus in his naſcitur, verbis te quidem velle aſſerere Dei filium qui hominem aſſumpſit naturaliter bonum eſſe , hominem vero quem aſſumpſit naturali bonitate bonum non eſſe. Sed iſte tuus ſenſus multis ſanctæ Scripturæ teſtimoniis deſtruitur.

Primo cum legitur in Geneſi, Deum omnia bona cōdidiſſe Et cum per ſingulos dies dicit ſcriptura , vidit Deus quod bonum eſſet , & dum omnia ſicut Deo placuit creata ſunt, dictum eſt , Et erant omnia valde bona : quomodo ille homo ſolus quem ipſe Dei filius, per quē facta ſunt omnia ſibi in vnitate perſonæ in vtero virginali adſumpſit. Non erat naturaliter bonus. Quid in illa mirabili de Spiritu ſancto & virginali conceptione & natiuitate peccati fuit , vt bonus naturaliter non eſſet qui natus eſt , & Dei filio in vnitate perſonæ in ipſo exordio incarnationis adiunctus. Omnis quidem rationalis creatura aut bona eſt , aut mala. Legitur enim in ſcripturis ſanctis Angelus bonus, & Angelus malus : ſimiliter & bonus homo, & malus homo, ipſa veritate adteſtante: Bonus homo de bono theſauro cordis ſui (& ſi omnia quæ Deus creauit erant valde bona) profert bona : Et malus homo de malo theſauro cordis ſui profert mala. Sed omnia quæ bona ſunt naturaliter bona ſunt, Dei gratia agente : Quæ vero mala ſunt, ex proprio vitio mala efficiuntur. Quomodo ergo Chriſtus naturaliter non eſt bonus, per quem omnes quicunque boni ſunt efficiuntur boni ? Sicut enim proprie eſt filius Dei per quem omnes ſancti filij Dei facti ſunt : Ita naturaliter bonus eſt , ſine quo nullus naturaliter poterit eſſe bonus. Huius vero reſponſionis Chriſti verba beatus Hieronymus Preſbyter longe aliter quam tu adſeris intelligi voluit , vt in præſcripto eius commentario , vnde paulò ante poſuimus teſtimonia, legitur. Quid me (inquit) interrogas de bono ? vnus eſt bonus Deus : Quia magiſtrum vocauerunt bonum & non Domini vel Dei filius confeſſus erat. Dicis quemuis ſanctum hominem cōparatione Dei non eſſe bonum , de quo dicitur: Confitemini Domino quoniam bonus. Ne quis autē putet in eo quod bonus Dominus dicitur , excludi à bonitate filium Dei: legimus in alio loco : Paſtor bonus ponit animam ſuam pro ouibus ſuis. Et in Propheta : Spiritum bonum, terramque bonam. Non igitur Dominus ſe bonū negat, ſed eſſe Deum ſignificat. Non ſe magiſtrū bonum non eſſe, ſed magiſtrum abſque Deo nullum bonū eſſe teſtatur. Addis quoque, vbi de duabus in Chriſto naturis diſputas, impaſſibilis in ſuo, paſſibilis alieno. Quid dicis alienum eſſe Dei filio in illa ſuſceptione humanitatis quæ in tantam & tam mirabilem cum Dei filio adſumpta eſt vnitatem vt vnus eſſet non duo.

Omnes (margin note)

Re. (margin note)

Idem in diuinitatis gloria, qui & in humanitatis infirmitate, idem filius Dei qui & filius hominis, & idē filius

.k3. hominis

hominis qui & filius Dei. Quid enim in hac contumelia alienum potuit esse, dum omnes actus vtrarumque in Christo naturarum vnius propriè esse personæ certum habetur. Sicut beatus Leo Papa ait, salua naturarum proprietate, quæ Dei sunt transierunt in hominem; & omnia quæ hominis sunt transierunt in Deum: vt nec sine homine agerentur diuina, nec sine Deo agerentur humana. Hoc enim Catholica fides tradit, hoc exigit vt in Redemptore nostro duas nouerim conuenisse naturas; & manentibus proprietatibus suis tantam factam vnitatem vtriusq; substantiæ, vt ab illo tempore quo sicut humani generis causa poscebat, in beatæ Virginis vtero verbum caro factum est: nec Deum illum sine hoc quod homo est, nec hominem sine hoc liceat cogitare; quod Deus ostendit quidem sub distinctis actionibus veritatem suam vtraque natura, sed neutra se ab alterius coniunctione disiungit, nihil vbi ab inuicem alienum vacat. Nec enim diuinitas animæ tristanti ante passionem defuit, nec carnem suam in passione deseruit. Tota est in maiestate humilitas, tota in humilitate maiestas. Idcirco eiusdem est contumelia cuius est gloria. Ipse est in infirmitate qui & in virtute: Idem mortis capax, & idem victor est mortis. Suscepit ergo totum hominem Deus, & ita se illi atque illum sibi misericordiæ & potestatis rationem conseruit vt vtraque alteri natura inesset, & neutra in alteram, à sua proprietate transiret. Atque ita in carne propria passus est impassibilis Deus vt veram passionem quia voluit in vera carne sentiret, & in diuinitate prorsus impassibiliter permaneret, nec alius semetipsum morti dignatus sit tradere, quam ille qui sic potuit moriens de morte vincere, vt mortem non possit in morte sentire. Sed hoc certissimũ scire debemus quod quicquid Domino inclusionis vel contumeliæ, quicquid vexationis & passionis furor intulit impiorum, non de necessitate toleratum, sed de voluntate susceptum est, velut etiam omnia quæ infirmitatis sunt humanæ voluntate sustinuit, non necessitate: vt famem, sitim, lassitudinem, somnum, irrisiones, crucem, atque ipsam mortem. Ita & ille qui propria voluntate mortuus est, propria quoque potestate surrexit: veluti ante prædixit: Potestatem habeo, inquit, ponendi animam meam, & potestatem habeo iterum sumendi eam. Sed ne longior libelli series legenti fastidium generet, hic sit huius sermonis finis, vt ab alio liberius oratio sumat exordium.

Explicit Liber quintus.

PAVLINI AQVILEIENSIS
CONTRA FELICEM
LIBER SEXTVS.



VBLIMITAS Apostolicæ auctoritatis terrere debuisset istos adoptionis vel nuncupationis in Christo adsertores vt tacerent quia omnes nouitates vocum cunctis Catholicæ fidei filijs sub anathematis terrore interdixit. Sed obstinata mens nullis terroribus emollita à suæ peruersitatis pertinacia cõpescitur. Nec eorum damnationis exemplo semetipsa corrigere curat, qui ante actis temporibus nouas sectas Apostolicisque traditionibus contrarias introducere tentarunt. Ita enim necisti, qui huius nouitatis introductiones fidei Catholicæ inserere conantur, se pia humilitatis consideratione in ouile vniuersalis Ecclesiæ per Apostolicæ fidei vnitatem reuocare student. Et non solùm male prolata salubriore sensu emendare non consentiunt: verum etiã peioribus se denuo implicare erroribus contendunt: vnde & iste Felix infœliciore audacia cum cæteris suæ peruersitatis sequacibus Christo iniicere tentat debitam seruitutem, & conditionale seruitium, & necessariã subiectionem: dum omnes Euangelicæ paginæ & Apostolicæ scripturæ Christum veraciter Dominum Deum atq; Dei filium apertissime testentur. Nec alicuius sanctorum tanta fuit latitudo sapientiæ, vel tam grandis Eloquentię copia, vt laudem & gloriam Christi Dei digne potuisset enarrare. Superat.n. omnem sensum rationalis creaturæ huius mysterij magnitudo, quo Dei filius in vnitatẽ personę humanitatis naturam adsumere dignatus est; & inter homines homo Deus conuersari, qui in cælis adoratur ab Angelis, quem infœlix istorum temeritas debitorẽ seruitutis vel conditionalẽ seruum nominare non metuit, & infima quæq; nomina Redẽptori nostro Christo Deo vero & Regi regum dominoq; dominantium imponere præsumit. Quod ergo Christũ debitæ seruitutis necessitate constrictũ esse contendis, dic, oro, in quo fuit Christus Iesus debitor? Nunquid peccata habuit, vt propter peccatorum remissionem debitor esset? quam in oratione Dominica debita pro peccatis ponũtur. Sicut solemus ex precepto ipsius veritatis quotidie decãtare; Et dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Vnde & mox huius petitionis recapitulatio subiecta est, vt intelligeretur de quibus dixisset debitis. Ait.n. ipse Dominus in sequentibus: Si dimiseritis hominibus peccata eorũ, dimittet & vobis pater vester cælestis delicta vestra: Et vbi vnus Euãgelista dicit debita nostra, ibi alius pro debitis peccata ponit. Si debitor est qui & peccator, vt Euangelica veritas ostendit, nunquid & Christus peccator fuit, vt debitor dici debeat. Nisi forte alio sensu debitorẽ velis intelligere anteacti videlicet cuiuslibet beneficij remuneratorem. Quid vero hoc ad Christum pertinet: Nunquid primum fuit homo? & postea singulari beneficio in Dei filiũ electus esse credendus est, vt huius tanti beneficij debitor sit dicendus? Nonne in ipso conceptu Deus verus & verus Dei filius conceptus est, & in vnam personam duarum naturarum facta est coniunctio in ipso vtero virginali, in tanta personę vnitate, vt hic totus qui ex virgine natus est indubitanter dici & credi debeat vnus verus filius Dei: Alibi quoq; in Euangelio de debitore dicitur: Duo debitores fuerunt fœneratori vno: Quid hic debitores intelligendi sunt, nisi cuiuslibet pacti necessitate in ius fœneratoris obligari, quorũ nihil de Christo pia credulitas permittit dici. Quod vero ais conditionalẽ esse seruum: Quæ Catholicę aures hanc tãtam blasphemiam patienter sufferunt, vt Christus Dei filius vili conditione & dura necessitate seruus sit Dei patris. Quid ergo dicis de Adam? Vtrumnam libera dignitate vel seruili conditione creatus sit? Si conditionalis seruus formatus est, quomodo est imago Dei? vel vbi liberum illius arbitriũ fuit? Aut quid peccando perdidit; Si vero liber, quomodo non multo magis Christum in quo diuinitas omnis corporaliter habitabat, libera dignitate non conditionali seruitio ex regiæ nobilitatis Virgine natum esse credendum est? De quo beatus August. in Epist. ad Consentium: Adsumpsit (inquit) formam serui, non Domini mutando naturam: impertiẽdo Dominicam gratiam, non seruilem iniuriã retinendo. Si enim humana nobilitas alicuius momenti vel dignitatis æstimanda est; quis nobilior ipso Dauid Rege? ex cuius semine quasi de regalis excellentiæ nobilitate, non seruilis conditionis ignobilitate Christus nasci voluit in mundo: si ad Deitatis gloriam respicis, quis Dei filio, qui in duabus naturis vnus atq; idem fuit, ęquari potest? Cui nullus sanctorũ nobilitate vel libertate, vel potestatis priuilegio similis esse potuit, vel poterit. Illud vero quod ais illum propter ignobilitatẽ beatæ Virginis, quæ se ancillam Dei humili voce protestatur, seruũ esse conditionalem. Si sanctissima Virgo Maria

A iuxta veſtram temeritatem conditionalis eſt ancilla; Ergo nobilior eſt Sarra ſecundum Apoſtolicam Auctoritatem, de qua ipſe Doctor gentium ait: Scriptum eſt, quoniam Abraham duos filios habuit vnum de ancilla, & vnum de libera; Sed qui de ancilla, ſecundum carnem natus eſt, qui autem de libera per repromiſſionem. Et poſt pauca: ſed quid dicit ſcriptura? Eiice ancillam & filium eius: Non enim hæres erit filius ancillæ cum filio liberæ, forte & apud te nobilior eſt Iſaac quam Chriſtus qui Apoſtolico teſtimonio de libera natus eſt, & Chriſtus, vt tu aſſeris, de ancilla, & omnes adoptiui filij Dei qui ſunt, nobiliores ſunt Chriſto: de quibus ipſa veritas ait, Iam non dicam vos ſeruos ſed amicos: De quibus & prædicator gentiũ ait: Miſit Deus ſpiritum filij ſui corda

B noſtra clamantem Abba pater. Itaq; iam non eſt ſeruus ſed filius: Quod ſi filius & hæres per Deum. Dicis quid potuit de ancilla naſci niſi ſeruus? vbi eſt intelligentia tua, non conſiderans multa animantium genera de terra eſſe creata, & plurimas piſcium diuerſitates ex aquis: Quomodo ergo viua creatura ex inſenſibili, id eſt, terræ vel aquę natura creari potetit? vel quomodo de puluere arbores, & de arboribus flores fructuſq; naſcũtur. Quare non tantum puluis de puluere naſcitur, ſicut dicis, quod nil potuiſſet de ancilla naſci niſi ſeruus, vt interim beatam virginem ancillam nominari non negemus: Tamen concede omnipotentiæ diuinæ vt de ancilla creare potuiſſet quicquid placuiſſet ſuæ ineffabili voluntati: niſi forte reſiſtere velis Deo, & dicere, nolo vt aliquid aliud fiat de ancilla niſi ſeruus tantum: ſed tenera Chriſtus ſo-

C lus vt Propheta de eo præcecinit, inter mortuos liber eſt inuentus. De qua eius glorioſa libertate beatus Caſſiodorus, in octogeſimi ſeptimi Pſalmi expoſitione ita dicit; ſolus enim inter mortuos liber fuit, qui ipſa quoque mortis clauſtra confregit; ipſius enim tantum mors libera, quia & voluntaria fuit qui poteſtatem habebat ponẽdi animam ſuam, & iterum ſumendi eam, ſed cum ille eſſet inter mortuos liber, æſtimatus eſt tamen à dementibus, ſicut vulnerati dormientes. Verè autem dictus eſt Dominus liber, qui humanum genus liberaré dignatus eſt, quem tu forte per hoc ſeruum eſſe cõditionalem calumniaris, quia humanum genus beneuola ſuę obedientiæ ſubiectione liberũ fecit. Sed longe aliter beatus Gregorius in libro moralium vigeſimo tertio de hac eadem

D liberatione vnde loquimur ſentire probatur. Mediator (inquit) Dei & hominum Ieſus in eo miſeretur hominis, quo formam hominis ſumpſit: qua miſericordia redempto homine dicit patri, libera eum vt non deſcendat in corruptionem, ſicut iam ſupra diximus, dicere eius eſt, libera eum hominem naturam hominis aſſumẽdo liberam demõſtrare. Ex ea quippe carne quã ſumpſit, etiam hanc oſtendit liberam quam redemit. Quę redempta, videlicet, caro nos ſumus, qui cognitione noſtri reatus adſtringimur, ſed mediatoris tanti æquitate liberamur: ſicut ipſe ait, ſi vos filius liberauerit, vere liberi eritis: Nimium ergo ingratus videris liberatori humani generis, qui toties illum non ſolũ abſolute ſeruum appellari dicis, ſed etiam conditionalem ſeruum teſtaris: dum conditio duram demonſtrat neceſſitatem, non voluntariæ munus obedientiæ, ſed & inter cætera quo te vagus ſer-

E monis tui perduxit textus, etiam ad hoc peruenisti, vt diceres duo genera ſeruitutis eſſe in creaturis, voluntarium quidem & cõditionale, quia, inquis, omnis creatura voluntate ſeu neceſſitate per conditionem Deo ſeruit. Plane omnibus patet inferius eſſe genus conditionalis ſeruitij quam voluntarij, ſub quo inferiori gradu impia temeritate Chriſtum computare non times, ſicut ex tuis verbis iam antea oſtendimus, in quo etiam gradu conditionalis ſeruitij, & ipſum diabolum poſuiſti dicens: nẽpe diabolus ſeruus Domini per conditionem in ſacro eloquio dicitur: Vides ne quo te tua perduxit blaſphemia vt vno ſeruitutis genere Chriſtum & diabolum computares. Nec ipſum Chriſtum conſentire vis voluntaria obedientia Dei patri deſeruire in diebus carnis ſuæ, ſed

A conditionali neceſſitate ſicut diabolum, numquid non omne Chriſtianorum ſeruitium in religione ſanctitatis voluntarium Deo debet eſſe magis quam neceſſariũ? In tantum vt voluntas bona pro opere computetur, nulla aliqua neceſſitas operandi impediat facultatem. Addit adhuc de conditionali ſeruitio Chriſti hæc verba: Numquid (ais) qui verus eſt Deus, fieri poteſt, vt conditione ſeruus Dei ſit, ſicut Chriſtus Dominus in forma ſerui qui multis modis multiſque documentis non tantum propter obedientiam, vt plerique volunt, ſed etiam & per naturam ſeruus patris & filius ancillæ eius veriſſime edocetur. Quod quam abſurdum ſit & quam ineptũ hoc Deo vero Dei filio ac Deo vero credere piorum ignorat nemo. Inter pleroſque quos dicis Chriſtum pu-

B tare per obedientiam ſeruire Deo, vnus quidem eſt beatus Paulus Apoſtolus doctor gentium qui ait: Chriſtus obediens patri vſque ad mortem, mortem autem crucis, propter quod & Deus exaltauit illum & dedit ei nomen quod eſt ſuper omne nomen, ſeruus conditionalis non eſt ſuper omne nomen, ſed inferius filiorum nomine, filij quippe nomen omnibus ſanctis Dei dignatione communiter donatum eſt. Quod eſt ergo illud excellentius cæteris nominibus nomen quod Chriſto à Deo Patre Apoſtolo teſte datum eſſe dicitur propter obedientiæ mirabile ſacramentum. Illud ſcilicet quod idem ipſe ſubiungit dicendo: Vt in nomine Ieſu omne genu flectatur cœleſtium, terreſtrium, & infernorum, & omnis lingua confiteatur, quia Dominus Ieſus Chriſtus in gloria eſt Dei patris, ſi iam Dominus eſt Ieſus, & in gloria eſt

C Dei patris (id eſt) in diuinitatis maieſtate, ergo conditionalis ſeruitij iugo ſubiectus non eſt: ſed (ſicut beatus Petrus Princeps Apoſtolorum ait) perfectus eſt, in cœlum ſubiectis ſibi Angelis & poteſtatibus, & virtutibus. Quod & idem Pſalmiſta prædixit multo ante futurum: Minuiſti (inquit) eum paulo minus, gloria & honore coronaſti eum, & conſtituiſti eum ſuper opera manuũ tuarum. Omnia ſubiecisti ſub pedibus eius. O glorioſa obedientia, & omni laude digniſſima, quæ in tantam diuinę poteſtatis magnitudinem ſublimata eſt, vt ſuper omnia opera Dei conſtitueretur! Item in alio loco Apoſtolus: Qui tradidit ſemetipſum pro nobis oblationem & hoſtiam in hoc quod ait: Tradidit ſemetipſum, voluntarie ſe tradentis, non conditionaliter ſeruientis oſtendit affe-

D ctum. Dicit & ipſe Dauid ſub perſona ſanctorum: Voluntarie ſacrificabo tibi: ſi ſanctorum ſacrificia quæ Deo ſolent offerri, voluntaria fuiſſe manifeſtum eſt, quomodo hoc ſolum ſacrificium, in quo totius mundi redemptio eſt, per neceſſitatem fuiſſe calumniaris, & non per voluntatem ſponte ſe ipſum offerentis: ſicut idem Propheta in alio loco ait: In capite libri ſcriptum eſt de me, vt facerem volũtatem tuam, Deus meus volui, & legem tuam in medio cordis mei: volui, inquit, non ſicut tu ſoles dicere: debui: debita enim ais ſeruitute Deo patri ſubiectus eſſe. Quod quidem debitum & conditionale ſeruitium, ab Eccleſiaſticæ fidei veritate omnino alienum eſſe dignoſcitur. Catholica namque veritas in vno eodemque Chriſto credit, & confitetur ſecundum veram ſubſtantiam carnis omnes eiuſdem carnis quas ſu-

E ſcepit infirmitates volũtarias habere Chriſtum cum voluiſſet, voluntariam namque & veram famem cum eſuriens ad ficulneam veniet: voluntariam & veram laſſitudinem cum fatigatus ab itinere ſuper puteum ſederet: voluntarium & verum vulnus, cum militis lãcea percuteretur in latere: volũtariam & veram mortem, cum inclinato capite ſpiritum emiſiſſet in cruce: voluntariam & veram ſepulturam cum eum depoſitum de ligno Ioſeph & Nicodemus ponerẽt in ſepulchro: has enim carnis omnes infirmitates voluntarias quidem, ſed veras Chriſtus habuit, quia carnis humanæ naturam, non in fantaſia, ſed in veritate ſuſcepit: quas paſſiones propterea, in carne voluntarias habuit, vt in veritate carnis diuina potentia, quæ nec pati potuit aliquando, nec mori, infirmitatem mortemque deuinceret, & carnem ſuam in

vitam

vitam virtutemque perpetuam suscitaret: quem tu æternæ subiectionis seruitio opprimere niteris. Dicis enim: vel in qua forma erit in æternum patri subditus si inter diuinitatem eius & humanitatem nulla differentia nullaque inæqualitas fore credatur. Dicimus itaque in Deo Christo duas esse naturas proprias: vnã deitatis alteram humanitatis: sed veram in eo diuinitatis gloriam credimus, ne nuncupatio sola diuinitatis à te nuper introducta in humana natura à diuinitatis natura segregata in duos Deos fidei nostræ diuideret professionem, sed vnum confitemur Deum sub proprietate duarum naturarum qui iudicaturus est mundum in forma qua videri poterit ab omnibus quam cõditionaliter tu asseris Deo patri subiectam esse. Aliter intelligens illius formæ subiectionem, Aliter sancti Patres, qui altiori sensu sancto Spiritu inspirante diuina mysteria considerare valuerunt, sed beati Hilarij clarissimi doctoris tantummodo sensus sufficiat ponere qui vndecimum Catholicæ fidei libellum maxime de huius subiectionis disputatione consummauit. Primum (inquit) te communem sensum interrogo, vtrum nunc subiectionem ita intelligendam putemus tanquam seruitutem dominatui, aut infirmitatem virtuti aut honori inhonorationem, contrariis qualitatibus subditis, vt filius secundum hæc Deo patri sit dissidentis naturæ diuersitate abiectus. Nihil itaque nunc aliud subiectionis significatio, quam mysterij demonstratio est. Et in sequentibus: Non alia itaque subiectionis causa est, quam vt omnia in omnibus Deus sit, nulla ex parte terreni in eo corporis residente natura, vt ante in se duo continens, nunc Deus tantum sit, non abiecto corpore, sed ex subiectione translato, neque per defectionem abolito, sed ex clarificatione mutato: Adquirens sibi eo potius hominem, quam Deum per hominem amittens: subiectus vero ob id non vt non sit, sed vt omnia in omnibus Deus sit. Item paulo post de clarificatione ipsius Domini qua se in Euangelio testificatur clarificandum esse vbi ait. Nunc glorificatus est filius hominis: Glorificauit eum, inquit, in se Deus, vt quia iam regnat in gloria, quæ ex Dei gloria est ipse exinde in Dei gloriam transeat; in se enim Deus eum glorificauit, id est, in ea natura qua Deus est; quod est vt sit Deus omnia in omnibus.

Item paulo post: & in eo quidem ait, quanta furoris hæretici stultitia est, desperare id de Deo quod humanis suis sudibus blandiatur: & quod hominem Deus potens sit, id in se ipso efficiendo infirmus sit. Nec sermo istud nec sensus rationis capax loquetur vt naturali quadã necessitate ad cõsulendum nobis obnoxios Deus sibi nihil adferre beatitudinis possit, non quod profectu egeat, qui imperturbatæ naturæ virtutisque sit, sed quia per dispẽsationem & sacramentum magnæ pietatis, qui Deus est, & magnus est impotens sibi sit hoc totum præstare quod Deus est, cum nobis non ambigue induturus sit, id quoque nos esse, quod non sumus, vitæ enim humanæ atque mortis finis est resurrectio, & certissimum militiæ stipendium est incorrupta æternitas, non ad pœnæ perseuerantiã manens, sed ad perpetuæ gloriæ fructum iucunditatemq; non desinens. Cum igitur hæc nostra terrenorum corporum origo in habitu naturæ potioris excedat, & conformis gloriæ Dominici corporis fiat Deus in forma serui te perpetuus licet, iam glorificatus in corpore sit, secũdum quod in forma serui sit, tamen conformis Deo non erit, vt qui nobis formã glorificati corporis sui tribuit, ipse corpori suo nihil vltra possit quã nobis ac sibi sit. In cõmune præstare. Hęc itaque testimonia sancti Patris Hilarij de subiectione filij, quantum debitam æternamq; asseris, vel etiam de clarificatione corporis in diuinitatis gloriam eiusdem Domini nostri Iesu Christi, quod ex virgine adsumpsit dicta sufficiant. Nunc operepretium est aliqua ex sanctorum doctorum libellis testimonia proferre quæ tu etiam cõtrario sensu flectere ad tuæ partis confirmationem niteris. Quæ omnino tibi esse aduersaria, & tui erroris sectæ valde con-

Forte deest non aut quod aliud

A traria intelligentur. Insuper & quædam calliditatis tuæ nequitia subtrahis, quæ tuam hæresim damnare vidẽtur: Quædam vero consueta tibi versutia immutare non times, vt in libris beati Hilarij fecisse videris: vbi ille præcipuus doctor & Catholicus, ait potestas dignitatis non amittitur, tu omnino peruersissime dicis, adoptatur: vbi beatus Hilarius ait, adoratur. Carnis equidẽ à Magis humilitas adorata est, & mystica munerum speciebus honorata non adoptata: Quod perspicue ex antecedentibus verbis eiusdem doctoris intelligi potest, vbi ait quod tu ipse posuisti, pannis inuolutus Deus adoratur. Idem ipse qui in cunabulis iacuit ab Angelis Christus Dominus prædicatur, & à Magis Deus adoratur, non à

B patre adoptatur in filium. In quo loco certissime de magorum adoratione idem pater Hilarius disputat, non de paterna adoptione, quam tu prauissime huic loco inserere conaris, sed & cum testimonium de disputatione B. Augustini posuisses, quã habuit cum Feliciano Arriano Episcopo subdola calliditate quædam in media sentẽtia tacuisti quæ tuæ parti videntur contraire vbi ait: filiorũ namque adoptiui alij, naturales alij sunt: hi quia geniti ab initio filij sunt ac proprij. Illi primo alieni, post filij cum per adoptionem in familiam videntur adsciscí. Cętera vero quæ posuisti in eodẽ loco ex sensu hęretici, idẽ beatus Augustinus dixit non ex suo cum quo disputationem de fide Catholica habuit, licet tu non intellexisses ex cuius persona dixisset quod posuit: sic enim ait.

C Quod igitur dicis ex substantia patris credo nasci filium nequiuisse: ne ingenitum patrem filij generatione videamur diuidere: & reliqua quæ ibi posita sunt, quæ certissimè illius hæretici sensui conueniunt non sancti Augustini, sicut & illud solita tibi prauitate immutasti vbi ait idem in eodem libro: impassibilis in suo, passibilis in nostro; tu pones impassibilis in suo; passus in alieno, quasi corpus suum quod sibi proprium fecit filius Dei alienũ esset à se. Quod itaque nomen alieni omnino contra te ipsum ponis: vtrumque enim nõ potest esse: Caro Christi aliena, & adoptiua filio Dei: quia dum adoptatur in filium nullatenus alienus erit ei qui se adoptauit in filiũ; sed in filij dignitatem adsumptus cessabit alienus esse. Christi vero humanitas numquã aliena fuit nec anima

D nec corpore diuinitatis suæ; ab initio cõceptionis & natiuitatis in proprietatem vnius personæ adsumpta vt verus & proprius, in duabus substantiis esset Dei filius. Et quare tacuisti quod in eodem libro de clarificatione corporis Christi, & de vnitate diuinitatis legitur, vbi ipso præfatus doctor ait: Itaq; glorificata caro maiestate, dũ maiestas humilis docetur in carne, sed vtrumque non de duobus Christus, vt putas, sed de vno atq; eodem ipso quem post partum virginis Deum & hominem nominus, nos certum est prædicare. Et paulo post; vnus autẽ atque idem Christus est, qui & iniurias totos pertulit, & actus in profundum non mersit. Ex hoc pacto in mediatore Dei & hominum iniuria adsumpti corporis affectam fatemur deitatem, sicut maiestate diuinitatis glorificata nouimus carnem, sed hæc omnia quæ passus est

E pro humana salute mundi Saluator, non tu vis debita necessitate, sed libera volũtate passum, idem pater in eodem libro testatur dicens inter cætera: sensit igitur (inquit) mortem diuinitas Christi participatione humani affectus quem sponte susceperat: non naturę suæ potentiam perdidit, per quam cuncta viuificat, sic in sepulchro carnem suam commoriendo non deseruit: sicut in vtero virginis connascendo formauit. Et sic in vtroque & nasci & mori non coactus ab altero sed sponte voluit vt hoc enim constet pertulisse quod fecit. Nec ideo non patientem quia ipse faciebat; nec ideo non facientem quia non alius tolerabat, hanc quoque mirabilem & ineffabilem in filio Dei vnitatem naturarum in persona & potestate mens humana credat, non requirat, vt in eodem libro legitur. Ait enim idem doctor: sicut enim sine exemplo mater genuit auctorem suum, sic ineffabiliter pater credendus est genuisse coæternum: de matre natus est

qui tamen ante fuit de patre, qui aliquando non defuit:
hoc fides credat, intelligentia non requirat, ne aut non
inuentum putet incredibile, aut repertum non credat
singulare, si mater genuit auctorem suum, & de matre
natus est qui de patre fuit: quomodo tu ausu temerario
soles negare Deum esse verum qui ex virgine natus est?
Aut quomodo non terret te quod sequitur, vt quia hoc
ratione non inuestigatur, hoc fides credat, intelligentia
non requirat, singulare enim est hoc, & sine exemplo
mysterium. Dicis quoque humanitatem filij Dei extrin-
secus factam quasi alienam, vel magis ipsum filium Dei
extrinsecus factum, sicut te scribente legimus: hæc sunt
(ais) sententiæ præfati egregiique doctoris Augustini
nō de humanitate filij Dei in qua extrinsecus factus est,
non de substantia patris subsistens, sed ex carne matris
natus est. Quomodo filius Dei est si extrinsecus factus
est? filius Dei æternaliter natus est de patre quem hic di-
cis extrinsecus factū; si de humanitate eius hoc tibi pla-
cet intelligi, ergo eūdem dicis nobiscum filium Dei qui
ex virgine natus est. Tamen sanctus Cyrillus nullatenus
de homine Christo hoc consentit, scilicet quod extrin-
secus factus sit quasi alienus, vel ut indumentum quod-
dam diuinitati, sed omnino in duabus naturis propriū
esse & perfectum filium Dei adfirmās, dicit in illo libel-
lo quem contra Theodoretum scripsit: Non hominem
adsumptum dicimus à Deo verbo & copulatum ei secū-
dum habitum extrinsecus adinuentum, sed potius ho-
minem eum factum esse decernimus. Item eiusdem vn-
de supra: Sed licet (inquit) nominemur templa, ocum in-
habitantem habentia per spiritum, attamen alterum
nouimus modum sacramenti secundum Christum, vni-
tam enim Deo verbo secundum veritatem carnem asse-
rimus cum anima vtiq; rationali. Item in eodem, Quid
igitur diuidunt subsistentias post vnitatem & particula-
riter ponunt vtrumque, hoc est hominem & Deum, sub-
intelligentes copulationem, in eis quæ secundum solam
dignitatem est: Duos modis omnibus statuūt filios cum
scriptura diuinitus inspirata vnum dicat filium atq; Do-
minum. Quocirca post ineffabilem vnitatem si Deum
nomines Emmanuel, incarnatum & Deū factum intel-
ligimus ex Deo patre verbum, siue hominem dicas, ni-
hilominus in mensuris humanis participatum dispensa-
tiue cognoscimus: factum vero dicimus palpabilem qui
impalpabilis est, visibilem qui inuisibilis est: non enim
fuit extraneum ei vnitum ipsi corpus, quod etiam dici-
mus esse palpabile & visibile. Item post aliqua: Non sine
voluntate, sed spōte vnigenitus factus est homo, & non
(sicut ais tu) adsumpsit hominem per habitudinem ei
copulationem donans, & filiationis gratia coronans si-
cut nos. Et post pauca: vnita vero semel diuidere non est
cautum, neque in filios partire duos vnum Christum &
filium & Dominum. Nunquid tu non solum contra hu-
ius sancti patris dicta, verum etiam contra vniuersalem
& Apostolicam sanctæ Dei Ecclesiæ consuetudinem di-
uidis Christum in duos Deos, nuncupatiuum scilicet &
verum: Et in duos filios, adoptiuum & proprium, accu-
mulans super caput tuum terribile Anathema quod in
eodem præfati patris libro legitur: Si quis præsumit di-
cere Deiferum hominem Christum, & non potius Deū
esse vere, sicut filium vnum, & naturam secundū quod
factum est caro verbum, & communicauit proxime no-
bis, sanguine & carne, Anathema sit. Et in sequentibus:
ait enim & ipse Christus de sāctis Prophetis siue de san-
ctis qui prius fuerunt: si illos dixit Deos ad quos sermo
Dei factus est: quem pater sanctificauit & misit in mun-
dum, vos dicitis quia blasphemas, quia dixit filius Dei
sum, sed non sicut in nobis inhabitat Deus, sicut & in
Christo: Deus enim erat naturaliter apparens secundum
nos, vnusq; & solus filius, & quando factus est caro. Qui
igitur præsumunt dicere Deiferum hominem eum, &
non potius inhumanatum Deum necessario subcūbunt
Anathematismo proposito. Item ille ipse qui supra Epi-
stola ad monachos directa: Cum enim (inquit) probatur

A quia Deus secundum naturam est, qui ex sancta virgine
natus est; nullum eos segnem intelligere, ac loqui quia
Dei genitrix sit dicenda. Et iterum Verumtamē, inquit,
vnus Dominus Iesus Christus vnusque & verus filius
Deus simul & homo, & non homo Deus factus sub æ-
qualitate horum qui per gratiam, sed Deus potius verus
in humana forma apparens propter nos. Et in sequenti-
bus eiusdem Epistolæ: Age Age monstremus ex ipsis o-
stendentes fidem sacris litteris, quia Deus secundum na-
turam est, & ad vnitatem copulauit, dico propriam car-
nem, quo viuere probato Dei genitrix dicitur à nobis, &
satis merito sancta virgo. Item in eadem: Quomodo er-
go proprius Dei filius nominatus est Christus, qui etiam
traditus est à Deo patre causa hominum salutis & vitæ.
Traditus est enim propter peccata nostra, & ipse iniqui-
tates multorum portauit in corpore suo, in ligno, secun-
B dum Prophetæ vocem: Palam ergo est quia vnita res ad-
sumpta necessarie proprium filium declarauit Dei qui ex
sancta virgine est. Corpus enim erat non alterius cuius-
piam secundum nos, sed magis proprium ex patre existē-
tis verbi natum ex ea. Vnde tibi (ô Felix) post tanta etiam
clarissima sanctorum patrum testimonia tam inimici
subrepsit temeritas vt Christum negare audeas propriū
Dei filium vel verum Dominum esse, vel in proprio cor-
pore passiones nostræ salutis causa subiisse; Nonne cau-
tius tibi esset intra murum Catholicæ fidei te ipsum re-
tinere, quam per deuia infidelitatis errare. Quid de oui-
bus æstimandum est, dum ipse pastor errare probatur? Et
qui ductor debuit esse ad salutem, ductor factus est ad
perditionem. De talibus enim cauendis ipsa veritas in E-
C uangelio ait; Si oculus tuus dexter scandalizat te, erue eū,
& proiice abs te, expedit tibi vt vnum pereat membro-
rum tuorum, quam totum corpus tuum mittatur in ge-
hennam. Nam & Arnonius vir acris ingenij in conflictu
quē cum Serapione habuit de nobilitate sanctæ Mariæ
genitricis Dei, & de incomparabili omnibus fœminis
sanctitate, & de ipsius filij Dei qui ex ea natus est diui-
nitate, consentanea sanctis patribus quorum dicta abun-
danter posuimus, profert testimonia, dicens: Dum in v-
nigenito (inquit) duas naturas confitemur, duasque sub-
stantias, obicitur quod alterum dicamus Dei filium, al-
terum filium hominis. Nos autem auctoritate Apostoli
dicimus, Deus erat in Christo mundum reconciliās sibi:
si enim mundum reconciliauit, ita vt credentes in se fi-
E lios Dei faceret homines vtique natura seruos, non Dei
filios, actu etiam reos, & per præuaricationem primi ho-
minis inimicos generis humani obnoxios: Tamen per
suam gratiam hos Dei filios fecit, quomodo ipse non est
filius Dei adunatus cum verbo, quod caro factum legi-
tur. Et post pauca: Per suam ergo omnipotentiam eum
voluit, hunc hominem adsumpsit hoc facere, adsumpto
ex tempore quod ipse semper fuit sine tempore, vt non
possint dici duo filij Dei. Alius antē tempora, & alius na-
tus ex tempore: sed vnus Dei filius Dominus Iesus Chri-
stus. Inde est quod dictum est ab Apostolo. Si cognoui-
mus Dominum Iesum secundum carnem, sed nunc iam
non nouimus: quasi dicat: & si cognouimus lanam
priusquā admixtione sanguinis conchylij fieret purpura,
sed nunc iam non cognouimus lanam, sed purpuram,
F qua inter omnes homines nullus vti possit, nisi augusta
fuerit præditus dignitate. Impingitur hoc loco: Ergo vi-
lis lana fuit prius Iesus, & Deitas superueniens fecit eū
purpuram. Non ita dicimus: sed antequam Spiritus san-
ctus veniret super Mariam, & virtus altissimi obumbra-
ret, & hoc conciperet quod sanctum vocaretur filius
Dei; ante hoc, inquam, ipse vterus Mariæ, quamuis mū-
dus esset à peccato, & sāctus, tamē vtilitate humanitatis
erat vt lana optima, & incōparabilis vniuersis quæ erant
sub cœlo virginibus. Eratque talis ac tanta quæ sanctus
deceret & in se Deitatē filij Dei, sicut conchylij san-
guinem susciperet, & ipsa lana esse cessaret, sed vera pur-
pura per sanguinem fieret memoratum. Non enim lana
vilis, sed pretiosa huius est sanguinis capax, quod si san-
guis

guis hic lanam tanta maiestate sublimauit per suam admixtionem, vt nulli hac liceat vti, nisi huic qui regia fuerit præditus dignitate: quanto magis quando Spiritus sanctus venit in Mariam, & virtus altissimi obumbrauit eam, hoc quod natum ex ea de semine Dauid secundum carnem sanctum fecit filium Dei, vt sic esset Maria Christotocos, sicut Theotocos, quia ante Mariam fuerunt aliæ Christotocæ sed non virgines nec Spiritu sancto & virtute altissimi obumbratæ. Hæc autem & Christotocos, & sola Theotocos, & sola virgo, & Spiritu sancto, & virtute altissimi concipiens. Quid enim ratione humanæ consuetudinis inuestigandum est, quod diuinæ potestatis miraculo factum esse probatur. Virgo cōcepit, virgo peperit, virgo permansit, paterna maiestate obumbrante, Spiritu sancto vterum imprægnante Deum concepit, & Dei filium peperit. Archangelus verbum auribus infudit, Deus se membris immiscuit humanis: fides accepit quem castitas genuit, maledictio antiqua noua benedictione deleta est: nam Euæ dictum est, in dolore paries & tristitia, & ad virum erit conuersio tua, & ipse dominabitur tui, tribus his malis multata est prima mater humani generis, dolore, tristitia, seruitute. Tribus è contrario clarissimis bonis beata virgo Maria honorata est, id est, salutationis Angelicæ, benedictionis diuinæ, & plenitudinis gratiæ. Nam primus homo de terra virgine sanctæ Trinitatis consilio formatus est, dicente Domino: Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram: secundus vero Adam, id est, Christus, de terra virginalis vteri, operatione eiusdem sanctæ Trinitatis creatus est: non solum homo per omnia verus, sed etiam Deus per omnia perfectus, & ad resoluendum conditionis nostræ debitum natura inuiolabilis naturæ est vnita passibili, vt quod nostris remediis cōgruebat, vnus atque idem mediator Dei & hominum homo Christus Iesus & mori possit ex vno, & mori non possit ex altero. In integra ergo veri hominis perfectaque natura verus natus est Deus totus in suis, totus in nostris. Nostra autem dicimus quæ in nobis ab initio creator condidit atque reparanda suscepit. Nam illa quæ deceptor intulit, & homo deceptus admisit, nullum habuerunt in Saluatore vestigium. Adsumpsit formam serui sine sorde peccati, humana augens, diuina non minuens, vnus idemque est in duarum cōiunctione naturarum Dei filius non adoptionis gratia, sed proprietatis persona, vnus vnigenitus & primogenitus, non alter vnigenitus, & alter primogenitus, vnde vnigenitum filium Dei crucifixum & sepultum omnes etiam in symbolo confitemur, secundum illud Apostoli testimonium: Si enim cognouissent, nūquam Dominum gloriæ maiestatis crucifixissent. Ergo & Dominus gloriæ & Deus virtutum habuit in se ipso vnde crucifigi potuit & mori. Non alter crucifixus est pro mundi salute, alter qui vita est omnium viuentium, sed vnus idemque non adoptione diuisus, sed proprietate coniunctus verbum caro factum est, vt homo caro promoueretur in gloriam Dei, non vt Deus in carnis verteretur initiam, sicut dicit Apostolus: Qui se iungit Domino, vnus spiritus est, & quomodo quando se iunxit Deus homini vnus Deus non est? Dicit enim sanctus Augustinus in quadam homilia de natali Domini: filius suscepit carnem, & non deseruit patrem, nec se diuisit à patre, suscepit, inquam filius cat-

A an proprietatem? sed tamen & pater & Spiritus sanctus non defuit in maiestate, diuinitate, æqualitate in carne sola filij proprietas. Qua fronte adoptionem in carne Christi credius, in qua etiam tantus doctor, & tam probabilis vniuersis vbique fidelibus procul dubio proprietatem: filij adseruit esse, proprietas & adoptio vnum esse non poterit? Quæcunque vero in virginis partu & natiuitate Christi gesta esse Euangelica narrat historia, omnia diuinæ potentiæ miraculis, & ininuestigabili humanis mentibus dispensatione gesta esse procul dubio credenda sunt. Nam virgo clausis visceribus concepit, &

Forte proprietatem.

B peperit, & qui natus est ex ea Dei est filius verus & perfectus: vnus ex vnius carne: Et qui Deus ex Deo, idem homo ex homine procedens tanquam sponsus de thalamo, geminæ gigas substantiæ, totus proprius Dei patris filius, & totus proprius virginis matris filius inseparabilis in personæ vnitate vel filij proprietate vnus & in potestate habens in se vnde æternaliter viueret, & vnde temporaliter moreretur. Cuius potentia condidit nos, dum non fuimus: cuius bonitas redemit nos dum perditi fuimus: cuius laus salus est nostra: dicente eo ipso per Prophetā: Sacrificium laudis honorificabit me: illic iter est quo o-

C stendam illi salutare Dei. Hunc versiculum qui fideliter legat, veraciter intelligat omni homini melius esse laudare bonitatem illius, quam discutere potentiam eius: humiliter obedire præceptis illius, quam pertinaciter scrutari mysteria illius: & amabiliter venerari illum, quā præsumptiose ratiocinari de illo. In cuius comparatione dicente Propheta, omnes gentes sunt quasi stillæ situlæ, qui magnus & metuendus est super omnes qui in circuitu eius sunt: Si autem Angelicis ordinibus & spiritibus iustorum magnus est & metuendus, quid nos luteas habitantes domos de fide illius, magnitudinē vel poten-

D tia iudicare vel discernere præsumimus? Dum voluit, fecit mundum: & sicut voluit, venit in mundum. Qui dicente Euangelista, in mundo erat, & mundus per ipsum factus est, & mundus eum non cognouit: in propria venit & sui eum non receperunt: quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri: Qui aliis tradidit potestatem filios Dei esse, quomodo potest fieri vt potestatem non haberet se ipsum filium Dei propriū facere: vel quomodo quamuis in duabus naturis diuinitatis scilicet & humanitatis proprius potuit esse filius hominis, & non potuit totus in duabus naturis proprius esse filius Dei. Ergo si ille qui natus est ex virgine, totus

E est proprius virginis filius: æquum est vt credamus eundem esse Dei patris proprium filium. Naturarum enim conditori nulla natura resistit, vt ex ea facere non possit quod velit, qui omnia ex nihilo creare potuit dum voluit. Ex creatis igitur multo magis perficere poterat, quicquid illius omnipotentiæ placuit; humana quippe ratio inuestigare non poterit quomodo qui fecit omnia factus est inter omnia. De quo multa dici possunt & est in aliquo talis sanctitas vitæ, & sancti Spiritus gratia, vt aliquid de eo digne dicere valeat. Sed hic paululum respiremus quatenus tuis sermonibus, quos tu vel in sanctæ Ecclesiæ aduersitatem, vel etiam in nostri nominis suggillationem multiplicare studes, acutiore stylo, gratia diuina nos adiuuante, respondere valeamus.

EXPLICIT LIBER SEXTVS.

PAVLINI AQVILEIENSIS CONTRA FELICEM.

LIBER SEPTIMVS.



LEGITVR beatum Hieronymum fortissimum contra hæreticas prauitates Ecclesiæ Christi Athletam dixisse: omni studio se intendere, vt hostes Christi illius essent & hostes. Quod etiam pro summa laude non solum ille, verum etiam omnes Catholicæ fidei defensores sibi à Deo datum munus reputabant. Vnde & ego tantillus Ecclesiæ Christi vernaculis improperia mei nominis patienter suffero, quia meæ paruitatis modulo multum est delectabile, & gaudium plenum communes habere hostes cum Domino meo Iesu Christo, quem diligere summa est sapientia, laudare perfecta est beatitudo, nosse vero vita æterna: sicut econtrario non amasse profundissima est stultitia, eius autem gloriæ aliquid subtrahere velle vltima est miseria: & illũ ignorare mortis est perpetuæ periculum. Obiicis ergo me dixisse, & verum fateor obiicis quod Iesus Christus verus sit Deus, & verus Dei filius quia hoc iam dixi, & adhuc dicam. Non solũ ego, verum etiam omnis sancta Dei Ecclesia cum Apostolis & omnibus Catholicis doctoribus in tota orthodoxæ fidei celebratione dicit, credit, & prædicat fiducialiter. Nec tibi sufficit semel dicere huiuscemodi verba; si enim, inquis idem redẽptor noster in forma serui vt vos vultis verus est filius Dei, hoc ipsumque iterum atq; iterum repetis, vt perspicuere hoc nolle intelligatur quod nos velle reprehendis: si ergo ille homo qui ex diuina sancti Spiritus operatione, & gloriosa beatæ virginis castitate conceptus est & natus, non est verus, vt tu asseris filius Dei, nec verus Deus, quid superest nisi vt illa beata virgo nequaquam sit vera Dei genitrix sed nuncupatiua: quia si ille qui ex ea natus est, nuncupatiuus est Deus, etiam & illa quæ genuit nuncupatiua est non vera Dei genitrix. Et hoc quã impium sit dicere totius mundi latitudine in qua Christus regnat & colitur, manifestissime comprobatur. Nam & hoc ipsum beato Cyrillo Alexandrino Episcopo ab hæreticis obiiciebatur, scilicet beatam virginem non esse Dei genitricem sed appellari: sicuti & vos modo soletis dicere Iesum Christũ non esse verum Dominum & filium Dei, sed appellari quasi nũcupatiuum. Ita enim quidam Nestorianus contra Catholicam fidem disputãs dixit: qui ante secula est, Deus est, sed templum sibi in vtero virginali fingenserat cum concepta & formata: qua gratia & sanctam illam virginem Dei genitricẽ appellamus: Non tanquam Deum generat, sed tãquam hominem vnitum Deo qui finxit eum. Quid autẽ aliud est quod & tu dicis Dei verbum habitasse in homine adsumpto quasi in templo quodam non sicut Euangelista ait: verbum caro factum est: secundũ, inquis, Domini mandatum gestabat diuinitatem, & habitator est templi sui: sed longe aliud est Deum habitasse in sanctis: aliud vero ipsum Deum hominem factum atque ex duabus substantiis vnam personam Deum & hominem esse. Non enim, vt ait beatus Cyrillus, sicut viri sanctificati & verbo coniũcti: communẽ carnem Christi percipimus, aut sicut diuinam possidentis habitationẽ, sed vt vere viuificatricem, & ipsius verbi propriam factam vitæ naturaliter & Deus existat. Et alibi: sed nec illud dicimus quod Dei verbũ velut in homine cõmuni qui de sancta virgine natus est, habitarit, ne Deum homo Christus habitatorem possidere credatur. Quamuis enim verbũ habitaret in nobis, & dictum sit, in Christo habitare omnẽ plenitudinem deitatis corporaliter: tamen intelligimus eum quod caro factus est, nõ sicut in sanctis habitare dicitur: nec talẽ in ipso habitationem factam diffinire tentamus: sed vnius iuxta naturam nec in carne mutatus talẽ sibi fecit habitationem qualem anima hominis habere creditur in proprio corpore: vnus igitur est Christus filius Dominus noster, non velut coniunctione qualiber, & vnitate dignitatis & auctoritate hominis habẽtis ad Deum, quem tu soles coniunctum Deo siue adoptatum vocitare, diuinitatem quoque gestare. Et nescio quo insolito verbo vsus, diuinitatem lineare dicis. Lineare enim vulgo dicitur de pingendis vel sculpendis imaginibus, vel cuiusque operis figuris exprimendis. sed hoc quid ad filium Dei diuinitatem vel humanitatem pertineat non intelligo. Quod vero vt prædiximus gestare eũ diuinitatem dicis, audi quid pro hoc mercedis accipias a sanctis & Catholicis viris, qui contra hanc hæresim tuã multa disputare solebant. Si quis, inquiũt, præsumit dicere Deiforum hominem Christum & non potius Deum vere esse, sicut filium vnum naturæ, secundum quod factum est verbum caro, & communicauit proxime nobis sanguine & carne; Anathema sit: hæc n. est hic in præsenti merces laboris tui. Qualis autem futura sit ab eodem ipso, quem in tantum humiliare niteris, vt omnem ei veritatẽ filietatis & potestatem deitatis adimere conaris, tu ipse probabis, quando ante tribunal eius iudicandus adstabis. Subiungunt quoque præfati patres de eadem re dicentes, non sicut in nobis inhabitat Deus, sic & in Christo. Deus enim erat ipse naturaliter apparens secundum nos vnusque & solus filius, & quando factus est caro. Quid igitur præsumunt dicere Deiforum hominem eum esse, & non potius inhumanatum Deum. necessario subcumbunt Anathemati. Miror vero quare introducere nouum nũcupationis in Christo nomen non timeas, cum hoc ipsum antecessores tui hæretici vsurpantes, ab Ecclesiæ fuissent communione diuisi. Ait namque idem beatus Cyrillus: Caueamus ergo de Christo dicere propter adsumentum veneror adsumptum, & propter inuisibilẽ adoro visibilem. Horrendum vero super hoc etiã illud adiicitis; qui susceptus est cum eo qui suscepit connuncupatur Deus. Qui enim hæc dicit, diuidit duos Christos, eum qui vnus est, hominem seorsum in partẽ, & Deum similiter in partem constituens. Euidẽter enim diuidit vnitatem. Non ergo alter cum altero coadoratur aut connuncupatur Deus? sed vnus intelligitur Christus Iesus filius Dei vnigenitus vna seruitute cum propria carne venerandus; vbi enim est nuda nuncupatio, ibi solidæ veritatis denegatio est, sed reuera incarnatum dicimus vnigenitum filium Dei secreto illo mysterio quod ipse solus nouit. Nostrum namque est credere, illius nosse. Quod tu omnino oblitus conaris illud ratione inuestigare, quod fide venerari debuisses; credere enim tuum esset, quod Deus Dei verbum totum suscipiens quod hominis est, verus homo factus sit & adsumpta humanitas totum accipiens quod Dei est, aliud quam Deus esse non possit. Mihi quoque obiicis non recte intellexisse de qua natura beatus Gregorius dixisset cum ait: aliud est homines natos gratiam adoptionis accipere, aliud vnum singulariter per diuinitatis potentiam Deum ex ipso conceptu prodiisse. & gratias agis, quod tu eandem sententiam melius intellexisses eamque de diuinitate non de humanitate dictam esse adfirmas, sed quis sit qui per potentiam diuinitatis Deus conceptus sit agnosce. Nam de diuina filij Dei diuinitate dici quomodo potest quod ex conceptu prodisset. Deus enim filium suum

suum vnigenitum gennit, non est alterius conceptu cu- iuslibet. atque eundem virgo sacra de Spiritu sancto cō- cepit, de qua ipse filius Dei quasi sponsus de thalamo processit. Aut quæ natura per potentiam Dei facta est; quod est? An illa per quam omnia facta sunt? aut illa, quæ nouissimis temporibus ex virgine facta concipitur? Expositorem te alienorum dictorum iactitas, cum vix vnquam tua recte proferre potueris. Me quoque arguis qui vbi recte arguendus sum emendari non refugio, sed potius desidero & multum opto: sed sunt plerique qui dum alios reprehendere cupiunt omnino magis suam imperitiam ostendunt, quæ forte occulta fuisset si tacuissent: sicut scriptum est: stultus si tacuerit, sapiens reputabitur. Grandis est enim stultitia velle te proferre testimonium quod per omnia contra temetipsum esse manifestum est: Tribus namque modis testimonia in tuis scriptis inueniuntur prolata, quorum quædam nec tibi nocere nec fauere videntur, nec omnino ad rem præsentis disputationis pertinent. Quod certissimæ ignorantiæ indicium est. Quædam vero sic à te ponuntur, vt tamen nobiscum agant, & tibi repugnare aperta veritate probantur. Quod vt prædiximus stultitiæ non minimæ res est, te arma aduersario ministrare. Quædā autem ita protulisti, vt tamen nisi corrūperes, te nullo modo adiuuare viderentur, quod omnino maleuolæ conscientiæ vitium esse dignoscitur, in quorū primo, vt diximus, te ignorantem, in altero indoctum, in tertio vero maleuolum ostēdisti. Mirandum ergo est, vel magis dolendum, cur audeas sanctorum patrum lucidissima testimonia corrumpere, immutare & in alium transferre sensum quam illi qui scripserunt, posuerūt, sicut paulo ante te fecisse probauimus, & in multis tuarum litterarum locis inueniri potest. De sancto namque Athanasio testimonium posuisti, quod tuam sectam maxime destruit: & dum forte intelligeres quædam in eius testimoniis verba tuis sensibus contraria esse, omisisti in medio quæ ait, ne contra te ipsum dicere videreris. Ponamus itaque plenam illius sententiam, vt agnoscatur quāta malitia abstulisti quod firmissime contra te esse positum intelligitur: quomodo autem, inquit ambigere audent, qui dicuntur Christiani si qui ex Maria processit Deus, filius quidem natura & substantia Dei est: secundum carnem autem ex semine Dauid est; ex carne autem sanctæ Mariæ, hoc autē quod sequitur tacuisti, quod tuæ firmissime contradicit sectæ: quid autem putas (ait) temerarij facti sunt, vt dicerent Christum qui carne passus est & crucifixus, non esse Dominum Saluatorem & Deum & filium patris? Aut quomodo Christum volunt nominari qui dicunt in hominem factum sumentem ex Maria corpus, sed alterum esse Christum, & alterū Dei verbum quod ante Mariam, & ante sæcula filius existebat patris. Aut quomodo esse Christiani possunt qui dicunt alium esse filium, aliū Dei verbum. Hæc tacuisti, & sequentia eiusdem sentētiæ adsumpsisti tibi in auxilium, quæ & ipsa valide tibi esse cōtraria intelliguntur. Ponis eiusdem patris Athanasij verba dicētis nō per adoptionem hæc facta sunt? absit, sicut quidam existimauerunt, sed sicut est veritas, homine facto saluatore totius humani generis salus facta est, si enim adoptione erat in corpore verbum secundum illos, quod autem adoptione dicitur fantasia est, reperitur & putatiue salus: vides ne quam fortissimo ariete falsitatis tuæ murum iste probatissimū Catholicæ fidei miles destruit. Ait autē itaque, quid autem putas temerarij facti sunt vt dicerent Christum qui carne passus est & crucifixus non esse Dominum Saluatorem & Deum & filium patris. Ecce perspicue temerarios eos esse reputat, qui negant Dominū & Saluatorem & Deum & filiū patris esse illum qui crucifixus est, nec illos Christianos æstimat qui huic fidei contradicunt. Et verissime affirmat omnia quæ in Christo gesta sunt sine adoptione facta esse, quia adoptionem dicit fantasiam esse & non veritatem, quam vero impium est alicui qui se Christianum nominat credere per fantasiam Christum esse filium Dei. In

A Christi itaque humanitate, iste veracissimus doctor fidei Catholicæ hæc facta esse dixit, quia nihil in æterna generatione verbi Dei factum esse fas est dicere vel credere, qui omnino æternaliter genitus est ex patre non temporaliter factus. Quale vsquā testimonium cōtra te ipsum verius & fortius inuenire potuisti, quam quod iste sāctissimus & veracissimus Ecclesiasticæ fidei doctor adstruit, qui omnia quæ in Christi conceptione, natiuitate, passione, & resurrectione per veritatem firmissime, & non per adoptionem, quia adoptionem fantasiam dicit, facta adfirmet. Ponis quoque verba sancti Augustini de homilia in Ioannem vbi ait: pater diligit filium; quomodo pater filium, non quomodo Dominus seruum; quomodo vnicum, non quomodo adoptiuum: sed his B verbis sancti Augustini tui sensus verba addidisti dicēs: & hoc si de vtraque natura similiter dictum fuisse putet, doceat prius si valet quomodo filius Dei in forma serui seruus patris non sit, sicut in diuinitate non seruus, sed filius, neque adoptiuus filius, sed proprius veraciter creditur, & prædicatur. Nos autem Dei patris sanctissima voce edocti dicimus, in vtraque natura vere vnum filiū Dei esse Iesum Christum, eundemque Deo patri totum dilectum non (vt tu reris) ex parte vt filium, ex parte vero vt seruum, quod omnino ridiculosum est dici: sed totum dicimus quasi proprium & vnicum diligi à patre filium, super quem (rogo) vox facta est in baptismo, vel in monte sancto: hic est filius meus dilectus? an super diuinitatem tantum, & non super humanitatem? Quod impium est credere, & præsumptuosum est dicere patrem C non diligere filium in suscepta humanitatis natura: qui sic vnitus est: constat ex duabus substantiis, vt sit vnus vnigenitus non duo filij, vnus vnigenitus & alter adoptiuus. Ideo enim in Euangelio dictum est: (quo tu testimonio sæpius vteris) Et vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti à patre, plenum gratiæ & veritatis: Et dicis gratiam ad humanitatem pertinere, veritatem vero ad diuinitatem. Tamen idem Euangelista vnum, vnigenitum eum nominauit, in quo est secundum intelligentiam tuam gratia & veritas: id est duarum naturarum, (vt nos confitemur & credimus) mirabilis adunatio in vnam personam, & in vnam filij Dei dilectionem. Alteram quoque Euangelicam sententiam posuisti, cum expositione beati Augustini dicens: & dilexisti, inquit, eos, D sicut & me dilexisti. In filio quippe nos pater diligit, quia in ipso nos elegit ante constitutionem mundi. Qui enim diligit vnigenitum, profecto diligit & membra eius quæ adoptauit in eum & per eum: Et tacuisti sequentia eiusdem expositionis vbi ait idem doctor: Nec ideo pares sumus vnigenito filio per quem creati & recreati sumus, quia dictum est, dilexisti eos sicut & me dilexisti, vnigenitum dicit per quem creati sumus & recreati: vnū vnigenitū non duos vnigenitos creatorē & recreatorē, si est vnigenitus nō potest esse adoptiuus: quod nihil aliud est dicere, quam dilexisti eos quoniā & me dilexisti, non enim membra filij non diligeret, qui diligit filium. Aut alia causa est diligendi membra eius nisi quia diligit eū: sed diligit filium secundum diuinitatem, quia illum æqualem sibi genuit. Diligit eum etiam secūdum id quod E homo est, quia ipsum vnigenitum verbum caro factum est, & propter verbum est ei chara verbi caro. Nos autem diligit quoniam sumus eius membra: propter hoc nos dilexit antequam essemus. Quapropter incomprehensibilis est dilectio qua diligit Deus, neque mutabilis. Aliquid vero singularius intelligendum est in dilectione filij sui, quam nostri sensus paupertas intelligere possit. Vnde & idem præfatus doctor in alio loco eiusdem operis, quandam proprietatem dilectionis in filium Dei secundum quod homo factus est, esse designauit. Ait itaque idem, hunc enim Deus pater signauit, signare quid est, nisi proprium aliquid ponere, hoc est enim signare imponere aliquid quo non confundatur cum cæteris, signare est signum ei ponere: cuicumque rei ponis signū, ideo ponis signum ne confusa cum aliis à te non possit

agnosci. Pater ergo signauit eum, proprium illi quiddam dedit, ne cæteris comparetur hominibus. Ideo ergo illi dictum est: Vnxit te Deus Deus tuus oleo exultationis præ participibus tuis. Ergo signare quid, nisi exceptum habere (hoc est) præ participibus tuis. Itaque nolite (inquit) me contemnere, quia filius hominis sum & quærite à me cibum non qui perit, sed qui permanet in vitam æternam.

Ponis quoque sententiam de libris beati Ambrosij, quos de fide Christiana composuit: Emergunt, inquit, alij qui carnem Domini dicant, & diuinitatem vnius naturæ quæ tantum sacrilegium inferna vomuerunt; hoc nescio quare dixisti: Quis Catholicus vnam naturam diuinitatis & carnis esse credit? sed quare tacuisti eiusdem sententiæ initium vbi idem doctor ait. De nullo Prophetarum, dictum est. quia verbum caro factum est: nullus Prophetarum abstulit peccata mundi. De nullo alio dictum est, hic est filius meus dilectus in quo mihi bene complacui. De nullo Prophetarum legimus, quod sit Dominus maiestatis quod de Christo Apostolus dixit, quem Iudæi crucifixerunt: vnde & idem doctor in eodē opere de diuisione inter Christum, Moysem & Heliam, qui in monte cum eo apparuerunt verba ponens ita ait: Petrus in mōte Moysem & Heliam vidit cum filio Dei: nec errauit in natura, nec errauit in gloria. Denique quid facere deberet nō illos sed Christum interrogauit. Nam & si tribus parabat obsequium, vnius tamen expectabat imperium: sed quoniam vel tabernaculorum numero deferendum tribus simpliciter æstimauit. Emendatur Dei patris auctoritate dicentis: Hic est filius meus dilectus, ipsum audite, id est: quid conseruos tuos cum Domino tuo socias? Hic est filius meus: non Moyses filius: sed hic filius: sensit emendationem Apostolus: Procidit in faciem consternatus patri suo omissa filij claritate: sed eleuatus à filio, qui iacētes erigere consueuit vnum vidit, solum vidit Dei filium: recesserunt enim seruuli, vt solus Dominus, qui solus designabatur filius, videretur. Igitur dum plurima sanctorum patrum testimonia percurrendo producis in medium, in quibus nihil tuis partibus fauere veraciter inuenitur, sed nonnulla etiam palam tibi contraria esse, vt probauimus manifestissime quæ certissime veritatem Catholicæ fidei adfirmare intelliguntur, repente peruenisti ad Zachariam Prophetam cui Iesus sacerdos in sordidis vestimentis ostensus est ab Angelo. Quam visionem vel Prophetiam beatum Hieronymum aliter exponere adseris, aliter nos in tractatu eius in eundem Prophetam scriptum legimus.

Dicis enim eundem sacræ historiæ interpretem hæc exponere verba: Et Iesus erat indutus vestimentis sordidis, vtique ex transgressione de carne peccati sordidum quam induere dignatus est: vnde & pannis inuolutus & scissuras humani generis, dum in se illa suscepit, inspicitur: donec radio crucis, innocentiæ tunica texeretur.

Nonne, inquit, hic titio extractus ab igne est? Titio extractus ab igne semi vstulatus, non percombustus esse ostenditur.

Corpus enim illud humani generis quod ex protoplastorum transgressione & criminum flamma fuerat adustum, hoc induit Dominus, & quasi titionem semi vstulatum à gehennæ incendio liberauit. In quo vero libro, vel in quo opere hæc dixisset beatus Hieronymus, nos non inuenimus: igitur in tractatu eiusdem Prophetæ, quem ille doctor egregius vel ex Hebraica veritate, vel ex Catholica sanctorū patrum interpretatione composuit, vt diximus, nullatenus iste sensus inuenitur. Dicis vtique ex transgressione de carne peccati sordidam, quā induere dignatus est. Iesus vero æternus sacerdos secundum ordinem Melchisedech non habuit carnem peccatricem, quia nulla transgressio in carne illius fuit, sed similitudo carnis peccati: nec vlla adustura peccati in corpore illius apparuit, sed vt lana illa, & munda absque omni tinctura peccati, & gemma lucidissima omnique mūdo pretiosior sanctissimum corpus Christi absque omni

A sorde transgressionis perlucidum fulserat, huius vero visionis intelligentiam in tractatu præfati operis idem doctor eximius dupliciter explanauit: Iuxta Hebraicam opinionem de Iesu filio Iosedech sacerdote magno ita intelligi debere adseruit, vt sordida vestimenta habuisset idem sacerdos Dei propter alienigenam quam duxit vxorem, vel propter peccata populi, vel ob squalorem captiuitatis, vnde nuper erutus est quasi totus semi vstulatus: Atque ideo Satanam stare à dextris eius, quia veram accusationem habuit contra eum. Nam diabolus nunquam à dextris Dei nostri Iesu stetit: quia nunquam verā accusationem inuenit in illo: sed in omni certamine victus quasi fugax latro, & timidus bellator recessit ab eo, vel quomodo conuenit de Deo Iesu vt dicat ei B Angelus: Ecce abstuli à te iniquitatem tuam, qui nullam habuit iniquitatem, nec vllus Angelus fortior illo fuit, vt eum mundare à peccato debuisset dum Iesus noster magni consilij Angelus missus sit à paterna sede totius mundi purgare peccata.

Ponit quoque non confirmando, sed ostendendo idem præfatus doctor quorundam opiniones, quomodo hæc de Christo intelligi velint: & de torre eruto dicit quod Iesus in Babylonia igne consumptum, id est, peccatorum ingredine non vstulatum, nec flamma huius sæculi adtactum, id est nulla flamma vitiorum vel saltem adtactum, sed ab omni peccatorum sorde immunem, sicut aurum igne probatum splendescere, sed melius huius Prophetiæ sententiam de Christo aiunt in-C telligi posse, vbi dictum est: Audi Iesus sacerdos magne, tu & amici tui qui habitant coram te, quia viri portendentes sunt: Ecce enim ego adducam seruum meum Orientem, quia ecce lapis quem dedi coram Iesu septem oculi sunt Iesu & amicis eius, qui sunt viri portendentes, id est Prophetis & sacerdotio Iudæorum promissus est, ille de quo scriptum est. Ecce vir oriens nomen eius: & in Euangelio: In quibus visitauit nos oriens ex alto: & lapis angularis qui sine manibus de monte præcisus contriuit vniuersa mundi regna, super quem lapidem septem oculi sunt, id est, septem dona sancti Spiritus quæ in Isaia leguntur super florem requiescere, qui de virga radicis Iesse germinauit. Ex cuius persona in Cantico Canticorum dictum legitur: Ego flos campi, & lilium conuallium.

D De quo etiam lapide mox subiungitur: Cælabo sculpturam eius, dicit Dominus exercituum, & auferam iniquitatem terræ illius in die vna. Istum vero lapidem qui dictus est coram Iesu clauis crucis, & lancea militis faciam vulnerari, & in illius passione auferam iniquitatem terræ illius in die vna: de qua scriptum est: Hæc est dies quam fecit Dominus, exultemus & lætemur in ea. Idcirco plenius huius Prophetiæ sensum, exposuimus vt intelligatur quam longe aliter beatus Hieronymus in tractatu huius Prophetiæ huius visionis sensum vel intelligentiam exposuisset.

Ponis quoque sermones beati Ambros. sed perturbans vnius pronominis adiectione sensum illius sententiæ: Ait enim doctor ille egregius: Contra autem sancto E Patriarchæ Dauid secundum gloriam suam Dominus est: secundum corporalis successionis seriem filius est, non deficiens à se, sed nostræ ius sibi adoptionis adquirens. Tu vero immutasti sermones, vbi ille ait, successionis, tu posuisti, susceptionis; & vbi ait: nostræ ius sibi adoptionis adquirens quod omni sensu caret, hanc eandem sententiam bis posuisti in libello tuo; gaudens (vt reor) in adoptionis nomine: quod omnino de nobis in hoc loco positum est, non de Christo qui nostræ adoptionis ius, id est, potestatem adquirere dicitur: & nescio vtrum mala voluntate, more tibi consueto immutasti sermones illius, vel etiam imperitia: si mala voluntate sanctorum patrum purissimos sensus immutare tentas, cur non times scripturam dicentem: Os quod mentitur occidit animam? si vero imperitia: miror cur non erubescas insipientiam tuam: quia dum

sapiens

sapiens vis videri, stultus appares. Nam iuxta Salomonem, sapiens potuisses putari, si tacuisses. Adsumis etiam & beatissimi Leonis Papæ testimonium tuæ sectæ in adiutorium, quod perspicuè tuis sensibus valde contrariũ esse dignoscitur, vbi ait: Qui enim verus est Deus, verus est homo, & nullum est in hac vnitate mendaciũ, dum in inuicem sunt, & humilitas hominis & altitudo deitatis. Tu itaque hanc veritatem diuidis in duos filios, vnum proprium & alterum adoptiuum: Nam altitudo diuinitatis ad humilitatem descendit humanitatis, & humilitas humanitatis ad altitudinem ascendit diuinitatis, non versibilitate naturæ, sed dignatione honoris. Item ponis testimonium de libro beati Augustini, quem Enchyridion ipse nominauit: de quo etiam libro olim in quadam Epistola tua multum peruerse maculasti eiusdem sancti patris verba, immutans ea quæ numquam ille dixit: sic & in isto testimonio dicis quæ ille nullatenus dixit, nec aliquo rationali sensu conueniunt: vbi anim ille ait: quia homo ille nullis præcedentibus meritis in ipso exordio naturæ suæ quo esse cœpit Deo verbo copularetur in tantam personæ vnitatem, vt idem ipse esset Dei filius, qui filius hominis: & filius hominis qui filius Dei, tu dicis quia nullis præcedentibus maris: Quid autem vis significare per mares? nisi forte maritos: Quod autem omnino secundum regulas Latinæ eloquentiæ stare non potest, si ad mares pertinere voluisti, maribus, debuisses dicere non maris, sed singularis tuæ peritiæ eloquentia talibus solet vti verbis, quæ nec regulis recte loquendi vllo modo conueniunt, nec sensu Catholicæ fidei adstipulantur. Timuisti forte dicere absque vllis præcedentibus meritis: quia mox in sequentibus eruditionis tuæ sensibus inuenitur te dixisse: quæ ille (inquis) de humanitate filij Dei in qua natus homo per adoptionis gratiam meruit esse quod est, & accipere quod habet. Tu dicis cum antecessoribus tuis Pelagio & Nestorio, Christum meruisse vt esset quod est. Cum sanctus Augustinus & omnes Catholici doctores nullis præcedentibus meritis in ipso humanitatis Christi exordio eundem Deum esse conceptum & natum testantur: & quomodo tu diuersos filios esse in Christo propter duas naturas adseris, dum iste sanctissimus doctor in hoc testimonio, quem tu ipse posuisti eundem dicit esse Dei filium, quem filius hominis. & filium hominis, quem filius Dei, si idem est filius hominis, qui filius Dei, vna est protsus veritas, & vnum nomen filij in Christo: quia vnitas personæ dualitatem filiationis respuit in Christo, nec adoptio locum inuenit, vbi proprietas præcessit; nec diuinitas humanis tenetur præiudiciis cum omnia secundum propriam voluntatis potentiam operatur quæ vult in cælo & in terra, qui ait: Pater meus vsque modo operatur, & ego operor. Quid vero præsumptuosa mente, & stulta temeritate altiora te rimari non metuis? & te medium inter diuinitatem & humanitatem Dei filij immittere tentas humanaque ratiocinatione diuinæ bonitatis ineffabile sacramentum scrutari niteris? Nec tuæ sententiæ modum imponere nosti qui nec teipsum discernere poteris: vel quomodo anima tua tenerrimis in materno vtero tuæ coagulationis primordiis immitteretur exprimere sufficis, sine te enim Dei filius fecit quod voluit: sciebat namque Dei sapientia sine sui imminutione se infundere humanæ naturæ, & ineffabili vnitate fieri ex tempore filius hominis, qui semper fuit ante omnia tempora filius Dei, per quem facta sunt tempora, sed tu carnali cogitatione plenus potentiam Dei proprium posse habere filium non putas, nisi tale aliquid patiatur, qualia substantia patitur carnis quando gignit carnem, hoc enim insipientiæ quorumdam incredibile videtur dum omnia recte sapientibus Deo possibilia esse creduntur, ipsa veritate dicente, hoc autem apud homines impossibile est: Apud Deum autem omnia possibilia sunt: & hoc ergo possibile Deo esse dignoscitur, vt proprium ex virgine filium habere potuisset: fecit enim idem filius Dei sibi tempus in quo fieret homo, adsumpsit de matre vnde mori potuisset qui immortalis mansit in æternum, vnus tamen atque idem immortalis, impassibilis & passibilis, non alter & alter: & qui est vita viuificans spontanea voluntate dum voluit, moritur: sicut in lib. Exodi Dominus locutus est per Moysen: & videbitis vitam vestrã pendentem in ligno, & non credetis vitæ vestræ.

Deum autem Christum esse vitam ipsius testimonio in Euangelio dicentis disce: Ego sum via, veritas & vita. Vnde & in actibus Apostolorum beatus Petrus populo prædicans ait: Vos autem virum homicidam petistis dimitti vobis, auctorem vero vitæ peremistis. De quo & beatus Cyprianus ait: Iudicatur iudicaturus & Dei sermo ad victimam tacens ducitur. Gregorius quoq; Nazianzenus: Indiguimus (ait) Deum incarnatum & mortificatum, vt nos viuamus: Res enim vetus erat, vt homo moreretur: Quod ne semper auderet in homine, res noua facta est vt Deus moreretur, sed quia carne mortuus est non diuinitate.

Nec vero vllatenus confudimus naturas in Christo, sicut tu adseris nos fecisse: sed salua vtriusq; naturæ proprietate, diuinæ scilicet & humanæ, vnum confitemur Deum Dei filium Iesum Christum Dominum nostrum in duabus naturis, vna vero persona & vna filij dignitate: sicut enim anima compatitur corporis doloribus, quamuis anima immortalis permaneat: tamen corpus sine animæ compassione non patitur: quia anima & corpus vnus est homo, & cõmunes sunt animæ & corporis vel dolentis vel lætantis affectus: quia vnus homo est, qui simul dolet vel gaudet. Ita Dei filius sua propria carne passus est, non alter in corpore passibilis, & alter in diuinitate impassibilis, sed vnus in vtroque.

Nec iterum Christum diuidimus in duos filios vel duos deos, vel duas cum Nestorio personas: Qui licet duas palam non dixisset personas, tamen omnia quæ duabus inesse necesse est personis in sua professione fatetur, simili modo & tu, licet fugias verba duarum personarum, tamen omnia quæ necesse est duabus inesse personis te in tuis litteris inuenimus profiteri. Quis enim nesciat apud vnum patrem alteram esse personam adoptiui filij, alteram proprij filij? Nec enim vllus pater iuxta humanæ consuetudinis rationem poterat proprium filium sibi adoptare quasi alienum: aut quem adoptat sibi in filium, poterit sibi proprium facere quem paternitas alterius sibi fecit alienum; quia adoptio ex alieno quolibet efficitur.

Proprius vero filius in veritate proprietatis permanet, vnus est Deus pater, & vnum habet filium Dominum nostrum Iesum Christum. In vtraque autem substantia & diuinitatis & humanitatis vnus atque idem est Dei filius Dominus noster Iesus Christus, vt Deus verus, ita etiam homo verus, attestante Apostolo atque dicente: Ex quibus Christus secundum carnem qui est super omnia Deus benedictus in sæcula. Et alibi: Vnus enim Deus, vnus est mediator Dei & hominum homo Christus Iesus.

Vnum ergo atque eundem Dominum nostrum Iesum Christum cum ex aliis, tamen ex his Apostolicis sententiis, & Deum verum & hominem comprobamus, qui cum æqualem impassibilitatem & immortalitatem cum patre possideat, propter nostram tamen salutem passibilem suscepit hominis naturam impassibilis diuinitatis maiestatem non amittens: nec vt permutaretur in humanitatem diuinitas, sed vt diuinitati seruaretur humanitas. Secundum igitur huius hominis veritatem Dei filius ad redemptionem nostram natus ex virgine est, & Spiritu sancto: sic enim ad Mariam in Euangelio Angelus loquitur: Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi: & propterea quod nascetur ex te sanctum vocabitur filius Dei: si quis vero hanc veræ fidei professionẽ contẽnat, vel minus Catholicam reputet, legat sancti Augustini verba quæ de explanatione Catholici symboli cõposuit, & inueniet me

A illius certissime vti sensibus, qui vbique purissimus in Catholica fide & veracissimus doctor esse comprobatur. Tribus enim modis, vt idem sanctus Augustinus ait, scriptura sacra de Christo loquitur, primum secundum summam illam diuinitatem patri æqualem, vtque coæternum ante adsumptionem carnis. Alter modus est cū adsumpta carne iam idem Deus qui homo, & idem homo qui Deus, secundum quam suæ excellentiæ humanitatem qua non cæteris coæquatur hominibus, sed est mediator & caput Ecclesiæ & legitur & intelligitur. Tertius modus est, cum quodammodo totus Christus in plenitudine Ecclesiæ, id est, caput & corpus secundum plenitudinem perfecti cuiusdam viri. in quo viro effecti sumus membra & credentibus prædicatur, & prudentibus agnoscibilis offertur. B De secundo autem modo in præsenti disputatione maxime versatur intentio, in quo Deum verum & verum hominem eundem Dominum nostrum Iesum Christum publica voce, Catholica pace omnium sanctorū doctorum probatissimis testimoniis roboratı profitemur: non ex parte Deum verum, ex parte Deum nuncupatiuum, sicut tua solet indocta nouitas adfirmare, dicendo. Deus est Christus secundum diuinitatem, & Dei filius verus: secūdum humanitatem autem Deus est nuncupatiuus & adoptiuus filius: quasi ex parte diuinitatis sit veritas, in parte vero humanitatis nūcupatio, & non pura veritas. Audi ergo quomodo beatus Augustinus tuæ partitioni in disputatione contra Maximinum hæreticum habita, respondeat: ait enim: Porro Christus vna persona est geminæ substātiæ, quia & Deus etiam homo est. C Nec tamen Deus pars eius personæ dici potest: Alioquin filius Dei Deus antequam susciperet formam serui non erat totus, & creuit, cum homo diuinitati eius accessit quod in vna persona absurdissime dicetur: quia pars rei vllius esse non potest Deus. Concordat quoque beatus Cyrillus, (cuius & tu testimoniis vti sæpius soles) huic sanctissimo patri, sub anathematis vinculo constringens eos, qui qualem venerationem Dei filio Iesu Christo facere audent, vnam quasi veram Dei verbo: alteram vero quasi sub nomine nuncupationis homini adsumpto. Ait ergo, si quis adsumptum hominem quo adorari oportere Deo verbo & conglorificari tanquam alterum in altero & non potius vna adoratione honorat Emmanuel & vnam ei glorificationem appellet, secundum quod caro factus est, anathema sit; D syllaba enim eo superadiecta hoc cogit intelligi, quod quasi alter in altero. Et infra: si quis igitur quod adorare dicit vt hominē seorsum altero præter eū existente Deo verbo, & non secūdum veram vnitatem adorans vnum Christum & filium dominumque vna adoratione glorificat, virtuti anathematis iuste subditur. Et item: si enim est & idem Deus simul & homo, adoratur potius tanquam vnus adoratione vna, & non quo adoratur, nec quo appellatur Deus, vt non homo simpliciter communis, & secūdum nos Emmanuel esse credatur diuina gloria participans per gratiam: sed cōfitemur magis Deum in carne propter nos vere hominem factum, non transitu naturæ per mutationem, & conuersionem, sed vnitatis dispensationem. In præfato quoque lib. contra Maximinum E beatus Augustinus verissime testatur, filium Dei hominem factum: & vere iuxta Apostolicam vocem, exaltatum supra omne nomen quod est in cœlo aut in terra. Hoc ergo, inquit, illi donatum est, aut homini secundum quem factus est obediens vsq; ad mortem crucis quod iam habebat ipse Dei filius Deus de Deo natus æqualis. si ergo hoc ei donatum est in carnis dispensatione. quod iā ante habebat in diuinitatis natura, restat vt idem ipse verus filius Dei natus ex virgine credatur & cōfiteatur. Dū ergo dicis esse, sed non verum filium, quæ esse non negas, sed adoptiuum & non verum. Quæ autem est ista noua filietatis introductio in Christo? Deum illum dicis esse & non verum: quis est talis nuncupationis fructus, vbi detrimentum est veritatis? Et quomodo in Christo est omnis veritas, si hoc solum, quod maxime

A fatendum est, secundum vestram opinionem verum nō esse, credendum est. Tu autem certissimam veritatem ita es refutare conatus, vt diceres Deum ideo esse dictum Christū quia Deo coniunctus est & applicatus, nō quod vere sit Deus vel filius Dei, sed propter eum, vt dicere soles à quo adsumptus est, alterum sine dubio æstimās adsumētem, adsumptum alterum. Quia si adsumens verus est Deus, & adsumptus non verus Deus, nec verus filius, necessario intelligi datur quod duas in vnum Christum tentas introducere, sed falsa professione personas, nam duo sunt omnino verus & non verus. Quod si beata virgo verum non genuit Deum filium Dei, quomodo ab omnibus recte credentibus in vniuersali totius orbis Ecclesia Dei genitrix veneratur & creditur? vel si eam Dei B genitricem negare non audes, ne te publicum hostē Ecclesiæ palam apertéque demonstres, necessario duos illā genuisse Deos vnum verū fateri cogeris. Aut si hoc tibi sicut & nobis absurdum esse videatur, facere nobiscum Deū illum verum veraciter dici & esse, non nūcupatiue fingi & nuncupari quod non est. Incongruum est enim, & valde ineptum Deū aliquid quod non sit, dici, sicut & negare quod est impium & detestabile esse dignoscitur. Post testimonia igitur sanctorū patrum, quæ multa quid est qui est & quædā etiam vere posuisti, sed omnino his Catholicis nō hæreticis fauentia, præsules quoq; Hispaniarum inducis quos to Orthodoxos dicis, sed in his quę posuisti orationibus indubitāter hæretici esse dignoscūtur. Nisi forte & eorum dicta sicut & in cæteris solebas, deprauares; scilicet vt quid illi bene dixerūt tu ad iumen- C tū erroris tui mutare, & alterū pro altero mittere ausus sis. Adserūt enim quidā ex illis patribus, vbi tu dixisti vel adoptionē, vel adoptiui hominis, eos dixisse pro adsumptionē, & pro adoptiui adsūpti: & in hoc quoq; tua maliuola arguitur pertinacia, si enim in tua sētētia. quasi in veritate consideres, nequaquā ea quæ ab aliis bene dicta sunt in prauum sensum mutares; veritas enim vbicūq; est semetipsam defendit, sed siue mutata, siue vt ab eis sunt dicta hæc eadē testimonia à te sint posita, nō magnopere curandū est. Nos enim Romana plus auctoritate quā Hispana veritate adsertionis & fidei nostræ fulciri desideramus, licet nec illa reprobemus, in his tamē quę Catholicè dicuntur, vnusquisq; in hoc se refutandū sciat, in quo ab vniuersali dissētit Ecclesia. Romana igitur Eccle- D sia quæ à Catholicis & recte credentibus sequenda esse probatur, se per verum filiū Dei & in missarū solennius, & in cæteris quoque omnibus scriptis suis vel in Epistolis fateri solet eū qui pro nostra salute homo fieri dignatus est & crucis subire tormentū: in missa namq; humanæ natiuitatis eiusdē Domini nostri ita cantare solemus: Præsta, vt vnigenitum tuum quem redemptorem læta suscepimus, venientē quoque iudicem securi videamus, illum qui nos suo sanguine redemit. Et super suum aduentum iudicaturus est mundum vnigenitum filiū Dei confitemur: quod de humanitate illius sine dubio dictū est. Item in die natalis Domini. Concede quæsumus omnipotens Deus, vt nos vnigeniti tui noua per carnē natiuitas liberet. Et alibi: Deus qui vnigeniti tui pretioso sanguine. Itē quarta feria ante pascha: Præsta quæsumus om- E nipotēs Deus vt per vnigeniti tui passionem liberemur. Et in alia oratione: Largire omnipotēs Deus vt per temporalem filij tui mortem quā mysteria veneranda testantur. Et hoc sæpius, quam vt exēplis egeat, inuenitur: scilicet, quod ipse qui pro nobis passus est mortem, v... & verus dicitur filius Dei, sicut vere est. Tales er... auctores magis sequendos elegimus in quibus & fi... rectior. & veritas apparet manifestior. Quod igitur obnixe postulasti impletū a nobis arbitror: Ai... nāq, si quis n... à nostra professione declinare vult, proferat æque idoneos testes qui adfirmēt quod ex vtero matris v...us De[i] sit conceptus, & verus sit filius Dei. Omnes namq; pōtifices sanctæ Romanæ Ecclesię, vt prædiximus. talibus vti solebant rationibus vt Iesum Christum saluatorem nostrum filium Dei vnigenitum indubitanter fatear[entur].

Non autem est mirandum, si longe à veritatis via errent, qui ipsam veritatem inconuenienter & inepte quærere in suis orationibus dignoscuntur: vel quomodo veritatem dignoscere posse putandus est qui eandem veritatem suis dictis & scriptis oppugnat, sed & illud quod tibi ostendi postulas quomodo verus Deus conceptus est & natus, hoc toto præsentis operis textu tecum egimus, quod ille vnigenitus filius Dei verbum patris caro factum est; nam si verus filius Dei non est, qui conceptus est, & natus ex virgine Maria, nec verum est quod Ioannes ait: quod verbum caro factum est. Quid enim significat in hoc quod ait verbum caro factum est, nisi filius Dei humana carne suscepta homo factus est: Quod si verus Deus & verus filius Dei conceptus non est, nec verus filius Dei ex virgine natus est. Quod si ita est, ergo purus homo & sine deitate natus est: Quod quam Catholicæ fidei contrarium sit omnis recte credens intelligit: secundum Catholicam ergo fidem verus filius Dei conceptus & natus est ex virgine, idem ipse qui ante omnia sæcula natus est ex patre: quia natura humanitatis adsumpta non alium fecit esse eum qui ex virgine natus est, quam eum qui ex patre ante tempora genitus est: sed eundem ipsum hoc factum esse quod ante non fuit, patenter ostendit. Sed quia longum est cuncta tuæ prauitatis argumenta discutere, de hoc tibi respondere in præsenti sufficiat, quod filium Dei hominem factum verum Deum per hoc maxime negare coneris, quia pro se legitur orasse sicut & pro nobis. Quod vbi legisses prorsus ignoro, scilicet filium Dei pro se, sicut pro nobis orasse. Nam quid sibi præstare ipse non potuit cui omnia dedit pater in manus? Vel cuius peccati veniam à Deo postulare putandus est, qui peccatum non fecit, nec dolus inuentus est in ore eius. Nos namque qui Deum indesinenter orare iubemur, habemus sine dubio quod nobis ab eo dimittatur. Christus vero quid sibi dimitti postularet, qui vnquam nihil fecit, quod ei dimitti potuisset. Pro nobis ergo orare credendus est, scilicet pro suo corpore quod Ecclesia est, quam adhuc in fragilitate carnis positam frequenter peccare non ignorat. Quod ipsum & hodie quoque facit Apostolo teste, qui ait; qui etiam interpellet pro nobis. Igitur (vt præximus) eo modo pro nobis orare dicitur, quod illam carnem quam pro nobis adsumpsit, in qua & passus est, Deo patri ostendit: hæc est enim eius pro nobis interpellatio scilicet passiones quas pro nobis innocens suscepit monstrando quodam modo Deum patrem vt nostri misereatur ammonere: Non quod ille fons sapientiæ & scientiæ plenitudo aliquid ignorare possit: sed quia hoc quod semper scit & desiderat, per carnis ex nobis adsumptæ naturam præstat: quod præstandum & nobis profuturum esse cognoscit: id est in se credentes, & in se sperantes, & se amantes cognoscere facit. Hoc ipsum namque & præcessor tuus Nestorius solebat dicere, videlicet quod Christus pro se & pro genere corporis sui sacrificium obtulisset, quod enim tu orasse eum pro se dicis, hoc ille idem volens intelligi obtulisse dixit se pro se & genere. Contra quam blasphemiam quid beatus Cyrillus opposuisset audi: ait enim, si quis dicit, quia pro se obtulit Christus oblationem & non magis pro nobis solis, anathema sit: & alibi: Obtulit enim corpus proprium, non pro se sed pro nobis. Nam qua pro se oblatione vel sacrificio indigeat, qui ab omni peccato liber vt Deus existit? Qui autem dicit quia semet ipsum tam pro se, quam pro nobis obtulerit, nullatenus impietatis crimen effugiet. Idem quoque ipse Cyrillus: aiunt (inquit) hæretici, non pro nobis solum, sed etiam pro se obtulisse Christum semetipsum: quod à recta & immaculata fide alienum. Quod ergo orasse dicitur, & in oratione pernoctasse, & tanta instantia supplicasse, vt sudor eius sicut guttæ sanguinis decurreret super terram, totum hoc ideo factum esse intelligendum est, vt veritatem adsumptæ humanitatis ostenderet, quæ lachrymas & sudorem possit habere, & vt deprecationibus nostris accessibilem monstraret patris aditum, vt quæ nos in tentationibus non inertia dormitantes tabescere, sed potius in orationis instantia vigilanter exerceri curemus, hoc namque significat, quod quando orasse legitur, hoc sæpius noctibus fecisse dicitur, scilicet noctis tenebris tentationum indicans tempestates, sed & hoc maxime sua innuit oratione quod innocente suo sudore terra lauanda fuisset. quæ per illius sudorem noxium polluta fuit, cui dicitur: in sudore vultus tui vesceris pane tuo.

Nam illa natura de Adam primo homine propagata nunquam suum panem quo ad æternam vitam nutriret, gustasset, si non eandem naturam filius Dei panis viuus, panisque Angelorum adsumere dignaretur. sed & hoc quod Euangelista ait: sudorem eius quasi guttas sanguinis esse defluentes in terram, hoc significare videtur quod illud primum homicidium Christi fuisset sanguine mundandum, de quo dicitur: Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra.

Ille namque sanguis Christi magis ad Deum patrem clamat, qui pro omnium nostra salute in terram effusus est: vel quando pro nobis ipse Dominus noster orabat, vel quando pro nobis in cruce pendens vulnera percutientis militis sustinuit, sed de his ista sufficiant; sententia vero Iacobi Apostoli quasi pro adoptionis nomine positam ad exemplum protulisti longe aliter à sanctis patribus quam à te est interpretata, exponi solet, sicut & illa quam de Salomone posuisti: negando (inquis) nomen adoptionis in Christi carne vt puto vnum verbum in quantos offensionis laqueos esse dilatet: vt est illud in Salomone: qui in vno peccauerit, multa bona perdet.

Et in Iacobo Apostolo: si quis totam legem seruauerit, offendat autem in vno, factus est omnium reus: sed quis nesciat de temetipso hæc conuenienter testimonia proferenda?

Nam quid aliud fecisti, quam in illo vno peccasti, vbi multa bona perdidisti? vnum enim est illud maximum & primum mãdatum, charitas, quæ sola vera in Ecclesia Catholica esse cognoscitur Quid ergo te ipsum extra Ecclesiam Catholicam esse fecisti, quid aliud fecisti quam in illo charitatis mãdato peccasti: in quo qui peccauerit, & si totam legem seruauerit, factus est omnium reus. Non ergo de adoptione in Christo negata, sed de vnitate charitatis scissa dictum est; quod qui in vno offendit, factus est in omnium reus: Si enim (inquit Apostolus) habeam omnem fidem, charitatem autem nõ habeam, nihil mihi prodest, & cætera quæ ibi de laude charitatis dicta sunt. In huius itaque te charitatis gremiũ citius peruenire satage, extra quod cætera omnia & si bene facta videantur nihil prodesse possunt, nec omnino benefacta dici debeant quæ sine charitatis perfectione aguntur: sufficiat ergo tibi, quod huc vsque peccasti, non tibi videatur minoris esse periculi, quod vnitatem Catholicæ Ecclesiæ diuidendo schisma facias, & membra Christi praue docendo à suo corpore separes, quam si temetipsum occidendo homicidium facias: quin potius maioris esse damnum manifestum est tantos seducendo perimere, quam vnum solum perire. Reuertere ergo tandem aliquando in temetipsum pœnitendo quod egisti, qui tantum effusus es extra te discutiendo quæ non debuisti: sufficiat tibi (sicut & frequenter ammonui, & adhuc ammonere non cesso) quod sancta Dei & vniuersalis Ecclesia de Christo credere & docere semper ab initio solebat, & vsque in finem sæculi vbicumque Catholica Dei Ecclesia est, docere non cessabit, implente dicto nostro Iesu Christo quod promisit se videlicet vsque in finem sæculi cum suis fidelibus esse mansurum, sufficiat inquam tibi credere Christum filium Dei verum esse Deum, & verum filium Dei † † † † Et de sacramento incarnationis eiusdem Dei nostri plus inuestigare ne labores quam quod in Euangeliis legisti,

& in Apoſtolorum dogmatibus ſcriptum iooeniſti. A Quicquid ergo his concordat firmum tene & veraciter crede. Quod vero his contrarium & ioconoeniens videris, quaſi mortiferi veneni peſtem fuge, Chriſtum Regem omnium ſæculorum lauda & adora, conditionalis ſeruitij nomen de corde tuo ſimul & ore vt auferas enitere. Nam quod pro te ſeruus dici vel eſſe voluit, voluntariæ eſt minus obedientiæ non ** nec pœna conditionis. Ad hoc namque, vt ait beatus Auguſtinus in expoſitione Pſalmi quinquageſimi ſexti, homo factus eſt quia misericors non vt conditionis neceſſitate naſceretur, ſed vt nos conditione neceſſitatis liberaret. Et paulo poſt addit: Angelica creatura ſeruit in Chriſto ad obſequendom moniti fuerunt Angeli, ad ſeroitiom mitti potuerunt non coaductorum, ſicut ſcriptum eſt, Angeli miniſtrabant ei, non tanquam miniſtrantes indigenti, ſed tanquam ſubiecti omnipotenti. ſi igitur omnis Angelica creatura ſubiecta eſt quaſi Deum adorat, & ipſi omne genu flectitur, celeſtium, terreſtrium & inferno, rum, quid tu ſcilicet omnibus manes.

Sequens pag. quae eſt vit. lib. ... vbi terata eſt vt vix legi poſſit.

Adora ergo eum nobiſcum, regem cælorum, Dominum omnium verum filium Dei patris, verum eum Saluatorem noſtrum, cui honor æternus, virtus indeficiens, laus perpetua in ſæcula ſæculorum. Aoien.

FINIS.

ADVERSVS PESTIFEROS FOEDISSIMOSQVE CATHARORVM, (QVI MANICHÆORVM HÆRESIM INNOVARVNT) DAMNATOS ERRORES ac hæreſes, ECKBERTI presbyteri, primo Eccleſiæ collegiatæ Bunnenſis, Colonienſis diœceſeos canonici, demum vero profeſſi monachi Schonaugien. monaſterij, vltiſſimi SERMONES ex penetralibus Euangelicis & aliarum diuinarum ſcripturarum armario deprompti. Ex quibus proculdubio fructum plurimum metet diligens lector & candidus.

Breue ex Auguſtino de Manichæis excerptum per eundem Eckbertum.

ECKBERTI VITA EX TRITEMII LIBRO DE SCRIPTOR. ECCL.



ECKBERTVS ſecundus Abbas monaſterij S. Florini, ordinis diui patris Benedicti Treuerenſis diœceſis, natione Teutonicus, vir in diuinis ſcripturis ſtudioſus & eruditus, & non minus conuerſatione quam ſcientia venerabilis, frater beatæ Helizabet Virginis abbatiſſæ Schonaugienſis fuit. Hic antea Bunnenſis Eccleſiæ Cannonicus fuit: qui à ſancta ſorore ad Schonaugiam vocatus, primo monachus, ac deinde Abbas factus eſt. Scripſit non contemnendæ lectionis opuſcula, quibus nomen ſuum ad poſteritatis notitiam tranſmiſit: è quibus ſubiecta reperi.

Aduerſus hæreſes	lib. 1.	*Prophetatum dudum tempora.*
In princip. Euang. Ioan.	lib. 1.	*Myſteria diuini ſermonis.*
Super Magnificat	lib. 1.	*Spiritus Domini ſuper te Maria.*
Super Miſſus eſt Ang.	lib. 1.	*Sermo Euangelicus omnis.*
De obitu ſororis ſuæ	lib. 1.	*Virginibus Deo ſacratis.*
Meditationes	lib. 1.	*Verbum mihi eſt ad te rex.*
Sermones per annum	lib. 2.	*Erunt ſigna, &c. aduentus Dom.*
Laudes Saluatoris	lib. 1.	
Epiſtolarum ad diuerſos	lib. 1.	

Alia quoque nonnulla edidit, quæ ad notitiam meam non venerunt, fuit enim declamator egregius, doctus & eloquens, adeo vt quendam hæreticum quem nemo concludere poterat, vnica diſputatione ſuperaret. Claruit in cœnobio præfato S. Florini quod Schonaugia dicitur in diœceſi Treuerenſi, ſub Frederico Imperatore I. Anno M. CLX. & propter religionem & doctrinam in pretio habebatur.

ILLVSTRIS.

ILLVSTRISSIMO RECTORI

PONTIFICALIS CATHEDRÆ IN COLONIA DOMINO REGINOLDO, FRATER ECKBERTVS Schonaugien. Cœnobij monachus, hoc munusculum ex meditationibus suis.

IN vestra diœcesi frequenter contingit deprehendi quosdam hæreticos, qui diebus istis plurimum notabiles sunt in erroribus suis. Hi sunt quos vulgò Catharos vocant: gens perniciosa nimis Catholicæ fidei, quam velut tineæ demoliuntur & corrumpunt, ambulantes in astutia multa. Muniti sunt verbis sacræ scripturæ, quæ aliquo modo sectis eorum concordare videntur: & ex eis sciunt defendere errores suos, & oblatrare Catholicæ veritati: rectæ autem intelligentiæ, quæ in sacris verbis latet, & non sine magna discretione agnoscitur, nimis expertes sunt. Ego itaque operæpretium duxi errores eorum describere, & annotare autoritates scripturarum ex quibus se defendunt, ac demonstrare quomodo sanè intelligi debeant: simulque eas partes fidei nostræ, quibus se opponunt, proponere: & quibus scripturæ autoritatibus, quibus vexationibus defendi possint, cum superno adiutorio demonstrare: vt qui ista legere & in memoria habere curauerint, aliquanto promptiores sint ad disceptandum cum illis, si quando, vt assolet, in populo fuerint deprehensi. Valde enim linguosi sunt, ac semper in promptu illis est quod aduersum nos dicere possint. Et est non parua verecundia nostris, qui litteras sciunt, vt sint muti & elingues in conspectu illorum. Cum essem Canonicus in Ecclesia Bunnensi, sæpe ego & vnanimis meus Bertolphus, cum talibus altercati sumus: & diligenter attendi errores eorum ac defensiones. Multa quoque de illis innòtuerunt per eos qui exierant de conuenticulis eorum & resipuerant à laqueis diaboli. Propterea & abundantius ea quæ de illis sunt, & quæ contra illos dici possunt, in hunc librum cum Abbatis mei Domini HILDELINI *exhortatione congessi, vestræque celsitudini antiquæ familiaritatis causa transmisi, quatenus si forte coram vobis tales examinari contigerit, munita sit ex his sermonibus prudentia vestra, ad obstruenda ora loquentium iniqua, & ad confirmandum vacillantes animos seductibilium hominum, qui dolosis sermonibus illorum decepti, ambulare eos secundum veritatem. Rogo autem, vt si rationabilem fortè iudicaueritis huius libri compositionem, & in aliquo vtilem Christianæ religioni fore perspexeritis, in commune eum venire faciatis, vt sit in scandalum generationi illi pessimæ cunctis diebus.*

SERMO DE HÆRESIBVS,

ADVERSVS QVOS DISCEPTATIO ASSVMITVR.

Fides Catholica, pretiosa margarita



NAM pretiosam margaritam à sponso suo, Christo Iesu in dotē accepit virgo Ecclesia, fidem Catholicā: & hæc, quod dolendum est, insidiatores multos patitur his diebus, qui moliuntur conterere eam. Pericula nouissimorū temporum, vt æstimo, venire cœperunt, de quibus in Euangelio Saluator prophetauit, quando de signis quæ diem iudicij essent præcessura, loquens ad discipulos, sicut scribit Matthæus, hæc inter cætera dicebat: Tunc si quis vobis dixerit, ecce hic Christus, aut illic, nolite credere: surgēt enim pseudochristi & pseudoprophetæ, & dabunt signa magna & prodigia, ita vt in errorem ducantur, si fieri potest, etiam electi. Ecce prædixi vobis. Si ergo dixerint vobis, ecce hic est in deserto, nolite exire: Ecce in penetralibus est, nolite credere. Et quidē si tam insanæ mentis adhuc quispiam venerit qui se dicat esse Christum, nondum audiuimus: sed de pseudoprophetis qui dicunt esse in penetralibus Christum, iam multa percipimus. Ecce enim quidam latibulosi homines peruersi & peruersores, qui per multa tempora latuerunt, & occulte fidem Christianam in multis stultæ simplicitatis hominibus corruperunt, ita per omnes terras multiplicati sunt, vt grāde periculum patiatur Ecclesia Dei a veneno pessimo, quod vndiq; aduersus eam effundunt: nam sermo eorum serpit vt cancer. & quasi lepra volatilis longe latéque discurrit, pretiosa membra Christi contaminans. Hos nostra Germania, Catharos: Flandria, Piphles: Gallia, Texerant, ab vsu texendi appellat. Sicut de eis prædixit Dominus, dicunt in penetralibus esse Christum: quia veram fidem Christi, & verum cultum Christi, non alibi esse dicunt, nisi in conuenticulis suis, quæ habent in cellariis & in textrinis, & in huiusmodi subterraneis domibus. Apostolorum vitam agere se dicunt: sed contrarij sunt fidei sanctæ, & sanæ doctrinæ, quæ à sanctis Apostolis, & ab ipso domino Saluatore nobis tradita est. Ipsi etenim sunt de quibus Apostolus Paulus in epistola ad Timotheum ita locutus est: Spiritus autem manifeste dicit, quia in nouissimis diebus discedent quidam à fide, attendentes spiritibus erroris & doctrinis dæmoniorum, in hypocrisi loquentium mendacium, & prohibentium nubere, abstinere a cibis quos Deus creauit ad percipiendum cum gratiarum actione.

Matth. 24.

1 Tim. 4.

De coniugio. Hæresis prima.



ET quidem verēbi sūt ad quos pertinet hic sermo, quoniam nuptias reprobant & condemnant, ita quod non aliud quam æternā damnationem promittunt eis, qui in cōiugali vita permanent vsque in finem. Approbare quidem se dicunt quidam ex eis, illorum coniugium, qui virgines conueniunt, sed nec illos saluari posse dicunt, nisi ante finem vitæ suæ abinuicem separentur: ac per hoc tale quoque coniugium prohibent. Carnem omnem vitant, qui perfecte sectam illorum ingressi sunt: non ea causa qua monachi, aut alij spiritualiter viuentes ab ea abstinent, sed idcirco vitandum esse esum carnis dicunt, quia de concubitu nata sit omnis caro: & ex hoc immundam esse arbitrantur. Et hanc quidem rationem manifestius dicunt, sed in occultis suis, quod peius est, dicunt, videlicet omnem carnem facturam diaboli esse: ideoque nec in summis necessitatibus eam vllatenus gustant. De baptismo varie loquuntur. Baptismum nihil prodesse dicunt paruulis qui baptizantur: quia per seipsos baptismum petere non possunt: quia nullam fi-

Secunda, de esu carnium vitando

Tertia, de creatione carnium

Quarta, de baptismo paruulorū.

A dem possunt profiteri. Est autem aliud quod inde communius sed occultius loquuntur, videlicet quod nullus baptismus in aqua prosit ad salutem. Inde & eos qui ad sectam illorum transeunt, suo quodam occulto modo rebaptizant, quem baptismum in spiritu sancto & igne fieri dicunt. De animabus mortuorum talem sententiam habent, quod in ipsa hora exitus sui, vel transeunt ad æternam beatitudinem, vel ad æternam damnationem. Non enim recipiunt quod credit vniuersalis Ecclesia, videlicet esse quasdam purgatorias pœnas, in quibus animæ quorundam electorum ad tempus examinentur pro peccatis suis, de quibus in hac vita per condignam satisfactionem ad plenum purgatæ B non sunt. Propterea ergo arbitrantur superfluum & vanum esse orare pro mortuis, eleemosynas dare, missas celebrare, & irrident pulsationes campanarum quas facimus, quæ tamen pia ratione in Ecclesiis fiunt, vt videlicet viui ad orandum pro mortuis commoueantur, & ad memoriam propriæ mortis excitentur. Missas quæ in Ecclesiis celebrantur omnino spernunt & pro nihilo ducunt. Nam si forte cum populo in quo habitant ad audiendum missas, siue etiam ad percipiendam Eucharistiam accedunt, omnino hoc simulatoriæ faciunt, ne infidelitas eorum possit notari. Ordinem quippe sacerdotij in Romana Ecclesia, & in cunctis Ecclesiis Catholicæ fidei omnino perisse dicūt, nec vsquam nisi in secta C eorum veros sacerdotes inueniri. Corpus Domini & sanguinem nullo modo nostra consecratione fieri, aut à nobis per communicationem percipi posse credunt: se autem solos in mensis suis corpus Domini facere dicunt. Sed in verbis illis dolum habent: non enim verum illud corpus Christi significant, quod de virgine natum fuisse credimus, & quod passum est in cruce: sed sui ipsius carnem corpus Domini vocant: & in eo quòd sua corpora nutriunt cibis mensæ suæ, corpus Domini se facere dicunt: Nec intactū præteribo quod audiui à quodam viro fideli, qui agnita eorum perfidia & secretis quibusdam turpitudinibus, de societate eorum exiuit. Nam in D Domino Saluatore ita errare eos affirmabat, vt dicerent eum non vere natum ex virgine, nec vere humanam carnem eum habuisse, sed simulatam carnis speciem: nec ex mortuis eum resurrexisse, sed mortem & resurrectionē simulasse. Propter quod & Christianis Pascha celebrantibus, vel negligenter hoc celebrant si inter ipsos sunt vel occasiones quærunt discedendi de medio eorum quibus cohabitant, nec cum eis solemnizare cogantur. Celebrant autē pro eo aliud quoddam festum, in quo occisus est hæresiarcha eorum Manichæus, cuius proculdubio hæresim sectantur, quod beatus Augustinus contra Manichæos Bema appellari dixit. Meus autem recitator ab eis quibus ipse fuerat commoratus, E Malilosa dixit vocari, & autumnali tempore celebrari. Præter hæc & nouam quandam, & hactenus inauditam insaniam de eis compertam habemus, quam manifeste confessi sunt quidam eorum cum examinarētur à clero in ciuitate Colonia, vbi & à populo feruentis zeli combusti sunt. Dicebant enim animas humanas non aliud esse, nisi illos apostatas Spiritus, qui in principio mundi de regno cælorum eiecti sunt: & eos in humanis corporibus posse per bona opera promereri salutem: sed hoc non nisi inter eos, qui ad eorum pertinent sectam. Talia iam longo tempore latenter susurrauerunt, lustrantes vbique domos seductibilium hominum, & multas in his temporibus infelices animas, vt audiuimus, captiuas ducunt retinaculis susurri pessimi. Circumeunt vt

ita dicam

Quinta, de baptismo aquæ.

Sexta, de animabus mortuorum

Septima, de missæ contemptu

Octaua, de corpore & sanguine Domini.

Cathari carnē suam corpus Domini vocabant.

Nona, de humanitate Saluatoris.

Infra, Pe- mo videtur esse pe m.

Decima, de hominum animabus

ita dicam) mare & aridam, vt faciant Catharum vnum: & omnem religiosam conuersationem impia detractione commaculant: nec quenquam saluari posse, nisi ad eorum transierit sectam, affirmant. Itaque cum omni diligentia euigilare necesse est omnes qui zelum Dei habent, & exercitatos habent sensus in scripturis sanctis, ad capiendum vulpeculas has pessimas, quæ dæmoliuntur vineam Domini sabaoth. Multi quidem sunt errores illorum, ita vt nemo omnes enumerando prosequi valeat: sed eos qui maxime periculosi mihi visi sunt, distinxi, & in vna serie disposui: quoniam annuente Deo specialiter aduersus eos loqui mihi propositum est.

De origine sectæ Catharorum.

SCIENDVM vero est, & non celandum ab auribus vulgi, quoniam indubitanter secta eorum, de quibus agimus, originem accepit à Manichæo hæresiarcha: cuius doctrina maledicta erat & tota venenosa, & radicata est in populo isto peruerso. Multa tamen permixta habent doctrinæ magistri sui, quæ inter hæreses illius non inueniuntur. Diuisi sunt etiam contra semetipsos, quia nonnulla quæ ab aliquibus eorum dicuntur, ab aliis negantur. Manichæus autem iste (vt nũc pauca de illo loquar) à Persia oriundus erat, & primo quidem Manes dicebatur, postea vero à discipulis suis Manichæus appellatus est, ne insanus videretur, & dictus Manes à mania, quod est insaniæ nomen. Sic autem insanus erat, vt diceret seipsum Spiritum sanctum, & se missum fuisse à Christo in mũdum, sicut promiserat cum ascensurus esset in cælum: ideoque & Christi se Apostolum dicebat, quasi missum ab ipso. Vnde & discipuli eius ex hoc gloriabãtur, quod in magistro ipsorum completa esset promissio Christi de spiritu paracleto. Ex numero discipulorum suorum duodecim elegit, quos quasi Apostolos suos habebat, vt in hoc haberet formam Christi, qui ex discipulis suis duodecim sibi elegit Apostolos: quem numerum imitatores eius & hodierna die obseruant: quia ex electis suis habent duodecim quos appellant magistros, & tertiũ decimum principem ipsorum: Episcopos autem septuagintaduos, qui ordinantur à magistris: & presbyteros & diaconos, qui ab Episcopis ordinantur: & hi electi inter eos vocantur: qui vero non ad tantam perfectionem venerunt vt electi possint dici, auditores vocantur. Mittuntur autem ex omnibus qui idonei videntur ad eorum errorem, vel vbi est, sustentandum, & augendum, vel vbi non est, seminandum. Manichæi doctrina & sequacium eius Christianæ fidei in ipsa radice sua se opponit, sicut nunc demõstrabo. Credimus enim & confitemur vnum solum esse Deum, qui fecit cælum & terram, & omnia quæ in eis sunt: & hæc radix fidei nostræ: illi vero duos creatores esse docent, vnum bonum, & alterum malum: videlicet Deum & quendam immanem principem tenebrarum: quem nescio quomodo rectius vocare possimus nisi diabolum. Duas naturas fuisse dicunt ab æterno contrarias sibi inuicem, vnam bonam, & alteram malam: & ex eis dicunt creata esse vniuersa. Animas hominum, & vitalem spiritum quorumlibet animantium, & virtutem quæ viuificat arbores & herbas, & qualibet semina, à Deo originem habere dicunt, & condita ex illa bona natura: imo & quandam partem Dei, vnũquodq; talium esse volunt. Carnem vero omnium quæ viuunt super terram, tam hominum quam aliorum animantium, ab illo immani principe tenebrarum, id est diabolo, originem dicunt habere, & condita ex mala natura: & ob hoc, vt suprà dictum est, esum carnium vitant. Horrendus est sermo, & omnino alienus ab humano sensu, quem de talibus rebus filij diaboli confinxerunt, ad perditionem omniũ eorum qui illis credunt, & à casta veritate quæ est in scripturis sanctis, mentem auertunt. Hoc quoque manifestum inter errores Ma-

Manichæus duo esse rerum principia dixit.

A nichæi & discipulorum eius legitur: quod dicebant filium Dei nunquam vere humanum corpus suscepisse in virgine, sed similitudinem tantum humani corporis habuisse: & nunquam vere passum aut mortuum fuisse, aut resurrexisse, sed tantum in his omnibus fefellisse humanos sensus, ita vt hominibus vera viderentur cuncta quæ dicuntur de humanitate eius: & quod nulla tamen veritas fuisset in his omnibus. Idipsum autem ante Manichæum in Persia docuerant duo magi, Zaroë & Arphaxat. Et, sicut diximus, hæc omnia nobis veraciter cõperta sunt de omnibus istis quos nunc Catharos vocant: & ipsi originem habuerunt a quibusdam discipulis Manichæi, qui olim Catharistæ dicebantur. Nam Manichæus ille de quo totus hic error processit, multos quidem discipulos habebat & sub vna secta erant, dum adhuc B viueret: mortuo autem eo, dissenserunt ab inuicem & diuisi sunt in tres partes: & vocati sunt quidam eorum Mathatij, quidam vero Catharistæ, quidam autem singulariter Manichæi dicebantur, quia singularius cæteris magistrum suum secuti sunt, omnes tamen commune habebant hoc nomen, vt dicerentur Manichæi: quia omnium error à Manichæo originem habuit. Ipsi vero qui Catharistæ dicebantur, omnibus cæteris turpiores habebantur, propter quasdam secretas spurcitias, quas specialiter ipsi exercebant. Quorum doctrinam & vitam indubitanter sectantur isti, de quibus nunc sermo est nobis. Vnde autem Catharistæ, id est, purgatores, primo vocati sunt, alio loco dicere statui: ne principium libri huius aliquis abominetur, si statim omnes prauitates eorum enarrarem. C Nam quæ de Manichæis à beato Augustino conscripta sunt, summatim & breuiter collegi ex tribus libris eius, videlicet ex eo qui inscribitur contra Manichæos, & ex eo qui intitulatur de moribus Manichæorum, & ex libro de hæresibus: & eandem collectionem in fine libri huius annectere dispono: vt qui legerint, possint quasi à fundamento totam hanc hæresim plenius ignoscere, & intelligant: quoniam non hæresis omnium hæresim sentina est. Produnt autem semetipsos quod sint de errore Manichæi, in eo quod dicere solent, & quod beatus Augustinus prodiderit secreta eorum: & constat quod ipse ante perceptionem baptismi disciplinæ Manichæorum aliquandiu interfuit, & postea errores eorum, & secreta manifeste in libris quos nominaui, descripsit & confutauit. D

DE EO QVOD DOCTRINA *Christiana occultanda non sit.*

SERMO II.



AD duos ergo nunc mihi sermo est, ô Cathari plebs angulosa, qui non alibi nisi in vestris penetralibus Christum esse quærendũ æstimatis. Dicite mihi, quando iniit hoc consilium Dominus, vt vellet esse absconditus in angulis vestris? Dicitis quod illa veritas Christianæ fidei vobis solis sit nota, & apud vos solos abscondita. E Sed scimus quoniam Dominus Saluator ipse eam non abscondit, vt patet in verbis ipsius, quæ imminente sua passione coram pontifice Iudæorum locutus est, dicens: Ego palam locutus sum mundo, ego semper docui in synagogis, vbi omnes Iudæi conueniunt, & in occulto locutus sum nihil: Non enim ita aliquid locutus est, vt hoc vellet occultum permanere. Nam etsi aliquando discipulis seorsum à turbis aliqua loquebatur, quæ non illo tempore conueniebat fieri manifesta, dicebat tamen illis: Quod dico in tenebris, dicite in lumine, & quod in ore auditis, prædicate super tecta. Quibus & post resurrectionem suam præcepit dicens: Euntes in mundum vniuersum, prædicate Euangelium omni creaturæ. De quibus & Euangelista subdit, dicens: Illi autem profecti prædicauerunt vbique Domino cooperante, & ser-

Ioan 18. *Matth. 10.* *Mar vlt.* *Ibidem.*

monem eorum confirmãte sequentibus signis. Prædica- A
uerunt non in angulis, non in cellariis, aut textrinis, sed
sicut scriptura dicit: Prædicauerunt vbique, non solùm
Psalm. 18. in domibus, sed in foro, & plateis ciuitatum, non solùm
coram plebe, sed & coram regibus & principibus om-
nium terrarum, sicut scriptum est de eis: In omnem ter-
ram exiuit sonus eorum. Noluit doctrinam suam à
Act. 9. Paulo celari Dominus, cum dicebat. Vas electionis mi-
hi est iste, vt portet nomen meum coram regibus &
principibus & filiis Israel. Ipse quoque Paulus à nullo
Rom 1. genere hominum zelandam esse veritatem Euangelij
æstimabat, quando dixit: Græcis ac barbaris, sapientibus
& insipientibus debitor sum, ita quod in me promptum
est, & vobis qui Romæ estis Euangelizare, sicut dixi.
Prædicauerunt sancti Apostoli in manifesto doctrinam B
salutis, & signa fecerunt mortuos suscitando, cæcos il-
luminando, & omnem languorem pellendo in nomine
CHRISTI, & sustinuerunt crucifigi, gladioque necari, ac
diuersis passionibus deduci ad mortem, pro testimonio
veritatis. Vos autem si estis, sicut dicitis, Apostoli
CHRISTI, quare tanto tempore latuistis? Si vos estis Ec-
clesia Dei vt dicitis, quare vsq; ad hæc tempora semper
in abscondito ambulastis? Dominus dicit in Euangelio
Matth. 5. de Ecclesia sua: Non potest ciuitas abscondi supra mon-
tem posita, neque accendunt lucernam, & ponunt eam
sub modio, sed supra candelabrum, vt luceat omnibus
qui in domo sunt. Mons ipse CHRISTVS est: ciuitas su-
pra montem posita, Ecclesia est, cuius fundamentum est
Christus. De ea dicit Dominus, quod nõ potest abscon- C
di. Vos autem semper absconditi fuistis, & doctrinam
vestram occultastis, & ita lucernam vestram sub modio
timoris positam habetis, nec vnquam eam alicui mani-
festatis, de quo timetis: quod vos faciat manifestos.
Nam ab ipsis quoq; qui veniunt ad vos, fidem vestram,
ex qua saluandos vos esse speratis, & occulta opera ve-
stra longo tempore, vt dicunt, quindecim annis occulta-
tis, donec diu vos probaueritis, ita vt sperare possitis, de
eis quod non prodant vos. Non hoc sancti Apostoli fe-
cerunt, & successores eorum, qui nobis sunt noti. Non
absconderunt lucernam sub modio, quia nec causâ ti-
moris, nec causâ commodi temporalis lucem Euange-
licæ veritatis, quam à CHRISTO acceperant, celaue-
runt, sed super candelabrum, id est, super Ecclesiam,
ita manifeste eam constituerunt, vt luceret omnibus, D
qui in domo, id est, in mundo erant. Omnibus etenim
tam bonis, quàm malis, electis & reprobis innotesce-
Matth. 7. re voluit Dominus, qualis esset fides, & religio Chri-
stianorum, vt nemo per ignorantiam posset se excusa-
re. Forsitan ad verbum illud confugitis, quod Domi-
nus ad discipulos suos locutus est dicens: Nolite san-
ctum dare canibus, neque mittatis margaritas ante
porcos. Rustici viles nolite assumere verba hæc in de-
fensionem vestram, quia non recte discernitis ea. Om-
nibus hominibus manifeste dicenda sunt verba salutis,
sine quorum agnitione saluari nemo potest, nec aliquis
1 Tim. 2. ita canis aut porcus iudicandus est, vt occultari debeant
ab eo. Nam vt ait Apostolus: Deus omnes homines
vult saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. E
Quod si quis audita & agnita veritate pertinaciter &
incorrigibiliter ei contradicit, & nititur commaculare
veritatem fœda detractione & irrisione debet iusta ra-
tione à tali suspendi prædicatio veritatis, quod est sub-
Act. 13. trahi sanctum, & margaritas à porcis & canibus. Tales
esse persenserant sancti Apostoli Iudæos, in quibus sa-
tis laborauerant verbo prædicationis, cum nouissime
eis dicebant: Quoniam repulistis à vobis verbum Dei,
& indignos vos iudicastis æternæ vitæ, ecce conuerti-
mur ad gentes. Conuersi sunt ad gentes, & eis mani-
feste prædicauerunt doctrinam salutis, quos sciebant
esse idololatras, & pollutos omni genere immunditia-
rum, & vos ita canes, & porcos vos iudicatis, vt nun-
quam manifeste inter vos prædicetis doctrinam vestrã,
sine qua neminem saluari posse arbitramini, cum Do-
minus dicat: Qui me confessus fuerit coram homini-
bus, confitebor & ego eum coram patre meo, qui in Matt.
cælis est. Si forte acciderit, vt aliquis vestrum pro er-
rore suo deprehensus fuerit, & deductus ante iudices
Ecclesiæ, aut omnino negatis fidem vestram, aut tunc
primum aliquos errores vestros confitemini, cum de vi-
ta amplius non speraris: sed illa confessio nõ est ad glo-
riam vobis, & est quasi confessio furis, qui cum de vita
sua desperat, latrocinia sua impudenter confitetur sub
laqueo, & sunt interemptiones, quas aliquando à po-
pulo zelante pro lege Dei sui aliqui vestrum patiuntur,
non quasi passiones Apostolorum, sed quasi iudicia fu-
rum & latronum. Vos quippe estis, de quibus Dominus
in Euangelio dicit: Omnes quotquot venerunt fures
sunt & latrones. Non enim nisi furtiue, & quasi per la- Ioan. 10.
trocinium acquiritis in partem vestram animas misero-
rum, quos trahitis post vos, & omne negotium vestrum
est, perambulans in tenebris, quoniam sicut ait Salua-
tor, Omnis qui male agit, odit lucem, & non venit ad
lucem, vt non arguantur opera eius. O quales Apostoli, Ioan. 3.
ô quales Euangelistæ, quoniã bene impletis illud, quod
mandauit Dominus prædicatoribus verbi sui per Pro-
phetam, dicens: Super montem excelsum ascende tu
qui Euangelizas Sion, exalta vocem tuam. qui Euange- Esa. 40
lizas Ierusalem, exalta, noli timere. Non hoc certe im-
plens, sed illud mandatum Priscilliani obseruaris: Iu-
ra, periura, secretum prodere noli. Dicitis modo, non-
dum venit tempus nostrum vt manifestari debeamus,
sed iam nunc incipimus palam loqui mundo, & erit ad- C
huc tempus quando Deus Ecclesiam suam, id est, nos
exalter & impleatur in nobis illud quod Dominus dicit
de Ecclesia sua? Non potest abscondi ciuitas supra mon-
tem posita. Sed dicite mihi, Si semper supra montem, id
est Christum posita fuit ciuitas ista, hoc est societas ve- Matth. 5.
stra, quomodo potuit fieri, vt tanto tempore esset abs-
condita? Iam enim à tempore Dominicæ Ascensionis
transierunt mille & centum anni, & amplius, & nun-
quam sublimata est religio vestra, aut si sublimata est,
dicite si scitis, in quibus temporibus, & sub quibus regi-
bus terræ factum est hoc, vt vbique in mundo audiretur
prædicari fides Catharorum. Quando factum est hoc,
vt omnes principes & Domini terrarum, qui non essent
vel pagani vel Iudæi, essent Cathari & gubernarẽt sub-
D ditos suos secundum legem Catharorum? Certe si hoc
nobis demonstrare possetis, crederemus vobis, quod ali-
quando ciuitas vestra posita fuisset in manifesto, sed hoc
gratia Dei nunquam factum est.

---

*DE INCREMENTO ET MANIFE-
statione Catholicæ fidei.*

SERMO III.

AVDITE nunc de fide, & gratia, quam profite-
mur, & quam in manifesto prædicamus, quo-
modo peruenerit in nos, & quomodo Ecclesia
Dei, cuius nos per ipsius gratiam membra su-
E mus, exaltata est, & posita est in manifesto. Fidem bea-
ti Petri Apostoli quam ipse habuit & prædicauit, susce-
pit post ascensionem Domini ciuitas magna Antiochia,
& ipse erat in ea docens annis septem non occulte, non
in subterraneis domibus, sed Episcopus erat totius ciui-
tatis, & ipsius causa regalis aula, quæ erat in ciuitate
per deuotionem populi commutata est in Ecclesiam, in
qua communiter populum docuit, & missas celebrauit,
& ordinabat ea quæ ad Christianam religionem perti-
nebant. Ibi primum eis, qui fidem Christi susceperunt,
impositum est nomen hoc vt vocarentur Christiani.
Cum autem ibi firmasset fidem Christianam, & legem
diuinã, beatus Petrus ordinauit in suo loco Episcopum
ciuitati, beatum Euodium, cuius & successor fuit
Ignatius clarissimus Martyr, discipulus sancti Ioannis
Euange-

Euangelistæ, & ipse inde profectus est Romam, itemq; in ea fidem Christianam docuit, ac maximam partẽ ciuuatis ad Christum conuertit, & per xxv. annos Ecclesiam Christi ibi gubernauit. Ibi manifeste confessus est coram Nerone Imperatore fidem Christi, & vxorem eius Libyam, & vxorem Agrippæ præfecti Agrippinam, ad fidem conuertit, & ob eiusdem fidei prædicationem, Nero cum crucifigi præcepit, & Paulum simul cum ipso ibidem prædicantem, gladio necari iussit. Ex illo igitur tempore semper fides Christiana creuit in vrbe Roma, nec vnquam defecit Romana Ecclesia fides quam habuerat, & quã prædicauerat Petrus, sicut & ei promiserat Dominus, quando imminente passione sua dixit ad eũ: Ego rogaui pro te, vt non deficiat fides tua, hoc est, fi- B des Ecclesiæ quã ibi commisi. Beatus autem Petrus cum sciret adpropinquare sibi passionem suam, sanctum Clementem, quem ad fidem conuerterat & baptizauerat, ordinauit in Episcopum, eiusque gubernationi sedem suam & Ecclesiam, quam ipse rexerat, commisit: Et ita successor beati Petri factus est in sede illa, & ad vltimũ ipse quoque pro testimonio fidei Christianæ martyriũ passus est. *Linus.* Nam quod Linus & Cletus successores Pe- *Cletus.* tri fuisse leguntur, ita intelligẽdum est, quod adhuc ipso viuente, coadiutores eius extiterunt in gubernando populum Dei Romæ, & ad hoc ab ipso erant in Episcopos ordinati, vt scribit quidam Apostolicorum patrum Episcopis Germaniç & Galliç. Qualem autem fidẽ à beato Petro Clemens susceperat, talem & successores eius C *Clemens.* habuerunt, & prædicauerunt in Romana vrbe, & eam prædicari fecerunt in aliis terris per eos quos ad prædicãdum miserunt, & paulatim quidem creuit Ecclesia in ea fide, & magis ac magis de die in diem promouebatur, quamuis multi reges & principes grauibus eam persecutionibus opprimere niterentur vsque ad tempus beati *Syluest.* Syluestri Papæ, sub quo pax magna, & libertas data est Ecclesiæ, & altari cæpit, & ad summos honores promoueri fides & religio Christiana. Ipse etenim sicut antiqua nobis scripta commemorant, prędicatione verbi Dei, & magnorum ostensione miraculorum Constanti- *Constantinus* num Imperatorem filium Helenæ reginæ (quæ crucem dominicam inuenit) cõuertit ad fidem, ita vt Imperator de regali solio suo descendens in eo collocaret beatum D Syluestrum, & ad pedes eius se humiliaret. Ipse quoque in equo suo consedere eum fecit, & ad modum serui ei ministrauit pedester incedẽs ante eum, & freno eum deducens, & consignans ei Dominium vrbis. Insuper & regale palatium illic ei construxit, & omnem regiũ honorem & potestatem quam habebat Romę, & in partibus occidentis, ipsi ac successoribus eius concessit, & totius senatus honorẽ clero, qui cum ipso erat tradidit, & ipse cum senatoribus omnibus de vrbe egrediens, Byzãtium transmigrauit, & vrbem nominis sui Constantinopolim ædificauit: solum autem nomen imperatoris sibi ac successoribus suis retinuit. In hunc modum creuit, & confortata est, & vsque ad summos honores promota est in Romana vrbe, & sub Romana potestate Ecclesia Dei, & fides quam beatus Petrus docuit, & quam suc- E cessores eius ab eo euenerunt, & vsque ad ista tempora perduxerunt. Simili modo & per alios Apostolos in aliis regnis per totum mundum fides Christi dilatata & sublimata est. Ad has autem Cisalpinas partes hoc ordine peruenit: Beatus Petrus dum Ecclesiam Dei Romæ gubernaret, misit tres ex discipulis suis, videlicet Euchariũ, Valerium, & Maternum prædicare Teutonicæ genti Euangelium Christi. Qui venientes in ciuitate Treuerim, prædicauerunt in ea, & cum Dei adiutorio conuerterunt eam ad fidem Christi, & baptizauerunt omnem pópolũ in flumine ciuitatis quod dicitur Oleuia. Primus eorũ Episcopus vrbis erat Eucharius, quo defuncto Valerius ei in Episcopatum succassit, quo etiam defuncto Maternus, qui da morte per baculũ Petri suscitatus fuerat, Episcopus factus est, non solùm in Treueri, sed & in Colonia, quę antiquitus Agrippina vocabatur, simulque

A in ciuitare Tungerensi, quæ Hunorum persecutione deleta est. Ipsa est ergo fides beati Petri, quam hi sancti prædicauerunt Ecclesiis, quas ipsi gubernauerunt, ipsorumque successores tenuerunt & prædicauerunt vsque in hodiernum diem. Tandem quoque fidem prædicauit in ciuitate Moguntia Crescẽs discipulus Pauli Apostoli. Beatus quoq; Bonifacius vir eximiæ sanctitatis, qui primus in ea Archiepiscopus fuit, & martyrium pro Christo suscepit, & successores eius vsq; in hodiernum diem hanc fidem tenuerunt & docuerunt in Ecclesia Moguntinensi, & ipsa in omnibus Ecclesiis ei subditis vsq; nunc tenetur & prædicatur. Ecclesiæ Metensi primus Episcopus fuit sanctus Patiens, discipulus sancti Ioannis E- B uangelistæ, & ipse in ea fidẽ nostram docuit & firmauit, & permanet in ea vsq; in præsentem diem. Sanctus Clemens successor Apostoli Petri, beatum Dionysium virũ clarissimæ sanctitatis, qui prædicatione Apostoli Pauli Athenis conuersus fuerat, in Galliam misit prædicare verbum Dei, & cum eo tres illustrès viros, Marcellum, Saturninum, & Lucianum, qui cum ad portum Arelati peruenissent, beatus Dionysius sanctum Marcellum in Hispaniam direxit, sanctum Saturninum in Aquitaniã, S. vero Lucianum ad Beluacensem ciuitatem, quorum singuli regiones & ciuitates sibi destinatas repleuerunt doctrinis fidei, quę vsque in præsens tempus ibidem tenetur & prædicatur. Ipse vero Sanctus Dionysius cum duobus sociis, Rustico & Eleutherio Parisios adiit, ibi- C que fidem quam per beatum Paulum didicerat prædicauit, & per totam Franciam dispersit, & pro eadem fide martyrium pertulit, simulq; socij eius, Rusticus & Eleutherius cum eo. Martyrium vero ipsius singulari & inaudito miraculo Deus honorauit in eo quod post decollationem suam ipse propriis manibus caput suum à loco martyrij per spatium milliarij vsq; ad locum in quo humatum est corpus eius, deportauit. Testimonium hoc grande erat perfectissimæ sanctitatis eius & rectæ fidei, ac sanctæ religionis, quam ibi docuerat atque fundauerat. Ipsam fidem quam beatus Dionysius in Gallia reliquit, sanctus Hilarius Pictauiensis Episcopus egregius *Hilarius.* doctor, & nobilissima lucerna Ecclesiæ Dei, tenuit & docuit verbis & scriptis & exemplis. Ita fidem tenuit & D docuit, & omnibus modis promouit beatus Martinus *Martinus.* Turonensis Episcopus, cuius sanctitas per omnes fines mundi vsque in præsentem diem clarissime splendet, & in summa veneratione habetur. Cuius fidei & doctrinæ testimonium perhibuit diuina virtus, in trium mortuorũ suscitatione, aliorumque valde mirabilium operum exhibitione. Eandem quoque fidem beatus Remigius Re- *Remig.* mensis ciuitatis Archiepiscopus tenuit & docuit, & insignibus miraculis confirmauit. Hic Clodoueum inclytũ regem Francię, & cum eo copiosam multitudinem gen- *Clodoueus.* tis Francorum conuertit ad fidem Christi, & baptizauit in Remensi ciuitata, misso ei chrismate de cœlo. Ex illo ergo tempore reges Francorum, & principes Galliæ cœperunt esse Christiani, & cœpit communiter per totam Franciam publice coli religio Christiana, & per omnes E ciuitates in veneratione haberi fides Christiana, eadémque vsque in præsentem diem in tota Gallicana Ecclesia prædicatur. De genere Clodouei processit Carolus Ma- *Carolus* gnus, qui inter Francorum reges summus atque glorio- *Magnus.* sissimus erat. Hic in eadem fide baptizatus est, quam à beato Remigio rex Clodoueus acceperat, & quam cęteri reges tenuerunt, qui à Clodoueo processerunt. Hic à beato Leone Papa Romam vocatus est, & consecratus *Leo Papa* in Imperatorem, & factus est adocatus Romanæ Ecclesię, & fidelissimus defensor totius Christiani populi, & vehementer per eum aucta religio Christiana, & dilatata est atque confortata, & per ipsius diligentiam fides Romanę Ecclesiæ per multas terras, quæ ignorabãt Dominum, dispersa est. Ipsam fidem quam professus est Carolus Imperator Romanus, tenuerunt & confessi sunt omnes Imperatores, siue reges Romani, & omnes reges Francorum, qui fuerunt post eum, & principes eorum

vsque in præsens tempus Frederici Imperatoris Romani & Ludouici regis Francorum. Ipsam ergo fidem, quam primo beatus Petrus Romæ plantauit, & quam tenuerunt successores eius in Romana vrbe, & quam docuerunt in omnibus terris sancti Episcopi aliique sancti patres qui obedientes erant Romanæ Ecclesiæ, & quam ab illis acceperunt Imperatores, & reges & principes terrarum, cum populis sibi subiectis, tenemos atque confitemur, nos videlicet clerici, & Monachi, & laici, qui in Ecclesia Christi baptizati sumus, & in Ecclesiis Deo sacratis conuenimus ad orandum & laudandum Deum, & ad cõmunicandum corpori & sanguini Domini nostri Iesu Christi cum fide non ficta, & spe salutis animarũ nostrarum. In eo autem certi sumus nos habere eandem fidem, quam habuerunt sancti patres ante nos, quoniam eadem Euangelia Christi, eadem scriptura Apostolica, quam & illi habuerunt, & publice in Ecclesia docuerũt, habemus & nos credimus eis Ipsorum quoque sancta scripta habemus, in quibus declarauerunt qualis esset fides eorum, & qualem intellectum haberent in libris veteris legis & Prophetarum, & in Euangeliis & in Apostolicis scriptis, & in eadem intelligentia sequimur eos. Manifestum est itaque ex his quæ dicta sunt, quoniam fidei nostræ fundamentum est doctrina Petri, qui fuit Christi, qui fuit Dei, imo & Deus. Vestri autem erroris fundamentum doctrina Manichæi, qui non fuit Dei, sed diaboli, non Christi, sed Antichristi & hoc scire potest quisque sensatus, obediendum esse nostræ Catholicæ fidei, potius quam vestræ absconditæ infidelitati, quæ cum suo fundamento à cunctis qui amant veritatem, maledicatur, & sub æterna clausura damnetur.

DE EO QVOD SCRIPTVM: EST FIDES *sine operibus mortua est.*

SERMO. IV.

FORTASSIS, ô sancti Cathari, qui peccare non potestis, impropetatis nobis peccata nostra & dicitis sicut legimus: Fides sine operibus mortua est. (Iac. 2.) Vos autem opera ad fidem pertinentia non habetis. Et idcirco fides vestra mortua est, & quoniam fides vestra mortua est, nulla est. Et idcirco sacramenta vestra nullum effectum habẽt, & non potestis baptizare, & corpus Domini consecrare, nec aliquid huiusmodi in Ecclesia facere, quod vobis aut aliis prosit. Hæc est obiectio vestra aduersum nos. Ite primũ (2. Reg. 6.) & interrogantes discite, quia de causa Deus interfecit Ozam, qui extendit manum suam, vt sustentaret arcam Dei, quando nutabat ita vt casura putaretur, in tempore illo, quo eam reducere volebat Dauid de Bethsames in Ierusalem. Et cum hæc didiceritis, struite reprehensiones vestras aduersum Ecclesiam Dei. Non oportebat nos respondere vobis aduersus ea, quæ nobis obiicitis de fide nostra, quoniam extra fidem Catholicam estis, sicut Domino volente comprobabimus. Non oportet nos respondere vobis de operibus nostris malis quæ obicitis nobis, quoniam peiora & sceleratiora sunt opera vestra, sed alius erit locus dicendi de eis. Respondemus tamen vobis hoc loco, ne propter ignorantiam dimittare videamur: fatemur quidem, quod peccatores sumus, quoniam vt ait Iacobus Apostolus: In multis delinquimus omnes. Veruntamen est differentia inter delinquẽtes. Multi quidem in minoribus peccatis venialiter quotidie delinquunt, & quotidiana satisfactione Dominum placant, & agunt opera laudabilia, quæ pertinẽt ad fidẽ, quam profitemur. De talibus vt spero non potestis aliquid rationabili causa dicere, quod fides eorum mortua sit, & quod sacramenta talium presbyterorum inania sit, & tales per gratiam Dei, nec sunt in Ecclesia, nec vnquam à principio in ea esse desierunt. Sunt vero (quod ingemiscimus, nonnulli) qui in maioribus peccatis, quæ capitalia vocantur delinquunt, & super his non cõdigna pœnitentia satisfaciunt Deo. De talibus fatemur, quod fides quam habẽt, mortua est, quia sine operibus iustificationis est apud ipsos. Mortua inquam est, nõ ita quod id quod credunt annihilatũ sit propter ipsos, aut nullius vtilitatis, sed ipsis fides eorum mortua est, & eis non prodest ad salutem, nisi resipiscant ab operibus malis quæ in ipsis mortificant fidem. Quod autem dicitis de presbyteris nostris, qui tam malę conuersationis sunt, vt fides eorum mortua dici possit, quod sacramenta eorum nullius vtilitatis sunt, huic omnino cõtradicimus, quod planè falsum est: Fides eorũ dicitis, mortua est, & ideo nec ipsis prodesse potest, nec aliis. falsum est hoc, quia aliis prodest? Fides quam ipsi manifeste profitentur per ipsorum ministerium aliis prodesse potest, & effectum bonum in aliis habere potest, quamuis non in ipsis: per similitudinem hæc vobis demonstro: Contigit aliquoties, quod medicus sapiens in infirmitatem grauissimam cadit, & habet sapientiam, quia scit curare seipsum, habet medicinam quæ valet contra morbum suum, sed ita est delicatus, quod non potest gustare de antidotis suis, & præbet ea alij eandem infirmitatem habenti, & ille curatur. Ipse autem in sua infirmitate permanet vsque ad mortem. Vere de tali medico dicere possumus, quod ipsi mortua est sapientia sua, alij autem viuit. Ita dico vobis de presbyteris Ecclesiæ, qui male viuunt, credunt quidem, sed eis credere non prodest ad salutem, si permanserint in iniquitatibus suis. Nam & dæmones credunt, & contremiscunt, vt dicit scriptura: Credebant nimirum dæmones, qui, vt ait Euangelista, dicebant Domino Iesu: Quid tibi & nobis fili Dei venisti ante tempus torquere nos. (Matth. 5.) Credunt inquam & fidem habent presbyteri enormes, sed sicut dixi de sapientia ægri medici, sibi ipsis mortua est eorum fides, aliis autem viuit, dum in nomine Christi baptizant. & alia sacramenta exequuntur, secundum quod à sanctis patribus statutum est. Talis erat ille, de quo Lucas Euangelista refert dicens: Respondens autem Ioannes dixit; Magister vidimus quendam in nomine tuo eiicientem dæmonia & prohibuimus eum, quia non sequitur nos. Et ait ad illũ Iesus: Nolite prohibere eũ: Nemo est qui faciat virtutẽ, in nomine meo, & possit cito male loqui de me: Qui enim non est aduersum vos, pro vobis est. Certe quisquis erat ille, mortuam quidem sibi ipsi fidem habebat, cum non sequeretur Iesum, sed aliis viuebat fides eius, à quibus eiiciebat dæmonia in nomine Iesu. Quod quidem nequaquam facere potuisset, si nullam omnino fidem in nomine eius habuisset. Ita proculdubio etiã presbyteri mali dæmonia in nomine Christi eiiciunt, quando in nomine ipsius, id est secundum hoc quod ipse instituit baptizant, & prodest baptizatis fides, quam verbis quidem, sed non operibus, profitentur Sed alio locu latius de hac re differendum est, & nunc ad loquendum de vestra abscondita fide, & de angulosa doctrina vestra sermonem conuerto.

CIRCA PRIMAM HÆRESIM *de coniugio.*

SERMO V.



VOBIS loquor doctoribus & præfectis, non in sanctitate quidem, sed in errore, & peruersitate. Animaduertite & videte quod nos homines, sed dæmones vos appellat Apostolus in eo testimonio quod (1. Tim. 4.) in principio sermonis induxit: In nouissimis inquit temporibus discedent quidam à fide attendentes spiritibus erroris, & doctrinis dæmoniorum, loquentium in hypocrisi mendacium, prohibentium nubere, & cætera. Vos estis dæmonia hæc de quibus loquitur, & qui vobis attendunt, à fide recta discedunt: Nam doctrina vestra prohibet

possibet nubere, in eo quod dicitis, neminem posse saluari, qui cum coniuge sua permaneat vsque in finem. O dæmones vnde vobis ista doctrina? Ex Euangelio Christi non est, ex scriptis Apostolorum non est, sed plane ex spiritibus erroris est. Intuemini Euangelium Matthæi Apostoli, quod per vniuersum orbem in Ecclesiis legitur, & si non creditis Græcis & Latinis codicibus, ite ad inimicos vestros Iudæos, & inspicite Hebraicam scripturam, in qua Euangelium Matthæi scriptum habent, & inuenietis in eo scriptum hoc modo: Accesserunt ad Iesum Pharisæi tentantes eum, & dicentes. Si licet homini dimittere vxorem, quacunque ex causa? Qui respondens ait eis: Non legistis, quia qui fecit ab initio masculum & fœminam fecit eos? Propter hoc relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna. Itaque iam non sunt duo, sed vna caro. Dicunt ei: Quid ergo, Moyses mandauit dari libellum repudij, & dimittere? Ait illis: Quoniam Moyses ad duritiam cordis vestri permisit vobis dimittere vxores vestras. Ab initio autem nō fuit sic. Certe si quid rectæ intelligentiæ habetis, hic animaduertere potestis in hac responsione, quod non approbat Dominus, vt omnes viri ab vxoribus suis discedant, sicut vos docetis esse faciendum. Si non posset saluari quisquam eum coniuge sua manens, suffecisset ei breuis responsio, ita vt interrogantibus illis: Si licet homini dimittere vxorem suam quacunque ex causa: dixisset, Licet, & bonum est, & aliter saluari non possunt.

Matth. 19.

At non hoc dixit, sed comprobauit potius diuina authoritate stabilius esse debere vinculum societatis, quod est per legem Dei inter virum & coniugem suam, quàm illud quod a natura est, inter virum & parētes suos. Vos autem abinuicem separandos esse virum & mulierem dicitis, & aliter eos non posse saluari. Et ipse contra ait: Quod Deus coniunxit, homo non separet. Virum & mulierem coniunxit Deus, qui secundum institutiones diuinarum legum coram Ecclesia ineunt fœdus coniugale, & tales per hominem separandi non sunt. Fit quidem nonnunquam vt tales migrent pariter ad monasticam vitam, & separatas abinuicem mansiones eligant, quatenus Deo liberius seruire possint, sed talem separationem Deus operatur non homo, & quidem tales non omnino abinuicem discedunt, neque rumpitur inter eos vinculum coniugale, quia indiuisa in eis manet vnitas mentium. Nam quanto liberius diuinę dilectioni vacant, tanto purius atque firmius se inuicem diligere possunt. Nos vero huiusmodi separationem, nullis, vt vos facitis, coniugibus suademus ea ratione, quod non possit saluari simul permanentes in sæculo, & in vita coniugali. Vnam autem separationis causam qua potest vir, si vult ab vxore discedere, & rumpere vinculum coniugale, quo alligatus est, ei determinauit Dominus, quando post responsionem suprà memoratam, ita subiunxit dicens: Dico autem vobis, quia quicunque dimiserit vxorem suam, nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur. Vbi ergo adiunxit, nisi ob fornicationem, dedit intelligi, quoniam sola fornicationis causa diuortium fieri potest. Quod si non recte nos intellexisse verba Domini quæ prædicta sunt arbitramini, audite Apostolum Paulum, quomodo concordat nobiscū in intelligentia eorundem verborum, vbi ad Corinthios loquitur dicens: His iam qui matrimonio iuncti sunt præcipio, non ego, sed Dominus, vxorem à viro non discedere, quod si discesserit, manere innuptam, aut viro reconciliari. Et vir vxorem non dimittat. Et subiungens authoritate propria, ait: Nam cæteris ego dico, non Dominus; Si quis frater vxorem habet infidelem, & hæc consentit habitare cum eo, non dimittat illam. Et si qua mulier habet virum infidelem, & hic consentit habitare cum illa, non dimittat virum: Sanctificatus est enim vir infidelis per mulierem fidelem: Et sanctificata est mulier infidelis per virum fidelem, alioqui filij vestri immundi essent, nunc autem sancti sunt. Quod si

Matth. 5.

1. Cor. 7.

A infidelis discedit, discedat. In tempore primitiuæ Ecclesiæ frequenter hoc accidit, vt vir esset fidelis, & mulier infidelis: & è contrà vt vir esset infidelis, & mulier fidelis. Et suadebat Apostolus vt & tales abinuicem non discederent, quod vtique non fecisset, si sciret vtrosque simul in tali coniugio perituros. Multum ergo à doctrina sua, doctrina vestra dissentit, quæ eos qui vtique legibus diuinis subditi sunt discedere abinuicem cogit, dum eos saluari non posse prædicatis si permaneant simul. Audite & Petrum Apostolum similia ad coniugatos loquentem in epistola sua: Mulieres, inquit, subditæ viris suis sint, vt si qui non credunt verbo, per mulierum conuersationem sine verbo lucrifiant considerantes in timore Dei castam conuersationem vestram. Item subiungit: Viri similiter cohabitantes secundum scientiam, quasi infirmiori vasculo muliebri impertiētes honorem, tanquam cohæredibus gratię. B Dicitis forte: Possunt quidem aliquo modo saluari, vir & mulier simul manentes, sed non aliter nisi abstineant ab opere coniugali. Hypocritæ, quid est quod vos dicitis? Si sciebat Dominus saluator, & si sciebant sancti Apostoli, nequaquam posse saluari virum & mulierem, qui exequerentur opus quod ad coniugium pertinet: nonne plena perfidiæ & fallaciæ erant verba eorum, quibus tam diligenter suaserunt coniugatis, vt non separentur abinuicem? Absit autem hoc. Nota certe erat illis humana fragilitas, & sciebant non omnes viros & mulieres tam ferreos esse, vt non possent cohabitare simul & continentiam obseruare. Vnde nos illos, sed vos in hac quoque parte fallaciæ pessimæ arguendos esse noueritis. C Illud mihi forte obiicis, ô Cathare, quod Apostolus ait: Bonum est homini mulierem non tangere. Concedō quod bonum est homini mulierem non tangere: Non tamen ideirco necesse est me concedere, quoniam malum est & illicitum homini mulierem tangere. Nam similiter propter cauendas tentationes, bonum est homini mulierem non videre: nunquid ergo necessarium contendendum est, quoniam malum est homini mulierem videre? Si concedis quod malum est tangere mulierem, pro eo quod bonum est mulierem non tangere, concede etiam quia malum est mulierem videre, pro eo quod bonum est mulierem non videre. Et si concedis, quoniam malum est mulierem videre: erue oculos tuos, vt nunquam videas mulierem. E Hypocrita licitum est homini tangere mulierem suam, quia licitum est, vt vnusquisque habeat suam secundum verba eiusdem Apostoli. Et quia licitum est, malum non est. Bonum autem magis homini est, & magis expediens ad salutem, mulierem omnino non habere, nec tangere. Ad illud item fortasse confugies, quod ibidem Apostolus ait: Tempus breue est, reliquum est, vt qui habent vxores, tanquam non habentes sint. Ecce, inquis, dicit, vt & si maneant simul, abstineāt tamen ab opere coniugali. Et ego dico, quod si hoc facere possunt, bonum est illis, non tamen hoc quisquam sensatos eis præcepit, sed suadet. Potest tamen fieri vt vir cum vxore habitet, & opus coniugale operetur, ita vt sit quasi non habens vxorem. Hoc fit si sobrie & temperanter cum illa est, & F per omnia Dei reuerentiam in ipsa custodit. Quod qualiter fieri debeat, sensati homines sciunt: Si autem opus coniugale ad damnationem esset omnibus coniugatis, nequaquam Apostolus dixisset: Vxori vir debitum reddat. Similiter autem & vxor viro. Mulier autem sui corporis potestatem non habet, sed vir. Similiter autem & vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier. Nolite fraudare inuicem, nisi forte ex consensu ad tempus, vt vacetis orationi: & iterum reuertimini in idipsum, vt nō tentet vos Satanas propter incontinentiam vestram. Hoc autem dico secundum indulgentiam, non secundum imperium. Scio autē quoniam & in hoc verbo hæres quod dicit: Hoc autem dico secundum indulgentiam. Dicis enim si indulgentia, id est, venia pertinet ad hoc quod sibi inuicem debitum reddant, ergo opus cong

Ephes. 5.

1. Pet. 3.

1. Cor. 7.

1. Cor. 7.

iugale malum est. Si enim non esset malum, non ei venia necessaria esset. Si hoc dicis, iam in hoc ipso aliquid lucratus sum, quod opera coniugali veniam ab Apostolo dari confitetis: Nam si veniam ei dat Apostolus, veniale est, & si veniale est, non pro eo damnantur omnes qui in coniugio permanent, sicut vos prædicatis. Distinctius tamen considerandum est, quod dicit Apostolus: Hoc autem dico secundum indulgētiam, non secundum imperium. Et sciendum est quoniam in tribus significationibus hoc nomen indulgentia poni solet. Nam significat absolutionē, qua peccatori debita pœna relaxatur; & secundū hoc veniæ nomen ei adaptatur. Significat & concessionē, qua minora conceduntur bona his, qui exequi maiora non possunt, & secūdum hoc ad ea non pertinet veniæ nomen. Significat & permissionem, qua minora mala fieri sinuntur, vt maiora fieri vitentur, & secundum hoc quoque venia dici potest. De maioribus bonus est continentia, quam quia omnes seruare non possunt, cō ceditur quod minus bonum est, videlicet coniugium. Conceditur inquam, non præcipitur, quia si præciperetur, transgressor haberetur quicunque in coniugio non esset. De maioribus malis est homicidium, quod vt euitaretur, permissum est olim Iudæis minus malū, videlicet redditio talionis, & repudiatio mulierum, vt ab homicidij sa flagitio temperarent. Nunc & opus coniugale nobis distinguendum est, vt euidentius fiat ad qualem concubitum qualis indulgentia pertineat. Coniugalis concubitus, qui fit simpliciter intentione generandæ ac Deo educandæ prolis, per se peccatum non est, quia vt peccatum non sit, defendunt nuptialia bona, quæ sunt spes prolis & fides, & sacramentum. Et est de minoribus bonis, quæ indulgentiam habent, quæ concessio dicitur. Quod autem possit fieri sine peccato, intelligi potest ex

1. Cor 7. eo quod Apostolus ait: Et si nupserit virgo, non peccat: Per se dixi, peccatum non est, quia accidere potest nonnunquam propter bonam illā intentionem aliquid peccati suboriatur excedente rationabilem modum carnali delectatione, quę tunc quidem peccatum est, sed leue, & excusatur per prædicta bona coniugij. Quod si ob huiusmodi peccatum fugiendum euitari deberet officiū coniugij, sicut vos susurrare soletis: tunc ob eandem causam & officium comedendi ac bibendi omnino vitari deberet, in quo simile peccatum aliquando etiam sapiētibus surrepere solet. Ille vero coniugalis concubitus, qui fit non cum intentione generandæ prolis, sed tātum causa explendæ libidinis, per se quidem peccatum est, sed veniale, quia per cætera bona coniugij excusatur, & habet indulgentiā, quæ permissio dicitur, quoniā permittitur hoc malum, vt euitetur maius malum, id est, fornicatio.

Cor. De tali igitur concubitu intelligatur dictū illud Apostoli: Hoc autē dico secundum indulgentiam, non secundū imperium. Scio vnum ex susurris vestris, noui verbum occultæ sapientiæ vestræ, quod est fundamētum hæresis vestræ, quam de coniugio habetis. Innotuit autem mihi per quosdam viros, qui exierunt de societate vestra, & resipuerunt à verbis mendacij per verbum Dei, & per ministerium serui eius: Dicitis enim quod fructus ille, de quo præcepit Deus primo homini in paradiso, ne gustaret ex eo, nihil aliud fuit nisi mulier, quam creauerat: De ipsa dicens, Adæ præcepit Dominus, vt non cōmisceretur ei, & commixtus est ei contra præceptum Domini, quod erat gustata de vetito ligno. Ex hoc ergo probatis omne genus humanum, quod de eis propagatum est, natum esse ex fornicatione, & neminem saluari posse, nisi purgatus fuerit per orationes & sanctificationes eorum, qui inter vos perfecti vocantur. Hæc autem causa est, pro qua soletis culpare coniugium, & dicitis quod omnes qui in cōiugio sunt, & coniugale opus exercent, fornicantur, & rei sunt eiusdem inobedientiæ, per quā cecidit Adam: Et idcirco omnes damnantur, nisi discedant abinuicē, & vobis iungantur, & purgentur per vos. Hinc & hoc nomen sibi assumpserunt primi magistri vestri, vt se vocarent Cathatistas, id est purgatores, & Catharos,

id est mundos: & ecce iusto iudicio Dei hoc ipsum nomē quod vobis assumpsistis ad gloriam vestram, versum est in ignominiam vobis in populari sermone: & nunc Domini mei purgatores & mūdi, tanquàm sepulchra dealbata pergo respōdere ad occultam sapientiam vestram. Dicite mihi, vbinam legistis, quod Dominus vetuerit primum hominem comedere de ligno scientiæ boni ac mali? Puto in libro Geneseos. Rustici redite ad eundem librū, aperite oculos vestros, si legere scitis, inspicite recapitulationē operis sexti diei, & legite quod dicit: Formauit igitur Dominus hominem de limo terræ, & inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ, & factus est homo in animam viuentem. Post hæc subiungit de eo quod factum fuerat ante formationem hominis, & dicit: Plātauerat autē Dominus Deus paradisum voluptatis à principio, in quo posuit hominem quem formauerat. Post hæc subiungit descriptionem paradisi, & qualem eum fecisset Deus ostendit dicens: Produxitque Dominus Deus de humo omne lignum pulchrum visu, & ad vescendum suaue: lignum etiam vitę in medio paradisi, lignumque scientię boni ac mali. Posthæc descriptis etiā quatuor fluminibus paradisi nouissime addit: Tulit ergo Dominus Deus hominē, & posuit eum in paradiso voluptatis, vt operaretur & custodiret illū, præcepitque ei dicens: Ex omni ligno paradisi comede, de ligno autē sciētiæ boni & mali ne comedas. Nonne ecce ex his verbis intelligitis, quoniam & antequam creatus esset Adam, plantatus fuerat paradisus voluptatis cum omni ornatu suo, & duo ligna in ipso, videlicet lignum vitę, & lignum scientiæ boni & mali? Si ergo lignum scientiæ boni & mali creatū, antequam Adam Deus formasset & in paradiso collocasset, manifestum est, quoniam & antequā Euam creasset Deus, creatum fuit lignum scientiæ boni & mali, quod Deus prohibuit Adæ: & si illud fuit ante creationem Euæ, consequens est, quod illud non fuit Eua. Illud etiam attendite, quo ordine loquatur scriptura de ligni prohibitione, & de mulieris formatione: Præcepit, inquit, ei, id est Adæ dicens: Ex omni ligno paradisi comede, de ligno autem scientiæ boni & mali ne comedas: In quacunque autem die comederis ex eo, morte morieris. Et subiungit: Dixit quoque Deus: Non est bonum hominem esse solum: faciamus ei adiutorium simile sibi, & posthęc addit qualiter formauit illam de costa eius. Ex hoc quoque ordine locutionis datur nobis intelligi, prohibitum fuisse Adæ lignum scientiæ boni & mali, antequā Euam Deus formasset. Et quomodo tam præceps in mandato suo erat Deus, vt non expectare potuerit, quoadusque mulierem formatam adduxisset ad Adam, & tunc ei interdixisset concubitum eius? Dicite mihi, & si illud lignum, quod Adam contra præceptum Domini gustauit, nihil aliud fuit quam mulier, quod lignum fuit quod mulier comedit & dedit viro? Dicitis forte, mulier comedit de ligno vetito, in eo quod virum concupiuit: & vultis quod sicut viro mulierem prohibuerat, ita & mulieri Deus prohibuerat virum: Sed adhuc interrogo vos. Quid fuit quod mulier prius ex parte comedit, & postea viro dedit comedendum, sicut dicit scriptura? Non habetis, ni fallor, quid respondeans, nisi absurdam aliquam stultitiam respondere velitis. Et nunc quandoquidem ex scriptura Geneseos firmastis aciem vestram contra nos, respondere etiam de ea nobis debetis. Dicite mihi: Quale adiutorium voluit Deus exhiberi Adæ per mulierem quando dixit: Non est bonum hominē esse solum: faciamus ei adiutorium simile sibi? Ad quam rem indigebat adiutorio eius? Nunquid indigebat, vt caput eius lauaret & pecteret? Nunquid indigebat vt seruili more alimenta ei præpararet, & administraret? Nunquid esse habebat, vt vestimenta ei procuraret, nendo, texendo, formando, consuendo, lauando, resarciendo? Nihil certe horum aut talium dicere potestis, si aliquid sanę mentis habetis, quia nullum tale adminiculum homini in paradiso necessarium erat, vbi nullum patiebatur defectum: forsitan vt adiuuaret eum laudare

creatorem

creatorem suum, feci ei mulierem in adiutorium. Poterat certe Adam sine Eua satis alta voce cantare laudes Domino, ita vt nunquam fieret lassus aut raucus. Aut si nolebat Deus, vt solus ille homo Deum laudaret, sed alius aliquis cum eo, non oportebat vt propter laudes ei decantandas fecisset mulierem, quia poterat alios viros sufficienter creasse, qui cum ipso Deum laudarent. Dicitis forte: Sciebat Deus quòd Adam in peccatum erat casurus, & corporales defectus passurus, & ideo mulierem fecit ei in adiutorium, vt post lapsum suum talia ei exhiberet adminicula, qualia nunc dicta sunt. Sed dico quòd in eisdem rebus potuisset ei homo sui sexus, si opus haberet, adiutorium ferre. Cur igitur fecit ei mulierem in adiutorium, & non alium virũ, qui ministraret ei? Oportet nunc, si vultis videri sapientes & intellectores scripturæ sanctæ, vt aliquod tale officium nominetis, in quo indiguisset Adam adiutorio mulieris, & in quo eum adiuuare non posset alius vir. Certe non inuenitis quid rationabiliter hic dicere possitis, nisi idipsum quod dicturus sum, mecum sentiatis. Valebat Deus creare humanum genus ad laudem & gloriam nominis sui, sed non ita vt Angelicam fecerat creaturam: Omnes enim Angelicos spiritus creauerat simul, ita vt nullus Angelus ex alio nasceretur. Humanum vero genus ita creare disponebat, vt sibi inuicem succederent homines, & nascerentur alij ab aliis, quatenus causa consanguinitatis firmior inter eos esset connexio charitatis. Omnes autem vnum caput, & vnam originem habere voluit primum hominem, vt videlicet ab ipso omne genus humanum propagaretur, essetque ei in hoc quædam similitudo cum Deo, qui est caput & principium omnis creaturæ.

Non autem talem fecerat Adam, vt ab ipso solo posset generatio humana prouenire, non enim ei dederat Deus aptitudinem talem, vt posset parere, aut lactare. Fecit itaque ei mulierem, vt ex ea haberet adiutorium augendi & multiplicandi genus humanum, vt videlicet ipse generaret ex ea filios vt pater, ipsa ei pareret & lactaret filios, vt mater. Adhuc mihi dicite, popule stulte & insipiens, si, sicut docti estis, viro prohibuit Deus mulierem, & mulieri virum, quomodo fieri potuit illud quod dixit ad eos: Crescite & multiplicamini, & replete terram? *Genes. 9.* Quid debuerunt aut potuerunt facere, vt crescerẽt & multiplicarentur, si debebant omnino ab inuicẽ abstinere? Si voluit Deus, vt Adam filios ex Eua generaret, & sic per eos multiplicaretur genus eorum, & replerent terram, & iuxta hoc ei prohibuit tangere mulierẽ, contrarius erat sibiipsi in sua voluntate, & in præceptis suis, & argui potuit insipientiæ, quod dicere nefas est. Si ego agricolæ meo omnino interdicerem officium seminandi, & tamen ei dicerem, vide vt bene fructificet ager meus, & per te multas fruges habeam: nonne mihiipsi contrarius essem, & insipientiæ argui possem? Vtique possem. Item de Noë, qui tempore diluuij per arcam saluatus est, similia dicere possum. Si ita, vt vos dicitis, Deus abominatur coniugium, & opus coniugale, quare cum vellet saluare Noe & filios eius ne perirent in diluuio, simul cum ipsis saluauit & vxores eorum? Nam cum præcepisset Noë vt faceret arcam, dixit ad eum: Ingredieris arcam tu & filij tui, & vxor tua, & vxores filiorum tuorum. Et rursum cum condidisset arcam dixit ei: Ingredere tu & domus tua, te enim vidi iustum coram me in generatione ista. *Gen. 7.* Ecce testimonium perhibet Deus viro habenti vxorem, & filios tres, quoniam iustus sit coram eo. Et qua audacia condemnatis omnes viros habentes vxores? Et quare, vt dixi, seruauit pariter cum viris etiam vxores eorum? Si molestum erat Deo omne coniugium, melius solos viros saluasset, & omnes mulieres in aqua submersisset, aut solas mulieres seruasset, & omnes viros perdidisset. Etsi erat contra voluntatem Dei, vt viri miscerentur vxoribus suis, quare hoc celauit à Noe quem diligebat, & à filiis eius, cum eos eduxisset de arca? Quare si eos diligebat, non dixit, Peccauit in me Adam, in eo quod concubuit cum muliere quam

A interdixeram ei: Peccauit in me filius eius Seth, quia habuit vxorem & genuit filios & filias: Peccauerunt in me omnes, qui post illos duxerunt vxores, & filios genuerunt, & ideo perdidi eos. Vos autem nolite facere malum hoc, neque misceamini vxoribus vestris, vt similiter non deleam vos? Nihil autem tale dixit ad eos, sed ait: Crescite & multiplicamini, & replete terram. *Gen. 5.* Quod qualiter fieri posset nescio, nisi cum vxoribus suis miscerentur. Aut si vos scitis quomodo aliter possent crescere & multiplicari, & replere terram, dicite nobis. Item & hoc miror, quomodo Deus, si ita abominatur coniugium, vt dicitis, potuerit se tam familiarem exhibere sanctis Patriarchis, videlicet Abraham & Isaac & Iacob, B vt ipse loqueretur cum eis, & mitteret ad eos sanctos Angelos, & tanta eis promitteret in futurum de propagatione generis eorum, qualiter illud vellet multiplicare & dilatare, & benedictionibus replere: Scimus ex scriptura, quod primus illorum erat trigamus, secundus monogamus, tertius tetragamus, & tamen Deus non hoc abominatus est in eis, sed seruos suos dilectos eos frequentissime appellauit, & propter merita eorum multas ac magnas benedictiones contulit generationi eorum, & imitatoribus fidei sanctæ, quam haberent ad Dominum.

Veniam & ad illud quod mussitant quidam vestrûm, videlicet sequaces Hartuuini, quod illud coniugium solum iustum est, in quo virgines coniunguntur, & quod C vnam tantum prolem gignere debent, & postea statim ab inuicem discedere, nec vnquam deinceps ad coniugalem thorum conuenire. Per omnia stultos & indiscretos vos esse video, tum quia error vester non sibiipsi concordat, tum quia id quod dicitis nec ratione, nec aliqua authoritate sanctæ scripturæ potestis cõfirmare. Non sibiipsi concordat error vester, quia si primo homini mulierem, vt dicitis, interdixit, & adhuc eadẽ interdictio manet: tunc nec coniugium virginum, nec eorum qui post violatam virginitatem coniuncti sunt, licitum aut iustum est. Item ex eo vos stultos iudico, quia manifestis scripturæ sanctæ testimoniis contraitis: nam Paulus Apostolus ait: Quæ sub viro est mulier, viuente viro alligata est legi: Si autem mortuus fuerit vir eius, soluta est *1. Cor. 7.* D a lege viri. Igitur viuente viro vocabitur adultera si fuerit cum alio viro. Si autem mortuus fuerit vir eius, libera est à lege viri, vt iam non sit adultera si fuerit cum alio viro: Cui vult, inquit nubat tantum in Domino: *1. Tim. 5.* beatior autem erit, si sic permanserit secundum consilium meum. Item ait: Volo adolescentulas viduas filios procreare, matresfamilias esse. Quod de mulieribus ait, idem & de viris intelligendum est. Si ergo licitum est, vt Apostolus ait, vt mulieres viduatæ viris, iterum aliis nubant, & viri viduati vxoribus alias ducant: constat plane quoniam non solùm coniugia virginum licita & iusta sunt, sed eorum quoque qui ante coniugium suum virgines non fuerunt.

Scio autem quoniam & in hac parte nobis contraitis, & obiicitis nobis quædam verba Ioannis Chrysostomi, E quæ in expositione Matthæi scribit dicens: Secundam quidem vxorem accipere, secundum consilium Apostoli est: secundũ veritatis rationem, vera fornicatio est. Si secundum permittentem Deum publice & licenter committitur, honesta fornicatio est: & ego vobis dico, si credendum est doctrinæ Ioannis Chrysostomi, certe credendum est & doctrinæ sancti Augustini, & Hieronymi, & aliorum sanctorum patrum, quorum vita sancta erat, & quorum doctrina cum sanctis Euangeliis & scriptis Apostolorum concordabat, & in Romana Ecclesia, ad quam religionis Christianæ respectum habemus, authoritatem firmissimam habet. *Chrysost.* Audite quid & isti de secundis nuptiis dicant. Augustinus in libro de viduitate scribit hoc modo: Secundas nuptias omnino licitas concedit Apostolus. *Augu.* De tertiis autem, de quartis, & de vltra pluribus nuptiis, solent homines mouere quæstionem.

A Sed quis audeat diffinire, quod nec Apostolum audio diffinisse? Ait enim: Si dormierit vir eius, cui vult nubat, tantum in Domino. Non dicit primus, non secundus, vel tertius, vel quotuslibet, nec nobis definiendum est. Vnde, vt breuiter respondeam: nec vllas nuptias debeo dánare, nec eis verecundiam numerositatis auferre. Idem & Hieronymus testatur dicens: Ego nunc libera voce exclamo, nec damnari in Ecclesia digamiam, imò nec trigamiam, & ita licere quinto & sexto, quẽadmodum secundo marito nubere. Sufficiant tunc testimonia istorum duorum, qui affirmãt secundas nuptias licitas esse, quod certè nequaquã facerent, si scirent in eis esse turpitudinem fornicationis. Et quia isti in verbis quæ inducta sunt concordant cum verbis Apostolicæ doctrinæ, magis quàm illa Chrysostomi Græci doctoris, ista quidem B recipiuntur, illa vero non approbantur, neque recipiuntur in authoritate. Ipsi animaduertite: Nunquid vobis rationabile videtur, quod dicit secundum coniugium esse fornicationem, & ipsum esse secundum consilium Apostoli? Certe omnem fornicationem dissuadet Apostolus, & absterret homines ab ea, cum dicit: Fornicatores & adulteros iudicabit Dominus.

Hieronym.

Quomodo ergo conuenit, vt dicatur aliqua fornicatio esse secundum consilium eius? Laudamus certe Chrysostomum illum & aureum os eius, sed non in his verbis eum laudamus: æstimo tamen quod non in verbis illis hæresim sapiebat Ioannes, quam vos tenetis, vt videlicet secunda coniugia omnino illicita esse iudicaret, quemadmodum fornicationem. Sed ob hoc fortasse dicebat hoc quod nobis obiicitis, quoniam in secundis C nuptiis disceditur a sacramento vnitatis, quæ debet esse inter Deum & animam hominis, cuius significatio in monogamia est. & forte ob hoc quoque quod secunda coniugia magis extra pudicitiam sunt, quam prima. & nimis vehementer hanc persuadere cupiebat eis, quibus prædicabat.

Heb. 13.

Ad hoc iterum redeo, quod dicitis vnam tantum prolem debere generare coniuges qui virgines conuenerunt, Vnde hoc habetis? Quæ vobis scriptura hoc determinauit? Nõne ex verbis Apostoli, quæ nunc induxi, patet, quoniam non solos monogamos, sed etiam bigamos licet plures filios procreare, & debent vt dicitis statim ab inuicem separari, post quam vnam habuerit prolem. D Interrogo quare? Si vt dicitis hoc coniugium iustum est solum, quare soluendum est? Aut si solui necesse est, vt salutem consequi possint homines illi, quomodo iustum est coniugium eorum. Si ergo omne coniugium, vt dicitis, solui debet, qui sunt qui debent obseruare illud mandatum Apostoli: Alligatus es vxori, noli quærere solutionem? O insensati Cathari, quis vos fascinauit non credere veritati tot testimoniorum diuini eloquij, vt destruere velitis omnia legitima coniugia, quæ à principio mundi, vsque in hodiernum diem in honore fuerunt per vniuersum mundum, in omni genere hominum, & fidelium & infidelium? Puto quod ex amore castitatis hæc omnia dicitis. Puto quod ex amore castitatis hanc consuetudinem inter vos habetis, vt in conuenticulis E vestris, sicot ab vno hæresiarcha vestro audiui, pariter dormiant duo viri in lecto vno: itemque duæ mulieres in lecto vno, quatenus se vicissim custodiant, & vnusquisque testimonia suæ castitatis ab alio habeat. Magnæ religioni deputabat cõsuetudinem hanc qui narrabat hoc mihi; sed indubitanter à consilio maligni est religio hęc, & non adeo frenatum est os meum pudore, vt loqui non possim ea quæ de vestra misera castitate dicuntur ab eis qui experti sunt eam. Vos coniugalem copulam reprobatis, quam instituit Deus, & quæ cum lege naturę concordat. Attendite vobis ne forte ob hanc temeritatem iusto Dei iudicio tradiri suis in ignominiam, quæ à lege naturæ discordat. Hactenus de coniugio nos disputasse sufficiat, nunc autem de ea sanctitate vestra colloquimur, qua ab eis carnium abstinetis.

1. Cor. 7.

A

CONTRA SECVNDAM HÆRESIM *de esu carnium.*

Sermo VI.



Obis loquor, quos, sicut dixi, nõ homines, sed dæmones Apostolus vocat, cum dicit: Attendentes doctrinis dæmoniorum, loquentium in hypocrisi mendacium, prohibentium nubere: & subauditur, docentium abstinere a cibis, quos Deus creauit ad percipiendum cum gratiarum actione fidelibus, & his qui nouerunt veritatem, quia omnis B creatura Dei bona, & nihil reiiciendum, quod cum gratiarum actione percipitur. Sanctificatur enim per verbum Dei & orationem. Dicite mihi de quo genere ciborum locutus est Apostolus hoc loco? Si ignoratis, dicam vobis. Carnes significauit, & de vobis locutus est, qui in hypocrisi loquimini mendacium, videlicet nõ esse licitum hominibus vt nubant, & vt carnes manducẽt: hoc in hypocrisi loquimini, quia in hoc casti & sancti coram hominibus vultis apparere, sed est mẽdax hęc vestra doctrina. Nam & nubere licet, sicut Apostolus in hoc ipso demonstrat, quod eos abominatur, & dæmones vocat, qui hæc prohibent. Et carnes edere licet eis, qui votum non habent abstinendi ab eis. Ratio vestra est, quare edendę nõ sint carnes, quia de coitu nascitur omnis caro, & ideo immunda est, & coinquinat manducãtem. C Miror si Dominus creator omnium rerũ, quando hominibus concessit vt ederent carnes, ignorabat hanc vestram sanctã rationem, videlicet immundos fieri omnes qui ederent carnes, pro eo quod omnis caro ex concubitu nasceretur. Heu quod non habebat Catharum vnum, qui ei hãc sapientiam in aurem susurrasset, in illa hora quãdo dedit potestatem edendi carnes Noe & filiis eius dicens: Crescite & multiplicamini, & terror vester ac tremor sit super cuncta animalia terræ, & super omnes volucres cœli, cum vniuersis qui mouentur in terra. Omnes pisces maris manui vestræ traditi sunt, & omne quod mouetur & viuit, erit vobis in cibum: quasi holera virentia tradita vobis omnia, excepto quod carnem cum sanguine non comedetis. Nõne ecce patet ex his verbis, D quod Deus fecit homini licitum manducare carnes? Et qua fronte, qua audacia vos dicitis esse illicitum? Certe si sciebat omnem carnẽ ita pollutam, vt non posset quisquã ex ea gustare quin pollueretur, non sans fidelis erat Deus, quando concessit homini talem cibum, quem sine pollutione sua non potuit manducare. Si vero hęc Deus nesciebat, & vos scitis, puto vos sapientiores esse Deo, & magnos amatores mũditiæ. Sed quam falsum hoc sit vos ipsi scitis, si aliqua scitis. Nunquid & sapientiores & sanctiores estis sanctis Patriarchis, qui licitum æstimabant esum carnium, & ipsi ex eis vescebantur? Sanctus Patriarcha Abrahã qui dignus habitus est, vt familiariter loqueretur cum Deo, legitur suscepisse hospitio An- E gelos Dei, in forma trium virorum, quibus & prandium fecit, & vitulum tenerrimum & optimum, quem coxerat, eis apposuit ad manducandum. Quod vtiq; non fecisset vir sanctus & sapientissimus, si sciret in tali cibo immunditiam esse. Sed & filius eius Isaac pulmentum de venatione, à filio suo Esau petiit, & edulium de hœdis oblatum ab Iacob manducauit. Sacerdotes quoque populi Israel, & omnes qui de genere sacerdotum erant, carnes legalium hostiarum in loco sancto manducare à Domino iussi sunt. Quia si ita immũda esset omnis caro, vt vos arbitramini, nunquã tot sacrificia de carnibus animalium Deus sibi super altare suum offerri pręcepisset. Nunquam in sancta lege sua de comestione earũ sacerdotibus suis aliquid mandasset, neque per eas sanctitatẽ earum pollui permisisset. Ad hæc forsitan respondetis, quoniam multa in tempore veteris legis licita erant, quę licita non sunt in tempore hoc Euangelicæ legis, & ma-

1. Tim. 4.

Gen. 9.

Gen. 18.

Gen.

iorem munditiem exigit Deus à populo noui Test. quã à populo qui erat sub priore testamento. Et idcirco istis vitandæ sunt carnes, quamuis illi ab eis non abstinerẽt. Ego vero ad hoc dico, quoniam si, vt dicitis, aliqua naturalis immũditia est in carnibus animalium, quę coinquinet mãducantem, eadem & tũc erat, quia eiusdem creationis & cõditionis erant tunc cuius sunt & nunc. Item si licitus non est vsus carnium, ostẽdite nobis aliqua mãdata Euangelicæ aut Apostolicæ scripturæ, aut aliquorũ orthodoxorũ patrum traditiones, in quibus generaliter præceptum sit vt abstineatur ab eis, & credemus vobis. Dominus saluator quando ad prædicandum discipulos suos misit, inter cætera dicebat hęc ad eos: In quamcunque domũ intraueritis, primum dicite, pax huic domui: & si ibi fuerit filius pacis, requiescet super illam pax vestra. In eadem autem domo manete edẽtes & bibentes, quæ apud illos sunt: Dignus est enim operarius mercede sua. Matth. 10. Videtis quod non exclusit à cibis eorum vsum carniũ, ita vt diceret: Quod si vobis apposuerint carnes nolite manducare. Quod vtique dixisset, si esum carniũ sãctitati eorũ periculosum fore existimasset. Dicite mihi: Si immunda est omnis caro, & coinquinat manducantẽ, quomodo verum erit quod Saluator dixit: Nõ quod intrat in os coinquinat hominẽ, sed quod procedit de ore coinquinat hominẽ. Matth. 15. De corde, inquit, exeunt cogitationes malę, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonia, blasphemię. Hæc sunt quæ coinquinant hominem? Ergo, ô Cathari, non carnes vos coinquinant, si manducaueritis eas, sed mendacia vestra, quibus creaturam Dei bonam dicitis esse immundam. Non tamẽ hoc dico, quasi mihi sit curæ, vt vnquam aliquid boni mãducetis aut bibatis, qui populo Dei tam peruersæ doctrinæ mortiferum poculum vbique propinatis. Audite nunc quid Apostolus noster scribens ad Corinth. dicat. 1. Cor. 10. Omne quod in macello vænit, manducate, nihil interrogantes propter conscientiã. Domini.n. est terra & plenitudo eius: An nescitis quod in macello carnes vænundari solẽt? Si ergo omne quod in macello vænit, id est, vęnundatur, manducari licet, tunc secundum Apostoli verbum, & carnes manducari possunt à Christianis. Quod autẽ adiunxit: Nihil interrogantes propter conscientiam, ideo dixit, quia in tẽpore illo, etiam carnes immolatæ idolis, vendebantur in macello, & nolebat Apostolus vt Christiani eas ementes interrogarent, vtrum immolatę fuissent idolis, an nõ, ne forte alius Christianus adhuc infirmus in fide, sciens eos scienter manducare idolothyta, putaret eos mãducare ea sub veneratione idoli, cui fuissent immolata. Et sic ipse quoque inciperet idola venerari. Simile est & illud, quod subiũgit: Si quis vocat vos infidelium ad cœnam, & vultis ire, omne quod vobis apponitur manducate, nihil interrogantes propter conscientiam. Si quis autem dixerit, hoc immolatitium est, nolite manducare propter illum qui indicauit, & propter conscientiam. Cõscientiam autem dico non tuam, sed alterius, subaudi infirmi, sicut prædictum est. Si ergo carnes illæ, qui fuerant dæmonibus immolatæ, non poterant contaminare manducantem illas, eum videlicet ei non fuisset indicatum de eis, quod essent immolatitię, multo minus illæ, quę nunquam talibus sacrilegiis adhibitæ sunt. Illud forte obiicitis mihi, quod Apostolus ad Romanos scribens ait: Bonum est homini non manducare carnem, & non bibere vinum. Et ego quidem idipsum concedo, quoniam hoc homini bonũ est. Quare bonum? Rom. 14. quia qui abstinet ab esu carnium, & potu vini, longius est ab eo peccato, quod contrahitur per concupiscentiam gulæ, quam qui vtitur istis. Suauia enim sunt hæc ad gustandum, & facile prouocant concupiscentiam gulæ, vt supra quam oporteat delectetur, in his qui gustat ea, quod quidem peccatum est. Item idcirco bonum est, vt per abstinentiam istorum corpus affligatur & per afflictionem corporis maior à Domino merces acquiratur. Et hæ quidem sunt causę quibus monachi, & fideles viri pœnitentes ab illis se abstinent.

Attamen quamuis concedatur, quoniam sicut ait Apostolus: Bonum est homini non manducare carnem, & non bibere vinum, nõ ex hoc concedi oportebit, vt vobis videtur, quoniam malum est comedere carnes & bibere vinum: quia possibile est ita temperate hominem istis vti, vt non peccet. Nam & Saluator bibit de genimine vitis cum discipulis suis, & tamen nũquam peccauit. Quod autem non necessaria sit contentio ista: bonum est homini non manducare carnem, & non bibere vinũ, ergo malum est homini manducare carnem, & bibere vinum, in simili sermone demonstrabo. Scimus quoniã bonũ est silentium, & multum à spiritualibus viris commendatur, quoniam qui silet, longius est à peccato linguæ, quam qui loquitur. Nam qui non peccat in verbo, hic perfectus est vir. Iacob. 3. Si ergo bonum est silere, malum est loqui. Nunquid hoc necessario sequitur? Nequaquam: Quoniam simul hęc vera sunt, videlicet bonum est silere, & bonum est loqui. Itaque non manducare carnem, & non bibere vinum, cum dicatur bonũ quasi cautum, non quasi virtus. Non oportet vt ob hoc dicatur malum esse comedere carnes, & bibere vinum, quia in hoc cõtinuo intelligeretur, quod esset vitium & peccatum. Veruntamẽ non multum est necessarium assumere nos hanc disputationem hoc loco: quia si recte animaduertimus tenorem scripturæ, vnde sumpta sunt hæc verba, patet, quia non simpliciter dictum est: Bonum est homini non manducare carnem, & non bibere vinum. Nam cum dixisset in præcedentibus loquens de escis: Omnia quidem munda sunt, sed malum est homini qui per offendiculum manducat, protinus addidit: Rom. 14. Bonum est homini non manducare carnem, & non bibere vinũ, continuoque subiunxit: Neque in quo frater tuus offendit, aut scandalizatur, aut infirmatur: & est sensus: quandoquidem malum est homini aliquid mãducare per offendiculum, ita vt alium suo cibo scandalizet; Bonum est homini non manducare carnem, & non bibere vinum. Neque subaudis aliquid tale, in quo frater tuus offendit, aut scandalizatur. Est ergo generalis quædam comprehensio quorumlibet ciborum in his verbis, vt intelligi possit & de faba, & legumine idipsum. Nam si quis ista comedẽdo fratrem suum scandalizaret, bonum esset illi non comedere ista. Suauiores autem cibos nominatim expressit, à quibus difficilius abstinetur, vt suaderet dimitti etiam concupiscibiles cibos, causa fraternæ charitatis. Id autem in tempore illo necessarium existimabat suaderi, quia erant quidem ita perfectæ fidei, vt nullum cibum æstimarent immundum, sicut & Apostolus dicebat: Omnia quidem munda sunt: & erãt quidem adhuc ita infirmi in fide, vt æstimarent à quibusdam esse abstinendum: veluti Iudęi nouiter conuersi, quia abominabantur eos, qui porcinam, vel idolothyta coram eis manducabant, & ex hoc scandalizabantur. Rom. 14. Propter huiusmodi ergo dicebat: Si propter cibum tuũ fratrẽ tuus contristatur, iam non secundum charitatem ambulas. Et de ipso dicebat: Quia si esca scandalizat fratrem meum, non manducabo carnes in æternum, ne fratrem meum scandalizem. Itaque si quod obiectionis in his verbis Apostoli, quæ inducta sunt, habebatis, exinanitum est. Adhuc dicite mihi: Carnes non manducatis, quia ex coitu veniunt; Et quare pisces manducatis, qui similiter ex coitu veniunt? Nihil hic rationis habetis: Ibid. Puto peccatum est coitus gressibilium, & volatilium & non natatilium, & in peccatis concipitur & nascitur omne animal: & ideo sine peccato non possunt manducari carnes eorum: falsum est hoc totum, ô Cathari, falsum est, quia nullum vnquam mandatum susceperunt aut suscipere potuerunt de vitando coitu. 1. Cor. 9. Et ideo nihil magis rationabile est quod dicitis, non comedimus vaccam, quia de coitu nata est, quam si diceretis, non comedimus vaccam, quia cornuta est: Non esse de coitu natam, nihil magis peccatum est, quam esse cornutam.

Contra tertiam Heresim, de creatione carnium.

SERMO VI.

SCimus autem quia' princeps erroris vestri Manes talem habebat vitandarum carnium ratione͂, quod dicebat omne͂ carnem creata͂ esse à diabolo, & humani quoq; corporis conditione͂ ei attribuebat. Anima͂ vero à Deo creatam affirmabat: Et sicut co͂pertum habeo, vos quoq; in occultis vestris eande͂ rationem vitandaru͂ carniu͂ susurratis. Sed hoc quoque mendaciu͂ mendacissimu͂ est, nisi, quod absit, mentiatur scriptura veritatis, quæ B dicit: Dixit quoque Deus: Producat terra animam viuentem in genere suo, iumenta & reptilia & bestias terræ iuxta species suas, & iumenta & omne reptile terræ in genere suo. Et vidit Deus quod esset bonum. (Genes. 1.) Quod si non sufficit scriptura veteris testamenti ad co͂probandum vobis, quod omnem carnem fecerit Deus, audite scripturam Euangelicam, quæ dicit: In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum. & Deus erat verbum, hoc erat in principio apud Deum. (Ioan. 1.) Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil. Si ergo omnia per verbum Dei facta sunt, ergo & omnis caro per ipsum facta est. O maniatice Manes cum insanis sequacibus tuis, ille vos adiuuet sicut ipsum decet, quem Deo adiutorem in creatione rerum co͂stituistis. C Gens maledicta, quid indiguit Deus adiutorio diaboli, vt non posset perficere conditionem vniuersitatis, nisi enim diabolus adiuuisset? An nescitis quoniam tantæ malitiæ est, vt si possit vno momento, omne quod ad laudem Dei est in mundo destrueret, & ad nihilum redigeret potius quam crearet. Taceo tunc de corporibus irrationabilium, de corpore hominis loquor, qui specialiter est conditus ad seruiendum Deo viuenti, & ad resistendum per omnia diabolicæ voluntati. Certe si creasset corpus eius diabolus, nunquam iam honeste, tam ordinate, aut commode membra eius disposuisset, sicut sunt. Quoniam si recte animaduertuntur, secundum mirabilem sapientia͂ & benignitatem cuncta ordinata sunt, sicut omnibus patet. D Cętera animalia sic condita sunt, vt prono ad terra͂ corpore, & vultu demisso incedant, solus vero homo ita dispositus est in corpore, vt incedat rectus & aptu͂ habeat vultum ad suscipiendos cælos, ad quos totam mentis intentionem dirigere debet. Et nunquid putatis, si disposita fuissent membra humana secundum arbitrium diaboli, qui interminabile odium aduersum omnes nos gerit, & cunctis bonis nostris inuidet, talem nobis honore͂ præ cæteris animantibus præstitisset? Nequaquam: imo nos tales maluisset condidisse, vt toto corpore serperemus per terram, aut erectis sursum pedibus, & conuerso in terram capite manuum officio sicut fieri posset incederemus. Quomodo enim amet honorem & commodum humani corporis sæpius ostendit in illis, quos pro aliquibus delictis Deus ab illo flagellari permittit, sicut E & in muliere illa, quam illigauit Satanas XVIII. annis ita vt non posset sursum aspicere, & in eo quem frequenter in ignem & in aquam misit, vt eum perderet, & in aliis quam pluribus. Patet ergo ex his quæ dicta sunt, quonia͂ si idcirco carnibus abstinetis, quia nascuntur ex coitu, fatui estis. Si vero idcirco, quod opificium sint diaboli, sicut mentitus est princeps vester Manes, constat quoniam insani estis cum illo: Et nunc ad alia transeamus.

Contra quartam heresim de baptismo paruulorum.

SERMO VII.

DE Baptismo paruulorum, dicitis quonia͂ inanis est, quod neque illis prodest ad salutem, neque aliquibus qui non sunt eius discretionis vt possint credere, aut A per seipsos gratia͂ baptismi postulare. Co͂firmatis autem, vt æstimo errore͂ istu͂ auctoritate Euangelici sermonis, que͂ locutus est Dominus, quando ad baptizandu͂ misit discipulos suos dicens: Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti: (Mar.) qui crediderit & baptizatus fuerit saluus erit, qui vero non crediderit, condemnabitur. Hinc, ni fallor, huiusmodi argumentationem sumitis vt dicatis: Nemo credere potest nisi discretionem habeat boni & mali: Paruuli autem cum baptizantur, discretionem boni & mali non habent, ergo non credunt; condemnantur ergo cum ante annos discretionis moriu͂tur. Si hoc dicitis scire debetis, quia no͂ rectum in verbis veritatis intellectum habetis. B Quod enim Dominus ait: Qui non crediderit co͂demnabitur, non ita accipiendum est, quasi dictum sit de omnibus qui non credunt, sed tantum de his qui credere possunt, & nolunt. Paruulos enim qui baptizantur, & nec dum credere possunt, imbecillitas sensus sui excusat vt non comprehendantur in sententia illa, qua condemnantur non credentes. Sic autem pluribus in locis sancta scriptura loquitur, quasi vniuersitatem quandam comprehendat, vbi tamen vniuersitas intelligenda non est, sed de vniuersitate aliquid excipiendum est, vt patet in priori parte eiusdem sermonis, quem de Euangelio induxi, vbi ait: Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit. Ecce enim hoc videtur dictum de omnibus qui credunt & baptizantur, quod saluandi sint, sed (Ibid.) C non est ita: nam multi credunt & baptizantur, nec tamen saluabuntur, quoniam ad tempus credunt & in tempore tentationis à fide recedunt, vel per malam vitam fidem suam inutilem reddunt. Propterea ergo, vt dixi, de vniuersitate credentium quę ibi videtur comprehensa, aliquid excipiendum est, ita vt dicatur hoc dictum esse non de omnibus credentibus, sed de illis qui habent fidem, quæ per dilectionem operatur, & in ea perseuerant, ita vt non refrigescat charitas eorum in tentatione, & non recedant corda eorum à Deo. Si ergo prior particula illa sermonis, quæ communiter dicta videtur, stare non potest, nisi aliquid de vniuersitate excipiatur, non debet videri incongruum, si etiam posteriorem partem eius ita exponimus, vt eam non v- D niuersaliter intellige͂dam esse dicamus. Tale est & illud quod idem Saluator in Eua͂gelio de sacramento corporis & sanguinis sui pronunciauit dicens: Qui manducat (Ibid.) meam carnem, & bibit sanguinem meum, habet vitam æternam. Hoc enim videtur dictum de omnibus, qui manducant & bibunt corpus & sanguinem Domini; sed non est intelligendum nisi de illis qui digne manducant & bibunt corpus & sanguinem Domini: multi enim manducant & bibunt corpus & sanguinem Domini indigne, & non ex hoc habent vitam æternam, sed vt dicit Apostolus, iudicium sibi manducant & bibunt non diiudicantes corpus Domini. (1.Cor.11.) Itaque, vt dixi, illa sententia qua dictum est: Qui non crediderit, condemnabitur, non ad omnes non credentes pertinet, (Mar. vlt.) sed ad eos qui cum habeant possibilitatem credendi, E non credunt: Excipiuntur enim paruuli qui baptizantur, & necdum credere possunt. Forte adhuc vobis videtur, quia iniuriam faciamus litterę Euangelicæ, quę videtur pertinere tantum ad eos qui possibilitatem habent credendi: Sed quæso respondete mihi de simili littera, quę in sancta scriptura inuenitur. Iacobus Apostolus in Epistola canonica scribit dicens: Qui non peccat in lingua hic perfectus est vir. (Iacob. 3.) Nunquid hoc pertinet ad omnes communiter, qui non peccant in lingua? Certe si omnes qui peccatum linguæ non committunt, perfectę sunt sanctitatis, omnes infantes, & omnes muti, sancti & perfecti iudicandi sunt, quod falsum esse nulli dubium est. Itaque quod dictum est, Qui non peccat in lingua, hic vir perfectus est, ita intelligi necesse est, vt dicatur esse perfectus qui cum possit & sciat peccare in lingua, abstinet per Dei timorem, vt non peccet in ea. Tale est & illud quod Apostolus ait: Qui non

laborat

laborat, non manducet. Nam vniuersaliter pronuntiari videtur de omnibus non laborantibus, sed non est ita: Nam si de illa sententia nullus qui non laborat excipiendus est, tunc neque pueri, neque senes, neque infirmi manducare debent, qui non laborant. Ad eos ergo pertinet verbum hoc, qui cum possint laborare, non laborant, sed otio vacant. Simile est & illud: Qui vero male egerunt in resurrectionem iudicij. Hoc quoque generaliter dici videtur de omnibus qui male agunt. sed excipiuntur ab hac sententia qui mala agunt & postea pœnitēt, & in bono perseuerant. Multa in scripturis sanctis similiter dicta inueniuntur, sed non est necesse plura ad præsens negotium exempla induci. Et nunc si aliā habetis defensionem erroris vestri, proferte eam, quoniam hæc de qua nunc locuti sumus nō proderit vobis.

Ioan. 5.

B Popule stulte & insipiens, nunquid non cognoscitis gratiæ tempus? An nescitis quoniam scripturæ sanctæ vocant tempus gratiæ omne hoc tempus, quod à Christi natiuitate vsque ad finem sæculi decurrit? Idcirco autem gratiæ tempus vocatur, quia in eo dilata est misericordia Domini super genus humanum, & apertus est sinus Dei ad suscipiendas animas hominum, magis quam in omnibus sæculis, quæ fuerunt ante Christi aduentum. At si ita est, vt prædicat impietas vestra, videlicet quod omnes qui ante annos discretionis moriuntur, condemnantur, & nullum eis remedium constitutum est à Deo, quo possint adiuuari ab Ecclesia Dei, vt oporteat eos ex necessitate effluere in perditionem æternam, durus certe & immisericors est Deus magis quam fuisset in temporibus quæ aduentum Christi præcesserunt, & minus curans de hominum salute.

C A tempore enim Abrahæ vsque ad Christum, constitutum erat à Deo, in populo Iudaico, qui erat ex Abraham, vt omnis infās masculus die octaua à natiuitate sua circūcideretur in carne sua ad generationem pertinente, vt sic liberaretur à peccato originali, cum quo nascitur omnis homo, & pro quo damnatur omnis anima, quæ non fuerit aliquo remedio ab eo purgata. Quia autem pro animarum saluatione datum fuerit illud mādatum, aperte cognosci potest ex verbis Domini, quæ ad Abrahā locutus est, quādo ei circuncisionis præceptum dabat: dicens: Infans octo dierum circuncidetur in vobis. Omne masculinū in generationibus vestris, tam vernaculus quam emptitius circuncidetur. Masculus cuius præputij caro circuncisa non fuerit, delebitur anima illius de populo suo.

Gen. 17.

D Ecce in hac comminatione euidēter cognosci potest, quod propter conseruationem animarum eorum, ipsos iussit circuncidi. Et hoc animaduertite, quod non dixit expectandum esse vsq; dum peruenisset homo ad annos discretionis, & tunc esse circuncidendum, cum per seipsum postulare posset circūcisionem: sed die octauo iussit circuncidi infantem, quia sciebat fragilitatem corporis humani, & quod leui infortunio contingere potest, vt extiguantur homo, antequā ad annos maturitatis perueniat. Quia ergo ita festinari voluit circuncisionem, idcirco fecit, vt saluæ fierent animæ, & non inciderent in damnationem æternam per maculam originalis peccati, quod à primis parentibus contraximus omnes. Potuit etiam nimirum eadem circumcisio fieri ante diem octauum, si periculum mortis paruulis imminere videbatur. Sicut & nos pro eadē causa ante tempus nonnunquam paruulos baptizamus, cum tamen sit cōstitutum ab Apostolicis patribus, vt vel in Pascha, vel in Pētecoste baptizemus. Sicut autem paruuli masculini sexus ab originali culpa, per circuncisionem expiabantur, ita & fœmini sexus infantes per legales oblationes ab ea purgabantur, vt & ipsarum animæ non perirent à populo suo. Ante tempus autem circuncisionis ab Adam vsq; ad Abraham, qui primus suscepit circuncisionis mandatum, fieri solebant oblationes Deo, ab his qui Dei cultum habebant, per quas deleri potuit originale peccatum, atq; alia peccata fragilitatis humanæ in electis Dei tam pusillis quam magnis, vt saluæ fierent animæ eorū

A quoniam nunquam misericordia Dei humanum genus omnino dereliquit. Ecce talis erat Deo de infātibus cura prioribus sæculis vt conseruarentur animæ eorum à perditione, & nunquid æstimatis impia gens quod oblitus sit eiusdem misericordiæ suæ Deus in tempore isto, quod gratiæ tempus & annus benignitatis vocatur? An putatis quoniam minus amet filios, & filias Christianorum, quam infantes Iudęorum, quibus cōstituit circuncisionem, vt non perirent animę eorum à populo suo? Iussit autem cessare circuncisionem post Ascensionem Christi per doctrinam Apostolorum, quorum vnus dicebat. Si circuncidamini Christus nihil vobis prodest. Circuncisionis autē loco esse voluit baptismum aquæ, vt eo purificaretur à peccatis omnis homo tam pusillus quam magnus, quicunque fuisset mersus in eo in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti. Et quidē si est, vt vos dicitis, videlicet quod tantūm adultis & nō etiam paruulis prosit baptismus ad salutem, non habet tantam virtutē baptismus nunc, quantam habuit Circuncisio in tempore suo obseruata. Super hoc ergo mihi respondete: Quando constituit Dominus vt baptismus fieret in Ecclesia, & cessaret Circuncisio, tunc vel voluit & non potuit dare baptismo eam virtutem, quam habuerat Circuncisio, videlicet vt per ipsum conseruarentur animæ infantium: Vel potuit hoc & noluit, vel nec voluit hoc nec potuit. Si voluit, & non potuit, non erat tantæ potentiæ, quantæ fuerat olim, quando constituit fieri Circuncisionem, & per eam animas paruulorū conseruauit à dānatione. Quomodo ergo verum erit quod dicit scriptura: Omnia quæcunque voluit Dominus fecit in cœlo & in terra? Si autem potuit & noluit, non est in hoc tempore gratiæ tam large benignus, neq; tam fidelis erga populū Christianum, vt fuerat erga populū Iudaicum. Et in eo quod abstulit Circuncisionem, in qua poterāt conseruari animæ infantium, & nihil in loco eius fieri ordinauit per quod possent adiuuari. Si autem nec voluit nec potuit Deus facere per baptismum eam misericordiam paruulis, quam fecerat per Circuncisionem, consequens est, vt neque tam potēs neq; tam benignus sit in tempore hoc vt fuerat in diebus antiquis. Quod quidem tam alienum est à veritate, quam Catharus à salute. Et si verus est sermo vester, melius certe atque felicius fuisset mundo, vt Iudaica lex quæ adiuuare potuit tam pusillos quam magnos, in statu suo permansisset, & vt ad eam omnes gentes confluxissent, quam vt lex Christiana mundū intrasset, quæ, vt susurratis, prodesse non potest, nisi his qui ad annos discretionis perueniunt. Vix certe media pars hominum viuendo peruenit ad dies suos, in quibus scire possint quid credere debeāt, aut quid non. Si ergo omnes tales necesse est perire, merito debet intolerabilis esset tristitia toti Ecclesię, pro ea mutatione, quā in ea fecit Deus, in hoc quod interdixit circuncisionem, & pro ea baptismum constituit, & tanta millia animarū in perditionē ire permittit, quibus putatur prodesse baptismus, & non eis prodest, vt docet hæresis vestra. Quid ergo aliud faciet Rachel, nisi vt sine intermissione ploret filios

Galat. 5.

Psalm. 134

E suos, & non velit consolari, quia non sunt? Quomodo ergo tēpus istud recte dici potest tempus gratię, & non magis tēpus irę? Imo ô filij irę, ô Cathari semen nequam, filij scelerati, nunc est tēpus gratiæ, & non iræ: nūc tempus acceptabile, nunc dies salutis quia sicut prædixi, dilatata est misericordia Dei super hunc mundum magis quā in prioribus sęculis. Nam ante Saluatoris aduentū regnauit mors & perditio in humano genere, & premebat ira Dei totum mundum, & paucissimæ animæ in illo tēpore saluæ fiebant à morte ęterna. Omnes enim gentes creatorem suum ignorabant, & idololatrię deseruiebant, pręter Iudaicam gentem, in qua notus erat Deus, & quæ legibus & obsequiis veri Dei erat mancipata. In hoc autem tempore ostendit Deus misericordiam suam in vniuerso mundo, & notus fieri voluit in cunctis finibus terræ, & constituit baptismi gratiam, non vni genti, vt Circuncisionem Iudæis, sed omni generi ho-

minum, ita vt quicunque baptizatus fuerit in nomine eius, siue Iudæus, siue Græcus, siue Latinus, siue barbarus, pusillus aut magnus, mas siue fœmina, seruus siue liber, remissionem omnium peccatorum in eo consequatur tam plenarie, vt si mox per baptismũ de hac migret vita, aperta sit ei ianua regni cœlestis. Tãtam vero virtutem saluationis non habebat circuncisio in veteri populo: Nemini quippe pusillo & magno quantumcunque innocens aut sanctus esset, introitus regni Dei aperiebatur per circumcisionem, aut per aliquas obseruationes legis antiquæ. Sed quicumque electi erant ad regnũ Dei in populo illo, detinebantur animæ eorum in locis sibi destinatis à Deo, expectantes donec per virtutem Christi patefieret eis accessus ad perfectæ beatitudinis gloriam. Propter hæc ergo quæ nunc dixi, merito hoc tempus Christianitatis, tẽpus gratiæ, & tempus acceptabile dicitur, & dies salutis dies isti vocantur, qui magis dies perditionis dici possent, si ita esset, sicut vos impie susurratis. Non autem id me dicere æstimetis, quòd omnes qui in Ecclesia secundum quod constitutum est à Domino baptizantur, ita remissionem peccatorum suscipiant, vt qualitercunque postea vixerint, tamen ad regnum Dei perueniant. Sed hoc dico, & fides nostra inconcusse hoc tenet: Quicunque paruuli, siue à bono homine, siue à malo, & si sit hæreticus, in nomine Patris & Filij & Spiritus sãcti baptizantur, & morte præueniuntur antequam maturescant, saluantur per baptismum & per fidem sanctæ Trinitatis, quam habet Ecclesia Catholica, quæ inuocat nomen Domini pro salute eorum, qui baptizantur in ea, sicut olim saluabãtur per circumcisionem & per fidem patrum: Qui vero ad annos maturitatis perueniunt, si gratię in baptismo acceptę, vita eorum consors fuerit, hos & baptismus, & fides Catholica, & operum rectitudo perducunt ad salutem. Qui vero prauis operibus vitam suam commaculant, & contra mandata Dei pompis diaboli deseruiunt, hi profecto gratiam Spiritus sancti in baptismo acceptam, in seipsis extinguunt, & nihil his prodest baptismus ad salutem, sicut & circumcisio multis Iudæorum peruerse gradientibus nihil profuit ad salutem consequendam. Hæc est nostra Catholica fides, de his qui baptizantur, quæ palam in Ecclesia Dei semper prædicata est temporibus Apostolorum & sanctorum patrum, qui eis in Romana Ecclesia, aliisque Ecclesiis, vsque ad hæc tempora nostra successerunt, & qui leguntur prædicasse in manifesto & baptizasse in Christo, senes & iuuenes, mulieres & paruulos.

Ad illud vero redeo quod dixi, saluari paruulos per baptisma, & per fidem sanctæ Trinitatis, quam habet Ecclesia, quæ inuocat nomen Domini pro salute eorum qui baptizantur in ea. Hoc vobis incredibile esse dicitis quod alicui homini prodesse possit alterius fides apud Deum. Et quare hoc vobis est incredibile? Si scitis Euangelia, reuoluite ea, & inuenietis, quoniam Dominus saluator cum inter homines conuersaretur, & miracula diuina operaretur, multis qui male habebant, misericordiam suam exhibuit, non propter ipsorum merita, sed propter fidem aliorum, qui ipsum deprecabantur pro eis. Legimus siquidem de muliere Chananæa, quod

Matth. 15.

rogabat Dominum pro filia sua, quæ male à dæmonio vexabatur. & ipse auditis miserãdis clamoribus matris, tandem misertus est super eam & dixit: O mulier magna est fides tua, fiat tibi sicut vis, & sanata est filia eius ex illa hora. Ecce in eo quod ait: Magna est fides tua, aperte declarauit, quoniam per fidem, quam in ipsum mater habebat, meruit vt sanaretur filia eius, quæ nec fidem, nec sanam mentem habebat. Et de Centurione legimus, quod pro sanitate paralytici serui sui Dominum deprecatus est. Cui cum dixisset Dominus, ego

Matth. 8

veniam & curabo eum, atque ille respondisset: Domine non sum dignus vt intres sub tectum meum, sed tantum dic verbum, & sanabitur puer meus, admiratus est Dominus super fide eius, dicens: Amen dico vobis, non inueni tantam fidem in Israel: moxque illi dixit: Vade, & sicut credidisti, fiat tibi. Et sanatus est puer in illa hora. Nonne & his verbis patet, quoniam fides viri postulãtis ei pro quo postulabat, profuit vt sanaretur? Respõdebitis forte, quod his de quibus nunc dictum est, videlicet puella obsessa, & puero paralytico fides postulantium pro eis profuit quidem ad corpus, sed non ad animarum sanitatem, & dicitis, quod ad salutem animæ consequendam, vnumquemque tãtum propria fides adiuuare possit, & non fides aliorum quãtumcunque clament pro eo. Et nunc aliud exemplum vobis adducam, quod in hac parte contra vos est. Scriptum est in Euangelio Lucę, quia factum est in vna dierum, & Iesus sedebat docens, & erant Pharisæi sedentes, & legis doctores, qui venerant ex omni castello Galilæę & Iudęę, & Ierusalem, & virtus Domini erat ad sanandum eos. Et

Luc. 5.

ecce viri portãtes in lecto hominẽ qui erat paralyticus, & quærebant eum inferre & ponere ante eum, & non inuenientes qua parte inferrent eum prę turba, ascenderunt super tectum, & per tegulas submiserunt illum cum lecto in medium ante Iesum. Quorum fidem vt vidit, dixit: Homo, remittuntur tibi peccata tua. Ecce in eo quod dicit Euangelista: Quorum fidem vt vidit, manifestè dat intelligi, quoniam fides illorũ, quam habebant de potentia eius, beneplacita erat Domino, & quòd specialiter propter ipsam illi data est, primum quidem remissio peccatorum, quę ad salutem animę illius pertinebat: & postmodum sanitas corporalis, quando eidem paralytico dicebat: Tibi dico surge, tolle lectum tuum, & vade in domum tuam. Si enim hanc misericordiam Dominus eidem paralytico fecisset ob meritum fidei ipsius, & non propter illorum fidem, nequaquam dixisset Euangelista: quorum fidem vt vidit, sed magis, cuius fidem vt vidit. Hęc nos animaduertentes confidimus, quod nostram quoque fidem respiciat Dominus Iesus, quando infirmum nostrum ipsi offerimus curandum. Portamus siquidem & nos paralyticum in lecto, & ponimus ante Iesum, quando paruulum baiulamus ad baptisma petentes vt baptizet eum & saluet. Anima quippe rationalis adhuc originali peccato constricta, & nihil adhuc naturalium virium exercere valens in corpore puerili, cui melius comparatur quam homini intus per peccatum constricto, & foris per paralysim in membris dissoluto iacentique in lecto? Et pro illo quidem nihil aliud postulabant amici eius, nisi vt corpore sanaretur: ipse vero ex gratuita bonitate prius quod maius erat, pręstitit, sanando à peccatis eum in anima, & postmodum etiam quod petebatur, adiecit corporalem ei sanitatem restituendo: & approbata est fides illorum, qui hoc quod minus erat eum posse credebant. Est autem indubitanter maior fide illorum nostra fides, cum qua paralyticũ nostrum Domino pręsentamus, ac magis spiritualis petitio nostra, petitione illorum. Credimus quippe, quod quẽadmodum potest per baptismum purificare maiorum animas ab omni peccato, tam actuali quam originali: ita potest & paruulorum animas liberare ab originali peccato sine meritis ipsorũ, sicut & sine meritis suis. Pręfatus ille paralyticus, & in anima & in corpore sanatus est. Credimus inquam hoc & fideliter ab ipso postulamus, si quãdo ei paruulos baptizandos offerimus: ipse enim inuisibiliter illis præsens est illic, & ipse inuisibiliter baptizat omnes qui cum inuocatione sanctæ Trinitatis aquis immerguntur. Nolite mirari super hoc quod dixi, quoniam ipse inuisibiliter baptizat eos qui baptizantur. Scriptum quippe est, quod Ioannes Baptista tale de ipso testimonium pronuntiauit dicens: Qui misit me in aqua baptizare, ille mihi dixit: Super quem videris

Ioan. 1.

spiritum descendentem, & manentem super eum, hic est qui baptizat: & vidi & testimonium perhibui, quia hic est filius Dei. Idem quoq; dicebat ad turbas de Christo. Qui post me venturus est, fortior me est, cuius non sum

Matth. 3

dignus calceamenta portare. Ipse vos baptizabit in Spiritu sancto & igne. Ex his verbis securi sumus ipsum Dominum

monium Iesum Christum esse communem baptistā omnium qui in Catholica Ecclesia baptizantur in nomine sanctæ Trinitatis, ita videlicet quod ipse inuisibiliter spiritum eorū sanctificat in Spiritu sancto, & ab omni peccato emundat: inde est quod dicimus, quia siue bonus, siue malus sit ille, per cuius manus corpus homini qui baptizatur, aquis visibiliter immergitur, non ex hoc plus vel minus operatur virtus baptismi remissionem peccatorum, & inuisibilem sanctificationem in anima eius, qui regeneratur. Propterea Paulus Apostolus scribens Corinthiis, qui de baptistis suis se iactabant, redarguit eos dicens: Significatum est mihi ab his qui sunt Cloes, quoniam contentiones inter vos sunt. Hoc autem dico, quod vnusquisque vestrum dicit: Ego quidem Pauli, ego vero Cephæ, ego autem Apollo, ego vero Christi. Æstimabat enim quisque eo se esse sanctiorem, quò erat sanctior ille à quo fuerat baptizatus. Hoc vero nequaquam ita est, quoniam nihil sanctitatis ei qui baptizatur præstat ille, qui visibiliter baptizat, sed omnem spiritualem gratiam, quæ in baptismo confertur, ipse summus sacerdos Dominus Iesus Christus præstat illic per virtutem Spiritus sancti, & ad illam quidem omne genus hominum, qui ad ipsum cōuerti volunt, admittit quātumlibet sint onerati peccatis: solos autem paruulos, sicut dicitis, qui minimum peccati habēt, inde repellit. Nequissima gens cur hoc dicitis? Nonne ipse communiter omnes vocauit, cum dixit: Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos? Certe cum hæc dicebat piissimus ille procurator salutis humanæ, videbat omnem hominē laborare sub pœnalitate quam induxerat mundo culpa originalis: videbat simul, quoniam præter ipsum nemo viuebat hominum in tempore illo, vel victurus erat super terram, cuius nō esset onerata anima peccatorū grauamine, ita vt nec infans vnius diei expers esset peccati. Quod intelligens Paulus Apostolus dicebat: Conclusit Deus omnia sub peccato, vt omnium misereretur. Omnia, inquit, id est omnis generis homines, omnis ætatis homines conclusit, id est, concludi permisit sub peccato, vt omnium misereretur, tribuendo omnibus remissionem peccatorum. Si ergo conceditis & paruulos omnes conclusos esse sub peccato, necesse est vt concedatis etiam ad eos pertinere misericordiam Dei, & ipsos quoque ad latum gremium benignitatis eius cum cæteris inuitare, vocatione ipsius qua dicit: Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos: Reficiam, inquit. Refectio ista quā promisit præstatur in hac vita spiritui nostro, in eo quod per Spiritum sanctum à peccatorum grauamine exoneratur, atque in eo quod cum superaddita gratia adiuuatur ad resistendum fomiti peccati, & ad insistendum bonæ operationi. Præstatur & post hanc vitam, quando datur vt requiescat homo à cunctis laboribus. Omnem hanc refectionem promisit omnibus venientibus ad se. Et qua ratione putatis quod eam recuset paruulis venientibus ad se? Putatis quod dicat Dominus: Omnes veniāt ad me quantumlibet sint peccatores, soli paruuli qui nondum satis habent peccati, maneant foris? Non veniunt, dicitis, sed asportantur ab aliis, & idcirco non dat eis gratiam, quam aliis peccatoribus. Et nonne paralyticus ille, de quo supra dictum est, ab aliis adoptatus est: non per seipsum venit, neque idcirco minus gratiæ ab ipso accepit. Similiter non per seipsos veniunt, neque per seipsos benedictionem ab Iesu petierunt paruuli illi, de quibus Matth. refert dicens: Tunc oblati sunt ei paruuli, vt manus eis imponeret & oraret. Discipuli autem increpabant eos. Iesus vero ait: Sinite paruulos venire ad me, talium est enim regnum cœlorum. Et cum imposuisset illis manus abiit inde. Ecce talis in illo tempore benignitatis erat Dominus, vt rudes pueros non per seipsos quidem venientes, aut gratiæ aliquid postulare scientes, sed aliis ipsos ei offerentibus, ac pro eis postulantibus dignaretur suscipere, dignaretur & benedictam manum suam eis cum oratione imponere. Et quomodo

1. Cor. 1.

Matth. 11.

Galat. 3.

Matth. 11.

Matth. 19.

A accidit hoc, vt in istis temporibus nō eandem habeat benignitatem erga paruulos, quos solet ei offerre Ecclesia, rogans vt manum eis imponat, id est, virtutem sancti Spiritus sui, per quam eis peccata remittantur, & spiritualibus donis impleantur? Quomodo dulcem illam vocem, qua dixit: Sinite paruulos venire ad me, talium est enim regnum cœlorum, mutauit in amaram vocem, vt dicat, auferte paruulos à me, talium enim nō est regnum cœlorum? Nam secūdum tenorem disciplinæ vestræ, hoc & si non manifesta voce, ipso tamē opere dicit, si omnes, qui ante annos discretionis moriūtur, perire permittit in originali peccato cum quo nati sunt, scimus quidem in eo verbo, quod dixit: Talium est regnum cœlorū, etiam comprehendi eos qui maturæ ætatis sunt, & similes sunt pueris innocentia & simplicitate. Veruntamen hi qui in B innocētia & simplicitate atque insuper ætate pueri sunt, & ab Ecclesia Domino offeruntur, vt paruuli illi, quibus olim manum imposuit, non possunt iusta ratione ab eadē sententia excludi, nisi forte cum ad maturitatem peruenerint, acceptam in baptismo gratiam, per malā conuersationem amittant. Numquid adhuc sine intellectu estis, & nō percipitis ex his verbis, quę dicta sunt, falsum & hæreticum esse, quod de baptismo paruulorū affirmatis? Dicite mihi: Quæ vobis est causa huiusmodi sermonis, cum nec firmam rationem, nec aliquod euidēs testimoniū ex scripturis sanctis habeatis ad cōfirmandū hūc errorē? Si erubescitis dicere, ego pro vobis dicā. Superbia cordis vestri, & inuidia diaboli in ore vestro posuerūt verbum hoc. Nam vt quasi singulares præ cæteris habeamini, ac multa scire videamini, quę non sunt in commu- C ni hominum cognitione, idcirco talia susurratis in auribus simplicium ac seductilium hominum, quibus aquæ furtiuæ dulciores sunt. Idcircò dixi quod superbia cordis vestri, quæ vanæ gloriæ mater est, hunc errorem sicut & alios multos seminare vos fecit. Inuidia quoque diaboli hoc verbum vobis inspirauit. Quia enim vidit innumera millia animarū per baptismum saluari in infantilibus annis, & nihil volūtatis suæ fieri in eis, quos ita innocentes & puros ab omni macula post regenerationē suam festinat Deus ad regnum suum trāsferre, quia, inquam, hoc vidit, inuidet innocētiæ eorum, inuidet quod ita festinaretur beatitudo eorum, inuidet quod etiam ex ore huiusmodi infantium & lactentium perfecturus esset laudem suam, propter inimicos suos apostatas spiri- E tus, qui per propriam malitiam à curia eius ceciderāt, & imminuerant numerum laudantium eum. Quæsiuit igitur artem qua impediret omnes infantium animas, nè gratiæ, quæ in baptismo tribuitur à Deo, participes fierent, & inuenit sibi aptissima instrumenta ad officium hoc, videlicet linguas Catharorum, quæ sunt pharetræ pessimarum sagittarum eius, quibus sagittant in obscuro rectos corde. In quibus posuit & hoc verbum iniquum, quod dicit, nihil prodesse paruulis ad salutem lauacrum baptismi, & debere eos reseruari vsque dum perueniant ad annos discretionis, & tunc primum eos esse baptizandos, cum possint proprio ore fidem suam profiteri. Hæc ita excogitauit diabolus, quatenus hunc morem induceret mūdo, vt non ad baptismum afferrent homines par- F uulos suos, sicque in partem suam attraheret omnes animas quæ in infantilibus annis ab hac vita migrāt, atque à regno Dei eas elongaret. Sed gratia Dei nondum ita creditum est huic verbo, vt receptus sit mos iste in populo Dei: adhuc offeruntur paruuli Domino ad baptismum, & imponit eis manum suam & recipit eos. O Cathari, ô Piphiles nescio quam laudem vobis rectius dicam, quam quod diffusa est diabolica malitia in labiis vestris, propterea maledixit vos Deus in æternum.

Matth. 19.

CONTRA QVINTAM HÆRESIM
de baptismo aquæ.

SERMO VIII.

NON autem me latet, quod de eis quoque qui in prouectiori ætate baptizantur, non minorem hæresim tenetis, quam est ea quæ de baptismo paruulorum nūc pertractata est. Nam baptizandum quidem esse hominem dicitis, cum ad annos discretionis peruenerit, non autem in aqua, sed in igne, & nihil prodesse cuiquam baptismum aquæ. B Huius autem erroris defensionem sumitis ex verbis Ioannis, (Matth. 3.) quæ de Domino saluatore pronunciauit dicens: Ille vos baptizabit in Spiritu sancto & igne. Hinc est quod eos quos assumitis in societatem Cathariæ vestræ, sicut audiui à quodam qui expertus fuerat secreta vestra, tali modo rebaptizatis. Conuenientibus vobis in vnum in obscuro aliquo penetrali, primum hoc diligentissime procuratur, ne forte aliquam fenestram, aut per ostium quisquam eorum qui foris sunt, visu vel auditu percipiat, quod intus geritur, quoniam scriptum est: (Ioan. 3.) Qui male agit, odit lucem, locantur luminaria copiose in parietibus cunctis: statur per ordinem in circuitu cum reuerētia magna, quoniam sancta res agitur, quæ tamen magis complaceat diabolo quam Deo. C Statuitur in medio infelix ille qui baptizandus siue Catharizandus est, & assistit ei archicatharus, tenens in manu libellum deputatum ad officium hoc. Quem imponens vertici eius dicit benedictiones, quæ potius maledictiones vocandę sunt, orantibus cæteris qui circunstant, & faciunt filium gehennæ, non regni Dei, sicque perficitur ille baptismus. Dicitur autē hic baptismus fieri in igne, propter ignem luminum, quæ in circuitu ardent. Non sic impij, non sic deberetis sequi verba sancti Euangelij, (Matth. 3.) in quibus dicitur: Ille vos baptizabit in spiritu & igne. Melius ipsa verba attendite: Baptizabit, inquit, in igne, non iuxta ignem, vt vos facitis. Auscultate ad me, & docebo vos, quomodo rectius eadem verba impleatis. Loquar stultis iuxta stultitiam suam, vt non sibi videantur sapiētes. D Struite ignem copiosum in medio synagogæ vestræ, & tollite illum vestrum nouitium, quem vultis Catharizare, & in medio ignis eum locate, & tu Archicathare pone super verticem eius manum tuam, vt soles, & sic benedictio illi, & tunc si non adussetis tu vngulas tuas, & ille si illęsus euaserit, fatebor certe quia bene baptizatus est Catharus tuus: si vero non euadit, nonne mox ita calens ad cœlum vadit? Nonne sic nuper baptizauit Coloniæ Archicatharum vestrum Arnoldum, & complices eius & similiter Buona Theodericum & socios eius, & continuo, vt dicitis, auolauerunt in cœlum? Imò vt verius dicatur, descēderant in profundum inferni, ab igne temporali, ad ardorem ignis æterni, & merito quidem. Vt enim exinanirent baptismum aquæ, cōstitutum ab ipso Domino saluatore, E baptizandum esse in igne docuerunt: Ideoque iustissimo Dei iudicio factum est, vt sic in igne baptizarentur, vt ab eo irreuocabiliter deuorarentur. O stultissimi hominum, vnde vobis ista præsumptio, qua erigimini aduersus omne quod Euangelicum est & Catholicum? Vere singularis ille ferus pastum sibi gratissimum in vobis habet, qui tantam singularitatem in cunctis partibus Catholicæ fidei habere quæritis, vt singularem quandam in vobis sanctitatem venerentur miseri illi, quos seducitis. Differo vsque in alium locum exponere, qualiter intelligendum sit illud, quod de saluatore dictum est, quoniam baptizabit in spiritu & igne. De aquę baptismo, cui contradicitis, nunc loquor ad vos: Dicite mihi qua audacia contradicitis ei, cum ipse Dominus eū instituerit, & seruandum esse docuerit? Ipse etenim, sicut (Matth. 3.) sancti quatuor Euangelistæ singuli in scripturis suis testantur, venit ad Iordanem, vbi erat Ioannes baptizans,

A ibique ab eo baptizatus est, nō quia ipse baptismi sanctificatione indigeret, qui ab omni peccato erat immunis, sed vt nobis ad abluenda peccata aquas sanctificaret, & in seipso nobis exemplum præberet suscipiendi baptismum aquę, quem constituere volebat Ecclesię suæ in remissionem peccatorum. Ibi & Spiritus sanctus in specie columbæ se manifestauit super eum, sicut de ipso testimonium perhibuit Ioannes dicens: Quia vidi spiritum descendentem quasi columbam de cœlo & manentem super eum. (Ioan. 1.) Quod nostræ quoque eruditionis & consolationis causa factum est, vt videlicet tanto certius credere possemus ad omnes eos peruenire gratiam Spiritus sancti, qui Christi baptismū suscipiunt, vt illius capitis quod B Christus est, membra efficiantur. Baptismum nostrum Christi baptismum vocamus, quia ipse principaliter in eo, vt supra diximus, baptizat, dās remissionem peccatorum per Spiritum sanctum. Et quia, vt dictum est, exemplo suo eum nobis initiauit, & quoniam in verbis sanctæ doctrinæ suæ obseruari eum constituit, determinans in qua materia, & secūdum quam formam fieri deberet: in qua materia baptizādum esset determinauit, quando in aqua hominem regenerari debere monstrauit dicēs: Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu, nō potest videre regnum Dei: (Ioan. 3.) propter duas substātias quæ sunt in omni homine, videlicet corpus & animā. Dixit duo pertinere ad baptismum nostrum, videlicet aquam & Spiritum sanctum: & nos indubitāter credimus ex verbis ipsius, quod C ea hora qua visibile corpus nostrum lauatur in aqua visibili, tūc & inuisibilis substantia nostra, quæ est anima, lauatur inuisibili lauacro, videlicet in Spiritu sancto, & emūdatur ab omni delicto. In quali etiā forma verborū (Mat. vlt.) baptizari nos vellet, determinauit, cū dixit ad discipulos suos: Euntes docete omnes gentes, baptizātes eos in nomine Patris & Filij & Spiritus sācti. Hæc ergo verba sūt dominica, ex quibus Ecclesia Dei testimonium habet eius baptismi qui peruenit vsque in nos: habet & testimoniū ab eo signo quod accidit in passione saluatoris quādo ex latere ipsius iam mortui simul profluxerunt sanguis & aqua. Ita. n. scribit Ioannes dominicæ passionis testis fidelissimus de crucifixoribus eius dicens: Venerunt ergo milites, & primi quidem fregerunt crura, & alterius qui (Ioan. 19.) D cum eo crucifixus est. Ad Iesum autem cum venissent, vt viderūt eum iam mortuum, non fregerūt eius crura, sed vnus militum lancea latus eius aperuit, & cōtinuo exiuit sanguis & aqua. Quod si non ad magnam pertineret admirationem, si non magnæ rei esset sacramentū, non ita diligenter hoc affirmasset Euāgelista, cum subiunxit dicēs: Et qui vidit testimonium perhibuit, & verum est testimonium eius, & scit ille, quia dicit vera, vt & vos cre- (Ibidem.) datis. Prudēter itaq; hic animaduertendum est, videlicet & quod ante exitum mortis, in cruce Dominus purū sāguinem sine aqua de vulneribus suis emisit: & quod post emissionem Spiritus mixtum aqua cruorē de latere suo produxit. In quibus rebus aptam & rationabilem nobis significationem dedit, videlicet quod sanguine suo redimeret, non solū illos, qui ante mortem ipsius per multa E sæcula gratiam redēptionis eius fideliter expectauerant, & sine aqua baptismi, qui nondum fuerat cōstitutus, ab hac vita decesserāt, sed eos quoque, quos per aquam baptismi volebat regenerari, & vsq; in finē sæculi mortem eius erant deinde adoraturi. Illa ergo sanguinis & aquæ mixtura de latere Christi producta nobis erat, & pretiū redemptionis & sacra significatio nostræ regenerationis, qua per aquam & fidem dominici sāguinis renascimur. Neque enim aqua sine fide passionis, neque fides sine aqua ad regenerationem sufficiens est. Dupliciter itaque illud beatum Christi latus Ecclesiam Dei ædificauit, & pretium redemptionis effundēdo, & formam regenerationis nobis ostendendo. Propter quod Apostolus ad Romanos scribēs dixit: Quoniam vetus Adam erat forma futuri Adæ, id est Christi. Nam sicut ex illius dormiētis latere fabricata est Eua, ita ex latere istius in mor- (Rom.) te sopiti, ædificata est sponsa eius Ecclesia. Quod si non

in hac

A in hac re, dic nobis ô Cathare, in qua te ille antiquus Adam exstiterit forma futuri? Velim super hoc audire occultam sapientiam tuam, puto quod ad solitum finem deueniet te respõsio tua, vt dicas, nescio: Si nescis, sede, sile, age opus cõsuetudinis tuæ, fac discurrere panuliam cum trama per medium staminis, & sine illos tractare de mysteriis Dei, quibus diuina ordinatio doctrinam Scripturarum sanctarum commisit. Sicut prædictum est, ad baptismũ aquæ Dominus Iesus Christus & viuus & mortuus nos inuitauit. Quòd ergo aliud baptisma requiris ô infidelis Cathare? Si vno Deo potes esse contentus, vnum quoque tibi baptisma sufficiat, cum scriptum sit: Vnus Dominus, vna fides, vnum baptisma. (Ephes. 4.) Tale tibi baptisma sufficiat, quale sancti Apostoli administrauerunt his qui baptizati sunt ab eis. Si ignoras quali baptismate baptizauerint, lege scripturam Lucæ Euangelistæ quæ intitulatur Actus Apostolorum, cui nõ minus creditur quàm Euangelio quod scriptum est ab eo. (B) (Act. 10.) Lege inquam in eo loco, vbi de conuersione Cornelij & amicorum eius scribit hoc modo: Adhuc loquente Petro cecidit Spiritus sanctus super omnes qui audiebant verbum, & obstupuerunt qui erant ex circumcisione fideles, qui venerant cum Petro, quia & in nationes gratia Spiritus sancti diffusa est. Audiebant enim illos loquentes linguis, & magnificantes Deum. Tunc respondit Petrus: (Ibidem.) Nunquid quis prohibere potest quo minus aqua baptizentur hi qui Spiritum sanctum acceperunt, sicut & nos: & iussit eos in nomine Iesu Christi baptizari. Audi insensate, quoniam princeps Apostolorum non ignem, sed aquam ad baptizandum homines illos fecit exhiberi. (C) Item refert eadem scriptura de Philippo, qui erat vnus ex discipulis Christi, quoniam cum Euangelizaret Iesum Eunucho Candacis reginæ Æthiopum, sedens cum illo in curru, (Act. 8.) sicut ordinauerat Angelus Domini, venerunt ad quandam aquam, & ait Eunuchus: Ecce aqua, quis prohibet me baptizari? Dixit autẽ Philippus: Si credis ex toto corde, licet. Et respondens dixit: Credo Dei filium esse Iesum: & iussit stare currum, & descenderunt vterque in aquam Philippus & Eunuchus, & baptizauit eum. Cum autem ascẽdissent de aqua, spiritus Domini rapuit Philippum, & amplius non vidit eum Eunuchus. De hoc quoque quid tibi videtur? Puto & Philippus errauit, quando in aqua hominem baptizauit. Certe si tuam habuisset sapientiam, cum ab eo (D) petebat Eunuchus vt in aqua eum baptizaret, respondisse debuerat ei, non non, imo differendum est nobis vsque dum ad diuersorium veniamus, & introibimus in obscuram cameram, accendemus luminaria multa, & ibi te baptizabo in medio ignis. O fili erroris, vtinam non peius errares quam Philippus. Vtinam non te peior Angelus duceret, quam erat ille Angelus, qui Philippum ad hoc opus direxit. Quid ergo, inquis, est, quod Ioannes Baptista dicebat, baptizandos nos esse in spiritu & igne. Ego de hoc in sequenti capitulo loqui dispono, ita vt sit tibi in scandalum, & appareat magis esse contra te, quàm pro te. Qualitercumque autem hoc intelligendum sit, certum est & manifestum ex his quæ iam dicta sunt, quoniam vnum & vnicum baptisma constitutum (E) est à Deo, ad emundationem & sanctificationem totius Ecclesiæ, videlicet baptisma aquæ cum inuocatione sanctæ Trinitatis. (Ephes. 5.) Quod breui sermone Apostolus comprehendit, vbi ad Ephesios scribens ait: Viri diligite vxores vestras, sicut & Deus dilexit Ecclesiam, & tradidit semetipsum pro ea vt illam sanctificaret, mundans lauacro aquæ in verbo vitæ. Da gloriam Deo tandem ô Cathare, & in hac quoque parte victum te esse confitere. Et nunc transeamos hinc ad aliud certamen.

CONTRA SEXTAM HERESIM DE *animabus mortuorum.*

SERMO IX.

De cura, quæ pro mortuis agitur in Ecclesia, dicitis quoniam vana & superflua est, asserentes quod animæ defunctorum singulæ in ipsa hora emigrationis suæ de hac vita pro meritis suis, vel in æterna beatitudine collocẽtur, vel æternis suppliciis tradantur, atq; hac ratione probatis, nec malis prodesse, nec bonis necessarium esse vt pro eis orationes fiãt, aut missæ celebrentur, aut eleemosynæ dentur: Non .n. (B) in fide vestra hoc admittere vultis, quod præter illũ æternum ignem, qui præparatus est diabolo, & his qui cum ipso in perpetuũ damnandi sunt, aliquæ purgatoriæ pœnæ sint, in quibus animæ fidelium, quæ in hac vita a peccatis suis per condignã satisfactionẽ ad plenum purgatæ non sunt, ad tempus examinentur, atque ex eisdẽ per illa remedia, quæ nunc descripsimus, liberentur & ad requiẽ transferantur. Et nunc quoq; disseramus, secundum scripturas veritatis, quia magnam earum notitiã vos habere gloriamini. Primum autem dicite mihi: An creditis quia Dominus Iesus Christus in passione crucis emisit spiritũ, & secũdum corpus quidem sepultus est, secundum animam vero descendit ad inferna, & spoliauit principes tenebrarum ab animabus electorum, qui vel ante legẽ, (C) vel sub lege Moysi, quæ saluare neminem poterat, ab hac vita migrauerant, & promissam à prioribus sæculis redẽptionis suæ gratiam, quæ per Christum facta est, fideliter expectauerant? Si vero hoc credendum est, quod animæ illæ, à pœnis illis in quibus detentæ erant, per Christum liberatæ sunt, certum est quoniã mendacij prædicatores estis, qui dicitis nullas esse pœnas animarum præter æterna supplicia damnandorum, & neminem posse liberari à pœnis, qui nõ statim post mortẽ in æterna fuerit beatitudine assumptus. At si non creditis Christum ad inferos descendisse post passionem suam, neque illud Athanasij symbolum recipitis, in quo hoc continetur, pariterq; illud Catholicum symbolum, quod publice in seruitio Dei decantatur reiicitis, in quo similiter hoc confitetur Ecclesia, scripturarum testimonia super hoc inducenda vobis sunt tam de veteri quã de nouo testamento. (D) Dauid in Psalmo vocem depromit Angelorum præeuntium ad inferos Christum & imperantium principibus tartari hoc modo: Attollite portas principes vestras, & eleuamini portæ æternales, & introibit Rex gloriæ. (Psalm. 23.) Et rursum idem Dauid victoriæ Christi congratulans, qua ereptas ab infernio secum animas eduxit ad cœlos, alibi (Psalm. 67.) dicit ad eum: Ascendisti in altum, cepisti captiuitatem. (Oseæ 13.) Item per Oseę Prophetam ipsa filij Dei persona ait: O mors ero mors tua, morsus tuus ero inferne. Morsus iste inferni tũc impletus est, quãdo Saluator ad infernos descendens electos suos sua inuincibili potestate & iustitia inde abscidit, reprobos autem illic reliquit, sicut qui rem (E) aliquam mordet partem eius in ore comprehendit, partem foris relinquit. Et Apost. Paulus scribens ad Colos. ait: (Coloss. 2.) Expolians principatus & potestates traduxit confidenter triumphans in semetipso. Sufficiant nunc ista ad assertionem fidei nostræ in hac parte. Ad eam ni fallor, responsionem nunc confugietis, vt dicatis: Concedimus quidem quod ante redemptoris aduentum animæ ad vitam præordinatæ in locis pœnalibus à venturis gaudiis differebantur, sed postquam per Christum vitæ patefactus est aditus, hoc communiter omnibus saluandis collatum est, vt peracto vitæ huius cursu nullatenus vltra ab introitu regni differrentur post mortẽ. Sicut manifestum est ex eo, quod latroni in cruce pœnitenti à Saluatore olim dictum est: Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiso. (Luc. 23.) Hoc enim communiter de omni peccatore sentiendum esse censetis. Quod si in Christo ipso vitæ

suæ terminum pœnituerit ex corde, quantumlibet flagitiosus per totam vitam suam exstiterit, ita perfecte ei cuncta peccata remittuntur, vt continuo ab hac vita sine omni examinatione transmigret ad cœlestia regna. Ad confirmandum vero hunc errorem quarundam scripturarum testimonia indoctis, quæ aduersari nobis videntur, ex quibus est illud Ezechielis: Iustitia iusti non liberabit eum, in quacunque die peccauerit: & impietas impij nō nocebit ei, quacunque die conuersus fuerit ab impietate sua. Et rursum quod sequitur ibidem, simile est huic: Si dixero impio, morte morieris, & conuersus egerit pœnitentiam à peccato suo, feceritque iudicium & iustitiam, pignus debitori restituerit, rapinamque reddiderit, & in mādatis vitæ ambulauerit, nec fecerit quicquam iniustū, vita viuet, & non morietur: omnia peccata eius quæ peccauit, non imputabuntur ei. His ergo captos onstetaculis scripturæ iudicatis, & dicitis nobis insultantes: Ecce scriptura nobiscum est, quæ affirmat, quoniam peccatori conuerso ab impietate sua, non nocebit impietas sua. Iterumque idipsum inculcat dicens: Quoniam omnia peccata quæ fecit, non imputabuntur ei. Falsum itaque est quod post pœnitentiam & contritionem cordis, in qua peccatori remissa sunt peccata sua, de cætero aliquibus pœnis tradatur cruciandus & purgandus post mortem. Nam si hoc futurum est ei post conuersionem suam, profecto nocebit adhuc ei impietas sua & imputabūtur ei peccata sua. Talis est, ô Piphiles, obiectio vestra contra nos. Audite nunc quid respondeamus ad hoc, antequam de aliis obiectionibus vestris aliquid dicamus. Verba sanctæ scripturæ cum magna discretione animaduertēda sunt: alioqui in multis locis perturbare nimium possunt lectorem, suntque ei vasa mortis, quoniam sępe in vno eodemque dicto diuersæ significationes intelligi possunt, quarum vna ad veritatem, alia pertineat ad falsitatem. Itaque & illa verba Prophetæ de quibus nunc tractamus, ne in errorem nos mittant, quemadmodum & vos cum tali determinatione accipimus, vt dicamus, quoniam impio quacunque die conuersus fuerit de cætero non nocebit impietas sua, tali videlicet nocumento, vt pro eo æternaliter condemnetur, neque imputabuntur peccata ad perditionem ipsius. Quamuis enim peccator post cōuersionem suam aliquid molestiæ patiatur in anima à purgatorio igne pro peccatis suis, de quibus non sufficienter correctionem in hac vita sustinuit: illa tamen molestia, quia temporalis & transitoria est, quasi nullum nocumētum reputanda est comparatione illius æternæ pœnæ, quam in inferno pati debuisset, si conuersus ab impietate sua ante mortem non fuisset. Ostēdam autem vobis similem scripturam, quæ simili indiget determinatione. Beatus Petrus in epistola sua, quibusdam nouiter ad fidem Christi conuersis dicebat: Et quis est qui vobis noceat si boni æmulatores fueritis? Hæc autē interrogatio idem significabat, ac si ita affirmando dixisset: Nemo est qui vobis nocere possit, si boni, id est bonitatis æmulatores fueritis. Dominus autem Iesus Christus in Euangelio discipulis suis, simulque cæteris boni æmulatoribus hæc annuntiat dicens: Tradent vos in tribulatione, & occident vos, & eritis odio omnibus propter nomen meum. Item: In mundo pressuram habebitis, in me autem pacem. Ecce similiter hic, vt suprà, potestis ratiocinari aduersus nos, ita vt dicatis: Si boni æmulatores traduntur in tribulationem, occiduntur, odio habentur ab omnibus, & multa huiusmodi propter iustitiā patiuntur, certum est multos illis nocere, pro eo quod boni æmulatores sunt. Nō ergo verum dicit Petrus, qui nullum illis nociturum esse promisit, si boni æmulatores existant. Puto autem quod non tam insani capitis sitis, vt in manifesto dicere audeatis, aut Petrum aut Christum fuisse mentitum, aut contraria sibi inuicem eos dixisse. Scitote quoniam verba Petri, quæ induximus, ita intelligimus, vt nō promiserit seruus Dei, qui bona ęmulantur, quoniam nihil omnino molestiæ pati deberēt in via iustitiæ. Nam & ipse continuo post illa verba subiecit: Sed & si quid patimini propter iustitiam, beati. Hic autem in verbis illis significare voluit, quoniam nemo eis ita nociturus esset, vt ab æterna beatitudine eos abstrahere posset. Certus quippe erat quoniam neq; mors, neque vita, neque gladius, neq; fames neque vlla aduersitas, nulla denique creatura veros æmulatores boni separare posset à charitate Christi. Neque enim temporales incommoditates nocumentum esse, sed potius iuuamentum ad adipiscendum beatitudinem electis Dei esse arbitratus est. Sicut enim auro non nocet is qui illud in igne examinat, sed potius iuuat, vt magis resplendeat: ita fidelium persecutores dum eos tribulant, non eis nocent vt putant, sed potius eis cooperantur vt in beatitudine æterna resplendeant. Iuxta hæc ergo quæ nunc dicta sunt, considerate & illud, quoniam impio ab impietate conuerso non nocebit impietas sua, & non faciet vos deuiare sermo ille à via veritatis. Aliud quoque ex Ecclesiaste contra nos inducitis, quod tale est: Si ceciderit lignum ad austrum, aut ad aquilonem, in quocunque loco ceciderit, ibi erit. Quod similiter in partem erroris vestri inclinatis, dicentes ita intelligi debere: Anima de corpore migrans, si declinauerit ad quietem, ibi perpetuo erit: si ad pœnam, ibi quoque perpetuo erit. Dico autem, quia si nihil aliud quam hoc quod dicitis, significare voluit Ecclesiastes in verbis illis, superflue interpositum est, in quocunque loco ceciderit. Nam ad significandam sententiam vestram suffecisset ei dixisse: Si ceciderit lignum ad austrum, siue ad aquilonem, ibi erit. Nunc autem attendite sermonē meum, & apparebit quam vim habeat, quod additum est: In quocunque loco ceciderit. Considerate præcedentem literam, & inuenietis quod ad dandam eleemosynam hortatur auditorem suum, dicens: Mitte panem tuum super transeuntes aquas, quia post multa tēpora inuenies illum: & iterum: Da partes septē, nec non & octo, quia ignoras quid futurum sit mali super terram. Et in sequentibus ad perseuerantiam boni operis hortatur dicens: Mane semina semen tuum, & vespere non cesset manus tua. Quibus congrue illud interponit dicens: Si ceciderit lignum ad austrum, siue ad aquilonem, in quocunque loco ceciderit, ibi erit: ac si dicat: Diligenter insiste dū viuis augere merita tua eleemosynis & bonis operibus; quia post mortem, siue deuenerit homo in eum statū qui pertinet ad eos, qui saluandi sunt, quod est cadere ad Austrum: siue deuenerit ad eum statum, qui pertinet ad damnandos, quod est cadere ad Aquilonem: In quocunq; loco ceciderit, id est, in quocunque gradu meritorum tunc fuerit quando cadet, siue sint bona, siue mala, ibi erit, id est, inde neque ascendet promerendo meliora, neque descendet promerendo peiora. Ex tunc enim neque bono, neque reprobo locus dabitur promerendi bona vel mala: sed de cætero tempus erit suscipiendi retributiones bonas, vel malas. Dupliciter autem cadit lignum ad Austrum: siue quando statim post mortem vir iustus in beatitudine collocatur, quod tantum est perfectissimorum, qui cum Deo mundum iudicabunt: siue quando in eam viam incidit per quam transire habent quidam saluandorum, quibus per purgatorias pœnas eundum est ad refrigerium, videlicet hi qui iudicandi erunt ad vitam: Similiter ad Aquilonem dupliciter cadunt mali, cum vel statim post mortem ad summa supplicia rapiuntur, vt hi de qualibus dicitur, quod iam iudicati sunt, videlicet infideles, & summe mali: vel illis pœnis traduntur in quibus vsque ad nouissimum iudicium reseruandi sunt, vt illi reprobi, qui iudicandi sunt ad mortem. Est autem frequens hic modus loquendi in scriptura sacra, vt Auster vocetur cælestis beatitudo propter diuinam claritatē quæ est in ipsa. Aquilo autem mansio reproborum tenebrosa & operta mortis caligine. Aliud quoq; capitulum simile ei quod nūc tractamus est, quasi ex persona Domini dictum nobis obiicitis, quod huiusmodi est: Vbi te inuenero, ibi te iudicabo. Quod & ita dictum arbitramini, ac si diceret: In fine tuo cum à te repetam animam tuā, in quali vita

Ezech. 33. — *Ibidem* — *1. Pet. 3.* — *Matth. 10.* — *Ioan. 16.* — *1 Pet. 3.* — *Rom. 8* — *Eccl. 11* — *Ibidem* — *Ibidem.* — *Ibidem.*

A B C D E

te inuenero, in tali te statim iudicabo, vel ad perpetuam requiem, vel ad æternam damnationem. Nos vero aliter ista discernimus: breuiter comprehensum est in his verbis quod diffusius per Ezechielem loquitur dicens: Cũ Ezech. 33. auerterit se iustus à iustitia sua, & fecerit iniquitatem in iniustitia sua quam operatus est, morietur: & cum auerterit se impius ab impietate sua quam operatus est, & fecerit iudicium & iustitiam, ipse animam suam viuificabit, vita viuet, & non morietur, subauditur morte æterna. Totius huius capituli breuis sententia est illud: Vbi te inuenero, ibi te iudicabo: siue qualẽ te inuenero, quod idem est, talem te iudicabo, hoc est dicere: Si inuenero te auersum ab iniustitia & conuersum ad iustitiam, non est desperandum tibi propter retroacta mala, quia ibi, id est, in eo statu conuersionis tuæ te iudicabo, id est, discernam ab eis qui damnandi sunt. Si vero inuenero te auersum à iustitia, non est confidendum tibi in retroacta iustitia, quia ibi, id est, in eo statu te iudicabo, id est, discernã ab eis qui saluandi sunt. Discernit autẽ Deus bonos à malis, cum vel statim post mortem ad beatitudinem eos inducit, vel in ea purgatione eos locat, in qua ad futuram gloriam eos aptificat. Est autem ex abundanti quod vobis respondemus, ad ea testimonia, quæ ex veteri scriptura inducitis, ad confirmandum errorem vestrum, quam de animabus mortuorum habetis. Nam si fatemini, quod necessario fateri debetis, videlicet quod animæ antiquorum, qui ante tempus gratiæ exstiterunt vsque ad tempus redemptionis, ab introitu regni cœlestis dilatæ sunt, contrarij estis vobismetipsis, qui antiquorum patrum scripta hoc attestari æstimatis, quod quælibet anima, cũ à corpore migrat statim vel ad æternam beatitudinem transeat, vel ad æternam damnationem. Nam ea testimonia, quæ ab illis assumitis, non solum pertinent ad homines temporum istorum, sed ad homines antiquæ legis, sub qua adhuc clausus erat introitus regni cœlorũ. Non autem me latet quod ex nouo quoq; testamento errorem vestrum confirmatis, obiicientes nobis Euangelicum illum sermonem, quem locutus est Saluator dicens: Ioan. 5. Amen dico vobis, quia qui verbum meum audit, & credit ei qui misit me, habet vitam æternam, & in iudicium non veniet, sed transibit à morte in vitam. In his verbis dicitis promittere saluationem omni credenti in Deũ, quod mox post mortem corporis transibit quisque ad vitam æternam, ita vt non aliud iudicium veniat post mortem, quam quod in ipsa morte expetitur, atque indubitanter hoc Dominum significasse vultis hoc sermone, quod nullæ sint pœnæ in quibus animæ fidelium post mortem iudicium Dei sustineant. Animalibus immundis quæ non ruminant quidem & vngulã non findunt, comparari iure debetis, qui in ore quidem versatis doctrinam Dei, & nullam rectæ intelligentiæ in ea discretionem habetis: Ideoque verba vitæ non sunt vobis ad vitam, sed ad mortem. Cæci fuerunt doctores vestri, & cæcorum duces facti sunt, & in foueam mendacij & perditionis secum cadere vos fecerũt. Audite ergo rebelles & increduli, quomodo rectius animaduertere possitis verba Domini, quæ peruertere nitimini: quia nisi aliter exponantur, quam vos ea intelligatis, contraria sunt aliis sacræ Scripturæ verbis, quę in suo loco inducemus: Amen dico vobis, inquit, quia qui verbum meum audit, & credit ei qui misit me, videlicet Deo patri. Siquidem audire verbum Dei & non credere, inutile est: Hic, inquam habet vitam æternam. Habent sancti qui cum Deo regnant vitam æternã, ita quod eius beatitudine iam perfruuntur. Habent & fideles in hoc mundo positi vitam æternam, non vt rem, qua iam secũdum desiderium suum perfruantur, sed vt rem, quæ illis certissime præparata & conseruata est à Deo, & dãda in tempore suo, & in iudiciũ non veniet, sed transiet à morte ad vitam. Ibidem. Nomen iudicij tales significationes in scriptura sancta habere dinoscitur: significat enim flagellationem, qua homines flagellantur à Domino: significat vltimam discriminationem bonorum & malorum, quæ

A fiet in nouissimo die: significat etiam damnationem, quæ 1. Cor 11. specialiter ad reprobos pertinet. Quia autem afflictionẽ significet ex eo intelligi potest, quod Apostolus ait: Dũ iudicamur autem à Domino corripimur, id est, dum flagellamur à Domino corripimur, vt non cum hoc mundo damnemur. Quæ autem sint ista flagella determinat Ibidem. vbi ait: Ideo inter vos multi infirmi & imbecilles, & dormiunt multi. Quod si secundum hanc significationẽ dicitis accipiẽdum iudicij nomen, cum dicitur, quod qui credit non veniet in iudiciũ, non potest stare sermo: quia & credentes flagellantur sæpe à Domino, sicut non credentes: Flagellat enim Deus omnem filium quem recipit. At si dicitis, ita debere accipi, quod credentes nõ sint venturi post mortẽ ad aliam castigationem, præter eam, B quam in ista vita patiuntur, iniuriam facitis literæ, quæ hoc non dicit, sed simpliciter dicit, quod qui credit, in iudicium non veniet. Vltimam vero discriminationẽ bonorum & malorum significat nomen iudicij, vbi Saluator de seipso dicit: Et potestatem dedit ei iudicium facere, quia filius hominis est. Ioan 5. Secundum hanc quoque significationem non potest accipi hoc loco, quia tam boni quam mali, ad iudicium venient secũdum illud: Omnes 2. Cor. 5. nos oportet manifestari ante tribunal Dei, vt referat vnusquisq; propria corporis prout gessit in corpore siue bonum siue malum. Significat autem damnationẽ iudicij nomen, vt statim in sequentibus eum dicitur. Qui vero mala egerunt in resurrectionem iudicij. Et in Apostolo vbi ait: Ioan 5. Qui manducat corpus Domini indigne, iudiciũ 1. Cor 11. sibi manducat & bibit, non diiudicans corpus Domini. C Hoc autem modo indubitanter accipi debet iudicium in Ioan. 5. præsenti sermone vbi à Domino dicitur: Qui audit verbum meum & credit ei qui misit me, habet vitam æternam & in iudicium non veniet, id est, in damnationẽ. Sequitur: Sed transiet à morte in vitã, ab ea videlicet morte, quæ ei damnationis causa extiterat, & per quã ad perditionem transisset, si in ipsa permãsisset. Quæ nam fuit mors illa? sine dubio mors animæ, quam in ea effecerat infidelitas, in quali morte extiterant illi de quibus Petrus 1. Petr. 4. in epistola ait: Propter quod mortuis Euangelizatũ est. Similiter & illi quibus Paulus scripsit dicẽs. Colloss. 2. Consepulti estis cum Christo in baptismo in quo resurrexistis per fidem operationis Dei, qui suscitauit illum à mortuis, & vos cum essetis mortui in delictis conuiuificauit cũ illo, D donãs vobis omnia delicta. Palam ergo est, quoniã per fidem transitur ad vitam, vt non ad iudicium, id est, damnationem veniatur. Id autem duobus modis fit: vno .n. modo quisque ad vitam animæ per fidem à morte trãsit, quando qui infidelis fuerat, per fidem iustificatur in anima: ad hoc enim pertinet sermo quo dicitur: Iustus autẽ ex fide viuit. Abac. 2. Hanc vero vitam in tempore huius mortalitatis electi Dei adipiscuntur. Alio autem modo per fidẽ ad vitam electis transeundum est, quando propter meritum fidei, & earum virtutum, quæ ex fide originem habent, vita æterna eis pariter in corpore & in anima tribuenda est, quod erit in die nouissimæ resurrectionis, cũ ab omni potestate mortis liberabũtur, & ad beatam immortalitatem transferentur. Hos autem duos modos transeundi à morte ad vitam in electis suis futuros Do- E minus demonstrauit, continuo post verba de quibus nũc tractatum est. Primum enim modum transeundi ad vitam pronunciauit cum dixit: Ioan 5. Amen dico vobis, quia veniet hora & nunc est, quando mortui audient vocem filij Dei, & qui audierint, viuent. Secundum vero modum transeundi ad vitam, pronuntiauit, cum postea subdidit dicens: Nolite mirari hoc, quia omnes qui in monumẽtis sunt, audient vocem eius, & procedent qui bona fecerunt in resurrectionem vitæ: qui vero mala egerunt, in resurrectionem iudicij. Iam si quid incorruptæ intelligentiæ est vobis, satis directe me ad veritatem vos duxisse percipitis. Quia si sine intellectu estis, frustra asinis canit lyra. Vnam adhuc obiectionẽ vestram in medium 2. Cor. 5. adducam, qua nobis obuiare soletis. Scriptum est: Quo- Gala 6. niam vnusquisque propriam mercedem accipiet secun- Ezech. 18.

dum suum laborem. Item: Vnusquisq; onus suum portabit. Item: Vnumquenque secundum vias suas iudicabo, dicit Dominus: hoc est, vniuicuique retribuam secundum opera sua bona vel mala. Ex his ergo sumitis occasionem, vt dicatis non posse fieri, quod per bona opera viuorum adiuuētur animæ defunctorum, vt à pœnis suis liberentur, & ad requiem transferantur. Dicitis enim quod si Deus illis misereretur propter bona opera, quæ illi pro aliis fecerūt, tūc eis non tetribuitur secundum opera sua, sed secundū opera aliorum, & non ipsi onus suū portant, id est, pœnam quam ipsi meruerūt peccatis suis, si pro laboribus aliorum ab oneribus suis liberantur. Ad hæc ita respondemus: Si fideles pro defunctis suis orant, ieiunant, eleemosynas largiuntur, missas celebrant, aut celebrari faciunt, bona opera operantur, & ipsimet in tempore suo mercedem pro istis recipient secundum suum laborem. Illi vero pro quibus ista faciunt, si in criminalibus peccatis in vita sua fuerunt, & de ipsis nec pœnituerunt, nec confessionem suam facere curauerūt, nihil illis bona opera hic prodesse poterunt ad salutem: Si vero in peccata aliqua lapsi fuerunt in vita sua, & de his ante finem pœnituerunt, & in fide Catholica de hoc sæculo migrauerunt, & morte præuenti, non potetunt omnem satisfactionem implere, quam pro peccatis suis debebant, dicimus quia onus suum portabunt, id est, pœnam pro peccatis suis sustinebunt quamdiu permiserit Deus: Pro pœnitentia autem sua, quam in fine habuerunt, & pro fide Catholica in qua vsque ad mortem permanserunt, ac pro cæteris bonis, quæ in hac vita fecerunt, hanc mercedem recipient, vt eis detur vita æterna in nouissimo die, & in anima & in corpore. Plurimi vero istorū etiam hoc in mercede recipiēt, vt ante nouissimum diem liberentur à pœnis suis per bona opera viuentium fidelium, quæ supra memorata sunt: alij quidem citius, alij autem tardius, secundum quod merita eorum maiora vel minora fuerunt in hoc mūdo. De his itaque vere dicere possumus vtrumque, & quod onus suum portabunt quia sustinent pœnam pro peccatis suis secundum tempus quod constituit illis Deus: & quod ipsis retribuitur secundum bona opera ipsorum, quibus meruerunt vt possit eis subueniri ab Ecclesia Dei, possibile quidem esset Deo sine alicuius interuentu quorumlibet hominum animas liberare à pœnis suis. Vult autē hoc ordine eas liberari, vt à viuis ei seruiatur pro eis, quatenus in hoc ipso magis communeantur viui Deum reuereri, & offensam eius cauere, pariterque augeantur & merita eorum per opera pietatis quæ faciunt pro dilectione proximorum. In nullo ergo vobis contrariæ sunt scripturæ quæ supra memoratæ sunt, sed potius nobiscū sunt. Si verba diuina vobis, ô insulsi sapientes, cūm diligenti consideratione decoxissent hi, qui ea tam cruda in ore vestro posuerunt, magis salubriter vos pauissent, & non tanta ventositate superbiæ corda vestra inaniter distendissent. Equidem obiectionibus vestris quibus maxime fidebatis, satis, vt æstimo, responsū est & complosæ sunt quasi vesicæ turgentes, & nihil inuentum est veritatis in eis. Nunc autem inquiramus scripturas, quæ nobiscum sunt pro parte veritatis: Ad cuius defensionem accincti sumus: & vt à Paulo incipiamus, intueamur primum verba quæ ad Corint. scripsit dicens: Si quis autem ædificat super fundamentum hoc, aurum, argentum, lapides pretiosos, lignum, fænum, stipulam, vniuscuiusq; opus manifestum erit: dies enim Domini declarabit, & vniuscuiusque opus quale sit, ignis probabit. Si cuius opus arserit detrimentum patietur: ipse autem saluus erit, sic tamen quasi per ignem. Non propter nostros quidē, quibus sāctorum nota sunt scripta patrum, sed vestri erroris occasione, necesse est nūc me sermones huius sensum aperire, fundamentum spiritualis ædificij quod intus in anima construimos, fides Christi est, quam qui vere habet, Christum in mente gerit, qui est initium & consummatio omnis boni in electis suis: ideoque & ipse fundamentum vocatur. Fundamentum nostrum dicitur fides,

(margin: 1. Cor. 3.) (margin: Fundamentum.)

quia à fide bonam vitam inchoamus. Nam si non sit in nobis recta fides, nihil in nobis potest Deo placitū esse quicquid faciamus siue bonū siue malū. Ex quo autem in nobis esse cœperit fides, placere incipimus Deo. Ideoq; secure possumus operari bona opera, quia de cætero mercedē suam accipient. Lapides pretiosos super fundamentum ædificamus, quando hoc fidei recto ædificio vt bonis moribus simus ornati, videlicet humanitate, patientia, temperantia, iustitia, misericordia, & cæteris huiusmodi moribus, quos virtutes animi vocamus: quotiescunque etiam opera facimus, quæ ex huiusmodi virtutibus procedunt, lapides pretiosos fundamento superædificamus: lapidibus autem pretiosis talia digne cōparantur, quia sicut lapides pretiosi aurū, & alias res quæ in se pulchræ sunt, ornare solent, ita virtutes & bona opera decorem magnum præstant animæ rationali, quæ secundum Deum formata est, & est pretiosior omni auro. Decor autem iste non potest in anima dissolui, etiam si in ignem purgatoriū pro aliquibus leuioribus culpis fuerit missa: sicut & lapides pretiosi liquefieri non possunt si in ignem mittantur. Argentum quoque fundamento superædificāt, quibus hoc studium est vt diuinas Scripturas intelligant, & sermonibus sapientiæ alios instruant. Argento autem quod habet dulcem & acutam sonoritatem comparari solet Scriptura sacra vt ibi: Eloquia Domini eloquia casta, argentum igne examinatū. Quid enim dulcius sonat quam sacra Scriptura, in qua vitæ æternæ gaudia promittuntur. Quid acutius diuino sermone, qui est penetrabilior omni gladio ancipiti & pertingens vsq; ad diuisionem animæ & spiritus? Item & aurum in ædificio suo collocat, qui tam perfectæ cōtemplationi cor suum tradit, vt possit iugiter de Deo meditari, & trahere de occultis sapientiam, qua gustatur suauitas eius ipsumque sine intermissione orare, ipsum inœstimabili charitatis ardore circuire. Talis contemplatio recte auro comparatur, quia cunctis virtutibus excellentior est, sicut cæteris metallis pretiosius est aurum, estque effectrix operum summæ perfectionis, quæ & ipsa quasi aurum sunt in ædificio animæ comparata cæteris operibus bonis: Facit enim abstinere propter Deum etiam ab his quorum vsus licitus est: facit contemnere mundum & omnem gloriam eius, castitatem immaculatam custodire, animam pro Deo & fratribus ponere, ac cætera huiusmodi. Ligna vero, fœnum & stipulam super fūdamentum suum coacervant, qui cum rectam fidem habeant, nimis occupār corda sua curis & cogitationibus, quæ pertinent in hunc mundum, quiq; maiorem quam oportet amorem habent ad ea, quæ prohibita ipsis non sūt, velut vxores, filios & filias, sæculares amicos, domos & possessiones, & dignitates, & huiusmodi. Hi, inquā, in anima sua ædificare dicuntur super fundamentum ligna, fœnum & stipulam, quia talibus rebus mentem occupant, quæ cremabiles sunt, sicut ligna, fœnum & stipula. Nam hæc quæ dicta sunt, obscurant & grauem faciunt animam, ne possit libere cogitare ea quę Dei sūt, ipsumque amare sicut oportet: sed omnis ista obscuritas & grauitas in purgatorio igne exurēda est, ita vt ipsum fūdamentum nihil destructionis patiatur, si tamen inter hæc omnia præ cunctis rebus habeatur Deus, ita vt si necesse sit, potius ista relinquantur quam Deus abnegetur. Coacervant etiam in anima sua res cremabiles qui senō custodiunt à leuioribus culpis, velut est otiosus sermo, risus & ioci, ira, vana lætitia, excessus in cibo & potu, qui non est frequens nimis, & huiusmodi quotidiana peccata, quæ capitalia non dicuntur. Hi, inquam, ligna, fœnū, stipulam aggregant super fundamentum suum, & hæc quoque excoquenda sunt per ignem. De leuioribus dixi peccatis: nam criminalia peccata si admissa fuerint, non potest dici, quod super fundamentum aliquo modo collocentur. Siquidem ipsa destruunt fundamentum & fidem, quia enecant eam, & pro his dicitur mortua fides. At si pro his pœniteuerit homo, & non satisfecerit Deo pro his in hac vita, reputabuntur quasi illa quæ compa-

(margin: Lapis pretiosus.) (margin: Aurum.) (margin: Argentum.) (margin: Psalm. 17.)

tata

ata sunt ligno, fœno & stipulæ, & annihilabuntur per
ignem in die Domini, sicut & leuiora quæ prædicta sũt.
Dies hominis dicitur tempus istud, in quo vnicuiq; ho-
mini permittit Deus facere secundum arbitrium suum
quod vult, & quod potest promereri bona siue mala se-
cundũ opera sua. Dies autem Domini, tẽpus illud quod
instat vnicuique quãdo separatur à corpore anima eius,
& de cætero non potest incedere secundum arbitrium
suum, sed secundum iudicium Dei ducitur vel ad requiẽ
vel ad pœnam, ad accipiẽdam mercedem quam prome-
ruit, fiuntq; manifesta, quæ prius in eo erant occulta, siue
1. Cor. 3. bona siue mala. Vnde & dicitur: Vniuscuiusque opus
manifestum erit: Dies .n. Domini declarabit, & vnius-
Ignis. cuiusque opus quale sit ignis probabit. Ignis autem dici-
tur pœnalitas illa, quam ad hoc Deus ordinauit vt in ea
affligãtur, & purgẽtur electorum animæ à maculis quas
in hac vita contraxerunt. Quæ nullum quidem detrimẽ-
tum inferre poterit ædificationi eorum, qui fundamento
superædificauerunt aurum & argentum, & lapides pre-
tiosos, etiamsi per medium illius eis transire contingat.
Propter hos ergo ait: Si cuius opus manserit quod su-
perædificauit, mercedem accipiet, eam videlicet, quam
sua superædificatione promeruit. Propter eos autem qui
superædificauerũt ligna, fœnum, stipulam, dicit: Si cuius
opus arserit, detrimentũ patietur, ita videlicet quod nul-
lum pro sua ædificatione præmium habebit, imo ama-
ram afflictionem: ipse autem saluus erit, sic tamen quasi
per ignem, id est, nõ aliter nisi per examinationem ignis.
Diuersis autem nominibus ligni & fœni, & stipulæ desi-
gnauit ea, quæ in quolibet exurenda sunt propter diuer-
sitatem ipsorum, secundum quam quædam diutius aliis
ignem sustinebunt, velut lignum diutius fœno ardet, fœ-
Ira. num diutius stipula. Est autem ignis iste idem quod Psal-
Psalm. 6. mista irã appellat cum dicit: Domine ne in furore tuo ar-
guas me, neq; in ira tua corripias me, vel emẽdes me, vt
habet alia translatio. In furore arguentur, & non emẽda-
Matth. 25. buntur, quibus dicetur: Ite maledicti in ignem æternum.
In ira autẽ corripientur & emẽdabuntur, qui per ignem
salui erunt. Vtrumque autem formidans deprecatur di-
cens: Domine ne in furore tuo arguas me, ac si diceret:
Non sum inter eos, quibus dicturus es: Ite maledicti in
ignem æternum: neque in ira tua emendes me, sed in hac
vita me vre & seca, & talem me redde cui emendatorius
ignis necessarius non sit. Iste ignis est, ô Cathari, quem
Ioannes Baptista significauit, quando de Domino Salua-
tore prædicabat dicẽs: Ille vos baptizabit in Spiritu san-
cto & igne. Nam in hac vita baptizat in Spiritu sancto,
Matth. 9 quando in baptismo foris quidem per inuisibiles mini-
stros baptizat nos in aqua, intus autem animas nostras
propria operatione baptizat in Spiritu sancto, donãs no-
bis remissionem omnium peccatorum. In igne autẽ nos
baptizat, quando post hanc vitam in purgatoriis pœnis
animas nostras purificat à maculis peccatorum, quas in
habitaculo corruptibilis corporis contraxerunt: quia ni-
hil in illa sua purissima ciuitate recipere vult, quod non
sit ab omni sorde defæcatum. Possumus & ex verbis Do-
mini testimonium sumere ad confirmationem sentẽtiæ,
de qua nunc sermo nobis est. Legimus in Euangelio,
quoniam ad Pharisæos blasphemantes opera eius inter
cætera dicebat sic: Qui dixit verbum contra Spiritũ san-
Matth. 12. ctum, non remittetur ei neque in hoc sæculo, neq; in fu-
turo. Quale sit illud peccatum, quo dicitur peccare quis
in Spiritum sanctum, non me determinare hoc loco ne-
cesse est, quia ad præsens negotium non pertinet hoc. Id
vero præsentis negotij est, vt consideremus hoc quod a-
liquod peccatum esse insinuat, quod nõ remittetur neq;
in hoc sæculo, neq; in futuro. Si verus est sermo, nulli a-
liquod peccatum in futuro sæculo contigit remitti: Nã
sicut dicitis, quælibet anima, mox, cum de præsenti sæcu-
lo migrauerit, aut in æterna beatitudine cõstituitur, quo
nemo cum peccati macula accedet, & vbi nemo peccati
maculam contrahit: aut æternis pœnis deputatur, vbi
nulla remissio, nulla misericordiæ exhibitio est. Ergo su-

A perfluè à Saluatore talis distinctio facta est, vt diceret
peccatũ illud, quod est in Spiritum sanctum, non remit-
ti neq; in hoc sæculo, neque in futuro. Nam si nullum in
futuro sæculo peccatum remitteretur, non tam speciali-
ter de illo peccato dixisset, quod neq; in hoc sæculo, ne-
que in futuro remittetur, sed sufficeret simpliciter di-
xisse, quoniam non remittetur ei. Sicut autem nefas est
dicere, aliquam falsitatem in verbis Saluatoris inueniri,
ita proculdubio nefas est dicere, aliquã in eis esse super-
fluitatem, aut inutilitatem. Scriptum quippe est de eo in
psalmo: Et folium eius non defluet, & omnia quæcun- Psalm. 1.
que faciet, prosperabuntur. Deflueret autem folium
eius, si in verbis eius aliquid superflueret: & non prospe-
rarentur quæcunq; fecit, si aliquid sine vtilitate dixisset.
B Ergo necessario concedendũ est, quoniam in futuro sæ-
culo aliqua peccatorũ remissio fit: quam quia non pos-
sumus dicere exhiberi eis, qui æternaliter damnati sunt,
neque eis qui saluati sunt, necesse est vt dicamus ali-
quibus remitti peccata in alio sæculo, qui neque sint in
æterna damnatione, neque in æterna beatitudine collo-
cati. Nulli autem medij sunt inter æternam beatitudi-
nem, & inter æternam damnationem, nisi illi de qui-
bus dicimus, quod in purgatoriis pœnis sint. Videte nũc
quali modo eis peccata remitti dicamus. Remittit Deus
peccatori homini peccata duobus modis in hac vita
videlicet, duritiam cordis eius per interiorem gratiam
ad conuersionem emolliendo, & conuersum ad se à de-
bito gehennalis pœnæ, quæ ei pro peccatis debebatur,
C absolutum faciendo: Quibus autem in hac vita his mo-
dis peccata remittit, si ita transeunt de hac vita, quod de
peccatis suis non ad plenum satisfaciunt Deo, permittit
eos ad tempus puniri in quibusdam pœnis, quas consti-
tuit ad hoc, vt electi sui in his purificentur. Quando au-
tem eis illas pœnas remittit, & eos ad refrigeriũ educit,
tunc eis peccata remittere dicitur: quia & pœnę pecca-
torum peccata vocãtur, secundum illud Apostoli: Chri- 1. Petr. 2.
stus peccata nostra pertulit in corpore suo super lignũ.
Nõ autem aliter peccata nostra ipse portauit, nisi quod
pœnas, quæ nobis debebantur pro reatibus nostris, ipse
sustinuit. Vnum adhuc satis euidens testimonium ad cõ-
firmationem partis nostræ inducere possumus, ex histo-
ria Machabæorum, cuius talis est autoritas in Ecclesia,
vt publice in diuino seruitio lectitetur. Scriptum est in
D libro secundo eiusdem historiæ, quod Iuda Machabæo
dimicante aduersus Gorgiam præpositum Idumææ, cõ- 2. Mach. 12.
tigit paucos Iudæorum ruere. Fugato autem Gorgia, per
Dei auxilium Iudas collecto exercitu venit in ciuitatem
Odolla, & cum septimus dies superuenitet, secundum
consuetudinem in eodem loco sabbatum egerunt, & se-
quenti die venit Iudas cum suis, vt corpora prostrato-
rum tolleret ac sepeliret. Inuenerunt autem sub tunicis
interfectorum de donariis idolorum, quæ apud Iam-
niam fuerunt, à quibus lex prohibebat Iudæos. Omni-
bus ergo manifestum factum est, ob hanc causam eos
corruisse: atq; ita ad preces conuersi, rogauerunt Deum,
vt id delictum obliuioni traderetur. Post hæc prosequi-
tur scriptura ita dicens: Et facta collatione Iudas duode- Ibidem.
cim millia dragmas argenti misit Hierosolymam, offer-
E ri ea pro peccatis mortuorum iuste & religiose de resur-
rectione cogitans, & cætera. Et ad vltimum ita conclu-
sit dicens: Sancta ergo & salubris est cogitatio pro de-
functis exorare, vt à peccatis soluantur.

Quid nunc ad hæc dicitis ô Piphles? Euangelica scri-
ptura vt auditis, pro nobis est, & quis contra nos? Apo-
stolica scriptura in defensione nostræ partis est, & quis
est qui condemnet nos? Exemplum Machabæi dæmo-
nici bellatoris in acie nostra est, & quis dimicabit aduer-
sus nos? Adhuc pauca de præsenti negotio habeo con-
ferre vobiscum. Si præoccupatus fuerit homo grauiori-
bus peccatis, & cõuersus fuerit ab iniquitate sua, & pœ-
nituerit ex corde de perpetratis malis, nunquid indiget,
vt præter illam interiorem pœnitentiam cordis aliquam
exteriorem satisfactionem de peccatis suis Deo exhi-

beat, videlicet eleemosynas dando, ieiunando, & aliis A modis corpus suum propter Deum affligendo? Si ita est, vt per quosdam compelli, quibus noti erant sermones vestri, dicitis quia postquam ex corde pœnituerit homo de peccatis suis, & cessauerit ab iniquitate, non opus est ei illa exteriore satisfactione, de qua dixi: eo quod iam omne peccatum ei sit remissum in pœnitentia cordis. Sed hoc non ita esse euidentibus Scripturæ sanctæ testimoniis declaratur: Dicit enim Dominus per Prophetam Ioel. Conuertimini ad me in toto corde vestro, in ieiunio & fletu & planctu, & scindite corda vestra, & non vestimenta vestra. Ecce euidenter præter interiorem conuersionem cordis, exteriorem quoque satisfactionem exposcit. Ioannes quoque Baptista vt in Euangelio legimus, ad vtrumque hortatus est dicens: Pœnitentiam agite. Et post pauca subiungit: Facite ergo fructus dignos pœnitentiæ. Fructus autẽ pœnitentiæ sunt opera bona, quibus Deus placatur pro peccatis, & variæ castigationes carnis. Qui equalem effectum habeant ad placandum Deum patet ex historia, quæ narrat pœnitentiam Niniuitarum, & ex scriptura quæ dicit, quomodo Achab rex Israel cum argueretur per Heliam de occisione Naboth, scidit vestem suam, & operuit cilicio carnem suam, ieiunauitque & dormiuit in sacco, & ambulauit demisso capite. Factusque est sermo domini ad Heliam dicens: Nonne vidisti humiliatum Achab coram me? Quia igitur humiliatus est mei causa, non inducam malum in diebus eius, sed in diebus filij eius inferam malum domui eius. Ex his ergo palam est, Deum non solum internam cordis compunctionem, sed etiam exteriorem C satisfactionem peccatis congruentem exigere, eaque exhibita placari, neglecta autem ad vindictam commoueri. Si ergo conceditis hoc ita esse, quid dicetis de illo qui in omni genere criminũ consenuit, & primum in ipso articulo mortis compungitur, & conuertitur ad iustitiam? Nũquid debitor alicuius satisfactionis est Deo pro peccatis suis? vt pote debitor quidem est: sed quia propter breuitatem temporis nõ potest eam implere, dimittitur ei satisfactio simul cum peccatis, statim post mortem rapitur ad æternam beatitudinem. Dicitis ita? Bona est sententia ista, & ad multorũ proficit correctionẽ? Qualem correctionẽ? quod si hoc verbo publicè corã vanis & prauis hominibus prædicetur, differet vnusquisque conuersionem suam quanto diutius poterit dicens apud se: faciam omnẽ voluntatẽ cordis mei, & in fine vitæ meç cõuertar, & pœnitebo, & statim sine omni labore ad regnũ cœlorum transibo. Videtis ne quomodo sententia vestra, si credita & recepta fuerit, occasio erit omnis vanitatis & omnis prauitatis? Stultissimi hominũ quæ ratio, aut quæ vtilitas est in hoc sermone quem dicitis? omnino nulla, nisi vt singulariter videri possitis sapientes præ aliis hominibus, si aliquid singulare dicatis quod non sit in opinione cæterorum. In nostro autem sermone quem de animabus mortuorũ diximus, indubitanter fructus multus est, quoniam multa opera misericordiæ quotidie fiũt in pauperes, quæ nullatenus fierent, si non hoc crederẽt homines, vt per talia possent adiuuare animas charorum suorum. Manifestum est itaque, per omnia necessarium esse purgatorium illum ignem, de quo diximus, in quo animæ eorum qui in hac vita non plenariam satisfactionem Deo pro peccatis suis exhibuerunt, tamdiu examinentur, donec idoneç fiant intromitti ad illam supernam ciuitatem Dei, quæ nihil recipit quod perfectum & plenè examinatum non sit. Quid enim absurdius, quam vt credatur animam à sentina turpitudinum recenter extractam & earum memoria adhuc quodammodo fœtẽtem, in illud tam lympidissimum lumen tam repente irrumpere, & purissimorum spirituum cœtibus admisceri, ita vt sit vno eodemq; die, mane quidem in peccatorum turpissimo cœno, & vespere, in Angelorũ purissimo cœlo? Nonne debuerat vel septem dierum rubore suffundi pro multis enimiosis excessibus, cũ pro solo verbo iurgij Maria soror Moysi lepra pessima correpta sit à Do-

Ioel. 2.

Matth. 3.

Ion. 3.

3. Reg. 21.

mino, ac septẽ diebus sequestrata à castris filiorũ Israel? Ex auro purissimo omnia vasa sãctuarij, quibus administrandum erat corruptibile sacrificiũ in deserto, fieri iussa est. Quãto magis vasa quibus incorruptibilis gloria purissimæ diuinitatis seipsam dignabitur infundere, omnimoda examinatione antequam ad sancta sanctorum inferantur, probata esse conuenit? De latrone mihi forsitã obiicitis, quod eadem die qua confessus est, in paradiso fuerit cum Domino Iesu. Ad quod ita respõdemus: quia hoc ei specialiter concessum est præ aliis pœnitentibus, propter admirabilem fidei eius virtutem, qua hominem quem vidit non habentem speciem neque decorem, & quasi nouissimum virorum ignominiosæ morti traditũ, credere potuit Deum esse, dicens: Domine memento Luc. 23. B mei dum veneris in regnũ tuum. Quæ fides, vt arbitror, coram diuino examine maioris meriti habita est, quam multorum annorum grauis pœnitentia. Date iam gloriam Deo, & accedite ad veritatem quã expugnatis: aut si non acceditis, fugite partes aduersæ cum doctore vestro, qui ab initio mendax est, & mendacij pater.

CONTRA SEPTIMAM HÆRESIM *de sacerdotio.*

SERMO X.

Accedamus & ad illud discutiendum, quod dicitis ordinem sacerdotij defecisse apud nos, & nusquam inueniri veros sacerdotes, nisi inter vos. Loquor nunc pro nobis, qui in his quę ad Christianam religionẽ pertinent, ad Romanam Ecclesiã respectum habemus. Sacerdotalem ordinem nos accepimus à Romana Ecclesia. Romana autem Ecclesia ab Apostolo Petro, Petrus à Christo, Christus à Deo patre, qui vnxit eum oleo lætitiæ, hoc est Spiritu sancto præ participibus suis, & iurauit dicẽs ad eum: Tu es sacerdos Psalm. 10. in æternum secundum ordinem Melchisedech. Verus sacerdos erat Dominus Iesus Christus, qui sacrosanctum corpus & sanguinem suum palam obtulit Deo patri super aram crucis, vt statueret pacem & reconciliationem inter ipsum, & genus humanum quod perditum fuerat. Si à dotatione sacræ rei sacerdos dicitur, nulli vnquam melius competebat hoc nomen, quam ei qui sacrum sacratissimum, hoc est, seipsum dedit, vt saluaremur per D ipsum. Ipse etiam inuisibiliter dedit corpus & sanguinem suum, quando coram discipulis panem & vinum in cœna benedixit benedictione cœlesti, & fecit sua admirabili potestate, vt sub specie eiusdem panis & vini sumerent de manibus ipsius corpus & sanguinem eius. Ipse quoq; sicut pollicitus est, cum Ecclesia sua, est vsque ad consummationem sæculi, & quotidie inuisibiliter offert per manus Ecclesiæ Deo patri pro salute mundi corpus & sanguinem suum sub specie panis & vini. Propterea dictus est sacerdos secundum ordinem Melchisedech, qui erat rex Salem & sacerdos Dei summi, & oblatione fecit Deo ex pane & vino. Dominus Iesus Christus discipulos suos fecit veros sacerdotes, in eo quod vnxit eos Spiritu sancto, & dedit eis potestatem prædicandi verbum E diuinũ, & baptizandi, cũ dixit: Euntes docete omnes gẽtes, baptizãtes eos in nomine patris & filij & Spiritus sãcti, docentes eos seruare omnia quæ cumq; mandaui vobis. Dedit eis potestatem ligandi atq; soluendi, cũ dixit: Matt. vlt. Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata Ioan. 20 remittuntur eis: & quorũ retinueritis, retenta erunt. Dedit eis potestatẽ conficiẽdi corpus & sanguinem suũ sub specie panis & vini, quando dixit ad eos: Hoc est corpus meum quod pro vobis traditur: hoc facite in meam cõmemorationẽ. Omnem deniq; potestatem, quæ ad sacer- Luc. 22. dotij officium & ad Episcopalem dignitatem spectat ab ipso acceperunt. Eandem autem potestatem singuli successoribus reliquerunt in illis terris, & in illis Ecclesiis, quas eis Dominus conuertendas & gubernandas delegauit. Et vt nunc de aliis taceam, beatus Petrus princeps Pe... Apostolorum

Apostolorum in Romana vrbe Presbyteros & Episcopos ordinauit, & omnem potestatem quæ ad officia eorum pertinebat eis dedit sicut ipse à Domino Iesu Christo acceperat. Et puto non potestis contradicere, quin hoc facere posset. Beatum vero Clementem discipulum suum, cum sciret sibi imminere terminum vitæ suæ, in loco suo Ecclesiæ præesse constituit, & eam potestatem, quam ipse habuit in principatu Apostolatus eis tradidit. Ipsa autem consecratione, qua per beatum Petrum Clemens ordinatus est in Presbyterum & Episcopum, ordinati sunt & à Clemente alij Episcopi & Presbyteri Romæ, & ipsa ordinatus est successor Clementis, ea & ille alios ordinauit Episcopos & Presbyteros, & ita à successoribus ad successores per ordinem descendit sacerdotale officium, & Episcopalis dignitas, vsque ad eum, qui B hodierna die summus pontifex Ecclesiæ est. Si nunc dictis quod sacerdotalis ordo defecerit in Romana Ecclesia, oportet vt nobis hoc demonstretis, sub quo Papa acciderit iste defectus, & quam ob causam acciderit. Quod si dicere nescitis, magnæ stultitiæ & temeritatis argui potestis, pro eo quod rem tam magnã diffamare ausi estis, quam non veraciter comperistis, sed tamen in opinione habetis. Dicitis forte: Nescimus sub quo Papa acciderit iste defectus, sed hoc scimus, quod ex multis temporibus omnes, qui dicebantur Romani Pontifices, & Cardinales, semper auari fuerunt & superbi, & multis ex causis indigni sacerdotio Christi, & ex hoc certi sumus, quoniã verum sacerdotium apud ipsos non est. Esto indigni sunt: Nunquid impossibile est vt aliquis sit indignus sacerdotio, & tamen vere sacerdotij ordinem habeat? Nequaquam C hoc impossibile est. Scimus quippe quoniam sacerdotium, quod erat in veteri lege, institutũ erat à Deo. Et quoniam Aaron & Eleazarus & Phinees primi sacerdotes Dei viri sancti, multos habuerunt successores in sacerdotio, qui non erant beneplaciti Deo, & indigni sacerdotali dignitate, & tamen eos Deus tolerauit in officiis suis, & ratam permisit esse benedictionem sacerdotalem in eis. Sacerdotes Iudæorum in aduentu Saluatoris hypocritæ erant & auari, ac superbi, & venditores & emptores spiritualium rerum, sicut ex verbis Domini apparet, quibus sæpe eos reprehendebat, & tamen ipse de

Matth. 23. eis dicebat ad plebem: super cathedram Moysi sederũt scribæ & pharisæi: quæ dicunt facite, quæ autem faciũt, nolite facere. Ecce cum ipse nosset vitia eorum ab intrinsecus, D non tamen abducebat populum ab eis, sed honorem debitum sacerdotibus, & spiritualibus magistris, voluit ab illis exhiberi. Item cum venissent ad eum decem leprosi volentes mundari ab eo, dicebat eis: Ite ostendite vos sacerdotibus: & vni cum esset mundatus à lepra, ait: Vade ostende te sacerdoti, & offert munus quod præcepit Moyses in testimonium illis: Ecce quomodo honorabat eos, quos sciebat esse iniquos. Quid quæso honorabat in eis? Non personas eorum, sed officium eorũ, quod sanctum erat & institutum à Deo. Quod certe si defecisset in eis propterea quia eo erant indigni, non eos sacerdotes appellasset, neque præcepisset eis offerri munus, quod sacerdotibus deberat diuino iure offerendũ. Scriptum est de Caïpha summo pontifice Iudæorum, E qui erat vnus ex præcipuis crucifixoribus Christi, quod cum collegissent põtifices & pharisæi concilium aduersus Iesum quomodo eum perderent, dicebat, Expedit vobis vt vnus moriatur pro populo, ne tota gens pereat.

Ioan. 11. Quibus verbis Euangelista ita subiungens ait: Hoc autem non à semetipso dicebat, sed cum esset Pontifex anni illius, prophetabat, quod Iesus moriturus esset pro gente, & non pro gente tantum, sed vt filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in vnum. Ex quo sermone Euangelistæ percipitur, quod Caiphas licet sanctus non esset, propter sanctitatem tamen Pontificalis officij sui, aliquam singularem gratiam habebat à Deo, per quam prophetabat redemptionem, quæ per Christum erat futura. Erat tamen indignus dignitate officij illius, non solum ob illam nequitiam qua Saluatori resistebat, sed

A propter auaritiam & superbiam ac cætera vitia quibus irretiti erant cuncti sacerdotes temporis illius, sicut ex verbis Saluatoris, & ex verbis Ioannis Baptistæ manifestum est, qui frequenter eos arguebat. Ita enim erant auari & cupidi honoris, sicut in historiis legitur, vt singulis annis mutarent summos Pontifices, & festinaret vnusquisq; ante aliũ ingredi ad dignitatem Pontificatus per pecunias quas dabant gentilibus qui eis præpositi erant illis temporibus, cum secundum legem vnusquisque Pontifex vsque ad finem vitæ suæ stare debuisset in officio suo. Quæ mutatio Pontificum intelligi potest etiam ex eo quod Euãgelista dicit de Caipha, quod esset Pontifex anni illius: erat autẽ Pontifex anni prioris Annas socer eius, sicut ex historiis habetur. Hec ideirco B dicta sunt, quia dicitis non posse sacerdotale officium ratum apud illos, qui sacerdotio indigni sunt. Quis sceleratior, quis indignior fuit dispensatione mysteriorum Dei quàm Iudas Scariothis, qui & furetur dominicæ gazæ, & mortem Saluatoris diu in mente gerebat, & volũtate eum occidebat? Dominus tamen eum, sicut & cæteros Apostolos mittebat ad dispensandum gratiam suã spiritalem, prædicando, baptizando & exequẽdo cuncta quæ ad Apostolatum pertinebant: & rata esse permisit ea quæ ab illo gerebantur, sicut & ea quæ cæteri Apostoli faciebant in ministeriis suis. Legimus de pluribus qui baptizati sunt a Ioanne Bap. viro sancto & perfecto, quod rebaptizati sunt per Apostolos: eorum vero qui baptizati sunt à Iuda nullum legimus fuisset rebaptizatum. Fuisset autem necessarium eos rebaptizari, si vim C suam non potuisset habere sacramentum illud sub manibus eius, ob eam causam quia ipse fuisset indignus administratione baptismi. Ad nostram eruditionem hoc fieri permisit Dominus, vt ille qui indignus erat computari inter ministros Dei, gratiam suam hominibus, sicut & cæteri Apostoli dispensaret vt cum videmus indignos sacerdotes spiritualia tractare & distribuere, ne propter eorum malitiam diffideremus gratiæ Dei neque æstimaremus quod nullam virtutem haberent res spiritales, quæ ad salutem gratiæ Dei constitutæ sunt, pro eo quod mali sunt, qui officium habent super ea. Nolite itaque temere hoc affirmare, quod in Romana Ecclesia defecerit ordo sacerdotalis, pro eo quod qui regnant in ea, indigni sunt eo. Certe hoc quod dicitis, verum esse fateremur, si defecisse in ea fidem Catholicam probare D possetis. Nam si exinanita esset fides, inania procul dubio essent & fidei sacramenta. Quod si inania essent sacramenta, inane & nullius vtilitatis esset officium sacerdotum dispẽsantium ea. De aliis quidem vitiis, pro quibus Romanam Ecclesiam culpatis, non eam fortassis sufficienter possumus excusare: sed quod adhuc in ea defecerit fides Catholica, nulla certe potestis ratione probare. Nam eadem fides quæ ab initio per B. Petrum in ea plantata est, & quæ prædicata est à successoribus eius, qui pro Catholicæ fidei confessione martyrium pertulerunt, vt Clemens, vt Sixtus, vt Marcellus, & multi alij, quos longum esset enumerare, & qui sanctitate conuersationis, & cœlestibus doctrinis Ecclesiam vehementer illustrauerunt vt Syluester, vt Gregorius, vt Leo, & quãE plures alij: eadem inquam fides vsque in hodiernũ diem in ea prædicatur & tenetur, adiuuante apud patrem illa Domini nostri Iesu Christi interpellatione, de qua ipse dixit ad Petrum: Ego rogaui pro te, vt non deficiat fides Luc. 22. tua: Quod vtique non dicebat spiritualiter pro illa fide, quæ in mente Petri erat, sed de fide Ecclesiæ, quam voluit gubernari à Petro. Vnde & si quando contigit aliquem Apostolicorum patrum à fide Catholica errare, non diu eum stare permisit Dominus, ne forte per ipsum Ecclesia corrumperetur. Nam in tempore Arrianæ hæresis quidam Papa dictus Leo, sicut legitur in vita beati Hilarij: Arrianis consensit in hæresi, & subitanea morte peremptus est. Sed & de alio quodam legitur, quod à vera fide exorbitauerit, & ob hanc causam depositus sit. Quod si adhuc in eo verbo heretis, vt dicatis

Romanam Ecclesiam ita corruptam esse, vt nunc credatur in ea & doceatur aliud quam quod credidit, & in ea docuit B. Petrus, & illi eius successores, de quibus dubium non est, qui sancti sint, ostendere debetis nobis rationabili sermone quid sit illud in quo discordet ab illorum fide, & prædicatione: & quid sit illud, quod illi crediderunt, & quod nunc in fide non suscipiatur à successoribus illorum. Certi autem sumus, quoniam ad hoc demonstrandum, & ratio vobis deest & sermo. Sicut dixi, Dominus noster Iesus, ob dilectionem principis Apostolorum inter multas procellas persecutionũ, & oblatrationes hæreticorum, incorruptam adhuc conseruauit fidem Catholicam in sede illa Apostolica, simulque sacerdotalis ordinis in ea conseruauit dignitatem, magis propter fidei stabilitatem quam propter merita sacerdotum regentium eam. Propter fidei dico stabilitatem, quia indubitanter ipsa in negligentiam & defectum iam deuenisset, si euacuatum esset officium prædicandi, baptizandi, confirmandi, ligandi atque soluendi, offerendi sacrificium salutare, & orationem faciendi pro populo Dei, Ecclesias quoque consecrandi, & ordines faciendi, ac cætera huiusmodi exequendi, quæ ad Episcopos ac sacerdotes pertinent. A Romanis autem patribus, sicut notitia sacræ fidei, ita & ordo sacerdotij ad nos vsque peruenit per sanctos viros, qui inde ad has occidentales partes Christianæ religionis causa missi sunt. Nam Apostolus Petrus quando tres discipulos suos Eucharium, & Valerium, & Maternum ad prædicandum in Gallia atque Germania verbum Dei transmisit, patrum quidem illorum, videlicet B. Eucharium in Presbyterum ordinauit, & ad Episcopalem eum dignitatem sublimauit. Valerium autem ad gradum diaconatus promouit. Maternum subdiaconum consecrauit. Beatus autem Eucharius cum esset Episcopus in Treuerensi vrbe S. Valerium ad sacerdotij gradum promouit, eique cum esset moriturus, Ecclesiam vice sua gubernandam commisit. Similiter & ille, cum esset ab hac vita migraturus, beatum Maternum in sacerdotem ordinauit, & Episcopalem ei administrationem commisit. Ab his ergo tribus Pontificibus patrum sacri ordines simul, cum fide Catholica plantati & radicati sunt in Treuerensi & Coloniensi prouinciis, quas vtrasq; rexisse dinoscitur sanctus Maternus, simulque Tungrensem, cum adhuc Episcopalis esset sedes in ea. Qua enim potestate & qua gratia Dei ipsi ordinauerunt Episcopos & Presbyteros, aliosq; ordines dederunt, eadem potestate, eadem gratia & cuncti qui eorum successores fuerint in Episcopali dignitate, & in eadem fide extiterunt, quam illi docuerant, & obedientes fuerunt Apostolicæ sedis magistro, ipsi quoque ordinauerunt Episcopos & Presbyteros, aliosque Dei altaris ministros vsque in hodiernum diem. De Moguntinensi prouincia similia dico. Qua potestate ordinatus fuit in Presbyterum & Episcopum sanctus Bonifacius, qui cum esset Romanæ sedis Ecclesiæ Cardinalis, missus est à Zacharia summo Pontifice Mogontiam, & primus in ea Archiepiscopus factus est: qua inquam potestate ipse consecratus fuit, ea & ipse Episcopos, & Presbyteros aliosque ministros Dei ordinauit, eadem & successores eius, eorumque suffraganei vsque in præsens tempus singuli suis ciuitatibus ordinationes fecerunt ministrorum Dei. Ex his ergo quæ nunc dicta sunt, scitote quoniam in his tribus Archiepiscopatibus, qui principales sunt apud Teuthonicam gentem, & Episcopatibus, qui eis subditi sunt, officium sacerdotale, radicem, & firmamentum habet à capite sanctæ Catholicæ Ecclesiæ, id est, à sede B. Petri Apostoli, quæ in Romana vrbe est. Sed & cunctæ metropolitanæ ciuitates Romani imperij in eo, quod pallia Pontificalia à Romanis patribus requirunt, eisque obediunt, & decreta Romanorum Pontificum recipiunt & obseruant, & secundum instituta illorum diuinum seruitium agunt, planè demonstrant officium Episcopale ac sacerdotale, cæterosq; ordines diuini ministerij a Romana Ecclesia se habere.

Eucharius. Valerius. Maternus.

Bonifacius.

A Idem & de ciuitatibus cæterorum occidẽtalium regnorum dicere possumus. Regno Francorum beatus Dionysius Areopagita à sancto Clemente successore Petri Apostoli in Episcopum ordinatus, sacerdotale officium intulit, qui primus gentem Gallorum in Parisiensi vrbe, & in finibus eius prædicatione verbi Dei ad fidem conuertit, Ecclesias construxit, & consecrauit Presbyteros atque alios altaris Dei ministros ex probatis personis, sicut legitur, ordinauit. Atque ad eadem facienda tres illustres viros à se ad Hispaniam, ad Aquitaniam, & ad Beluacensem regionem transmisit, videlicet S. Marcellum, Saturninum & Lucianum, quos ei S. Clem. Papa socios itineris dederat. Sic & in regno Angelorum beatus Augustinus Episcopus a venerabili Papa S. Gregorio missus, sicut Christianæ religionis cultum, ita & sacerdotale officium dilatauit. Sicut ergo eadem fides quæ à Romana sede per sanctos viros, qui inde missi sunt, disseminata est, adhuc hodie permanet in cunctis ciuitatibus occidentalium regnorum, quæ prædicta sunt: ita & officium sacerdotale, quod per illos plantatum est, ibidem permanet vsque in diem hanc. Forte ad hæc respõderis, fatemur quidem quod illi primi prædicatores fidei Christianæ, de quibus dictum est, vere sacerdotes Dei fuerunt, & alios ad sacerdotium ordinare potuerunt, sed multos successores in Episcopalibus cathedris habuerunt, quorum vita tam praua & tam abominabilis extitit, vt nec ipsi possent sacerdotale officium habere, nec alios ad hoc possent ordinare, ac per eos sacerdotium omninò interiit. Pro quibus respondeo idipsum, quod suprà de Romanis Pontificibus dictum est, non esse hoc impossibile, vt magistri Ecclesiarũ habeant aliqua dona spiritualia pertinentia ad vtilitatem eorum, quos regere habent, qui tamen ipsi eisdem donis coram Deo indigni sint, & non ipsimet proficiant ad salutem. Sic & propheticus spiritus Balaam & Caiphæ, de quo & supra locuti sumus, & Apostolica potestas Iudæ non ipsis prouenit ad vtilitatem, sed aliis. Quapropter non ex hoc, quod dicitis Pontifices successores sanctorum virorum, de quibus supra dictum est, male & irrationabiliter vixisse, non inquam ex hoc necessario probare potestis, quod ipsi habere non potuerunt potestatem exequendi officium sacerdotum, & ordinandi sacerdotes, quæ potestas sine dubio sancta est, & spirituale donum Dei est. D Multi in primitiua Ecclesia hoc donum Spiritus sancti habebant, vt loquerentur variis linguis, quas nunquam ab aliquo didicerant, & tamen charitatem Dei non habebant, quia non ad meritum, sed ad honorem Dei dabatur hoc donum. Multi hoc donum Spiritus sancti habebant, vt in nomine Christi prophetarent, & dæmonia ab obsessis corporibus eiicerent, & signa alia facerent, & tamen non vere Christum sequebantur, sicut perpenditur ex verbis ipsius Saluatoris quæ dicebat: Amen dico vobis, multi venient in die illo dicentes: Domine Domine in nomine tuo prophetauimus, & dæmonia eiecimus, & virtutes multas fecimus; & tunc confitebor illis, quia nunquam noui vos: Discedite à me operarij iniquitatis. Si talia dicere animaduertere sciretis, profectò non tam temere iudicaretis officium sacerdotis aut E Episcopi non posse apud illos esse, quorum vita coram laudabilis non est. Iterum forte ad talem obiectionem confugietis vt dicatis: Si non per malam conuersationem Episcoporum, tamen per infidelitatem ipsorum accidere potuit, vt sacerdotalis dignitas euacuaretur. Fuerunt enim quædam tempora in quibus hæreses ita in Ecclesia multiplicatæ sunt & excreuerunt, vt etiam Episcopi multarum ciuitatum in errorem ducerentur, maxime in diebus Arrianæ perfidiæ, cui multi Episcoporum consensisse leguntur. In illis ergo temporibus per hæreticos Episcopos multi ad ordinem sacerdotij, multi etiam ad Episcopalem dignitatem ordinati sunt. Hæreticorum autem ordinationes nullam vim habere potuerunt, ita vt aliquis ab eis ordinatus, vere officium Episcopi aut Presbyteri exequi posset, aut ad hoc alium

Dion.

Augus.

Matth.

promo-

promouere. Hi autem qui ab hæreticis ordinati sunt, A putantes se esse Episcopos, cum non essent, alios ordinauerunt Episcopos & Presbyteros, & nec illi ab eis ordinati, vere officium, quod se putabant suscepisse, habuerunt, & illi quoque alios ordinauerunt. & ita vsque ad hæc tempora deuoluti sunt ordines Ecclesiastici, qui ab illis hæreticis Episcopis primum corrupti sunt, & ita annihilati sunt, vt vbi esse putantur, ibi vere non sint. Si talem obiectionem concinnatis aduersum nos, scitote quoniam absque responsione non sumus. Ita quidem sæpe accidisse legimus, vt etiam Episcopi diuersarum ciuitatum in errorem ducerentur & consentirent hæreticis, qui fidem Catholicam subuertere conati sunt. Et quidem si ita aliqui hæresibus consenserunt, vt tamen ipsi non manifesta contradictione Ecclesiam impugnarent, neque excommunicatione Orthodoxorum patrũ B ab Ecclesia præciderentur, & ita adhuc specie tenus intra Ecclesiam manserunt: de talibus non negamus quin habuerint vere sacros ordines, & si nõ ad suam vtilitatem: & potuerint vere eos aliis dare, quia non impossibile est, vt Ecclesiæ sacramenta aliquando etiam per hæreticos dispensentur, sicut & testantur verba Augustini qui ait: Non ideo non sunt sacramenta Christi & Ecclesiæ, quia eis illicite vtuntur, non modo hæretici, sed & omnes impij: illi corrigendi sunt & puniendi: illa vero agnoscenda & veneranda. At si qui ita hæresibus corrupti sunt, vt manifeste eas auderent defendere & impugnare Catholicam fidem, hos Romani magistratus & Orthodoxi patres, qui sub illis fidem Catholicam tuebantur, ab Episcopalibus sedibus quantum fieri potuit, eiicere, & ab Ec- C clesia Dei præcidere per excom[illegible] runt. Si qui [illegible] tiones facere præsumpserunt, in[illegible] dum ab Ecclesia Dei erant præcisi, illi ordines simul cum hæresibus sub excommunicatione fuerunt, ita vt nullam salutarem vim haberent, quamdiu hæreses permanserunt in illis, qui ordinatoribus suis in hæresi consenserunt. Vnde dicit Cyprianus martyr in Epistola sua, quod omnia quæcunque faciunt hæretici, carnalia & inania & sacrilega sint, & eorum altaria falsa, & illicita sacerdotia & sacrificia sacrilega, qui more simiarum, quæ cum homines non sunt, formam imitantur humanam, vultum Ecclesiæ Catholicæ & auctoritatem sibi vendicant, cum ipsi Ecclesia non sint. Postquam vero cum Dei auxilio hæreses deficere cœperunt, ita vt hi, D qui excommunicati fuerunt propter eas, vel morerentur, vel paulatim redirent ad Catholicam Ecclesiam, eique reconciliarentur. Tunc si qui ab hæreticis Episcopis extra Ecclesiam ordinati fuerant, recipiebantur quidem in communionem Ecclesiæ, sed non omnes vno eodemque modo. Quidam enim sic recepti sunt, vt per manus impositionem tantum laicam haberent communionem, & omnino sine clericatus ordine in Ecclesia essent, sicut intelligimus ex verbis Innocentij Papæ. Legitur enim quod dicit, Arrianorum clericos non suscipiẽdos cum sacerdotij, vel alicuius ministerij dignitate, quibus solum baptisma ratum esse permittit, quod in nomine patris & filij & Spiritus sancti percipitur. Tradit etiam laicam tantum communionem talibus esse tri- E buendam per manus impositionem, nec ex his aliquem in clericatus honorem vel exiguum subrogandum. Et hoc quidem primum generaliter de hæreticis fuerat constitutum, sed postea variis occasionibus interuenientibus temperatus est iste rigor consilio Orthodoxorum patrum, quibus decernẽtibus nonnulli ordinatorum ab hæreticis ita recepti sunt dispensationis causa, vt remanerent in ordinibus suis, quos ab hæreticis susceperant extra Ecclesiam. Hoc ex decreto Innocentij patet, in quo ista dicit: Summa sacerdotum deliberatio hæc fuit, vt quod Bonosus ordinauerat, ne cum eodem remanerent, & fieret non mediocre scandalum, ordinati reciperentur. Sed necessitas, inquit, temporis id fieri magnopere postulabat. Talibus ergo si quid gratiæ spiritualis

A defuit quod in sua ordinatione recipere debuerunt, hoc eis collatum esse constat, in eo quod a Catholicis patribus licentiam ministrandi in Ecclesia acceperunt. Item ordinatorum ab hæreticis quidam ita recepti sunt, vt accipientes manus impositionem ordinarentur, & sic remanerent in clero: forsitan quia non secundum formam Ecclesiæ fuerant ordinati. quod de Nouatianis tantum statutum legitur in Canonibus Niceni concilij. Quidam arbitrati sunt omnes qui ab hæreticis extra Ecclesiam fuissent ordinati, secundo ordinandos esse, cum ad Catholicam Ecclesiam redissent: sed hoc non esse faciendum, Gregorius Papa demonstrat in epistola, in qua Ioanni Rauennati Episcopo ita scribit dicens: Quod dicitis, vt qui ordinati sunt, iterum ordinentur, valde ridiculosum est. Vt enim baptizatus semel, iterum bapti- B zari non debet: ita qui consecratus est semel in eodem ordine, non valet iterum consecrari. Item & quidam venientes ab hæreticis, ita recepti sunt mixto rigore quodam cum misericordia, vt quosque ordines tunc haberent, illis ministrarent, & nunquam ad alios aliquos promouerentur. De qua re Vrbanus Papa legitur mandasse Geberhardo Constantiensi Episcopo sic: Vt ab excommunicatis quondam tamen Catholicis Episcopis ordinatos, si eorum religiosior vita & doctrinæ prærogatiua visa fuerit promereri, pœnitentia indicta, quam congruam duxetis, in ipsis quos acceperunt ordinibus permanere permittas. Ad superiores vero ascendere non concedimus, nisi necessitas & vtilitas maxima flagitauerit, & ipsorum conuersatio sancta promeruerit. Hoc ta- C men ipsum rarius, & cum cautela præcipua est concedendum Idem & alij quidam mandasse leguntur absque omni exceptione. Hæc me ita commemorasse sciatis, quatenus ex his perpendatis quali diligentia patrum, qui Ecclesiæ Dei gubernaculum possederunt, prouisum & cautum est, ne hoc quod dicitis, eueniret, videlicet vt per hæreticos Ecclesiastici ordines euacuarentur. Nam per eos, qui ad communionem Ecclesiæ recepti sunt, non perierunt, sed nec per eos, qui extra communionem permanserunt euacuati sunt. Quia ex quo eis Catholica Ecclesia præualuit, non manifeste in Ecclesia ministrauerunt, neque ordines palam fecerunt: & si in occulto eos fecerunt, & aliquis Catholicorum sciens eos hæreticos esse, ordinationem ab eis accepit, non est re- D ceptus in Ecclesia. Sic namque legitur in actione septimæ synodi, quæ apud Nicæam celebrata est: Si quis sponte ad hæreticum vadit, & accipit ordinationem, non recipiatur. Et de hæreticis quid amplius dicam? Scimus certe quoniam Dominus Saluator cum de ædificatione Ecclesiæ sanctæ ad principem Apostolorũ loqueretur, ita inter cætera aiebat: Et portæ inferi non præualebunt aduersus eam. Portas autem inferi dicebat hæreticos, qui ingressum inferi patefaciunt his qui sequuntur eos. Hi autem secundum promissionem Domini nondum præualuerunt Ecclesiæ, quoniam principi Apostolorum commisit, vt fidem Catholicam nunquam in ea destruere possent. Quod si ita præualuissent aduersus eam, vt omnes ordines Ecclesiastici in ea per E ipsos exinanitiiam essent, atque ita infirmata iam essent cuncta sacramenta Ecclesiæ: nimis certe præualuissent aduersus eam, & non bene impleta esset promissio Saluatoris, quæ euacuari non potest. De Simoniacis Episcopis forsitan eandem obiectionem nobis facitis, quæ suprà de hæreticis inducta est. Nos vero de eis ita respondemus: Quandiu ita non manifesta est Simonia alicuius Episcopi, vt pro ea coram magistratibus suis accusetur, conuincatur, & canonica sententia feriatur, tamdiu officium eius vim suam credimus habere in Ecclesiasticis sacramentis, quæ ab ipsõ administrantur, sicut ex verbis beati Gregorij colligimus, qui de sacramento dominici corporis loquens ait: Et quid melius corpore & sanguine Christi? Siue ergo per bonos, siue per malos ministros intra Ecclesiam dispensetur, sacrum tamen est,

& Spiritus sanctus viuificat: nec bonorum dispensatorum meritis ampliatur, nec malorum attenuatur. Sunt autem ad intra Ecclesiam Simoniaci, qui nondum sunt ab ea damnati. Cum ergo vtcunque ad officium eorum pertineat, & corpus Domini consecrare, & ministros Dei ordinare: si in maiori sacramento irritum non est officium eorum, propter peccata eorum, probabile est, quod etiam in minori irritum non sit. Nam licet reproba sit vita eorum, & orationes eorum Deo sint ingratæ, credimus tamen, quod per merita & orationes Ecclesiæ, cui adhuc vtcunque adhærent, adiuuantur, vt rata sint officia eorum in sacramentis, quæ ad vsum Ecclesiæ pertinent. Nemo enim in consecratione Eucharistiæ dicit, offero, sed offerimus: quod quidem pro tota Ecclesia dicitur. Nemo etiam Episcoporum in officio suo explendo dicit, oro vt hoc vel hoc fiat, sed oremus vnusquisque dicit, in quo se toti Ecclesiæ commemerat, cuius meritis & precibus adiuuatur ad impetrandum ea, de quibus postulat à Deo, quæ forte per se indignus esset impetrare. Fortasse iterum obiicitis mihi dicentes: Et quid est, quod Dominus sacerdotibus siue Episcopis sibi displicentibus comminatur dicens: Maledicam benedictionibus vestris? Hoc ita intelligite, ac si diceret: Benedictiones vestras faciam vobismetipsis prouenire in maledictionem. Potest enim esse quod benedictio alicuius ei qui benedicitur in bonum cedat: ipsi vero qui benedicit, eadem benedictio in malum proueniat, quemadmodum illis, qui cum non sequerentur Christum, in nomine tamen ipsius benedicebant obsessos à dæmonibus, & illi quidem liberabantur: illi vero qui benedictionibus suis alios liberabant, & ex hoc gloriam & lucrum apud homines quærebant, reprobati sunt à Deo, sicut patet ex Euangelicis verbis, quæ superius inducta sunt. Ad hoc quod de Simoniacis ordinatoribus iam supra dixi, vt æstimo dicitis: Quomodo possunt dare Spiritum sanctum qui non habent Spiritum sanctum? Videte quid dicatis, & quid interrogetis. Dico vobis quod propter Christum, qui & verus homo est, & verus Deus, non potest vllus hominum dare Spiritum sanctum alij, sicut & testatur B. Augustinus ita de Christo loquens: Accepit Spiritum sanctum, vt homo, & effudit vt Deus. Nos autem accipere quidem hoc donum possumus pro modulo nostro: effundere vero super alios non vtique possumus: sed vt hoc fiat, Deum super eos, à quo id efficitur inuocamus. Item dicit, Non aliquis discipulorum Christi dedit Spiritum sanctum: Orabant quippe vt veniret in eos, quibus manum imponebant, non ipsi eum dabant: quem morem in suis præpositis, etiam nunc seruat Ecclesia. Denique & Simon
Act. 8. magus offerens Apostolis pecuniam, non ait: Date & mihi hanc potestatem, vt dem Spiritum sanctum: sed, cuicunque inquit imposuero manus, accipiat Spiritum sanctum, quia nec scriptura superius dixerat. Videns autem Simon, quia Apostoli darent Spiritum sanctum, sed dixerat: Videns autem Simon quia per impositionem manus Apostolorum daretur Spiritus sanctus. Si quis vero Catholicorum patrum, hoc in scripto posuisse inueniatur, videlicet Apostolos dedisse Spiritum sanctum, siue eos qui ordinant ministros Dei Spiritum sanctum dare, sciendum est, non alium eos sensum in tali dicto habuisse quàm qui in verbis Augustini, quæ nunc inducta sunt, expressus est. Frustra ergo interrogatis quomodo possint dare Spiritum sanctum, qui eum non habent. Quod ergo eis possibile est faciunt tam mali, quàm boni Episcopi: orant videlicet, & secundum officium suum benedictiones statutas dicunt super eos quos ordinant, & Deus non pro ipsorum meritis, sed pro dilectione Ecclesiæ suæ, cuius adhuc qualiacumque membra sunt, præstat hoc donum Spiritus sancti vnicuique eorum qui ordinantur, vt habeat eam gratiam, quæ pertinet ad ordinem suum, qua tamen gratia potest vnusquisque vti siue in bonum, siue in malum. Et non

A mirum si ad inuocationem Dei, quam facit malus aliquam Spiritus sancti gratiam præstat ei qui ordinatur, cum ad inuocationem sanctæ Trinitatis, quam interdum facit quilibet flagitiosus Christianus, siue etiam infidelis, super eum qui baptizatur in nomine patris & Filij & Spiritus sancti detur baptizato ea gratia Spiritus sancti, per quem omnia peccata remittuntur, & per quam Christi membrum efficitur. Illud quoque nunc mihi obiicite, quod Petrus Apostolus ad Simonem magum, cum offerret ei pecuniam pro ea potestate, vt cuicunque imponeret manus, acciperet Spiritum sanctum; dicebat: Pecunia tua tecum sit in perditionem, quia existimasti donum Dei pecunia possideri. Act. 8. Ex hoc ergo inducite aduersum me hunc sermonem, & dicite: quia
B existimauit obtinere donum Dei per pecuniam maledictus est, & repulsus ab eo, & non est illud consecutus. Ita ergo & imitatores Simoniaci qui pro officio Episcopali, quod est spirituale donum Dei, offerunt & dant pecuniam, maledicuntur à Deo, & non consequuntur quod quærunt: & si non consequuntur, non vere Episcopi sunt, & non possunt implere, quod ad officium Episcopale pertinet. Est ne talis obiectio vestra? Non me adhuc sine responsione inuenietis. Vere quod Simon repulsatus est ab illo spirituali dono, pro quo male negotiatus est, nec consecutus est illud, & hoc erat iudicium irascentis Dei. Illi vero consequuntur donum spirituale, pro quo & ipsi male negotiantur. videlicet officium Episcopale, & hoc est beneficium ex parte irascentis Dei, & ex parte miserentis Dei: Beneficium ira-
C scentis Dei est, quia hoc illis præstat iratus, vt tanto damnabiliores fiant, quia male pro eo negotiati sunt, ac si dicat verbis Saülis, qui cum [illegible] esset filiam suam Dauid, cuius mortem disponebat, ait: Dabo ei [illegible] 1. Reg. 18. meam vxorem, vt sit ei in scandalum: Beneficium irascentis Dei susceperant illi de quibus Apostolus ait: Qui Rom. 1. cum cognouissent Deum, non sicut Deum glorificauerunt, sed euacuarunt &c. & illi de quibus Psalmista ait: Veruntamen propter dolos posuisti eis, deiecisti Psalm. 72. eos dum alleuarentur. Ex parte inquam est beneficium miserentis Dei, quia ad vsum Ecclesiæ suæ eis præstat eam spiritualem gratiam, qua vtuntur in officiis suis, ne occasione illorum pereant sacramenta Ecclesiæ, quibus carere ipsa non potest. Veruntamen inter peccatum
D istorum, & peccatum Simonis videtur differentia esse. Non ille videbat Apostolos per illam potestatem, quam à Deo habent, & quam ipse desiderabat habere, consecutos fuisse aliquas diuitias, aut aliquod sæculare dominium, & ideo non eis obtulit pecuniam, quatenus ad talia consequenda eum adiuuarent, sed principaliter ad ipsum spirituale donum Dei, quod eos videbat habere, intendit venire, vt videlicet cuicunque imponeret manum, reciperet Spiritum sanctum cum aliquo visibili miraculo, ita quod loqueretur variis linguis, vel aliquid tale in eo contingeret, in quo manifeste notari posset Spiritus sanctus, & in eo affectabat similis fieri sanctis Apostolis, quibus inuidebat, quod in tam excellenti dono ei præferrentur. Quæ inuidentia eius significata est, nimirum in eo verbo, quod dixit Petrus ad eum: Act. 8.
E in felle amaritudinis video te esse. Adipisci autem hoc volebat, non vt in bonum eo vteretur, sed in malum, videlicet ad gloriam sibi coram hominibus comparandam, sicut Iudæi Christum emerunt, non vt eo fruerentur in bonum, sed vt suam prauam voluntatem in eo perficerent. Et cum non esset cor eius rectum cum Deo, nihil de reconcilianda sibi gratia eius tractabat, quatenus adipisci donum eius posset: sed quasi eo inuito hoc obtinere posset, irreuerenter & manifeste sibi venundari postulabat inæstimabilem gratiam ab hominibus, quam solus dare poterat Deus. Talis ergo erat temeritas eius, quasi si seruus alicuius potentis despectus odibilis Domino suo, & nullam habens curam adipiscendi gratiam eius, manifeste offerat pecuniam con-

consiliaris Domini sui, quatenus faciant eum habere filiam eius, fornicariè ea abutatur. Nunc vero si quis ita salutis suæ obliuiosus efficitur, vt non secundum Deum honorem cathedræ appetat: primum considerat diuitias & honores, & huiusmodi temporalia commoda, quæ concupiscibilia sunt, adiuncta esse prælationi illi & ea principaliter concupiscit, & secum de adipiscendis illis tractat. Iuxta hæc autem considerat spiritualia, sine quibus illa possidere non potest, videlicet officium sacerdotale, quod exigit vt diuinæ contemplationi insistat orando pro aliis, & meditando quæ Dei sunt, vt sit doctus, & alios doceat, aut sit castus, sobrius & modestus & gratus in moribus, omnino irreprehensibilis: & hæc cogitans pertimescit, & indignum se reputat dignitate ad quam aspirat. Positus itaque inter concupiscentiam & timorem, vincitur tum à concupiscentia: incipit negotiari precibus & muneribus, & promissis, tum per se, tum per amicos, modo occulte, modo manifeste negotium tractans. Et quidem omnia facit principaliter pro sæcularibus quæ concupiscit: secundario autem pro spiritualibus, non quia amet ea, aut eis dignum se esse arbitretur, sed quia scit sine his sæcularia illa se non posse obtinere: perficit negotium, dat quod exigitur, suscipit sub manu Ecclesiastici patris, à quo ordinatur, spiritualem potestatem pertinentem ad dignitatem, ad quam ordinatur. Hanc vero illi confert Deus, non quia amet eum, aut quia dignus sit ea, sed, vt supra dixi, ex parte, propter misericordiam suam, vt electis Dei, qui in populo pertinente ad regnum eius, non desint propter peccatum illius sacramenta Ecclesiastica pertinentia ad salutem animarum eorum. Ex parte etiam in ira sua hanc illi præstat, vt tanto maiorem occasionem habeat damnandi eum in futuro, si non pœniteat, qui per pecuniam se ingessit ad fruendum secundum voluntatem eleemosynis fidelium, quæ illi ad honorem Christi, & ad vsus pauperum eius Ecclesiis contulerunt. Ex parte etiam tales hoc modo sinit Deus habere Ecclesiasticas dignitates, propter peccata quorundam qui sunt in populo, & non sunt digni habere bonos prælatos, vt testatur scriptura quæ dicit: Propter peccata populi permittit Deus regnare hypocritam. (Iob. 34.) Sæpe autem qui sic in Ecclesia negotiantur, quoniam in mente non habent principalem intentionem ad emenda spiritualia sed ad temporalia, quæ magis amant, & de eis totus sermo est, apud vendentes & ementes, dicunt se non emere spiritualia, sed temporalia. Sed hoc dicendo semetipsos fallunt. Hoc eis quasi pro emptione reputatur, quod ad ea accedunt mediante pecunia, quam propter concupiscentiam temporalium dant pro eis quæ statuta sunt, vt simul cum illis spiritualibus possideantur. De huiusmodi negotiatoribus Paschasius Papa dicit hoc modo: Si aliqui obiecerint se non consecrationes emere, sed res ipsas quæ ex consecratione proueniunt, penitus desipere probantur. Nam quisquis horum alterum vendit, sine quo alterum non habetur, neutrum vendere omittit. Similitudinem autem huius negotij con sidero in eo quod dicam: Si tutor pupilli fraudulenter vendat molentem, quæ sit hæreditas illius viro consci o fraudis suæ, iniquus est emptor, sicut & venditor. Et quamuis nullam in conuentione sua fecerit mentionem de aqua, aluei pertinentis ad molentem, eadem nihilominus emptione possideri illam dicitur: & tamen solus Deus, vt pote gubernator naturæ, hanc administrat molenti, tum vt satisfaciat necessitati vtentium ea, tum etiam vt iniquum possessorem eius tanto amplius culpabilem habeat, quanto largius fruitur beneficiis eius ad quæ accessit inique. Dicuntur autem hi, de quibus suprà dictum est, Simoniaci, quia in eo quod per pecuniam negotiantur de prælationibus Ecclesiasticis, quæ simul iuncta habent spiritualia Dei dona cum temporalibus bonis, imitatores sunt Simonis, qui existimabat donum Dei pecunia possideri, & ob hoc maledictionis eius participes erunt, qua ille maledictus est à Petro, qui dicebat: Pecunia tua tecum sit in perditionē, quia existimasti donum Dei pecunia possideri. (Act. 8.) Sicut autem ex his, quæ dicta sunt animaduerti potest, nequior & magis temeraria fuit negotiatio illius quam istorum. Nequior, quia Apostolis quibus parificari voluit, inuidebat gratiam Dei & in felle amaritudinis suæ, sicut & postea factis demonstrabat: sed isti nullam huiusmodi paritatem cum sanctis habere affectant, neque inuident sanctitati eorum, sed potius eos venerantur: Temeraria magis, qua impudenter & manifeste pro gratia Dei pecuniam obtulit, quasi esset res venalis ad forum. Isti vero non directe munus intendunt ad donum spirituale, sed ad commodum sæculare, quamuis tamen in hoc culpabiles sint, quod sciunt ad neutrum accedendum esse per pecuniam, ipsi vero ad vtrumq; accedunt per eam. Quod ergo Simon principaliter existimabat possidere, isti secundario existimant in sua negotiatione. Existimabat inquam, id est, in mente tractabat: Nam verbum existimationis non hoc loco pro incerta opinione accipiendum est; sicut nec in illo loco, vbi Apostolus dicit: Existimo enim quod non sint condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis. (Rom. 8.) De Simoniacis non manifestis & non conuictis, hæc diximus, ad ostendendum quod ordines Ecclesiasticos possint dare, & quod ratæ habentur ordinationes eorum: qui & si conuicti fuerint aliquando de Simonia, manent tamen in ordinibus suis, hi qui ab eis fuerunt ordinati, antequam manifestum fieret eis illos Simoniacos esse: quod vtique non permitteretur, si nullos ordines dare potuissent: Dicit enim de talibus Papa Vrbanus sic: Qui ordinantur à Simoniacis, quos cum ordinantur nesciunt Simoniacos esse, qui & tunc pro Catholicis habentur, eorum ordinatio misericorditer sustinetur: Misericorditer, inquit, quia secundum rigorem iustitiæ deponi possent, non quia ordines non habeant, sed ad maiorem confusionem eorum à quibus ordinati sunt, & ad terrorem aliorum, qui Simoniace negotiari non timent, quibus eadem misericordia annumeratur, & illi qui cum sciant ex aliquorum relatione ordinatores suos Simoniacos esse, probare tamen hoc non possunt, nec debent, & ab ordinatione eorum subtrahere se non audent. At si qui ordinati sunt à Simoniacis conuictis & damnatis, horum ordinationes cassatæ sunt à patribus, & cessare iussi sunt à ministeriis suis. O Cathari, hoc vos scire volo, quod ea quæ variè dixi, de his quæ in Ecclesia gesta sunt, & quæ à patribus statuta & dicta sunt in ea, non propter vos tantum dixi, sed magis propter nostros indoctos populos, qui pariter nostros & vestros aliquando percipiunt sermones, vt sciant rationabiles nobis sermones non deesse, sed reddendam rationem de his quæ credimus & agimus in Ecclesia Dei. De vobis autem scio quod quicquid loquimur, quantumcunque sit rationabile, vos vestros garrietis errores, sicut vulgo dicitur: Quem ouem clamat lupus, quicquid dixeris ei.

CONTRA OCTAVAM HÆRESIM DE corpore & sanguine Domini.

SERMO XI.

DHVC os meum patet ad vos, ô Antichristi, & sermo mihi non paruus aduersus incredulitatem vestram. Infamati estis & de hoc, quod de corpore & sanguine Domini nostri Iesu Christi nõ eam fidem habeatis, quam Ecclesia Catholica confitetur. Ipsa autẽ huiusmodi est: Credit & confitetur populus Dei in cunctis partibus mundi, ad quas dilatata est religio Christiana, quod dum sacerdotes Ecclesiæ siue sint bonæ conuersationis, siue malæ, B ad altare Dei diuinum agunt officium, & super oblationem panis & vini sacra pronuntiant verba, quæ nobis summus sacerdos, id est, Christus & sancti patres nostri illic dicenda reliquerunt indubitanter, ibi fiat mutatio talis, vt sit ibi sub specie panis & vini vera caro Christi, quæ inuiolata fuit in cruce, & viuus sanguis qui fluxit de vulneribus eius, & quod eandem carnem sumit ipse sacerdos, & omnes qui accedunt ad communicandum cum ipso. Nostra fides hæc est & sicut aiunt, vos omnino renuitis credere, quod ab aliquo sacerdote siue bono sine malo possit vlla consecratione fieri corpus Domini: & quod ab aliquo homine sumi possit ad manducandum. Ego autem non diffido, & iam in hoc errore vos esse: quandoquidem cunctos sacerdotes Ecclesiæ, qui C sacramenta Dominica tractant, in cõtemptu habetis. & nihilipenditis omne officium eorum. Memini vidisse me aliquando in præsentia Coloniensis Archiepiscopi Arnoldi, quendam non parui nominis virum, qui de schola Catharorum reuersus fuerat ad suos, à quo dum inquireremus diligenter, quæ essent hæreses illorum, ita respondit: Breui sermone ea de quibus interrogatis, concludam: Omnia quæ creditis, omnia quæ agitis in Ecclesia, illi falsa & inania iudicant. Hæc ergo cum dixisset, sufficit responsio Archiepiscopo, & nil amplius ab eo requirendum esse iudicauit. Hinc credibile est mihi & illam incredulitatem, de qua dixi, non deesse malitiæ vestræ. Siue autem quod credimus credatis, siue non, & in hac quoque parte fidem nostram rationabi- D le fundamentum habere cognoscatis, verba Euangelicæ & Apostolicæ scripturæ, quæ manifestum testimonium ei perhibent, inducenda nobis sunt. Sancti Euangelistæ vbi loquuntur de cœna Domini, quam habuit cum discipulis suis ante passionem suam. dicunt quòd vespere facto, discumbebat Dominus cum discipulis suis, & manducantibus illis, accepit Iesus panem & benedixit ac fregit, deditque discipulis suis & ait: Accipite & comedite. hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur: Hoc facite in meam commemorationem. Et accipiens calicem gratias egit, & dedit illis dicens: Accipite & bibite ex hoc omnes. hic est enim sanguis meus noui testamenti, qui pro vobis & pro multis effundetur in remissionem peccatorum. Recte animaduertite om- E nia verba hæc: Benedixit panem & dedit eis, & dixit: Hoc est corpus meum. Et vt certius eis & nobis fieret, quod vel quale corpus illis verbis significaretur, determinauit, cum addidit dicens: Quod pro vobis tradetur. Similiter & de sanguine determinauit cum dixit: Hic est sanguis meus qui pro vobis & multis effundetur. Ex his ergo verbis credimus indubitanter, quod idem corpus, in quo tunc præsens coram illis apparuit, cum hic loquebatur, & quod postea in cruce pependit, & mortem ibi sustinuit, eis dedit comedendum: & eundem sanguinem, qui de vulneribus eius profluxit dedit eis bibendum. Humano sensui impossibile quidem est, vt intelligat qualiter id fieri posset, habet tamen rectam & firmam rationem, quare hoc indubitanter credere debeat. Quæ est illa ratio, qua credi debeat illud quod fo-

Luc. 22.

Ibidem.

A ris videbatur esse panis, fuisse ipsũ corpus Domini, quod erat in cruce passurum? Hæc est ratio, videlicet quod Dominus Iesus Christus filius Dei hoc dixit, qui mentiri non potuit. Vere mentiri non potuit, quia Deus fuit: quia veritas fuit sicut ipse de se testatus est dicens: Ego sum, via, veritas, & vita. Ego indubitanter credo, quod de corpore suo potuit facere quicquid voluit: quia de ipso scriptum est: Omnia quæcunq; voluit Dominus fecit in cælo & in terra. Dominus totius naturæ fuit, & ideo credo quod hoc facere potuit sua cœlesti benedictione, vt panis ille quem benedixit, transiret in substantiã corporis sui, & vt inuisibili & inexcogitabili modo veniret in os Petri, & transiret in intima Spiritus eius, cæterorumque discipulorum, quibus illud porrexit: quia spiritualis cibus ille erat, & proprie ad animam pertinebat. B Credo quod potuit facere de corpore suo sicut & potuit alia multa facere de eo quæ videntur impossibilia ei qui non credit, & qui non hoc cõsiderat: quoniam Dominus erat qui in corpore illo habitabat. Sũpsit corpus illud de virginis vtero, & produxit illud in mundũ, clauso vtero matris. Ipse corpus illud tulit super aquas maris, ita vt non mergeretur vbi mergebatur Petrus, sed non submergebatur quia ab ipso adiuuabatur. Ipse cęlestem claritatem ostendit in corpore suo, dum adhoc futurum ei erat vt pateretur & moreretur: tunc videlicet quando se corã discipulis suis transfigurauit in monte, & quando resplenduit facies eius vt sol. Ipse corpus illud propria virtute suscitauit à morte, & clauso sepolchro eduxit illud foras, & vbi erant discipuli cõgregati in domo clau- C sis ianuis cum eodem corpore introiuit, & stetit in medio eorum. Ipse quoque idem corpus de terra potenter subleuauit, & in summo cœli super omnes choros Angelorum collocauit. Hæc omnia in Euangeliis scripta sunt. & credimus ea, quamuis incredibilia videantur secundum communem rerum naturam, & quamuis considerare & inuenire nesciamus, quali modo hæc fieri potuissent. Credimus autem quod vere potuit Dominus facere. & fecit omnia hæc: quia Deus erat, cui nihil impossibile est: & eadem ratione credere hoc debemus, quod & illud potuit facere de corpore suo quod suprà diximus: videlicet quod dedit illud manducandum discipulis suis, quãdo dicebat: Accipite & mãducate ex hoc omnes, hoc est corpus meum quod pro vobis tradetur. D Vbi dicit Euangelista, quod fregit Dominus panem quẽ discipulis porrigebat: & quod dixit eis vt manducarent. In illa fractione & illa comestione non hoc intelligendum est quod intelligitur, cum dicitur de alio communi pane quòd frangatur, & quod manducetur. Nam in ista fractione & comestione panis pars vna omnino ab alia separatur ita, vt non maneat aliqua integritas in pane qui frangitur & mãducatur. At postquam panem illum Dominus benedixit, non erat ibi vera substantia panis, sed species panis, & sub illa specie verum corpus Christi, & non erat illa fractio in substantia corporis Domini, sed in illa visibili specie panis, quæ adhuc immutata permanebat, sicque manducabatur corpus Christi, vt tamen integrum permaneret & inconsumptum. Illa ergo mandu- E catio qua corpus Christi manducabant, non erat similis comestioni qua alios communes cibos manducabant. Quod enim ore sumebant, fide & dilectione intus in anima manducabant, & ibi virtute illius panis sanctificati sunt. Similitudinem quandam huius rei attendite: Cum docet spiritualis magister in Ecclesia populum, vnam dicit aliquando sententiam, quam suscipit vnusquisq; corporali aure, & transit ad corda singulorũ tota, & ita quodãmodo diuiditur inter eos, & tamẽ integra manet apud eum qui docet. Ita etiã discipuli Domini sanctũ cibum corporali quidẽ ore suscipiebant, & ita transiit totus ad singulorũ corda, & hoc modo diuidebatur inter eos, vt tamẽ integer maneret, apud eum qui dabat. Animaduertite nunc & illud: quod Dominus cum dedisset discipulis suis corpus suum, ac dixisset: Accipite, hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur: subiunxit dicens:

Ioan.

Psalm.

Matth. 17.

Luc. 22.

Luc. 22.

Hoc

Hoc facite in meam commemorationem. Si estis eruditi de scripturis sanctis, vt vobis videtur, & vos iactitare soletis, dicite quidnam verbis istis Dominus significare voluerit, & quid discipulos suos iusserit facere in suam memoriam dicendo. Hoc facite in meam commemorationem. Negare, vt puto, non potestis, quin illud quod ei manu porrigebat, & quod formam panis habebat, significaret dicendo: hoc facite. Si autem illud nihil aliud erat nisi Panis, nunquid dictis quod eos iusserit facere panem in memoriam sui? Sed hoc dicere stultum est. Erat autem aliud quam panis quod sub specie panis ibi erat, id est, corpus eius, sicut patet ex eo quod dicebat: Hoc est corpus meum: & illud iussit eos facere in commemorationem passionis & mortis suæ. Itaque in eo quod dixit: Hoc facite in meam commemorationem: dedit tam eis quam omnibus ad quos peruenturum erat sacerdotale officium, ab ipsis potestatem faciendi cum oratione & benedictione corpus & sanguinem suum. Quod dicuntur sacerdotes corpus Domini facere siue conficere quod idem sonat in laico sermone, non ita intelligimus, quod ipsi corpus Domini quasi de nouo creent & ei essentiam dent: sed eorum facere nihil aliud ibi est, nisi quod super illud visibile sacrificium quod in altari est, faciunt officium suum, & dicunt orationes & benedictiones, & statuta signa faciunt, & tunc virtute diuina præstatur, vt sit ibi verum corpus Domini, & verus sanguis eius: vbi prius nihil aliud erat nisi panis & vinum. Illud ergo opus sacerdotum quod tunc agunt, tali modo loquendi designari solet, vt ipsi dicantur facere corpus Domini: & est fortasse sumptus hic modus loquendi ex eo, quod Dominus tunc dicebat: Hoc facite in meam commemorationem. Aut si cui videtur id quod dictum est: Hoc facite in meam commemorationem, ita intelligendum, ac si diceretur: manducate corpus meum in meam commemorationem, vt per hoc secundo repetatur quod suprà dixerat: accipite & manducate: non aduersabor, licet non ita apte conueniat hic sensus literæ constanti, vt id quod suprà dictum est, nihilominus tamen in eo ipso quod eos iussit manducare corpus suum, & sanguinem bibere, & etiam post passionem suam in commemorationem mortis suæ potestatem eis dedit conficiendi corpus suum & sanguinem, per benedictionem, quam ipse eos suo exemplo docuit, & qua ipsi postea vsi sunt in consecratione Eucharistiæ, & aliis eam reliquerunt, in quo sacerdotale officium ab ipsis peruenit. Nisi enim hanc potestatem eis dedisset, vnde possent habere corpus Domini ad manducandum, & sanguinem eius ad bibendum, etiam post resurrectionem ipsius? Dicetis forte insaniam hanc: potuit quidem aliquo modo fieri, vt Dominus ante passionem suam daret discipulis corpus suum ad manducandum, & sanguinem suum ad bibendum in sui commemorationem, id est, vt postea sui memores essent: sed nullo modo fieri potuit post passionem & resurrectionem suam, vt per aliquam benedictionem habere possent corpus eius ad manducandum, siue sanguinem eius ad bibendum. Ad quod primum dico: quod si illam commemorationem ita exponitis non recte intelligitis scripturam. Quomodo enim intelligenda sit, ex verbis Apostoli patet, vbi illud verbum commemorationis Corinthiis, exponens ait: Quotiescumque enim manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis donec veniat. Ex quibus verbis intelligitur, quod manducatio illa corporis Domini, quæ est sub specie panis, & bibitio calicis, idem, sanguinis Domini: annuntiatio, id est testificatio mortis Domini est, quam in cruce sustinuit. In eo autem quod addidit, donec veniat: subintelligendum est, Dominus ad iudicium: & in hoc significauit, quod hæc annunciatio mortis Christi per communicationem corporis & sanguinis eius non deerit in Ecclesia vsque in diem iudicij. Patet itaque ex

1.Cor.11

A verbis Apostoli, quod etiam post passionem dominicam fideles Christi manducare potuerunt corpus Domini, & sanguinem eius bibere. Manifestũ est etiam ex verbis Pauli, quod sancti Apostoli, & eorum sequaces, benedictiones fecerunt super sacrificium Domini ad implendum sermonem Domini quem eis mandauerat de corpore & sanguine suo conficiendo, sumendo in memoriam eius. Dicit enim in epistola ad Corinthios sic: Calix benedictionis cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est? & panis quem frangimus, nonne participatio corporis Christi est? Id est, nonne corpus Christi est, quo participamur? In eo autem quod dixit, benedicimus, non solum significauit se & alios Apostolos habere potestatem faciendi benedictiones

B super sacrificium altaris, sed & Corinthiorum presbyteros quibus scribebat, & quibus multa mandabat de sacramento corporis & sanguinis Domini, quomodo digne illud tractare deberent. Hoc vero superflue eis mandasset; si nullo modo fieri posset, vt manducaretur corpus Domini, aut biberetur sanguis eius in Ecclesia. Fuit mihi concertatio de his rebus quadam vice in domo mea Bunnæ, cum quodam viro qui suspectus erat nobis quod esset de secta Catharorum: & contigit vt incideremus ad loquendum de sacerdotibus malis, & dicebat ita de eis: Quomodo potest fieri, vt qui tam irrationabiliter viuunt, distribuant in Ecclesia corpus Domini? & dixi ei: Nonne legimus quod Pilatus qui Saluatorem crucifixit, & infidelis erat, in potestate habuit dare corpus eius cui vellet, & dedit hoc Ioseph viro iusto?

C In eadem patientia Dominus est etiam nunc, & tolerat malos sacerdotes, & sinit eos potestatem habere in Ecclesia, & distribuere corpus & sanguinem suum tam bonis quam malis: & continuo ille subiecit dicens. Post illud tẽpus passionis suæ ipse non venit in manus eorum. Et his verbis satis intellexi incredulitatem eius, quam suspicatus fueram de eo, videlicet quod non credebat ab aliquo homine posse tractari, aut sumi in Ecclesia corpus & sanguinem Domini. Dixique ei cum indignatione: O Cathare nunc te manifeste conuincam: & reuolui epistolas Pauli, quas præsentes habebam, & demõstraui ei locum illum vbi ad Corinthios scribens dicit: Quicunque manducauerit panem, vel biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis & sanguinis Domini: 1.Cor. 11.

D probet autẽ seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat. Quicunq; enim mãducat & bibit indigne iudicium sibi manducat & bibit, non diiudicans corpus Domini. Hęc verba cum illi exposuissem, comprehendi eum sermone hoc: Si ita est, inquam, vt dicis, videlicet quod ex eo tempore quo Dominus transiit ex hoc mundo, non venit corpus eius in manus cuiusquam, consequens est, quod ex illo tempore neque digne neque indigne potuit aliquis manducare corpus eius, aut sanguinem eius potare: & si non potest ab aliquo sumi indigne, nemo potest in eo sumere sibi iudicium. Frustra sermonem illum dixit Apostolus, quod qui indigne sumit corpus & sanguinem Domini, iudicium sibi man-

E ducat & bibit. Hæc cum dixissem, conticuit: & neque incredulitatem quam in eo redarguebam, negauit: neque veritati qua conuictus erat, consensit. Et nunc de eadem scriptura alloquor & vos aduersarios meos. Si non est ita vt credimus, quod sacerdotes Ecclesiæ consecrent corpus & sanguinem Domini: & si non potest fieri vt ab aliquo homine sumatur, nunquid potestis dicere nobis, quis sit ille panis aut calix Domini, in quo sibi iudicium manducat & bibit qui indigne illud manducat & bibit, & ex quo multos etiam contigit corporaliter infirmari, & mori dum indigne communicant? Quod est illud corpus Domini quod diiudicandum esse Apostolus demonstrat, & quid est diiudicare corpus Domini? Omnia certe hæc superflue & vane dicuntur, si ipsum verum corpus Christi communicabile hominibus non est. Ego vobis sensum scripturæ, de qua nunc sermo est, explanabo, licet indignus

vos esse cognoscam, sed magis hoc facio propter nostros simplices populos. Panem & calicem Domini appellat Apostolus corpus & sanguinem Domini quia sub specie panis & vini ista sunt in altari: & quamuis ibi nõ sit vera substantia panis & vini, postquam consecratio facta est, tamen est ibi sapor & color, & forma panis & vini. Et quidem si non esset in illo sacrificio alia substantia nisi ipse panis & vinum, non in illo cibo aliquis manducaret iudicium, id est damnationem suam, magis quàm in aliquo alio cibo: neque propter illam manducationem contingeret aliquos infirmari aut mori, cum non sit periculosus cibus, simplex panis & vinum, forsitan quia panis est benedictus & vinum est benedictum: ideo qui indigne mãducat panem illum, & vinum illud B bibit, iudicium sibi manducat & bibit, & forte infirmatur aut moritur, quia benedictionem sanctam non bene honorauit. Si hoc dicitis, interrogo quare dixit: Reus erit corporis & sanguinis Domini qui indigne manducat panem illum & calicem bibit? Si non est ibi nisi simplex panis benedictus, & simplex vinum benedictum, rectius dixisset, reus erit benedicti panis, & benedicti vini indigne accepti: sed dixit: Reus erit corporis & sanguinis Domini, subintelligimus, indigne accepti, & quodammodo perditi, quantum in ipso est. Animaduertite nunc & hoc, quod dicit eum non diiudicare corpus Domini, qui de pane illo dominico indigne edit aut de calice bibit. Si quis praue & sordide viuit, & sine timore peccatorum suorum audacter accedit ad communi- C candum corpori & sanguini Domini, quasi sit alius cibus, hic indigne communicat, & hic non diiudicat, id est, non discernit corpus Domini ab aliis cibis per timorem & reuerentiam Dei. Item & si sit homo caste & sobrie viuens, & tamen non credat vere esse corpus Domini illud quod à sacerdotibus Ecclesiæ in altari consecratur per orationem & benedictionem. Hic si propter aliquam simulationem accedit ad sanctam communionem, edit indigne corpus Domini, & non discernit illud ab aliis cibis per fidem Catholicam, & manducat ac bibit sibi iudicium, id est, damnationem. Hoc tu, infelix Cathare, facis, qui in occulto negas verum corpus Christi esse in altari: & omnia quæ à sacerdotibus nostris in Ecclesia aguntur, in textrina tua irrides, & nihi- D lominus adueniente paschali die, cum populo ad Ecclesiam properas, barbam tenerenter complanas, & multo humilius cæteris genua tua ad altare incuruas, atque hiantius buccam aperis ad accipiendum sanctam communionem, videlicet tuam æternã damnationem, quatenus videatis hominibus bene Catholicus ac religiosus, & vt hi quos per pecuniam conducitis ad tuendum vos dicere possint in defensione vestra. Quid requirimus ab hominibus istis? Boni & iusti sunt; & omnia agunt quæ pertinent ad Christianos? vtinam nos tales simus. Ab vno viro qui de angulis vestris exierat, vnam talem sapientiam vestram audiui. Corpus vestrum Domini est, & corpus Domini facitis quando panem vestrum benedicitis, atque ex eo corpus vestrum reficitis. Hunc ser- E monem dolose significatis, quando inquiritur à vobis, vtrum vere fidem habeatis de corpore Domini, & respondetis inquirentibus, bonam vos de corpore Domini fidem habere. Si ergo hæc ita se habent, & si hoc est verbum occultæ sapientiæ vestræ, scitote quia non est hæc sapientia à Domino Deo, sed adinuenit eam princeps vester diabolus, vt per talem sermonem daret infidelitati vestræ aliquem colorem, in quo similis esset fidei Catholicæ, quo minus abhorreret eam populus stultus, quem trahitis post vos. Nolite misera gens fallere vosmetipsos inanibus verbis. Verum quidem esse fatemur, quod omne corpus, omnis caro Domini est, cuius est terra & plenitudo eius, & iustorum hominum non solum animæ, sed & corpora, membra Christi di-
1 Cor. 6. cuntur, vt apud Paulum, qui dicit: An nescitis quia corpora vestra membra Christi sunt? Nusquam tamen hic modus loquendi in scripturis inuenitur, vt corpus alicu-

A ius hominis, quantumlibet sancti, vocetur corpus Domini, vel alicuius caro vocetur caro Christi, præter illud vnicum corpus quod vnitum est diuinitati in Domino Saluatore. Hoc singulariter vocatur corpus Domini, & caro Christi in scripturis, & vbicunque loquitur scriptura aliquid huiusmodi, quod corpus Domini manducandum sit à fidelibus, ita hoc dicit, vt non possit sermo ille intelligi de aliquo alio, nisi de illo singulari corpore personæ Christi. Videte quod Dominus in Euangelio sic ait: Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Ioan. 6.
Nunquid potatis quod hoc de aliquo hominis filio possit veraciter intelligi, præter illum vnicum filium homi- B nis, Christum virginis filium? Nunquid potatis quod mactandus sit aliquis homo, & coquendus aut assandus, & sic manducandus, vt vita æterna habeatur? Non hoc certe præcepit Deus in lege sua, qui dixit: Non occides: Exod. 20.
etiam si sine peccato occidi possit homo & manducari, non habet tamen tantam vim humana caro, vt suo gustu possit alicui præstare vitam æternam. Ex hoc ergo scitote, quod Dominus singulariter de suo corpore, quod diuinitati erat vnitum, loquebatur cum dicebat: Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, &c. Filiũ hominis se solebat appellare Saluator, nec vsquam in Euangeliis hac appellatione significatur est alius aliquis præter ipsum. Hinc scimus quoniam & hoc loco vbi dixit de carne filij hominis, se C singulariter significauit. Vt autem certius fieret, de quo filio hominis hic loqueretur, & qualem vitam promitteret his qui manducarent carnem ipsius, & sanguinem biberent, postea & alio loco ait: Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitã æternam. Vera quidem caro est caro Christi, sed in multis ab omni alia carne singularis est, & tali modo mãducatur, quo nullus alius cibus manducatur, sicut & supra ostensum est. Vnita est diuinitati, & ea hanc habet virtutem, vt qui eam digne manducat, vitam æternam in ea manducet, quia sanctificatur per virtutem Deifici Spiritus, qui carni adiunctus est: Qui vero indigne manducat, huic ipsi caro non prodest aliquid, sicut & ipse Dominus testatus est dicẽs: Spiritus est qui viuificat, caro non D prodest quicquam. Non solum autem non prodest caro illa indigne manducanti, sed & nocet, quia iudicium sibi manducat in ea: Disperdit enim illum Deus inhabitans carnem sanctam, & vlciscitur iniuriam habitaculi sui. Sicut autem singularis est illa caro ab omni alia carne, ita & de ea ordinauit Deus, vt singulariter mãducetur, & aliter quam aliquis alius cibus. Nam sub specie panis in altari nobis virtute diuina præsentatur, & videtur & tangitur: In sapore panis gustatur & manducatur, sicut & sanguis dominicus in specie vini nobis præsentatur, & in sapore vini gustatur & hauritur: Fractio ibi videtur, sed ea in sacramento est tantum, id est forma visibilis panis. Communio partium in manducando sentitur, sed item in solo sacramento est: ipsa autem substantia dominici corporis, quæ in sacramento latet, in- E tegra manet & incorrupta. Mãducatur hic cibus, sed nõ consumitur vt alius cibus, ad animam transit, animam confortat & illuminat, eamque conducit ad vitam æternam. Singularitas ista in illa sancta carne est, quam de Virginis vtero filius Dei assumpsit, sibique eam segregauit ex omni carne quæ sub cœlo est, vt hæc mirabilia operetur in ipsa ad salutem electorũ suorum. Propterea non vobis durum videatur credere specialiter de hac carne dictum esse illud, quod supra ex Euangelio inductum est: Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis & illud: Caro mea vere est cibus, & sãguis meus vere est potus: aliaque similia his. Quidam discipulorum Christi qui talia ipsum dicentem audierant, murmurabant dicentes: Quomodo potest hic nobis carnem suam dare Ioan. 6.
ad manducandum? Durus est hic sermo, quis potest eum audire? Et conuersi retro discesserunt ab eo, & vltra non

ambula-

A ambulauerunt cum ipso. Æstimabant enim quod diceret eis se manducandum ab eis in ea specie qua apparebat inter eos, ita vt per frusta concideretur, & dentibus eorum dilaniaretur: & vt sanguis eius specie sanguinis hauriretur ab eis. Ipse vero non hunc modum manducandi eis significabat, sed illum mandocationis modum, quo vere quidem caro Christi manducatur, ita tamen vt manducanti videatur non se manducare carnem, sed panem: & vt bibenti sanguinem eius videatur non se sanguinem potare, sed vinum. Hoc vere idcirco ita fieri ordinauit Deus, vt tanto maius sit meritum eius qui cum tali fide vtrumque sumit, vt credat potentiam Dei tantam esse vt hoc facere possit: & bonitatem eius tantam esse, vt hoc dignetur facere pro hominis dilectione. Item & propter hoc voluit Dominus carnem suam manducari, & sanguinẽ suum potari in alia specie quam B est, ne nimium expauesceret quisquam manducare carnem illam & sanguinem illum potare, si videret vtrumque in propria specie: & vt tanto minorem occasionem haberent Iudæi siue pagani irridendi Christianos, ac dicendi quod mandocarent Dominum suum, & biberent sanguinem hominis occisi. Vir quidam nostri temporis qui infamatus erat, quod de Cathara vestra gustasset, cum interrogaretur in extremis suis, an vellet dari sibi corpus Domini, dixisse memoratur: Si esset illud corpus Domini tantæ quantitatis, vt est petra Erenberti, iamdudum esset consumptum, ex quo primum cœpit mandocari. Verbum irrisionis erat hoc, & ex infidelitate processit, in qua, vt dicunt, & vos estis absorpti: vnde & vos eodem verbo conuenio. Nunquid C creditis verum esse quod Dominus Iesus Christus de quinque panibus quinque milia hominum satiauit, & quod saturatis superfuerũt duodecim cophini fragmentorum? Negare hoc non potestis, nisi Euangelium contradicatis, in quibus manifeste hoc legitur: Et nunquid non creditis quia & per eandem virtutem qua hoc miraculũ fecit, potuisset & alios plures illis quinque millibus satiare ex eisdem panibus? Dubium non est quin potuisset. Plus enim panis erat in duodecim cophinis fragmentorum, quæ superauerant manducantibus, quàm fuisset primo in illis quinque panibus antequam eos distribuere cœpisset in turbas. Nam forte in vno duodecim cophinorum aut duobus potuissent fuisse contenti panes illi qui ab vno puero illic baiulabantur. E Idcirco autem plus superesse voluit Dominus, quam distributum fuisset, vt intelligeretur nondũ ita coartatam fuisse potentiam eius, quam adhuc ex eisdem panibus multo plura millia satiasse potuisset. Idipsum autem miraculum quod fecit de quinq; panibus, poterat sine dubio fecisse de vno, & nõ solum de vno integro pane, sed & de bucella panis hoc facere potuit. Omni dubitatione remota credere possumus, quod eadem virtute qua potuit de nihilo facere omnia, posset & micam panis ita multiplicare, vt inde satiaret infinita millia hominum. Qua ergo ratione diffidere possumus, quod eadem virtute possit hoc miraculum facere de corpore suo, vt quotidie in sacramento mãdocetur à multis in Ecclesia sua, & tamen nunquam manducando consumatur? F Certe sicut olim Christus in cœna sua inconsumpto & integro corpore coram discipolis sedebat ea hora, qua mãducabant corpus eius, ipso dicente: Accipite & manducate, hoc est corpus meum quod pro vobis tradetur. Sic & nunc eisdem horis eisdemque momentis, quibus per diuersos fines mundi in Ecclesiis manducatur corpus eius, sedet inconsumpto corpore ad dexteram patris in cœlo. Non ex hoc nostro humano sensu hanc fidem habemus, sed ex scripturis veritatis, quæ sunt à Spiritu sancto, & in quibus totius Catholicæ fidei fundamentũ vniuersa Christi Ecclesia habet. Tu vero, ô Cathare, hanc fidem in absconditis tuis irrides quasi stultitiam magnam. Infœlix, quomodo audes stultitiæ deputare hoc, quod facit sapientia Dei? An impossibile est, an non licet Christo, qui est Dei virtus & Dei sapientia, de corpore suo facere quod vult? An oculus tuus nequam est quia ipse bonus est? Vere bonus est, quia electorum suorum causa multa fecit, & adhuc facit, quę ei ab inimicis suis, videlicet Iudæis & paganis, & similibus tui, reputantur ad stultitiam & ad infirmitatem. Sed sicut dicit Apostolus: Quod stultum est Dei, sapientius est hominibus: Et quod infirmum est Dei, fortius est hominibus. 1. Cor. 11.

Iactatio quorundam nostri temporis, hoc Herenberti petra (margin note)

Luc. 22.

Non possum, inquis, credere hoc, quod dicitur de corpore Christi, quia nullatenus intelligo qualiter esse possit. Insipiens homo, nunquid putas Deum nihil posse facere quod tu non possis intelligere? & quid est in omnibus quæ credere nos oportet, quod homo super terram viuens suo sensu valeat omnino penetrare aut intelligere quomodo sit aut quomodo fuerit? Iam tandem pone pertinaciam inimicæ veritatis, & crede securus ea quæ dixi, quia nihil periculi ex hac fide patieris, imo & multum fructum ex ea inuenies. Si vero non credideris, in infidelitate tua æternaliter peribis. Secure dico, quia quod nihil ex ea fide quã prædico, periculi patieris, quia sancti viri, qui fuerunt ante nos, quorum sanctitas prædicatur, & glorificatur in vniuerso mundo in hac fide saluati sunt. Sancti Apostoli & Apostolici patres missas celebrasse leguntur, in ea fide qua crediderunt se corpus & sanguinem Domini conficere & accipere, & aliis dare. Legitur quod accidit aliquando, vt hæc infidelitas de corpore Christi, qua vos irretiti estis, etiam in populo Romano increuisset, & magnam partem ciuitatis occupasset tempore Gregorij Papæ: qui cum oraret pro infidelitate populi, & inter missarum solemnia secundũ consuetudinem obtulisset super altare Dei panem & vinum, & solitas benedictiones fecisset, hoc precibus à Deo obtinuit, vt appareret ibi caro dominica sicuti erat, & ostenderetur his qui aderant in specie carnis, quæ prius illic fuerat in specie panis: sicque liberatus est populus ab infidelitate hac. Legimus de sancto Martino Turonensi Episcopo, qui non minor sanctis Apostolis habebatur, quod dum sacramenta corporis & sanguinis Domini in Ecclesia offerret, globos igneus apparuit super caput eius. Signum hoc indubitanter à Deo erat, & demonstrauit Deus in hoc meritum sancti viri, & officij eius sanctitatem honorauit. Quod nequaquam fecisset, si falsa & inanis esset fides eius, cum qua astabat altari diuino, & qua credebat adesse in manibus suis corpus & sanguinem Domini nostri Iesu Christi. Tales itaq; viros confidenter sequi potes in ea fide, qua ipsi nos præcesserunt, & quã à talibus scriptam habemus in libris quos reliquerunt post se. Manes tuus manet in inferno, isti vero manent in cœlo. Tu fuge Manem & infernum, hos nobiscum sequere, vt cum eis pariter maneamus in æternum. Quod præstare dignetur Iesus Christus, qui cum Deo Patre & Spiritu sancto viuit & regnat Deus, per omnia sæcula sæculorum Amen.

Gregorius (margin note)

CONTRA NONAM HÆRESIM DE humanitate Saluatoris.

SERMO XII.

ÆDificium sine fundamento, vt opinor, construxi. Nam qui bene vos nouerunt, Saluatoris humanitatem negare vos dicunt. Quod si ita est, vanè operam consumpsi, disputamus vobiscum de corpore & sanguine Domini. Non est autem incredibile mihi, insani magistri insanos esse discipulos. Nam princeps erroris vestri Manes, Saluatorem nostrum ita in humanitate apparuisse docebat, vt videretur quidem homo esse, & non esset vere homo: & quod nec vere natus fuisset de virgine, neque vere passus, neque vere mortuus, nec vere a morte suscitatus, sicut & duo magi Zaroë & Arphaxat ante ipsum à Persia docuisse leguntur. Quod si in hoc errore illum sequimini magis quam sancta Euangelia, de quibus vos iactatis, quod vos soli ea

sciatis & obseruetis, proculdubio aut cæci estis aut insani: Cæci estis, si in eis humanitatem Christi non intelligitis, quæ ibi manifeste prædicatur: Insani autem, si vere intelligitis, & tamen obstinata mente Euangelistis contradicere audetis. Si essetis Iudæi, forsitan longam disputationem ex lege & Prophetis de hac re vobiscum aggrederer. Nunc autem cum vos profiteamini esse Christianos, & Euangelia legatis & sciatis, sicut dicitis, non me sinit indignatio de hoc aduersum vos longo sermone laborare. Legitis enim ibi manifeste, quod easdem humanæ naturæ infirmitates in carne sua sustinuit, quas naturaliter pati & alij homines solent: Esuriuit & sitiuit, lassatus est ex itinere, dormiuit, fleuit, tristatus est, sicut Euangelistæ testantur, quos, vt puto, non audetis dicere fuisse mentitos. Quod si vere non fuit in eo substantia carnis, sed vmbratilis quædam similitudo corporis humani, nullo modo ista vera potuerunt esse de eo. Dicitis forte, quod qui assimilauit se esurire, sitire, & cætera omnia quę diximus; ideo Euangelistæ ita de eo locuti sunt, vt illos gestus simulationis eius talibus exprimerent verbis. Filij Belial, qua vos audacia imponitis simplici agno simulationis duplicitatem; veritati, quæ Deus est, falsitatem? Ipse verum corpus & animam se habuisse testatus est: & qua temeritate vos dicitis neutrum in ipso fuisse, & magis credendum in hoc arbitramini fallaci Manichæo, quã veraci Deo? Verum corpus habere se testabatur, quando ad discipulos suos dicebat.
Luc. 24 Videte manus meas, & pedes meos, quia ego sum: palpate & videte, quia Spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere. Et cum hoc dixisset, ostendit eis manus & pedes: & post hæc cum obtulissent ei ad manducandum partem piscis assi & fauum mellis, manducauit coram illis. Animam quoq; se habere ostendit in eo,
Matth. 26. Ioan. 10 quod imminente sibi passione sua dicebat: Tristis est anima mea vsq; ad mortem. Similiter & in eo quod dicebat: Potestatem habeo ponendi animam meam, & iterũ sumendi eam. Quid ergo dubitas, infelix Cathare, veram humanitatẽ eum habuisse, quem ex verbis ipsius intelligere potes verum corpus humanum & animam habuisse? Si dubitas eum de Virginis vtero corpus assumpsisse, curre miser ad Euangelium Lucæ, in quo le-
Luc. 1. guntur verba Angeli ad Mariam loquentis hoc modo: Ecce cõcipies in vtero, & paries filium. In vtero, inquit, concipies, vt intelligas de ipsa carne Virginalis vteri, & non aliunde eum carnem assumpsisse. Item idipsum intelligere potes ex verbis Angeli, quæ, vt Matthæus scribit, ad Ioseph locutus est hoc modo: Ioseph fili Dauid,
Matt. 1. noli timere accipere Mariam coniugem tuam: quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est. In ea, inquit, natum est, ne putares vmbratile aliquid, & non veram carnem eum eduxisse de vtero matris, vel aliunde quàm ab ipsa, corpus eum assumpsisse, vt infœlix Valentinianus dicebat, Christum de cœlo corpus attulisse in vterum matris, ac per eam quasi per fistulam eum transisse in hunc mundum: vel sicut Apelles hæreticus dicebat, non de cœlo, sed ex aëre eum corpus assumpsisse, quod produxit de virgine. Item ad hoc ipsum pertinet quod
Galat. 4. Apostolus dicit: Misit Deus filium suum factum ex muliere, factum sub lege. Factum, inquit, ex muliere, vt intelligas substantiam corporis eius de substantia virgineę carnis fabricatam fuisse. Cum vera carne natum fuisse Christum ex prędictis testimoniis, si quid sanæ mentis habes, intelligere potes, & in vera carne eum fuisse passum & mortuum, ex multis scripturæ testimoniis euidentissimum est, & nunc vnum pro multis inductum sufficiat ex Ioannis Euãgelio, qui in fine passionis dominicæ ita ait: Vnus militum lãcea latus eius perforauit,
Ioan 19. & continuo exiuit sanguis & aqua: & qui vidit testimonium perhibuit, & verum est testimonium eius, & scit ille quia dicit vera, vt & vos credatis. Facta sunt enim hæc vt scriptura impleretur. Os non cõminuetis ex eo.
Exod. 12 Et iterum alia scriptura dicit: Videbunt in quem transfixerunt. Attende quid ait, quia exiuit sanguis & aqua: &

A quod hoc se vidisse testatur, & scire se rei veritatem dicere, diligenter affirmat, vt nullo modo dubitetur veritatem carneę substantiæ in Christo fuisse. Nam si phantasticum corpus habuisset, ita vt non fuisset in eo vera caro, sed inanis & vmbratilis quædam carnis similitudo, vt mentitus est vester Manichæus, non magis de corpore eius lancea perforato, quã de vento percusso potuissent profluere sanguis & aqua. Quod vero in eadem carne, in qua natus est, & passus etiam resurrexit, ex verbis quæ suprà induxi, patet, quæ post resurectionem suam dixit, ostendens discipulis suis manus suas & pedes: & ex eis quæ dixit Thomæ dubitanti, si sufficere possunt hęc quæ dixi ad comprobandum vobis veritatem humanæ naturæ, quæ in Christo Iesu, sufficiant: sin autem, maneat
B infelix Catharus cum suo Mane in mendaciis suis: & qui in sordibus est, sordescat adhuc, & perefluat in perditionem loquentium mendacium.

CONTRA HÆRESIM DECIMAM de humanis animabus.

SERMO XIII.

DE hæresi quam supra inter cæteras decimo loco ordinaui, nescio an sit generalis hominibus sectæ huius: quia in plerisque rebus dissident à seipsis, ita vt quod à quibusdam eorum asseritur, ab aliis negetur. De ea hæresi loquor, qua dicunt nihil
C aliud esse animas humanas, nisi illos Apostatas Spiritus, qui in principio mundi ceciderunt à regno Dei, & hos posse in corporibus humanis promereri salutem: non autem nisi inter eos qui sunt de secta eorum. Hoc autem non legitur inter errores Manichæi, sed alia non minor insania de animabus ibi inuenitur, idcirco dubium mihi est, vt dixi, vtrum hi homines hunc errorem generaliter teneant, an non. Quod siue ita sit, siue non, quamuis ad magnam clementiam pertineat hic sermo, & iuste non ab aliis argumentis compesci deberet, nisi virga & baculo, rationabilia tamen responsa dare nos decet etiam insanis. Est autem hic error ita abominabilis, & humanæ rationi contrarius, vt non sit mihi grandis metus de simpliciori
D populo quod facile in eum posset induci: propterea non multum laboris in hac parte assumere propono, sed breuem contradictionem aduersus insensatos adduco. Ex antiquo hoc in communi fide est, & sacra scripta attestantur, quod ad hoc creauit Deus humanum genus, vt ex eo restauraret cœlesti curiæ numerum Angelorum, qui ex ea ceciderunt in exordio mundi. Postquam autem per inuidiã diaboli etiam humanum genus lapsum est in peccatum, & de paradiso expulsum est, in primis parentibus filius Dei in his nouissimis temporibus factus est homo, vt humanum genus à peccatis suis, & à potestate diaboli liberaret, quatenus adhuc in eo perficeret quod proposuerat, videlicet vt ex eo cœlestem cu-
E riam restauraret, & impleret numerum Angelorum suorum, qui fuerat imminutus per ruinam illorum, qui proiecti fuerant de cœlo propter superbiam suam. Creditis hoc vos qui ex paradiso estis? Si non creditis, ecce inducam vobis verba Apostoli Pauli, ex quibus intelligere potestis ita esse vt dixi. Hic in epistola quam scripsit ad Ephesios de Deo patre dicit quodam loco sic: Gratificauit nos in dilecto filio suo, in quo habemus redemptionem per sanguinem eius, & remissionem peccatorum, secundum diuitias gratiæ suæ, quæ superabundauit in nobis, in omni sapientia & prudentia, vt notum nobis faceret sacramentum voluntatis suæ secundum bonũ placitum eius, quod proposuit in eo in dispensatione plenitudinis temporum instaurare omnia in Christo, quæ in cœlis, & quæ in terris sunt in ipso. Hoc ergo animaduertite in hoc sermone, quod dicit proposuisse Deum patrem instaurare in Christo omnia quæ in cœlis

& quæ

& quæ in terris sunt in ipso. Omnia quæ in terris sunt in A ipso, id est; in prædestinatione & electione ipsius, id est, omnes electos homines, proposuit Deus instaurare in Christo, id est per Christum. Item omnia quæ in cælis sunt, id est, totum numerum Angelorum, qui fuerat imminutus per ruinam lapsorum spirituum, proposuit instaurare per Christum, ita vt redimeretur humanum genus per ipsum, & loco Angelorum collocaretur electorum hominum numerus, atque cœlestis curia ita ad integritatem plenitudinis suæ rediret, in quo primo condita fuerat. Nam si ille numerus ministrorum Dei, quem in principio ad laudem nominis sui creauit, per Christum redintegratus non fuerit, non omnia in cœlis per Christum instaurantur: Si vero per ipsum impletus fuerit ille numerus, ita vt tot homines saluentur, quot B Angeli ceciderunt, vt plures, sicut asserunt quidam, & si nihil aliud sunt animæ humanæ, quàm illi Spiritus qui ceciderunt, necessario concedendum est, quod & omnes Angeli qui ceciderunt, & omnes homines saluandi sint. Qui erunt ergo Angeli de quibus Dominus in nouissimo dicturus est? Et qui erūt homines quibus dicturus est: Ite maledicti in ignem æternum, qui præparatus est diabolo & Angelis eius? Nunquid non cognoscitis hic quoque vos esse mendaces? Intelligite nunc insipientes insipientiam vestram, & stulti aliquando sapite, & agnoscite quod non descendit filius Dei de cælo, vt rediueret à morte æterna dæmones, sed homines qui non sunt dæmones, sed quibus est colluctatio contra spiritualia nequitiæ in cælestibus, id est, aduersus malignos Spiritus, qui non regunt, vt dicitis, corpora nostra, sed potius destruere nos, & in corpore & in anima incessabiliter student. Non venit saluare malignos Spiritus, sed torquere eos, sicut ipsi confessi sunt quando ex obsessis hominum corporibus clamabant ad eum dicentes: Quid nobis & tibi fili Dei, venisti ante tempus torquere nos? Hactenus me de his disputasse sufficiat: & si quid minus sufficienter dixi, addat ad hæc prudentes defensor veritatis quæcunque ei competentia videntur, ad munimentum Catholicæ fidei, vt arceantur à vinea Domini vulpeculæ pessimæ, quæ demoliuntur eam. Si quid etiam simpliciter & quodammodo grosse videbor dixisse, non ex hoc me despiciet lector, quia ea consideratione feci, vt vbique esset sermo interpretabilis simplici populo, cuius ædificationi præcipue intendi ista scribendo ad laudem & honorem Iesu Christi Dei & Domini nostri, cui est gloria & potestas in cælo & in terra permanens in sæcula sæculorum. Amen.

Matth. 25. — Matth. 8.

Quicunque ad munimentum Catholicæ fidei hunc librum transcripserit, & scriptum diligenter correxerit scribat nomen eius Deus in libro vitæ. Rogo scriptorem vt hæc quoque verba adscribat textui suo, & excerptum quod sequitur, non negligat in fine libri sui apponere.

EXCERPTVM DE MANICHÆIS
EX AVGVSTINO.



MANES, qui & Manichæus à discipulis C suis vocatus est, vt vitaretur nomen insaniæ, natione Persa, veniens in partes Græciæ, Spiritum paracletum se esse affirmauit, quem Dominus Iesus Apostolis se missurum promiserat. Hic ex discipulis suis duodecim elegit, eosque Apostolos nominauit, ad imitationem Domini Iesu. Quem numerum Manichæi adhuc hodie custodiūt. Nam ex electis suis habent duodecim, quos appellant magistros & tertium decimum principem ipsorum. Episcopos autem septuagintaduos, qui ordinantur à magistris: & presbyteros qui ordinantur ab Episcopis: ha- D bent diaconos suos, & hi omnes electi vocantur inter eos. Cæteri vero qui nondum ad hos gradus ascenderūt, auditores tantum. Mittuntur autem ex omnibus qui videntur idonei ad eorum errorem, vel vbi est, sustentandum & augendum: vel vbi non est seminandum. Est autem dogma quod à suo hæresiarcha acceperunt, huiusmodi: Creatorem omnium rerum Deum esse negant, sed duo rerum principia esse affirmant, vnum bonum, & alterum malum: & hæc sibi coæterna esse & contraria: & bonum quidem principium esse affirmant: malum vero quendam immanem principem tenebrarum, à quo omne corpus originem ducere censent. Animas autem hominum & vitalem spiritum quorumlibet E animantium, & virtutem quæ viuificat arbores, & herbas, & semina à Deo originem habere dicunt, imo & partem Dei vnumquodque talium esse volunt: Nam diuinam substantiam omnibus generibus corporum admixtam esse credunt. Hanc autem commixtionem hac ratione factam esse asserunt: Fuerunt, vt ait Manichæus, ab exordio duæ substantiæ à se diuisæ: duo scilicet regna diuersa & contraria atque coæterna, videlicet regnum lucis & regnum tenebrarum: & regnum quidem lucis Deus pater obtinebat. Hoc quoque substantiam bonam Manichæus appellauit, siue naturam bonam & incommutabilem, & omnino inuiolabilem: & hoc non aliud quàm Deum esse confessus est. Erat autem, vt ait, iuxta vnum latus illius illustris ac sanctæ terræ, tenebrarum immensa magnitudine, hancque substantiam malam appellauit, siue summum malum, siue malam naturam. Distinxit autem eam in quinque elementa, fumum, tenebras, ignem, aquam, ventum: & hæc quinque malas naturas appellauit. In singulis autem monstra pestifera ac pessima nata fuisse dicebat: in fumo bipedia: vnde & ex habitatoribus fumi homines originem habere dixit: in tenebris, serpentia: in igne, quadrupedia: in aquis, natatilia: in vento, volatilia. Vnumquodque autem genus in suo elemento manere dixit, omniaque hæc gentem tenebrarum appellauit.

In hac ergo terra euocabatur, inquit, immanis quidam princeps, habens circa se innumerabiles principes, eratque ipse omnium horum dux & origo: Posuit autem sedem eius in elemento fumi. Quoniam ergo terra ista cum suis habitatoribus valde erat pestifera, ac regno Dei contraria, ne forte ipsa regno Dei aliquod inferret nocumentum, placuit Deo expugnare eam, eiusque malitiam aliquo temperamento refrenare. Misit itaque de regno suo alia quinque elementa, quæ de sua ipsius substantia fabricauerat, & hæc quinque illis malis immiscuit, signa singulis, fumo aërea, tenebris lucem, igni malo ignem bonum, aquæ malæ, aquam bonam, vento malo, ventum bonum. Facta ergo hac commixtione bonæ naturæ cum mala, orta sunt ex illis quinque generibus animantium, quæ supra distincta sunt, omnia hæc genera animantium quæ videmus in terris, ita vt ex singulis singula prouenirent: atque ex illo tempore omnia animalia partem bonæ naturæ & partem malæ habere dicunt, eo quod post commixtionem boni & mali nata sunt. Hac ergo ratione Adam & Euam ex principibus fumi natos asserunt, quorum pater nomine Saclas, vt dicunt omnium sociorum suorum fœtus deuorauit. Et quia magna pars diuinæ substantiæ admix-

ta erat fœtibus illis, ideo maximam partem bonæ naturę dicunt eum habuisse, & exiguam malæ. Qui cum sanctè viueret propter exuberantem copiam boni, commotam tamen fuisse in eo aduersam partem mali, vt ad concubitum declinaret, atque ita eum lapsum esse peccasse, sed vixisse postea sanctiorem. Dicunt autem quasdam cœlestes virtutes ad hoc à Deo ordinatas, vt per totum mundum euntes, bonam illam naturam paulatim purgarent à mala cui immixta est, & purgatam duabus nauibus imponant, & ad regna sua transmittant. Naues autem illas dicunt fabricatas esse ex pura Dei substantia, & hæ sunt, vt dicunt, sol & luna: & lunam quidem dicunt factam ex aqua bona, solem vero ex igne bono. Ideoque orationes faciunt ad solem per diem, quacunq; circuit: ad lunam vero per noctem, si apparet: si non apparet, ad aquilonem, qua sol cum occiderit ad orientem reuertitur. Ad imitationem itaque cœlestium spirituum etiam electi eorum dicunt se purgare bonam illam naturam à mala, dum comedunt vel bibunt. Quod enim bonæ naturæ immixtum est cibis & potibus in ventre eorum, vt aiunt, liberatur, & ipsi illud cum orationibus transmittunt ad cœlestia: Quod autem malæ naturę ibi est, ad secessum vadit. Hoc autem faciunt in omnibus frugibus, & fructibus & seminibus. Dicunt enim partem illius bonæ naturę etiam terrę admixtam esse: vnde cum exhalet ac sursum ad sedes proprias redire conatur, in herbas & arbores per radices earum incurrit, sicque in his eam detineri contingit, & impediri ne ascendat. Hęc ergo est causa quare agriculturam non exercent, quoniam quasi homicidium reputant herbas aut arbores eradicare aut truncare, sed & folia aut fructus decerpere nefas habent: His enim inesse sanctas quasdam animas, intellectum habentes perhibent, easque vehementer dolere cum ista læduntur, & expelli cum amputantur. Animas auditorum suorum in electos transire aut in arbores opinantur: ideoque omnes arbores ita venerantur; vt & spinas de agris euellere non audeant. Permittunt autem auditoribus suis hęc facere, vt per eos victum habere possint: fœnerari vero multo licentius putant quàm agros colere. Adeo autem, vt dictum est, diligentius volunt purgare illam bonam naturã in omnibus seminibus per comestionem, vt & sperma humanum farinæ panis sui admixtum gustare non abhorreãt: sed hoc vehementer occultant: detecta est tamen hęc illorum turpitudo apud Carthaginem, cogente Vrso tribuno per duas puellas in diuersis locis, ita vt neutra alterã hoc prodidisse sciret. Quarum altera nomine Margareta, cum esset annorum nondum duodecim, propter hoc quasi cœleste mysteriũ corruptã se esse cõfessa est: altera vero nomine Eusebia Manichęa, quasi sãctimonialis, primo negas, tandem vix compulsa est id ipsum de se fateri, & totum turpissimum illud scelus exponere. Non autem omnes hoc facere dicuntur, sed quidam eorum, qui dicuntur Catharistę, id est, purgatores. Est enim secta illa diuisa in tres partes, in Catharistas, & Mattharios, & eos qui specialiter Manichæi dicuntur: cum tamen omnes disciplinam Manichæi obseruent. Carnes omnes immundas iudicant, nec eis vescuntur: dicunt enim, quia cum occiditur quodlibet animal, statim pars illa diuinæ substantiæ, quæ inerat corpori, euolat, & quod remanet totum immundum est, quia ex concubitu venit, & opificium est gentis tenebrarum, & coinquinat manducantem. Auditoribus suis tamen eas comedere permittunt,

A sed omnino prohibẽt, ne animalia occidant: aiunt enim, quia principes gentis tenebrarum sua singuli in terris animalia possident, de suo genere ac stirpe venientia: qui peremptores eorum reos tenent, nec de hoc mundo exire permittunt, quin antea pœnis, quibus possunt eos atterant: nec oua saltem sumunt, quasi & ipsa cum franguntur, expirent: sed nec alimonia lactis vtuntur, quamuis de corpore viui animalis mulgeatur. Vinum non bibunt, dicentes fel esse principum tenebrarum: bibunt tamen carœnum, quod non est aliud nisi vinum coactum. Vuas comedunt, & mustum abominantur, dicentes diuinam substantiam fugari in attritione vuarum, quam multis modis à rebus fugere dicunt. Fugit enim, vt aiũt, dum fruges & poma carpuntur: fugit cum affliguntur terendo, molendo, coquendo, manducando: fugit in omnibus motibus animalium, vel cum gestiunt, vel laborant: fugit etiam in ipsa digestione: multaque circa hæc turpissime confingunt. Eleemosynam ex omnibus

B quæ ipsi comedunt, dare alicui non Manichæo, mendicanti prohibent: ita vt nec aquam in summa necessitate posito velint porrigere, ne membrum Dei, quod his rebus admixtum est, in illum transeat, eiusque peccatis sordidatum impediatur à reditu: ideo sępe coartantur vltra modum comedere, & paruulos suos nimia ingluuie interficere, ne vel aliis dentur, vel apud ipsos pereant cibaria eorum, quorum vtrumque nefas habent. Vxores electis suis prohibentur, auditoribus conceduntur: monentur tamen auditores diligentissime, vt si vtuntur coniugibus, conceptum tamen generationemque arte qua possint deuitent, ne diuina substantia, quę in eos per alimenta ingreditur, vinculis carneis ligetur in prole: per escas etenim & potus parentum in omnem fœtum animam credunt descendere: itaque nuptias sine dubio

C condemnant, quandoquidem generare prohibent, propter quod coniugia copulanda sunt. Dominum Iesum in terras venisse, ad animas, non ad corpora liberanda: eumque nec de Virgine natum credunt, nec fuisse in carne vera, sed simulatam speciem carnis ludificandis humanis sensibus præbuisse: vbi non solum mortem, verum etiam resurrectionem mentiretur. Vnde pascha nostrum vel negligenter, vel omnino non celebrent. Celebrant autem pro eo quoddam festum, quod vocant Bema, id est, diem quo Manichęus eorum occisus est. Deum, qui legem dedit per Moysen & per Prophetas locutus est, non verum Deum fuisse dicunt, sed vnum ex principibus tenebrarum. Promissionem Domini nostri Iesu Christi de paracleto Spiritu sancto in suo hæresiarcha Manichęo dicunt esse completam, ita videlicet

D vt ipse esset Spiritus paracletus: Vnde se in suis literis Iesu Christi Apostolum dicit. Baptismum in aqua nemini prodesse ad salutem dicunt. Peccatorum originem non libero arbitrio voluntatis attribuunt, sed substantiæ gentis aduersæ, quam hominibus mixtam esse dicunt. Duas animas in vno homine esse dicunt, bonam & malam, easque inter se habere conflictum, quando caro concupiscit aduersus spiritum, & Spiritus aduersus carnem. Asserunt etiam finito isto sæculo animas quidem natura bonas, sed quæ non potuerunt à naturæ malæ contagione mundari, quasi in vnum globum accessuras, & cum mala natura in æternum damnandas. Finiuntur verba Augustini collecta de libris eius, quæ in principio libri huius me huic operi appositurum spopondi.

DE MANICHÆO EX RAPHAELE VOLATERRANO.

MANES hæresiarcha sub Aureliano principe Romam è Perside venit. Magistrum habuit Buddam nomine, qui & Terebinthus dicebatur, Brachman genere ac secta. Hic edoctus literas Græcas, sectam Empedoclis amauit, duo principia ponens inuicem contraria. Deinde in Persidem reuertens, dictitabat se ex virgine natum, & in montibus educatum. Edidit libros quatuor, quorum primum inscripsit, De mysterijs: secundum de Euangelijs: tertium de thesauris: quartum de fumis. Cuius tandem defuncti libri ad manus mulieris, apud quam ille diuertebat, peruenere. Hæc puerum septem annorum à se emptum, cui Cubrino nomen erat, literis erudiit, hæredemque omnium fecit bonorum. Hic postea Manes appellatus fuit, ac peregrinationis Buddæ imitator factus, quaquauersus illius libros pro suis iactabat. Igitur cum propriam sectam constituere cuperet, dimissis hæreditate & omnibus quæ possidebat, noua quædam conciliabula subterranea & coitus nefandos constituit. De quo Theodorus sic ait: Manes furore percitus, dixit vnam in Christo naturam diuinam tantum, humanitatem vero eius phantasticam: non enim fuisse verisimile Deum pati voluisse. Paulus vero præsul Antiochiæ eius tempore, contrarium dogma secutus, affirmauit simplicem quidem hominem, verum Prophetam maximum. Hunc denique Manetem ad vltimum Rex Persarum viuum cute direpta necauit, quod filium eius quem reiectu aliis medicis curare pollicebatur, interfecerit. Ex Suida. Eusebius quoque lib. 8. historiæ sic ait: Manes hæresiarcha, genere Persa, vita & moribus barbarus, tam acer ingenio, vt ex nominis argumento insanire videretur. Denique Christi se nunc formam gerere conabatur ostendere, nunc ipsum se esse paracletum dictitabat, eiusque more duodecim discipulos quos elegerat quaquauersus stultissima dogmata nunciatum mittebat, atque hoc pacto Persica venena in nostro orbe propinabat. Ex hoc igitur Manichæorum hæresis orta, in præsentem diem ex eo tempore quo Fœlix Vrbi Romæ præerat, Diocletianusque imperabat.

FINIS.

DVNGALI LIB. RESPONSIONVM, ADVERSVS Claudij Taurinensis Episcopi sententias, ad Hludouicum Imper. eiusque filium Lotharium Augustum.

Antistitibus & Clero Galliæ, Papyrius Massonus.

ILLVD inter cætera prudentissimè à L. Floro Romanæ Historiæ scriptore dictum puto, quam maximè mortiferos esse solere morsus morientium bestiarum, nec dubitò quin rectè hoc nomine appellari hæresis debeat, speroque futurum vt Catholica Ecclesia ex morte bestiæ postquam illa senuerit solatium & quietem sit aliquando habitura, maiores enim vestri hoc semper credidere, hanc pestem seu venenum cum diu nocuerit desiturum, tunc cùm Sacerdotes Domini se & greges sibi commissos diligenter excusserint, statuerintque sic vitam componere vt reprehendi amplius non possint, sanè superioribus sæculis plurimæ hæreses regnauerunt, quarum ne nomina quidem recensere possis, ita eueniet iis quæ nunc orbem affligunt, & cum diu sæuierint euanescent. Claudius quidem Taurinensis Episcopus olim pessime de imaginibus sentiens fecit vt Ionas Aurelianensium Antistes aduersus hæresim illam scriberet, quod ab eo præstitum est Caroli Calui temporibus, multa in eo opere de Carolo Magno, multa de Ludouico patre pio Principe sanctæ Dei Ecclesiæ filio aduersus Presbyterum natione Hispanum nomine Claudium dicuntur. At Dungalus quem vobis nunc supplices offerimus, & ipse excellens Theologus sub eodem Ludouico Imperatore eiusque filio nobilissimo Augusto Lothario vixit. Hic libellum suum vocat responsiones ex auctoritate & doctrina sanctorum Patrum defloratas & excerptas continentē sub nomine & honore gloriosissimorum Principum Christianissimorum S. Ecclesiæ rectorum Dominorū Ludouici maximi ac serenissimi Imperatoris, eiusque filij Augusti Lotharij, contra insanas blasphemasque Claudij Taurinensis nenias. In quo libello illa in primis Dungali sententia notanda est. Qualis & quanta est insana elatio, & vana temeritas vt quod à primæuo tempore Christianitatis per annos ferme MCCCXX. aut eo amplius a Sanctis ac beatissimis patribus & religiosissimis postmodum principibus ad gloriam & laudem Domini in Ecclesiis & in quibuslibet Christianorum domibus fieri concessum, constitutum, & iussum est, vnus homo blasphemare, reprehendere, conculcare, proiicere ac sufflare præsumat: quasi in tanto iam dicto spatio nullus sic sanctus vel sapiens in Ecclesia Dei extitisset autor, qui tam ardentissimum in corde suo zelum vel subtilissimum haberet intellectum. sicut iste qui audet oppugnare quod cæteri, quasi formidolosi, ausi non sunt, vel vituperare quod alii esse vituperandum, quasi stulti non intellexerunt. Sed antequā Claudius Taurinensis insurgeret in Ecclesiam Dei, Fælix Vrgelitanus tempore Caroli Magni Ecclesiam vexabat, vt hic Dūgali locus ostendit. Dominus beatissimæ memoriæ Carolus florentissimus vigilantissimusque Catholicæ fidei tutor & propugnator, nequissimæ caput viperæ in magistro huius erroris Fœlice contra sibilantis vnitatem Ecclesiæ Apostolicæ authoritatis prævalida ferreaque confregerit virga. Aduersus hunc Fœlicem Agobardi Lugdunensis Episcopi graue sanctūque volumen est, quod cū eius viri operibus nuper in lucem dedimus. Clarissima autem Ecclesiæ lumina vt Ambrosium, Hieronymum, Augustinum, Gregorium Nissenum, Ioannem Chrisostomum, Gregorium Romanum Pontificem fatuus ille Taurinensis Episcopus obruere si posset conaretur: sed illi vita & mo-

Item ad locum.

Quid te ad falsas imagines humilias & inclinas? quid ante inepta simulacra & figmenta terrena captiuum corpus incuruas? Rectum te Deus fecit, & cum cætera animalia prona & ad terram sint, tibi sublimis status & ad cœlum atque ad Deum vultus erectus est, illuc in turre, illuc oculos tuos erigere, in supernis Deum quære, vt carere inferis possis. Ad alta cœlestia suspensum pectus attolle, qui te in lapsum mortis cum insensata imagine, quam colis, sternis? Quid in ruinam diaboli per ipsam, & cum ipsa cadis: sublimitatem serua qua natus es, perseuera talis qualis à Domino factus es.

De cruce ad locum

Sed dicunt isti falsæ religionis atque superstitionis cultores: Nos ob recordationem Saluatoris nostri crucem pictam atque in eius honore imaginatam colimus, veneramur atque adoramus: quibus nihil aliud placet in Saluatore nostro, nisi quod & impiis placuit opprobrium passionis & irrisio mortis. Hoc de illo credunt quod & impii homines siue Iudæi, siue pagani, qui eum resurrexisse diffidunt; & non nouerunt de illo aliud cogitare nisi eum tortum & mortuum & semper in passione positum in corde suo credunt & retinent & non attendunt neque intelligunt quod ait Apostolus; Etsi noueramus secundum carnem Christum, sed nunc iam non nouimus.

Item ad locum.

Contra quos respōdendum est, quasi omne lignum schemate crucis factum volunt adorare, pro eo quod Christus in cruce pependit, & alia multa illis conuenit quæ Christus egit per carnem. Vix enim sex horis in cruce pependit, & tamen nouum mensibus lunaribus & supra vndecim dies in vtero virginis fuit qui simul sunt dies solares ducendi septuaginta sex: id est nouem menses & supra dies sex. Adorentur ergo puellæ Virgines, quia virgo peperit Christum. Adorentur & præsepia, quia mox est vt natus in præsepio est reclinatus. Adorentur & veteres panni, qui continuo cum natus est, pannis veteribus est inuolutus. Adorentur & naues, quia frequenter in nauibus nauigauit, & de nauicula turbas docuit, & in naui dormiuit, & de naui ventis imperauit, & in dextera nauigii rete mittere iussit quando prophetica illa magna captura piscium facta est. Adorentur asini, quia asellum sedendo ad Ierusalem vsque peruenit. Adorentur agni, quia de illo scriptum est. Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. Sed isti peruersorum dogmatum cultores agnos viuos volunt vorare, & in pariete pictos adorare. Adorentur & leones, quia de illo scriptum est: Vicit leo de tribu Iuda radix Dauid. Adorentur & petræ, quia quando de cruce est depositus in saxeo sepulchro est positus, & de illo Apostolus ait: Petra autem erat Christus; sed Christus petra, agnus, & leo tropice non proprie est dictus, per significantiam non per substantiam. Adorentur & spinæ ruborum quia exinde spinea corona tempore passionis capiti eius imposita est: Adorentur & arundines quia ab eis colaphis à militibus caput eius cæsum est. Postremo adorentur & lanceæ, quia vnus militum in cruce lancea latus eius aperuit, vnde fluxit sanguis & aqua, sacramenta, vnde formatur Ecclesia. Ridiculosa ista omnia sunt & lugenda, potius quam scribenda. Cogimurque contra stultos stulta proponere, & contra lapidea corda, non verbi sagittas vel sententias, sed lapideos proiicere ictus. Redite præuaricatores ad eos qui recessistis à veritate & diligitis vanitatem & estis vani facti, qui rursum crucifigitis filiū Dei, & ostentui habetis, & per hoc cateruatim animas miserorum socias factas dæmonum habetis. Alienando eas per nefanda sacrilegia simulacrorum, à creatore suo, habetis eas deiectas & proiectas in damnationem perpetuam.

Item ad locum

Aliud enim Deus iussit, aliud isti faciunt. Deus iussit crucem portare, non adorare, isti volunt adorare; quam nolunt nec spiritualiter nec corporaliter secum portare. Taliter enim Deum colere, ab illo recedere est: ille enim dixit: Qui vult post me venire abneget semetipsum & tollat crucem suam & sequatur me. *Quia videlicet nisi qui à semetipso deficiat, ad eum qui super ipsum est, non adpropinquat: nec valet adprehendere quod vltra ipsum est, si nescierit mactare quod est.*

Ad locum.

Quod vero ais, quod ego prohibeam homines pœnitentiæ causa pergere Romam, falsum tu loqueris. Ego enim iter illud nec adprobo, nec improbo, quia scio quod nec omnibus obest, nec omnibus prodest, nec omnibus proficit, nec omnibus officit. Te ipsum primum interrogare volo, si pœnitentiam agere Romam pergere nosti, cur in tanto tempore tantas animas perdidisti, quas in monasterio retinuisti, & pœnitentiæ causa in monasterium recepisti, & non eas Romam misisti, sed potius tibi seruire fecisti. Dicis enim te habere cateruam monachorum centum quadraginta qui omnes pœnitentiæ causa ad te venerunt, & se monasterio tradiderunt, ex quibus neminem Romam ire permisisti. Si hæc ita se habent, vt tu dicis, pœnitentiam agere, Romam pergere est, quid acturus es de sententia illa quam Dominus dicit. Qui scandalizauerit vnum de pusillis istis, qui in me credunt, expedit ei, vt suspendatur mola asinaria in collo eius, & demergatur in profundum, quam vt scandalizet vnum de pusillis istis qui in me credunt. Nullum scandalum maius est quam hominem illam prohibere pergere viam, per quam possit ad gaudia pergere sempiterna.

Item ad locum.

Scimus enim, quod non intellecta Euangelistæ verba Domini saluatoris, vbi ait beato Apostolo Petro, Tu es Petrus & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, & tibi dabo claues regni cœlorum. Propter ista tam dicta Domini verba imperitum hominum genus pro adquirenda vita æterna, postposita omni spiritali intelligentia volunt pergere Romam: & post pauca calorum intelligit: Qui hoc modo, vt supra dictum est, claues regni, intercessionem beati Petri localiter non requirit, quia si proprietatem verborum Domini subtiliter consideramus, non ei dictum: Quodcumque solueris in cœlo, erit solutum & in terra, & quodcumque ligaueris in cœlo erit ligatum super terram: Ac per hoc sciendum est, quod tamdiu antistitibus Ecclesiæ istud ministerium concessum est, vsque dum ipsi peregrinantur in hoc mortali corpore: cum verò debitum mortis reddiderint, alii succedunt locu ipsorum, qui eandem obtinent iudiciariam potestatem, sicut scriptum est: Pro patribus tuis nati sunt tibi filii, constitues eos Principes super omnem terram.

Item ad locum.

Redite cæci ad lumen verum, quod inluminat omnem hominem venientem in hunc mundum: quod lumen in tenebris lucet, & tenebræ illud non comprehendunt: qui istud lumen non aspiciendo in tenebris estis, & in tenebris ambulatis, & nescitis quò eatis, quia tenebræ obcæcauerunt oculos vestros.

Item ad locum

Audite & hoc insipientes in populo, & stulti aliquando sapite, qui intercessionem Apostoli Romam pergendo quæritis, quid contra vos dicat idem sæpe dictus beatissimus Augustinus in libro enim de Trinitate octauo inter cætera sic dicit. Redi ergo mecum & consideremus cur diligamus Apostolum, nunquid nam propter humanam speciem, quam notissimam habemus, eo quod credimus eum hominem fuisse? vtique, alioquin nunc non est quem diligamus, quandoquidem homo ille iam non est; anima enim eius a corpore separata est, sed id quod in illo amamus etiam nunc viuere credimus.

Item ad locum

Promittente Deo debet fidelis quisque credere quanto magis iurante quidem dicere. Si fuerint in medio eius, Noe, Daniel, & Iob. Id est si tantæ sanctitatis, tantæ iustitiæ, tantique meriti sit, quanti illi fuerunt, non liberabunt filium neque filiam. Hac idcirco dicit vt nemo de merito vel intercessione sanctorum confidat, quia nisi eandem fidem & iustitiam, veritatemque teneat quam illi tenuerunt, per quam illi placuerunt Deo, saluus esse non poterit.

Item ad locum

Quinta tua in me obiectio est; & displicere tibi dicis, eo quod Dominus Apostolicus indignatus sit mihi. Hoc dixisti de Paschali Ecclesiæ Romanæ Episcopo, qui præsenti iam caruit vita. Apostolicus autem dicitur quasi Apostoli custos, aut Apostoli fungens officio. Certè non ille dicendus est Apostolus qui in cathedra sedet Apostoli, sed qui Apostolicum implet officium. De illis enim, qui eum locum tenent, & non implent officium, Dominus dixit, Super Cathedra Moysi sederunt scribæ & Pharisæi. Omnia ergo quæcumque dixerint vobis seruate & facite: secundum opera verò eorum nolite facere, dicunt enim & non faciunt.

Liber de quo ista excerpsimus tanta magnitudinis est; quantum liber Psalmorum & quinquaginta Psalmi plus.

FINIS.

DVNGALI

DVNGALI RESPONSA CONTRA PERVERSAS CLAVDII TAVRINENSIS EPISCOPI SENTENTIAS.



V N C itaque libellum responsiones ex auctoritate ac doctrina sanctorum patrum defloratas & excerptas continentẽ, & sub nomine & honore gloriosissimorum Principum, Christianissimorũ sanctæ Ecclesiæ rectorum, Domini Hludouici maximi ac serenissimi Imperatoris, eiusque filii nobilissimi Augusti Hlotharii ego Dungalus in Dei & eorum obsequio esse dicandum componendumque deuoui, cõtra insanas blasphemasque Claudii Taurinensis Episcopi nænias, non quod ante iam dudum ex quo in hanc terram aduenerim, occasio mihi copiosa hac de re reclamandi conquerendique assidue non occurreret, dũ dominicam vbique messem malignis zizaniis lolioque infelici horrere cernendo suspirarem: sed ne conatus nostri aërem dicitur verberando, incertaue pro certis, adfirmando deluderentur; sub silentio diutina anxiaque obsecratione ora continui, mœrens dolensq; murmur multum antiquamque contentionem de corpore Christi, hoc est Ecclesia passim in turbis fieri, quæ quondã præcessit de capite. Quidam enim tũc, vt ait Ioannes, dicebant, quia bonus est, alii autem non, sed seducit turbas: Simili modo etiam nunc sequestrato ab inuicem in hac ragione, ac diuiso in duas partes populo, de obseruationib' Ecclesiasticis, hoc est de imagine dominicæ passionis, & sancta pictura murmurantes & contendentes Catholici, dicunt vanam & vtilẽ esse eam picturam, & posse tantumdem proficere ad eruditionem, quantum & sacræ litteræ: hæreticus è contra cum parte à se seducta dicunt, non, sed seductio est erroris & idololatria. Talis de cruce contentio habetur, Catholicis dicentibus, quod bona & sancta sit, vexillũque triumphale, & signũ perpetuæ salutis: Pars aduersa cum suo magistro è contra respõdet, non, sed opprobrium tantem passionis & irrisio mortis in ea continetur & ostenditur, ac memoratur. Pari ratione de memoriis sanctorum, causa orationis adeundis, & reliquiis eorum venerandis obnituntur: aliis adfirmantibus bonam & religiosam essẽ consuetudinem basilicas martyrum frequentare, vbi eorũ sacri cineres & sancta corpora quasi quædã venerabilia vasa & Deo acceptabilia, in quibus omnigena pro fide Christi tormenta sunt vsque ad mortem perpessi: cum honore eorum meritis congruo condita habentur, vbique ipsis interuenientibus corporales ac spiritales quotidie langores diuina operante manu & gratia coruscante copiosissimè & præsentissime sanantur: Alii verò resistunt dicẽtes sanctos post obitum nullum adiuuare nullique posse intercedendo succurrere, nihil eorum duntaxat scientes, quæ in terris geruntur, illorumque reliquias nullum alicuius reuerentiæ gratiam comitari, sicut nec ossa vilissima quorumlibet animalium, reliquamve terram communem. vnde Augustinus in expositione sancti Euangelii secundũ Ioannem ait, de omnibus seruis eius hoc dicitur modo, quicunque eminuerit in aliqua gratia, alii dicunt bonus est, alii non, sed seducit turbas: vnde hoc: quia vita nostra abscondita est cum Christo in Deo. Ideo licet dicere hominibus, per hyemem mortua est ista verbi gratia, arbor fici, arbor pyri, & huiusmodi pomorum similis est, aridæ, & quandiu hyems est non apparet: æstas probat iudicium probat, æstas nostra reuolutio Christi est. Deus manifestus veniet. Deus noster & non silebit, ignis ante eum præibit, iste ignis inflammauit inimicos eius, aridas arbores ignis cõprehendet. In alia vero parte, hoc est in dextera, apparebit fecunditas fructuum, dignitasque foliorum, viriditas æterna erit illis: ergo tanquam aridis dicetur, ite in ignem æternũ. Ecce enim

A securis ad radicem arborum posita est: Omnia ergo arbor quæ nõ fecit fructum, excidetur & in ignem mittetur. De ipso ergo toto corpore Christi, hoc dicitor, corpus Christi adhuc in area: vide quemadmodũ blasphemetur à palea. Simul quidem triturantur, sed paleæ conteruntur, frumenta purgantur. Rogamus vero suppliciter nostros Dominos Christianissimos ac religiosissimos vt Zelo Dei cõmoti suæ sanctæ matri Ecclesiæ gemẽti & periclitanti oportunè dignentur succurrere, eamque diris serpentum morsibus diutius non sinãt laniari. Cum enim Dominus beatissimæ memoriæ Carolus feruentissimus vigilantissimusque Catholicæ fidei tutor & propugnator, nequissimæ caput viperę in magistro huius erroris Felice, contra sibilantis vnitatẽ Ecclesiæ Apostolicæ auctoritatis præualida ferreaque confregerit virga: *Carolus magnus.*
B rectum quidem est quin ab eius benedictis generatione supra dictæ cauda bestiæ diro cũcta suo cõficiens nidore, eodem cõtundatur hastili: eaque ad nocendum in quantum viget maligno se verbere mouens tandiu terẽdo & cædendo comprimatur, quandiu consumptis nisibus desinat palpitare: vt quia peruersus discipulus peruersum pestiferumque magistrum, non solum æquiparare, verũ etiam deprauando & blasphemando excellere cõtenderit: sicut scriptum est, de radice colubri egredietur regulus validiori etiam castigatione, quam suus antea auctor fuerat corripiatur, quò cæteri timorem habeant: ne amplius malignissimo superbiæ spiritu inflati talem audentes excogitare prauitatem, sponsam Christi Ecclesiam, cuius vos Deus prouisores defensoresq; constituit, diffamare
C violareque præsumant, vt ait Augustinus in expositione Euangelii secundum Ioannem. Si ergo quando vult Deus concitare potestates aduersus hæreticos, aduersus schismaticos, aduersus dissipatores ecclesię, aduersus exsufflatores Christi, aduersus blasphematores sanctorum eius, non mirentur, quia Deus conciter vt à Sara verberetur Agar, cognoscat se Agar, ponat ceruicẽ suam: mirantur autem quia commouentur potestates Christianæ aduersus detestandos dissipatores Ecclesiæ; Si ergo non mouerentur, quomodo redderent rationem de imperio suo Deo? Intendat caritas vestra quid dicam, quia pertinet hoc ad reges seculi Christianos, vt temporib' suis pacatã velint matrẽ suã Ecclesiã, vnde spiritaliter nati sunt reddere: legimus Danielis visiones, & gesta prophetica. Tres pueri in igne laudauerunt Deum, miratus est Nabuchodonosor rex laudãtes Deũ pueros, &
D circa eos ignẽ innocentem, & cum admiratus esset quid ait Nabuchodonosor rex: Non vel Iudæus vel circumcisus ille qui statuam suam erexerat & ad eam adorãdam omnes coegerat: tamen laudibus trium puerorum commotus, at vbi vidit maiestatẽ Dei præsentis in igne quid ait: *& ego proponam decretum omnibus tribubus & linguis in omni terra* Quale decretũ *quicunque dixerint blasphemiã in Deum Sidrac, Misaac, & Abdenago in interitum erunt, & domus eorum in perditionẽ.* Ecce quomodo sæuit rex alienigena ne blasphemetur Deus Israel, quia potuit tres pueros de igne liberare & nolunt vt sæuiant reges Christiani, quia Christus exsufflatur, à quo non tres pueri, sed orbis terrarum cum ipsis regibus à gehennarum igne liberantur. *Explicit prologus.*

ERGO ambiguitas quæ nos tantu reticere tempore coegit & ob quam certum aliquid respondere, vel rescribere vsque modo non potuimus, è medio quasi quoddam est obstaculũ ablata, accepta scedula à Claudio Taurinensi Episcopo composita, quæ excerpta est, vt in eius fine continetur, de libro quẽ ille apologeticũ

vocat aduerſus Theutmirum ſcripto Abbatem, cum apologia ſecundum proprietatem Græci ſermonis contrarietatis carens ſenſu, non aduerſus aliquam perſonam, ſed ad eam tantummodo, dici ſoleat.

Licet autem incondito ac ruſtico vt potui ab homine doctrinalis experte ſcientiæ, ſit hæc edita contextu epiſtola, tamen non magnopere de hoc excutiendo vel inquirendo curaui, ſed tantum ſenſus diſpar, & Catholicæ contrarius fidei adeo me mouit & conturbauit. Dicit enim tantumdem errare & vno ſimiliter nomine idololatras eſſe vocandos eos, qui idola & ſimulacra gentilium diabolo inſtigante & per ea decipiente adorant, & colunt, credantes deos ac deas eſſe à quibus cuncta reguntur, vel præſtantur, & Chriſtianos qui imaginem Chriſti & ſanctorum eius pingunt & venerantur pro amore & honore Saluatoris & Redemptoris mundi, & ſuorum electorum quos & ipſos, licet longè inferius, diligunt tamen & honorant, quia prius à Deo electi ac dilecti ſunt, eo quod ſibi in vita ſua fideliter deſeruierunt, & pro eo omnia deuotiſſimè vſq; ad mortem pertulerunt, in nullum alium credentes niſi in vnum Deum Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum, ſicut in ſancto ſymbolo & fide continetur Catholica. Item crucem Domini dicit eſſe abiciendam & conculcandam, quaſi opprobrium paſſionis, & irriſionem mortis, & eos qui eam honorant aut pingunt, vel fabricando adornant falſæ religionis atque ſuperſtitionis cultores, inſuper ſtultos & lapideos & præuaricatores nominat, ac reprehendit. Illos etiam deteſtatur qui Romam, hoc eſt beatorum glorioſiſſima Apoſtolorum & cæterorum innumerabilium ibidem iacentium ſanctorum loca, orationis adeunt cauſa, fide certi non titubante, quod diuina præſtante clementia ob laborem arrepti propter Deum itineris maiorem & præcipue per piiſſimorum quos deuoti adeunt interuentionem patronorum, quaſi plus apud Deum merantium & præualentium quicquid rectè & iuſtè petierint facilius & citius impetrabunt, quos ille vocat imperitum hominum genus, cæcos, inſipientes, & ſtultos. De hac igitur imaginum pictarum ratione, de qua iſte in exordio ſuæ proponit epiſtolę inquiſitio diligentius ante, vt reor, biennium, apud glorioſiſſimos & religioſiſſimos principes habita eſt in palatio, vbi diuinæ ſcripturę, ſanctorumque librorum & probatiſſimorum, qui eos ſcripſerūt, virorum exemplis atque auctoritate, cum quanta & quali moderatione ac diſcretione ſint habendæ, inuentum, cōfirmatum, ſatiſque euidēter diffinitum eſt: vt nemo poſthac quamuis ſtolido & obtuſo deſipiens ſit corde, nec Angelis, nec hominibus licet ſanctis, nec eorum imaginibus, nec cuipiam penitus in mundo creaturæ excuſabiliter diuinum poſſit honorem deferre, niſi ſoli omnium creatori vni Deo Patri & Filio & Spiritui ſancto. Neque etiam è contrario aliquis hos prædictos, hoc eſt vel ſanctos Angelos, vel ſanctos homines, aut eorum imagines, vel quicquid in honorem, laudem & gloriam vnius veri & ſummi Dei fideliter componitur, deſtruere, aut delere, deſpicere, vel abominari præſumat, ſicut de hoc ſanctus Gregorius Serenum Maſſilienſem Epiſcopum corripuit & reprehendit ita dicens. *Perlatum quidem ad nos fuerat quod inconſiderato zelo ſuccenſus ſanctorum imagines, ſub hac quaſi excuſatione ne adorari debuiſſent confregeris, & quidem quia eas adorari vetuiſſes, omnino laudamus, fregiſſe verò reprehendimus. Dic frater à quo factum ſacerdote aliquando auditū eſt quod feciſti: ſi non aliud, vel illud te nō debuit reuocare vt diſpectis aliis fratribus ſolū te ſanctū & eſſe crederes ſapientem: Aliud eſt enim picturam adorare, aliud per picturæ hiſtoriam quid ſit adorandum addiſcere. Nam quod legentibus ſcriptura, hoc idiotis præſtat pictura cernentibus, quia in ipſa ignorātes vident quod ſequi debeāt, in ipſa legunt qui litteras neſciunt. Vnde & præcipue gentibus pro lectione pictura eſt, quod magnopere à te qui inter gētes habitas attēdi decuerat ne dum recto zelo incaute ſuccenderis, ferocibus animis ſcādalum generares. Frangi ergo non debuit quod nōn ad adorādum in Eccleſiis, ſed ad inſtruendas ſolūmodo mentes fuit neſcientiū collocatū. Et quia in locis venerabilibus ſanctorū depingi hiſtorias, non ſine ratione vetuſtas admiſit, ſi zelū diſcretione cōdiſſes ſine dubio & ea quæ intendebas ſalubriter obtinere & collectum gregem non diſpergere, ſed diſperſum potius poteras congregare, vt paſtoris in te merito nomē excelleret, non culpa diſperſoris incumberet: Hæc autem dum in hoc animi tui incaute nimis motu exſequeris, ita tuos ſcādalizaſſe filios perhiberis vt maxima eorum pars à tua ſe cōmunione ſuſpenderet. Quādo ergo ad ouile dominicum errantes oues adduces, qui quas habes, retinere non prævales?* Qualis autem & quanta eſt inſana elatio, & vana temeritas, vt quod à primæuo tempore Chriſtianitatis per annos ferme DCCC. XX. aut eo amplius à ſanctis ac benigniſſimis patrib⁹ & religioſiſſimis poſt modū principibus ad gloriā & laudē Dei in Eccleſiis, & in quibuslibet Chriſtianorum domibus fieri conceſſum, cōſtitutum, & iuſſum eſt, vnus homo blaſphemare, reprehendere, conculcare, proiicere, ac ſufflare præſumat? quaſi in tanto iam dicto ſpatio nullus ſic ſanctus, vel ſapiens in Eccleſia Dei extitiſſet auctor qui tam ardentiſſimum in corde ſuo zelum, vel ſubtiliſſimū haberet intellectū, ſicut iſte qui audet oppugnare quod cæteri, quaſi formidoloſi auſi non ſunt, vel vituperare quod alii eſſe vituperandum quaſi ſtulti non intellexerunt. Quidam autem è cōtrario de antiquis patribus nō ſolum ſanctorum in Chriſto dormientium, ſed & amicorum viuentium imagines pingere ſtuduerunt. Sicut ſanctus Seuerus Epiſcopus non tātum beati Martini de hoc ad Deum migrantis ſæculo, ſed & ſancti Pauli Nolani Epiſcopi adhuc ſuperſtitis imaginem in ſua depinxit Eccleſia cum eſſent hi ambo ſani epiſcopi, ambo ſpiritales Philoſophi, ſed nihil horum ſunt reſtare conati. Audiens autem hoc Paulinus humiliando excuſauit, nolens ſe quaſi imparem adſimulari Martino, ſed ſciens deuotam erga ſe ſancti charitatem amici conſenſit, hinc humili comparatione verſus hoc modo compoſuit.

Diues opum Chriſto, pauper ſibi, pulchra Seuerus
Culmina ſacratis fontibus inſtituit.
Et quia cæleſtes aulam condebat in actus,
Qui ex renouarentur fonte Deoque homines:
Digna ſacramentis gemina ſub imagine pinxit
Diſceres vt vita donare natus homo,
Martinum veneranda viri teſtatur imago
Altera Paulinum forma refert humilem.
Ille fidem exemplis, & dictis fortibus armat,
Vt meriti palmas intemerata ferat.
Iſte docet fuſis redimens ſua crimina nummis:
Vtilior vt ſit res, quam ſua cuique ſalus.

De quo ſanctus Auguſtinus memorat in libro primo de Ciuitate Dei. *Vnde Paulinus noſter Nolenſis Epiſcopus ex opulentiſſimo diuite, voluntate pauperrimus & copioſiſſime ſāctus.* Hic fere totas veteris & noui teſtamenti hiſtorias, per ſuas pictas habebat Eccleſias, quas per ordinem ſancto Nicetæ Dacorum Epiſcopo demonſtrabat. Hinc dicit in 9. lib, quem de virtutibus ſancti martyris Felicis metrico textu compoſuit.

Nunc volo picturas fucatis agmine longo
Porticibus videas, paulumque ſupina fatiges
Colla, reclinato dum perlegis omnia vultu.
Qui videt hæc vacuis agnoſcens vera figuris
Non vacua fidam ſibi paſcit imagine mentem.
Omnia namque tenet ſerie pictura fideli,
Quæ ſenior ſcripſit per quinque volumina Moſes,
Quæ geſſit Dominus ſignatus nomine Ieſus

& poſt pauca

Forte requiratur quanam ratione gerendi
Sederit hæc nobis ſententia pingere ſanctas
Raro more domos animantibus adſimulatis,
Accipite, & paucis tentabo exponere cauſas.
Quos agat huc ſancti Felicis gloria cætus,
Obſcurum nulli: ſed turba frequentior hic eſt
Ruſticitas non caſſa fide, neque docta legendi.
Hæc adſueta diu ſacris ſeruire profanis,
Ventre Deo, tandem conuertitur aduena Chriſto.

Quid decretum fuerit de cultu ſanctorum & imaginum.

Li. 9. Epi. 9.

Dum

Dum sanctorum opera in Christo miratur aperta
Cernite quam multi coeant ex omnibus agris.
Quamque pie rudibus decepti mentibus errent,
Longinquas liquere domos, sprevere pruinas,
Non gelidi feruente fide: & nunc ecce frequentes
Per totam & vigiles extendunt gaudia noctem
Laetitia somnos, tenebras funalibus arcent

Item in eodem

Propterea visum nobis opus vtile totis
Felicis domibus pictura ludere sancta,
Si forte attonitas haec per spectacula mentes
Agrestum caperet fucata coloribus vmbra.

Idem

Dum fallit pictura famem, sanctasque legenti
Historias castorum operum subrepit honestas
Exemplis inducta piis, potatur hiantes
Sobrietas, nimis subeunt oblivia vini.
Dumque diem ducunt spatio maiore tuentes:
Pocula rarescunt, quia per miracula tracto
Tempore iam pauca superant epulantibus horae

Sãctus Gregorius Nyssenus Episcopus inter caetera vbi de Abraham sermonem instituit, *Vidi*, inquit, *imaginem passionis & non sine lacrymis visionē praeterii opera ad sacrā deducens historiam*. His ergo ammoniti exēplis credimus sanctas picturas, vt Paulum loquar verbis, ad honorem Dei formare non esse cuipiam Christiano culpam, sed *Verba haeretici.* magis religionis indicium. Verba Epistolae. *Cum enim dissimile dicatur non faciendam similitudinem omnium quae in caelo sunt aut quę in terra, vel quae sub terra: nō de solis similitudinibus alienorū deorū intelligitur dictū; sed & de caelestibus creaturis aut quę in honore creatoris humanus sensus potuit excogitare*. Enucleatius ista debuerat exprimere & exponere veracius Similitudines n. quae non ad diuinum: sed ad alienum, hoc est non ad creatorem, sicut in epistola deprauatum est: sed ad creaturae fiunt honorem: haberi interdicuntur. Proinde sciens Dominus populum dure esse ceruicis, & ad idola pronum colenda, citoq; esse praeuaricaturū, & simulachrum à se colendum conflaturum prohibuit eos aliquam similitudinem eorum quae sunt in caelo aut in terra, vel in aquis habere, ne eo relicto & suo honore omisso illa pro se adorarent & colerent. Caeterū vbi ad suum pertinere vidit honorem, non solum non vetauit, verum etiam sanctas iussit fieri similitudines. Hinc *Exod. 25. 18.* legitur in libro Exodi. *Duos quoque Cherubim aureos & productiles facies ex vtraque parte oraculi. Cherub. vnus sit in latere vno, & alter in altero. Vtrūq; latus propitiatorii tegant, expandentes alas & operientes oraculū, respiciantque se mutuo versis vultibus in propitiatoriū quo operiēda est arca, in qua pones testamentū quod dabo tibi, inde praecipiam & loquar ad te supra propitiatorio, scilicet à medio duorum Cherubim qui erūt super arcā testimonii. Itē in sequentibus eius libris de eorum factura scriptū est. Duos etiā fecit, Cherubim ex auro ductili, quos posuit ex vtraque parte propitiatorii Cherub vnū in summitate vnius, Cherub alterum in sūmitate partis alterius Duos Cherubim in singulis sūmitatibus propitiatorii. Extendētes alas & tegētes propitiatoriū, seq; mutuo & illuc respectātes.* Itē in lib. Numerorum *Orauitque Moyses pro populo & locutus est dominus ad eū. Fac serpentē & pone eū pro signo, qui percussus aspexerit eum, viuet. fecit ergo Moyses serpentem aeneum & posuit pro signo quē percussi aspicientes sanabantur.*

Ex hoc ergo reprehendendi non sunt qui sanctas habent picturas diuinas, per eas recolentes historias, ad laudem & honorem Dei. Magis ille valinoquus est arguendus qui falsa innocentibus imputat crimina, qui mirum in modum, vt quidam lethargicus, cuncta penè verba suae epistolae sibimet contraria, inter se inuicem repugnantia posuit. Dixit enim neminem debere aliud quippiam adorare, aut colere praeter solum Deum, & quia nullum certum sensum, proprium horum intellexit verborum, idcirco multipliciter illa tractauit dicens, adorare est laudare, venerari, rogare, precari, supplicare, inuocare, precem effundere: colere vero est gubernare, obseruare, officium facere, frequentari, vene-

A rari, amare, diligere. Ergo si excutientes persequamur & reprehendamus cuncta quae in hac expositione excutienda ac reprehendenda sunt, nimis prolongabitur ista nostra responsio. Ob hanc ergo causam & alteram quia hominibus artis Grāmaticae & expertis patēt, illis inuestiganda reliquimus, hoc tantum notandum est quod interpretationes quas posuit, plurimis, & diuersis pertinent rebus: & quaedam ex eis nullo modo Deo conueniunt contra auctoris propositum, & intentionem. Item in heretici sequitur volumine. *Quia si sanctorū imagines hi qui daemonum cultum reliquerunt venerātur, nō idola reliquerunt sed nomina mutauerunt, si enim scribas in pariete, vel pingas imagines Petri & Pauli, Iouis, & Saturni, siue Mercurii, nec isti dii sūt, nec illi Apostoli, nec isti, nec illi homines: Ac per* B *hoc nomē mutatur, error tamen & tunc & nunc idem ipse permanet semper*: & quae plenius habentur in exordio huius scripti libelli. Taliter autem Eunomius & Vigilātius haeretici, eorūq; sectatores solent Catholicos blasphemare, vocantes eos idololatras & mortuorū hominū cultores: sicut & pagani extiterunt, eo quod reliquias martyrum pro Christo patientium venerantur. Quibus nos è contra respondemus, quia neque sanctorum imagines in parietibus pictas, neque eorum corpora in sepulchris condita sicut Deum adoramus: neque eis sacrificia ponimus, quod est adeo abominabile, sicut scriptum est, *Ex. 22. 20.* *Sacrificans Diis eradicabitur nisi Domino soli*. sed tantū eos quorum effigies vel corpora sunt, in Deo veneramur, & per eorum intercessiones diuinum nobis postulamus adesse subsidium. Vnde Augustin. in lib. 8. de ciuitate Dei. *Vt videlicet qui hęc legūt animaduertant auerso atq; peruerso putent à paganis cultos fuisse Deos in templis, à nobis autē colis mor-* C *tuos in sepulchris*: idē post pauca: *Nēpe spiritus fallax cuius instinctu Hermes ista dicebat, Per eū ipsum coactus est cōfiteri iam tunc illam terram sepulchrorū & mortuorū quos pro Diis colebant fuisse plenissimā, sed dolor daemonum per eū loquebatur quia suas futuras poenas apud sanctorum martyrū memorias imminere merebant, in multis n. talibus locis torquentur & cōfitentur & de possessis hominū corporibus eiiciuntur: Nec tamē nos eisdē martyribus templa, sacerdotia, sacra & sacrificia cōstituimus, quoniā non ipsi, sed Deus eorū nobis est Deus, honoramus sane memorias eorū tanquā sanctorum hominum Dei qui vsque ad mortem corporum suorum pro veritate certarunt. Vt innotesceret vera religio falsis fictisque conuictis. Quis autē audiuit aliquando fidelium stantem sacerdotem ad altare, & iā super sanctum corpus martyris ad Dei honorē cultūq; constitu-* D *ctū dicere in precibus: offero tibi sacrificiū Petre vel Paule vel Cypriane, cū apud eorū memorias offeratur Deo qui eos & homines & martyres fecit & sāctis Angelis caelesti honore sociauit. Vt ea celebritate & Deo vero de illorum victoriis gratias agamus & nos ad imitationē talium coronarū atq; palmarū eodē inuocato in auxilium ex illorum memoria renouatione adhortemur. Quaecūq; igitur adhibētur religiosorū obsequia in martyrum locis, ornamenta sunt memoriarū, nō sacra vel sacrificia mortuorū tanquā deorū* Vnde Hieron. ad Ripatium presbyterum scribens contra Vigilantium. *Acceptis primū litteris tuis non respondere superbia est, respōdere temeritatis. De his n. rebus interrogas quas & proferre, & audire sacrilegiū est. ait Vigilantiū qui κατ᾽ ἀντίφρασιν hoc vocatur nomine (nam Dormitantius rectius diceretur,) os faetidū rursus aperire & pu-* E *torē spurcissimum cōtra sanctorū martyrum proferre reliquias & nos qui eas suscepim⁹ appellare cinerarios & idololatras, qui mortuorū ossa hominum veneramur: ò infelicē hominē & omni lacrymarū fonte plangendum: qui haec dicēs nō se intelligit esse Samaritanum & Iudaeū, qui corpora mortuorū pro immundis habent & etiā vasa quae in eadem domo fuerint, pollui suspicātur: sequentes occidentem litterā, & non spiritū viuificantem. Nos autem non dico martyrū reliquias, sed ne solem quidem & lunam, non Angelos non Archangelos, non seraphim, non Cherubim & omne nomen quod nominatur & in praesenti seculo & in futuro colimus & adoramus, ne seruiamus creaturae potius quā creatori qui est benedict⁹ in saecula. Honoram⁹ autem reliquias martyrū vt eū cuius sūt martyres adoremus. Honoramus seruos, vt vel honor seruorū redūdet ad dominū: qui ait: Qui vos*

ſuſcipit me ſuſcipit. Item Hieronymus cõtra eundem Vigilãtium. *Quis enim ô inſanũ caput, aliquando martyres adorauit? quis hominem putauit Deum Nonne Paulus & Barnabas cũ à Licaonib⁹ Iupiter & Mercurius putarẽtur, vt iis vellent hoſtias immolare, ſciderunt veſtimẽta ſua, & ſe homines eſſe dixerũt? Non quo meliores non eſſent olim mortuis hominibus Ioue atq; Mercurio, ſed quo ſub gentilitatis errore honor eiſdẽ, Deo debitus deferretur: quod & de Petro legimus qui Corneliũ ſe adorare cupientẽ manu ſubleuauit, & dixit, ſurge, nã & ego homo ſum.* Itã verba epiſt. *Certe ſi adorandi fuiſſent homines, viui potius quã mortui adorãdi eſſe debuerũt. Id eſt vbi ſimilitudinẽ Dei habet, non vbi pecorũ, vel quod verius eſt lapidũ lignorum vita, ſenſu & ratione carẽtium. O profundam, rabidam inſanamq; ſtultitiã & dementiſſimam ebrietatem vaniſſimamque præſumptionem, corpora beatorũ Chriſti Apoſtolorum ac ſanctorum martyrũ, cadaueribus pecorum, lignis la-* B *pidibuſque ea æquare & comparare per quæ diuinæ verba prædicationis quaſi per ſacra organa mundo intonuerunt, in quibus vſque ad glorioſiſſimã martyrij mortem & palmas triũphales contra diabolum eiuſque partem pro Chriſto totis dimicauerũt viribus, vnde viuæ hoſtiæ & placidiſſima acceptabiliſſimaq; Deo ſacrificia eſſe meruerũt.* Hinc ſanctus Auguſt. 10. li de ciuit. Dei.

Li10.c.6. *Vnde ipſe homo Dei nomine conſecratus, in quãtum mundo moritur vt Deo viuat, ſacrificiũ eſt. Nã & hoc ad miſericordiam pertinet quã quiſque in ſe ipsũ facit, propterea ſcriptum eſt, Miſerere animæ tuæ placẽs Deo corpus etiam noſtrum cum tẽperantia caſtigamus, ſi hoc quemadmodum debemus propter Deum facimus, vt non exhibeamus mẽbra noſtra arma iniquitatis peccato, ſed arma iuſtitiæ Deo ſacrificium eſt, ad quod* C *exhortans Apoſtolus ait, Obſecro itaq; vos fratres per miſerationẽ Dei, vt exhibeatis corpora veſtra hoſtiam viuam ſanctã Deo placentẽ, rationale obſequium noſtrum. Si ergo corpus quod inferiore tanquã famulo, vel tanquã inſtrumẽto vtitur; anima cum eius bonus & rectus vſus ad dominum refertur ſacrificiũ eſt, quanto magis anima ipſa cum ſe refert ad Deum qui amoris eius accenſa formã concupiſcentiæ ſecularis amittat, eique tanquã incõmutabili formæ ſubdita reformetur, hinc ei placẽs quod ex eius pulchritudine acceperit ſit ſacrificiũ, quod idẽ Apoſtolus conſequenter adiungens: Et nolite. ait, cõformari huic ſeculo, ſed reformamini in nouitate mentis veſtræ ad probãdũ vos quæ ſit voluntas Dei quod bonum & beneplacitum & perfectũ.* Nã ſi ita viles deſpectæq; ſunt reliquiæ martyrũ habendæ, vt in nullo à cadauerib⁹ & oſſibus brutorũ diſtẽt D animalium, Chriſtiani imperatores, & omnes Epiſcopi, cunctiq; Eccleſiarum populi, tam ſtulte & ſacrilege conuincentur egiſſe, quantum eas aliquãdo cum maiori ambitione reuerentioriq; dignitate tranſtuliſſe, atque honoraſſe videãtur: Hinc ſanctus Hieron. contra Vigilantiũ. *Ergo ſacrilegus fuit Conſtantinus Imperator, qui ſanctas reliquias Andreæ Lucæ, & Thimothei tranſtulit Conſtãtinopolim apud quas dæmones rugiunt & habitatores Vigilantii illorum ſe ſentire præſentiam confitentur: ſacrilegus dicendus & nunc Auguſt⁹ Arcadius, qui oſſa beati Samuelis longo poſt tempore de Iudæa tranſtulit Thraciã. Omnes Epiſcopi non ſolũ ſacrilegi ſed fatui iudicandi, qui rem viliſſimã & cineres diſſolutos in ſerico & vaſe aureo portauerunt: ſtulti omnium Eccleſiarum populi qui occurrerunt ſanctis reliquiis, & tanta lætitia quaſi præſentem, viuentemq; cernerent ſuſceperũt, vt de Paleſtina* E *vſque Chalcedonem iũgerentur populorũ examina, & in Chriſti laudes vna voce reſonarent:* Nempe ſuperna comitãte gratia, diuinaque manu quotidie operante in illo itinere quibuſcunque locis ipſa ſancta onera deponebantur vel reſidebãt, vel manebãt, ſigna & miracula cæleſtium coruſcabant virtutum, in quibus omnib⁹ poſt hac baſilicę oratoriaque ſunt conſtructa quæ eadem ſanitatũ gratia vſq; hodie iugiter nobilitata & decoroſiſſime exornata: quin etiam plurimi comitantum ſancti & fideles viri epiſcopi & Abbates cæterique religioſi ſeniores poſtulauerant particulas de ſanctis ſibi tribui corporibus, vt vnuſquiſq; ſibi ea chariſſima pretioſiſſimaq; pignora accipiẽs quaſi ſui mercedem officii pretiumque laboris, ad ſuam priuatam referret domum: quod & impetratum eſt, & ſic deinceps euenit vt de minutiſſimis guttis ingẽtes ſpi- A ritalis gratiæ fontes, maximaq; vitæ manarant flumina.

Vnde Paulinus in XI. ait carmine.

Nam Conſtantinus proprii dum conderet vrbem
Nominis, & primus Romano in nomine regnum
Chriſticolam gereret, diuinum mente recepit
Conſilium, vt quoniam Romanæ mœnibus vrbis
Æmula magnificis ſtruerent tunc mœnia ceptis,
His quoque Romuleam ſequerentur dotibus vrbem:
Vt ſua apoſtolicis muniret mœnia latus
Corporibus, tunc Andræam deuexit Achiuis,
Timotheumque Aſia: geminis ita turribus extat
Conſtantinopolis magnæ caput æmula Romæ
Verius hoc ſimilis Romanis culmine muris
Quod Petrum Paulumque pari Deus ambitione
Compenſauit, ei meruit quia ſumere Pauli
B *Diſcipulum, cum fratre Petri, iam quanta per iſtam*
Sanctorum per longa viam diuortia terræ
Creuerit vtilitas ad noſtræ munia vitæ,
Ipſa docent hodieque loca in quibus ille beati
Rhada capax oneris poſita ſtatione reſedit
Omnibus in ſpatiis quæcunque aut manſio ſanctis
Corporibus, requieſque fuit vectantibus illos,
Sacratos cineres miris clamantia ſignis.
Nam diuina manus medica virtute per omnes
Eſt illic operata vias qua corpora ſancta
Impreſſere ſacro veſtigia viua meatu.
Inde igitur ſuadente fide data copia fidis
Tunc comitum ſtudiis, quædam vt ſibi pignora vellent
C *Oſſibus è ſanctis meruit decerpere fructum:*
Vt quaſi mercedem officii pretiumque laboris
Præſidia ad priuata domum ſibi quiſque referret,
Ex illo ſacri cineres quaſi ſemina vitæ
Diuerſis ſunt ſparſa locis quæcunque eſſe minuto
De modica ſatri ſtirpe corporis exiguus ros
Decidit ingentes illic pia gratia fontes
Et fluuios vitæ generauit gutta fauillæ.

Sancto etiam Ambroſio Mediolanẽſi Epiſcopo & omnibus qui præſentes aderant Catholicis, nõ tã publica exultatio, tãq; celebris foret gloriatio pro oſſibus boũ, ouium, aſinorum, porcorum, cæterorumque animalium repertis: quantum de reliquiis ſanctorum Geruaſij, & Protaſii Domino reuelante inuentis extiterit: cũ vtraq; D Claudius aſſerat eſſe æqualia. Vnde idem Ambr. in libro quem de hac re ad ſuam ſcripſit ſororem. *Inuenimus miræ magnitudinis viros duos, vt priſca ætas ferebat, oſſa omnia integra, ſanguinis plurimum, ingens concurſus populi per totũ illud biduum: quid multa? condiuimus, integra ad ordinẽ trãſtulimus veſpere iam incumbente ad Baſilicã Fauſtæ ibi vigiliæ tota nocte & manus impoſitio, ſequẽti die trãſtulimus ea in baſilicam quam appellant Ambroſianã, dum transferremus, cæcus ſanatus eſt: talis mihi ad populũ fuit ſermo: Cum tã effuſã tamque inauditam conſiderarem conuentus veſtri celebritatẽ, & diuinæ gratiæ munera in ſeciis martyrib⁹ refulſerint, ſim parẽ me fateor huic muneri iudicabã, nec fieri poſſe vt ſermone abſoluerem, quod vix poſſem animo intendere.* Itẽ poſt pauca. *Sed veniamus ad reliqua. Dies, ait, diei eructat verbum. Ecce veri dies quos nulla caligo noctis interpolat. Ecce veri dies ple-* E *ni luminis & fulgoris æterni qui nõ perfunctorio ſermone verbũ Dei, ſed intimo corde tractarũt, in confeſſione cõſtãtes, in martyrio perſeuerãtes. Alius pſalm⁹ lectus eſt dicẽs, quis ſicut dominus Deus noſter qui in altis habitat, & humilia reſpicit in cælo & in terra: reſpexit ſane humilia Deus noſter, qui latẽtes ſub ignobili ceſpite reliquias ſanctorũ omniũ ſuæ Eccleſiæ reuelauit, quorũ anima in cælo, corpus in terra, ſuſcitat à terra hũc inopẽ & de ſtercore hũc erigens pauperem quos videtis vt eos cũ principib⁹ populi ſui cõlocaret: principes populi quos alios niſi ſanctos martyres æſtimare debemus, quorũ iam in numerũ diu ante ignorati Protaſius Geruaſiuſq; referũtur, qui ſterilem martyribus Eccleſiam Mediolaẽſem iam plurimorũ matrem filiorũ lætari paſſionis propriæ fecerunt & titulis & exẽplis. Nec hoc abhorret à vero: dies diei eructat verbũ, anima animæ, vita vitæ, reſurrectio reſurrectionem & nox nocti indicat ſcientiã. Hoc eſt caro carni quorum paſſio, veram fidei ſcientiã omnibus iudicauit,*

indicantes, bonæ noctes, noctes lucidæ quæ habent stellas: sicut n. stella, ab stella differt in claritate ita & resurrectio mortuorũ. Non immerito autem plerique hanc martyrum resurrectionem appellant, videro tamen verũ sibi, nobis certè martyres resurrexerũt, cognouistis immo vidistis ipsi multos à dæmoniis purgatos, & plurimos etiam vbi vestem sanctorum manibus contigerunt, his quibus laborabant debilitatibus absolutos, reparata vetusti tẽporis miracula, quo se per aduentum Domini Iesu gratia terris maior infuderat umbra quadã sanctorũ corporũ plerosque sanctos cernitis quanta oraria iactantur, quanta indumenta super reliquias sacratissimas & tactu ipso medicabilia reposcantur, gaudent omnes extrema linea contingere & qui contigerit saluus erit. Gratias tibi Dñe Iesu quod hoc tẽpore tales nobis sanctorũ martyrũ spiritus excitasti, quo Ecclesia tua præsidia maiora desiderat. Cognoscãt omnes quales ego propugnatores requirã, qui propugnare possint, impugnare non soleãt, hos ego acquisiui tibi plebs sancta qui prosint omnibus, noceãt nemini, tales ego ambio defensores, tales milites habeo, hoc est nõ sæculi milites, sed milites Christi. Nullã de talibus inuidiã timeo, quorũ quo maiora eo tutiora patrocinia sint horũ etiã illis ipsis qui mihi eos inuident opto præsidia: veniãt ergo & videant stipatores meos, talibus me armis ambiri nõ nego, Hi in curribus, & hi in equis: nos autem in nomine Domini Dei nostri magnificabimur. Erant autem clausi nostri oculi quandiu obruta sanctorum corpora delitescebant. Aperuit oculos nostros Dominus vidimus auxilia quibus sumus sæpe defensi: non videbamus hæc, sed habebamus tamen ita trepidantibus nobis quasi dixerit dominus, aspicite quãtos vobis martyres dederim, ita reseratis oculis gloriã domini speculamur quæ est in martyrum passione præteritæ operatione præsentis. Euasimus, fratres, non mediocre pudoris sarcinam. Patronos habebamus, nesciebamus, inuenimus vnum hoc quod videamur præstare maioribus, sanctorũ martyrũ cognitione quã illi amiserunt, nos adepti sumus. Eruuntur nobiles reliquiæ ac sepulchro ignobili, ostenduntur cælo trophæa: sãguine tumulus madet, apparent cruoris triũphales notæ, inuiolatæ reliquiæ loco suo & ordine repertæ auulsum vmeris caput perdiderat ciuitas suos martyres quæ rapuit alienos, & si hoc Dei munus est, tamen gratiã quam temporibus sacerdotii mei Dominus Iesus tribuit, negare non possũus quia ipse martyr esse nõ mereor. Hos vobis martyres adquisiui, succedant victimæ triũphales in locũ vbi Christus est hostia. Sed ille super altare qui pro omnibus passus est: isti sub altari qui illius redempti sunt passione. Hũc ego locum prædestinaueram mihi. Dignũ est n. vt ibi requiescat sacerdos vbi offerre consueuit, sed cedo sacris victimis dexteram portionem. Locus iste martyribus debebatur: condamus ergo reliquias sacrosanctas dignis sedibus inuehamus, totumque diem fida deuotione celebremus. De hac etiã re in Mediolanensi vrbe gesta sanctus August. cõmemorat in li. 22. de ciuit. Dei. *Miraculũ quod Mediolani factũ est, cũ illic essemus quãdo illuminatus est cæcus ad multorũ notitiã potuit peruenire quia & grandis est ciuitas, & ibi erat tũc imperator, & immẽso populo teste, res gesta est, cõcurrẽte ad corpora martyrum Protasii & Geruasii, quæ cum laterent & penitus nescirentur, Episcopo Ambrosio per somniũ reuelata reperta sunt. Vbi senex ille depulsis veteribus tenebris diẽ vidit.* Itẽ eiusdẽ secũda pro positio de cruce domini, Cuius veneratores falcæ religionis atq; superstitionis cultores exprobrat olido cæcoloq; euclans hiatu garriensq; nil sanctæ crucis cuiusli-bet honoris vel dignitatis inesse nisi tantũ modo opprobriũ passionis & irrisionẽ mortis. Et quasi ad hoc firmandum adiunxit exẽplum de Apostolo, *Et si nouerimus secundum carnẽ Christum, sed iã nunc non nouimus*, incongrue ecedentè & inconuenienter velut illa qui non intelligit abutẽs scriptura, vel si intelligit de industria velit eã deprauare. Apostolus quippe, vt ait August. in li. contra Faustũ. suo more vitam nouam futuram quæ iam in ipso homine mediatore Christo Iesu capite nostro resurgete cõpleta est, ita spe certa meditatur tãquã iam sit præsens quæ tenatur, quæ vtiq; vita non erit secundũ carnẽ, sicut iam Christi vita non est secundum carnem, carnẽ namq; hoc loco non ipsam corporis nostri substantiam quã & dominus etiam post resurrectionẽ suam carnem appellat dicens, *Palpate & videte quia spiritus ossa & carnem no habet*

A *sicut me videtis habere*, sed corruptionem mortalitatẽmq; carnis vult intelligi, quæ tunc non erat in nobis, sicut iã in Christo non est. Hanc. n. propriè carnem nominabat, etiam cum de ipsa resurrectione satis euidenter loqueretur & diceret, *Caro & sanguis regnum Dei possidere non possunt, neque corruptio incorruptionem possidebit.* Noueramus ergo Christum secundum carnem, id est, secundum carnis mortalitatem antequam resurgeret: sed nunc iam nõ nouimus, quia sicut dicit idem Apostolus, *Christus resurgens à mortuis iam non moritur, & mors ei vltra non dominabitur.* Nam si ita Apostolus, sicut ei iste falsidicus calũniatur, male, sicut solent hæretici eius interpretando sermonem, nihil dignitatis alicuiusve virtutis esse in cruce Christi arbitratur, nisi tantum modo opprobrium passio-

B nis & irrisionem mortis: & si ob hoc non vult eam à quopiã honorari vel etiam sciri, aut memorari, cur è diuerso in alio loco dicit. *Mihi autẽ absit gloriari nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est & ego mundo.* Hieronymus, *Solus potest in cruce Christi gloriari qui tollit etiam & sequitur Saluatorem qui crucifixit carnem suam cum vitiis & concupiscentiis, qui mortuus est mundo, & nõ contemplatur ea quæ videntur, sed quæ non videntur, vidẽs mundum crucifixum & transeuntem figuram eius, cui mundus mortuus est, venit que ei mundi consummatio, & dignus effectus nouo cælo & noua terra & nouo testamento, canit canticũ nouum, & accipit nomen nouum scriptum in calculo quod nemo nouit nisi qui acceperit.* Sciendum est autem quod omnis gloriatio Apostoli in cruce sit, & quicquid dignum in virtutibus perpetratur hoc fieri ob domini passio-

C nem. Noluit enim dominus suam crucem vel passionem à suis nesciri aut abscondi fidelibus quasi propter contumeliam & ignominiam suæ mortis eam vellet esse velatam. Nam si ita foret consequenter etiam sui discipuli pro eo pati vel mori erubescerent, sed magis è contrario suam quotidie in Ecclesia passionem commemorari & celebrari præcepit. Vnde Apostolus ait. *Ego enim accepi à domino quod & tradidi vobis. Quoniã Dominus Iesus in qua nocte tradebatur accepit panẽ & gratias agens fregit & dixit hoc est corpus meum quod pro vobis tradetur, hoc facite in meã cõmemorationẽ: Similiter & calicẽ postquam cœnauit dicens, hic calix nouum testamentum est in meo sanguine, hoc facite quotiescunque bibetis in meam cõmemorationẽ: quotiescũque. n. manducabitis panem hunc & calicem bibetis mortẽ Domini adnunciabitis donec veniat.* Proinde etiam sancti in

D aduersis & afflictionibus in hoc sæculo pro domino toleratis, audent atque gloriantur: vnde apostolus in Epistola 2. ad Corint. *Libenter igitur gloriabor in infirmitatibus meis vt inhabitet in me virtus Christi, propter quod placeo mihi in infirmitatibus, in cõtumeliis, in necessitatibus in persecutionibus in angustiis pro Christo: cũ. n. infirmor, tunc potẽs sũ.* Idẽ in epistola ad Philippenses. *Scire autẽ vos volo fratres quia quæ circa me sunt magis ad profectũ venerunt Euangelii, ita vt vincula mea manifesta fierent in Christo in omni prætorio & in cæteris omnibus.* Idẽ ad Timotheũ *Noli itaq; erubescere testimonium Domini nostri, neque me vinctum eius, sed collabora Euangelio secũdũ virtutẽ Dei qui nos liberauit & vocauit vocatione sua sancta.* Item in actibus Apostolorum, *Illi quidem ibant gaudentes à conspectu concilii, quoniã digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati. Verbũ enim crucis,* vt ait Apostolus, *pereuntibus quidem stultitia est: his autem*

E *qui salui fiũt, id est nobis, virtus Dei est.* Et post pauca *Quoniam Iudæi signa petunt & Græci sapientiam quærunt: nos autẽ prædicamus Christum crucifixũ, Iudæis quidem scãdalũ, gentibus autẽ stultitiã, ipsis autem vocatis Iudæis atq; Græcis Christum Dei virtutem & Dei sapientiam.* Ideo post pauca: *Et ego cum venissem ad vos fratres veni non per sublimitatẽ sermonis aut sapientiæ annuntiãs vobis testimonium Christi. Non enim iudicaui me scire aliquid inter vos nisi Iesum Christum & hunc crucifixum.* Apostoli ergo & omnes homines humiles & fideles eorum doctrinam sectantes crucem Christi vt potè eius signum triumphale per quod diabolum vicit & mundum redemit, diligunt, honorant, laudant, concelebrant & in ea gloriantur. Hæretici vero impũ

superbi & increduli dedignantur eius humanitatem audire aut aliquem virtutem in ea esse credere, quos plangit Apostolus dicens. *Multi enim ambulant, quos sepe dicebam vobis, nunc autē & flēs dico, inimicos crucis Christi quorum finis est interitus, quorũ Deus venter est & gloria in confusione ipsorum.* Inde August. ait in expositione euangelii secundum Ioannē *Ibat ergo ad locum vbi fuerat crucifigendus portans crucem suã, grande spectaculum, sed si spectet impietas, grande ludibriũ. Si pietas grande mysteriũ: si spectet impietas grande ignominiæ documentũ si pietas grande fidei munimentum Si spectet impietas, ridet regē pro virga regni lignũ sui portare supplicii Si pietas videt regem baiulantē dignum semetipsum figendum quod fixurus fuerat etiã in frontibus regum in eo spernendus oculis impiorum in quo erant gloriatura corda sanctorum.* Dicturo enim Paulo. *Mihi autē absit gloriari nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi*, ipsã crucē suã suo gestant humero commendabat, & lucernæ arsuræ quæ sub modio ponenda nouerat candelabrum ferebat: Claudius igitur dum nullam liberalium didicerit disciplinarum rationem litterarum significationes proprietatesque ignorans, verborum genera generibus, numeros numeris, casus casibus iungere rationabili nescit constructione & sic maximos vt fama est audet tractatus conficere quos sui proprii laboris & industriæ esse mentitur, cum illos glosario opere ex aliorum voluminis tranferando, immo dissidando ac deprauando excerpit, quosque illorum expositionibus sanctorum, è quibus eos euellere, furareque præsumit, miserrima atque vanissima præferre latione, neque præter illos, alios permittit, libros in sua legi ciuitate, auctoritatem sui nominis frontibus inscribens singulorum hoc modo. *Incipit cõmentariũ aut tractatus vel expositio Claudii Taurinensis Episcopi.* De antiquis autē sanctæ magistris ac doctoribus Ecclesiæ alios, quos vult iudiciario adsumpto gestamine laudat & recipit, alios blaphemat & vituperat cum nullius tamen eorum fide & doctrina concordat. Augustinũ adsumit à cuius subtilitate ingenii Christianique sensus rectitudine longissime distat. Alios quidem præter eum solum pene omnes abiicit vnum vocãs magnum mentionarium, alium compilatorem, alium rusticum, brutum, insensibilem, nihilque boni scientem, quos tamen vniuersos vno secum tempore vnoque esse pariter loco solet exoptare, scilicet vt omnibus facillime celerrimeque ab eo superatis eius excellētia sapientiæ cuneus apparere atque clarescere posset. Hieronymum maxime præ cæteris exprobrat, eique nimiũ detrahit, qui si eodem æuo fuissent acerrimum se infestissimumque inimicum fore promittit. Propter nullam, vt arbitror, aliam causam, nihil quia cognouit quod ille contra suum vicinum suæque auctorem insaniæ Vigilantium hæreticum scripserit, caputque eiusdem strenuè sicut alios tales ferire solebat claua Catholicæ doctrinæ contuderit. Hic ergo accusator fratrum ignorans horum vsurpationes verborũ, hoc est adoro, & colo, & quia nõ nisi ad Deũ solum modo ea existimat, pertinere, nimium blasphemat Christianos non intelligens secundũ Apostolum neque quæ legitur, neq; de quibus adfirmat. Hoc enim modo scriptum in sua continetur epistola. Contra quod respõdendum est, *quia si omne lignum schemate crucis factum volunt adorare pro eo quod Christus in cruce pependit & alia multa illis conuenit quæ Christus egit per carnem.* Ille ergo cuius hæc oppositio & argumentatio talis est ostēdit se huius salutiferi ligni virtutē penitus ignorare, per quod vita humano est generi restituta, quod gustando de vetiti letifero ligni fructu perierat vnde Fortunatus ait.

Pange lingua gloriosi prælium certaminis,
Et super crucis tropheo dic triumphum nobilem
Qualiter redemptor orbis immolatus vicerit
De parentis protoplasti fraude factor condolens,
Quando pomi noxialis morte morsu corruit,
Ipse lignum tunc notauit damna ligni vt solueret,
Hoc opus nostræ salutis ordo depoposcerat
Multiformis proditores ars vt artem falleret
Et medelam ferret inde hostis vnde læserat, &c.

Idem in altero carmine.

Virtus celsa crucis totum recte occupat orbem,
Hec quoniam mundi perdita cuncta refert
Quoque ferus referit serpens infecit felle veneni
Christi sanguis in hac dulce liquore lauat
Quæque lupi fuerant raptoris præda ferocis,
In cruce restituit virginis agnus ouis.
Tensus in his ramis cum plantis brachia pendens
Ecclesiam stabilit pendulus ipse cruce,
Hoc prius in ligno reparans deperdita pridem
Quod vetiti ligni poma tulere boni

Huius autem iam dictæ causa imperitiæ ille pro idololatria reputat crucem Domini à quoquam adorari vel coli, sicut nec sunt adorandæ puellæ quælibet, innuptæ, præsepia, veteres panni, naues, asini, agni, leones, petræ, spinæ ruborum, arundines, lanceæ, quia, his omnibus pro tempore vsus est Christus. Quasi præ illis nullum dominicæ cruci adhibendum esset priuilegium, sicut superius demonstrauimus. Cuius veneratores grauiter turpiterque corripiens castigat & increpat his verbis, *Redite præuaricatores ad cor, qui recestis à veritate & diligitis vanitatē, & estis vani facti, qui rursũ crucifigitis filiũ Dei, & ostētui habetis, & per hoc cateruatim animas miserorũ socias factas dæmonũ habetis, alienãdo eas per nefanda sacrilegia simulacrorũ à creatore suo habetis eas deiectas & proiectas in damnationē perpetuã.* Nulli ergo dubiũ est quin spiritus fallax malignusque per os huius insani calumniatoris eructat & inspirat ad ingerenda atque exprobranda fidelibus infidelium crimina, præuaricatores eos apostatasque à veritate & amatores vanitatis appellando, diuinam autem crucem nefandum, ac sacrilegum simulacrum cunctam præteriti excedens temporis blasphemiam nominat. Ex quo euidētissimè peruersissimus Catholicæ dissipator atque euersor fidei esse conuincitur. Nos autem è diuerso quibus has tam multas & tam probrosas infert calũnias, contra falsa ipsius testimonia, diuina opitulante gratia toto corde credimus, & ore confitemur humiliati animo & corporis habitu substrati, quod Deus solus sit adorandus, & colendus prout dominum & creatorem omnium à sua decet adorari creatura & coli, dum in eum solum credimus, & speramus, eique quotidie sacrificamus, Creaturam etiam Dei sanctam & bonam, hoc est Angelũ sanctum vel hominem sanctum, aut sanctam crucem pro diuersitate dignitatum adoramus & colimus, hoc est humiliter honoramus diligimus, & amplectimur propter Deum & in Deo longè dispari modo, quam illum colimus & adoramus: hoc autem calumniatur nesciens, sciréque renuens rabit, & indignando sæuiendoque furit ac bacchatur. Audiens in Ecclesia sæpius cantari, *Crucem tuam adoramus, domine, & sanctam resurrectionem tuã laudamus & glorificamus*, & reliqua. Si enim hæc verba creaturis iungi non cõuenient iam, legerentur in lib. Geneseos de Loth. *Veneruntq; duo angeli Sodomã vespere, sedēte Loth in foribus ciuitatis, qui cũ vidisset surrexit & iuit obuiam eis & adorauit pronus in terram.* Item in eodem, *surrexit Abraham & adorauit populũ terræ filios videlicet Heth.* Idem in eodē de Iacob. *Et ipse progrediens adorauit pronus in terram septies donec adpropinquaret frater eius.* Idem post pauca. *Accessit quoque Lia cũ liberis suis & cũ similiter adorassent extremi Ioseph & Rachel adorauerunt.* Item in eodem. *Dixitque ad eos*, hoc est Ioseph ad fratres suos. *Audite sõmnium meum quod vidi, putabã ligare nos manipulos in agro & quasi consurgere manipulum meum & stare, vestrosq; manipulos circunstantes adorare manipulum meum.* Idem in eodem *Cũque adorassēt eũ fratres sui, & agnouisset eos, quasi ad alienos durius loquebatur.* Itē in eodē. *Igitur ingressus est Ioseph domũ suã obtuleruntq; ei munera tenentes in manibus & adorauerunt proni in terram.* Itē post pauca, *Qui respõderũt sospes est seruus tuus, pater noster adhuc viuit, & incuruati adorauerunt eũ.* Idem in libro Iosue. *Cũ autem esset Iosue in agro vrbis Iericho leuauit oculos, & vidit virum stantē contra se & euaginatum tenentē gladiũ, perrexitq; ad eum & ait, noster es*

an aduersariorū? qui respondit nequaquam, sed sum Princeps exercitus Domini & nunc venio: cecidit Iosue pronus in terrā & adorās ait quid Dominus meus loquitur ad seruū suum? & reliqua item in libro Psalmorum, & adorate scabellum pedum eius quia sanctū est, vnde Hieronymus tractat, quid est hoc scabellum pedū Iesu quoniā sanctū est? legimus in alio loco, Cælum mihi thronus est, terra autē scabellum pedū meorum, & nunc dicitur adorate scabellum pedū eius. Si terra scabellū pedū Iesu, dicitur autē adorate scabellū pedum eius, Ergo terra adorāda est, quomodo legimus in Apostolo quia excepto creatore creaturā adorare non debemus? Adorare in scripturis dupliciter dicitur, dicitur enim adoratio quasi in Deū, & dicitur adorare quasi honorare. quando dicimus adorare Dominū proprié adoratio in Deū ponitur. Quando autē in homine dicitur verbi causa, adorauit Sara Abrahā & adorauit Helias Achab non quasi Deū, sed hic adoratio quasi salutatio ponitur: Ergo nūc videamus hoc quod dicit & adorate scabellū pedū eius, secūdū quem modum dicit sicut Deū adoramus scabellum pedum Dei aut adoramus & salutamus quasi hominem. Legimus, & in lamētationibus Hieremiæ, legimus & in alio Propheta, quomodo ait, sanctificauit Dominus scabellum pedum suorū, & ibi scabellum pedū eius Hierosolyma dicitur, siue templum. Igitur secundū historiā legimus & in alio loco, & adorate scabellū pedū eius. Si pedes nō stāt nisi in scabello, ergo hoc dicitur, & adorauimus vbi steterūt pedes eius, de scabello dicitur. Ergo secūdū litterā possumus hoc dicere: verbi causa vbi natus est, vbi crucifixus est, vbi resurrexit. Caeterū scabellū pedum Iesu anima credētis est. Felix est ille in cuius pectore pedes quotidie ponūtur Iesu. Vtinā & in medio pectore ponātur pedes eius, vtinā vestigia eius semper hæreant in corde meo: vtinam & ego dicam cum sponsa, tenebo eum, & non dimittam. Sponsus cito offenditur, semper mūditias amat, vbicūque sordes viderit cito recedit. Et adorate scabellū pedū eius quoniā sanctum est. non omne scabellum pedum eius, sed quodcūq; sanctū est quod in sanctitate perseuerat, verbi causa, adorate scabellū pedū eius Petrum & Paulū & ceteros Apostolos adorate, hoc est honorate, sanctū est, illos adorare qui in sanctitate perseuerās, cæterū qui scabellum fuerunt, & non sunt sancti, illos ne adoretis, verbi causa Iudas proditor scabellum Dei fuit, sed quoniā non est sanctus, non eum adoretis. Secundū aūtē vnū supradicti verbi intellectum qui ad hominem pertinet in libro Regum scriptū est. videntes autem filii prophetarum qui erant in Ierichó è contra dixerūt, requieuit spiritus Eliæ super Eliseū & venientes in occursum eius adorauerunt eū proni in terrā. Itē in actibus Apostolorū. Et factum est cum introisset Petrus obuius ei Cornelius procidens adorauit. Petrus vero leuauit eū dicens, surge & ego ipse homo sū, quod Beda exponit dicés, gestu candoris demōstrat Cornelius quid intus in corde deuotionis habuerit: obuiā n. suo doctori venit auditor, qui mundo pectore & intentus sedulus aure atque inhiāti desiderio verbū fidei suscipit. nam qui tarde ad credendū pertrahitur, quasi à doctore iacēs erigitur. Sed qui de suæ vitæ maculis erubescēs procidendo in faciē humilitatis pariter, & pudoris indicia præfert iure à suo preceptore meretur erigi Petrus vero, inquit, & reliqua, communionem quippe æqualitatis meruit sanctitas actionis. Itē in Apocal. Et dixit mihi, vide ne feceris, conseruus. n. tuus sum & fratrum tuorū habentiū testimonium Iesu. De hoc sanctus Greg. tractat dicēs. Quia. n. cæli Rex terram nostræ carnis adsumpsit infirmitatē nostram illa iam angelica celsitudo non despicit. ad pacem nostram angeli redeunt, intentionem prioris discordiæ postponunt, & quos infirmos prius abiectosq; despexerant, iam socios venerantur. Hinc est. n. quod Loth. vel Iosue. angelos adorant, nec tamen adorare prohibētur Ioannes vero in Apocalypsi adorare angelum voluit, sed tamē idem hunc angelus ne se debeat adorare cōpescit, dicēs vide ne feceris conseruus tuus sum & fratrum tuorum. Quid est quod ante redēptoris aduentū angeli ab hominibus adorātur & tacēt, postmodū vero adorari refugiūt, nisi quod naturam nostrā quā prius despexerūt, postquā hanc super se assūptā conspiciunt, substratā sibi videre pertimescūt. Nec iā sub se velut infirmā cōtemnere ausi sunt: quam super se videlicet in cæli rege venerātur. Nec habere dedignantur hominē sociū qui super se adorant hominē Deum Neq. n. B. Ioannes Apostolus & Euange-

A lista Christi dilectissim⁹, spiritalibus sibi à Deo reuelatis visionibus alienari à Deo voluit, & honorem ipsi soli debitum, alteri incongrue deferendo, sacrilegium committere, & contrarius Deo fieri qui se tāto exaltauit honore. Nec etiam angelus tanquā diuinus sibi ab apostolo coltus esset allatus, ita recusauit, sed tantummodo per humilitatem illam, vt prædictū est, humanæ naturæ substātiam quam à Deo in vnitatem personæ cognouit adsūptam, sibi noluit venerando se videre substratā & inclinatā. Licet vt solet multiplex esse sensus scripturæ, ab aliis aliter doctoribus hæc intelligi cognouim⁹. Hoc modo similiter in cæteris sanctorū libris auctorū plurima de hac ratione exempla reperiuntur: Paulinus in 9. lib. quem de virtutibus S. Felicis metrico textu composuit.

B *Ecce sacerdotibus reditum satiatus adoro*
Suscipiens humili mox ante in pectore Christum
Et licet à veteri tumulis absconditus aeuo
Quę mortalis erat, latuit telluris operto,
Viua tamen vegetante Deo membrisque superstes
Gratia diuinum sperantis martyris ossa
Clarificat populis merito viuente sepulti,
Et magni solium breue confessoris adorat
Iugiter è variis congesta frequentia terris Item

Item Prudentius in libro qui prætitulatur apotheosis
Nec responsa refert lybicis in Syrtibus Hammon.
Ipsa suis Christum capitolia Romula mærent
Principibus lucere Deum, destructaque templa
Imperio cecidisse, ducum iam purpura supplex
Sternitur Æneadæ rectoris ad atria Christi,
C *Vexillumque crucis summus adorat*

Idem ad Valerianum Episc. de passione sancti Hypoliti;
Mane salutatum concurritur. omnis adorat
Pubes, eunt, redeunt solis ad vsque obitum.

Alterum autem verbum quod est colo Priscianus qui propter nobilissimi claritatem ingenii lumen Romanæ facundiæ meruit vocitari, triplicem sensum habere demonstrat ita dicendo. *Colo quoq; pro diligo & habito & aro accipitur.* Hinc Aug. in 1. de ciuit. Dei *Latriam quippe nostri vbicumq; sanctarum scripturarum positum est, interpretati sūt seruitutem. Sed ea seruitus quæ debetur hominibus secūdū quam præcipit Apostolus dominis suis subditos esse debere, alio nomine Græce nūcupari solet. Latria vero secūdū cōsuetudinē qua locuti sunt qui nobis diuina eloquia cōdiderūt, aut sēper erit tanquam frequēter, vt pene sēper ea dicitur quæ pertinet ad colēdum Deum.* D Proinde si tantū modo cultus ipse dicatur, non soli Deo deberi videtur, dicimur. n. colere egregios homines, quos honorifica vel recordatione, vel præsentia frequentamus, nec solum ea quibus nos religiosa humilitate subiicimus, sed quædam etiam quæ subiecta sunt nobis perhibentur coli. Nam ex hoc verbo & agricolæ & coloni & incolæ vocantur, & ipsos Deos nō ob aliud appellant cælicolas, nisi quod cælum colant, nō vtique venerādo, sed inhabitando tanquā cæli quosdam colonos, non sicut appellantur coloni qui ditionem debē. genitali solo propter agriculturam sub dominio possessorum, sed sicut ait quidam Latini eloquii magnus auctor, *Vrbs antiqua fuit Tyrii tenuere coloni*, ab incolendo. n. colonos vocauit non ab agricultura, hinc & ciuitates à maioribus ciuitatibus velut populorū examinibus conditæ coloniæ nūcupantur. Virg. 1. Æneid. E Ac per hoc cultum quidē non deberi nisi Deo, propria quadā ratione verbi huius, omnino verissimum est, sed quia & aliarū rerū dicitur cultus, ideo Latinè vno verbo significari cultus Deo debitus non potest, loco vero clarius est quod hoc verbum nō solùm ad creatorem, verùm etiā ad creaturas refertur, sed dissimili, vt superius diximus, ratione, aliter enim colitur Deus, aliter angelus, vel homo, aliter terra pro varietate frugum & arborum quæ in ea condendo, arando, seminando, plantando, irrigando, putando, multiplici & laboriosa exercentur cura. Aliter in S. Ecclesia dominica crux, officia, & festa Christi, & sanctorū eius à Christianis colūtur & celebrantur. In tantū ista trita & omnibus pene nota sunt, vt exēplis manifestari vel approbari parum

egeant. Sed tamen pauca confirmationis & experientiæ causa maioris, sunt subiicienda. De nomini cruce colenda Sedulius in 4. lib. Paschalis ait.

Pax crucis ipse fuit, violentaque robora membris
Illustrans propriis, penam vestiuit honore
Suppliciumque dedit signum magis esse salutis
Ipseque sanctificans in se tormenta beauit.
Neue quis ignoret speciem crucis esse colendam,
Qua dominum portauit ouans, ratione potenti:
Quatuor inde plagas quadrati colligit orbis,
Splendidus auctoris de vertice fulget Eous,
Occiduo sacra lambuntur sidere planta:
Arcton dextra tenet, medium lęua erigit axem,
Cunctaque de membris viuit natura creantis
Et cruce complexum Christus regit vndique mundum.

Item de sancta Ecclesia colenda Paulinus in X.

Nata recens opera hacque molibus vndique celsis.
Cernitis emicuisse pari splendentia cultu,

Item post pauca

Æmula consertis iungunt fastigia signis
Et paribus varia speciosa cultibus extant.

Idem de eadem re in epistola ad Seuerum de Cruce. *Itaque prōpto filii imperatoris adsensu mater Augusta patefactis ad opera sancta thesauris, toto abusa fisco est quantoque sumptu atque cultu regina poterat, & religio suadebat adificatis basilicis contexit omnes, & excoluit.* De sanctis colendis Prudentius in passione Apostolorum.

Ecce duas fidei summo patre conferente dotes
Vrbs colendas quas dedit togata.

Item de eius. col.

Germine nobilis Eulalia,
Mortis & indole nobilior,
Emeritam Sacra virgo suam
Cuius ab vbere progenita est
Ossibus ornat, amore colit.

Item Fortunatus ad Clerum Parisiacum.

Cætus honorifici decus & gradus ordinis ampli
Quos colo corde, fide religione patres
Iamdudum oblitis desueto carmine plectri
Cogitis antiquam me renouare lyram.

Item de cultu Ecclesiæ, de festis sanctorum colendis.

Quæ placidiua sacras ornauit culmina velis
Certantesque simul hic facit, illa colit.

De festis sanctorum colendis Prudentius de natali sancti martyris Hypoliti commemorans ait.

Si bene commemini colit hunc pulcherrima Roma,
Idibus Augusti mensis vt ipsa vocat.

Et alia multa quæ proferre longum est. Sicut ergo in his verbis errauit, vnde vt arbitror, suæ cœpit origo peruersitatis, ita iam in hoc nomine quod est Apostolicus licet minori periculo, simili tamen est deceptus imperitia. Iuxta etenim artis professionem Grammaticæ de eo tractare conatus antiquorum more Doctorum qui cum omnibus sapientiæ studiis eruditi forent, quādo in libris vel eorū expositionibus alicuius de illis causa, ratio ve reperiri contigisset, pleniter eā intimari atque enodare: ita & iste eorum imitator, aut etiam prælator huius nominis quod est Apostolicus, sensum rationemq; autēs exprimere, ac si illud ex integro & corrupto est cōpositū, quasi Apostoli custos. nō verè nec rationabiliter, sed præsumptuosē audacterque incognita adfirmans, & de incertis certa diffiniens, Apostolicus enim simplex nomen est & deriuatiuū à nomine quod est Apostolus addita ons, eius genitiuo & non habet illum sensum quem iste imperite excogitauit. Non enim dicitur Italicus Italiæ custos, Gallicus Gallię custos, Germanicus custos Germanię, sed hæc nomina ad sensum suorum pertineot originalium. De his autem non magnopere curamus. Nam si aliquis studiosius inquireret cuncta pene incōdite vitioseque deprehendisset esse dictata, ad ea igitur que magis necessaria sūt de quibus ante disseruimus renectamur. quomodo ergo nullam spem euadendi prosperandive potest habere ille, qui ineuitabili necessitate

A aliquod mare valde æstuosum & periculosum transire compellitur, non habens nauem qua portetur: ita & quicumq; peruersus & incredulus sit almæ fidem crucis tenere nolens & per hoc eius carens tutamine de mari huius sæculi ad portum supernæ patriæ peruenire non poterit. Hinc Augustinus in expositione Euangelij secundum Ioannem.

Sic est enim tanquam videat quisquam de longe patriam & mare interiacet, videt quo eat, sed non habet qua eat, vt ergo esset & qua iremus, venit inde ad quem ire volebamus, & quid fecit? instituit lignum, quo mare transeamus. Nemo enim potest transire mare huius sæculi nisi cruce Christi portatus. Hanc crucem aliquādo āplectitur & infirmus oculis, & qui nō videt longe quo B eat non ab illo excedat: & ipsa illum perducit ad patriā, vbi iā non opus erit, quia nullum mare transibitur. Melius est ergo non videre mente id quod est, & tamen à cruce Christi non recedere, quam videre illum mente & crucem Christi contemnere. Hoc ergo signum salutiferum in lege & prophetis longe ante præfiguratum est. Vnde legitur in Genesi de Abraham & Isaac filio suo. Tulit quoque ligna holocausti & imposuit super Isaac filium suum, fascis enim lignorum quem Isaac patre imponente ad locum à Deo iussum portauit, vt super eum immolaretur, crucem significat quā mysticus Isaac hoc est Christus Dei patris voluntate ad locum baiulauit Caluariæ. Hinc Paulinus in 9.

Hostia viua Deo tanquam puer offerret Isaac,
Et mea ligna gerens sequar almum sub cruce patrem.

C Item in Exodo. *Vocauit autē Moyses omnes seniores Israel & dixit ad eos, ite tollētes animal per familias vestras immolate phase fasciculūq; hyssopi tingite sanguine qui est in limine & aspergite ex eo superliminare & vtrūq, postem:* Vnde Augustinus in expositione Euangelii secundum Ioannem: *In sua ergo lingua, hoc est in Hebræa, pascha trāsitus dicitur: Propterea quia tunc primū pascha celebrauit populus Domini quādo Ægypto fugientes rubrū mare transierunt. Nunc ergo figura illa prophetica in veritate cōpleta est, cū sicut ouis ad immolādum ducitur Christus, cuius sanguine illitis postibus nostris. i. cuius signo crucis frontibus nostris à perditione huiꝰ sæculi tāquā à captiuitate vel interēptione Ægyptia liberamur, & agimꝰ saluberrimū transitum, cùm à diabolo transimus ad Christum: & ab isto instabili sæculo ad eius fundatissimū regnum.* Idem de hac re in libro 2. de doctrina Christiana. *Meminerit er-* D *ga eorum qui* pascha illo tēpore per vmbrarum imaginaria celebrabant, cum signati postes sanguine agni iuberentur, hyssopo fuisse signatos, herba hæc humilis, & mitis est, & nihil fortius & penetrabilius eius radicibus. Et in charitate radicati, & fundati possemus cōprehendere cū omnibus sanctis quæ sit latitudo, & longitudo, & altitudo, & profundum. i. crucem Domini. Et etiam in hyssopo vis purgatoria ne inflante scientia de diuitiis ab Ægypto ablatis superbe aliquid pulmo tumidus anhelet. Asperges me, inquit, hyssopo, & mundabor: lauabis me, & super niuem dealbabor. Auditui meo dabis exultationem, & lętitiam. Deinde consequenter annectit, vt ostendat purgationem à superbis significari hyssopo & exultabunt ossa humiliata. Aug. in li. de ciuit. Dei. *Quid dicam obuios hostes, transitumq; prohibentes atque prœliantes orante Moyse manibusq; eius in figura crucis extētis nullo Hebræorum cadente prostratos?* Item in 1l. Numerorū E *fecit ergo Moyses serpentem æneum, & posuit pro signo, quem percussi aspicientes sanabantur.* Aug. *Dictum est ad Moysen à Domino vt faceret æneum serpentem, & exaltaret in ligno in heremo & admoneret populū Christum, vt si quis morsus esset à serpēte, & illum serpētē exaltatū in ligno adtenderet: factū est mordebantur homines, intuebantur, sanabātur. Iterum modo fratres vt à peccato sanemur, Christū crucifixum intueamur, quia sicut Moyses, ait, exaltauit serpētē in heremo, sic exaltari oportet filium hominis, vt omnis qui credit in eū nō pereat, sed habeat vitā æternā* quomodo qui intuebātur illū serpentē non peribant morsibus serpentum: sic qui intuentur fide mortem Christi, sanantur à morsibus peccatorum: sed

illi

illi ſanabantur à morte ad vitam temporalem, hic autẽ ait vt habeant vitam æternam. Hoc enim intereſt inter figuratam imaginem & rem ipſam: figura præſtabat vitam temporalem, res ipſa cuius illa figura erat, præſtat vitam æternam. Item in libro Ioſue legitur de Raab meretrice quæ exploratores Iſraelitas ſuſcipiens percuſſæ quoddam coloris ſignum, hoc eſt funiculum coccineum cum tota ſua domo, à morte fuerat liberata, ſignificans Eccleſiam de gentibus multimodis idolorum cultibus violatam, ſigno poſt modum almæ Crucis ſanguine illito Christi ſaluatam. Iude Paulinus lib. 8.

Sola Raab meretrix caſtam quæ geſſit iniqua
Gente fidem, non freta ſuis euadere muris,
Sed pietate Dei meritum pietatis adepta eſt.

Item poſt pauca

Puniceo proprium ſignauit vellere tectum,
Excepit quo ſuam patriæ pereunte ſalutem,
Significans illos mundo labente tegendos
Quos crucis inuicta ſignat cruor. Hinc cape quantum
Ipſe cruor valeat cuius ſaluabat imago.

Item Eſaias.

Paruulus natus eſt nobis, filius datus eſt nobis, & factus eſt principatus eius ſuper humerum eius Hieronymus: *Licet ex eo quod ſupra dixerat Emmanuel, id eſt nobiſcum Dominum illũ eſſe monſtrauerat, tamen nunc dicit factum illius principatum ſuper humerum eius: velut quod crucem ſuam ipſe portauerit, vel per humerum oſtendens brachii fortitudinem, eodem Eſaia dicente: reuelauit Dominus Deus brachium ſanctũ ſuum omnibus gentibus.* Item Ambroſius in libro quem de ſancta edidit Trinitate. *Crux Domini eſt principium fortitudinis, qua vis ſanctis eſt reſerata martyrib⁹, ad ſacri certaminis paſſionem. Vidit hoc principiũ Eſaias & ideo ait, Paruulus natus eſt nobis filius datus eſt nobis: viderunt & magi, & ideo cum paruulũ in præſepio cernerent adorauerunt dicentes, paruulus natus eſt nobis: cum ſtellã conſpicerent prædicantes, filius datus eſt nobis. Aliud munus è terris, aliud munus è cælo & vtrumque vnum adorauerunt, iidemque munera obtulerunt, vt oſtenderent ipſum eſſe cæli Dominum, qui in præſepio videretur.* Item etiam in libro Ezechielis. *Et dixit Dominus ad eum: tranſi per mediam ciuitatem in medio Ieruſalem & ſigna thau ſuper frontes virorum gementium & dolentium, ſuper cunctis abominationibus quæ ſunt in medio eius.* Ezech. 9. 4

Quod Hieronymus exponit. *Extrema thau littera Crucis habet ſimilitudinem quæ in Chriſtianorum frontibus pingitur & frequenti manus inſcriptione ſignatur. Gementes igitur dolenteſque ſaluantur qui non ſolum malis non cõſentiunt operib⁹ ſed & aliena plangunt peccata: præcipiturq; ſex viris vt præter eos qui poſſint dicere, ſignatum eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine, cũctos interficiant nomini eorum parcentes qui abſq; Chriſti ſignaculo aliquid eſſe ſe credunt.* Quid ergo reſtat homini ſine naue ſalutiferæ crucis proceloſum huius ſeculi mare tranſeunti nihil vt eſt arbitrandum aliud niſi remaneat in mediis necatus fluctibus & cum terris Ægyptiis in profundum demergatur inferni. Et quid imminet, & cuius frons eodem non armatur neq; inſcribitur ſigno, nihil præter hoc vt ſecundum Prophetam cum præuaricatoribus Iſrael gladio diuinæ mactetur vltionis. Veri autem ac ſaluandi Iſraelitæ duodeno millium numero ex duodecim tribubus Iſrael electi, hoc eſt vniuerſi fideles & orthodoxi per totum orbem ſanctæ & Catholicæ matris Eccleſiæ filii recta fide & mundo corde Dominum intuentes, ſanamq; duodecim doctrinam obſeruantes Apoſtolorum, ab Angelis Domini, hoc glorioſiſſimo, & ſaluberrimo Dominicæ crucis ſigno ſuis inſcribuntur frontibus, & per hoc ſaluantur. Quos beatus Ioannes, vt in Apocalypſi legitur ante thronum & in conſpectu agni ſtetiſſe conſpexerat, hinc ait: *Et vidi alterum Angelum aſcendentem ab ortu ſolis habentem ſignum Dei viui, & clamauit voce magna ad quatuor Angelos quibus datum eſt nocere terræ & mari dicens. Nolite nocere terræ, neq; mari neque arboribus, quoadúſque ſignemus ſeruos Domini noſtri in frontibus eorum. Et audiuit numerum* Apoc. 7. 2.

ſignatorum 144. millia ſignati, ex omni tribu filiorum Iſrael. Dominus in carne natus qui magni conſilii Angelus eſt, paternæ ſcilicet voluntatis nuncius viſitauit nos oriens ex alto, vexillum crucis quo ſuorum frontes ſignaret adferens, & clamauit voce magna, & reliqua, Hoc eſt prædicatione ſublimi pœnitentiam agite; appropinquauit enim regnũ cælorũ, nolite nocere, & reliqua, quoadúſq; ſignemus ſeruos Domini noſtri in frontibus eorum. Ad hoc gentium confractum eſt imperium, vt ſigno fidei cui reſtiterant facies ſanctæ liberè notaremur: Nam & ipſa crucis figura dilatatum vbique Domini ſignificat regnum. Sicut vetus diſtichon probat. *Reſpice diſtinctis quadratũ partibus orbem. Et ſignum fidei cuncta tenere probes.* Neque enim fruſtra in fronte Pontificis nomen Domini tetragrammatò ſcribebatur, niſi quia hoc eſt ſignum vnicum ſimul & quadratum in fronte fidelium, de quo in Pſalmo pro torcularibus canitur: *Domine Dominus noſter quam admirabile eſt nomen tuũ in vniuerſa terra,* & cætera vſq; dum ait, vt deſtruas inimicum & defenſorem. Pſalm. 8. Sequitur, amicti ſtolis albis, & palmæ in manibus eorũ. ſtolis baptiſmum, palmis triumphum crucis inſinuat. Pro quo mirabili & ineffabili diuinæ crucis ſacramento orat Apoſtolus ſua ad Deum flectens genua, vt donetur fidelibus hoc intelligere, dicens in epiſtola ad Epheſios.

Huius rei gratia flecto genua mea ad patrem Domini noſtri Ieſu Chriſti, ex quo omnis paternitas in cælis & in terra nominatur, vt det vobis ſecundũ diuitias gloriæ ſuæ virtute corroborari per ſpiritum eius in interiore homine, habitare Chriſtũ per fidẽ in cordibus veſtris, in charitate radicati & fũdati, vt poſſitis comprehendere, cum omnibus ſanctis quæ ſit latitudo, & longitudo, & ſublimitas & profundũ, ſcire etiã ſupereminentem ſcientiæ charitatem Chriſti. Vt impleamini in omnem plenitudinem Domini. C. 3. 14. Vnde Auguſtinus in expoſitione Euangelii ſecundum Ioannem. *Quid enim de ipſa cruce dicturi ſum⁹ quæ certe ſimiliter ab inimicis atq; impiis Chriſto facta & impacta eſt?* Et tamen ea ſignificari rectè intelligitur quod ait Apoſtolus, quæ ſit latitudo, & longitudo, & altitudo, & profundum. Lata eſt quippe in tranſuerſo ligno quo extenduntur pendentes manus, & ſignificat opera bona in latitudine charitatis. Lõga eſt à trãſuerſo vſque ad terram, vbi dorſum pedeſq; figuntur, & ſignificat perſeuerantiam in longitudine temporis vſque in finem alta: eſt in cacumine quod per trãſuerſum lignum ſurſum verſus excedit, & ſignificat ſupernum finem, quo cuncta opera referuntur. Quoniam cuncta quæ latitudine ac longitudine bene ac perſeueranter fiunt, propter altitudinem diuinorum facienda ſunt præmiorum. Profunda eſt in ea parte qua in terra figitur, ibi quippe & occulta eſt, nec videri poteſt, ſed cuncta eius apparentia & eminentia inde conſurgunt, ſicut bona noſtra de profunditate gratiæ Dei, quæ comprehendi ac iudicari non poteſt, vniuerſa procedunt.

Item de eo quod ſupra in Apocalypſi: *Poſt hæc vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat, ex omnibus gentibus & tribubus, & populis, & linguis, ſtantes ante thronũ, & in conſpectu agni: amicti ſtolis albis, & palmæ in manibus eorum, & clamabãt voce magna dicentes, ſalus Deo noſtro, qui ſedet ſuper thronum & agno,* Apoc. 7. 13 cunctis & in frontibus & in manibus, hoc eſt in profeſſione & actione ſignatis. Ita enim Dominus, in ea forma in qua pro nobis pati dignatus eſt, creditur eſſe venturus ad iudicium, baiulans crucem ſuam omnibus obſcuratis fidelibus, ſolam mirabili & ineffabili fulgore coruſcantem, ſicut in Euangelio legitur: *Sol obſcurabitur, & luna non dabit lumen ſuum, & ſtellæ cadent de cælo & virtutes cælorum commouebuntur: & tunc apparebit ſignum filii hominis in cælo.* Matth. 24. 29.

Inde Ioannes in Euangelio. *Videbunt in quem tranſfixerunt.* Ioan. 19. 37. Ita inquã veniet, & numeroſiſſimis & glorioſiſſimis ſupernorum ciuium & omnium fidelium vallatus, agminibus, ſingulis eorum hoc triumphale vexillum in ſuis ferentibus humeris.

Hinc Ioannes Chryſoſtomus in homilia de cruce &

latrone. *Volo vt alias rationes cognoscas, crucem solam non reliquit in terra, sed secum eam leuauit ad cælum: sed aes hoc vnde demonstratur, & ideo audi quod cum ipsa veniet, cum ipsa secundam gloriam suam præsentabit. Ideo gloriosam crucem nuncupant.* Item post pauca. *Et tunc signum videbitur filii hominis in cælo. Vidisti gloriam signi, id est crucis, solis lumen redditur obscurũ, lunę non dabitur gratia, sed illud radiabit & lucebit, & sicut Imperatorem regalis pompa pręcedit & militaris ordo præeundo vexillo humeris portare consueuit & his eius declaratur aduentus, sic Domino de cælo veniente angelorum cœtus, & Archangelorum multitudo, illud signum humeris portant excelsis, & regalem nobis aduentum denuntians.* Hinc etiam Paulinus in IX. lib.

Qui cruce purpureâ pretiosi sanguinis ostro,
Arduus ascensu volucris penetrauit in alta

Item in XI. carmine de eadem re.

Alsa iisdem mihi Christus & is qui summa supremis
Finibus excelsi pariter complexus & imi,
[illegible] & inferna & pariter cælestia repsit
Ipsi altisque abis [illegible] in cælos penetrauit apertos
[illegible] referens superata morte salutem:
[illegible] illum patria iunxit victoria dextra,
Vexillumque crucis super omnia sidera fixit,
Corporeum statuit cælesti in sede trophæum.

Quid ergo erit facturus in illa die inimicus, & persecutor crucis Christi, quando in ea omnis exercitus Domini signatus & ornatus apparuerit, ille autem ipsam semper exosus & persecutus non merebitur cum cæteris consignari, propter hoc tamen non remanebit non signatus, duo enim signa erunt, quibus cuncti in illa die pro diuersitate meritorum signandi sunt. Vnum Christi, alterum diaboli. Vnum ad saluandum, alterum ad perdendum. Vnum ad defendendum, alterum ad decipiendum. Vnum ad dirigendum, alterum ad seducendum & deprauandum. Vnum ad glorificandum, & exaltandum, alterum ad condemnandum & in barathrum æternæ mortis pręcipitandum: & quicumque vno signo cum Christo & electis suis non fuerit consignatus, altero cum satana & eius satellitibus ipsius signo & charactere notatus, signabitur. Hinc legitur in apocalypsi. *Si quis*
C. 14. 9. *adorauerit bestiam & imaginem eius & acceperit characterem in fronte sua aut in manu sua & hic bibet de vino iræ Dei qui mixtus est mero in calice iræ ipsius, & cruciabitur igne & sulphure in conspectu Angelorum sanctorum, & ante conspectum agni & fumus tormentorum eorum ascendet in sæcula sæculorum.* Immanissimæ vero & miserrimæ vesaniæ est, certissimeq; perditionis indicium, hominẽ Christiano vocatum nomine, Episcopalemque locum occupantẽ: hoc tale signum despicere, asino vilique cuilibet adsimulare ligno, vt veluti adulando & indiscreto laudando Christi gratiam ob hoc mereatur suam blasphemans & contemnens crucem, quasi de eius laude & commemoratione ipsi esset ignominiosa: & contumeliosa erubescentia, sed qui hoc æstimat plus ei displicet, quem placet, & magis infert iniuriam quam honorem. Vnde Gregorius: *Sed infidelium mens graue in illo scandalum pertulit: cum eum & post tot miracula morientem vidit:* Vnde & Paulus dicit: *Non autem prædicamus Christum crucifixum, Iudæis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam.* Stultum quippe hominibus visum est, vt pro hominibus auctor vitę moreretur, & inde contra eum homo scandalum sumpsit, vnde etiam plus debet fieri vt honoraretur. Debuit enim tanto Dominus ab hominibus dignius honorandus esse, quanto pro hominibus & indigna susceperat. Quid est ergo dicere, beatus qui non fuerit scandalizatus in me: nisi aperta voce abiectionem mortis suæ humilitatemque figuare: Vnde Augustinus in expositione Euangelij secundum Ioannem. Oportebat enim vt contemneretur: nisi enim contemneretur non crucifigeretur, si non crucifigeretur non funderet & sanguinem quo pretio nos redemit. Vt autem daret pro nobis pretium, crucifixus est: vt eum affigeretur contemptus est, vt contemneretur, humilis apparuit Vnde

A Apostolus in Epistola ad Philippenses: *Humiliauit semetipsum factus obediens vsq; ad mortem, mortem autem crucis.* Vnde Augustinus in libro quæstion. 78. cap. crucifigi ergo se permisit, vt passio eius proficeret nobis, vt hinc cum signo, eius exeuntes à secunda morte minime teneremur. Metuit enim mors etiam seruos eius à quo victa est. Hoc triumphali vexillo inclyta bellatrix sobrietas, placidam virtutum cæterarum cedere, seque de acie mouentem substrahere reuocauit in prælium, & de hoste multorum deceptrice luxuria, facilem prosperamque obtinuit victoriam. Vnde Prudentius in libro qui Psychomachia titulatur figurate loquens ait

Ingemuit tam triste nefas fortissima virtus
Sobrietas, dextro socios decedere cornu,
Inuictamque manum quondam sine cæde perire
Vexillum sublime crucis, quod in agmine primo
B *Dux bona prætulerat defixa cuspide sistit*
Instauratque leuem dictis mordacibus alam,
Extimulans animos nunc probris, nunc prece mixta.

Item post pauca.

En ego sobrietas si conspirare paratis
Pando viam cunctis virtutibus, vt male suada
Luxuries multo stipata satellite pœnas
Cum legione sua Christo sub iudice perdat.
Sic effata crucem Domini ferentibus offert
Obuia quadriiugis lignum venerabile in ipsos
Intentans frenos: quod vt expauere feroces
Cornibus obpansis & summa fronte coruscum
Vertunt præcipitem cæca formidine fusi
Per prærupta fugam fertur resupina reductis
C *Nequicquam loris, auriga comamque madentem*
Puluere fœdatur, tunc & vertigo rotarum
Implicat, excusat Dominam, nam prona sub axem
Labitur & lacero tardat sufflamine currum.

De quo etiam gloriosissimo & sublimissimo venerandæ & colendæ crucis signo, simul cum reliquiis sanctorum reuerendissimis, Paulinus ad Seuerum scribens ait; Frater Victor inter alias operum tuorum & votorum narrationes, retulit nobis desiderare te ad basilicã quã modo apud Primoliacum nostrã maiorem priorem condideris, de sacris sanctorum reliquiis benedictionem, qua adornetur domestica tua Ecclesia, vt fide & gratia tua dignum est: testis est autem Dominus quod si vel scrupulum sacri cineris habuissemus, supra quam nobis
D ad basilicam quæ proxime in nomine Domini consummabitur, dedicandam, necessarium erit, misissemus vnanimitati tuæ. Sed quia nos non habuimus huius muneris copiam, & ille se spem eiusdem gratiæ copiosam habere dixit à sancta Silaia, quæ illi de multorum ex oriente martyrum reliquiis spopondisset inuenimus quod digne & ad basilicæ sanctificationem vobis & ad sanctorum cinerum cumulandam benedictionem mitteremus partem particulę de ligno diuinæ crucis, quod nobis bonum benedicta Melania ab Ierusalem munere sancti inde Episcopi Ioannis attulit. Accipite ergo magnum in modico munus & in segmento pene atomo astulæ breuis sumite munimentum pręsentis & pignus æternæ salutis. Non angustetur fides vestra carnalibus parua cernentibus, sed interna acie totam in hoc minimo
E vim crucis videat. Dum videre vos cogitatis lignũ quo salus nostra, quo Dominus maiestatis adfixus tremente mundo pependerit, exultetis cum tremore recordemur & petras scissas ad huius aspectum crucis, & saltim saxorum æmulatione præcordia nostra findamus timore diuino. Reputemus & velum templi eodem crucis mysterio scissum, & intelligamus illius veli scissuram eo fuisse prætentam, vt audientes vocem Domini, & mysterium pietatis immensæ, non obduremus corda nostra, sed à carnalibus diuidamur & scindamus infidelitatis velamen, vt reuelata cordis facie salutarium Domini munerum sacramenta videamus.

Non autem vobis & hoc scribimus, vt imitemini cõpositionem istam, qua tu bello eo teolo rem tantæ bene-

dictionis

dictionis inclusimus, magis enim nos tali paratu fidem A vestram imitati sumus, vt vestram vobis formulam mitteremus, in specie auri, quia scimus vos vt aurum ignitum, intra vos habere regnum Dei, hoc est fidem crucis qua regnum cælorum inuaditur. Idem post pauca. *Sed in historia crucis accipite magnum & vere diuinũ miraculum: Regina illa venerabilis, vt venit Hierosolymam, diligenter & pie loci illius & circa omnium diuinorum curiosa insignium, & oculis haurire gestiens fidem quam piis auribus litterisque perceperat, crucem Domini studiosissime inquirere adorsa est.* Item in sequentibus: *Sed cum tres pariter cruces, vt quondã fixa Domino & latronibus steterant, repertæ fuissent, gratulatio repertarum cœpit anxia dubitatione confundi, iusto piorum metu, ne forsitan aut pro cruce Domini patibulũ latronis eligerent, aut salutare lignum pro stipite latronis abijciendo violarent. Respexit pias fideliter æstuantiũ curas Domin⁹, & ipsi potissimum quæ tam piæ sollicitudinis princeps erat, huius consilii lumen infudit, vt aliquem recens mortuum quæri & E inferri iuberet: nec mora verbum factum, cadauer inlatum est, deponitur, iacenti vna de crucibus admouetur, sed eorum ligna mors spreuit, postremo Dominicam crucem prodit resurrectio, & ad salutaris ligni tactum morte profuga funus excussum, & corpus erectum est, tremefactisq; viuentibus stetit mortuus & funebribus vt Lazarus, quondã vinculis expeditus illico inter spectatores suos redi*(?)*uiuus incessit. Ergo crux Domini tot operta ætatibus & à Iudæis in tempore passionis abscondita: neq; gentibus inædificatione fani terram sine dubio ad ipsam fabricam egerentibus reuelata est. Nonne diuina manu latuit, vt nunc inueniretur, cũ religiosè quæreretur, ita vt ita vt crucem Christi decuit experimento resurrectionis inuenta & probata crux Christi D est, dignoq; mox ambitu consecratur condita in passionis loco basilica, quæ auratis corusca laquearibus & aureis diuite altaribus arcano repositam sacrario crucem seruat. Quam Episcopus vrbis eius quotannis cum Pascha Domini agitur adorandam populo princeps ipse venerantium promit; neq; præter hanc diẽ quæ crucis ipsius mysterium celebratur, ipsa quæ sacramentorum caussa est quasi quoddam sacræ solemnitatis insigne profertur. Nisi interdum religiosissimi postulent qui tantũ illo caussa peregrinationis aduenerint, vt sibi eius reuelatio quasi in pretiũ longinquæ peregrinationis deferatur, quod solo Episcopi beneficio obtineri ferunt, cuius & tantum munere de eadem cruce hæc minuta sacri ligni ad magnam fidei & benedictionis gratiam haberi datur.*

Quæ quidem crux in materia insensata vim viuam tenens, C *ita ex illo tempore innumeris pene quotidie hominum votis lignum suum commodat, vt detrimenta non sentiat, & quasi intacta permaneat, quotidie diuidua sumentibus, & semper tota venerantibus, sed ista imputribilem virtutem & indetribilem soliditatem, de illius profecto carnis sanguine bibit, quæ passa mortem non vidit corruptionem.*

Item Paulinus.

Hic titulus indicat deposita sub altari sancta sanctorum.

Hic pietas, hic alma fides, hic gloria Christi:
Hic est martyribus crux sociata suis.
Nam crucis è ligno magnum breuis astula pignus,
Totaque in exigua segmine vis crucis est.
Hoc Melani sancto delatum munere Nolam
Summum Hierosolyma venit ab vrbe bonum
Sancta Deo geminum velant altaria honorem
Cum cruce Apostolicos quæ sociant cineres
Quam bene iunguntur ligno crucis ossa piorum
Pro cruce vt occisis in cruce sit requies.

Item de signo Domini super ingressum picto hac specie qua versus indicat.

Cerne coronatam Domini super atria Christi
Stare crucem duro spondentem celsa labori
Præmia, tolle crucem qui vis auferre coronam.

Item dextra læuaq; crucibus minio superpictis hæc epigrammata sunt.

Ardua floriferæ crux cingitur orbe coronæ
Et Domini fuso tincta cruore rubet:
Quaque super signum residens cæleste columba

Simplicibus produnt regna patere Dei. Item
Hac cruce nos mundo & nobis interfice mundum
Interitu culpæ viuificans animam.
Nos quoque perficies placitas tibi Christe columbas
Si vigeat puris pax tua pectoribus.

Super medianum arcum hi versus sunt.

Vt medium valli pax nostra resoluit Iesus
Et cruce dissidium perimens duo fecit in vnum,
Sic noua destructo veteris discrimine tecti
Culmina conspicimus portarum fœdere iungi.
Sancta nitens famulis interluit atria lymphis
Cantharus intrantumq; manus lauat amne ministrũ
Plebs gemina Christum Felicis adorat in aula
Paulus Apostolico quam temperat ore sacerdos

Item in lib. 8 de virtute sanctæ crucis.

Nos crucis inuictæ signum & confessio munit,
Armatique Deo mentem non quærimus arma
Corporis, & quamquam membris videamur inermes E
Arma tamen gerimus quibus & sub pace serena
Contra incorporeos animis decernimus hostes.

Item in X.

Currimus ergo fide tantum & prece simplice nixi
Ad vicinam mei Felicis limina, & inde
Contiguam paribus votis accurrimus aulam,
Atque ab Apostolici cineris virtute medelam
Poscimus impositis subiectis altaribus ora:
Ipse domum remeans modicum sed grande saluti
De crucis æternæ sumptum mihi fragmine lignum
Promo, tenensque aduersis procul ingero flammis,
Vt clypeum retinens pro pectore quo tegerem me D
Arceremque hostem, conlato vmbone relisum
Creditione donate mihi, sed reddite Christo
Grates & iustas date laudes omnipotenti:
Nostra salus etenim in cruce Christi & nomine constat
*Inde fides nobis & in hoc cruce nixa pericl*o
Profuit & nostram cognouit flamma salutem.
Nec mea vox aut dextra illum, sed vis crucis ignem
Terruit in loco de quo surrexerat ipso
Vt circumscriptam præscripto limite flammam
Sidere, & extingui fremitu moriente coegit:
Et cinere exortam cineri remeare Procellam,
Quanto crucis virtus vt se natura relinquat?
Omnia ligna vorans ligno crucis vritur ignis
Multa manus crebris tunc illa incendia vasis, C
Aspergens largis cupiebat vincere lymphis.
Sed licet exhaustis pensarent fontibus imbres;
Vt maiore tamen lassis spargentibus omnem
Vicerat ignis aquam, nos ligno extinximus ignem:
Quamque aqua non poterat, vicit breuis astula flammã.

Idem in epistulis ad Seuerum de palliolis.

Interueniant orationes tuæ, vt animam meã multa corruptione discissam, & spinis meorum sensuum temere consertam, Dominicæ crucis acus inserto verbi salutaris filo sarciat. fidem enim verbum crucis Christi hanc arbitror acum qua vitæ nostræ habitus innouatur, mors nostra compungitur. Nusque ipsi Deo per interuentum ipsius mediatoris adsuimur. Idem in XI. carmine laude sanctæ crucis ipsum concludens.

Nunc ad te veneranda Dei crux verto loquelas B
Grantantesque tua concludam laude profatus.
O crux magna Dei pietas, crux gloria cæli:
Crux æterna salus hominum, crux terror iniquis,
Et virtus iustis, lumenque fidelibus ô crux,
Quæ terris in carne Deum seruire saluti,
Inque Deo cælis hominem regnare dedisti.
Per te lux patuit veri, nox impia fugit,
Tu destruxisti credentibus eruta fana
Gentibus humanæ concors in fibula pacis;
Concilians hominem medium per fœdera Christi.
Facta hominis gradus es, quo possit in æthera ferri,
Esto columna piis tu semper, & anchora nobis:
Vt bona nostra domus maneat, hinc classis agatur
In cruce fixa fidem, vel de cruce nacta coronam.

Et cætera quam plurima quæ de laudibus & præconiis virtutum huius diuini signi in scripturis copiosissime continentur, quæ quia percurrere longum & cuncta comprehendere impossibile est, in hoc interim finamus articulo: vt statim cum suffragio & interuentione gloriosi principis Apostolorum pro quo nunc decernere statuimus, ad tertiam veniamus quæstionem: de tribus enim præcipue causis ille impudens calumniator in sua disputauit epistola, hoc est primo de imaginibus confringendis, ac proiiciendis, secundo de cruce non honoranda amplius quam asinus quilibet, aut spinosa rubus. Nouissime & tertio loco, memorias sanctorum & specialiter Ecclesiam sancti Petri orandi causa prohibet adiri, dicens hunc laborem vanum esse & inutilem sine aliquo profectu, vocansque eos qui illum arripiunt cæcos, insipientes, & stultos. Adfirmat enim reliquias id est ossa hominum quamlibet sanctorum, ossibus pecorũ vel verius lignis, & lapidibus aliaue quapiam terra non esse reuerentiora. Cuius hæreseos Eunomius primus extitit auctor: Deinde vigilantius istius vicinus & affinis; de gente natus Conuenatum, quos per Pyrenæa iuga latrocinantes consul Pompeius edomita Hispania inde deposuit, & in vnum congregauit, vnde & conuenarum vrbs nomen accepit. Contra quam hæresim sanctus scripsit Hieronymus, orthodoxa eam sanctæ auctoritate scripturæ pleniter superauit & confudit, quod autem illi sanctorum omnium basilicas, maximeq; sancti Petri orandi causa visitari abhorret, dum eam numerosior populus quam alias appetit Ecclesias, propter excellentiam scilicet Apostolorum & innumerabilium martyrum ibidem requiescentium, inuidiæ vt arbitror & cupiditatis stimulis agitatus hoc facit, quod votiua illuc plurima confluunt donaria. Nam si ad Taurinensem Ecclesiam ita deferrentur, certe crediderim quod non minus isti consuetudini fauendo & eam laudando desudasset, quam nunc blasphemando & dehortando laborat, & non remissiori studio libros componeret, ad persuadendum omnibus, quo sanctorum Taurinensium reliquias colerent, eorumque se intercessionibus commendarent, quam modo contra Apostolos rebellando congerit, & peruersè obloquendo depromit. Idcirco hoc teterrimo infectus liuore prorumpit dicens: Hunc inde inoleuisse errorem quod imperitum hominum genus non intelligens domini verba quibus ait Petro. *Tu es petrus & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & tibi dabo claues regni cælorum, & reliqua.* [Matt. c. 16. 18.] Consuetudinem adsumpsit adire Romanam, quasi ibi plus quam alibi possit proficere cum Petrus nihil inde sciat nec valeat succurrere neque adiuuare. Et quia non dixerit Dominus Petro: *Quodcũque solueris in cælo erit solutum & in terra & quodcumque ligaueris in cælo erit ligatum super terrã*, ob hoc Petrus de terra migrans ad cælum, reliquit illud ministerium, quod ei quandiu in terra habitauerat concessum est, & aliis succedentibus est traditum. Sed ista excogitata opositio tota peruersa, tota est vana: Omnia enim in ea contraria insinuantur, scilicet vt scabellum pedum Dei iudicium iudicis sua esse sedes decuisset: & hominum terrigenarum propria habitatio cælum haberi. Vt ibi iudiciario vtentes iure ligent reos & soluant emendatos, & hoc dominus quasi in terra inferius subsidens asseuerando & perdonando confirmet.

Sed hæc ita esse non debere neq; conuenire omnibus recte sapientibus & intelligentibus patet. Ipsius ergo potius ad iuorum parium hanc esse potestatem soluendi ac ligandi intercedendique pro aliis quãdiu peregrinantur in hoc mortali corpore, pronunciat, & confirmat his verbis, ac per hoc sciendum est quod tandiu antistitibus Ecclesiæ istud ministerium concessum est, vsque dum ipsi peregrinantur in hoc mortali corpore. Cum vero debitum mortis reddiderint, alii succedunt loco ipsorum, qui eandem obtinent iudiciariam potestatem sicut scriptum est, *pro patribus tuis nati sunt tibi filii, constitues eos principes super omnem terram.* [Psal. 44. 17.] Quasi peregrini quique, miseri, abiectissimique pauperculi plus obtinere atque impetrare debuissent ab imperatore: quam sui gloriosissimi principes, & honoratissimi seniores, quia secundum istum calumniatorem Apostoli quasi longinqui ac detenti vt pote mortui, supplices suas appetentes memorias, scire vel audire, vel pro eis interuenire nequeunt: cum è contrario legitur in Euangelio. *Deus Abraham, Deus Isaac & Deus Iacob, non est Deus mortuorum sed viuorum* [Mar. 12. 27.] De quibus dicitur, *sequuntur agnum quocumque vadit.* Vnde Hieronymus. *Si agnus vbiq; Ergo & hi qui cum agno sunt vbique esse credendi sunt, & cum diabolus & dæmones toto vagentur orbe & celeritate nimia vbique præsentes sint, qui martyres post effusionem sãguinis sui, quadã custodia operiuntur, inclusi, & inde exire non poterunt?* [Apoc. 14. 4.] Hoc etiam in sua subiungit epistola dicens: *Audite & hoc insipientes in populo & stulti aliquando sapite, qui intercessionem Apostoli Romam pergendo quæritis.* Ac si iuxta sui magistri ac propinqui Vigilantii sensum, dum viuimus, vt ait Hieronymus, mutuo pro nobis orare possemus. Postquam autem mortui fuerimus, nullus sit pro alio exaudienda oratio. Præsertim cum martyres vltionem sui sanguinis obsecrantes impetrare non quiuerint, si Apostoli & martyres adhuc in corpore constituti possunt orare pro cæteris, quando de se adhuc debent esse solliciti, quanto magis post coronas, victorias & triumphos? Vnus homo Moyses sexcentis millibus armatorum impetrat à Deo veniam, & Stephanus imitator Domini sui, & primus martyr in Christo pro persequutoribus veniam deprecatur, & postquam cum Christo esse cœperint, minus valebunt? Paulus Apostolus ducẽtas septuaginta sex sibi dicit in naui animas condonatas, & postquam resolutus cœperit cum Christo, tunc ora clausurus est & pro his qui in toto orbe ad suum Euangelium crediderunt, mutire non poterit. Sancto autẽ Augustino lasciue blanditur, & adolatur, singulari eum præferens laude, quasi suæ fautorem vecordiæ, & cum sit omnium artium inscius liberaliũ, nititur procacissime ipsius dialectica per seipsum sine vllo vti magisterio, & ad quæ adfirmare maluerit ipsam imprudentissima detorquere. Sicut per hoc eiusdem exemplum quod prauo sensu ex libro de Trinitate 8. arripuit, memorias sanctorum non esse orationis studio appetendas, eorumq; reliquias despectui atque odio esse habendas voluit adstruere, dicens: *Audite & hoc insipientes in populo, & stulti aliquando sapite qui intercessionem Apostoli Romam pergendo quæritis, quid contra vos dicat idem sæpe dictus beatissimus Augustinus: in libro enim de Trinitate 8. inter cetera sic dixit. Redi ergo mecum & consideremus cur diligamus Apostolum: nunquid nam propter humanam speciem quam notissimam habemus eo quod credimus eum hominem fuisse. Non vtiq, alioquin nũc non est quem diligamus, quando quidem homo ille iam non est; (Anima enim eius à corpore separata est) sed id quod in illo amamus etiam nunc viuere credimus.* Cum ille non intellexerit quo sensu Augustinus dixerit Apostolum non propter humanam speciem, neque ob hoc quod homo aliquando fuerit esse diligendum. Nemo enim aut propter pulchritudinem, aut propter carnalis affectum cognationis, voluntati suæ appetitum, vel aliam quamlibet causam hominem debet diligere, nisi tantum modo propter Deum in quo, & ob quem totus homo qui ex duabus substantiis anima & corpore constat, est diligendus eo modo, & mensura, qua vtramque conuenit diligere. Vnde idẽ Augustinus in libro de doctrina Christiana primo. *sed quæritur vtrum propter se homo ab homine diligendus sit, an propter aliud. si enim propter se, fruimur eo, si propter aliud, vtimur eo. Videtur autem mihi propter aliud diligendus, quod enim propter se diligẽdum est, in eo constituitur beata vita. Cuius etiam si nondum res, tamen spes eius nos hoc tempore consolatur maledictus autem qui spem suam ponit in homine. sed nec se ipso quisque frui debet, si liquide aduertas, quia nec se ipsum debet propter se ipsum diligere, sed propter illũ quo fruẽdum est. Tunc est quippe optimus homo, cum tota vita sua pergit in incõmutabilem vitam, & toto affectu inhæret illi. Si ergo te ipsum*

te ipsum non propter te debes diligere, sed propter illum vbi dilectionis tuæ rectissimus finis est, non succenseat alius homo, si etiã ipsum propter Deũ diligis, hæc enim regula dilectionis diuinitus constituta est; Diliges, inquit, proximũ tuum tanquam te ipsum, Deum vero ex toto corde & ex tota anima & ex tota mente, vt omnes cogitationes tuas & omnem vitam & omnẽ intellectum in illum conferas à quo habes ea ipsa quæ confers. Quisquis ergo rectè diligit proximũ, hoc cum eo debet agere, vt etiam ipse toto corde, tota anima, tota mente diligat Deũ. Sic enim eum diligens tanquã se ipsum, totam dilectionem sui & illius refert in illam dilectionẽ Dei, quæ nullum à se riuulum duci extra patitur, cuius deriuatione minuatur. Non autẽ omnia quibus vtendum est, diligenda sunt, sed ea sola quæ aut nobiscum societate quadam referuntur in Deum, sicuti est corpus Nam vtiq; martyres nõ dilexerunt scelus persequentium se, quo tamen vsi sunt ad promerendum Deum. Idem in eodem lib. 1. *Cum ergo quatuor sint diligenda: vnum quod supra nos est, alterũ quod nos sumus, tertium quod iuxta nos est; quartũ quod infra nos est; De secundo & quarto nulla præcepta dederunt, quantumlibet enim homo excedat à veritate, remanet illi dilectio sui & dilectio corporis sui.* Et post pauca. *Nemo ergo se odit, & hinc quidẽ nulla cum aliqua secta quæstio fuit, sed neque corpus suum quisquam odit, verũ est enim quod ait Apostolus; Nemo vnquam carnem suam odio habuit, & quod nonnulli dicunt, malle se esse sine corpore, omnino falluntur. Non enim corpus suum, sed corruptiones eius & pondus oderunt. Non itaq; nullum corpus, sed incorruptũ & celerrimum corpus volunt habere. Sed putant nullum corpus esse si tale fuerit, quia tale aliquid esse animam putant. Quod autẽ continentia quadam & laboribus persequi videntur corpora sua qui hoc rectè faciunt, nõ id agunt, vt non habeant corpus: sed vt habeant subiugatum & paratum ad opera necessaria. Libidines enim male vtentes corpore, id est cõsuetudines inclinationes animæ ad fruendũ inferioribus per ipsum corporis laboriosam quandã militiam extinguere affectant. Nam non se interimunt, & curã suæ valetudinis gerunt, qui autem peruerse id agunt, quasi naturaliter inimico suo corpori bellum inferunt, in quo fallit eos quod legunt.* Caro concupiscit aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem: Hæc enim inuicem aduersantur. *Dictum est enim hoc propter indomitã carnalem consuetudinẽ, aduersus quam spiritus concupiscit, nõ vt interimat corpus, sed vt concupiscentia eius, id est consuetudine mala edomita, faciat spiritui subiugatũ, quod naturalis ordo desiderat; quia enim hoc erit post resurrectionem, vt corpus omnimodo cum quiete summa spiritui subditum immortaliter vigeat; Hoc etiam in hac vita meditãdũ est, vt cõsuetudo carnalis mutetur in melius, nec inordinatis motibus resistat spiritui, quod donec fiat, caro concupiscit aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem. Non per odium resistente spiritu, sed per principatum, quia magis quod diligit vult subditum esse meliori, nec per odium resistente carne, sed per consuetudinis vinculum, quod à parentũ etiam propagine inueteratum naturæ lege inoleuit. Id ergo agit spiritus in domanda carne, vt soluat malæ consuetudinis quasi pacta peruersa, & fiat pax cõsuetudinis bonæ. Et infra.* Diliges, inquit, dominũ Deum *tuum ex toto corde tuo & ex tota anima tua & ex tota mẽte tua, & diliges proximum tuum tanquam te ipsum; In his duobus præceptis tota lex pẽdet & omnes Prophetæ? Finis itaq; præcepti est dilectio. & ea gemina, id est Dei & proximi. Quod si te totum intelligas, id est animũ & corpus, & proximum, id est, animam & corpus eius, (homo enim ex anima cõstat & corpore) nullum rerũ diligendarum genus in his duobus præceptis prætermissum est. Cum enim præcurrat dilectio Dei, eiusque dilectionis modus præscriptus appareat; ita vt cætera in illum confluant de dilectione tua nihil dictum videtur. Sed cum dictũ est, diliges proximum tuum tanquã te ipsum, simul & tui abs te dilectio non prætermissa est. Ille autem iuste & sanctè viuit qui rerum integer æstimator est. Ipse est autem qui ordinatã habet dilectionem. Ne aut non diligat quod diligendũ est, aut amplius diligat quod minus diligendũ est, aut æque diligat quod vel minus vel amplius diligendũ est, aut minus vel amplius quod æque diligendũ est. Omnis peccator, in quantũ peccator est, non est diligẽdus: Et omnis homo in quãtum homo est, diligendus est propter Deũ; Deus vero propter se ipsũ. Et si Deus omni homine amplius diligendus est, amplius quisq; Deum debet diligere quam se ipsum.*

Bibl. Patr. tom. 4. p. 2.

A *Itẽ amplius alius homo diligendus est quã corpus nostrum, quia propter Deũ omnia ista diligenda sunt, & potest nobiscũ alius homo Deo perfrui quod non potest corpus, quia corpus per animã viuit qua fruimur Deo, omnes autem æque diligendi sunt. Sed cum omnibus prodesse non possis, his potissimum consulendum est; qui pro locorum & temporum, vel quarumlibet rerum opportunitatibus constrictius tibi quasi quadam sorte iunguntur.* Et post alia. *Omnium autem qui nobiscum frui possunt Deo, aliquos diligimus quos ipsi adiuuamus, partim eos à quibus adiuuamur, partim quorum & indigemus adiutorio, & indigentiæ subuenimus, partim quibus nec ipsi conferimus aliquid commodi, nec ab eis vt nobis conferatur attendimus. Velle tamen debemus vt omnes nobiscum diligant Deum, & totum quod eos vel adiuuamus, vel adiuuamur ab eis, ad vnum illum finem referendum est.* Si autem Augustinus sanctorum memorias, B orationis causa non esse censuisset appetendas, ob hoc videlicet quod nulla ibidẽ copiosius vel præsentius eorum meritis à Deo suffragia supplicantibus præstarentur, mirum viderot cur tantus & talis auctor tam doctus & verax in ceteris suis libris omnia sibimet cõtraria docere & confirmare non erubuerit, dicit enim in lib. *de* cura pro mortuis gerenda, ad Paulinum Episcopũ *Alij sunt humanarum limites rerum, alij diuinarum signa virtutũ. Alia sunt quæ naturaliter, alia quæ mirabiliter fiunt. Quamuis & naturæ Deus adsit, & miraculis natura non desit. Non igitur ideo putandum est viuorum quibuslibet interesse posse defunctos, quoniam quibusdam sanandis vel adiuuandis martyres adsunt, Sed ideo potius intelligendum est: Quod per diuinam potentiam martyres viuorum rebus intersunt; quoniam defuncti per naturam propriam, viuorum rebus interesse non possunt, quanquam* C *ista quæstio vires intelligentiæ meæ vincit, quem admodum opitulentur martyres his, quos per eos certum est adiuuari, vtrum ipsi per se ipsos adsint, vno tempore, tam diuersis locis, & tanta inter se longinquitate discretis, siue vbi sunt eorũ memoriæ siue præter suas memorias vbicumq; adesse sentiuntur. An ipsis in loco suis meritis cõgruo, ab omni mortaliũ conuersatione remotis, & tamen Deus omnipotens qui est vbiq; præsens, nec concretus nobis, nec remotus à nobis, exaudiens martyrũ preces, per angelica ministeria vsquequaq; diffusa, præbeat hominibus ista solatia, quibus in huius vitæ miseria, iudicat esse præbenda, & suorum merita martyrum vbi vult, quando vult, quomodo vult, maximeq; per eorum memorias, quoniã hoc nouit expedire nobis, ad ædificandam fidem Christo, pro cuius illi confessione sunt passi, mirabili atq; ineffabili potestate ac bonitate commendata, res* D *est hæc altior, quam vt à me possit attingi, & abstrusior quam vt à me valeat perscrutari. Et ideo quid horum duorum sit, an vero fortassis vtrumq; sit, vt aliquãdo ista fiant per ipsam præsentiam martyrũ, aliquando per Angelos suscipientes personam martyrũ, definire nõ audeo mallem à scientibus ista perquirere. Neque enim nemo est qui hæc sciat: nõ qui sibi scire videatur, & nesciat. Dona enim Dei sunt his alia, & illis alia largientis secundũ Apostolum, qui dicit vnicuique dari manifestationem spiritus ad vtilitatẽ.* Cuius gratia reuelante, Hieronymus certius de hac diffinuit ratione, exprimens illam Apocalypsis sententiam, hoc est; *Sequuntur agnum quocumque* c. 14. 4. *vadit, Si agnus vbique, ergo & hi qui cum agno sunt, vbique esse credendi sunt.* Quã ergo magna & pene innumerabilia miraculorũ signa, & inexhausta corporũ animarumque E remedia ad memorias martyrum, diuinã per eorum orationes operante manu, quotidie fiunt, ex paucis quæ sanctus Augustinus in 22. lib. de ciuitate Dei refert, satis apparet, dum eius Claudius suam auctoritate factam c. 8. æstimet posse alsa suffultam, cuius verba sunt hæc. *Vir tribunitius Hesperius apud nos est, habet in territorio Fussalensi fundum qui Zubedi appellatur, vbi cum afflictione animalium & seruorum suorum, domum suam spirituum malignorũ vim noxiam perpesi comperisset, accepit ab amico suo terram sanctam de Hierosolymis allatam, vbi sepultus Christus die tertio resurrexit, eamque suspenderat in cubiculo suo nequid mali etiam ipse pateretur. Ex tunc domus eius ab illa infestatione purgata est quid de illa terra fieret cogitabat, quam diutius in cubiculo suo reuerentiæ causa habere nolebat. Forte accidit vt ego & collega tunc meus Episcopus Siniensis Ecclesiæ Maximinus in*

proxime essemus, vt veniremus rogauit, & venimus. Cumque nobis omnia retulisset, etiam hoc petiuit, vt infoderetur alicubi, atque ibi orationum locus fieret, vbi etiam Christiani possent ad celebranda quæ Dei sunt congregari. Non dissensimus, factum est. Erat ibi iuuenis paralyticus rusticanus, qui hoc audito petiuit à parentibus suis vt illum ad eum locum sanctum non cunctanter adferrent. Quò cum fuisset allatus, orauit, atq; inde continuo pedibus suis abscessit. Victoriana dicitur villa ab Hippone regio minus triginta millibus abest, vbi est memoria martyrum Mediolanensium Protasij & Geruasij. Portatus est eò quidā adolescens, qui cum die medio, tēpore æstatis equum ablueret in fluminis gurgite, dæmonē inuenerit. Ibi cum iaceret, vel morti proximus, vel simillimus mortuo, ad vespertinos illuc hymnos & orationes cum ancillis suis, & quibusdam sanctimonialibus ex more, domina possessionis intrauit, atque hymnos cantare cœperunt. Qua voce ille quasi percussus, & excussus est, & cum terribili fremitu altare adprehensum mouere non audēs, siue non valens, tanquā eo fuerit alligatus aut adfixus tenebat, & cū grandi eiulatu parci sibi rogans, confitebatur, vbi adolescentē, & quando & quomodo inuaserit, postremo se exiturum esse denuntians, mēbratim singula nominabat quæ se amputaturum exiens minabatur, atq; inter hæc verba discessit ab homine. Sed oculus eius in maxillā fusus tenui venula, ab interiore quasi radice pendebat, eorumq; eius medium quod nigellū fuerat albicauerat, quo viso qui aderant, concurrerant autē etiam alij, vocibus eius attriti, & se omnes pro illo in orationē prostrauerant, quamuis eum sana mente stare gauderent. Rursum tamen propter eius oculum contristati, medicū quærendum esse dicebant. Ibi maritus sororis eius, qui eum eo detulerat: Potens est, inquit, Deus, sanctorum orationibus, qui fugauit dæmonē, lumen reddere. Eum sicut potuit oculum lapsum atq; pendentē, loco suo reuocatū ligauit, nec nisi post septem dies putauit esse soluendum. Quod cum fecisset, sanissimū inuenit. Erat quidam, ciuis Florentius Hipponensis noster, homo religiosus, & pauper, sartoris se arte pascebat, casulam perdiderat, & vnde sibi emeret non habebat, ad viginti martyres quorum memoria est apud nos celeberrima, clara voce vt vestiretur orauit. Audierūt eum adolescētes qui forte aderāt irrisores, eumq; discedentem exagitantes prosequebātur. At ille tacitus ambulans, eiectū grandem piscem palpitantem vidit in littore, eumq; illis fauentibus atq; adiuuantibus adprehendit, & cuidā coco Catoso nomine bene Christiano ad coquinam cōditariam tribuit, indicans quid gestum sit, cōparare inde disponens, vt vxor eius quomodo posset ei quo indueretur, efficeret, sed cocus concidens piscem annulum aureum in ventriculo eius inuenit. Moxq; miseratione flexus, & religione perterritus homini eum reddidit, dicēs. Ecce quomodo te viginti martyres vestierūt. Eucharius presbyter ex Hispania Calamæ habitās veteri morbo calculi laborabat, per memoriā supra dicti martyris quam Possidius illò aduexit Episcopus, saluus factus est. Idem ipse postea morbo alio præualescente mortuus sic iacebat vt ei iam pollices ligarentur, opitulatione memorati martyris, cū de memoria eius reportata esset, & super iacentis corpus missa ipsius Presbyteri tunica, suscitatus est. Fuit ibi vir in ordine suo primarius nomine Martialis æuo iam grauis, & multum à religione abhorrens Christiana, habebat sane fidelem filiam, & generum eodem anno baptizatum. Qui cum eum ægrotantem multis & magnis lachrymis rogarent vt Christianus fieret, prorsus abnuit eosque à se turbida indignatione submouit. Visum est genero eius vt iret ad memoriam sancti Stephani & illic pro eo quantum posset, oraret, vt Deus illi daret in Christum credere. Ecce hoc ingenti gemitu, & fletu, & sinceriter, ardenter, pietatis affectu. Deinde abscedens aliquid de altari florum quod occurrit tulit, eiq; cum iam nox esset ad caput posuit. Tum dormitū est, & ecce ante diluculum clamat, vt ad Episcopum curreretur, qui mecū forte tunc erat apud Hipponem. Cum ergo eum audisset absentem, venire presbyteros postulauit, venerunt, credere se dixit, admirantibus atq; gaudentibus omnibus baptizatus est. Hic quam diu vixit in ore habebat Christe accipe spiritum meum. Cū hæc verba beatissimi Stephani quando lapidatus est à Iudæis, vltima fuisse nesciret, quæ huic quoq; vltima fuerūt. Nam nō multo post etiam ipse defunctus est. Audurus nomen est fundi vbi Ecclesia in memoria martyris Stephani est, puerum quendam paruulum cum in area luderet exorbitantes boues, qui vehiculum trahebant, rota obtriuerunt, & confestim palpitans expirauit, hunc mater arreptum ad eandem memoriam posuit, & non solum reuixit, verum etiam illæsus apparuit. Sanctimonialis quædā in vicina possessione quæ Caspaliana dicitur, cum ægritudine laboraret, ac desperaretur, ad eandem memoriam tunica eius allata est, quæ antequā reuocaretur, illa defuncta est, hac tamen tunica operuerunt cadauer eius parentes, & recepto spiritu salua facta est. Apud Hipponē Bassus quidā Syrus ad memoriam eiusdem martyris orabat, pro ægrotante & periclitante filia, eóq; secum vestem eius attulerat, & ecce de domo concurrerunt, qui ei mortuam nuntiarent, sed cum eo orante illi ab amicis eius exciperentur, prohibuerunt eos dicere, ne per publicum plangeret. Qui cum domum redisset iam suorum eiulatibus personantem, & vestem filiæ quam referebat super eam proiecisset, rursus reddita est vita.

B Ibidem apud nos Irenæi Cyrenei cuiusdam collectarij filius ægritudine extinctus est; cumq; corpus iaceret exanime, atque à lugentibus & lamentantibus exsequiæ pararentur, amicorū eius quidam inter aliorum consolantium verba suggessit, vt eiusdem martyris oleo corpus perungeretur, factum est, & reuixit. Itemque apud nos vir tribunitius Eleusinus, super memoriam martyrum, quæ in suburbano eius est, ægritudine exanimatū posuit infantulum filium suum, & post orationem quam multis cum lachrymis ibi fudit, viuentem leuauit. Quid faciam? vrget huius operis implenda promissio, vt non hic possim omnia cōmemorare, quæ scio: & procul dubio plerique nostrorum cum hæc legent dolebunt me prætermisisse tam multa quæ vtique mecum sciunt, quos iam nunc vt ignoscant, rogo, & cogitent quam prolixi laboris sit facere, quod me hic non facere suscepti operis necessitas cogit. Si enim miracula sanitatū, vt alia taceam, ea tantū modo

C velim scribere quæ per hūc martyrē, id est gloriosissimum Stephanum facta sunt in Colonia Calamensi, & in nostra, plurimi conficiendi sunt libri. Nec tamen omnia colligi poterunt, sed tantum de quibus libelli dati sunt qui recitarentur in populis. Id namq; fieri voluimus, cū videremus antiquis similia diuinarum signa virtutum, etiam nostris tēporibus frequentari, & ea non debere multorum notitiæ deperire. Nōdum est autē biennium ex quo apud Hipponem regium cœpit esse ista memoria, & multis quod nobis certissimum est non datis libellis de his quæ mirabiliter facta sunt illi ipsi qui dati sunt ad septuaginta ferme numerum peruenerant, quando ista conscripsi, Calamæ vero vbi & ipsa memoria prius esse cœpit, & crebrius dantur, incomparabili multitudine superant. Vzali etiam quæ colonia Vticæ vicina est, multa præclara per eundē martyrē facta cognouimus, cuius ibi

D memoria longè prius quam apud nos ab Episc. Euodio constituta est: sed libellorum dandorū ibi consuetudo non est, vel potius non fuit, nam fortasse nunc esse iam cœpit. Cum enim nuper illic essemus, Petronia mater familias, quæ ibi mirabiliter ex magno atquè diuturno in quo medicorum adiutoria cuncta defecerant, languore sanata est. Quam hortati sumus volente supra dicto loci Episc. vt libellū daret qui recitaretur in populo & obedientissimè paruit, in quo posuit etiam quod hic reticere nō possum quāuis ad ea quæ hoc opus vrgent festinare compellar à quodā Iudæo dixit sibi fuisse persuasum, vt annulū capillacio vinculo insereret, quo sub omni veste ad nuda corporis cingeretur, qui annulus haberet sub gēma lapidem in renibus inuentū bouis. Hoc alligata quasi remedio ad sancti martyris limina veniebat. Sed profecta Carthagine cum in confinio fluminis Badagra in sua possessione man-

E sisset, surgens vt iter peragerct, ante pedes suos illū iacentē annulum vidit, & capillaciam Zonam qua fuerat alligatus mirata tentauit. Quā cū omnino suis nodis firmissimis sicut erat cōperisset astrictā, crepuisse atq; exiluisse annulū suspicata est, qui etiam ipse quum integerrimus fuisset inuentus quodam modo pignus de tanto miraculo se accepisse præsumpsit, atq; illud vinculum soluens, simul cum eodē annulo proiecit in flumen. Non credant hoc qui etiā Dominū Iesum per integra virginalia matris enixum & ad discipulos ostiis clausis ingressū fuisse non credunt, sed hoc certe quærāt & si verū inuenerint, illa credāt. Clarissima femina est nobiliter nata, nobiliter nupta, Carthagine habitat; ampla ciuitas, ampla persona, rē quærētes latere non sinit. Martyr certè ipse quo impetrante illa sanata est in filium permanētis virginis credidit, in eum qui ostiis clausis ad discipulos ingressus est, credidit postremo propter quod omnia ista dicūtur à nobis in eum qui ascendit in cælum cum carne in qua resurrexerat credidit, & ideo

ideo per tumtant; fiunt ergo etiam nunc multa miracula eodem Deo faciente per quos vult & quemadmodum vult. Vnum etiam est apud nos factum non maius quàm illa quæ dixi, sed tam clarum atque illustre miraculum, vt nullum arbitrer esse Hyponensium qui hoc non vel viderit vel didicerit, nullum qui oblivisci vlla ratione potuerit. Decem quidam fratres, quorum septem sunt mares, tres fœminæ de Cæsarea Cappadociæ suorum ciuium non ignobiles, maledicto matris recenti patris eorum obitu destitutæ, quæ iniuriam sibi ab eis factam acerbissime tulit, tali pœna sunt diuinitus coerciti, vt horribiliter quaterentur omnes tremore membrorum, in qua fœdissima specie oculos suorum ciuium non ferentes, quaqua versum cuique ire visum est, toto pene vagabantur orbe Romano. Ex his etiam ad nos venerunt duo, frater & soror, Paulus & Palladia, multis alijs locis miseria diffamante iam cogniti. Venerunt autem ante Pascha ferme dies quindecim, Ecclesiam quotidie & in ea memoriam gloriosissimi Stephani frequentabant orantes, vt iam sibi placaretur Deus, & salutem pristinam redderet. Et illic & quacunque ibant conuertebant in se ciuitatis aspectum. Et nonnulli qui eos alibi viderant, causamque tremoris eorum nouerant, alijs, vt cuique poterant, indicabant. Venit & Pascha atque ipso die dominico mane, cum iam frequens populus præsens esset, loci sancti cancellos vbi martyrium erat, idem iuuenis orans teneret, repente prostratus est, & dormienti simillimus iacuit, non tamen tremens, sicut etiam per somnium solebat, stupentibus qui aderant atque alijs pauentibus, alijs dolentibus: Cum eum quidam vellent erigere, nonnulli prohibuerunt, & potius exitum expectandũ esse dixerunt. Et ecce surrexit & non tremebat quoniam sanatus erat, & stabat incolumis intuẽs intuentes. Quis ergo in- C *tuentium se tenuit à laudibus Dei? Clamantium gratulantiumque vocibus Ecclesia vsquequaq; completa est. Inde ad me curritur vbi sedebam, iam processurus. Irruit alter quisque post alterum, omnis posterior quasi nouum, quod alius prior dixerat nuntiantes. Meque gaudente, & apud me Deo gratias agente, ingreditur etiam ipse cum pluribus, inclinatur ad genua mea, erigitur ad osculum meum, procedimus ad populum, plena erat Ecclesia, personabat vocibus gaudiorum, Deo gratias, Deo laudes nemine tacente, hinc atque clamantium. Salutaui populum, & rursus eadem feruentiore voce clamant, facto tandem silentio, Scripturarum diuinarum sunt lecta solemnia. Vbi autem ventum est ad mei sermonis locum, dixi pauca pro tempore & pro illius iucunditate lætitiæ. Nobiscum homo prandit, & diligenter nobis omnem suæ fraternæ calamitatis indicauit historiam. Sequenti itaque die post sermonem redditum narrationis eius libellum in crastinum populo recitandum promisi. Quod cum &* D *dominico paschæ die tertio fieret in gradibus exedræ in qua superiore loquebar loco, feci stare ambos fratres cum eorum legeretur libellus: Intuebatur populus vniuersus sexus vtriusque, vnum stantem sine deformi motu, alteram membris omnibus contremiscentem, & qui ipsum non viderant quid in eo diuina misericordia factum esset in eius sorore cernebant. Videbant enim quid in illo gratulandum, quid pro illa esset orandum. Inter hæc recitato eorũ libello de conspectu populi eos abire præcepi & de tota ipsa causa aliquãto diligentius cœperam disputare, cum ecce me disputante, voces aliæ de memoria martyris nouæ gratulationis audiuntur, conuersi sunt eò qui me audiebant, cœperuntque concurrere, illa enim vbi de gradibus descendit in quibus steterat, ad sanctum martyrem orare perrexerat, quę mox vt cancellos attigit conlapsa similiter velut in somnum sana surrexit.* E *Dum ergo requireremus quid factum fuerit, vnde strepitus lætus extiterit, ingressi sunt cum illa in Basilicam, vbi eramus, adducentes iam sanam de martyris loco. Tum vero tantus ab vtroq; sexu admirationis clamor exortus est, vt vox continuata cum lachrymis, non videretur posse finiri: Perducta est ad eum locum, vbi paulo ante steterat tremens; exultabant eam similem fratri eius doluerant remansisse dissimilem, & nondum fusas preces suas pro illa, iam tamen præuiam voluntatem tam cito exauditam esse cernebant; exultabant in Dei laudem voces, sine verbis, tanto sonitu, quantum aures nostræ ferre vix possent. Quid erat in cordibus exultantium nisi fides Christi pro qua Stephani sanguis effusus est?*

Quod autem dicit sanctum Petrum cæterosque Apostolos à ministerio soluendi ac ligandi, hoc est iudicandi A in Ecclesia esse remotos, & illum aliosque sui pares in illorum successisse locũ, quasi digniores atque efficaciores pro lassatis aut de aliqua conuictis falsitate substitutos, cum illi quod eis semel à Domino principaliter cum vniuersitate Ecclesiæ attributum sit, hoc est iudices sanctæ fieri Ecclesiæ numquam esse desierint, aut per suam corporalem præsentiam iudicando, aut per suam doctrinam, quam vice sua posteris reliquerũt. Quid enim quispiam rector Ecclesiæ à semetipso, aut per se ipsum sine Euãgelica, vel Apostolica, canonicáve, quę inde emersit auctoritate iudicare rectè poterit, aut diffinire? Hoc antem subnectere nititur, exemplo de psalmis adsumpto. Ps. 44. 17. *Pro patribus tuis nati sunt tibi filij, constitues eos principes super omnem terram.* Cum illud & de Apostolis & de sanctis quibusque Episcopis eorum scilicet successoribus rectè intelligitur, sicut Apostolus ait, *Patres nostri sub nube fuerunt.* 1. Cor 6. 10. 1. Et in Psalmo. *Nimis honorati sunt amici tui Deus, nimis confortatus est principatus eorũ.* Ps. 138 17. Fallor si hæc ita esse Augustinus non adfirmat in expositione Euangelii secundum Ioannem dicens. *Hoc agit Ecclesia spe beata, in hac vita ærumnosa cuius Ecclesiæ Petrus Apostolus propter Apostolatus sui primatũ gerebat figuram generalitate personam, quod enim ad ipsũ propriè pertinet, natura vnus homo erat, gratia vnus Christianus, abũdantiore gratia vnus idémq; primus Apostolus. Sed quando ei dictum est,* Tibi dabo claues regni cœlorum, & Ibid. 6. 18. quodcumq; ligaueris super terrã, erit ligatũ, & in cœlis: Ibid 16. & quodcumque solueris super terram erit solutum & in cœlis; *Vniuersam significat Ecclesiã, quæ in hoc sæculo diuersis* C *tentationibus velut imbribus, fluminibus, tempestatibus quatitur & non cadit, quoniã fundata est super petram, vnde Petrus nomen accepit. Non enim à Petro petra, sed Petrus à petra, sicut non Christus à Christiano, sed Christianus à Christo vocatur. Ideò quippe ait Dominus:* Super hanc Petrã ædificabo Ecclesiam meam; *quia dixerat Petrus:* Tu es Christus Filius Dei viui. Super hanc ergo, inquit, Petrã quam confessus es, ędificabo Ecclesiam meam, Petra enim erat Christus: super quod fundamentũ etiam ipse ędificatus est Petrus. Fundamentum quippe aliud nemo potest ponere, pręter id quod positũ est, quod est Christus Iesus. Ecclesia ergo quæ fundatur in Christo, claues à Deo regni cœlorũ accepit in Petro, id est potestatem ligandi soluendiq; peccata, quod est enim per proprietatem in Christo Ecclesia; hoc est per significationẽ Petrus in petra, qua significatione intelligitur Christus petra, Petrus Ecclesia. D Hæc igitur Ecclesia duas vitas sibi diuinitus prędicatas & commendatas nouit, quarum est vna in fide, altera in specie; vna in tempore peregrinationis, altera in ęternitate mansionis; vna in labore, altera in requie; vna in via, altera in patria; vna in opere actionis, altera in mercede contemplationis. Ista significata est per Apostolum Petrum, illa per Ioannem. Tota hic agitur, ista vsq; in huius sæculi finem, & illic inuenit finem, differtur illa cõplenda post huius sæculi finem, sed in futuro sæculo non habet finem. Ideo dicitur huic, *sequere me,* de illo autem, *sic eum volo manere donec veniã quid ad te? tu me sequere.* Ioan. c. 21. v. 19. & 22. Quid enim est hoc quantũ sapio, quid est? nisi tu me sequere Per imitationem perferendi temporalia mala: ille maneat, donec sempiterna venio redditurus bona: quod apertius ita dici potest. Perfecta me sequatur actio in- E formata meę passionis exemplo, inchoata vero contemplatio maneat donec venio, perficiẽda cum venero. Nemo tamẽ istos insignes Apostolos separet, & in eo quod significabat Petrus, ambo erant; & in eo quod significat Ioannes, ambo futuri erant: significãdo sequebatur iste, manebat ille; credẽdo autem, ambo mala pręsentia huius miseriæ tolerabãt. Ambo futura bona illius beatitudinis expectabant. Nec ipsi soli, sed vniuersa hoc facit sancta Ecclesia sponsa Christi, ab istis tentationib. eruẽda, in illa felicitate seruanda. Sicut ergo nomen, honor dignitas, officium Euãgelistæ ab Ioanne non tollitur, licet hoc cum eo pariter Petrus & vniuersitas sanctæ Ecclesię sortiatur. Ita nec Petrus primatum Ecclesiæ & potestatem soluendi in ea, ac ligandi sibi à Domino ob in-

dubitatæ remunerationem fidei principaliter traditam A amittit, quamuis ei Ioannes cum integritate Eccleſię, in hoc miniſterio ſicut prædictum eſt, ſocietur. Hinc Auguſtinus: Omnibus igitur ſanctis ad Christi corpus inſeparabiliter pertinentibus, propter huius vitæ procelloſiſſimæ gubernaculum ad liganda & ſoluenda peccata claues regni cœlorum primus Apoſtolorum Petrus accepit, eiſdémque omnibus ſanctis propter vitæ illius ſecretiſſimæ quietiſſimum ſinum ſuper pectus Chriſti, Ioannes Euangeliſta diſcubuit, quoniã nec iſte ſolus, ſed vniuerſæ Eccleſiæ ligat ſoluitque peccata. Nec ille in principio verbum Deum apud Deum & cætera de Chriſti diuinitate, & de totius diuinitatis Trinitate atque vnitate ſublimia, quę in illo regno facie ad faciem contemplanda, nunc autem donec veniat Dominus, in ſpeculo atque in ænigmate contuenda ſunt, quæ prædicando ructaret de fonte dominici pectoris ſolus bibit, ſed ipſe Dominus ipſum Euangeliũ pro ſua cuiuſque capacitate omnibus ſuis bibendum toto terrarũ orbe diffudit. Caute autem humiliato & ſummiſſo corde ab Epiſcopis, hic verſus, *Pro patribus tuis, &c.* legendus eſt & intelligendus. Immo vero velut indignos, & minus idoneos ſemetipſos tanto debent cenſere miniſterio, quod ſpiritales, & excellentiſſimi viri, ac ſi impares, declinando & fugiendo accipere recuſarunt. Nec inde ſuperbiendo vel inſultando cõtra ſanctos Apoſtolos debent intumeſcere, ſicut illorum oppugnator, aduerſarius, & contemptor vaniſſima inflatus elatione, & nimia temeritate præſumẽs inaniter glo-
c. 5. 21. riatur, cui & ſuis pariter ſimilibus Eſaias comminatur
Rom. c. 12. dicens. *Væ vobis qui ſapientes eſtis in oculis veſtris, & coram*
16. *vobiſmetipſis prudentes.* Item Apoſtolus: *Nolite eſſe prudentes apud voſmetipſos.* Inde Gregorius exponens illam ſen-
Ioan. c. 20. tentiam qua Dominus poſt reſurrectionem ſuis ait diſci-
23. pulis; *Quorum remiſeritis peccata remittuntur eis, & quorum retinueritis retenta ſunt. Lubet intueri, illi diſcipuli ad tanta onera humilitatis vocati, ad quantum culmen gloriæ ſint perducti. Ecce non ſolum de ſemetipſis ſecuri fiunt, ſed etiam alienæ obligationis poteſtatem, relaxationiſque accipiunt. Principatum superni iudicii ſortiuntur, vt vice Dei quibuſdam peccata retineant, quibuſdam relaxent. Sic eos à Deo decebat erigi, quia tantum pro Deo conceſſerant humiliare. Ecce qui diſtrictum Dei iudicium metuunt, animarum iudices fiunt? & alios damnant vel liberant, qui ſemetipſos damnari metuebant. Horum profecto nunc in Eccleſia Epiſcopi locum tenent. Soluendi ac ligandi auctoritatem ſuſcipiunt, qui gradum regiminis ſortiuntur. Grandis honor, ſed graue pondus iſtius eſt honoris: Durum quippe eſt, vt* D *qui neſcit tenere moderamina vitæ ſuæ, iudex vitæ fiat alienæ. Et plerumque contingit, vt hunc iudicii locum teneat, cui ad locum vita minime concordat. Ac ſæpe agitur vt vel damnet immeritos, vel alios ipſe ligatos ſoluat, ſæpe in ſoluendis ac ligandis ſubditis ſuæ voluntatis motus, non autem cauſarum merita ſequitur. Vnde fit, vt ipſa hac ligandi & ſoluendi poteſtate ſe pri-*
Ezech. c. 14. *uet, qui hanc pro ſuis voluntatibus, & non pro ſubiectorum mo-*
34. *ribus exercet. Proponit etiam exemplum de Ezechiele Propheta ad confirmãdum, quod nulli ſupplicanti ac pœnitendo laboranti de ſanctorum meritis, vel intercesſionibus confidendum ſit. Noe, Daniel, & Iob non liberabunt filium neque filiam.* Ergo peruerſitas auctoritate ſacræ ſcripturæ non poteſt veraciter eſſe defenſa neque firmata, licet ea hęretici adulterãtes, verbo Dei ad fauendum ſuę prauitati abutuntur, & ad hoc eam violenter adtrahere conentur. Dicit enim Propheta impios & præuaricatores perdurantes in ſceleribus ſuis, nullo modo per aliorum quorumlibet ſanctorum interceſſiones ſine ſua propria ſolertia & labore à tormentis poſſe liberari. Hieronymus, Vnde nec præuaricatorem filium martyr poterit liberare, nec ſanctæ conuerſationis mater impudicæ filiæ dabit præmia pudicitiæ; Et è contrario parentum vitia filiis non nocebunt, ſed anima quę peccauerit ipſa morietur. Non ſolũ autem ſancti non liberabunt impios non agentes pœni-
Rom. c. 2. tentiam de peccatis & iniquitatibus ſuis, ſed nec ipſe
4. 5. 6. Deus. Vnde Apoſtolus: *Ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? Secundum duritiam autem tuam, & cor impœnitens, theſaurizas tibi iram in die iræ, & reuelationis iuſti iudicii Dei, qui reddet vnicuique ſecundũ opera eius,* Pœnitentes autem & conuerſos affligentes ſe in fletu, & planctu, & eleemoſynis ſua redimentes peccata, & inducentes preſbyteros, & memorias ſanctorum adeuntes, omnique diligentia ſatisfactioni inſiſtentes, credimus à Domino per ſuam ineffabilem miſericordiam, & per hęc exercitia poſſe liberari. Claudius ergo nouus ac mirabilis Philoſophus, artium expers liberalium, totam ſuam induſtriam, atque ſui ſubtilitatem ingenii ad dilaniandum, lacerandúmq; Chriſti corpus Eccleſiam exercet, & ob hoc iugiter certat, inſtat, ſtudet, vigilat: dum antiqui magiſtri & ſpiritales Philoſophi, vnicum & ſingulare ſtudium hoc habuerint, laudare Apoſtolos, hymnos & carmina in honorem martyrum ſenſu iocundo, ac dulciſona modulatione componere, eorúmque loca B adire, ſuiſque ſe interceſſionibus ſumma cum veneratione ac deuotione commendare. Quorum vnus Paulinus Epiſcopus vir eruditiſſimus & ſanctiſſimus, ſicut & multi de eo teſtati ſunt nobilem librum xv. carminibus diſtinctum in honore & laude ſancti Felicis martyris edidit, in quo quanta miracula, & virtutes per ipſius merita & interceſſiones, diuina largiente clementia, ad ſuum fieri cotidie tumulum, & maxime die natalis eius anniuerſario diſſeruit, non facile à quoquam excerpi aut deflorari poteſt, quia cuncta, flores, aromata, roſę, lilia ſuaueolentia, ac melliflua ſunt.

Hoc autem modo primum eiuſdem incipit carmen.

Inclyte confeſſor meritis & nomine Felix,
Mens pietate potens, ſummi mens accola cœli,
C *Nec minus in terris experta potentia terris,*
Qui Dominum Chriſtum non vincta voce profeſſus
Contemnendo truces meruiſti euadere pœnas,
Deuotamque animam tormenta per omnia Chriſto
Sponte tua iuſſus, laxatis reddere membris
Liquiſti vacuos rabidis lictoribus artus,
Vectus in ætherium ſine ſanguine martyr honorem.
O pater, o Domine, indignis licet annue ſeruis,
Vt tandem hanc fragili trahimus dum corpore vitam,
Sedibus optatis, & qua requieſcis in aula,
Hunc liceat celebrare diem, piareddere coram
Vota, & gaudentes inter gaudere tumultus.
Sit iam quæſo ſatis merita impietate tuliſſe
Hanc pœnam, tot iam quot te ſine viximus annis
Sede tua procul, heu quamuis non mente remoti
Iam deſideriis immenſo tempore feſſis
Conſule iam, vel ſero memor miſerere tuorum,
Perque orbem magni, qui nos procul æquore ponti
Diſparat, obritus quæ nos inimica retardant.
Pande vias faciles, & ſi properantibus ad te
Inuidus hoſtis obeſt, obiecta repagula pelle.
Fortior aduerſis & amicos prouehe curſus
Seu placeat telluris iter comes aggere tuto
Eſto tuis, ſeu magna tui fiducia longe
Suadeat ire mari, da currere mollibus vndis,
Et famulis famulos à puppi ſuggere ventos,
Vt campana ſimul, Chriſto duce, litora vecti
Ad tua mox alacri rapiamur culmina curſu,
Inque tuo placidus nobis ſit limine portus.

E Audiat nunc Vigilantianus inimicus crucis Chriſti, ſacrarum violator imaginum, quod inluſtres viri ſapientia & ſanctitate toto orbe eminentes cuncta conlaudant, quæ ille vituperat: & credentes confirmant, quæ ille incredulus negat; & iubẽt exerceri, quæ ille vetat per omnia diſſimilis & contrarius ſanctæ orthodoxorum religioni & ſapientiæ. *Quæ enim eſt,* vt ait Apoſtolus, *participatio iuſtitiæ cum iniquitate? Aut quæ ſocietas luci ad tenebras? Quæ autem conuentio Chriſti ad Belial? Aut quæ pars fideli cũ infideli?* Audiat, inquam, ſanctos & ſapientes viuentes adhuc in carne orare & rogare ſtudioſiſſime ac deuotiſſimè ſanctos obitos, corpore defunctos, ſed viuentes cum Chriſto, atque regnantes, vt dignarentur interuenire pro eis ad Dominum. Audiat eos ſanctam Domini crucem,

cem, sanctorum reliquias congruo, fideli & religioso cultu laudare, diligere, ac venerari. Hinc beatum Paulinum sanctitate & sapientia præditum, quasi quandam farum lucidissimam & turrim inexpugnabilem inprimis prætendimus, qui plurima de hac ratione luculentissimo, atque fœcundissimo sermone disseruit, ita inquiens in II. sancti martyris Felicis carmine.

Tempus adest plenis grates tibi fundere votis,
O pater, ô Domine, indignis licet, optime, seruis
Tandem exoratum est inter tua limina nobis
Natale celebrare tuum, tria tempore longo
Lustra cucurrerunt, ex quo solemnibus istis
Coram vota tibi, coram mea corda dicaui.
Ex illo, qui me terráque, marique, labores
Distulerint à sede tua procul orbe remota
Nouisti, nam te mihi semper vbique propinquū
Inter dura via, vitaque incerta vocaui.
Et maria intrans, duce te: quia cura pericli
Cessit amore tui, nec te sine; nam tua sensi
Præsidia in Domino superās maris aspera Christo
Semper eo, & terras, te propter, tutus & vndas.

Idem in eodem.

Ecce vias vario plebs discolor agmine pingit,
Vrbes innumeras vna miramur in vrbe.
O Felix Felice tuo tibi præsule, Nola
Inclita ciue sacro, cælesti firma patrono
Post quæ ipsam titulos Romam sortita secundos.
Quæ prius imperio tantū, & victricibus armis.
Nūc & Apostolicis, terrarū est prima sepulchris.
Sis bonus, ô Felixque tuis, dominúmque potentem
Exores, liceat placato munere Christi
Post pelagi fluctus, mundi quoque fluctibus altis
In statione tua placido consistere portu.

Idem in III. carmine.

Hanc precor æterna nobiscum pace serenum
Posce diem: hoc iterum liceat gaudere reuerso,
Annúque hic, & vota tuis, & carmina festis
Reddere placati tranquillo numine Christi.
Hic amor, hic labor est, nobis hæc vota tuorum
Suscipe, commodáque Deo; vt cum sedula cura
Seruitium nostrum longo tibi penderit æuo,
Tunc demum placitos pietate laboris alumnos
Absoluas mittente manu, positásque tuorum
Ante tuos vultus animas vectare paterno,
Ne renuas gremio Domini fulgentis ad ora.

Idem in IIII.

Da verbum de fonte tuo, cui non queo fari
Te sine: námque tuis laus martyris & tua laus est.
Qui facis omnipotens homines diuina valere
Fortiáque infirmis superans, de carne triumphas.

Idem in VI.

Longa igitur mihi materia, quāticúmque erit æui,
Tantum erit & verbi super hoc, quo dicere gesta
Felicis pateat, si copia tanta sit oris,
Quanta operum, meritique manet, nam tempore ab illo
Quo primum illa dies Felicem fine beato
Condidit, & carnem terris animam dedit astris,
Ex illo prope cuncta dies operante videtur.
Confessore Dei probat, & sine corpore viuum
Christus vt ostendat maiorem in morte piorum
Virtutem, quam vim in vita superesse malorum.

Idem in eodem.

Postquam depositum cumulādi inde feretrum,
Certatim populus pietatis circumfusus,
Vndique densato cœtu sita membra coronat,
Religiosa piè pugna exercetur amantum.
Quisq; alium premere, & propius consistere certat
Reliquiis, corpusque manu contingere gaudet.
Nec satis est vidisse semel, iuuat vsque morari,
Lumináque expositis, & quæ datur oscula mēbris,
Figere, dat meritam Christo plebs consona laudem.

Idem in eodem.

Facta igitur rata iusta pium texere sepulchro

A *Funus, at in sanctis diuinitus insita membris*
Gratia non potuit cum carne morique tegique
Ilico, sed positis ex ossibus emicuit lux,
Quæ medicis opibus meritis dare signa potentis
Hactenus ex illo non vnquam tempore parcit
Et toto quo mundus erit fulgebit in æuo
Lux eadem sancti cineris per sæcula custos.

Idem in eodem.

Quæ tamē ampla licet vincūtur culmina turbis,
Quod crescente fide super vndat gratia Christi
Quæ populis medico Felicem munere præstat
Viuere qui præstans etiam post corporis æuum
Præsidet ipse suis sacer ossibus, ossaque sancti
Corporis è tumulo non obsita puluere mortis,
B *Arcano æterna sed prædita semine vitæ,*
Viuificum spirant animæ victricis odorem,
Quo medicina potens datur exorantibus ægris,
Quanta resurgentis virtus & gloria cinget
Conectare licet cum gratia tanta sepultos
Ambiat, & quanto redimita decore micabunt
Corpora, in obscuris cum sit lux tanta fauillis,
Quid nobis miseris bonum præstare corona
Sufficient, quorum & cineres dant commoda viuis?

Idem in eodem.

Namque vides quod agas tibi adhuc superesse: sed in me.
Qui prope cæcatis oculis tua cominus adsto
Limina, nam multo mersi mea lumina fletu,
Non solum damno, sed & inter gaudia plorans
C *Dempsisti causam lachrymarum, tolle modo orta*
Vulnera de lachrymis, miseratus sancte meorum
Damna boum, miserare iisdem modo damna oculorum.
Donasti reduces pecudes mihi rursus & illis
Redde meos oculos: nam quid iuuat esse reductos
Si languente acie præsens præsentibus absim?
Talia præsentes populi risere querentem,
Sed procul admota secreti martyris aures
Suscepere pias ab inepto supplice voces:
Mòxque refecta sacram senserunt lumina dextram;
Inde domum gaudens oculis bubusque receptis
Conlaudante Deum populo remeabat, & illum
Læta sequebatur geminæ victoria voti.

Idem in VII. carmine.

Sancte precor succurre tuo, quia proximus adstas,
D *Et de contigua missis hæc auribus ade,*
Audisti Felix fletum infelicis alumni.
Siue modo excelso lateri coniunctus adhæres
Ante thronum magni regis confessor amicus,
Pauperis hanc venerande tui trans nubila vocem
Accipis aure Dei neque temnis, sed petis illic
Quam mihi deportes Christo miserante salutem.

Idem in eodem.

Ipse opifex lux nostra Deus Felicis amici
Natalem tanta voluit decorare medela:
Vt Confessoris meritum sublime potenti
Munere monstraret, non vt cumularet honorem
Martyris hoc opere ingentes cui contulit olim
Nobilibus titulis benedicto nomine palmas,
Quas indefessis in eo virtutibus omni
Tempore continuat Domini clementia Christi,
Sed nobis voluit specialem tempore in isto
Lætitiam donare Deus propriisque patroni
Tale aliquid propriis operans signum dare seruis.

Idem in VIII.

Forte magis pietas nobis dabit ista salutem
Si nostras ideo libeat deponere curas.
Vt confessoris lætantia corda feramus.
Cuius honore Deus gaudet, quia martyr honorem
Contempsit proprium Domini pro nomine Christi
Vilior ipse sibi, vt Christo pretiosior esset,

Idem in eodem.

Vt quondam hos habuit ветus ætas si modo nostra
Felicem sortita salus petat omne quod audet.
Quodque cupit tali speret confisa patrono.

Sancte, Deo dilecte, Dei tu dextera, Felix,
Esto precor nobis tu munitissima turris.

Idem in eodem.

Sed velut æternos pueris recinentibus hymnos,
Roscidus, accensos, discussit spiritus ignes,
Sic nobis placido Felicis gratia flatu
Adspirante Deo bellorum temperet ignes,
Ortáque Romuleis reprimens incendia terris
Solicitos placida iam pace refrigeret æstus.
Fessáque restinctis absoluat pectora curis.

Idem in eodem.

Quidam homo non longum tempus tam prodigiali
Dæmone distentus fuit, vt iam non modo notos
Ille cibos hominum, vel si congesta daretur
Multa mensa, dapem facili consumeret haustu,
Verum & gallinas habitantum limine raptas
Mox vt sustulerat rabido discerperet ore
Et pluma incoctæ non suffocante voraret,
Quin & funeream saniem sitiebat, & ossa
Lambebat pecudum proiecta cadauera mandens
Obscenus conuiua tamen hic modo dæmone tanto
Sobrius ecce procul conductum exercet agellum,
Et curante Deo sancta Felicis in aula
Redditus ipse sibi claro satis indice monstrat,
Felicem meritis & Christi nomine fortem.

Idem in IX. carmine.

Salue chara dies, salue mihi lux mea, salue
Semper festa mihi, sed in hoc mihi clarius anno
Orta refulsisti quia cum Felicis honore
Nicetam reuehis, sanctorum vt amore duorum
Binum habeam natalem hodie quo corpore sumpto
Martyris excessum celebrans & corpore prompti.

Idem in eodem.

Ipse nunc Felice opus est, & in hoc mihi munus
Sumat vt à Christo, mihi quas impertiat ipse
Vt digne sibi grates opes, & nunc mihi vellem
Vina perennis aquæ manarent flumina ventre,
Vt non ore meo, sed Christi munere possem
Lætitiam enarrare meam, quæ munere Christi
Vberius solito placidum mihi pectus inundat.

Idem in eodem.

Nam quasi contignata sacris cœnacula tectis
Spectant de superis altaria tuta fenestris,
Sub quibus intus habent sanctorũ corpora sedẽ;
Namque & Apostolici cineres sub cœlite mensa
Depositi placitum Christo spirantis odorem
Pulueris inter sancta Dẽo libamina reddunt.
Hic pater Andreas, hic qui piscator ad Argos
Missus vaniloquas docuit mutescere linguas.

Idem in eodem.

Hic & Nazarius martyr quem munere fido
Nobilis Ambrosij substrata mente recepi,
Culmina Felicis dignatur, & ipse cohospes
Fraternasque domos priuatis sedibus addit
Quamuis sancti omnes, toto simul orbe per vnũ
Sint vbicumq. Deum quo præsentantur vbique.
Corporis vt sua membra Deo, sed dedita sanctis
Sunt loca corporibus, néq. tantum qua iacet ora,
Totum corpus ibi positorum gratia viuit.
Sed quæcumque pij est pars corporis, & manus extat
Contestante Deo meriti documenta beati:
Magna & in exiguo sanctorum puluere virtus
Clamat Apostolici v. in corporis indice verbo.
His igitur viciniis erit quicumque supernis
Castus aget tectis, & qui procul aduena recto
Peregrinus affectu sanctas properarit ad ædes
Cum volet oratum Christo secretus adire
Siue die seu nocte velit sua promere vota
Impiger adtiguo de limine prodeat hospes.

Idem in eodem.

Quod superest ex his quæ facta & picta videmus,
Materiam orandi pro me tibi suggero posce.

A Rem Felicis agens vt pro me sedulus ores,
Vt decet, vt quem mente pia comitaris, eundem
Et meritis facie referas animoque sequaris:
Par in amore mei nec enim miser ambigo amari
Martyre vel modici dignatus amore catelli,
Cum mihi vita, domus, res, gratia, gloria, panis
Sit Felix donante Deo quo præsule posce
Montibus in sanctis mea fundamenta locari
Et cœptam peragi in rupto molimine turrim.

Idem in XI. carmine.

Sidera si cœlo, si possunt gramina terris.
Desore, mella fauis, aqua fõtibus, vberibus lac.
Sic poterunt linguis laudes cessare piorum
In quibus & vita viuit, & gloria mortis
B Ipse Deus, pro quo vitam voluere pacisci
Et moriendo piam sancire fidem populorum.

Idem in eodem.

Horum de numero procerum cõfessor in ista
Vrbe datus Felix longe latéque per orbem
Nominis emicuit titulo, sed Nola sepulto
Facta domus sãguĩ proprio sibi sidere plaudit:
Omnis enim quacumq. manet mandatus in ora
Martyr stella loci simul & medicina colentum est.
Namque tenebrosum veteri caligine mundum,
Languentesque animas miseratus in orbe creator,
Sic sua disposuit terris munimenta piorum
Sparsit vt astrorum nocturno lumina cœlo.

Idem in eodem.

C Hos igitur nobis cupiens auertere morbos
Omnimedens Dominus sanctos mortalibus ægris
Per varias gentes medicos pietate salubri
Edidit, vtque suam diuina potentia curam
Clarius exereret potioribus intulit illos
Vrbibus, & quasdam licet oppida parua retentent
Martyres, at proceres Deus ipsos mœnibus amplis
Intulit, & paucas functos diuisit in oras,
Quos tamen ante obitum toto dedit orbe magistros:
Inde Petrum & Paulum Romana fixit in vrbe,
Principibus quoniam medicis caput orbis egebat

Idem in eodem.

Sic Deus & reliquiis tribuens pia munera terris
Sparsit vbique loci magnas sua membra per vrbes.
Sic dedit Andream Patris, Ephesoque Ioannem,
D Vt simul Europam atque Asiam curaret in illis
Discuteretque graues per lumina tanta tenebras.
Parthia Matthæum complectitur, India Thomam,
Lebbæum Lybies, Phriges accepere Philippum,
Creta Titum sibi sumpsit, Antiochia & Ostia Lucã,
Marcus Alexandriæ tibi datus, vt boue pulso.

Idem in eodem.

At Carthago potens Cypriano martyre gaudet
Cuius & ore simul profusi & sanguine fontes
Fecundauerunt Lybiæ sitientis arenas.

Idem in eodem.

Nec minor occiduis effulsit gratia terris,
Ambrosius Latio, Vincentius extat Hiberis,
Gallia Martinum, Delfinum Aquitanica sumpsit.
Multáque præterea per easdem largiter oras
E Semina sanctorum positis diffusa sepulchris
Inlustrant totum superis virtutibus orbem.

Idem in eodem.

Sic itaque & nostra hæc Christi miserantis amore
Felicis meruit muniri Nola sepulchro,
Purgarique simul, quia cæcis mixta ruinis
Orbis, & ipsa alta moriens in nocte iacebat.

Idem in eodem.

Persona exululant pœnis qui numine falso
Defuerant, & qui mentito nomine viuos
Ante Dei cultum sibi nil cæleste videntes
Dediderant homines, hi nunc vbi lumine Christi
Vera fides patuit, non possunt ferre sepultos.

Idem

Idem in XIII. de Gothorum exercitus cum suo rege interitu.

Pluribus hac etenim causa est curata patronis,
Vt Romana salus, & publica vita maneret,
Hic Petrus, hic Paulus proceres, hic martyres omnes,
Quos simul innumeros magna tenet ambitus vrbis,
Quosque per innumeras diffuso limite gẽtes,
Intra Romuleos veneratur Eclesia fines
Sollicitas simul impenso duxere precatu
Excubias, Felix meus his velut vnus eorum
In precibus pars magna fuit, sed summa petiti
Muneris ad iunctos nulli priuata refertur.

Idem in XIIII.

Nunc ad te venerande parens æterne patrone
Susceptor meus, & Christo charissime Felix
Gratisicas verso referam sermone loquelas:
Multa mihi variis tribuisti munera donis,
Omnia præsentis vitæ rem, spemque futuræ
Quæ pariunt tibi memini debere cui me
Mancipium primis donauit Christus ab annis
Si mihi fluminëis facundia curreret vndis,
Oraque mille forẽt centenis persona linguis,
Forte nec his opibus conlato fonte refectos,
Omnia Felicis percurrere munera possem:
Quanta suo Dominus donauit Christus amico,
Et mihi Confessor famulo transmisit alumno.

Idem in eodem.

Si prima repetẽs ab origine cuncta reuoluam,
Quo pietate pater vario mihi præstiterit æuo,
Ante queã capitis proprii numerare capillos
Quam tua circa me, Felix bone, dona referre.

Idem in eodem.

Incolumi solio & nũquam rimante sepulchro
Vndique vallatum solido munimine corpus
Martyris & meriti nullis potuisse piaclis:
Et dignum retinere sua pia carnis honorem
Ossa, quia sanctus nunquam desistit adesse
Spiritus vnde pius stat gratia viua sepulchris,
Quę probatum Christo cũctos sine morte sepultos
Ad tempus placido sopiri corpora somno.

Idem in XV.

Ver age carminibus fluat articulata modestis
Vox numeris, ades, ô dives, mihi causa loquendi
Felix, & tacito mea corda inlabere flatu
Spiritus ore meo curret tuus, esto meis fons
Eloquiis, ego vero tuis ero fistula riuis
Quos mihi præbueris diuino à flumine verbi.

Idem in eodem.

Surge igitur, blandoque meum spiramine pectus
Ingredere, ô Felix pater & Domine atq; patrone,
Tu domus & medicina mihi, & sapientia Felix,
Tu nunc obtusam mihi longa per otia mentem
Exacue ignito vegetans mea lumine corda.

Idem in eodem.

Sed mihi non isto fundendus in æquore sermo est
Vt per sanctorum merita aut miracula cunctam
Et quæ per sanctos omnes ab origine rerum
Præstat, agitque Deus, versu texere coner,
Quæ nec mens humana capit, nec lingua profari.
Et quid in hoc mirum si charta volumine toto
Non capiat, quæ nec mundus capit omnia totus?
Maior enim mundo sator ipse Deus rex,
Qui terram cælumque implet, quem non capit iste
Mundus, cum capiunt sancti non corporis amplo
Sed pietate humiles, & mundo corde capaces.

Idem in eodem.

Nunc itaque vt diuina mei bene gesta patroni
Felicis referam, vel quæ mihi commoda vitæ
Contulerit vel quæ multis ope talis præstans
Muneribus conferre pius non desinit omni
Pæne die, variis tribuens pia munera signis:
Christum laudari meritorum postulat ordo
Non hominem sed eum potius laudare videbor,

A *Quo Felix auctore potens venerabile nomen*
Obtinet, & medicas dat opes quibus ægra resurgit
Corpora, captiuasque animas vi dæmonis atri
Absoluit superante Deo, nec in hac ope tantum
Munificus Felix operatur munera Christi
Et de vipereo fortissimus hoste triumphat.

Item vt magis miretur liuidos accusator, immò vt fremat, & tabescat, audiat Paulinum, vt ait Augustinus, Nolanum Episcopũ ex opulentissimo diuite, voluntate pauperrimum, & copiosissimè sanctum, de sapientiæ scientia non inflatum, sed humiliatum: quia charitatis ardore erat flagratus, & eius ornatu ædificatus. Audiat, inquam, talem Paulinum ita dicentem in sua Epistola ad sanctum Seuerum: *Erit ne quæso tempus illud, & inlucescet ille ali-*
B *quando dies, quo fraternitatem tuam comite electorum dei cohorte venientem in gremio iam communis patroni domini mei Felicis excipiam:* Idem ad eundem in epistola de palliolis. *Tugurium vero nostrum quod à terra suspensum cœnaculo vna porticu cellulis hospitalibus interposita longius tenditur quasi dilatatum gratia Domini non solum sanctis qui illam plurimas iam diu tum illorum caternis non capaces angustias præbuit, in quo personis puerorum, ac Virginum choris vicina domini nostri Felicis culmina resultabant.* Idem ad eũdem de sancto Claro Presbytero comite sancti Martini. *Itaq; sanctæ ipsius memoriæ versus, non quia aliquid diuinis eius meritis dignum loqui possem, sed vt studium plurima in illum animæ charitatis exprimerem ausus sum facere & vnanimitati tuæ mittere, quos tu coram Domino sanctæ & cohospitantis te-*
C *cum semper in Domino animæ eius recitans, excusabis audaciam meam, & commendabis obsequium.*

Presbyter hic situs est meritis & nomine Clarus,
Martino studiis comes, & meritis modo consors.
Digna pio domus est altaria sub quibus artus
Conditur exanimo, nam spiritus æthere gaudet,
Discipulumq; pari sociat super astra magistro.
Clare fide, præclare actu, clarissime fructu,
Qui meritis titulum nominis æquiparas.
Casta tuum digne velant altaria corpus,
Vt templum Christi contegat ara Dei.
Sed quia tu non hac qua corpus sede teneris,
Qui meritus superis spiritus inuolitas.
Siue patrum finibus recubas, dominive sub ara
Conderis, aut sacro pasceris in nemore;
Qualibet in regione poli situs aut paradisi
D *Clare, sub æterna pace beatus agis,*
Hac peccatorum bonus accipe vota rogantum
Vt sis Paulini Therasiaque memor.
Dilige mandatos intercurrente Seuero
Quos ignorasti corpore sic meritos.
Vnanimi communis amor sit: fomes vtrisque
Perpetui summo fœderis in Domino.
Non potes implicitos diuellere si trahis vnum,
Vnus adhærentes qua rapitur rapiet.
Ergo indiuiduos pariter complectere fratres,
Vtque sumus, sic nos dilige participans,
Sic Deus accinit, sic nos Martinus amauit,
Sic & tũ pariter, Clare tuere pares,
Non meritis sed amore pares tu sancte valebis
E *Exorare, pares & meritis fieri.*
Si cum Martini socia pietate labores
Vt vincant vestra crimina nostra preces
Et simul in vestri ducamur sorte Seueri
Vestraque nos ambos protegat ala sinu.

Idem de his tribus pariter in vnum collectis, hoc est de sancta pictura, & diuina cruce, sacrisque sanctorum reliquiis, de quibus blasphemator quasi alter immanior tartareus Cerberus rabida tria guttura pandens trifauces perstrepit latratu, & velut seuiger olidusque hircus vitam amœnam Christi & suę Ecclesiæ discerpere, & cicatricẽ ei fœdam infligere venenoso dente conatur, ita disseruit: *Quod si Domitiæ desiderium anima vestra fecerit secundum fidem vestram adiiciens ornatus & sanctificationi operum vestrorum, vt sacrosanctis benedictis gloriosorum Apostolorũ*

aut Martyrũ reliquiis adipiscar, quia bonus vos præsumptionem vos aliam apud primuliacũ nostrã, & priore maiorẽ basilicam præparasse cognouimus, dignum opere fides vestra, & operis fideliter elaborati dedicatione procul dubio celeberrima, sanctorum quoque reliquiis decens arbitramur, vt hoc etiam quod decerni emisimus, pariter depositum sacratumque veneremini: quod si ita placuerit, placitum vestrum hi (si videbitur) versiculi nuntiabunt. A

Diuinum veneranda tegunt altaria fœdus
Compositis sacrum cum cruce martyribus.
Cuncta salutiferi coeunt martyria Christi
Crux, corpus, sanguis martyris ipse Deus.
Namq; Deus semper vobis sua munera seruat,
Atque vbi Christus, spiritus & pater est
Sic vbi crux, & martyribus: quia martyris & crux
Martyriis sanctis, quę pia causa fuit.
Illa cibum vita mortalibus, illa coronas, B
Quæ Domino famulos participans, peperit.
In cruce fixa caro est, qua pastor de cruce sãguine
Ille suis vitam quo bibo corda lauo.
Christi tuo rocant simul hæc tua dona Seuere,
Portitor & testis & sit crucis iste tua.
Carne tua viuat cuius illi pocula sanguis
Præbeat in verbo, viuat, agatque tuo,
Quamque tuum socio Martinũ ascendere Claro
Videt & ipse tuo munere victus eat.

Si vero magis placeat vobis hanc de cruce benedictionẽ ad quotidianam tutelam atq; medicinam in promptu habere, ne semel condita in altario non semper ad manum vt vsus exigit præsto sit, sufficit & illa ad basilicæ consecrationem gratia si Domini cum Apostolis & martyribus quorum venerandus cinis, si sine crucis consortio, subiiciatur altaribus. Hic opertos titulus indicauit. C

Pignora sanctorum diuina gloria mensa
Velat Apostolicis edita corporibus.
Spiritus & Domini mediis virtutibus instans,
Per documenta sacros vina probat cineres.
Sic geminata piis adspirat gratia votis,
Iuncta martyribus desuper acta sacris.
Vota sacerdotis viuentum, & commoda paruo
Puluere, sanctorum mors pretiosa iuuat

Idem de eisdem reemis sacris.

Verum hanc quoq; basiliculam de benedictis Apostolorum & & Martyrum reliquiis sacri cineres in nomine Christi sanctorum sancti, martyrum Martyris, & Dominorum Domini consecrabunt: Ipse enim testatus est se vicissim confessorum suorum confessorem futurum. Ideo super hæc præter picturam gratia geminatus est titulus de pictura. D

Sanctorum labor, & merces sibi certe cohærent
Ardua crux, pretiumque crucis sublime corona.
Ipse Deus nobis princeps crux atque corona
Inter florifera cæleste nemus paradisi
Sub cruce sanguinea niueo stat Christus in agno,
Agnus vt innocua iniusto datus hostia letho
Alite quem placida sanctus perfundit hiantem
Spiritus, & rutila genitor de nube coronat.

Item Aurelius Prudentius clemens, vir consularis ac Hiberorum eruditissimus, eodem fidei ac deuotione studio flagrans, multa de sanctorũ laudibus intercessionibusque postulandis metrico textu cõposuit. Hinc mira humilitate substernendo ad se conuersus suamque adhortans animam ait in præfatione libri E

Atqui fine sub vltimo
Peccatrix anima stultitiam exuat,
Saltim voce deũ concelebret, si meritis nequit:
Hymnis continuet dies
Nec vox vlla vacet, quin Dominum canat.
Pugnet contra hæreses, Catholicam discutiat fidẽ
Conculcet sacra gentium:
Labem Roma tuis inferat idolis.
Carmen martyribus deuoueat, laudet Apostolos
Hæc dum scribo vel eloquor,
Vinclis vtinam corporis emicem.
Liber, quo tulerit lingua sono mobilis vltimo.

Idem in Romani martyris carmine.

Vellem sinister inter hœdorum greges
Vt sum futurus, eminus dinoscerer,
Atque hoc precante diceret Rex optimus,
Romanus orat transfert hunc hœdum mihi,
Sit dexter agnus, induatur vellere.

Idem in hymno sanctorum martyrum Emitherii & Chelidonii Calagurritanorum

Scripta sunt cælo duorum martyrum vocabula,
Aureis qua Christus illic adnotauit literis,
Sanguinis notis, & idem scripta terris tradidit.
Pollet hac Felix per orbẽ terra Hiberea stẽmate
Hic locus dignus tenendis ossibus visus Deo,
Qui beatorum pudicus esset hospes corporum.
Hic calẽtes hausit vndas cæde tinct⁹ duplici B
Illitas cruore sancto nunc arenas incola
Confrequẽtant obsecrantes, voce, votis, munere
Exteri nec non & orbis huc colonus aduenit.
Fama nam terras in omnes præcucurrit proditrix
Hic patronos esse mundi quos precantes ambiãt
Nemo puras hic rogando frustra congessit preces
Lætus hinc tersit reuertit supplicator fletibus,
Omne quod iustum poposcit impetratum sentiens.
Tanta pro nostris periclis cura suffragãtiũ est,
Non siuãt, inane vt vllus voce murmur fuderit
Audiunt, statimque ad aurẽ regis æterni ferũt.
Inde larga fonte ab ipso dona terris influunt,
Supplicum causas petitis quæ medelis irrigant.
Nihil suis bonus negauit Christus vnquã testib⁹. C

Idem in eodem.

Cæsaris vexilla linquũt, eligũt signũ crucis.
Proque ventosis draconum quos gerebant palliis,
Præferunt insigne lignũ, quod draconẽ subdidit.

Item in eodem.

His modis spurcum latronem martyrum virtus quat
Hæc coercet, torquet, vrit, hæc catenas intulit
Prædo vexatus relictis se medullis exuit.
Linquit illæsam rapinam, faucibus siccis fugit,
Vngue ab imo vsque ad capillum salua reddit omnia,
Confitens ardere sese, nam gehennæ est incola.
Quid loquar, purgata longis alba morbis corpora
Algidus cum decolores horror artus concutit,
Hic tumor vultum relinquit, hic color verus redit. D
Hoc bonum Saluator ipse, quo fruamur præstitit,
Martyrum cum membra nostro consecrauit oppido,
Sospitant quæ nunc colonos quos Hiberus alluit.

Idem de sancti Laurentii passione verbis ornatis ait.

Absterge Christe hoc dedecus,
Emittit Gabriel tuum,
Agnoscat vt verum Deum
Errans Iulica cæcitas.
Etiam tenemus obsides
Fidissimos huius spei:
Hic nempe iam regnant duo
Apostolorum principes.
Alter vocator gentium,
Alter cathedram possidens,
Primam, recludit creditas E
Æternitatis ianuas,
Discede adulter Iuppiter,
Stupro sororis oblite,
Relinque Romam liberam,
Plebemque iam Christi fuge.
Te Paulus hinc exterminat,
Te sanguis exturbat Petri,
Tibi id, quod ipse armaueras,
Factum Neronis officit.

Idem in eodem.

O ter quaterque & septies
Beatus vrbis incola
Qui te ac tuorum comminus

Sedem

Sedem celebrat oſtium
Cui propter aduolui licet
Qui fletibus ſpargit locum,
Qui pectus intercam premit,
Qui vota fundit murmure.
Nos Vaſco Hiberus diuidit
Binis remotos alpibus
Trans Cottianorum iuga, (.·.)
Trans & Pyrenas ninguidos.
Vix fama nota eſt, abditis
Quam plena ſanctis Roma ſit.
Quam diues vrbanum ſolum
Sacris ſepulchris floreat. (.·.)
Sed qui caremus his bonis,
Nec ſanguinis veſtigia
Videre coram poſſumus,
Cælum intuemur eminus.

Idem in eiusdem fine paſsionis.

Quæ ſit poteſtas credita,
Et muneris quantum datum,
Probant Quiritum gaudia
Quibus rogatus annuis.
Quod quiſque ſupplex poſtulat,
Fert impetratum proſpere,
Poſcunt, litantur, indicant,
Et triſtis haud vllus redit.
Ceu præſto ſemper adſies,
Tuoſque alumnos vrbicos (.·.)
Lactante complexus ſinu
Paterno amore nutrias.
Hos inter ô Chriſti decus.
Audi & poetam ruſticum
Cordis fatentem crimina,
Et facta prodentem ſua.
Indignus agnoſco & ſcio, (.·.)
Quem Chriſtus ipſe exaudiat,
Sed per patronos martyres
Poteſt medelam conſequi.
Audi benignus ſupplicem
Chriſti reum Prudentium,
Et ſeruientem corpori,
Abſolue vinclis ſæculi.

Idem in fine Hymni ſanctæ Eulaliæ.

Carpite purpureas violas,
Sanguineoſque crocos metite:
Non caret his genialis hyems ,
Laxat & arua tepens glacies,
Floribus vt cumulet calathos.
Iſta comantibus è folijs (.·.)
Munera virgo, puerque date:
Aſt ego ſerta choro in medio,
Texta feram pede dactylico,
Vilia, marcida, feſta tamen.
Sic venerarier oſſa libet, .·.
Oſsibus altar & impoſitum,
Illa Dei ſita ſub pedibus
Proſpicit hæc, populoſque ſuos
Carmine propitiata fouet.

Idem in paſsione ſancti Vincentii Martyris.

Felix amœni litoris
Receſſus ille, qui ſacra
Fouens arentis viſcera
Vicem ſepulchri præbuit.
Dum cura ſanctorum pia
Deflens adornat aggerem.
Tumuloque corpus creditum
Vita eſeruat poſtera.
Sed mox ſubactis hoſtibus,
Iam pace iuſtis reddita,
Altar quietem debitam
Præſtat beatis oſsibus.

Idem in eadem paſsione.

Adeſto nunc, & percipe

A *Voces precantum ſupplices*
Noſtri reatus efficax
Orator ad thronum patris.
Per te, per illum carcerem,
Honoris argumentum tui
Per vincla, flammas, vngulas,
Per carceralem ſtipitem.
Per fragmen illud Teſteum,
Quo parta creuit gloria,
Per quem trementes poſteri
Exoſculantur lectulum.
Miſerere noſtrarum precum,
Placatus vt Chriſtus ſuis
Inclinet aurem proſperam,
B *Noxas nec omnes imputet.*
Si ritè ſolemnem diem
Veneramur ore, & pectore,
Si ſub tuorum gaudio
Veſtigiorum ſternimur.
Paulisper huc illabere
Chriſti fauorem deferens,
Senſus grauati vt ſentiant,
Leuamen indulgentiæ.

Idem de Hymno ſanctorum XVIII. Martyrum Cæſar-Auguſtanorum.

Bis nouem noſter populus ſub vno
Martyrum ſeruat cineres ſepulchro
Cæſar-Auguſtam vocitamus vrbem
Res cui tanta eſt.
C *Plena magnorum domus Angelorum*
Non timet mundi fragilis ruinam
Tot ſinu geſtans ſimul offerenda
Munera Chriſto.
Cum Deus dextram quatiens coruſcam
Nube ſubnixus veniet rubente,
Gentibus iuſtam poſiturus æquo
Pondere libram.
Orbe de magno caput excitata
Obuiam Chriſto properanter ibis,
Ciuicas omnis pretioſa portans
Dona caniſtris,
Afra Carthago tuum promet oſſa
Ore facundo Cypriane doctor:
Corduba Aciſclum dabit, & Zoellum,
D *Treſque coronas.*
Tu tribus gemmis diadema pulchrum
Offeres Chriſto genitrix piorum,
Tarraco, intexit cui Fructuoſus
Sutile vinclum.
Nomen hoc gemmæ ſtrophio illigatum eſt,
Emicant iuxta lapides gemelli,
Ardet & ſplendor parilis duorum
Igne coruſco.
Parua Felicis decus exhibebit
Artubus ſanctis locuples Gerunda,
Noſtra geſtabit Calaguris ambos:
Quos veneramur.
Barchinon claro Cucufate freta
Surget, & paulo ſpecioſa Nardo,
E *Teque præpollens Arelas habebit*
Sancte Geneſi.
Luſitanorum caput oppidorum
Vrbs, adorat a cineres puellæ
Obuiam Chriſto, rapiens ad aram
Porriget ipſam.
Sanguinem iuſti cui paſtor hæret
Ferculum duplex, geminumque donum
Ferre Complutum gremio iuuabit
Membra duorum.
Ingeret Tingis ſua Caſsianum,
Feſta Maſſylum monumenta regum
Qui cinis gentes domitas coegit
Ad iuga Chriſti.

Idem post paoca.

Hoc solantsiues, velut ipsa membra
Cespec includat suus. & paterno
Seruet amplectens tumulo beati
Martyris ossa
Idem in fine eiusdem passionis
Nos pio fletu, dats, perluamus
Marmorum sulcos, quibus est operta
Spes, vt absoluat retinaculorum
Vincla meorum.
Sternt te totam generosa sanctis
Ciuitas mecum tumulis, deinde
Mox resurgentes animas, & artus,
Tota sequeris.
Idem in fine passionis sanctæ Agnetis.
O Virgo felix, ô noua gloria,
Calestis arcis nobilis incola,
Intende nostris colluuionibus
Vultum gemello cum diademate,
Cui posse soli cunctiparens dedit,
Castum vel ipsum reddere fornicem.
Purgabor oris propitiabilis
Fulgore nostrum si iecur impleas.
Nil non pudicum est, quod pia visere
Dignaris, almo vel pede tangere.
Idem in hymno beatorum martyrum, Fructuosi Episcopi Tarraconensis, & Augorii, auque Eulogii diaconorum
Tam de corporibus sacris fauilla,
Et perfusa mero leguntur ossa,
Quæ raptim sibi quisque vindicabat.
Fratrum tantus amor domum referre
Sanctorum cinerum dicata dona,
Aut gestare sinu fidele pignus.
Sed ne reliquias resuscitandas,
Et mox cum domino simul futuras
Discretis loca diuidant sepulchris,
Cernuat aineis stolæ amicti,
Mandat restitui, cauoque claudi
Mixtum marmore vulnerem sacrandum.
O triplex honor, ô triforme culmen,
Quo nostra caput excitatur Vrbis,
Cunctis vrbibus eminens Hiberis!
Exultate tribus libet patronis,
Quorum præsidio fouentur omnes,
Terrarum Populi Pyrenæarum.
Idem in passione sancti Cassiani Forucorneliensis.
Hic mihi cum peterem te rerum maxima Roma,
Spes est oborta prosperum Christum forte.
Stratus humi tumulo aduoluebar, quem sacer ornat
Martyr, dicato Cassianus corpore.
Dum lacrimans mecum reputo mea vulnera, & omnes,
Vitæ labores ac dolorum acumina:
Erexi ad Cælum faciem, stetit obuia contra
Fucis colorum picta imago martyris,
Plagas mille gerens, totos lacerata per artus.
Idem post pauca
Æditums consultus ait, quod prospicis hospes,
Non est inanis, aut anilis fabula
Historiam pictura refert, quæ tradita libris.
Veram vetusti temporis monstrat fidem.
Idem in fine eiusdem passionis.
Hæc sunt quæ liquidis expressa coloribus hospes
miraris, ista est Cassiani gloria.
Suggere, si quod habes iustum, vel amabile votum,
Spes si qua tibi est, si quod intus æstuas.
Audit, crede preces martyr prosperrimus omnes,
Ratasque reddit, quas videt probabiles.
Pareo, complector tumulum, lacrimasque quoque fundo
Altar tepescit ore, saxum pectore.
Tunc arcana mei percenseo cuncta laboris
Tunc quod petebam, quod timebam murmuro.

A Et post terga dubia sub sorte relictum
Et spem futuri forte nutantem boni.
Audior, vrbem adeo, dextris successibus vtor
Domum reuertor, Cassianum prædico.
Fortunatus similiter sanctos, & eorum memorias laudando & honorando, suis deuote & fideliter se orationibus commendantes posse adiuuare & credidit, & docuit. Hinc de basilica sancti Georgii martyris enarrans ait.
Qui virtute potens Orientis in axe sepultus,
Ecce sub occiduo cardine præbet opem.
Ergo memento preces, & reddere vota viator,
Obtinet hic meritis quod petit alma fides.
Idem de sancto Mauricio & suis commilitonibus.
Fortunatis enim per fulgida dona tonantis
B Ne tenebris crucier quæso feratis opem
Idem de sancto Medardo.
Hæc pia pauca ferens ergo fortunatus amore,
Auxilium posco, da mihi vota precor.
Idem in Epitaphio Gregorii Episcopi ciuit. Lingooicæ
Si quæras meritum produnt miracula rerum
Per quem debilibus fertur amica salus.
Idem in epitaphio Calctrici Charterici Episcopi ciuitatis Carnotenæ
Hæc quis sancte pater pro magnis parua susurro,
Pro fortunato quæso precare tuo
Idem de Gregorio Episcopo Turonensi.
C Martini meritis per tempora longa Gregori,
Turonicum foueas pastor in vrbe gregem.
Consilios factis sis norma & vita priorum,
Exemploque tuo crescat adeptus honor.
Lumen apostolicum populis tua lingua ministret,
Et cæli donum te radiante micet.
Legimus etiam electos domini per priorum merita sanctorum dominum exorasse: sicut in Daniele memoratur de Azaria ita orante. Ne quæsumus tradas nos in perpetuum propter nomen tuum, & ne dissipes testamentum tuum, neque auferas misericordiam tuam à nobis propter Abraham dilectum tuum, & Isaac seruum tuum & Israel sanctum tuum, quibus locutus es, pollicens quod multiplicares semen eorum sicut stellas cæli, & sicut arenam quæ est in littore maris. Quod
D proculdubio nullatenus fecissent, nisi diuino reuelante spiritu certissimè cognouissent plus apud dominum valere sanctos deposita corruptibilis & mortalis sarcina carnis ei inseparabiliter adhærentes, quam alios in hac adhuc vita ærumnosa degentes, vbi caro concupiscit aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem: quos licet perfecti sint, terrena tamen adgrauat ac deprimit habitatio, & de semetipsis semper debent esse solliciti. Vnde Apostolus queritur quamuis eum spes futuræ consolatur libertatis, dicens. Condelector enim legi Dei secundum interiorem hominem. Video autem alium legem in mēbris meis repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem in me legem peccati quæ est in membris meis. Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Gratia Dei per Iesum Christū dominum nostrum. Non solum autem diuersis viuorum
E necessitudinibus intercessione sanctorum à domino mirabiliter & præsentiabiliter succurritur: verū etiam defunctis fidelibus, iuxta eorundem memorias humatis diuina credimus & legimus præstari suffragia, his videlicet qui hoc per corpus ante parauerunt & promeruerunt, vt & sacrificia & orationes atque eleemosynæ quæ pro eis ab Ecclesia vel ab amicis quibuslibet superstitibus fiunt, ipsis post obitum valeāt proficere. Vnde Augustinus in li. de cura pro mortuis gerenda ad Paulinum Episcopum: Scripsisti mihi quærens à me vtrum prosit cuiq; post mortē quod corpus eius apud sācti alicuius memoriā sepelitur. at post pauca. Nā dicis videri tibi nō esse inanes motus animorum religiosorum atq; fidelium pro suis ista curantium. Adiūgis vacari nō posse, quod vniuersa pro defūctis Ecclesia supplicare cōsueuit: vt hinc & illud cōiici possit, homini prodesse post

post mortem si fide fuerant humando corpori talis prouideatur locus, in quo appareat opitulatio, etiā isto modo quæsita sanctorum. Sed, cum hæc ita sint quomodo huic opinioni contrariū non sit, quod ait Apostolus: Omnes adstabimus ante tribunal Christi vt referat vnusquisq; secundū ea, quæ per corpus gessit, siue bonū siue malū: nō te satis videre significas. Hæc quippe Apostolica sententia ante mortem admonet fieri quod possit prodesse post mortem, non tunc quando iam recipiendum est quod quisq; gesserit ante mortem. Verū hæc ita soluitur, quæstio quoniam quodam vitæ genere adquiritur, dū in hoc corpore viuitur vt aliquid adiuuent ista defunctos, ac per has secundum ea, quæ per corpus gesserūt, eis quæ per corpus religiosè pro illis facta fuerint, adiuuātur. Sunt.n. quos nihil omnino adiuuāt ista: siue pro eis fiant, quorum tam mala sunt merita, vt neq; talib⁹ digni sint adiuuari: siue pro eis, quorū tam bona, vt talibus nō indigeant adiumentis. Genere igitur vitæ, quod gessit quisq; per corpus efficitur, vt vel nō prosint, quæcunq; pro illo pie fiūt, cum reliquerit corpus. Nam meritum, per quod ista prosint, si nullum comparatum est in hac vita, frustra post hanc quæritur vitam. Ita fit vt neq; inaniter Ecclesia vel suorum sit a pro defunctis, quod potuerit religionis impendat: Et tamē ferat vn⁹ quisq; secundum ea, quæ per corpus gessit siue bonum siue malū reddente Domino vnicuiq; secundū opera eius. Vt.n. hoc, quod impenditur, possit ei prodesse post corpus, in ea vita adquisitū est, quam gessit in corpore. Et post multa: *Proinde sepeliendis corporibus apud memoriā sanctorū locus, bonæ affectionis humanæ est erga funera suorum: Quoniam si nonnulla religio est vt sepeliantur non potest nulla esse, quando vbi sepeliantur, attēdunt. Sed, sū talia viuorū solatia requiruntur, quib⁹ eorum pius in suos animus appareat, non video, quæ sint adiumēta mortuorum: Nisi ad hoc, vt dum recolunt, vbi sint posita eorū quos diligūt, corpora, eisdem sanctis illos tanquā patronis susceptos apud Dominum adiuuandos orando commendent.* Quod quidam facere possent, etiam si talibus locis eos humare non possēt. Ex mox. *Cū itaq; recolit animus, vbi sepultū sit charissimi corpus, & occurrit locus nomine martyris venerabilis, eidem martyri animam dilectam commendat recordantis & precantis affectus: Qui cū defūnctis à fidelibus charissimis exhibetur cū prodesse non dubium est iis, qui cum in corpore viuerent, talia sibi post hanc vitam prodesse meruerunt.* Idcirco vt arbitror Ambrosius suum fratrem Satyrum quem nimium dilexerat, iuxta sanctum martyrem Victorem sepeliuit, de quo tres libros edidit egregios, vnum de eius planctu, alteros duos consolatorios de resurrectione, & paradiso. Cuius epitaphium hoc dictauit tetrasticho:

Vranio Satyro supremum frater honorem
Martyris ad leuam detulit Ambrosius.
Hæc meriti merces vt sacri sanguinis humor
Finitimas penetrans adluat exuuias.

Concordat autem huic rationi quod legitur in libro regum, cadauer cuiusdam hominis, vt ossa Helisæi Prophetæ tetigerit, statim fuisse resuscitatum. Ita enim ibi continetur: *Mortuus est ergo Helisæus & sepelierūt eum: Latrunculi quoque de Moab venerunt in terrā in ipso anno. Quidam autem sepelientes hominem viderunt latrunculos & proiecerunt cadauer in sepulchrū Helisæi, quod adhæsit, & tetigit ossa Helisæi, & reuixit homo, & stetit super pedes suos.* His ergo omnibus superius cōprehensis, certissime & euidētissime patet picturas sanctas, & sanctam Domini crucē, & sacras electorum Dei reliquias dignis & congruis honoribus à Catholicis & orthodoxis in Deo & propter Deum venerari oportere, non vt sacrificando eis diuinus honor, & cultus soli Deo omnium creatori debitus sit à quoquam deferendus: sed vt in eius amore, honore, laude, & gloria sua sancta, insignia, & venerabilia vasa, pro vt decet, singula eorum ab omnibus fidelibus & religiosis salua fide & non ficta honorentur & amplectantur. Ille vero Eunomianus & Vigilantianus, omnium sanctorū aduersarius & blasphemator, inimicus etiam crucis Christi, sanctæque eius destructor & conflator imaginis, ac per hoc gradatim ascendens, incarnationis & passionis eius derisor & contemptor. Vbicūmque enim crucifixi sacram

Cor.5.2. v.10.

4 Reg. c.13.

A intueretur effigiem, suos stringens oculos, osque buccis contorquens tumentibus subsannando & cachinnando perstrepit atque clamat, Ecce Christus mortuus, & tortus: quem ob hoc Iudæi præ ceteris in hac regione conlaudant, omnibusque præferunt: & quia in nullo ab eorum traditione & religione dissonat, sapientissimum eū Christianorum vocant quos, veluti imperitos & inscios ad eo discere, suos fieri discipulos deridendo & insultanto exhortantur: Ipso nihilominus vicissim eos, & maxime suos affines Sarracenos nimiis, hyperbolicisq; efferento præconiis. Hic igitur, tantum, & taliter sanctæ & Catholicæ fidei & sanæ doctrinæ obstinatissime resistēs, & contra hanc procacissime garriens & contendens, vt peruersissimus schismaticus, prauissimusque hæreticus

B corripiendus: & quasi vas inutile amarissimo felle, & veneno letifero plenum, Apostolicæ & canonicæ auctoritatis præualida conterendus, immo confringendus est virga. Vt enim cetera omittam, quomodo aut qualiter Episcopus crucem Domini abhorrens, conculcans, violans, ac destruens Ecclesiastica officia, hoc est baptizare, chrisma conficere, manus impositionem, benedictionemve aliquam dare, aut quaslibet facere consecrationes, aut missam celebrare sine illius inscriptione salutiferi potest signaculi: sine quo ista omnia sacra rite ac salubre peragi nequeunt: Hinc sanctus Augustinus ait in expositione Euangelii secundum Ioannem. *Postremo quid est, quod omnes nouerūt signum Christi, nisi crux Christi? quod signum nisi adhibeatur siue frontibus credentium, siue ipsi aquæ ex qua regenerantur, siue oleo quo Chrismate vnguntur siue sacrificio regenerantur nihil eorū rite perficitur. Quomodo ergo per id, quod mali faciunt, nihil boni significatur, quando per*

C *crucem Christi, quā fecerunt mali in celebratione Sacramentorum eius, bonum nobis omne signatur?* Quomodo, inquam, inter Christicolas veraciter potent reputari, dum ea, quę Catholica exercet Ecclesia refutat ac detestatur: in letaniis. n. & in cæteris Ecclesiæ officiis nullum sanctorum vult memorare, aut nominare, vel eorum anniuersaria celebrare festa, sed velut vanam obseruationem & inutilem consuetudinem despiciens, omnia prætermittit. Ne quasi per eorum intercessiones aliquid à Deo postulare videatur quibus seipsum præfert, illorum reliquias ossibus pecorum, aridisque lignis ac lapidibus comparādo, lampades cereosque in Ecclesia per diem lucere, oculosque orando ad terram inclinare prohibet, quasi Deus vbique non esset, & quasi hoc humilitatis ac deuotæ ora-

D tionis indicium fore non videretur. Cum in Euangelio de publicano legitur. *Nec oculos audebat ad cælum leuare.* Luc.c.18.10.
Stephanusque pro lapidantibus se orans genua posuit in terram. Sed & Paulus Simone mago à dæmonibus in aera subuecto pronus ad terram orasse describitur. Hęc autem interim dixisse sufficiat. Act.c.7.60.
Cætera vero quam plurima quę per alios fideles homines & veraces ab eo prolata audientes & nobis renunciantes didicimus, tam impia & tam sacrilega habentur, vt animus Christianus vel ea litteris tradere, vel aliis referre recuset & expaueat. Idcirco illa scribere omittentes ad verba tantummodo suæ epistolæ respondere curauimus. Propter istam autem insanissimam peruersitatem renuit ad conuentum occurrere

E Episcoporum, vocans illorum synodum cōgregationem asinorum. Sed illi nimium patientes, hæc diutius dissimulare non debuerant, neq; ad damna animarum cumulanda & cancrum mortiferum nutriendum, tali erat parcendum homini, qui vt ait Apostolus Deo nō placet, & omnibus hominibus aduersatur. Ergo vero ob diuinæ crucis contemptum Zelans, & Zelando commotus, blasphemiamque sanctorum surda aure transire nequiens, quia membrorū despectus ad capitis sui redundat iniuriā, eo dicēte: *qui vos spernit me spernit:* Hęc pauca de sanctis libris adsumens, collegi, si necesse fuerit ad resistendum diabolo, Christo opitulante, his alia, pro vt ipsa dederit, adiuncturus. Luc.10.16

HVMBERTI SYLVÆ CANDIDÆ

EPISCOPI S. R. ECCLESIÆ CARDINALIS, VIRI Doctissimi, & Leonis IX. ad Imperatorem Constantinopolitanum Legati.

Aduersus Calumnias,

MICHAELIS PATRIARCHÆ CONSTANTINOPOLITANI & Leonis Archiepiscopi Achridani in Bulgaria,

Liber vnus.

Eiusdem Humberti.

Liber alius,

CONTRA NICETAM PECTORATVM PRESBYTERVM & Monachum Monasterij Studiani Constantinopoli.

Accessit

Breuis relatio rerum Constantinopoli ab Apostolicæ Sedis Legatis gestarum.

Omnia

Ex Bibliotheca Serenissimi vtriusque Bauariæ Ducis Maximiliani nunc edita per Henric. Canis.

TRITHEMIVS DE ILLVSTRIBVS VIRIS GERMANIÆ.



Vmbertus monachus Tullensis, ordinis S. Benedicti, vir in diuinis Scripturis eruditissimus, & in secularibus literis nobiliter doctus, ingenio & eloquio clarus, quem Leo Papa Nonus propter scientiam literarum Romam secum duxit, & Episcopum Cardinalem ordinauit, missus ab eo Constantinopolim ad confutandas hæreses Græcorum, adeo Nicetam Pectoratum monachum in præsentia Imperatoris Constantini & Michaelis Patriarchæ confutauit & deuicit, vt librum suum quem contra Latinorum Ecclesiam conscripserat, anathematisaret, & eum manu propria igni comburendum inijceret. Et quicquid ibidem disputando dixit, aut fecit, luculenter conscripsit, sub nomine Romani & Constantinop. Dialogorum more lib. 1. Scripsit etiam quædam alia. Claruit sub Henrico Imperatore secundo. Anno Domini 1050.

HÆc Trithemius, qui tamen corrigendus, cum Constantinum vocat Monachum, quem Monomachũ vocare debuerat. Eadem correctio adhibenda est cum enumerans Scripta Leonis IX. Pontif. dicit: *Scripsit ad Cõstantinum ex Monacho Imperatorem Græcorum de Hæresibus extirpandis librum vnum.* Idẽ error, si non grauior insedit Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum, vbi etiam Constantinum Monomachum, appellat *Monachum.* Quæ seu Trithemii, quod creditu difficile, seu exscriptorum, quod creditu longè procliuius, errata, tollere debebat ille, qui nuper historiã Trithemij vulgauit: si suo & Trithemij honori consultũ volebat. Porro has Humberti lucubrationes antea fuisse editas, vt nobis persuadeamus facile adducimur, quia à non paucis citantur; & Epitome Bibliothecæ Gesnerianæ Dialogũ illũ, cuius interlocutores ROMANVS & CONSTANTINOPOLITANVS, testatur excusum esse Coloniæ 1521. Nos tamen, etsi admodum cupita & quæsita non potuimus vllum Humberti typis descriptum exemplari indagare, aut adipisci. Quo factum, vt locus quidam græce ex Damasceno ab Humberto citatus, sed à librario flagitiosissime scriptus; emendari non potuerit: quem tibi erudite lector, emendandum committimus, si incidas in exemplar correctius, siue excusum; siue calamo exaratum.

Idem argumentum, quod Humbertus, eruditissime tractauit Leo IX. in Epistola ad Michaelem Patriarchã Constantinopol. & Leonem Achridanum. Proderit etiam legisse eiusdem Leonis IX. Pontificis Epistolam ad Cõstantinum Monomachum Imperatorem: quæ est Epistola septima inter Epist. Leonis IX. Tom. 3. Concilior. vbi Humbertum & Socios eius his verbis Imperatori commẽdat. *Hinc iam suæ gloriæ præsentes Filios nostros, Sanctæque Romanæ & Apostolicæ Sedis nuncios per omnia commendamus, quatenus, vt decet, liberaliter suscipiantur, reuerenter habeantur, benigne & honeste tractentur, rationabiliter patienterque audiantur, atque quantocyus nobis laudabiliter remittantur, ne tantum laborem illos frustra arripuisse pigeat, & nos mandasse pudeat.* Epistolam Michaelis Leonisque Achridani, vt & scriptum Nicetæ, excudendum curauimus, prout in Bauarico Codice reperimus: quia interest has calumnias exstare; vt veritatis lux in contrarii opposita magis emineat.

Ex Bellarmin. de Script. Eccles.

HVmbertus Cardinalis Episcopus Syluæ candidæ à Leone nono Pontifice Romam ex Tullensi Ecclesia adductus fuit, & ab eo Legatus Constantinopolim missus, cum esset Græce, & Latine doctissimus scripsit, *librum contra Græcos de azymo, in forma dialogi.* Scripsit & *alterum de ieiunio Sabbati contra Nicetam Pectoratum Græcum*: qui duo libri extant apud Card. Baron in appendice vndecimi tomi Annalium; sed apud Henricum Canisium tomo sexto antiquæ lectionis. Habentur etiam epistolæ Archiepiscopi Constantinopolitani, & Nicetæ, quibus Humbertus respondit. Scriptus est autem prior liber anno Domini 1054.

CAlumnia Episcoporum Michaelis Constantinopolitani & Leonis .·. Arridani (.·. Achridani.) pertinaciter exhalantium pestiferas .·. mefites (.·. Mephises.) diuersarum hæreseon, aduersus Sanctam Romanam Ecclesiam Apostolicamque Sedem: imo contra omnem Latinam & Occidentalem Ecclesiam. Hæc quidem calumnia græco sermone edita, & Ioanni Trannensi Episcopo in sugillationem omnium Latinorum directa: cum fuisset Trani exhibita fratri Humberto sanctæ Ecclesiæ Syluæ Candidæ Episcopo, in Latinum est translata eius studio, atque delata Domino Leoni Nono. Quæ etiam hic ad cautelam multorum & notitiam, non autem ad vtilitatem aliquam inserta, cunctis scire volentibus, fideliter est conseruata.

MICHAEL

MICHAEL VNIVERSALIS PATRIARCHA NOVÆ ROMÆ, ET Leo † Archiepiſcopus Arridæ Metropolis Bulgarorum, Dilecto fratri Ioanni Kannenſi Epiſcopo.

† chridæ

DEI magna dilectio & iocunda compoſitionis viſcera flexere nos ſcribere ad tuam Sanctitatem, & per te ad vniuerſos principes Sacerdotum & ſacerdotes Francorum, & Monachos, & populos, & ad ipſum reuerendiſſimum Papam, & memorari de azymis & ſabbatis, quæ myſtice indecentes cuſtoditis, & communicatis Iud[æ]is. Etenim azyma & ſabbata ipſi cuſtodire à Moyſe iuſſi ſunt: Noſtrum vero Paſcha Chriſtus eſt. Qui vt non iuxta legem inueniretur aduerſarius, & circunciſus eſt, & legale Paſcha celebrauit primitus. Sic illo diſcedente noſtrum nouum operatus eſt. Et hoc manifeſtum eſt in Euangelio ſecundum Matthæum, de myſtica cœna loquens Euangeliſta, ſic quoq; inquit: *Prima autem die aZymorum acceſſere diſcipuli*
Matth. 26. *ad Ieſum, dicentes ei: Vbi vis paremus tibi comedere Paſcha? Qui ait: Ite in ciuitatem ad quendam, & dicite ei: tempus meũ prope eſt, apud te facio Paſcha cum diſcipulis meis.* Et poſt puſillum: *Veſpere autẽ facto diſcũbebat cum duodecim. Et edentibus illis dixit: Amen amen dico vobis, quia vnus veſtrum me traditurus eſt.* Et poſt puſillum dicente Iuda: *Nunquid ego ſum Rabbi?* dicit ei: *tu dixiſti.* Hũc vſq; ô Dei homines vniuerſa legalia Paſchæ ſunt. Deinde ea quæ myſtici & noſtri ſunt, addidit: Euangeliſta enim dixit: *Edentibus autem illis, accepit Ieſus panẽ, fregit & dedit diſcipulis ſuis, & dixit: Accipite & comedite, hoc eſt corpus meũ, quod pro vobis tradetur. Et accipiens calicem gratias egit, & dedit illis, dicẽs: bibite ex eo omnes: hic eſt ſanguis meus noui teſtamenti.* Dicendo enim, *noui* oſtendit, quomodo ea quæ veteris fuerunt teſtamenti, ceſſauere. Aſpicite quomodo panem corpus ſuum ſub nouo teſtamẽto, vocauit. Vos quidem panem, nos ἄρτον dicimus. Ἄρτος autem interpretatur eleuatus & ſurſum portatus, à fermento & ſale, calorem & eleuationem habens. Azymæ autem nihil diſtant à lapide ſine anima & luto lateris deorſum coniunctæ terræ & ſicco luto comparatæ. Quas Moyſes cum amaritudinibus comedere miſeris Iudæis ſemel in anno legem conſtituit: quoniam malæ paſſionis & tribulationis ſymbola ſunt, at noſtrum paſcha gaudium & lætitia totum eſt: & extollit nos ab humo propter gaudium ad cælum, ſicut & fermentum propter proprium calorem, panem, qui pani omni ſuauitate repletus eſt. Azymæ vero neq; ſal, neque
Matth. 5. & 13. fermentum habentes, lutum eſt aridum: Aut non audiſtis Ieſum dicentem diſcipulis ſuis; Quia *vos eſtis ſal terræ?* Et quoniam, *Simile eſt regnum cælorum fermento quod accipiens mulier abſcondit in farina ſatis tribus vſque dum fermẽtaretur totum.* Mulierem ſanctam Eccleſiam vocat. Satis vero tribus modis repletis, Patrem & Filium & Spiritum ſanctum: quorum nequaquam lutulentæ azymæ ſunt
Pſalm. 109. participes, Dicit enim & Dauid de Chriſto: *Tu es ſacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech.* Qui ante Abraham & Moyſen, cæli & terræ & cæterarum creaturarum agnoſcens Deum, exurgens obtulit illi panem & vi-
Hebr. 7. num. Ideo dicit diuinus Apoſtolus: *Quoniam ſi conſummatio per Leuiticum Sacerdotium erat, non ſecundum ordinem Melchiſedech Sacerdos Chriſtus diceretur.* Et quia *tranſlato ſacerdotio, neceſſe eſt, vt legis tranſlatio fiat,* quæ lex lutulenta conſtituit azyma Iudæis cuſtodire.

Idem ipſe magnus Paulus ad Corinthios prima Epiſto-
1. Cor. 11. la ex his loquẽs ait: *Fratres ego accepi à Domino, quod & tradidi vobis: quoniam Dominus in nocte qua tradebatur, acce-*
A *pit panem & gratias agẽs fregit & dixit: accipite & comedite, hoc eſt corpus meum, quod pro vobis tradetur: hoc facite in meam commemorationem. Similiter & de calice: Hic eſt calix nouum teſtamentum in meo ſanguine: hoc facite, quotieſcunque bibetis in meam commemorationem. Quotieſcunque manducabitis panem hunc & calicem bibetis in meam commemorationem, mortem Domini annunciabitis.* Azymæ vero neque commemorationem habent Dei, neque mortem illius annunciant, ſicut Moſaicæ & ante mille quadringentos annos ex lege conſtitutæ: Et per nouum teſtamentum, hoc eſt, per ſanctum Euangelium & per Chriſtum maledictæ & derelictæ.

Sabbata vero quomodo in Quadrageſima Iudaice ob-
B ſeruatis? Aut non audiſtis Euãgeliſtam loquentem: Quia tranſeuntes diſcipuli in Sabbatis cœperunt iter agere euellentes ſpicas & comedentes? Dicebant autem Iudæi ad Chriſtum: *vides quid iſti faciunt in Sabbatis?* qui dixit: Matth. 12.
Etiam: Aut neſcitis quid egit Dauid cum eſuriret ipſe, & qui cum eo erant? quomodo intrauit in templum, & panes propoſitionis comedit: & cætera. Et quia *Sabbatum propter hominẽ* Marc. 2.
factum eſt, non homo propter Sabbatum, Qui & dicebant, *quoniam homo iſte non eſt ex Deo, qui ſabbatum non cuſtodit.* Et Iohan. 9.
iterum loquente Chriſto in Sabbato, & qui manum habebat aridam, ſimiliter & eo qui dæmonis Spiritum habebat, in Sabbato mundato, & murmurantibus Iudæis & ſimilia dicentibus, dicit Chriſtus: *Hypocritæ vnuſquiſque* Luc. 13.
veſtrum nõ ſoluit aſinum à præſepe, aut bouem ſuum & ducit adaquare? Et paralytico ſimiliter quem ſanum fecit. Et
C ideo hi qui Sabbata cum Azymis cuſtodiunt, neque Iudæi, neque Chriſtiani ſunt, ſed ſimiles ſunt Leopardo: Sicut dicit magnus Baſilius; cuius capilli nec nigri, ſunt, nec albi omnino.

Quomodo autem & ſuffocata hi tales comedunt, in quibus ſanguis tenetur? An neſcitis, vt omnis animalis ſanguis anima ipſius ſit, & qui comederit ſanguinem, animam comedit? Et idcirco ſecundum hoc nec gentiles ex toto ſunt. Illi enim occidunt, aut plagantes comedunt.

Item Alleluia in Quadrageſima non pſallitis, ſed ſemel in paſcha tantummodo; quod interpretatur, *Dominus venit, Laudate, Hymnum dicite, & benedicite ei.* Ergo ſecundum hoc neque *Dominus Dominum,* neq; *Benedictus qui ve-*
D *nit,* pſallitis. Et iſtud vero Alleluia Hebraice dictum eſt.

Cur tantam deceptionem horum talium non aſpicitis, nec intelligitis, neq; corrigitis populos & voſmetipſos ſicut qui debent iudicari ex his à Deo? Non derelinquitis quod dicitur, quod hoc Petrus, & Benedictus, & Paulus & cæteri docuerunt? Decipitis vos ipſos & populum in iſtis. Quæ vero ſcripſi, ea ſunt, quæ Petrus & Paulus & cæteri Apoſtoli & Chriſtus docuit: & ſancta Eccleſia Catholica ſuſcepit & cuſtodit religioſe. Quæ & vos correcti cuſtodite. Azymas vero & cuſtodias Sabbatorum proijcite miſeris Iudæis: Similiter & ſuffocata barbaris gentibus, vt ſiamus puri in recta & immaculata fide, & vnus grex vnius paſtoris Chriſti. Cuius in cruce diuino ſanguine inebriati laudamus puri pure Patrem & Filium
E & Spiritum ſanctum. Vniuerſa Moſaicæ legis & ab eo cuſtodita derelinquentes, ſine Deo Iudæis, qui velut cæci perquirentes Chriſtum lumen amiſerunt, permanentes in vmbra, ſicut inſipientes perpetuo. Hæc autem homo Dei, & multotiens ipſe cum populo agnoſcens docuiſti eſſe, & correctus ſcripſiſti multis ſimilem conſuetudinem habentibus. Et vt habeas ſalutem animæ tuæ, mitte principibus ſacerdotum & ſacerdotibus, & adiura, vt per hæc ſeipſos corrigant, & Dei populum, vt Dei mercedem in iſtis habeas. Et ſi hoc feceris, propono & per ſecundam ſcriptionem maiora & perfectiora his tibi ſcribere, fidei vera oſtenſione & firmamento animarum, pro quibus Chriſtus poſuit animam ſuam.

TEXTVS PRÆFATORVM
SYCOPHANTARVM EXPLICATVR.

† Græci. *INcipit responsio Fratris Humberti sancta ecclesia sylua candida dicti Episcopi, instar dialogi ab ipso latine conscripta apocrisariatus sui tempore Constantinopoli: Et iussu Imperatoris religiosi & Orthodoxi Constantini Monomachi* Græce edita sub nominibus Constantinopolitani & Romani: anno Domini millesimo quinquagesimo quarto.*

† Romanus. † PRæfulgente gratia sanctę & indiuiduæ Trinitatis, in cuius manu nos & sermones nostri, hinc iā aggredimur responsū in literis & cauillaoonibus vestris: vt palā sit nos illius sūmi Petri disciplina eruditos, qui dixit: (1 Pet. 3.) *Sitis parati semper ad satisfactionem omni poscenti vos rationē de ea quæ in vobis est spe: cū modestia & timore conscientiā habentes bonam: vt in eo quod detrahunt vobis, confundantur, qui calumniantur vestram bonā in Christo conuersationem.* Quod figurate per Moysen Dominus innuit, vbi vectes quibus arca portaretur, circulis ipsius semper inesse præcepit: nec vnquam extrahi ab eis, ne qua mora fieret, quotiescunq; arcam eleuare necesse esset. Arca siquidē sanctam Ecclesiam: circuli eius diuinā scripturam: vectes eius præpositos Ecclesiæ significant, quos semper expedit sacræ Scripturæ insistere: ne pudenter tunc velint discere, quando iam ad exaltationem sanctæ Ecclesiæ debent quęstiones quorumlibet enodare. Vnde calumniam vestram seriatim discussuri, ab ipsius initio non pigritamur ordiri.

Insuper vt manifestius vestra dicta à nostris secernātur, vestra obelis, nostra autē asteriscis prænotantur. Sed tādem videamus quale sit illud vestræ calūniæ procœmiō, quo laborastis auditorem vestrum efficere beneuolum: ita dicendo.

† Constantinopolitanus. † Dei magna dilectio & iocunda compassionis viscera flexerūt nos scribere ad tuam sanctitatē, & per te ad vniuersos principes sacerdotum, & sacerdotes Francorū & monachos & popolos, & ad ipsū reuerendissimum Papā: & memorari de azymis & sabbatis, quæ mystice indecenter custodiοs & communicatis Iudæis, Etenim azyma & sabbata ipsi custodire à Moyse iussi sunt.

† Romanus. † Ex hac vestra præfatione, sicut profitemini, crederemus vos salutē totius latinæ seu occidētalis Ecclesiæ pro sola magna Dei dilectione quærere: si sciremus vos vēstrā vestrorūq; non negligere. Cō vero vos ipsos & vobis commissos negligatis, vt nefandos Iacobitas, imo Theupaschitas, seu alias hæreticorum pestes, inter vos & penes vos habeatis: neq; eorum cōsortia, neq; colloquia, neque conuiuia, seu pariter orare deuitetis: Quomodo saltē suspicabimur, vos aliqua dilectione Dei aut proximi præmonitos cōpati nostræ perditioni, sicut putatis? Et quare ad præceptū gloriosi Pauli, sic aures præcordiorū obdurastis, vt dicentem non aduertatis? (Tit. 3.) *Hæreticū hominem, post vnam & secundam admonitionem deuita.* Vnde ipse Paulus sciens, quod nulla pars esset fideli cum infideli, Irenæū & Philetum deuitauit, & Timotheo Alexandrum Ærarium deuitare præcepit. Cur etiam nō animaduertitis B. Ioānnem contestantē fidelibus: (Iohan. 2.) *Si quis venit ad vos & hanc doctrinam nō affert, nolite eum recipere in domū, nec aue ei dixeritis. Qui n. dicit aue, communicat operibus illius malignis.* Ast vos quasi omnia munda immunda sint vobis: oculis contra vos & vestra clausis S. Romanam & omnē Occidentalē Ecclesiam pollutam hæresi & Iudaismo, proclamatis: & velut quandam abominationem deuitatis. Ex qua tam cæca & hactenus inaudita audacia ad hoc prorupistis, vt cunctorum hæreticorum quos adhuc deprehendere valuimus, temeritatem transcendatis. Quamuis omnino singulæ hæreses suis adinuētionibus aliqua ecclesiæ membra fatigauerint: nulla tamen adhuc ad tantam vesaniam erupit, vt opinionem suam primæ & apostolicæ sedis in genere præsumsisset, cū interpositione anathematis. Recensete si placet ab initio Christianitatis vsque ad

A nostra tēpora cunctarum hæreseōn volumina; & videbitis an aliqua earum præsumpserit talia. Et cū non inueneritis, saltē tunc resipiente, ne quod absit, permaneatis viciniores præcursores illius Antichristi, qui aduersatur & extollitur supra omne, quod dicitur Deus, aut quod colitur. In cuius arrogantiæ monte consistentes, & ex supercilio eius omnia super vos iacere reputantes, dicitis vos flexos visceribus compassionis, scribere cunctis sacerdotibus Francorum & reuerendissimo Papæ. Sed non solū Romani & Francorū sacerdotes, verū etiā omnis latina Ecclesia de mōte domus Domini clamat, vobis cōtradicens: *In Domino confido: Quomodo dicitis animæ meæ, transmigra in montem sicut passer?* (Psalm. 11.) Tamen eum quem Papam reuerendissimū dixistis reuereri & non detestari debuistis.

Quod autem impudenter calumniamini nos communicare Iudæis, obseruando typice azyma & sabbatū, frenesi inueterata arbitramur adeo vos perdidisse sensum, vt nec factum vestrum respiciatis, nec dictum. Quapropter suademus vobis, vt ad cor redeatis & animaduertatis quid in Exodo Moyses iubeat de azymis: *primo mense, quarta decima die mensis ad vesperū comedetis azyma, vsq; ad vicesimā primā eiusdē mensis ad vesperū. Septem diebus fermen*(Exod. 12.)E*tatū non inuenietur in domibus vestris. Qui comederit fermentatū, peribit anima eius de cœtu Israel, tā de aduenis quā de indigenis terræ. Omne fermentatū non comedetis, in cūctis habitationibus vestris comedetis azyma.* Inde Vide superius: *septem diebus azyma comedetis. In die prima non erit fermētatū in domibus vestris. Quicūnque comederit fermentatū, peribit anima illa de Israel, à prima die vsque ad diem septimam. Dies prima erit sancta atq; solennis & dies septima eadem festiuitate venerabilis, nihil operis facietis in eis, exceptis his quæ ad vescendum pertinent, & obseruabitis azyma.* Itē in sequentibus, scilicet in capitulo tertio decimo eiusdem Exodi dicitur: *Septem diebus vesceris azymis, & in die septima solennitas Domini erit. Azyma comedes. Septem diebus non apparebit apud te aliquod fermentatum, nec in cunctis finibus tuis.* (Exod. 13.) Item: *solennitatem azymorum custodies: Septem diebus comedes azyma sicut præcepi tibi: in tempore mensis nouorum.* Et in Leuitico: *mense primo, quarta decima die mēsis ad vesperam Phase Domini est, & in quinta decima die mensis huius solennitas azymorū Domini est. Septē diebus azyma comedetis, dies primus erit vobis celeberrimus sanctusque, oīne opus seruile non facietis in eo, sed offeretis sacrificium igne septē diebus. Dies autem septimus erit celebrior & sanctior, nullumque opus seruile fiet in eo.* (Leuit. 23.) Et in Nu-C mero. *Mense primo, quarta decima die mensis Phase Domini est, & quinta die solēnitas. Septē diebus comedetis azyma. Quorū dies prima venerabilis & sancta erit: omne opus fimile non facietis in eo, offeretisq; holocaustū Domino: vitulos de armento duos, arietē vnū, agnos anniculos & immaculatos septē, & sacrificia singulorum, & similam quæ conspersa sit oleo. Tres decimas per singulos vitulos, & duas decimas per arietē, & decimā decimæ per agnos singulos. i. per septem agnos, & hircum pro peccato vnū ut expietur.* (Num. 28.) Et in Deuteronomio: *obserua mensem nouarum frugum & verni primū temporis, vt facias Phase Domino Deo tuo, quoniā in isto mense eduxit te Dominus Deus tuus de Ægypto nocte: Immolabisque Phase Domino Deo tuo de ouibus & de bobus, in loco quē elegerit Dominus Deus tuus, vt habitet nomē eius ibi. Non comedes in eo panē fermentatū: septē diebus comedes absq; fermento afflictionis panē, quoniam in pauore egressus es de Ægypto, vt memineris diei egressionis tuæ de Ægypto omnibus diebus vitæ tuæ. Non apparebit fermentatū in* (Deut. 16.)

omnibus

omnibus terminis tuis, septem diebus, & non remanebit de carnibus, eius quod immolatum est vesperi die primo mane.

Hæc omnia si ita Iudæis carnalibus carnaliter obseruanda veteris legis lator cælitus censuit: constat hæc secundum carnalem obseruationem omnino aliena à nobis. Quia in illo septem diebus quotidie fermentatum in omnibus finibus & terminis nostris & domibus inuenitur, apparet atque comeditur. Nec ipsos septem dies aliter quam reliquos totius anni in azymis obseruamus: nec apud vos perit de cætu nostro anima illius; quicunque tam de aduenis quam & de indigenis terræ comederit fermentatum in diebus supradictis. Sed nec velut ipsi à decima die mensis primi sumptum agnum masculum anniculum ex pecoribus vsque ad quartum decimum seruamus, nec ad vesperam immolamus, vt sanguine eius postes signe- B mus; nec carnes eius assas igni accincti & calciati, tenendo baculos in manibus, nocte comedimus festinanter, cum azymis panibus & lactucis agrestibus. Insuper non offerimus incensum holocaustum Domino in his diebus quotidie in igne vitulos duos de armento, arietem vnum, agnos anniculos immaculatos septem: & sacrificia singulorum, & similam conspersam oleo: neque hircum pro peccato, vt expietur pro nobis. In quo ergo communicamus Iudæis? & in quo solennitatem azymorum custodimus? An forsan quia solennes eosdem dies & feriatos habemus, & à quarta decima luna vsque ad vicesimam primam obseruamus? Et cur eadem vos obseruatis, nisi quia aliud nobis innuunt, aliud illis? Illis enim data sunt in memoriam egressionis suæ de Ægypto: nobis autem in memoriam spi- C ritualis egressionis nostræ ex hoc mundo, vt vacemus & videamus, quoniam ipse est Deus qui nos de tenebris vocauit in admirabile lumen suum, consurgere, & consedere non faciens secum in cœlestibus, & vt instar lunaris globi incipiamus lucem cordis nostri, id est, rationem à terrenis auertere, & ad cœlestia conuertere, sicque sapiēdo & quærendo quæ sursum sunt, reuiuiscamus Deo, & moriamur mundo. Sic quoque omnia, quæ superius nos carnaliter obseruare negauimus, Domino annuente spiritualiter & obseruamus, & omnimodo cupimus obseruare, proculdubio credentes, quæcunque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt, B. Paulo sic protestante: *Hæc omnia in figuris contingebant illis: Scripta sunt autem ad correctionem nostram, in quos fines sæculorum deuenerunt.*

Nunc ad obseruantiam sabbati veniamus: De quo in Exodo præcipitur: *Memento vt diem Sabbati sanctifices: Sex diebus operaberis, & facies omnia opera tua. Septima autem die Sabbatum Domini Dei tui. Non facies omne opus tu & filius tuus & filia tua, seruus tuus & ancilla tua, iumentum tuum & aduena, qui est intra portas tuas. Sex enim diebus fecit Dominus cœlum & terram, & mare, & omnia quæ in eis sunt, & requieuit die septimo. Idcirco benedixit Dominus diem sabbati, & sanctificauit eum.* Item in eodem: *Sex diebus operaberis: die septimo cessabis arare & metere.* Igitur in huiusmodi obseruatione Sabbati, vbi & qualiter communicamus Iudæis? Illi enim Sabbato otiosi & feriati nec arant, non metunt, nullumque opus ex more faciūt, sed festum habent & conuiuiū, & requiescunt, serui & ancillæ eorum, boues & iumenta. Nos vero nihil horum obseruamus, sed omne opus facimus, sicut & in præ- E cedentibus quinque diebus, & ieiunamus sicut & in proxima sibi feria sexta ieiunamus. Vos vero si non iudaïsatis, dicere cur Iudæis in simili obseruantia Sabbati communicatis? Sabbatum certe ipsi celebrant, & vos celebratis: Epulantur ipsi, & soluunt semper in Sabbato ieiunium. Illi in sua quadragesima soluunt, à ieiunio omne Sabbatum, præter vnum, & vos in vestra quadragesima soluitis à ieiunio omne Sabbatum præter vnum. Illis duplex est causa Sabbatum celebrandi, scilicet ex præcepto Moysi, & quod contristatis discipulis, ipsi fuerunt de morte Domini, quem non credebant resurrecturum, in hac die gauisi. Vnde quia cum Iudæis Sab- A batum, & nobiscum celebratis diem Dominicum, videmini in tali obseruatione imitari sectam Nazarenorū, qui sic recipiunt Christianismum, vt non dimittant Iudaismum. Latina autem Ecclesia compatiens passo & sepulto Domino, congaudet resurgenti in die Dominica, quando Iudæos nimia occupauit mœstitia, & custodes sepulchri conati sunt corrumpere pecunia. Vnde nos traditionem Apostolicam vsque in hodiernum diem de Sabbato retinentes, & vsque in finem retinere cupientes, hic subscribere curauimus, quid super hoc senserint & confirmauerint nostri antiqui & venerabiles Patres. Ex quorum numero beatissimus Papa Syluester, magni Constantini Augusti spiritualis pater inter alia dixit: *Si omnis Dominicus dies resurrectionis gratia est colendus in gaudio Christianorum: omnis ergo Sabbati dies sepulturæ deputandus est in execratione Iudæorum. Omnes enim discipuli Domini Sabbato fletum habuerunt sepultum Dominū suspirantes, & Iudæis exultantibus lætitia inerat: Apostolis autem ieiunantibus, tristitia imperabat: Tristemur itaque cum tristantibus de sepultura Domini, si volumus cum iisdem de Domini resurrectione gaudere. Neque enim fas est vt destructiones ciborum & ceremonias Iudæorum, more Iudaico obseruemus.* Hæc & his similia dicente sancto Syluestro, non placuit quibusdam Orientalibus ista traditio Apostolicæ sedis, sed magis elegerunt celebrare Sabbatum cum Iudæis: Cuius sententiæ concordans sanctus Papa Innocentius ait: *Sabbato ieiunandum esse, ratio euidentissima demonstrat. Nam si diem Dominicum ob venerationem resurrectionis Domini nostri Iesu Christi non solum in Pascha celebramus, verum etiam per singulas hebdomadarum ipsius diei imaginem frequentamus, ac sexta feria propter passionem Domini ieiunamus, Sabbatum prætermittere non debemus, quod inter tristitiam atque lætitiam temporis illius videtur inclusum. Quod vtique constat Apostolos biduo isto & in mœrore fuisse, & propter metum Iudæorum se occuluisse, quod vtique non dubium est, & in tantum eos ieiunasse biduo memoratur, vt traditio Ecclesiæ habeat isto biduo Sacramenta penitus non celebrari. Quæ forma vtique per singulas hebdomadas est tenenda propter quod commemoratio diei illius semper est celebranda.* Quod si putatis semel atque vno Sabbato ieiunandum, ergo & dies Dominica & sexta feria semel in Pascha erit vtique celebranda. Si autem Dominicæ diei ac sextæ feriæ per singulas hebdomadas reparanda imago est, dementis est bidui agere consuetudine, Sabbato prætermisso; cum non disparem causam habeat à sexta videlicet feria in qua Dominus passus est, D quando & apud inferos fuit, vt die tertia resurgens redderet lætitiam, post biduanam præcedentem tristitiam. Non ergo nos negamus sexta feria ieiunandum, sed dicimus in Sabbato hoc agendum, quia ambo dies tristitiam Apostolis in his qui Christum secuti sunt indixerunt, qui die Dominica exhilarati, non solum ipsum festiuissimum esse voluere, verum etiam per omnes hebdomadas frequentandum esse duxerunt. Hinc iam reliqua vestra dicta discutiamus.

Exod. 10.

Exod. 34.

† Nostrum vero Pascha Christus est. Qui vt non iuxta legem inueniretur aduersarius, & circumcisus est, & legale Pascha celebrauit primitus. Sic illo descedente, nostrum nouum operatus est. Constantinopol.

† Quod Christus vestrum Pascha sit, sciatis nos ita concedere, si eum asseritis etiam nostrum, imo totius Catholicæ Ecclesiæ Pascha esse. Quod si, quod absit, pertinaciter contradixeritis, auscultabimus ipsum Dominum nostrum Iesum Christum sic suos præmonentem de Pseudochristis & Pseudoprophetis. *Si quis vobis dixerit: Ecce hic est Christus, aut ecce illic: nolite ire neque sectemini.* Quod verò dicitis Dominum Iesum celebrato vetere Pascha, nouum discipulis suis celebrandum tradidisse: quis sapiens id negat? Sed illud quod dicitis Dominum nostrum Iesum Christum ideo circumcisum & verus Pascha celebrasse, ne iuxta legem inueniretur Deo contrarius: quis vnquam ausus erit astruere nisi manifestus hæreticus? In hoc enim videmini per- Romanus. Matth. 24.

uerſe cum Marcionitis & Manichæis ſentire alium Deũ veterem legem, alium nouam dediſſe, & vt apertius dicam, Deum malum & Deum bonum multis introducere. Et ne illi malo, hoc eſt, Deo tenebrarum, bonus iſte Deus lucis inueniretur aduerſarius, & circumciſus fuit & celebrauit Paſcha vetus. Et quaſi deuitans illius Tyranni, velut fortioris ſe, iram incurrere, ad tempus ſimulauit ſe legem eius obſeruare. Sed abſit tam peſtiferum virus à fidelium auribus & cordibus, vt vel ſuſpicetur aliquis aliquid aliquando ſimulaſſe omnipotentẽ & ſimpliciſſimam veritatem, quæ eſt Christus Deus noſter: aut alium veteris legis eſſe, alium nouæ auctorem,
Matth. 5. cum ipſa veritas proteſtetur dicens: *Nolite putare quoniam*
Pſal. 83. *veni ſoluere legem aut prophetas: non veni ſoluere legem, ſed adimplere.* Et pſalmiſta dicat: *Etenim benedictionem dabit legiſlator.* Deinde ſubiunxiſtis.

Conſtantinopol. † Et hoc manifeſtum eſt, ſicut in Euangelio ſecundum Matthæum de myſtica cœna loquens Euangeliſta,
Matth. 26. ſic quoque inquit: *Prima autem die azymorum accesserunt diſcipuli ad Ieſum dicentes: Vbi vis paremus tibi comedere Paſcha? Qui ait: Ite in ciuitatem ad quendam, & dicite ei: Tempus meum prope eſt, apud te facio Paſcha cum diſcipulis meis.* Et poſt puſillum: *Veſpere autem facto diſcumbebat cum duodecim diſcipulis ſuis, & edentibus illis dixit: Amen dico vobis: quia vnus veſtrum me traditurus eſt.* Et poſt puſillum dicente Iuda: *Nunquid ego ſum Rabbi?* Dicit ei: *Tu dixiſti.* Huc vſque Dei homines, vniuerſa legalis Paſchæ ſunt. Deinde ea quæ myſtici & noſtri ſunt, addidit Euangeliſta & dixit: *Edentibus autem illis, accepit Ieſus panem, fregit & dedit diſcipulis ſuis & dixit: accipite & comedite, hoc eſt corpus meum, quod pro vobis tradetur. Et accipiens calicem gratias egit & dedit eis dicens: Bibite ex eo omnes: hic eſt ſanguis meus noui teſtamenti.* Dicendo enim: *noui*, oſtendit quoniam ea quæ veteris fuerunt teſtamenti ceſſauerunt.

Romanus. † Hæc omnia non à vobis, ſed à veracibus Euangeliſtis conſcripta, & ab omnibus orthodoxis patribus conſtanter prædicata credimus, & ipſum Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum quarta decima luna ad veſperam Paſcha vetus perfeciſſe, & mox nouum inchoaſſe prædicamus. Quapropter ſequentia videamus.

Conſtantinopol. † Aſpicite quomodo panem corpus ſuum ſub nouo teſtamento vocauit, ſicut viuificum & plenum Spiritu, & ſicut caloris demonſtratiuum. Vos quidem panem, nos ἄρτον dicimus. Ἄρτος autem interpretatur eleuatus & ſurſum portatus à fermento et ſale calorem et eleuationem habens. Azymæ autem nihil diſtant à lapide ſine anima & luto lateris deorſum coniuncta terræ & ſicco luto comparatæ, quæ cum amaritudinibus Moyſes comedere miſeris ſemel in diuina lege conſtituit: quoniam malæ paſſionis & tribulationis ſymbola ſunt ſignificatiua.

Romanus. † In hac veſtra diſputatione, illud tantum approbamus, quod Dominus Ieſus panem benedictum & fractum in memoriam ſui ſub nouo teſtamento corpus ſuum vocauit. Et quod omnis panis huiuſmodi, viuificet & det vitam mundo, vtpote plenus ſpiritu & calore Dei viui, & quod nos panem, vos ἄρτον dicitis, reliqua vero vehementer deteſtatur, & velut hæreticam vanitatem & audaciam olentia atque reſonantia, anathematizamus. Quis enim audebit panem quemlibet abſque myſterio, quod ſupra diximus, aſſerere plenum Spiritu & animatum, niſi diſcipulus Manichæi? Ipſi enim delirando, ſicut vere pleni inſania, impudenter aſſerunt, panem & vinum, lignum, lapidem & veſtem cæteraque talia animam habere. Illud quoque quod azymum negantes panem eſſe, per etymologiam eius nominis, quod eſt ἄρτος conamini nos vincere: ſciatis omnino vanum & puerile. Quia & à linguarum peritis diuerſæ etymologiæ dantur ex vno nomine ſecundum humanum placitum, magis quam ſecundum naturam rerum. Et in omnibus ſcripturis inuenimus panem indifferenter dici, ſiue fuerit azymus, ſiue fuerit fermenta-

A tus. Quod hinc demonſtrare incipimus.

Primo omnium, ecce Manna tam in lege & Prophetis & Pſalmis, quam in Euangelicis & Apoſtolicis litteris, panis, id eſt, ἄρτος vocatur. Sicut in Pſalmo: *ἄρτον οὐρανοῦ ἔδωκεν αὐτοῖς. ἄρτον ἀγγέλων ἔφαγεν ἄνθρωπος:* quod La- *Pſalm. 77.*
tine dicitur: *panem cæli dedit eis panem Angelorum manducauit homo.* Et in Euangelio: [illegible]. *Ioan. 6.*
Et in Exodo: [illegible]. Si ergo *Exod. 16.*
manna quod erat album & minutum ſicut ſemen coriandri, & quaſi pilo tuſum in ſimilitudinem pruinæ, guſtuſque eius quaſi ſimilę cum melle, auctoritate diuina dicitur panis ſiue ἄρτος quod vtique nullam ſimilitudinem, aut verum ſaporem panis habebat; quomodo azymæ poſſit nihil nomen panis, non videmus, qui vtique natura, forma, & ſapore omnimodis panis eſt & dicitur, præſertim cum Angeli apud Abraham & Loth ſubcinericios panes, ἄρτους ἐγκρυφίας dicãtur comediſſe, Angeluſque Heliæ legatur in deſertum attuliſſe, Sed quid multa? In lege & in Euangelio inuenimus τοὺς ἄρτους τῆς προθέσεως, id eſt, *panes propoſitionis*, quos azymos fuiſſe nemo dubitat, qui legis Moſaycæ aliquam noti- *Leuit. 2.*
tiam retentat. Vbi dicitur: *omnis oblatio quæ offertur Domino, abſque fermento fiet: nec quicquam fermenti ac mellis adolebitur in ſacrificio Domini.* Et in Deuteronomio Moyſes azymum vocauit, ἄρτον κακώσεως id eſt, *panem afflictionis.* Sermo quoque Domini ad Ezechielem factus *Ezech. 4.*
dixit: *Et tu Fili hominis ſume tibi frumentum, hordeum, fabam, lentem, milium & viciam, & mitte in vas vnum, & facies tibi panes.* Ecce tam hic quam in ſubſequentibus
C panes dicuntur, vbi nulla fermenti mentio habetur: in tantum vt ſubcinericius, hordeaceus ibidem vocetur. Veruntamen vt de veſtris aliquid dicamus: Audite quid Ioannes Monachus Damaſcenus in laude Dei genitricis dicit: [illegible] † ἄζυμα.
† [illegible]. Quin etiã volumus, vt dicatis fermentatuſne an azymus ſit, de quo Salomõ ait: *Suauis eſt hominis panis mẽ-* *Prouer. 20.*
dacij. Et *panis abſconditus ſuauior eſt*, ſcilicet quam mu- *Prouerb. 9.*
lier ſtulta repromittit. Et hic enim & illic non azymus, ſed ἄρτος dicitur. Et quia nos ad hoc trahere nititur tota veſtra diſputatio, vt pro eo tantum quod Matthæus dixit: λαβὼν ὁ Ἰησοῦς τὸν ἄρτον, id eſt, *accepit Ieſus panem*, in- *Matth. 26.*
cipiamus credere fermentatum & non azymum diſcipu-
D lis ſuis in memoriam ſuæ paſſionis Dominum dediſſe, ſciatis iſtam ſententiam veſtram ſatis infirmam eſſe: Si aliud non habetis, quod poſſit veſtræ parti fauere. Omnis enim ſententia ex opinione procedens, eſt dubia. Quæ autem ex ſcientia procedit, certa omnimode & rata. Vnde ſi aliam ſententiam firmiorem non habetis, hac ſola tam ambigua noſtrum conſenſum vobis non vendicabitis. Quia vt ſuperius copioſe monſtrauimus, azymus ſicut fermentatus dicitur ἄρτος. Quin etiam Matthæus, qui Hebraice ſcripſit Euangelium, non dixit: λαβὼν ὁ Ἰησοῦς τὸν ἄρτον, ſicut Græcus, ſed vt Hebræus Hebræis, *Lacah Ieſus Lechem.* Lechem autem Hebraice etiam azymũ vocari in Deuteronomio cognoſcite, vbi ſic habetur: *Lechem oni*, id eſt, panem afflictionis, atque panes propoſitionis *Lechem panim* dicuntur. Vnde in Pſalmo, manna quoque ſimiliter vocatur, vt *Lechem al-* *Pſalm. 77.*
E *birim achalis*, quod interpretatur, *panem Angelorum manducauit homo.*

Tam copioſis ergo trium principalium linguarum exemplis eneruatam etymologiam veſtram, ex nomine quod eſt ἄρτος ſapienter conſiderate, & azymo noſtro fermentatum veſtrum referre cauete. Quin ſi non obſtinata mente manifeſtæ veritati reſiſtitis: & ſi vetus & nouum Teſtamentum aperte non impugnatis, nobiſcum ſentire & profiteri habetis azymum panem fuiſſe, quẽ ipſe Dominus Ieſus in cœna primis Eccleſiæ ſuæ fundatoribus diſtribuit in memoriam ſuæ paſſionis. Nam ſicut ſufficienter ſupra oſtenſum eſt, in 7. Paſchæ diebus fermentatum nec inueniebatur nec apparebat in cunctis domibus ſeu finibus Iſrael. Et apud quemcum-

que fuisset inuentum, iusta animaduersione velut diuinæ legis transgressor, absque recrastinatione peribat de cœtu Israelitarum. Quod si credimus verbis veritatis dicens: *Non veni soluere legem, sed implere*: credendum etiam & prædicandum est Dominum Iesum nec vnum Iota, aut vnum apicem legis præteriisse, & vt totius transgressionis expertem insidiatoribus suis dixisse: *quis ex vobis arguet me de peccato?* Alioquin nec ipse peccata multorum tulit, nec pro transgressoribus orauit, vt non perirent: nec pro nobis passus, sed pro sua præuaricatione iuste punitus, præsertim qui nec solius legis transgressor inuentus est, fermentato apud se tunc reperto, sed insuper multos discipulos reos mortis effecit, cibans illos fermentato. Videte quorsum euadat hæc vestra disputatio: nempe si in solemnitate azymorum dicitur quolibet vsus fermentato, vere mortuus asseritur in peccato suo, qui peccatum non fecit nec inuentus est dolus in ore ipsius. Insuper administratis Iudæis materiam magnam sibi placendi super interfectione Domini, & permanendi in errore suo, & fidem nostram euacuandi: si gloriantes nomine Christiano obiecerint Christo, quod Iudæorum nemo obiicere præsumpsit, nec tunc, nec modo, nisi forte vestro edoctus magisterio. Quamuis enim principes sacerdotum & omne Concilium quæsissent falsum testimonium contra Iesum, vt eum morti traderent, & nec in verbis eius inuenissent: tamen tale aliquid, quale vos obiicitis, nullus eorum obiecit. Quod si fuisset obiectum, solum vnum sufficeret ad perdendum illum. Nec iam Pilato dicenti: *accipite eum vos, & secundum legem vestram iudicate eum*, dicerent: *Nobis non licet interficere quemquam*, quia ipsi præcepto legis interfecissent fermentati participem. Denique tota in Iesum calumnia ex interrogatione Pilati & responsione Iudæorum facillime potest animaduerti iuxta Euangelium Matthæi & Marci, vbi interrogante Pilato: *Quid enim mali fecit*: clamauerunt: *Crucifigatur:* Porro Luca attestante, omnis multitudo tradentes Iesum Pilato dixerunt: *Hunc inuenimus subuertentem gentem nostram, & prohibentem tributa dari Cæsari & dicentem se Christum regem esse.* Quibus paulo post ait Pilatus: *Nihil inuenio causæ in hoc homine.* Et illi: *Commouit populum per vniuersam Iudæam incipiens à Galilea vsque huc.* Deinde post aliqua dixit eis Pilatus: *Obtulistis mihi hunc hominem quasi subuertentem populum, & ecce ego coram vobis interrogans, nullam causam mortis inuenio in homine isto in his in quibus eum accusatis, sed neque Herodes. Corripiam ergo illum & dimittam.* At illi postulabant, vt crucifigeretur: Ioannes autem refert, Pilatum sic dixisse Iudæis: *Quam accusationem affertis aduersus hominem hunc?* Qui dixerunt ei: *Si non esset hic malefactor, non tibi tradidissemus eum*, Et post aliqua dicente eis Pilato: *Accipite eum vos & crucifigite.* Responderunt: *Nos legem habemus, & secundum legem debet mori, quia filium Dei se fecit.* Nonne tot testibus iniquis in Dominum insurgentibus & iniquitati mentienti sibi, suffecisset hoc vnum vestrum mendacium: si constaret eis saltem hoc solum? Nonne instarent Pilato, & dicerent: Nos legem habemus, & secundum legem debet mori: quia fermentatum in Pascha comedit: aut certe cum apparuit: & forte dicetis eum clam egisse hoc. Absit. Quia non solum de factis suis, verum & de dictis ait ipsi pontifici percunctanti: *Ego palam locutus sum mundo; Ego semper docui in Synagoga & in templo, quo omnes Iudæi conueniunt: & in occulto locutus sum nihil. Quid me interrogas? Interroga eos qui me audierunt quid dixerim ego.* Nunquid etiam Dominum domus in qua Pascha celebrabat sanctæ legis præuaricatio posset latere: quem constat paternarum traditionum æmulatorem apprime fuisse. Quod si forte & hunc latere potuit, aut certe ipse: consensit nunquid & Iudam complicem malignorum Iudæorum latere potuit: qui iuxta Psalmistam: *Vnanimis eius dux & notus* & præsertim dispensator fuit: Quem ipse Dominus dilecto Ioanni demonstrans ait: *Ipse est cui intinctum panem porrexero.*

Matth. 5. — Ioan. 8. — Ioan. 18. — Matth. 27. — Marc. 15. — Luc. 23. — Ioann. 18. — Ioan. 18. — Psalm. 54. — Ioann. 13.

A Et cum intinxisset panem dedit Simoni Iscariotis. Ecce hic bis dixit ἄρτον, quem vos non, nisi fermentatum accipitis. Quod si ita est, quæ res prohibuit infelicem Iudam demonstrato ipso fermentato, prodere sanguinem magistri palam, quemadmodum volebat prodere clam? Aut quid necesse habuit desperando dicere: *Peccaui tradens sanguinem iustum?* cum tradendo transgressorem legis auerterit à se & à populo furorem Domini, & gratiam promeruerit: vt enim præceptum legis diuinæ super hoc breuiter tangamus, perpendite quid in Deuteronomio latius dicatur. *Si propheta quilibet siue frater tuus, filius, aut filia, vxor vel amicus quem diligis vt animam tuam, voluerit clam persuadere tibi, vt auertaris à ceremoniis legis, non acquiescas ei, nec audias, neque parcat ei* B *tuus oculus, vt miserearis & occultes eum, sed statim proditū populo interficies, vt auertatur Dominus ab ira furoris sui, & misereatur tibi, multiplicetque te sicut iurauit patribus tuis.*

Hic ne quid minus factum videatur etiam vestræ nimis ridiculæ opinioni obuiamus: qui non inuenientes quonam sanctarum scripturarum funiculo scapham assertionis suæ pertrahant ad alicuius stabilitatis litus, fluctuando pertrahuntur in illud diuinæ omnipotentiæ pelagus. Namque sciscitantibus nobis vnde Dominus Iesus fermentatum in cœna habuerit, cum in omnibus finibus Israel non inueniretur. Respondent: Si creditur omnipotens, potuit subito vndecunque fermentatum exhibere, aut certe ipsum azymum benedicendo fermentare. Quod quam sit friuolum, nemo, non intelligit. Quia quocumque modo apud eum in ipsa solennitate fermentatum apparuisset, legis transgressor fieret, plane dignus puniri, qui in sanctæ legis contume- C liam fermentatum tractasset. Sed etsi quolibet modo id fuisset factum, aliquis Euangelistarum tantum narraret miraculum, non inferius illo, quo aqua conuersa narratur in vinum. Et cum tam subtiliter gesta siue dicta in ipsa cœna describunt, vt etiam aliqua velut minus necessaria videantur recitare. Sicut illud est de contentione prioratus inter discipulos facta; siue quod Dominus ipse præceperit vendi tunicam & emi gladium: quomodo tam obstinato silentio reticuere, tam necessarii sacramenti initium, & vt ita dicamus, omnimodam metamorphosim, & qualem vos somniatis? neque enim fuerat negligenter commemorandum, quod totius Ecclesiæ extat fundamentum, & vsque secundum Christi aduentum retinebit Christianitatis statum, per quod in Christo manemus & ipse in nobis. Vnde vos assertio- D nis vestræ difficultatem passi, laboratis nobis præiudicium facere ex omnipotentia Christi. Sed vobis fideliter & constanter respondemus. Quamuis omnia quæcumque voluit, fecerit, & faciat Dominus Iesus, hoc facere non potuit, sicut quondam de lapidibus panem facere non potuit. Si quæritur, cur? Breuiter respondetur, quia noluit. Sed vnde scitur, quia noluit? quia non transgredi potuit, nec transgressus est legem, quam non venit soluere, sed adimplere. Itaque vnum è duobus eligatis necesse est: aut enim fermentato abiecto in solennitate azymorum legem impleuit, aut suscepto fer- E mentato legem soluit, propter quam adimplendam se venisse mentitus inuenietur, quod absit. Porro de omnipotentis Dei coomnipotenti filio, ita habetur in Ioannis Euangelio: *Non potest filius facere quicquam à se* Qui etiam secundum Marcum in patria sua non poterat virtutes multas facere.

Hinc nil tergiuersationum vestrarum prætermittentes quia consideratis vestro fermentato secūdum legem & Euangelium iuste contradici: astruere conamini Dominū non celebrasse Pascha cum Iudæis, quarta decima Luna mensis primi, sed priusquam fieret legalis abiectio fermētati. Et hoc probare contenditis in Euangelio Ioannis, qui ait: *Et ipsi non introiuere in prætorium, vt non contaminarentur, sed vt manducarent Pascha.* Quod quanta absurditate dicatur, saltem ex hoc perpendite: quod Christum transgressorem legis non cauetis denuo pronun-

Matth. 27. — Deut. 13. — Ioan. 5. — Marci 6. — Ioann. 18.

tiare, si Paschæ tẽpus noluit obseruare. Præsertim cum *Luc. 22.* Lucas referat: *Quia cum facta esset hora, discubuit* Quamuis enim bis posse celebrari Pascha lex concedat, tamen quartam decimam lunam omnimodis obseruandam denuntiat. Et mundis quidem quartam decimam lunam primi mensis, immundis autem quartam decimam secũdi mensis. Et quicunque aliter præsumpsisset, de medio, populi sui periret. Quod si quæritur quare Ioannes decimam quintam lunam, id est, pascha secundum, dixerit *pascha* cum videatur dicere debuisse: *Ioan. 18.* Et ipsi non introierunt in prætorium, vt non contaminarentur, sed vt mãducarent azyma: quorum prima erat dies ipsa: Sciatis indifferenter ab Euangelistis dici *Pascha & azyma.* *Matth. 26* Nã licet Dominus discipulis dixerit: *Scitis quia post biduum Pascha fiet.* Matthæus tamen ipsius diei in cuius vespere *Ibidem.* fiebat Pascha, mentionem faciens, inquit: *Prima autẽ die azymorum accesserũt discipuli ad Iesum dicẽtes: vbi vis paremus tibi pascha comedere?* Cui concordans Marcus, ait: *Marc. 14.* *Erat Pascha & azyma post biduum.* Et post pauca: *& primo die azymorum, quando Pascha immolabant.* Vbi si indifferenter non accipiuntur Pascha & azyma, vt modo Pascha pro festo azymorum, modo festum azymorum intelligatur pro Pascha: Quomodo stabit: *Erat pascha & azyma post biduum?* Nam iuxta opinionem vestram debuit sic scribi: Erat Pascha post biduum & azyma post triduum. Sed B. Lucas omnem huiusmodi dissoluens controuersiam, inquit: *Luc. 22.* *Appropinquabat dies azymorum, quę dicitur Pascha.* Et quia cũ eo qui proprie dicebatur Pascha subsequentes quoque septem dies azymorum abusiue nuncupabantur Pascha, quem diem vellet specialiter intelligi in sequentibus luce clarius ostendit, dicens: *Ibidem.* *Venit autem dies azymorum in qua necesse erat occidi Pascha.* Quod plane in quartadecima luna fiebat ad vesperum, quando agnus occidebatur. Quem etiam Pascha dici sic Euangelista perhibuit, vt ipsum Pascha occidendum diceret. Item quoque in actibus Apostolorũ narrat, quod Herodes captum Petrum misit in carcerem, volens post Pascha producere eum populo. Qui quod pascha dicat mox subiungens declarat. *Erant autem dies azymorum:* *Actor. 12.* Nec mirum. Cum etiam Exodi 3. Dominus tria festa pręcipua habere præcipiens, *Exod. 3.* Pascha tacuit: solennitatem azymorum tantum custodiri iussit, quę prætermisso Pascha obseruari nequit. Porro Ioannes qualiter intelligi vellet quod ait *vt non contaminarentur, sed vt manducarent* *Ioan. 18.* *Pascha*, paulo post ait: *Erat autem parasceue Paschę hora* *Ioan. 19.* *quasi sexta.* Parasceue Paschæ, præparatio Pachæ interpretatur: quando iam præparabatur, vel instabat celebritas magni diei Sabbati, qui celebrior reliquis paschalibus diebus apud Iudeos habebatur: adeo vt ob reuerentiam eius, gentilis hominis cohabitatione, vel introitu prætorii pollui vererentur. Et insuper ne in cruce remanerent corpora in Sabbato præcauerent. Nec repugnat vero, quod Pascha solennitas azymorum dicitur: quandoquidem ipsum pascha cum azymis edebatur, nec per totum diem illum, sicut scriptum est, apparebat fermentatum in finibus illis vsque ad vesperum octauę diei, quam habebant celeberrimam.

Insuper harum trium solennitatum continuati 8. dies pro vno die sũt habiti. sicut de Scenopegiæ dieb. Dominus dicit: *Ioan. 7.* *Vos ascendite ad diem festum hunc, ego autem non ascendam ad diem festum hunc:* qui tamen postea iam die *Ibidem.* festo mediante, dicitur ascendisse, & in nouissimo magnæ festiuitatis die stetisse & clamasse *si quis sitit, veniat ad me & bibat.*

Ecce vestris opinionibus reluctati forsitan plus necessario fuimus verbosi, sed hinc minime debemus reprehendi, quia causam humano generi super omnia necessariam voluimus euacuari. Si Dominus Iesus legem potuisset transgredi, inanis enim esset fides nostra, inanis prædicatio nostra, quia posset duceri peccatum Adæ obfuisse humano generi, mortem autem Christi nihil profuisse: nunc sequentia videamus: vbi postquam vanis declamationibus, vt supra monstratur, *apte* interpretari

A fuistis eleuatum & sursum portatum à fermento & sale, calorem & eleuationem habentem, horrenda cæcitate, abominati azyma diaistis:

† Azyma autẽ nihil distãt à lapide sine anima & luto *Constantinopol.* lateris deorsum cõiuncta terræ, & sicco luto comparata.

∴ Heu heu heu Domine deus, ecce compleri videmus *Romanus.* Principis Apostolorum præsagium nostris temporibus *1. Pet. 2.* *Ex vobis*, inquit, *erunt magistri mendaces, qui inducent sectas perditionis, & eum qui emit eos, Dominum negant. Superducentes sibi celerem perditionem, & multi sequentur eorum luxurias, per quos via veritatis blasphematur, & in auaritia fictis verbis de vobis negotiabuntur. Quibus iudiciũ iã olim nõ cessat, & perditio eorum non dormitat.* Cuius sententiæ concordans Doctor gentium ait Timotheo: *Hoc scito, quod in* *2. Timot. 3.* B *nouissimis diebus instabunt tempora periculosa, & erunt homines seipsos amantes, cupidi, elati, superbi, blasphemi, &c.* Et post pauca: *Quemadmodũ Iamnes & Mambres restiterũt Moysi, ita & isti resistunt veritati, homines corrupti mente, reprobi circa fidem vltra non proficient, insipientia enim eorum manifesta erit omnibus, sicut & illorum fuit:* Vnde & vos impudenter detrahentes azymis, etiam illi viuifico mysterio redemptionis nostræ inauditas iniurias irrogare non timetis. Nec mirum si in secretis cœlestibus acies mentis vestræ caligat: quandoquidem in terrenis tam peruerse errat, vt azymum quod visu & tactu atque gustu simul & vsu quotidiano panem comprobat, lapidem C seu siccum lutum lateris credat. at ô quam dignam erroris sui mercedem vestra vesania reciperet, si vobis esurientis & omni consolatione humani victus fraudatis lapidẽ seu siccum lutum lateris opponeret aliquis pro azymis? Ibi proculdubio in summo discrimine vestro disceretis plurimum distare lapidem siue laterẽ, ab azymis, & quod lapidibus seu lateribus paries, azymis autẽ confirmetur cor hominis. Quæ quamuis humanam vitam temporaliter sustentent, tamen sine anima esse sicut & fermentatum nullus negare audet, nisi Manicheus demens. Nam in corporis Christi mysterio indubitanter vitalis esca fit perpetuo. Sed dum nitimini Apostolicæ Sedi derogare super azymis, putredine inueteratæ hæresis vos scatere monstratis, asserendo panibus inesse animam fermentatis etiam absque mysterio aliquo dominicæ passionis.

D Quod autem calumniamini azyma deorsum terræ cõiuncta non negamus, vulgo hæc eadem sic parari lapidibus aut argilla superposita: nõ sicut dicitis, terræ cõiuncta. Verum hæc ad communes vsus hominum & cæterorum animalium transeunt. Nam ad magnam Christi mensam non accedũt, sed illud solum, quod diaconi cũ subdiaconis suo ipsi sacerdotes sacris amicti vestib. cum melodia Psalmorum conspersum, & in ferro paratum ex Secretario proferunt. Nempe sicut Apostolici Actus indicant: Diaconi specialiter constituti sunt super hoc opus, Petro dicente: *Non est æquum relinquere nos verbum* *Actor. 6.* *Dei, & ministrare mensis.* Vos autem sicut facere nos reprehenditis, nec in lapide aut argilla seu aliquo metallo vestrum fermentatum paratis. Ergo aut in aqua paratis, aut de cœlo manna venit vobis, quod ad humanos & diuinos vsus habetis.

E Sed ad reliqua friuola vestra veniamus. Non inuenitur Moyses dixisse, azyma malę passionis & tribulationis symbola fuisse, sed *lechem oni*, id est, *panem afflictionis*: non *Deuter. 16* quod naturaliter aliquid afflictionis in se habeat, sed quod Hebræis ad memoriam reuocet, qui ab Ægyptiis exire compulsi conspersam farinam, antequàm fermentaretur, asportarint in humeris: Quę vt superius sufficiẽter disseruimus nihil nos tangunt iuxta carnalis obseruantię ritus. Ideo discutiamus quod sequitur.

* Nostrum vero Pascha gaudium & lætitia totum est, *Constantinopol.* & extollit nos ab humo propter gaudium & cælum, sicut & fermentum propter proprium calorem, panem: Qui panis omni suauitate repletus est: azymum vero, neque sal, neque fermentum habens, lutum est aridum. Aut non audistis Iesum dicentem discipulis suis? *Vos estis sal terræ: et simile est regnum cælorum fermento quod accipiens*

piens mulier, abscondit in farinæ satis tribus, donec fermentaretur totum? Mulierem sanctam Ecclesiam vocat. Satis vero tribus, hoc est tribus modis repletis Patrem & Filium, & Spiritum sanctum, quorum nequaquam lutulentum azymum est particeps.

Romanus. ∴. Optamus vobiscum celebrare Pascha, quod totum sit lætitia, & plenum gaudii, in terra scilicet viuentium, quia hoc nemini concessum est in terra morientium, vbi & de præteritis scandalis subest gemitus, & de futuris metus. Vnde si cupitis de continuo Pascha postmodum gaudere, in isto, animo non sitis interim sine timore. Sed sicut Psalmista monet: *Seruite Domino in timor, & exultate ei cum tremore.* (Psalm. 2.) Et instantet cum Apostolis petite, vt gaudium vestrum sit plenum. Illud etiam, quod asseritis id est, Pascha vos ab humo substollere ad cælũ prægaudio, ita agere debet omnino. B Quia si consurrexistis cum Christo quæ sursum sũt quærite, vbi Christus est in dextera Dei sedens: quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram: Sin alius, iam non leuatur anima vestra ad Deum, sed contra Deum.

Sane quoniam vestrum gaudium comparatis fermento, quod suo calore panem extollit, ambigimus iam quale illud gaudium sit, quia fermentum in bono accipi vix inuenimus, nec fermentatus panis absque cõsecratione est suauitate aliqua plenior azymis panib⁹, quos plerique sibi salubriores & sapidiores arbitrantur, sed qualis fuerit propositio, aperit hæc vestra conclusio.

Constantinopol. * Azymum vero neque sal, neque fermentum habens, lutum est aridum.

Romanus. ∴. Iteratis contumeliis in tantum azyma lacessitis, vt pene omnibus visibilibus & inuisibilibus naturis iniuriã irrogetis. Si enim, vt definistis, lutum aridum est, quidquid neque sal, neque fermentum habet: Ergo beati spiritus & animæ iustorum sine ipsa quatuor elementa, ex quibus omnia visibilia existunt, lutũ sunt quoniã neque sal neque fermentum habent. Nec sufficit vobis tantũ nefas euomuisse, nisi insuper Dominum testem vestræ opinionis produceretis, quasi pro sola commendatione & confessione nostri fermentati dixerit discipulis suis: *Vos estis sal terræ. & simile est regnum cælorum fermento:* (Matth. 5. & 13.) Ergo quia verba quæ sunt spiritus & vita, ad literam placet vobis intelligere: placeat etiam vestro fermentato aliquid palmitũ & sinapis adiungere, Nam idem dominus dicit discipulis: *Vos estis palmites.* (Ioan. 15.) Et: *Simile est regnũ cælorum grano sinapis:* (Matt. 13.) quod scilicet calorem administrat quem tantopere tota vestra calumnia in fermento collaudat. Nouentis tamen ipsam de fermento absconso expositionem vestram Catholico dogmati contrariam. Si enim mulier illa Ecclesiam signat, & tria sata S. Trinitatem: vbi, & quando, & ad quid Ecclesia in ipsa B. Trinitate fermentum abscondit? An forte quisquã summo & incommutabili bono deo quisquam augmenti aliquando conferre potuit aut poterit? Quapropter conuenientius parabolam hanc exposuissetis, si regnum cœlorum S. Ecclesiam significare dixissetis. Fermentũ autem doctrinam Apostolicam, tria sata tres filios Noe, quibus post diluuium mensuratur farina, id est totius humani generis massa. In qua vtique mulier, id est coæterna Deo Patri sapientia facta ex muliere, doctrinam Apostolicam quasi fermentatum recondidit, & regnum cœlorum, id est, præsentem Ecclesiam ex diuersis nationibus coadunauit.

Iam quia post multiplices azymorum obtrectationes ad hoc prorupit vestra insolentia, vt in ipsa terribilia & viuifica sacramenta redemptionis nostræ apertis contumeliis irreuerenter insurgat, & azymum exclamet lutulentum, nequaquam S. Trinitatis particeps esse: Respondere cogimur deinceps vobis stultis iuxta stultitiam vestram, ne vobis sapientes esse videamini: Certissime sciatis, quod gloriatio vestra stercus est & vermis: hodie enim extollimini, & cras non inueniemini. & secundum Psalmistam, vt puluis ante faciem venti comminuemini, (Psalm. 17.) & vt lutum laterum delebimini iuxta prouerbium Sapientis, (Eccles. 22.) de stercore boum lapidandi, & velut stercus in via conculcandi, sicut & antecessores vestri hæretici ac præcursores antichristi: Vt enim in libro B. Iob dicitur *Ex quo posuit deus hominem super terram cognoscitur laus impiorum breuis esse, & gaudium hypocritæ ad instar puncti:* (Iob. 20.) Vnde quia in eo putatis vos sapientes, si aliorum institutionibus detrahitis? hinc par pari referemus, quod vestram impudentiam mordebit, vt retrahat à reuerendorum sacramentorum iniuriis.

Salua ergo vt dignum est reuerentia corporis domini nostri Iesu Christi, & in fermentato & in azymo, perquiramus an fermentatũ ad humanas mensas præparatum sincerius ac mundius sit plebe[io] azymo. Et primo omnium fermentatum reperiamus, vt perspecta diligenter eius scaturigine veras indicium de puritate fermentati habeamus. B Necesse est enim, vt eius fontis qualitatem & naturam sequatur, Ita enim originem fermenti inuenire cupimus sicut hominis cuiuslibet originem ipsam matrem omnium terram inuenimus. Nam si hominis originem alium hominem dixerimus: iam propago non origo erit, quomodo nec fermentum fermenti origo esse poterit. Sicut enim sententia vulgi extat, fermenti origo fit, cum aut spuma musti, seu fex cuiusdam rusticæ potionis quæ apud Gallos *Ceruisia* dicitur, vel certe ius elixati hordei, aut ciceris, siue lac ficulneæ vel pecorũ corruptum, inicitur conspersæ farinæ. Cum ergo spuma, fex, elixatum leguminum, & lac ficus vel pecorũ corruptum apud homines computentur inter sordida, constat fermentum sordibus nõ carere per omnia. Massa autem cuicunque fermentum inseritur, necesse est corrumpatur: sicut ait sapientissimus Paulus: *modicum fermentum totam massam corrumpit.* (1. Cor. 5. & Gal. 5.) C Vbicunque autem corruptio tam in diuinis quam in humanis literis dicitur, ibi etiam deterioratio seu vitiositas aliqua substantiæ accidisse comprobatur. Vnde si non potest aliquando corruptio in bonam partem intelligi, nulli dubium est, quin fermentato azymum mundius sit, quod nullam corruptionem fermenti admittens, ex munda farina tantum & pura aqua conficitur. Fermentum quoque si aliquamdiu in massa negligitur, tanto acrore eam corrumpit, vt vltra humanis vsibus non prosit. Deinde panis fermentatus paruo situ efficitur mucidus, quod rarissime incurrit azymus, vtpote planus & solidus, non tumidus & cauernosus, vti fermentatus. Qui licet magna ex parte impar sit nostris laudibus, tamen per omnia par est vestris moribus. D Ipse enim fermento veteri corruptus deprehenditur acidus, cauernosus & tumidus. Et vos haud secus humana opinione corrupti, loquacitate apparetis acidi, calliditate cauernosi. Et diuinæ scientiæ vacui, humana scientia inepditis inflati: Iuxta illud dictum Apostoli: *Scientia inflat.* (1. Cor. 8.) Cui etiam supradicta vitia inesse ibidem Apostolus attestatur Timotheo dicens: *Si quis aliter docens, & non acquiescens sanis sermonibus Domini nostri Iesu Christi, & ei quæ secundũ pietatem est doctrinæ, superbus, nihil sciens, sed languens circa quæstiones & pugnas verborum, ex quibus oriuntur inuidiæ, contentiones, blasphemiæ, suspiciones malæ, conflictationes hominum mente corruptorum, & qui veritate priuati sunt.* (1. Timot. 6) Quod vero fermentum, sicut præfati sumus, in diuinis & humanis litteris, in malum ponatur, (Matth. 16. 1. Cor. 5.) E Dominus in Euangelio testatur: *Cauete*, inquiens, *à fermento pharisæorum, quod est hypocrisis.* (Ibid.) Et Paulus: *Expurgate*, inquit, *vetus fermentum.* Et paulo post: *Epulemur non in fermento veteri, neque in fermento malitiæ & nequitiæ.* In sæcularibus quoque literis Satyricus effœminationem & corruptos mores Romanorum redarguens ait:

Quid didicisse nisi hoc fermentum, ex quo semel intus
Innata est rupto iecore, exierit caprificus? (Persius.)

Et si omnes scripturas perscrutati fueritis, nunquam & nusquam fermentum in bonam significationem poni inuenietis, nisi in vno loco Euangelii, vbi regnum cœlo- (Matth. 13.)

rum fermunto simile Dominus dicit: Doctrinam videlicet Apostolicam significans. Si vero omnas reuoluatis scripturas, nunquam & nusquam inuenietis axyma poni in significationem contrariam, sed aut sinceritatem aut veritatem significare, sicut Apostolus ait: *Epulemur in azymis sinceritatis & veritatis.* (1. Cor. 5.) Vnde vestra duplicitas suo fermentato contenta Romanæ & Latinæ simplicitati azymum extorquere desinat. Ne si fuerit pertinax, anathema marantha cum suo fermentato fiat, & prophetam sibi exprobrantem audiat: *Ite ad Bethel & impie agite, & sacrificate de fermentato laudem* (Amos 4.)

Nunc videatur quænam Ecclesiarum maiori diligentia & subtiliori significatione Dominici corporis proprietatem vel veritatem imitetur. Romana quippe & Occidentalis Ecclesia à ministris sacri Altaris in secretatio confectum offert azymum, quod ex grano frumenti & limpida lympha per ignem fuerit præparatum, significans se in vna mediatoris Dei & hominum, hominis Dei Iesu Christi persona, tres perfectas credere, & venerari substantias: humanam scilicet carnem, animam rationalem, & verbum Dei Deum. Et granum quidem assimilari carni, quam de sola Virginis carne, quasi ex grano matris terræ, sola virtute cœlesti, non autem aliqua commixtione virili factam omnipotens diuinitas animauit, puriorem substantiam, id est, animam, quasi aquam preclaram & nobilem ei infundens. Quas geminas substantias ab ipsius virginalis conceptionis exordio verbum Dei rite suscepit, & mediante suę diuinitatis calore, tanquam igne sibi construxit & consolidauit. Taliter præparatus axymus fideli inuocatione totius Trinitatis, fit verum & singulare corpus Christi. Non sicut Theupaschitæ volunt corpus Patris & Filii & Spiritus sancti. Quod & vos videmini sentire, dicentes, Patris & Filii & Spiritus sancti participem, non esse azymum, sed subaudiatur, sicut fermentum est particeps eorum. Ex qua praua sententia si non vultis cum Theupaschitis damnari, nolite in ipsa commemoratione Dominicæ passionis aliquod participium seu communionem præter solam consecrationem vel cooperationem concedere, sanctæ & impassibili Trinitati, quia mors solius humanitatis Filii Dei in illo Sacramento visibili, vt Apostolus ait: *Quotiescunque manducabitis panem hunc & calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis donec veniat.* (1. Cor. 11.) Ipse quoque Dominus Iesus in speciali commemorationis suę priuilegio discipulis distribuens panem, ait: *Hoc est corpus meum quod pro vobis tradetur.* (Matth. 26.) Meum, inquam, quod Spiritus sancti septemplici gratia subnixum, ipsa sapientia Dei Patris æterni ædificaui mihi templum quadraginta & sex diebus in vtero & ex vtero intactæ Virginis: quodque mox pro vobis & pro multis per passionem crucis in mortem resoluendum, omnipotens Trinitas post triduum suscitabit, non permittens sanctum suum videre corruptionē. *Meum*, inquam, hoc est Filii Dei & Filii hominis, qui vadit, sicut scriptum est de illo. Quapropter, sicut prædiximus, tota beata Trinitas in cōsecratione Eucharistiæ cooperatur, sed sola mors Christi in fractione eius & in vsu annuntiatur.

Hinc iam quæ apud vos habeatur disciplina & cautela, supra tanto mysterio aduertamus. Vos aliquando pretio fermentatum à quocunque viro, siue fœmina præparatum habetis, in tantum vt nonnunquam ab ipsis publicis negotiatorum tabernis emptum panem ad Dominicam mensam transferatis. Quem tractatum illotis & sordidis quorumlibet manibus negare non potestis. Qui sane iuxta nostram narrationem, quinque substantiarum particeps est, id est, fermenti, farinæ, salis, aquæ & ignis. Quarum omnium significationes congruas in illa simplici & sincera carne saluatoris, si habetis, date nobis. Par est enim vt de fermento nobis rationem reddatis, quemadmodum nos de axymis vobis: ne forte, quod absit, peruersitas Manichæorum, ad fulciendum errorem suum asserat, has quinque substantias in sacrificium Christianorum assumi, propter quinque antra tenebrarum, quæ fingunt mentiendo sibi. Date quoque euidentem causam illius circumcisionis, qua coronulam panis ad sanctum sacrificium ferro leuatis, cum immaculata hostia, immaculatum corpus Domini aptius videatur significare, & integritas panis, integritatem Ecclesiæ, quæ corpus Christi fit participatione eius integerrimi corporis quod qualiter fieri debeat, Paulus Corinthiis ita prædicat: *Panis quem frangimus, nonne participatio Domini est: Quoniam vnus panis, vnum corpus multi sumus omnes, qui de vno pane & vno calice participamus.* (1. Cor. 10.) Vnde & Dominus panem accepisse, benedixisse & fregisse non autem legitur ante vel postea incidisse. Deinde quod sanctum panem vitæ æternæ in calice intritum cum cocleari sumere consuestis, quid opponitis? Neque enim ipse Dominus panem in calice vini intriuit, & sic Apostolis dedit dicēs: accipite & cū cocleari comedite: Hoc est enim corpus meum. sed sicut sancta Romana Ecclesia vsque nunc obseruat: Panem integrum benedixit & fractum singulis particulatim distribuit dicens: *Accipite & comedite: hoc est corpus meum.* (1. Cor. 11.) Quibus postquam cœnatum est calicem porrexit dicēs: *Bibite ex eo omnes.* (Matt. 26.)

Quam reuerendam angelis & hominibus institutionem etiam sancta Sion, prima scilicet Ecclesia, vsque ad hęc moderna tempora, sicut ab Apostolis accepit, fideliter retinuit: adeo, vt quidam Hierosolymitanorum pōtificum datis epistolis significauerunt, quantum illorum instituto discreper à Græcis. sic enim scriptum reliquerunt: Ex *ipsa sancta ciuitate Hierusalem, quę & sancta Hierosolyma, exijt fides Christiana in ipsa quoque sancta Sion & sancta resurrectio prima Ecclesię dicuntur & veraciter habētur. In ipso sancto & venerabili loco adimpletur diuina & immaculata oblatio Domini nostri Iesu Christi, sicut decet per ordinem.* Et puto quia benefaciunt ibi, quod non nisi integras & sanctas ponunt ipsas oblationes in sanctas patinas, nec quomodo Græci habent lanceam ferream qua scindunt in mundum Crucis ipsam oblationem, id est, proscomite. Porro in præfatis sanctis Ecclesiis, cum ipsa sancta patina sanctam anaforam, id est, oblationem exaltant. Etenim verę & aptę sunt ipsæ oblationes, tenuesque ex simila. Lanceam vero ferream nesciunt, nisi quæ latus Domini nostri Iesu Christi aperuit. Coclear vero cum quo communicent, sicut in Ecclesia Græcorum, minime habent, quia non ita commiscent ipsam sanctam communionem in calice, sed sola commonitione communicant populum. Itaque & in magnis & in paruis Ecclesiis hunc morem traditum sibi à sanctis Apostolis habent omnes Christiani ipsius prouinciæ. Græci autem cohabitantes eis, alii sic, alii qualiter à suis acceperunt. Ad hæc si quid ex sancta & venerabili Eucharistia in Hierosolymitanis Ecclesiis superfuerit, nec incendunt, nec in foueam mittunt, sed in pixidem mundam recondunt, & sequenti die communicant ex ea populum, quia quotidie communicant ibi, eo quod conueniunt illuc ex diuersis prouinciis Christiani, qui propter fidem & maximum amorem filii Dei communicare ibi desiderant, quia & locus ipse venerabilior & sanctior est omnibus locis, in omni terra. Et ibi est sepulchrum sanctum & honorabile Domini nostri Iesu Christi, & sanctus Caluariæ locus. Subterrare autem vel infodere sanctam Eucharistiam in terra, sicut quidam dicuntur agere, aut in lagenam mittere, aut effundere illam negligentia magna est & nullus timor Dei. Etenim fides Christianorum, ipsa impolluta & diuina mysteria: Secundum quod Christus dixit: *Qui manducat carnē meam & bibit sanguinem meū, vitam viuit in æternum.* (Ioan.) Sed de his hactenos: præcipue cum vos ipsi possitis hæc colligere subtilius ex tenore Epist. illius, quā istis ex

Græca

Græco-Latinam perfecimus. Vbi luce clarius intelligi datur eundem ritum diuini Sacrificij sanctam Hierosolymitanam Ecclesiam obseruasse antiquitus: quam sacrosancta Romana Ecclesia obseruare non cessat hactenus. Siquidem tenues oblatas ex simila præparatas integras & sanas sacris Altaribus nos quoque superponimus, & ex ipsis post consecrationem fractis cum populo communicamur. Et tunc demum calice meri & liquidi cruoris potamur: quandoquidem nemini discipulorum nisi Iudæ proditori intinctum panem à Domino porrectum inuenimus: significante, quod eum esset traditurus: pari modo etiam residuum Dominicæ oblationis reponimus. Iam quia sufficiente authoritate Noui & Veteris Testamenti constat Dominum nostrum Iesum Christum commemorationem suæ Passionis recolendam in azymis Discipulis, sub ipsa cœna commendasse, sicut hodieque sancta Romana & Latina Ecclesia noscitur recolere: Dicere debetis cuius institutionem in fermentato tam obstinate defenditis. Nempe quicumque, seu qualiscumque ille fuerit iuxta beatum Iob compositus Deo, qui est ipsa iustitia & sapientia, nec iustus, nec sapiens erit. Nec potest fieri, vt quilibet conuenientius aut verius commendare præualuisset sacrosanctum Mysterium Fide, quam ipse qui tradidit semetipsum pro nobis Oblationem & Hostiam Deo in odorem suauitatis: Agnus immaculatus, qui tollit peccata mundi. Cui comparata, imperfecta, cuius in scientia summa est ignorantia. Quapropter euentilemus reliqua dicta vestra.

Iob. 9.

Constantinopolitanus. † Dixit autem Dauid de ipso: *Tu es Sacerdos in æternum secundum ordinē Melchisedech.* Qui ante Abraham & Moysen cœli & terræ, & cæterarum creaturarum agnoscens Deum, exurgens obtulit illi panem & vinum. Ideo dicit D. Apostolus. *Quoniam si consummatio per Leuiticum Sacerdotium erat, non secundum ordinem Melchisedech Sacerdos Christus diceretur. Et quia translato Sacerdotio, necesse est vt legis translatio fiat.* Quæ lex lutulenta constituit azyma Iudæis custodire. Idem ipse magnus Paulus ad Corinthios prima Epistola ex his loquens sic ait: *Fratres ego accepi à Domino, quod & tradidi vobis. Quoniam Dominus in qua nocte tradebatur, accepit panem, & gratias agens fregit & dixit: Accipite & comedite: Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur, hoc facite in meam commemorationem. Similiter & de calice: Hic calix nouum Testamentum est in meo sanguine, hoc facite quotiescumque bibitis in meam commemorationem, quotiescumque manducabis panem hunc & calicem bibitis, mortem Domini annunciabitis.*

Psal. 109. Hebr. 7. 1. Cor. 11.

Romanus. † Quamdiu vestigia doctiloqui Pauli fideliter tenuistis, omnino irreprehensibiliter cucurristis. Sed mox vt præcurrere tentastis, miserabiliter corruistis. Quibus non sufficit aberrasse, nisi insoper Doctorem gentium in fide & veritate maluissetis post vos reluctantem trahere, quam illius vestigia repetendo errorem vestrum euadere. Insuper inauditum præiudicium eidem facitis, quando suis dictis eum impugnando azyma lutulenta pronunciatis, quæ tam ipse quam omnis Catholicus esse sinceritatis & veritatis asserit. Illam deinde Etymologiam vestram super pane contra nos defensando, complicem vestrum tantum Apostolum laboratis efficere, quasi in eo quod veraces Euangelistas secutus ait: *accepit panem*, non nisi fermentatum voluisset insinuare. Quod si fieri potuit, inanis prædicatio & labor tanti Apostoli erit. Euacuabitur mors Christi, quia iam non tradidit semetipsum pro nobis, sed iuste interiit sicut transgressor legis. Verum quam sit hæc vestra Etymologia friuola, satis abundéque ostenditur supra.

1. Cor. 11.

Iam videamus quorsum pertrahere conamini tantum Apostolum suæ assertionis funibus.

Constantinopolit. † Azyma vero neque commemorationem habent, neque mortem annunciant, sicut Mosaica & ante mille quadringentos annos ex lege constituta, & per nouum testamentum, hoc est, per sanctum Euangelium, & per Christum maledicta & derelicta.

Romanus. † O Sacrilega temeritas, ô virosa & maniosa Manichæorum dicacitas, ô ab omnium viribus & cordibus procul abigenda impietas. Eone pertraxistis Apostolorum, vt in tantæ perfidiæ barathrum præcipitaretis vobiscum? Ecce illud pestiferum ouum, quod tamdiu parturistis, repente peperistis: Ex quo qui comederit, morietur: vt Esaias Propheta dicit: *& quod fuerit confotum, erumpet in regulum.* Ecce vt claret, dolorem concepistis, iniustitiam parturistis, iniquitatem peperistis, & contra ipsam veritatem & omnes diuinas paginas mentiti impudenter latratus ipsum filium Dei legem & azyma quæ constituerat, maledixisse. Sed, ô sancta, ô bona, ô venerabilis lex cum vniuersis mandatis, & obseruationibus tuis, quicunque te & tuæ vsque ad vnum iota maledixit, maledicit, aut maledicet, sit iste maledictus. Potuitne aut debuit Dominus noster sic ingratus esse vt tam fidelem & deuotum præconem & constantissimum testem suum, aliqua maledictione confunderet? qui non cessauit tota sua intentione, signis, mādatis, sacrificiis, ceremoniis, atque verbis gloriam eius conclamare. Et vbi didicistis, quod Dominus legi & azymis maledixerit? Forsitan dicturi estis, vbi nouum Pascha tradidit Discipulis suis, aut vbi surrexit à mortuis. Sed vt superius liquidò cognoscitur, & ipsis benedictis & fractis nouum Pascha instituit: & ipsa suæ resurrectionis die à duobus inuitatus in Emaüs castello, accepit panem, benedixit, & mox ἐγνώσθη αὐτοῖς ἐν τῇ κλάσει τοῦ ἄρτου, id est, *cognouerunt eum in fractione panis*, quem omnimodis azymum fuisse constat, quia vsque ad Octauas Paschæ nullo modo fermentatum in omnibus finibus Israël apparebat. Sane quod ipse factus sub lege legis testimonium habuerit, dicit Iudæis: *Scrutamini scripturas, in quibus vos putatis vitam æternam habere, & illæ sunt quæ testimonium perhibent de me.* Et iterum: *Si crederetis Moysi, crederetis & mihi: de me enim ille scripsit.* Vnde in alio loco protestatur se non venisse soluere legem, sed adimplere. Cuius quodlibet minimū mandatum quisquis soluerit, etiam in regno cœlorum, hoc est præsenti Ecclesia, minimus foret: ne dum illam futuram aliquo modo introiret, in qua factor & doctor legis magnus vocaretur. Ipsa quoque suæ resurrectionis die, duobus supradictis discipulis, incipiēs à Moyse & omnibus Prophetis, interpretabatur Scripturas, quæ de ipso erant. Deinde vndecim congregatis dixit: *Oportebat impleri omnia quæ scripta sunt in lege Moysis & in Prophetis, & in Psalmis de me. Et quia oportebat pati Christum, & resurgere à mortuis tertia die, & prædicari in nomine eius pœnitentiam & remissionem peccatorum per omnes gentes.* Ecce breuiter Saluator innotuit Incarnationis ac passionis suæ humilitatem, atq; Resurrectionis gloriam omniumque gentium vocationem, & per Baptismum saluationem, in Veteri Testamento præmonstratam, & Nouo fuisse exhibitam, vt merito Euangelium nihil aliud sit dicēdum, quam legis expositio. Quæ lex velut baiula & nutrix Christi & Ecclesiæ, id est, sponsi & sponsæ, capitis & corporis in plenitudine temporū præuia Euangelicæ gratiæ & veritatis lucerna publicis visibus reuelauit, quod diu in secretis cubili occultauit, tunc repente illius speciosi forma præ filiis hominum omni creaturæ resplenduit: vbi per sanctos Apostolos, quibus aperuit sensum, vt intelligerent scripturas, mysterium cunctis retro seculis abscōditum, in omnem terram, & vsque in fines orbis transmisit. Maledicendus ergo est vterus ille, qui spiritu Dei grauidatus ab initio parturiuit omnia Sacramenta Christi & Ecclesiæ, tandemque in fine seculorum peperit ipsum Euangeliumq́ prædicandum vbique? Si quidem vetus testamentum efficit, vt per nouum libera fronte prædicetur partus Virginis, & credatur Resurrectio ex mortuis, atque per lignum & aquam & Spiritum reparatio humani generis: alioquin deleto Veteri Testamento Nouū euanesceret, fabulaque putabitur, nec retineri poterit, absque charactere suo, quoniam nec paries stabit sine fundamento. Quod ipse Dominus suis factis & dictis supposuit, & Apostolis seu prædicatoribus suis inspirauit narrationis suæ cursum firmare anchora Testamenti Veteris. Cuius auctoritate primus magister Ecclesiæ profitetur

Isaiæ 59. Lucæ 24. Ioann. 5. Ibidem. Matth. 5. Lucæ 24.

certiorem esse illa voce, quam super Dominum trans- A
figuratum factam audiuit. Vnde firmissime credendum
est, & liberrime profitendum, quod quicunque veteri
Testamento contradicit, etiam noui aduersarios existit
quod velut rota in medio rotæ inesse veteri sanctus Eze-
chiel vidit.

Deinde quasi subiectum vel fundamentum est vetus
Testamentum, cuius ædificium vel superior pars con-
stat Nouum, quod necesse est deficiet vel corruet, defi-
ciente vel corruente subiecto, cui insidebat. Et subiecto
quidem seu fundamento permanente, permutantur su-
persidentia sæpe: intereunte autem vel ruente, nequeunt
pariter non interire vel ruere. Hoc vtique Dominus
vtriusque Testamenti lator intelligi volens cum posset
omnipotenti voluntate vacuas sex hydrias in nuptijs vi- B
no de nihilo repente creato implere: maluit tamen certi
mysterij gratia prius aqua easdem hydrias a festi mini-
stris vsque ad summum impleri, & post solo nutu suo,
mirabile vinum fieri. In quo prouido redemptoris no-
stri facto, dicimus, aquam non substantiam suam, sed
qualitates, id est, saporem & colorem, & si quæ sunt
huiusmodi, permutasse, vt animaduertamus ipsum Do-
minum vetus Testamentum quo sex mundi ætates, per
ministerium priorum patrum repleuerat non euacuasse,
sed innouasse, nec inde quidquam reprobando minuisse,
sed quod ei inerat & latebat, approbando exhibuisse. In
quibusdam enim sola permutatione temporum seu va-
rietate excepta Lex & Euangelium idem concorditer cla-
Deut. 18. mant, verbi gratia. Lex prædixit: *Prophetam suscitabit vo-* C
Isaiæ 7. *bis Dominus de fratribus vestris.* Et *Ecce virgo concipiet &*
Luc. 7. *pariet filium.* Euangelium prædicat: *Propheta magnus sur-*
Luc. 2. *rexit in nobis.* Et: *Virgo concepit & peperit filium.* In qui-
busdam etiam tempore & themate saluo commemorant
Psal. 21. voces pietatis & impietatis. Vnde est: *Deus Deus meus, vt*
Ibidem. *quid dereliquisti me?* Et *Sperauit in Domino, eripiat eū, saluū*
faciat eū quoniā vult eū. Porro si alicui insipida videtur talis
lympha, nouerit nullo vitio lymphæ istud sibi conon-
gere, sed nimio palato sui stupore. Animalis enim homo
non percipit ea quæ sunt Spiritus Dei. Stultitia siquidem
est illi lex Dei, nec nouit ex ea mentis ventrem salubriter
replere, sed perniciose distendere. Spiritualis autem qui
iudicat & discernit omnia cum nostro architriclino Pao-
1. Tim. 1. lo fideliter decantat: *Scimus quia bona est lex si quis ea legi-*
Rom. 7. *time vtatur.* Et illud: *Scimus quoniā lex spiritualis est.* Quod
si lex spiritualis est, ministratio Spiritus sit spiritualiter D
examinata, & ministratio mortis carnaliter discussa. Quā-
uis enim lex suapte natura sit vita, vitio tamen hominum
Ibidem. mors sit, sicut idem Apostolus dicit: *Quid ergo dicemus?*
Lex peccatum est? Absit. Sed peccatum nō agnoui nisi per legē.
Et post pauca: *Itaq; lex quidem sancta & mandatū sanctū*
& iustum & bonum: Quod ergo bonum est, mihi factum est
mors? Absit. Sed peccatū vt appareat peccatū, per bonum ope-
ratum est mihi mortem. Et rursus: *Inuenio igitur legē volen-*
tem mihi bonū facere, quoniā mihi malum adiacet. Tandem
si sapienter audistis quæ præmisimus, resipiscite ab iniu-
rijs legis, quam factam, & mandatum sanctum & iustum
& bonum affirmat Apostolus: ne medicum demonstran-
tem morbos & curare volentem, videamini obruere la-
pidibus, tanquam frenetici.

Porro numerosa patrum coniugia, & ex tribu sua, atq;
carnalia sacrificia & circuncisionis seu variarum purifica- E
tionum ceremonias, ciborumque differentia, noueritis
temporaliter carnalibus aut permissa aut iussa: vt eos ta-
lium iugo vel licentia mandatorum retineret, ne ad ido-
lolatriam seu ad cætera flagitia corruerent: Spirituales
autem significatione bonorum futurorum quæ in his pro-
mittebantur, iugiter subleuaret, vt aduenientia à longe
conspicerent & deuote salutarent. Quod licet huiusmodi
obseruationibus pro loco & tempore viderentur nimium
dediti, vt sua condescensione paulatim brutas plebes per
signa traherent ad res: tamen quid in his senserint, ex his
Psal. 50. B. Dauid dictis liquet: *Si voluisses sacrificiū dedissem vtiq;*
holocaustis non delectaberis. Sacrificium Deo Spiritus contri-

A *bulatus.* Vnde rursum ait: *In me sunt Deus, vota tua.* Cuius Psal. 55.
personam suscipiens, carnali populo contestatur dicens:
Nunquid manducabo carnes taurorum, aut sanguinem hirco- Psal. 49.
rum potabo? Immola Deo sacrificium laudis, redde altissimo
vota tua. Nonne huic & reliquis patribus aqua legis, co-
lorem & sapor commutauerat? quæ pallida & insipida car-
nalibus apparebat. Quippe his frigebat, quæ illis sic cale-
bat, vt iam tunc cum discipulis Iesu dicere possent: *Nōne* Luc. 24.
cor nostrum ardens erat in nobis, dum loqueretur nobis in via
& aperiret Scripturas. Litera enim legis per Moysen datæ,
carnales occidebat, cuius Spiritus gratia & veritate per
Iesum Christum facta Spirituales viuificabat, vt illi ti-
more temporalis mortis ac si frigore contracti, inde pal-
lerent: vnde isti amore æternæ vitæ, quasi calore vegetati
B rubebant, & cū Paulo libere proclamant: *Plenitudo Legis* Rom. 13.
est dilectio. In cuius duobus præceptis charitatis pendere
veritas prohibuit. Quod si Deus charitas est, Deo procul
dubio aduersatus, quisquis aliquid legi Moysi subtrahe-
re conatur, quam ipse totā in charitate pendere testatur.
Quæ charitas gemina carnalibus & terrenis ceremonijs
contecta, velut quidam bisulcus hamus vermiculis seu
volaticis plumis insertus & in pelagus humanæ captiua-
tionis cælitus dimissus, vagos & vacuos cœlestium ho-
mines, inescatos visibilibus, inuisibili mucrone traiecit,
& traiectos ad sinum Angelicæ libertatis retraxit: dicen-
tes Deo in Canticorum canticis: *Trahe me post te.* Et: *Vul-* Cant. 2.
nerata charitate ego sum. Sic dum homo adhæret Deo &
homini proximus, decentissima linea, & tanquam aurea
C mandatorum diuinorum catena, pariter ad paradisum te-
trahuntur.

Deinde quanta instantia Eustratius Rhodiorum Epis-
copus legem veterem contra Seuerianos hæreticos defen-
derit: ex subiectis verbis ipsius liquet: vbi inter nonnulla
alia dixit: *Fundamenta domus præclaræ circa squalida loca*
sunt posita, vt ea quæ sunt superius nullas cōtumelias stercorū
patiātur. Superiora ergo domus laquearibus auratis, parietibusque
que pictis, & vario marmorum metallo sunt edita. Inferiora
vero humori terreno vicina: degestā etiā superiorū vniuersa
suscipiunt. Quid ergo nunc faciemus? Si auferimus inferiora,
superiora corruūt: tamē si destruenda erunt inferiora: non hoc
alius poterat, nisi Dei filius facere. Videamus ergo vtrum ipse
destruxerit, hoc quod nos dicimus permanere. Putatis, inquit,
quia veni legē soluere aut Prophetas? Nō veni legē soluere sed
adimplere. Et vos ergo saltem his & alijs proprij Docto-
D ris vestri vocibus reuocati & iniurijs sacratissimæ legis
cessate: ne ab eodem & ab omnibus Catholicis anathe-
ma cum Seuerianis sitis.

Sed ne forte adhuc vobis nimium placeatis ex opina-
tionibus vestris, cum nihil teneatis, diligentius recapitu-
lemus dictum Apostoli, quē supra violenter ad vestrum
suffragium attrahere tentastis. Quinta ait: *Si consummatio* Hebr. 7.
per sacerdotium Leuiticum erat: populus enim sub ipso legem
accepit, quid adhuc necessarium fuit secundum ordinē Melchi-
sedech alium surgere Sacerdotē, & nō secundum Aaron dici?
Translato enim Sacerdotio, necesse est vt legis quoq; translatio
fiat. In quibus verbis, sicut superius ostenditur, nil aliud
intelligitis consummationem, nisi consumptionem, id
est, abolitionem & finem, non qui perficit, sed qui inte-
rimit. Quod longe aliter esse idem Apostolus edocet di-
cens: *Finis legis Christus, ad iustitiam omni credenti.* Vnde Rom. 10.
E quoniam aliter dicitur finiui panem, aliter finiui telam:
accipiamus necesse est Christū finem legis, consumman-
tem non consumentem: perficientem non annihilantem:
complentem non euacuantem. Quod finis ab initio se-
culi promissus, & in fine exhibitus, dum penderet in Cru-
ce pro nobis sacrificium vespertinum & vltimum factus;
sciens quia iam omnia consummata sunt, vt cōsummare-
tur Scriptura, dicit: *Sitio.* Qui cum accepisset acetum di- Ioan. 19.
xit: *Consummatū est.* Et inclinato capite tradidit spiritum. Ibidem.
Vbi certe nec Euangelista dicit; vt consumeretur, sed vt
consummaretur scriptura. Nec ipse Dominus, consum-
ptum est, sed consummatum est. Ad quam morientis vo-
cem, velum templi scissum est vsque deorsum, vt iuxta
Aposto-

Apostolum accedentibus ad Christum velamen vsque tunc positum in lectione vet. testamenti significaretur ablatum. Quæ consumatio non per Leuiticum sacerdotium fuit, quia attestante Apostolo: *nihil ad perfectum duxit lex.* Ex quibus Apostoli verbis, ne forte resumatis ansam calumniandi, attendite quia non dixit, nil boni fecit lex, sed

Hebr. 9.

nil perfecit. Habuit enim, vt idem Apostolus ait, iustificationes culturæ & sanctum sæculare, & tabernaculũ manufactum, & Pontifices præsentium bonorum qui per alienum sanguinem semel in anno introeuntes Sancta sanctorum sanctificabunt inquinatos ad emundationem carnis. A quibus munera & hostiæ offerebantur, quæ non possunt iuxta conscientiam perfectum facere seruientem solummodo in cibis & pontibus, & varijs baptismatib. & iustitijs carnis, vsque ad tempus correctionis impositis. Christus autem assistens Pontifex futurorum bonorum, per amplius & perfectius tabernaculum non manufactũ, idest non huius creationis, neq; per sanguinem hircorum & vitulorum, sed per proprium sanguinem introiuit semel in sancta æterna redemptione inuenta, quando per Spiritum sanctum semetipsum obtulit immaculatũ Deo, & mundauit conscientiam nostram ab operibus mortuis, ad seruiendum Deo viuenti. Equidem secundum legem plures facti sunt sacerdotes, idcirco quod morte prohiberẽtur permanere. Hic autem eo quod maneat in æternũ, sempiternum habet sacerdotium, qui solus proprio sanguine semel æternam redemptionem perfecit, quam illi alieno sanguine incessanter imitãtes imperfectam repræsentabunt. Quæ vt accessit, omnis ille sacrificiorum seu ceremonialiũ cursus iure conquieuit. Neque enim deinceps pluribus sacrificijs indigemus, quia in vno æternam redemptionem inuenimus, quæ per Leuiticum sacerdotium incepta, per Pontificatum Domini Iesu constat perfecta, qui non secundum Aaron, sed secundum ordinem Melchisedech, ideo sacerdos dicitur, quia panem & vinũ offerendum atque sumẽdum in veritate carnis & sanguinis sui constituit fidelibus suis. Cuius generatio inenarrabilis de patre sine matre, de matre sine patre: nec initium dierum nec finem habẽs, solus verus rex iustitiæ & pacis. Cio quia conuenientius assimilatur Melchisedech, non solum ex vno sacrificio & genealogia, sed etiam & prænomine, quam Aaron, dicitur sacerdos Christus secundum ordinem Melchisedech, non secundum Aaron. Denique Melchisedech ille, nec corpus & sanguinẽ suum in pane & vino diuinitati obtulit, nec sine parentibus aut initio & fine fuit: neq; substãtialiter rex iustitiæ & pacis, sed quod hæc omnia scripturæ de illo homine aut tacuerunt, aut dixerũt, in manifestiori significatione nostri Melchisedech: cuius ille sicut & Aaron vmbra non veritas fuit. Ad quem translato sacerdotio, necesse est, vt legis quoque fiat translatio, à litera, scilicet occidente, ad spiritum viuificantẽ, à vetustate ad nouitatẽ, ab imperfectione ad perfectionẽ, à seruitute ad libertatem, & filiorum Dei adoptionem, à

Roman. 8.

Iudæis ad gentes, quibus Apostolus ait: *Non accepistis spiritũ seruitutis iterũ in timore, sed accepistis spiritũ adoptionis filiorũ, in quo clamamus Abba Pater.* Quia vtiq; lex translatione est alterata, non facta alia: immutata, non est mutata: accessu gratiæ cumulata, non est recessu suo exinanita. Sicut Dominus suis inquit: *Nisi abũdauerit iustitia*

Math. 5.

vestra plus quam Scribarũ & Pharisæorũ non intrabitis in regnum cælorum. Nunquid dixit: nisi reprobaueritis aut omnino reliqueritis iustitiam Scribarum & Pharisæorũ, non intrabitis in regnum cœlorum? Sed quoniam iustitia illorum erat tantum à malo opere abstinere: voluit Dominus in hoc suorum iustitias superabundare: vt non solum malum ab opere, sed insuper à cogitatione satageret resecare. Nam illis ex lege bonum erat non occidere, nec mœchari, istis autem super hoc ex gratia optimũ & perfectum, non irasci, nec concupiscere. Ideo lex ramos malitiæ succidit: gratia vero etiam radices eius euellit. Et sicut in resurrectione hoc ipsum corpus humilitatis nostræ & non aliud reformabitur, sic & lex ipsa per Euangelium reformata in toto mũdo prædicatur. In qua vtique reformatione quamuis plurimum decus augeatur naturæ, tamen integritas in nullo aufertur, quando ad similitudinẽ grani seminatum corpus animale, surget corpus spirituale, & seminatum in infirmitate surget in veritate. Hac quoque reformatione cœlum & terra transibunt, non interibunt, transferẽtur, nõ auferentur. Nec moueamur à nostro sensu, nec terreamur, si nonnulla legis sacramẽta exhorret animalis sensu: quandoquidẽ ipsius S. Euangelij nonnulla mysteria exhorruit hactenus in tantum, vt Domine dicente: *Amen, amen dico vobis, nisi mãducaueritis carnẽ filij hominis & biberitis eius sanguinẽ nõ habebitis vitam in vobis:* etiam maxima pars discipulorum eius ab eo discessissent, dicendo: *Durus est hic sermo quis potest audire?* præterea nouum testamentum ideo dicitur, quia proculdubio æterna sunt quæ pollicentur, sicut malis supplicium æternum bonis vitam æternam. Nam quantum ad recitationem seu conscriptionem, ipsum Euangelium in nouissimo die omnino præteribit: vbi deinceps nec scriptura aliqua necessaria erit.

Cæterum si ad rem pertineret, monstraremus non mille quadringentos annos tantum sicut scripsistis; sed mille quingentos & amplius annos ab institutione azymorum per Moysen vsq; ad passionẽ Christi decurrisse. Sed cum nostræ intentionis sit Romani ritum sacrificij approbare: Chronographis relinquimus opinionẽ vestram ab præfato annorũ numero reprobare. Itaque si azyma, quemadmodum astruere conamini, per Christũ & eius Euangelium fuerunt maledicta, reprobata & derelicta, & ideo deinceps nõ debere offerri in sacrificio Domini, quia per Moysen constituta sunt Iudæis: Sciatis fermentũ quoque constitutum per Moysen Iudæis. Sicut in Leuitico dicit: *Hæc est lex hostiæ pacificorum. Offeret panes fermẽtatos cum hostia gratiarum, quæ offertur pro pacificis.* Idem Moyses in eodem: *In Pentecoste offeretis et panes primitiarũ de duabus decimis simila fermẽtata, quos coquetis in primitias Domino et offeretisq; cũ panibus septẽ agnos.* Sal quoq; quẽ tãtopere prædicatis in fermento per Moysen ita constituitur Iudæis in Leuitico. *Quidquid obtuleris sacrificij sale cõdies, nec auferes sal fœderis Domini Dei tui de sacrificio In omni oblatione offeres sal.* Quapropter si à nobis nõ debent offerri azyma quia Mosaica sunt, nec à vobis debent offerri fermentatũ & sal, quia æque Mosaica sunt. Et quia ab Apostolo audientes: *Vetera transierunt, ecce facta sũt noua.* insipienter putatis omnia veteris testamẽti reprobata & penitus destructa & ad nihilum redacta sacramenta: hinc iã perpendatis necesse est, ad quantas difficultates properet hæc vestra opinio. Demumq; si vetera nõ proficiẽdo, sed deficiendo transierũt, vnde vobis templũ, altare, sacrificiũ, cãdelabrũ, cortinæ, sanctũ Chrisma, & thymiama, aspersionis aqua thuribulũ, & cætera sancti ministerij vasa seu ornamenta aut vestimenta sacerdotalia: Vnde vobis Encænia, Pẽtecostes & Pascha seu Quadragesima vnde vobis Põtifices, Sacerdotes & Leuitæ ac reliqui Ecclesiastici gradus ex ordine? Vnde primitiæ & decimæ? Postremò vnde vobis dilectio Dei & proximi? ac reliqua mandata Decalogi? Quia ergo secundũ vos ita noua facta sunt, vt vetera relicta sint omnino, & per Christũ maledicta: abijciantur proculdubio ab eius Ecclesiã, quæ supra diximus omnia, & olera quæ reticuimus alia, & veterib. contraria fiant iã noua. Odio habeantur Deus & proximus, pater & mater inhonoretur, homo occidatur, omnes mœchẽtur, furentur, mentiantur, concupiscant, adulterent, coniugia nulla sint, omnis homo ad proximã sanguinis sui, & quæ ei affinitate iungitur, accedat. Ad summum quoque, nec comedatur, bibatur nec dormiatur, sed relinquatur quidquid vetus testamentũ exhibuit & exercuit; tam in cultu Diuino, quã in vsu humano, & videbitis quia nec bestiæ eritis, nedum homines, imo ab eo, quod est aliquid trãsibitis ad nihil. Nos potius Catholica aure intẽdentes tãto Apostolo dicenti: *Si qua ergo noua creatura, vetera trãsierũt, ecce facta sunt noua.* Corde credimus & ore cõfitemur,

vetera à vetere homine transeundo ad nouum hominem Iesum Christum, noua facta esse, quemadmodum idem Apostolus mox secutus curauit declarare: *Omnia autem*

Ibidem.

ex Deo, qui reconciliauit nos sibi per Christum. Cuius singulari nouitate innouantur omnia cælestia atque terrestria: quando quidquid ad cultum Dei seu ad commodum sui vetus ille populus cœlitus acceperat, ad nouum transtulit. Qui ideo nouus dicitur, quia ab vmbra ad veritatem, à signis ad res, à timore ad amorem, à seruitute ad libertatem, à filijs iræ ad filios gratiæ, à carne ad spiritum est translatus.

Rom. 8.

Vnde dicit Apostolus: *Vos non estis in carne sed spiritu, si tamen Spiritus Dei habitat in vobis*. Et quomodo in carne non erant, quos Epistolis instruebat, nisi secundum quod ipse ait:

1. Cor. 10.

In carne ambulantes, non secundũ carnem militamus. Hinc rursus inquit:

Rom. 14.

Nemo vestrum sibi viuit, & nemo sibi moritur: Et:

Galat. 2.

Viuo, iam, non ego, viuit vero in me Christus. Sic itaque nobis & omnibus in nouitate Spiritus ambulare satagentibus, noua facta sunt omnia templa scilicet & altaria, sacerdotes, sacrificia, cãdelabra, thuribula, cibus & potus, & quæque carnalis Israël tam in supellectile quam in mandatis retinebat, vetera vt eadem & non eadem sint omnia, instar vtique Aquilæ, quæ dum naturaliter renouatur, iuuentus eidem accedit & senectus, non substantia ab ea recedit. Pari tenore prædicamus azymum Christianorum longe distare ab azymo carnalium Iudæorum, quos ad vmbram veritatis obseruandam & captandam, sola promissio & desiderium terrenæ felicitatis inuitabat: vt est longæuitas, abundantia frugum, successio filiorum, perditio inimicorum, & cætera. Nos vero corpus veritatis ex azymo & in azymo rite venerantes atque retinentes, ore & corde prægustamus iam quam suauis est Dominus: vnum petentes ab ipso, & hoc requirentes vt maneamus in eo, & ipse in nobis in æternum. Sane si mutare vultis fermento azymum, mutate quolibet aliquo liquore vinũ: quo sicut ex azymo Christus & vetus Pascha finiuit, & nouum inchoauit. Si enim recipitis vinum, azymum cur abijcitis?

Quod vero passio & mors Christi conuenientius annuntietur azymo quam fermentato, ex hoc comprobatur, quod Dominus ipse azymo discipulis memoriam sui agendam tradidit: & quod in lege panis afflictionis dicitur: vt per hoc præmoneamus affligere animas nostras, & pariter offerre sacrificium Deo spiritum contribulatum, cor contritum & humiliatum: illud Apostoli recolentes:

Philip. 2.

Cum timore & tremore vestram ipsorum salutẽ operemini, &, si compatimur & conregnabimus.

Rom. 8.

Porro quæ per legem fuerunt vsque ad tempus correctionis imposita carnalibus Iudæis, Paulus breuiter colligens, ait:

Hebr. 9.

Munera & hostiæ offeruntur, quæ non possunt iuxta conscientiam perfectum facere seruientem: solũmodo in cibis & potibus & varijs baptismatibus & iustitijs carnis. Carnales ergo victimæ atque purificationes variæ in lege, in quibus maxima erat circumcisio, & cæteræ iustitiæ carnis, vt est, differentia ciborum, festiuitas tabernaculorum, non arare in boue simul & asino, nec serere agrum diuerso semine, & his similia: quæ nihil sanctitatis conferebant conscientijs, excepta deuotione obedientiæ & admonitione spiritualis munditiæ, data sunt vsq; ad præfinitum tempus à Patre, quando per Filium suum factum sub lege, redemit eos qui erant sub lege. Cuius carnales iustitias euadens idem Apostolus ait:

Philip. 3.

Quæ mihi aliquando fuerunt lucra, hæc arbitratus sum propter Christum detrimenta, & non solum detrimenta, sed etiam stercora, vt inueniar in illo nõ habens meam iustitiam quæ ex lege est, sed quæ ex fide Iesu Christi. Quod Colossensibus quoque denuntiat dicens:

Coloss. 2.

Nemo vos iudicet in cibo aut potu, aut in parte diei festi, aut Neomeniæ, aut Sabbatorum, quæ sunt vmbra futurorum. Hactenus defendisse legem Moysi & azymum Eucharistiæ Christi sufficiat. Iam discutiamus quæ vestra restant.

Constantinopolitanus.

† Sabbata vero quomodo in Quadragesima iudaice obseruatis? An non audistis in Euangelio dicentem, quia trãseuntes discipuli in Sabbatis cœperunt iter agere, euellentes spicas & comedentes. Dicebant autem Iudæi ad Christum: *Vide quid isti faciunt in Sabbatis*. Qui dixit.

Matth. 12.

Etiam. An nescitis quid egerit Dauid cum esuriret ipse & qui eo erant, quomodo intrauit in templum, & panes propositionis comedit: & cetera.

Ibid.

Et quia Sabbatum propter homines factũ est, non homo propter Sabbatum. Qui et dicebant:

Ioan. 9.

Quomodo homo iste est ex Deo, qui Sabbata non custodit: Et iterum loquente Christo in Sabbato ei qui manum aridam habebat: Similiter & ei qui dæmonis Spiritum habebat in Sabbato mundo, & murmurantibus Iudæis & similia dicentibus, dicit Christus:

Lucæ 13.

Hypocritæ vnusquisque vestrũ non soluit asinum à præsepi, & bouem suum in Sabbato ducit adaquare? Et Paralytico similiter, quem sanum fecit. Et ideo qui Sabbata cum azymis custodiunt, neque Iudæi, neque Christiani sunt, sed similes sunt Leopardo, sicut magnus dicit Basilius, cuius capilli nec nigri sunt, nec albi omnino.

Romanus.

* Quod nos Sabbata nec intra nec extra Quadragesimam Iudaice obseruamus, sufficienter monstratur superius. Vos autem si non Iudaizatis, cur saltem Quadragesimæ non parcitis? ne cum Iudæis feriati & epulantes ieiunium Christi in Sabbato dissoluatis. Vnde testimonia Euangelica quæ posuistis, omnino refragantur vobis, suffragantur vero nobis. Denique nos vt discipuli Iesu non solum iter agimus in Sabbato, & spicas euellimus, sed insuper piscamur, & quidquid oportet operamur, & hora competenti comedimus. Vos quod legitis discipulos spicas transeundo comedisse, à luce prima in vesperũ studetis varijs delitijs, & multo mero crapulam continuare. Nec mirum. Cum istic quoq; obliti Etymologiæ vestræ ex nomine, quod est ἄρτος, dixistis Dauid comedisse panes propositionis, id est, τοὺς ἄρτους τῆς προθέσεως, quos negare non potestis fuisse azymos, si qua conscientia veteris legis remansit apud vos. Deinde quoniam Sabbatũ propter hominem factum est, non homo propter Sabbatum. Nullo conuiuio aut otio honoratur apud nos tanquam Dominus, sed oneratur ieiunio & labore, veluti deuotus seruus Dominica sepultura occupatus. Mox succedente die quam specialiter fecit Dominus solemniter exultamus & lætamur, quia in ea Christus resurgẽs à mortuis, iam non moritur, mors vltra illi non dominabitur. Qui etiam pro custodia Sabbati, non timemus à Christo notari hypocrisi, quoniam in eo non tantũ manum aridam, sed & totum corpus curandum offerimus Deo, & Medicis. Nec tantũ bouem, & asinum soluimus à præsepio, & ducimus adaquare, sed etiam arare.

Ast vos volentes esse legis Doctores, nec intelligentes quæ loquimini, neque de quibus affirmatis, assertionem vestræ opinionis sic conclusistis.

Constantinopolit.

* Et ideo qui Sabbata cum azymis custodiunt neque Iudæi sunt, neque Christiani sunt, sed similes sunt Leopardo, sicut magnus dicit Basilius, cuius capilli nec nigri sunt, ne albi omnino.

Romanus.

* O mirabilis Græcorum Philosophia, ô ars Pelasga, ô Atheniensis & Academica perspicacia. Vnde tibi tantus stupor & vertigo repentina? Vere triplici sine lingua tua diuinitis est ligata. Nam Græci Sapientiam quærũt, quã simplex prædicatio Christianæ fidei stultam effecit, sicut Dominus repromisit:

1. Cor. 1.

Perdam sapientiã sapientũ, & prudẽtiam prudentium reprobabo. Vbi Sapiens? vbi Scriba? vbi cõquisitor huius sæculi? nonne stultã fecit Deus sapientiã huius sæculi: qua stultitia vos repleti, nec secundũ diuinas paginas definiuistis aliquid, & magnũ Basilium secundũ humanas monstratis definiuisse nihil. Falsissimum enim est, vt qui Sabbata & azyma custodiunt nec Iudæi nec Christiani sint. Quia verissime Iudæi sunt qui Sabbata & azyma custodiunt carnaliter. Sed & illud infinitã dubietatem recipit, nec vllo modo consequens erit, vt Leopardus sit tantum, cuius capilli nec nigri, nec albi sunt quia præter hũc innumerabilia animalia sunt, quorũ pili nec albi nec nigri sunt. O egregij scrutatores diuini eloquij, ô dociles discipuli magni Basilij, ex cuius præclaro fonte nihil nisi lutũ haurire præualuistis: cum hinc vnde vobis resonaret

rivus

riuus ille cœlestis lactis, æterni mellis Romanam & omnem Occidentalem Ecclesiam vocans dominam, & obsecrans succurrere perditioni Orientis. Nunc gratia subuertere Latinam Ecclesiam molientes, armamini contra nos, quasi Basilij sententia, quæ multo vecordior inuenitur illa ridicula Tiresiæ Prophetia: *Quidquid dicā aut erit aut non.* Nempe accidit vobis illud Satyrici prouerbium:

Parturiunt montes, nascetur ridiculus mus,

Atq; etiā tacuissetis, vt putaremini sapientes: ceu Sapiētia dicit: *Stultus si tacuerit, sapiēs putabitur.* (Prouer.17.) Modo autē stultitia vestra omnibus nota est. hinc reliqua perspiciamus.

(Constantinopol.) * Quomodo autem & suffocata hi tales comedunt, in quibus sāguis tenetur? aut nescitis vt omnis animalis sanguis, anima ipsius sit? Et qui comederit sanguinem, animam comedet? B Et idcirco secundum hæc nec gentiles ex toto sunt, illi occidunt aut plagentes comedunt.

(Romanus.) † Cur ex lege illud secundum vos per Christum maledicta & derelicta, mandatum nobis opponitis? Nunquid vobis solis licet quidquid libet, vt modo ad legis patrocinium humiliter recurratis, & modo ab ea superbe tanquam anathematisata resiliatis? Nonne vetus lex & non Euangelium interdicit, vt omne suffocatum & captum à bestia non comedatur? (Leuit.17.) *Quia anima omnis animalis in sanguine est.* Constat vtique hoc mandatum ex illis esse, quæ carnali populo ad qualemcumque munditiā seu iustitiam carnis, non ad aliquam sanctitatem mentis data sunt ad tempus. (Coloss.2.) Est enim de cibo, vnde Apostolus dicit: *Nemo vos iudicet in cibo.* Ac si aperte diceret: Nemo vos velut Iudæos discernat ab his inter quos habitatis, in differentia C scilicet ciborum, & in reliquis quæ idem Apostolus adiecit. Quod autem hic, *Iudicare*, dixerit discernere, in Epistola ad Romanos liquet, vbi de diuerso ieiunio quorundam loquēs ait: (Rom.14.) *Alius iudicat diem inter diē, alius iudicat omnem diem.* Qua propter sicut idē ait: *Alius credit se mā-ducare omnia.* Is qui manducat quædam obseruans morē suæ patriæ & prouinciæ. & præcepta maiorum suorum, manducantem non iudicet. Tu enim quis es, qui iudicas alienum seruum? qui salua fide & pura conscientia comedit, quidquid à maioribus suis comedendū accepit? vt.n. (Matth 15.) Dominus ait *Non quod in os intrat coinquinat hominem.* Et (Tit.1.) secundum Apostolum, *omnia munda mundis. Coinquinatis autem & infidelibus nihil est mundum, sed inquinata sūt eorum mens & conscientia.* (Roman.14.) Quod Romanis denuntians ait: D *Scio & confido in Domino Iesu, quod nihil commune per ipsū nisi ipsi, qui existimat quid commune esse, illi commune est.* Et (Ibidem.) post pauca: *Qui discernit, si manducauerit, condemnatus est: quia non ex fide: omne autem quod non est ex fide peccatum est.* Sed quamuis omnia munda sunt, tamen secundum eundem (Ibidem.) Apostolum: *Malum est homini, qui per offendiculum manducat aliquid*, quod frater modicæ fidei & adhuc infirmus in fide credit immundum, & propter hoc non comedendum. Cui condescendere debemus in abstinentia escarum huiusmodi, vt possimus eum Domino lucrari: ne religionem Christianam, pro aliqua esca incipiat abominari: & cibo nostro perdatur frater, pro quo Christus mortuus est.

Nos ergo quamuis à Domino, & ab Apostolis licentiam habemus manducare omnia, quæ nec nostræ nec fraternæ saluti officiunt: consuetudine tamen Prouinciarum & præceptis maiorum nostrorum hactenus detenti, deuitamus comedere nonnulla, non quia mala aut immunda sunt, sed quia aut nobis aliquo modo non expediunt, aut longo vsu in naturam iam verso horrent. Nonne Draco populis Æthiopum in esca datus dicitur? Et nonnullæ nationes quibusdam vescuntur, quæ aliæ penitus abominantur. Cur hoc? Nisi quia vnaquæq; gens in suo sensu abundans, quædam sibi assumpsit, quædam reiecit. Vnde nos quoque absq; cultis in antidotis plurima percipimus, quæ ex serpentibus & ex alijs quæ execramur animantibus assumpta esse non dubitamus. Quod ergo infirmo qualiscunque medicina, hoc fame pereunti qualiscunque esca, Et sicut abominandus infirmus non est A artificialiter refectus sanguine & cadauere aliquorum reptilium, sic nec fame tabescēs si sanguine & suffocato, naturaliter substentat miserabiles artus, potens etiam ad literam cum beato Iob dicere: *Quæ prius tangere nolebat anima mea, nunc præ angustia cibi mei sunt.* Omnis enim creatura Dei bona, & nihil reiiciendum, quod cum gratiarum actione percipitur. Sanctificatur enim per verbum Dei & orationem. Et vos peregrinos, egenos & pauperes Christi, nec inter gentiles computatis, quibus nil est mūdum, quia aliquando qualicunque cibo retinent à Deo sibi datum præsentis vitæ munus? Quare non potius signatæ arcas pecuniæ & promptuaria eructantia ex hoc in illud aperitis, & dispergitis pauperibus, vt iustitia vestra maneat in æternum, & iam non sit eis necessitas præsumere cibum insontium? Nunc autem vsuris & oppressionibus miserorum ditati & elati, calumniamini si egens omnium substentetur aliquo quod vos impinguati & crapulati abominamini: non attendentes Dominum misericordiam malle quam sacrificium. Quo primo mensis hominum post Cataclismum admouit omnia. Deinde certæ significationis gratia, vsque ad tempus remouit aliqua, quasi immunda, cum vtiq; omnia fecerit valde bona, & rationalis creaturæ vitium abominabile sit apud Deum; non quælibet irrationalium creaturarum: voluntas quoque hominum aliquando sibi quædam vendicat, aliquando alienat. Ceu Romani paucis annis ante Constantinum magnum porcinæ carnis esum per Aurelianum Imperatorem sibi vendicarunt. Et Græcis vsque nunc vrsinam alienant. Et certe si humanum super his interrogetis iudicium, immūdior erit porcus reptilib. sordib. atq; olido cōsuetus viuere cœno, quā vrsus saginatus glande atque reliquo suo pabulo. Sed siue nos, siue vos, quod à maiorib. nostris accipimus, aut vsu tenemus comedendum, sic obseruemus, vt is qui non manducat, manducantem non spernat: & qui manducat, manducantem non iudicet.

Considerate tamen ad quantam stultitiam deuoluta sit vestra scriptura & sapientia, quæ cum ab hominibus exquirere deberet finem præceptorum Dei, id est, charitatem de corde puro & conscientia bona & fide non ficta; hoc solum exquirendum putat, an aliquando comederint carnem vrsinam. Cuius vsum quamuis non admittatis admittentibus tamen pro crimine reputare non debetis: quibus Euangelica & Apostolica auctoritas omnia edenda constituit.

Nec hoc dicentes suffocatum & sanguinem nobis contra vos defendentibus: Antiquam enim consuetudinem seu traditionem maiorum nostrorum diligenter retinentes, nos quoque hæc abominamur: adeo vt sanguine vel quocunq; morticinio aut aquis, seu quacunq; negligentiā humana præfocato, apud nos aliquando vescentibus absq; extremo periculo vitæ huius, pænitentia grauis imponatur: pro eo maxime, quia antiquas consuetudines & traditiones maiorum quæ non sunt contra fidem, leges Apostolicas arbitramur: nam de cæteris, quæ aucupio aut canibus seu laqueo venantium moriuntur, Apostoli præceptum sequimur: *Omne quod in macellum venit, māducate nihil interrogantes propter conscientiam* (1.Cor.10.) Domini est terra & plenitudo eius. Quod etiam in conuiuium gentilium E vocatis concessit dicens: *Si quis infideliū vocat vos ad cœnam & vultis ire: Omne quod vobis apponitur manducate, nihil interrogantes propter conscientiā.* (Ibidem.) Dominus quoq; pro mercede prædicatoribus suis prouidens alimoniam dixit eis: *In domo recipientium vos manete edentes & bibentes quæ apud illos sunt.* (Luca.10.) Ecce Dominus non dixit quædā apud illos comedite, sed indifferēter, *quæ apud illos sunt.* Quapropter omnis homo scientiam habēs, si simpliciter edit & bibit, quidquid in macellū vænit, aut quod sibi apponitur, nullatenus est culpandus, nisi inde aliquam immunditiam cōscientiæ suæ cōtrahat. Quia non quod intrat in os, sed quod procedit de ore coinquinat hominem. Nec esca aliqua est in vitio, sed immoderatus appetitus. Verum ne scandalizetur frater infirmus in fide, qui putat aliquid cōmune vel immundum esse. Si quis dixerit hoc suffocatum

est, vel morticinium, non est comedendum, vt Apostolus de idolothryto ait: 1. Cor. 10. *Siquis dixerit, hoc immolatũ est idolis. nolite mãducare, propter eum qui indicauit, & propter conscientiam. Conscientiã autem dico, non tuam sed alterius,* Multa siquidem vsu aut traditione maiorum ita obseruamus, vt aliter facientes omnino abhorreamus, sicut est, non lotis manibus manducare. Quod quamuis iuxta sententiam veritatis, non coinquinat hominem, tamen velut immundum exhorrere solet homo hominem, non lotis manibus manducantem.

Sed forsan dicturi estis: non solum in veteri: sed & in nouo Testamento ab Apostolis traditum gentibus, vt abstineant à sanguine & suffocato. Nec nos nescimus, tamen pro loco & tempore nonnulla carnali veteris legis B mandata Apostolos obseruasse scimus, quando adhuc quasi in matutino crepusculo tenebræ & lux confulgebant, & intuentium oculos, non huc, non illuc reducebant. Sic Apostoli in Iudæa commorati aliquando claritate Euangelij expergefacti, ab vmbra legis recedebant, aliquando necessitate vel consuetudine torpentes in eam recidebant. Denique sorte associarunt sibi Matthiam, & in templum in quo adhuc sanguis animalium offerebatur, orationis gratia frequentabant. Ipse quoque vertex Apostolorum Petrus, modo cum gentibus comedebat, modo ab eis timens se subtrahebat. Cuius Coapostolus Paulus, quamuis dixerit Galatis: 1. Tim. 4. *Si circũcidamini, Christus vobis nihil proderit*, tamen dilectum discipulum propter subintroductos falsos fratres circumcidit, & cum alijs C purificatus in templo sacrificium legis exhibuit. Sed vbi ab augustijs Iudææ exclusi amplitudine gentium fuere potiti, mox quasi cathenis seruitutis palam erepti, quot quot ad spiritualem gratiam attrahebant, à carnalibus ceremonijs legis auertere non cessabant. Quod procul dubio ex præcedentibus & subsequentibus verbis Pauli intelligitur, vbi sic protestatur: *Spiritus manifeste dicit: quia in nouissimis tẽporibus discedent quidam à fide, attẽdentes spiritibus erroris, & doctrinis dæmoniorũ in hypocrisi loquẽtium mendacium, & cauteriatam habentium conscientiam, prohibentiũ nubere, & abstinere à cibis, quos Deus creauit ad percipiendũ cum gratiarũ actione fidelibus & his qui cognouerunt veritatem: Quoniam omnis creatura Dei bona est, &* D *nihil reijciendum, quod cũ gratiarũ actione percipitur. Sanctificatur enim per verbum Dei & orationem.* Ecce tantus Apostolus, raptus vsque ad tertium cœlum & in ipsum Paradisum, proclamat omnia munda mũdis, & nihil reijciendum, quod cum gratiarum actione percipitur, quia per verbum Dei & orationem sanctificatur. Et vos qui estis, qui attendentes spiritibus erroris, & doctrinis dæmoniorum in hypocrisi loquimini mendacium, scripta Latinis populis destinantes, vt relinquant mandata Dei, & quæ grauiora sunt legis, Iudicium scilicet & misericordiam & fidem: & sequantur traditiones & opiniones vestras, quasi nullos vsque nunc habuerint prædicatores ac patres, ac necesse habeant à vobis doceri, quæ sint Elementa sermonum Dei.

Nempe inter alia ignaros omnium conamini instruere, quid & qualiter præparatum comedant, & eos asse- E ritis nec gentiles esse nec Iudæos nisi obediant. Quia vt dicitis, gentiles occidunt, aut plagentes comedunt quasi Latini soliti sint animalia viua aut integra comedere. Nũquid Archimagiri omnibus nationibus delegati estis? Et si forte alicui fame deficienti animæ obsonium vel victus desit, auis autem & ouis adsit, sed ferrum absit, satius erit eum inedia deficere, quam quouis ingenio ea mactare & comedere? Itaque doctrinis varijs & peregrinis nolentes Roman. 14 adduci, *Scimus & confidimus in Domino Iesu, quia nihil cõmune per ipsũ, nisi ei qui existimat quod commune esse, illi commune est*: sicut Paulus dicit. Deinde optimum est gratia stabilire corpus non escis, quæ non profuerunt ambulantibus in eis. Sed iam insistamus reliquis.

Constantinopol. † Etenim Alleluia in Quadragesima non psallitis, sed semel in Pascha tantummodo, quod interpretatur *Dominus venit, laudate, hymnum dicite, & benedicite eum*. Ergo A secundum hoc neq; *Laudate*, neque *Benedictus qui venit*, psallitis. Et istud vero Alleluia Hebraice dictum est.

† Scimus Alleluia Hebraice dictum, & Latine interpretari *Laudate Deum*, sed quod etiam, *Dominus venit* aut, Romanus. *Benedictus qui venit*, interpretetur, nescimus, nec nisi à vobis hactenus audiuimus. Porro ipsum Alleluia sicut calumniamini, non solummodo in Pascha cantamus, sed omnibus totius anni temporibus, exceptis nouem hebdomadibus, quibus id intermittere a patribus nostris accepimus: scilicet quibus negligentias aliorum temporum diluere attentius debemus. Sicut enim quondam populus in eremo peccatum idololatriæ in seipso puniturus, & Niniuitæ pœnitentiam in prædicatione Ionæ B acturi, omnem ornatum suum & delitias deposuerunt, & saccum & cinerem sibi imposuerunt, nec tam peregrinis verbis ac exquisitis sex dulcisonis melodijs, sed proprijs sermonibus & incompositis, siue amaris eiulatibus ad Dominum clamauerunt: Sic & venerabiles patres nostri agere consueuerunt. Vnde ornamenta & delitias diuitis linguæ, tempore quadragesimæ deponentes, pauperrimum habitum nostræ linguæ nobis imponimus, & stulti facti propter Christum, nihil nos scire iudicamus, nisi ipsum Crucifixum. Cuius districtum præ oculis habentes iudicium, vinculati & grauati peccatis: tanquam idiotæ, vix audemus vel in nostro idiomate interpellare Eccl. 15. Deum. Nam ex libro Sapientis didicimus: quia *non est speciosa laus in ore peccatoris* Et tamen tunc iugiter hymnũ C dicimus Domino atque *Benedictus qui venit* psallimus, & omnem creaturam ad laudem eius die noctuque inuitamus dicentes: *Laudate Dominum*, sed vt prædiximus patria voce tantum. Tunc quoq; alium angelicum hymnum intermittimus, id est, *Gloria in excelsis Deo*. Deniq; hi duo solummodo hymni ab Angelis in nouo testamento inueniuntur decantati. *Alleluia* scilicet, & *Gloria in excelsis Deo*. Quos pariter in Septuagesima intermittimus: quia peccato veteris hominis à conuentu Angelicæ iubilationis expulsi in huius miseræ vitæ Babylonem; super flumina eius sedemus & flemus, dum recordamur illius Sion, in qua Deum Decet Hymnus: dicentes aduersarijs nostris: *Quomodo cantabimus canticum Domini in terra* Psal. 136. D *aliena?* Si quidem vetus homo, vetus & non nouum Canticum cantare potest, donec post hanc laboriosam vitam, quæ significatur per Quadragesimam, renouetur in agnitione secundum imaginem eius qui creauit eum, per resurrectionem Iesu Christi ex mortuis. Nec tamen *Sanctus, sanctus sanctus Dominus Deus Sabaoth*, in Quadragesima intermittimus, quamuis sit hymnos Angelicus & in nouo Testamento decantatus, qui & in veteri prius fuit dictus, fidem videlicet perfectam patrum humilitec Deo offerens, nullum autem meritum bonæ operationis eorum attollens. Sic & nos interim in hac nostræ peregrinationis Quadragesima scientes nos per fidem & non per speciem ambulare, de sola fide apud Deum præsumimus supplici cõfessione dicentes: *Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus Sabaoth*: Cui de operibus diffidentes, Esaia. 6. cum Psalmista proclamamus: *Non intres in iudicium cum* E *seruo tuo, quia nõ iustificabitur in cõspectu tuo omnis viuẽs.* Psal. 14.

Quod autem nouem hebdomadibus *Alleluia* intermittimus, non incongrue per nouem hebdomadas nouem ordines Angelorum accipimus. Quorum decimus ordo per superbiam corruens, Angelicum numerum imminuit, & fœlicitatem perturbauit. Qui condolentes suæ diminutioni, & parem ruinam timentes sibi, à perfecta laude creatoris fuere præpediti. Quorum recuperationi & consolationi consulens omnipotens Creator primum hominem de limo terræ formauit. Qui sui generis multiplicatione damna cœlestis patriæ resarciret atque Angelorum gaudia suppleret. Qua spe Angelicus chorus ad modicũ exhilaratus, nec mora, ex lapsu ipsius hominis fuit cõturbatus. Vnde ille nouem ordinũ concentus in laude Creatoris remansit imperfectus, donec in Christo resurgente resurrexit prolapsus ille Protoplastus. Ibi augmẽto sui collegij & meliori spe Angelicus exercitus gauisus, in

nouum

nouum *Alleluia*. consurrexit totus, & in eo perstat deuotus. Quem & nos pro modulo nostro imitantes, à Septuagesima, quando lapsus Protoplasti in Ecclesia recitatur, *Alleluia*, nouem hebdomadibus intermittimus, scilicet in Pascha, vbi Christus resurgens à mortuis, tristitiam nostram in gaudium vertit, & *Alleluia*. reddit. Quod vtique si non aliquando Latina Ecclesia decantaret, reprehendi à vobis non deberet: cum tamen in sua lingua laudem Domini personaret. Nunc quæ sit ista vestra superbia miramur, quæ latrat, Latinos non pertinere ad Deum, si Hebraice an Græce non persoluant & hymnum & debitum officium, cum etiam Latina lingua principaliter confiteatur, quia Dominus Iesus Christus in gloria est Dei Patris. Ipsa quidem cum Hebræa & Græca titulum Crucifixi Domini compleuit, & quæ erat nouissima facta est prima: ferro & fide vsque ad aduentum maligni Antichristi & benigni IesuChristi defendens sibi terrenam & cœlestem potestatem.

Hinc iam dio calumniis vestris reluctati, breuiter attingamus intentionem vestri Epilogi.

Constantinopolitanus. † Cur tantam deceptionem horum talium non aspicitis, nec intelligitis, neque corrigitis populos? sicut qui debentur iudicari à Deo? Non derelinquios quod dicitur quoniam hoc Petrus & Benedictus & Paulus & cæteri docuerunt? Decipitis vos ipsos & populum in istis. Quæ vero scripsi, ea sunt quæ Petrus & Paulus & cæteri Apostoli & Christus docuit, & sancta atque Catholica Ecclesia suscepit & custodit religiose, quæ & vos correcti custodite.

Romanus. † Sicut sufficienter monstratur superius, conuerso ordine & versa vice procederent hæc rectius: scilicet si vos seductos, seductores & oratiure iudicandos à Domino diceremus. Quia volentes esse Doctores, nec intelligentes quæ loquimini, neque de quibus affirmatis, sanctorum Apostolorum & Catholicorum puram doctrinam, humana præsumptione fermentatis, omnino decipientes vos & alios in istis. Quæ autem nunc vobis scripsimus, Christus docuit, & Apostoli ipsius, quæ ab eis & à sanctis Patribus sancta & Catholica suscipiens Ecclesia, religiose obseruat hactenus, quæ & vos correcti obseruate, si non vultis a Christo anathema esse. Porro Benedictus Monachorum pater egregius in nullo à vobis est detrahendus, quia fide & doctrina & vita præcipuus, nec ad dextram nec ad sinistram aliquando declinauit à recta via, nec terminos quos patres posuerunt, est transgressus, nec Leopardum curauit definire, sed regulam discretione plenam cœnobitis tradere. In qua & si constituit esum carnium infirmis, & fœmoralia in itinere positis, absit tamen, vt arbitraretur, hæc duo peiora esse fornicatione, quam quidam vestratium adeo sibi defendunt, vt publice profiteri nec erubescant nec metuant, tale esse fornicari, quale est quolibet pomo vesci & refici. Vnde & fornicantes Sarabaitas venerantur: fœmoralibus vero & carnibus in necessitate vtentes cœnobitas omnino detestantur. Sed quid dicit Propheta? *Væ his qui dicunt bonum malum & malum bonum.* Nunquid vas electionis B. Apostolus Paulus alicubi definit: neque carnibus aut fœmoralibus vtentes regnum Dei possidebunt? Qui tamen plerisque locis vehementer inculcat, dicens: *Nolite errare, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores regnum Dei possidebunt*: Item: *fornicatores & adulteros iudicabit Deus*. Et, *omne peccatum quodcunque fecerit homo extra corpus est*: *Qui autem fornicatur, in corpus suum peccat.*

Esaia. 5.
1. Cor. 6.
Hebr. 13.
1. Cor. 6.

Constantinopolitanus. † Azymas vero & custodias sabbatorum proijcite miseris Iudæis: Similiter & suffocata barbaris gentibus. vt fiamus puri omnes in immaculata & in recta fide, & vnus grex vnius pastoris Christi. Cuius in cruce diuino sanguin. inebriati, laudamus puri pure Patrem & Filium & Spiritum sanctum: vniuersa Mosaicæ legis & ab eo custodita derelinquentes sine Deo Iudæis. Qui velut cæci perquirentes Christum, lumen amiserunt, permanentes in vmbra sicut insipientes perpetuo,

Bibl. Patr. Tom. 4. part. 3.

Romanus. † Superius monstrauimus copiose, nec sabbata vel azyma nos Iudaice obseruare: nec suffocata gentiliter manducare, sed Apostolicã Catholicamque fidem, principaliter retinere, nec procaciter refugere, sed humiliter fugere ad vnum vnius summi boni pastoris ouile, qui posuit animam suam pro ouibus suis: quas, vocem suam non alienorum recognoscentes & sequentes carne sua instantes cibat & sanguine potat, vt corde, ore, & opere collaudent S. & indiuiduam Trinitatem. Vnde super omnia dolemus veteres animas vestro de pulmone hactenus non potuisse reuelli. De quibus in actibus Apostolorum dicitur: *Athenienses ad nihil aliud vacabant, nisi addiscere aut audire aliquid noui.* Sed iam profanas vocũ nouitates deuitando, veterem pelliculam quantocius abijcite, ne, quod absit, dicatur vobis sponsi voce: *Si ignoras te. egredere & abi post vestigia gregum & pasce hædos tuos*: illos scilicet, quos ipse pastor in fine à sorte humilium ouium separat: quia lasciui & petulci, hic se vi superbiæ exaltare non cessant.

Actor. 17.
Cantic. 1.

Deinde si vniuersa Mosaicæ legis relinquimus Iudæis, nulla honestas aut sanctitas remanebit nobis: ceu ex superioribus recolligere potestis. Relinquantur ergo eis sola carnalia mandata, & sanctum sæculare, in quibus cæci quærunt quid inuenire, dum vmbram sectantes, exulant à luce. In qua vmbra numeratur & Sabbatum vestrum Apostolo dicente: *Nemo vos iudicet in cibo aut potu, aut in parte diei festi, aut Neomeniæ aut Sabbatorum, quæ sunt vmbra futurorum.* Porro sicut sine Deo sunt Iudæi; sic & omnes hæretici. Verum ne quid sit minus, quod sequitur attendamus.

Coloss. 2.

Constantinopolitanus. † Hæc autem huiusmodi multotiens & ipse cum populo agnoscens docuisti eos, & correctus scripsisti multis talem consuetudinem habentibus. Et vt habeas salutem animæ tuæ, mitte Principibus Sacerdotum & Sacerdotibus, & adiura vt per hæc seipsos corrigant & populus: vt mercedem & in istis habeant. Et si hoc feceris, propono & per secundam scriptionem maiora & perfectiora his scribere tibi fidei vera ostensione & firmamento animorum, pro quibus Christus posuit animam suam.

Romanus. † O viri cordati perpendite hic & cauete hæreticorum callidam subreptionem; qui per benedictiones & dulces sermones, seducunt corda innocentum. Ecce his specialiter Tranensem Episcopum Ioannem, cui talia scripsistis, alloquentes, oleo peccatoris caput eius impinguare satagitis dicentes. *Hæc autem huiusmodi multotiens cum populo agnoscens docuisti eos & correctus scripsisti multis similem consuetudinem habentibus.* Sed nos è contrario per Salomonem dicimus vobis: *Os quod mentitur occidit animam.* Neq; enim præfatus Episcopus correctus à vobis aliquando talia populum docuit, aut vnquam super his scripsit, Quod si fecisset, correctus à nobis fecisset, cur corruptus non autem correctus à vobis talia præsumpsisset. Sed ille qualiscumq; sit in opere, sanus tamẽ hactenus extitit in orthodoxa fide iuxta capacitatem suæ intelligentiæ. Vnde nullis vestris susurrationib. acquiescens, adhuc persuaderi non potuit, vt alicui sacerdotum has vestras nænias pro correctione illorum & populi cum adiurationibus mitteret. Et ipse non solum nullam mercedem in his haberet, sed insuper gradus sui periculum incurreret. Cui etiam si vobis in vestris nugis obediat, aliud mercedis repromittitis: scilicet vos secundo ei scriptum iri maiora & perfectiora his, vera fidei ostensione, ac firmamento animarum, pro quibus Christus posuit animam suam. In quibus plane promissis antiquum ritum hæreticorum retinetis, quorum sermo sicut cancer serpit, & pollicetur curiosis fastigium perfectæ scientiæ, vt pertrahat ad baratrum extremæ stultitiæ. Quorum vanitatem sapientia Dei per Salomonem proprie demonstrans ait: *Mulier stulta & clamosa plenaque illecebris, & nihil omnino sciens, sedet in foribus domus suæ, in excelso vrbis loco, vt vocet transeuntes per viam & pergentes itinere suo. Quis est paruulus? declinet ad me.* Et ve-

Sapient. 1.
Prouerb. 9.

cordi locuta est aqua furtiuæ dulciores sūt, & panis abscōditus suauior. Et ignorauit, quod Gigantes ibi sunt & in profundis inferni conuiuæ eius. Hic plane hic vestri efficax deprěctor est, qui maiora & perfectiora ad ostensionem fidei & firmamentum animarum pollicemini inuitando paruulos & vecordes ad aquæ furtiuæ dulcedinem & panis absconditi suauitatem. Vere omnino aqua furtiua est in qua rebaptisatis Latinos Catholice baptisatos, quod nullus Catholicus adhuc præsumpsit, scilicet vt rebaptisaret aliquos, in nomine S. Trinitatis ab ipsis etiam hæreticis baptisatos. Vere omnino ad nescio quem panem absconditum inuitatis, quando viuifica & terribilia Sacramenta corporis & sanguinis Iesu Christi profanis pedibus conculcatis.

Hæccinæ sunt illa maiora & perfectiora, vt tanta oblatio imponatur altari, quanta nequeat à ministris, vel à populo sumi, & idcirco debeat subterrari aut in puteum ad hoc præparatum proiici? Hæccine quoq; sunt illa maiora & perfectiora, vt nouus maritus & recenti carnis voluptate resolutus & totus marcidus, Christi ministret altaribus & ab eius immaculato corpore sāctificatas manus, confestim ad muliebres transferat amplexus: Hæccine sunt illa perfectiora, vt mulieribus Christianis in partu vel menstruo periclitantibus Communio denegetur? aut paganis baptismus interdicatur? & paruulis morituris ante octo dies regeneratio per aquam & Spiritum sanctum subtrahatur? In quo vtique crudeliores Herode, non tantùm in corpore, sed & anima quotidie trucidatis paruulorum innumerabilem populum & destinatis ad ignem æternum. Nunquid etiam inde est quod hominis mortui imaginem affigitis crucifixæ imagini Christi, ita vt quidem Antichristus in Cruce Christi sedeat ostendens se adorandum tanquam sit Deus: Nunquid & illud inde est, quod peius sit Monachos fæmoralibus indui & carnib. vesci, quā fornicari? Ideone clauditis Ecclesias Latinorum & dirigitis scripta per totum orbem, vt ad hæc maiora & perfectiora pertrahatis omnem Christianum populum? Non sunt hæc talia, ostensio veræ fidei, sed adinuentio Diaboli. Nec sunt firmamentum, sed destructio animarum. Pro quibus omnibus & alijs, quos longum est scripto prosequi, erroribus, nisi resipueritis & digne satisfeceritis, irreuocabile Anathema hic & in futuro eritis à Deo, & ab omnibus Catholicis, pro quibus Christus animam suam posuit.

Explicit Responsio.

INCIPIT CVIVSDAM NICETÆ PRESBYTERI ET MONACHI MONASTERII studij libellus, contra Latinos editus, & ab Apocrisarijs Apostolicæ Sedis Constantinopoli repertus.

NICETA Presbyter & monachus monasterij Studiorum, qui prænominatur Pectoratus: Romanis de azymis & Sabbatum ieiunijs, & nuptijs sacerdotum.

Bona est dilectio ad proximum: ô omnium gentium sapientissimi & nobilissimi Romani. Ex habitudine enim dilectionis ad proximum, humilitas abundat ad eum qui habet illam. Ipsa autem abundans efficit participem sui, omnia diligere, omnia sustinere, vt ait diuinus Apostolus, & non inflari aduersus proximum suum aliquando, neque ea quæ ipsius solius sunt quærere, aut zelum habere aduersus eum & altercationem & æmulationem. Omnia enim hæc dilectionem persequuntur & humilitatem, & faciunt hominem non secundum Deum ambulare, sed secundum hominum libitum. Quod & Paulus arguit, dicens: *Cum sit inter vos zelus & contentio & discordia, nonne carnales estis, & secundum hominem ambulatis?* Propter quod rogo vestram charitatem, humiliari vos propter Dei præceptum, & audire à nobis indignis & minimis.

Requirentes enim ab illis qui ex diuersis prouincijs Romanorum peregrinantur hic de azymis, quid dicemus de his in dilectione Christi ad vos? Qui azymorum adhuc participant sub vmbra legis sunt, & Hebræorum mensam comedunt, non autem rationalem & viuam Dei mensam, & nobis qui credidimus supersubstantialem, quemadmodum superius exigere supersubstantialem docti sumus panem. Quid enim est supersubstantialis, nisi quia nobis est consubstantialis? Alter autem nullus est nobis consubstantialis panis, sed corpus Christi, quod consimile nobis est secundum carnem humanitatis ipsius. Si autem animata est nostræ massæ substantia, quia verbum induit se: ergo non consubstantialem nobis panem comedetis, quia azymorum participamini. Azyma enim inanimata sunt, sicut ipsa rerum natura declarat atque liquidius edocet. Intermixtum enim modicum fermentum in farina & commixta sibi, ipsa vnam efficit seipsam propter fermentum, viuifica quadam virtute, & calefacit eam, & mobilem quasi viuam operatur. Quod in azymo fermento Pharisæorum, quod effugere nos sermo admonet, neque effectum est aliquando, neq; fiet omnino. (Matth. 16.) Diuinæ enim effecti sumus participes naturæ, cuius & participamus quotidie, qui communitatem habemus cum Christo, sicut dicit & Petrus vertex: (2. Petr. 1.) *Gratia vobis & pax multiplicetur in cognitione Dei, & Iesu Domini nostri.* (Ibidem.) Et post pauca: *Vt per eā efficiamini diuinæ participes naturæ*, non autem fermento azymi interfectorū Dei. Diuinam autem naturam, quisquis rationis est Dominus, dicet aliquando azymum, & mortuum fermentatū Iudæorum, quod in sacrificio vos Deo offertis, quod in figura veræ & viuæ carnis Domini comeditis? Quomodo vnitatem habebitis cum Christo, viuente Deo, mortuum, vt dictum est, & infermentatum fermentum comedentes, legis vmbræ, non noui testamenti? Si enim & hoc dixeritis, sed non sic se habet. Inquit enim dilectus Christi discipulus: (1. Ioann. 1.) *Si dixerimus quia cōmunitatem habemus cum eo, & in tenebris ambulamus, mentimur, & non facimus veritatē: Si autem in lumine ambulamus, sicut ipse est in lumine, communitatem habemus ad inuicem, & sanguis Iesu Christi purificat nos ab omni peccato.* Qui ergo azyma comedit, in tenebris legis ambulat. Et quomodo habebit societatem cum Christo, qui est in lumine noui sui testamenti & gratiæ? Nam qui in lumine ambulant gratiæ, panem comedunt qui est corpus Christi: & bibunt sanguinem immaculatum eius, & ita habent ad inuicem & cum Christo societatem, purificati sicut dictum est, ab omni inquinamento. Azymum autem non est panis: neque enim compositus, neque per seipsum perfectus est, sed indigens, semique perfectus indigens plenitudine fermenti. Panis autem compositus, per seipsum perfectus est, & plenissimus, sicut ille qui totum habet in seipso plenitudinis.

Animaduertite & attendite, quia in azymis nulla est viuens virtus, mortua enim sunt; in pane autem, hoc est corpore Christi, tria sunt viuentia, & vitam præbentia eis, qui ea digne comedunt: Spiritus, aqua & sanguis, ceu & ipse, qui super pectus Christi in cœna recubuit, Ioannes contestificatur in eo verbo: (1. Ioann. 5.) *Tres sunt qui testimonium dant spiritus, aqua & sanguis. & hi tres in vno sunt*, videlic. in corpore Christi. Quod & secundum tempus Dominicæ Crucifixionis declaratum est, cum aqua & sanguis ex immaculata costa ipsius affluxit: lancea percussa carne ipsius, sanctus spiritus viuificusque in Deificata carne eius permansit. Quam comedentes in pane, qui immutatus est per spiritum & effectus est corpus Christi, viuimus in ipso, tanquam viuam & Deificatam carnem edentes. Sic autem & sanguinem viuum & calidissimum eius bibentes cum effluente aqua ex immaculata costa eius, mundamur ab omni dilectione, feruenti replemur spiritu. Calidum enim, vt videtis, velut ex latere Domini calicem bibimus, quia ex viua carne & calido spiritu Christi calidissimus nobis sanguis & aqua emanauit. Quod in eis qui azyma comedunt, nequit fieri.

Si autem

Si autem mortuum fermentum comeditis, ô sapientissimi, vt sermo declarauit, cuius rei gratia gloriamini, dicentes? *Quia non sicut vos sale & fermento atque aqua farinam temperamus, & sic facimus oblationem azymorum nostrorum, sed aqua sola & farina & igni azymum conficimus, & in tribus his puram facimus nostram oblationem.* Percontamur igitur vos hæc tria, aquam & farinam & ignem ad quid accipitis, & cuius effigiem esse hæc æstimatis? Carnis Domini? Sed non, inquit dilectus Christo Ioannes: 1. Ioan. 5. *Tres sunt qui testimonium perhibent*, aqua & farina & ignis. Sed quid? *Spiritus & aqua sanguinis, & hi tres in vnum sunt*, videlicet in corpore Christi, vt dictum est, quod nos comedentes vnimur incarnato propter nos & immolato Ephes. 5. Christo incorporati, & velut caro eius sumus ex carne ipsius, & os ex ossibus eius, sicut scriptum est. Si autem ad increatam & incorpoream naturam sanctæ Trinitatis assumitis: erratis cadentes in hæresim eorum, qui asserunt Deum passum, qui dicunt compassum verbum carni, & eadem ipsam deïtatem sustinuisse passionem. Non enim pariter Trinitas incarnata est, Pater & Filius, & Spiritus sanctus, vt conspiciantur in ea hæc tria, aqua, vt dicitur, farina & ignis, & vt in figura ipsius fa-cientis azymum & sacrificium offeratis, sed vnus ex Trinitate Filius, & Verbum Dei Incarnatum est, ex castissimis sanctiss. Virginis carnibus Homo effectus, & omnia ordinationis suæ perficiens, crucifixus est carne, non passa Diuinitate ipsius. Carne igitur crucifixus tradidit nobis edere per panem, carnem suam, quam in Spiritu sancto ita viuam dicimus: *Accipite & comedite, Hoc est Corpus meum, quod pro vobis fractum est in remissionem peccatorum.*

Quid ergo vnbis in Christo fratribus nostris & legi quæ maledicta est in Christo? quoniam adhuc azymum fermentum eius comeditis? noua creatura sumus in Christo. 2. Cor. 5. Vetera transierunt. Paulum audite dicentem: *Ecce facta sunt omnia noua.* Si autem hæc comedere decernitis iustum: cur non & circumcidimini? Christus circumcisus est, cur non & purificamini? Paulus etiam & hoc fecit: & alia etiam omnia similiter seruate veterum, sicut & hi ea quæ legis sunt faciunt per quos nomen Dei in gentibus Rom. 2. blasphematur, sicut est scriptum: 1. Cor. 5. *Non bona est gloriatio vestra*, vt & ego quæ Pauli sum loquar ad vos: *Nescitis* inquit, *quia modicum fermentum totam massam corrumpit?* Et panis tandem non azymum efficitur. Sed quid hic dictus Apostolus scribit ad Corinthios? Numquid, vt vos æstimatis, de celebratione, quam vos in azymis celebratis? Nequaquam. Sed quoniam illi hoc despiciebant, quod aliquis nouercam acceperat, & in antiquis consuetudinibus falsæ scientiæ suæ gloriabantur, volens autem eos conuerti Paulus & ex vetere remouere malitia: venit per similitudinem hanc, fermenti dico & massæ, ostendit eos, quoniam vnum malum tanquam modicum contemptum, magnam in toto corpore Ecclesiæ faciet læsionem. Ibid. Propterea, inquit, adiciens: *Et non luctum habuistis, vt auferatur de medio vestri, qui hoc opus operatus est?* Potest enim, inquit, iniquitas ista ad omnes vestras vrbes transire, & tanquam modicum fermentum totam massam fermentat: sic omnes apprehendi & fermentari, & vnam massam maioris iniquitatis operari. Ibid. *Expurgate*, inquit, *vetus fermentum* peccati: Tollite hunc è medio vestri: vt efficiamini Christo noua conspersio, sicut estis baptisati, id est, vel azymi, vel puri: mortificati mundo & desideriis carnis. Etenim Pascha nostrum hoc est, quoniam vt eriperet nos ex iniquitate ac morte, immolatus est Christus. Qua de re sic ait: Ibid. *Epulemur non in fermento veteri: neque in fermento malitiæ & nequitiæ sed in azymis sinceritatis & veritatis:* hoc est, puræ vitæ & fidei, qua in Deum credimus & veraces oratores eius efficimur. Sic magnus Gregorius Theologus hoc verbum accepit, ô sapientissimi, ea quæ mentis Apostolicæ sunt intelligite, & non quemadmodum hoc vos accepistis, de azymorum festiuitate & participatione. Si enim de azymis & de celebratione eorum Corinthus Paulus præcepisset, & eos in azymis epulari iussisset, non promulgasset cum vndecim, & omnem reducens Ecclesiam fidelium in ordinem, in septuagesimo Canone, cum excommunicatione præcepisset omnibus, huiusmodi causam à Iudæis nullatenus accipi: *Si quis Episcopus, aut Presbyter, aut Diaconus, aut omnino ex numero Clericorum ieiunauerit cum Hebræis, aut epulatus fuerit cum eis, & acceperit festiuitatum eorum munera, vt sunt azyma, aut aliquid huiusmodi, deponatur: Si autem laicus, sequestretur.*

Si autem dicitis: Quia ab Hebræis non accipimus, sed domi facere consueuimus, cur hoc? siue ab illis accipiatis, siue domi faciatis, azyma fiunt. Et iuxta hoc grauiorem pœnam habebitis, quoniam relinquitis agere, quæ iussa sunt vobis a Christo, & Apostolis ipsius: facientes velut illi, qui sub seruitute legis sunt, qualia Iudæi faciunt in vmbra & tenebris legis sedentes, nullatenus dicenti Paulo credentes: *Fratres, vnusquisque in eo ordine quo vocatus est in ipso permaneat.* 1. Cor. 7. Non enim inuenietis omnino in diuina Scriptura, quoniam azymum dictum sit à Christo aut Apostolis eius, cum administraretur ab illo Noui Testamenti mysterium. Paulus enim Corinthiis scribens dicit: 1. Cor. 10. *Discernere vos oportet calicem benedictionis quem benedicimus, nonne communicatio Sanguinis Christi est? Panem quem frangimus nonne communicatio corporis Christi est? Quoniam vnus panis, vnum corpus multi sumus.* 1. Cor. 11. *Etenim omnes ex vno pane participamus. Ego enim accepi à Domino, quod & tradidi vobis. Quoniam Dominus Iesus in ea nocte tradebatur, accepit panem*, & non azymum, *& benedicens fregit & dixit: Accipite & comedite, Hoc est corpus meum, quod pro vobis frangetur, Hoc facite in meam commemorationem.* Et non semel dixit panem, sed etiam sæpe. Non hic solus dixit, sed & cæteri Apostolorum, & Matthæus quidem ait: Math. 26. *Cœnantibus autem illis atque comedentibus accipiens Iesus panem:* Aspicis panem, & hic inquit, *& benedicens fregit, & dedit discipulis suis, & dixit: Sumite & comedite, Hoc est corpus meum.* Similiter autem Marc. 14. & hoc Marcus inquit, & reliqui: nequaquam azymum ab eis commemoratur.

Quoniam quidem oportebat pati Christum secundum diem legalis Paschæ, in qua & agnus ab Hebræis immolabatur, Oportuit enim fieri Pascha ab interfectoribus Dei in sexta Feria, in qua tandem & quarta decima Luna erat iuxta primum mensem, in quo contingit euenire V D X X X I V. annos: Cyclus enim solis erat X V I I I. & V. vt non adhuc traditus præuenisset proprium Pascha Discipulis tradere: recumbens in cœna secundum vesperum quinti diei; Postquam Cœnauit accepit panem, fregit, tradidit Apostolis mysterium Noui Testamenti in nocte quinta, in qua traditus est à Iuda; Sicut Lucæ 22. scriptum est. Sed quid dicit Lucas Apostolus? *Accepit panem & benedicens fregit.* Ecce & Lucas accipere panem Christum dixit, & non azymum. Non enim adhuc erat sextæ Feriæ dies. Tertia decima erat Luna in illa quinta Feria, & non erat azymum, neque adhuc ablatio fermentati.

Azyma enim in quinta decima Luna promulgata erant in lege, vt in quarta decima die ad Vesperam agnus immolaretur, & in quarta decima die Lunæ primi mensis Pascha appellaret lex, quintam decimam diem primum azymorum & Sabbatum nominaret. Proh dolor insipientiam illiteratorum. Et non erat azyma in quinta Feria, cum esset Luna tertia decima & non quarta decima. Secundum quintam decimam Lunam fuerat institutum azyma fieri, sicut & agnus ad vesperam quartæ decimæ diei iussum est immolari, secundum quem immolatus est Christus, agnus Dei, qui tollit peccata mundi. Si autem Christus immolatus est, & crucifixus in decima quarta die Lunæ, Feriæ sextæ, in Sabbato autem erat Festum azymorum, quando azyma comedit? etiam Apostolis sic facere non in Nouo Testamento tradidit: Quomodo dicitis ab Apostolis accepisse vos facere azyma iam post Resurrectionem à mortuis? Non videtis quis

manifeste ex rebus arguimini, quoniam non tunc azyma, cum mysteria Noui Testamenti traderet Apostolis Christus?

Leuit. 23. Ostendam vobis hoc ex legislatione Moysi: Loquitur enim: *Hæ sunt festiuitates Domini & ipsæ sanctæ quas vocabitis in temporibus suis, in primo mense in quinta decima die mensis huius festum azymorum Domino: & in quarta decima die mensis intra medium ad vesperum erit Pascha Domino: & in quinta decima die huius mensis festum azymorum Domino, Septem enim diebus azyma comedite.* Ecce enim ex legislatione Moysi didicistis, quoniam non tunc azyma, quãdo post cænam secundum diem quintæ feriæ Christus tradidit per fractionem panis noui Testamenti mysterium. Ante festum autem azymorum hoc fecit, cum esset tertia decima dies mensis. Quinta decima enim die mensis, vt legislatio habet Moysi, erat festum azymorum. Et Christus in feria sexta crucifixus, secundum quartumdecimum diem mensis, quando debebant Iudæi immolare agnum: Sabbato autem secundum quintam decimam diem mensis, cum esset festum azymorum, in sepulchro iacuit sepultus. Azyma ergo dum non essent ante festum azymorum in toto anno ipso: Septem enim diebus comedebant azyma Iudæi, ceu instituit Moyses: in quintodecimo die primi mensis incipientes festum horum; vbi reperta sunt azyma quando cum discipulis suis cænam comederet Christus? Si enim, sicut dicitis, à Domino Apostoli acceperunt azyma, & illi iterum tradiderunt vobis hæc in figura corporis Christi in mysterium noui Testamenti: dum nec oblatio panis fieret secundum constitutionem Moysi, neque erant tunc azyma, vbi reperta sunt? Quomodo obliuiscimur legislationem Moysis? Septem namque solis diebus facere tradidit vobis. Sed vos in toto anno conculcatis instituta Moysis. Et Christus non venerat soluere legem sed adimplere.

Valde enim veritati obsistitis fratres. Si enim traditum vobis fuit ab Apostolis comedere azyma: quomodo Agathon sanctissimus Papa vester, præsessor cum esset sextæ Synodi sub Constantino Imperatore, & diuinitus Gregorius Agrigentinorum Episcopus non abstinuere: cum sicut huius Synodi diuini Patres aduersum azyma legem constituissent, à nemine fidelium hoc fieri? Et vt ostendam vobis horum legislationem contra azyma, adijcio rationi & canonem ipsorum sic habentem in vndecimo capitulo: *Nemo in Sacerdotali constitutus ordine, aut laicus, ea quæ apud Iudæos sunt azyma comedat, aut cum eis cohabitet, aut infirmitatibus iungtet, aut medicinam ab eis accipiat, vel in balneis cum eo lauetur. Si quis hoc aggredi intentauerit, siquidem Clericus fuerit, deponatur, si autem laicus sequestretur.* Qui azymum conficit & comedit, & si non acceperit hoc à Iudæis, sed imitator fuerit in hoc, vt Iudæus intelligit, & extra legem est, quemadmodum & si circumciderit quis seipsum, aut à Iudæis circumciditur, simul & inscientia est illis. Canonesque & instituta Apostolorum. sanctorum Patrum transgrediens, & irrita omnia facit, vt ratio nostra demonstrauit. Sed de azymo sufficienter vobis quod prohibitum sit ab omni Scriptura diuina demonstrauimus.

Age nunc quia cætera demonstrauimus vobis, & subito memoriæ suggestum est vobis de Ieiunio Sabbatorum, quoniam insultatis nobis: Vnde ieiunare Sabbata, ex qua sancta Scriptura accepistis? Ab Apostolis? Nequaquam. Apostolorum vertices in quinto quidem libro ordinationum, qui de Martyribus inscribitur, iuxta Clementem; *Quartam feriam & sextam præcepit nobis ieiunare Dominus. Vnam quidem propter traditionem, alteram propter passionem. Ipsum autem ieiunare Sabbatum, non tradidit nobis ieiunare, quoniam non oportet, propter illud solum, in quo Creator omnium sub terra fuit.* Vnde iuxta calcem eiusdem libri, iterum sic loquitur: *Omne quidem Sabbatum & omnem Dominicum celebrandum esse dicimus. Gaudere enim oportet in his & non lugere.* Septimo quidem libro earum constitutionum iuxta vicesimum quartum

A caput hoc inquiunt: *Sabbatum namque & Dominicum celebramus, quia illud quidem diuinæ operationis est memoria: hic vero tantum Sabbatum custodiendum est in tota anno Sepulturæ Domini, quo ieiunare oportet. Quando enim Christus in sepulchro iacuit, discipulis potentiorẽ circa eum fletũ habebant, quam gaudium in memoria diuinæ operationis.* Veruntamen hæc mystice per Clementem Papam constituentem, non steterunt hic, sed scientes magnam damnationem esse ieiunare Sabbata, excommunicatione valida, ligant ex hoc Ecclesiam. Dicit enim in sexagesimo quarto Canone. *Si quis inuentus fuerit Dominicum diem ieiunans, aut Sabbatum præter vnum solum, deponatur. Si autem Laicus sequestretur.*

B Hoc autem exequentes & qui in sexta Synodo Patres, conuenienter huic sic promulgant sanctæ, præsidente Synodo Agathone Papa Romæ, & Gregorio cum eis Agrigentinorum Episcopo præsente. *Quoniam quidem dicimus eos qui in Romanorum vrbe sunt in sancta Quadragesima Ieiuniis eadem Sabbata ieiunare extra traditam Ecclesiasticam consequentiam: placuit sanctæ Synodo, obseruare Romanorum Ecclesiam immobiliter Canonem dicentem: Si quis Clericus fuerit inuentus,* & cætera quæ deinde scribit. Hæc igitur sicut cernitis Apostolicis constitutionibus & Canonibus fidelium Ecclesiam ligat cum Papa Romæ Agathone. Vos vnde aliter & ex quod ieiunare Sabbata accepistis? Quin etiam oblationem perfectæ Missæ per omnem diem facere in sacris diebus C ieiuniorum, siue Sabbato siue Dominico die, vnde assueuistis: & à quo Doctore accepistis? Ex Apostolis? nullatenus. Apostoli enim ex hoc posuere Canonem sic loquentem: *Si quis Episcopus aut Presbyter vel Diaconus aut Lector aut Cantor, sanctam non ieiunauerit Quadragesimam, quartamque & sextam feriam, deponatur, nisi infirmitate corporis impediatur.* Ministrantes ergo atque complentes ministrationem sanctæ Missæ secus tertiam horam diei, in qua & promulgatum est offerri sacrificium: quomodo ieiunium vsque ad horam diei nonam obseruatis, soluentes hæc in tempore ministrationis missæ? Nequaquam. Si autem hoc impossibile est, maledictione plectemini.

D Qui in Gangreno fuere Patres Concilio cap. 19. talia effantur: *Si quis continentium sine corporali necessitate elatus fuerit & constituta ieiunia in commune & obseruata ab Ecclesia dissoluerit, præsumendo sibi perfectam rationem, anathema sit.* Similiter Patres qui in Laodicensi fuere Concilio, secundum quinquagesimum Canonem sic effati sunt, *quia non oportet in Quadragesima martyrum natalitia celebrare, sed sanctorum memorationem facere in Sabbatis & Dominicis diebus.* Et iuxta Quadragesimum octauum Canonem ita aiunt ipsi: *quod non decet in Quadragesima panem offerre nisi in Sabbato & Dominico solo.*

Et qui in sexto vniuersali Concilio conuenerunt Patres similiter iuxta quinquagesimum secundum Canonem sanciunt cum sanctissimo Agathone Papa dicente sic: *In omnibus sanctis Quadragesimæ ieiuniorũ diebus, siue Sabbato & Dominico die, & sine sancto, Annuntiationis die,* E *fiat Missa ex antesanctificatis oblationibus.* Sic ergo accipientes non Sabbato & dominica die, secus tertiam diei horam, in qua & Spiritus sanctus descendit super discipulos, immolantes: in ipsis sanctificamus munera, ex quibus sufficientia in tota hebdomada conseruamus. In alijs autem diebus hebdomadis iuxta tempus horæ nonæ diei concludentem omnem ministrationem in consummationem Completorij, agimus nos Sacerdotes cum Diaconibus ingressum, thuribulum solum ferentes. Et post lectionem Prophetarum constitutas orationes à magno Basilio facientes, & munera transferentes oppositiones altario & orantes cum ipsis. Insuper autem & traditam nobis à Domino orationem dicentes, exaltamus præsanctificatum panem, & damus præsanctificata sancta Sanctis, & vniti communione pane & calice mysteriorum Christi. Et ita agentes gratias Deo, relinquimus eos atque dimittimus ex congregatione,

tione, sumentes nos communem mensam per folia & legitima, & calidam aquam qui voluerint. Sunt autem & alij qui sola communione & benedictione per totam perseuerant hebdomadam. Vos autem referentes per vnumquemque diem perfectam in Quadragesima ministrationem, quæ congrua est iuxta tertiam horam diei offerri, positos transgredimini Canones Ecclesiæ. Et in hoc maledictioni Patrum subiacetis, sicut dictum est.

Quis ille est qui tradidit vobis prohiberi, & abscindere nuptias Sacerdotum? Quis ex doctoribus Ecclesiæ hanc vobis tradidit prauitatem? Siquidem nisi nupserit manus impositionis accipiet. Et ita ad nuptias ruit, qui ordinatus est innuptus, legitime. Hoc & secundum Canones facit, huiusmodi nuptias prohibentes? Si autem ante habuerit vxorem ille qui ordinandus est Sacerdos, perseuerauerit que in castitate magnaque vita, nuptias eius soluitis, transgredimini, vt ex præcepto Apostolicorum Canonum ostendam vobis. In sexto enim libro Clementis ordinationum, quæ ab eo conscriptæ sunt, iuxta. 17. caput Apostoli hæc dicunt: *Episcopum & Presbyterum & Diaconum dicimus, qui vnam habent vxorem, ordinari, quamuis viuant eorũ cõiuges, quamuis defũctæ, non licet eos post manus impositionem innuptos esse, nec insuper ad nuptias ire, aut si nupserint, alteras amplecti sed sufficere quas habent cum ad ordinationem venerunt.* In quinto sanctorum Canonum ita fatur in 2. capite: *Episcopus aut Presbyter aut Diaconus vxorem suam non abiiciat obtentu religionis. Si autem abiecerit sequestretur. Perseuerans autẽ deponatur.* In quadragesimo vero Canone, inquiunt palam: *Propriæ Episcopi res*: Et post pauca *Ne occasione Ecclesiasticarum rerum cadere Episcopum ab eis, quæ sunt Episcopi, in mulierem & pueros & propinquos, ne per occasionem eorum, ea quæ Ecclesiæ sunt subtrahat.* Et deinde: *Siquidem sunt qui prohibeant sacerdotes legitimis cõuenire coniugibus.* Non ita vertices Apostolorum exposuerunt Ecclesiasticos Canones. Si autem dicis mulierem Ecclesiam, dixisse Apostolos, tunc infidelis apparebit sermo tuus & vacuus, cum sacris Canonibus ipsorum, qui à nobis prædicti sunt, non abijcere Episcopos & Presbyteros accusatione religionis, vxores sanxerunt, & vt caderent res Episcoporum ex potestatibus eorum propter filios & mulieres ipsorum.

Si autem aliquis dixerit de sancta & vniuersali Synodo, quod Papam Romæ sanctissimum Agathonem, vt sæpissime diximus, præsessorem habuit, ipsa centum septuaginta Patrum, sub Constantino Imperatore Nepote Eraclij & Patre Iustiniani: Quomodo non obstitit diuinus Agathon sanctæ Synodo sancienti aduersus hos impios quos vsque nunc habetis? Si vero ab Apostolis haberetis has traditiones, obsistet forsitan, & non suscepisset hæc, quæ apud nos ab ea promulgata sunt. Papa cum esset vester, quoniam adulteras cognoscebat traditiones ipsas & extraneas ab Apostolorum doctrina: propterea pariter cum Patribus sacræ sextæ Synodi, sicut de azymis & ieiunijs Sabbatorum & sacræ Missæ mysteriis, sic & de nuptiis Sacerdotum promulgauit dicens in decimo tertio capite: *Quia in Romanorum Ecclesia in ordine Canonis tradi cognouimus, præsentes Diaconi aut Presbyteri dignas fore manuum impositiones confiteri, vt non ampliùs à suis disjungantur conjugibus: Nos antiquum exequentes Canonem Apostolicæ diligentiæ & ordinationis: sanctorum virorum copulationes secundum legem & amodo valere volumus, nullatenus à conjugum copulatione dissoluentes aut priuantes eos ab inuicem, secundum tempus congruum locationis. Quia vero si quis dignus inuentus fuerit manus impositione Diaconus vel Subdiaconus aut Presbyter, hic nullatenus prohibeatur ad huiusmodi gradum ascendere, conjugi cohabitaturus legitime: neque in tempore ordinationis exigatur confiteri ad legem propriæ locationis propter propriam vxorem.* Et post pauca: *Si quis ergo præsumpserit extra Apostolicos ordines motus quendam sacrorum Presbyterorum & Diaconorum priuare à copulatione legitimarum mulierum, à communione sequestretur. Similiter si quis Presbyter aut Diaconus collectaneam suam occasione religionis projecerit separetur: perseuerans autem deponatur.*

Vnde igitur vobis, & ex quibus hæ horribiles infirmitates superuenerunt, ô viri Romanorum sapientissimi, & omnium aliarum gentium nobilissimi? Æstimo quod quidam ex Iudæis in tempore Apostolorum credentes: vana lucra cupientes, sed pecuniarum amatores reperti, volentes multos fidelium abstrahere ex Euangelio: hoc est, ex fidei prædicatione, corruptis, dum prædixissent eis, in hoc & Christianitas & Iudaismus corrupta sunt. De quibus Ioannes fatus est: Ex *nobis exierunt sed non erant ex nobis. Si enim fuissent ex nobis, permansissent vtique nobiscum*, [1. Ioan. 2.] de his qui circa Simonem & Deman, Nicolaumque & Cleobium subtexendo. Reliqui autem verticum in 7. libr. institutionum iuxta sextum decimum caput liquidius dixerunt: *Scimus enim*, inquit, *quia hi qui circa Simonem & Cleobium & Iudam, conscripserunt libros in nomine Christi & discipulorum eius circumferunt ad seductionem vestram, & eorum qui diligunt Christum, & nos seruos ipsius.* Et in veteribus quidam conscripserunt libros Apochrifos Moysi & Enoch, & Adam, Esaiæ & Dauid & Heliæ, & trium Patriarharum, corruptiones facientes atque veritatis inimicos libros. Sed & Paulum Domini Apostolum hæc præscientem, vt æstimo, sic ad vos ascendisse huiusmodi seductores, dolum texentes vobis, Philippensibus scribit: [Phili. 3.] *Videte canes, videte malos operarios, videte abscissionem.* Et Timotheo iterum [1. Tim. 4.] *In vltimis temporibus discedẽt quidam à fide, attẽdentes spiritibus & doctrinis dæmonum, in hypocrisi loquerentium mendacia, & incedentium propria conscientia, impedientium nubere, & abstinere à cibis quos Deus creauit.* Et ea quæ exinde, Propter quod & Tito præcepit: [Tit. 1.] *Argue eos*, inquit, *duriter, vt sani sint in fide, non attendentes Iudaicis fabulis & præceptis hominum subuertentium veritatem.*

Quamobrem diligentissime inquisiuimus de cætero circa hæc, ô fratres ne aliquando ex his quæ dicta sunt, & redarguta vobis mendacia, dico nunc azyma, Sabbatorum ieiunia, nuptias sacerdotum, & in ieiuniis oblationem accipiatis, sed scientes nunc quod primum est eorum, ex omni à Deo inspirata scriptura: fugite quæ huiusmodi sunt actitare, cum sitis Ecclesia Dei & totius orbis semper spendidus oculus, aut vniti nobis vestris confratrib. quos per iam dicta scidistis, cum sitis corpus Christi: reuelata facie gloriam Domini in conuentu & vnitate cum orthodoxa fide conspeculemur, & imaginem eius transformemus in nobis, viua demonstratione, & ipsius ad gloriam sempiternam, sicut à Domini spiritu, quoniam ipse est caput nostræ Ecclesiæ corporis, & in eo sicut in vno corpore, omnes nos coniungimur.

Hæc vobis Romanis. Si ergo possimus vos cum sitis homines ad credulitatem nobiscum reducere per ea quæ diximus, & docendo vos ex diuina scriptura arguimus; gratia Dei, & vobis scientibus benè spiritu sancto credere & prosequi rationem iam dictam ex scripturis. Si vero aliter tenetis, date nobis testimonia ex diuina scriptura consistentia: in quibus volo beneuolos vos esse, vt super sedes intelligentiæ requiescatis, & nos scientes obedire inenarrabili rationi spiritus, docere omnia quæ ad vos scripsimus. Salutamus vos in Christo Iesu Domino nostro, cui est gloria & potentia, cum Patre & spiritu sancto, nunc & semper, & in secula seculorum, Amen.

Finis libelli Nicetæ Presbyteri & monachi monasterij Studij, contra Latinos.

INCIPIT RESPONSIO SIVE CONTRADICTIO IN EVNdem Libellum à Fratre Humberto Episcopo Syluæ candidæ.



SI diligenter S. Chalcedonensis Synodi quartum considerasses caput, quiete monastica & ieiunijs atq; orationibus in monasterio tuo contentus, nequaquã Ecclesiasticis rebus communicasses, nec importunitatẽ intulisses. Quapropter sexcentorum triginta patrum cœcodi decreto à communione es suspensus, ne per te nomẽ Domini blasphemetur. Decet enim vnamquamque professionem se sub mensura sui habitus & gradus cohibere: ne conturbet Ecclesiastici dogmatis ordinem totum, dum non suo contentus officio, præripere quærit alienum. Sed væ tibi Sarabaita, qui nulla cœnobitali examinatus disciplina, voluntate atque voluptate ductus propria, contra sanctam & Romanam & Apostolicam Ecclesiã & omnium sanctorum Patrum Concilia horribiliter latrasti, stultior asino, frontem Leonis, & murum adamantinum frangere tentasti. In quo vtique conatu, non es victor erroris, sed victus errore: nec presbyter, sed inueteratus dierum malorum, & puer (C) centum annorũ maledictus. Potius dicendus Epicurus, quam Monachus. Nec credendus es degere in monasterio Studio, sed in Amphiteatro aut Lupanari. Qui enim vere prænominaris Pectoratus, quoniam cum serpente antiquo super pectus tuum graderis. Quod sicut quidam Patrum dixit: *Quicumque vult intrat & [illegible] tuum*: Ex abundantia enim cordis os loquitur. Deinde detestabilior omni veneficio, labia mortiferi poculi melle charitatis & bono odore humilitatis imbuens, ex prædictis virtutibus delectabile exhibuisti proœmium, vt prægustata dulcedo faceret incunctanter absorberi fel dracorum & reliquum veneficium. Sed væ ei qui potat amicum suum potione turbulenta. Quam ideo necessariam duximus subtiliori linteo colatum ire, vt modus concinnationis eius, & potentia aliquatenus possit deprehendi, & deinceps caueri, quia ingreditur blande, sed in nouissimo (D) mordebit, vt coluber, & sicut regulus venena diffundet.

Ecce in ipso liuoratus tui vestibulo tria proposuisti: de azymo scilicet, de Sabbato, & de sacerdotum nuptijs. Ex quibus tot & tanta euomuisti, vt in peruertendo diuinas sententias non inferior videaris peruersis & rabiosis canibus Iuliano & Porphyrio. Denique diuini eloquij scalam ad cœlos subrectam, quantum in te fuit, retorsisti ad inferos, ne cum angelis scanderes ad Catholicos, sed cum apostatis descenderes ad hæreticos. Inde est, quod S. Romanæ & Apostolicæ sedis sacrificio detrahens falsissime definiuisti nos mensam Iudæorum comedere. Quod satis ostenditur in superiori nostra narratione, vbi commentis complicum tuorum, Michaelis scilicet Constantinopolitani & Leonis Acridani voluimus (E) obuiare. Nec est necesse eadem nos totiens repetere. Quia stuppæ collectæ & paleæ coniectæ zizanijsq; collectis vna potest flamma sufficere. Vnde ea tantum decreuimus leuiter succendere, quæ solus videris plus illis congessisse.

Itaque quod dixisti consubstantialem & supersubstantialem idem esse, omnino est futile. Quia Dominus Iesus, quamuis nobis humanitate sit consubstantialis, diuinitate tamen, qua est Patri consubstantialis, est nobis supersubstantialis: Sic & humanæ mensæ panes, licet sint consubstantiales sibi, mensæ, tamen diuinæ panis supersubstantialis est eis. Et, O mentite Deo & aperte impugnator S. Euangelij, vbi & quando dixit veritas, veracis Patris Filius: *Cauete ab azymo fermento Pharisæorum*? Nunquid *azymum*, quolibet modo potest dici *fermentum*, quando azymum dicatur, eo quod absque fermento sit? & vbicumque fermentum fuerit, necesse est, vt aut fermentum efficiat aut fermentum permaneat? Cum ergo fermentatum non sit sine fermento, nec fermentum aliquando possit esse sine ipso, quomodo saltem somniare ausus es, azymum fermentatum? sed quamuis talia dicendo telas aranex texueris, muscas & culices seu vermiculos aberrantes his irretire poteris, non autem columbas simplices & oues recognoscentes vocem sui auctoris.

Deinde ô subuerse subuersor subuertere conatus (B) sententiam Apostoli Ioannis, dicentis: *Si dixerimus quia societatem habemus cum eo, & in tenebris ambulamus, mẽtimur & non facimus veritatem* (1. Ioan. 1.) & cæteris nequius vsus es hoc eius testimonio, quam adulter oculo, & latro ferro, quæ vtique bona sunt. Illi enim lædere tentant aliquos: tu perdere cunctos. Vnde & sic concludis. *Qui ergo azyma comedit, in tenebris legis ambulat.* (1. Ioan. 2.) Sed idem Ioannes intentionem tuam enarrans, luce clarius demonstrat quid dixerit, subiungens: *Qui autem odit fratrem, in tenebris est, & in tenebris ambulat.* Hic plane liquet, quod non ab Apostulo sancto, sed ab Apostata Angelo accepisti, vt diceres: *Qui ergo azyma comedit, in tenebris legis ambulat* quia tota epistola illa, nec cõfermentatum, nec azymum commemorat, sed solùm charitatem.

(C) Post hæc non minori sacrilegio abusus, alio testimonio eiusdem Apostuli dicentis: *Tres sunt qui testimonium perhibent [illegible], spiritus, aqua, & sanguis, & hi tres vnum sunt*, (1. Ioan. 5.) peruerse conaris ad panem mensæ Christi transferre, quod ille de baptismo eius voluit intimare. In baptismo siquidem hæc tria sunt, & vnum baptisma efficiunt. Et spiritus quidem sanctificat, aqua abluit, sanguis redimit. Si quodlibet horum defuerit, baptismus non erit, sicut venerabilis Pater Augustinus ait: *Tolle aquam, non est baptismus, tolle verbũ, non est baptismus. Sed accedit verbum ad Elementum, & fit Sacramentum.* Tu autem nequam Pectorate, nequiter interpretando & deprauando sententiam recumbentis super pectus Iesu dixisti: *Et hi tres in vno sunt*, scilicet in corpore Christi, quod dilectus eius, nec sensit nec scripsit, sed, *hi tres vnum sunt*, secundum superiorem de baptismo sen(D)sum.

Parua sunt hæc & pene nulla ad comparationem sequentis blasphemiæ, quæ asserere laboras, quod tempore Dominicæ passionis & crucifixionis, quando sanguis & aqua de latere eius exiuit, sanctus & viuificatus Spiritus in deificata eius carne remansit. Quod si constiterit; mortuus non fuit. Si mortuus non fuit, neque resurrexit. Si non resurrexit: inanis est fides & prædicatio nostra, quia nec nos resurgemus. Et sicut Apostolus ait: *Si ad bestias pugnaui Ephesi, quid mihi prodest, si mortui non resurgunt?* (1. Cor. 15.) Vt quid enim quotidie tanta patimur? Comedamus & bibamus: imo bestialiter viuamus, cras enim vt bestiæ moriemur. Si in hac vita tantùm in Christo sperantes sumus, mirabiliores omnibus sumus hominibus: Sed absit hoc ab omni genere humano. Nam (E) idem præclarus Euangelista, qui hoc ipsum præsens vidit, attestatur, carnem Christi vere exanimatam in cruce fuisse dicens: *Et inclinato capite emisit spiritum.* Porro Marcus & Lucas dicunt eum *expirasse*, Vnde & in Symbolo (Ioan. 19.) confitemur *mortuum, & sepultum*: Alioqui sepeliri non debuit, qui mortuus non fuit. Obmutesce canis, linguam canis improbe morde, Christus enim vere mortuus est propter delicta nostra & propter iustificationem nostram resurrexit à mortuis primitiæ dormientium.

Ecce pestifera doctrina, ecce Diabolica suggestio, cuius tu signifer effectus conaris opiniones & adinuentiones tuorum contra traditionem Apostolicam & contra

contra manifestam veritatem defendere dicendo: aquam calidam & sanguinem de viuo & calido Christi corpore exisse, & ideo Græcos aquam feruentem sanguine eius iure miscere. Quod totum longe aliter est. Nam veraces Euangelistæ concorditer narrant Dominum nostrũ hora nona in cruce mortuum, & sero à Ioseph postulatum depositum de ligno & sepultum. Ipso enim emittente Spiritum velum rẽpli & petræ scissæ sunt, terra mota; monumenta aperta, & multa corpora sanctorum resurrexerũt, In tanta itaque perturbatione & quasi naufragio totius creaturæ, non solum latus Domini non fuit apertum lancea, sed etiam hi qui prius ei insultauerunt, & ad spectaculum illud conuenerant; viso terræ motu & his quæ fiebant, pectus suum percutientes, reuertebantur. Adeo vt ipse Centurio, cui traditus fuerat ad puniendum, diceret: *Vere Dei filius erat iste.* At vbi tumultus mundi conquieuerat, & securitas aliqua rediit, cum iam sero esset, Pharisæi rogauerunt Pilatum, vt propter solennem diem Sabbati, frangerentur Crucifixorum crura & deponerentur, Tunc quoque Ioseph rogauit Pilatum, vt tolleret corpus Iesu, Pilatus vero mirabatur si iam obiisset. Et accersito Centurione, vbi cognouit Iesum iam mortuũ, donauit corpus Ioseph. Porro milites ad præceptum Pilati fregerunt crura prioris & alterius latronis. Ad Iesum autem cum venissent, vt viderunt eum iam mortuum, non fregerunt eius crura sed vnus militum lancea latus eius aperuit, & continuo exiuit sanguis & aqua quibus formaretur Ecclesia: quemadmodum ex costa Adæ dormientis formata est Eua Ecce si hora nona abiit, & sero iam de cruce deponendus, lancea percussus fuit: Sanguis fuit ille, naturaliter calidus non fuit, toto corpore iã præmortuo & frigido. Quod si aliquo modo caluit: Euangelium quare tantum miraculum & Sacramentum tacuit? Vnde vos noui Symmystæ volumus dicatis, an sanguis tantum, aut aqua tantum, an simul vtrumq caluerit? Si sanguis tantum, quare aquam calefacitis; si aqua tantum, quare ex ea calefacitis sanguinem Christi? Si vtrumque simul, quare vtrumque simul non calefit? Sed cuius visu vel tactu potuit discerni, quodlibet duorum ex vno vulnere simul erumpentium, calidum aut frigidum fuisse? Præterea si aqua illa caluit, quare & aqua baptismatis nõ calefit, cum præcipue ipsa baptismum præfigurauerit, sicut sanguis redemptionem? Volumus autem scire. qua intentione costam Christi immaculatam dixerit? Si pro sanctitate & innocentia? optime. ei autem pro eo quod impenetrabilis ferro fuit? pessime: quia de vero vulnere verum non phantasticum sanguinem pro nobis fudit. Et non de costa, sicut scribis, sed de latere, quia os sanguinem non solet emittere, nec eos comminutum fuit ex Dominico corpore.

19.7.

Cæterum quod panis sit, & dicatur etiam azymus, & quod non cum Theupaschitis in sacra oblatione erremus, & quod non azymum veteris legis, sed sinceritatis & veritatis comedamus, quodque vetera transierunt, & facta sunt noua, satis ostenditur in alia nostra Epistola.

Tu vero maledicte & maledictus sermo oris tui, sanctam legem, sicut Seuerianus, maledictè dixisti. Nec mirum, cum etiam panem tuum, laudare supra modum cupiens, nimiũ vituperasti illum dicens: *modicum fermentum totam massam corrumpit, panis tandem non azymum efficitur* E Deo gratia quia azymum non efficitur de massa fermento corrupta, sicut tuus panis. Nam corruptio nunquam & nusquam in bonum accipitur: quia vbicumque corruptio, ibi etiam substantiæ deterioratio. Quin etiam cum exponeres sententiam beati Pauli, quam post tot orthodoxos patres, nobis nolumus ab hæreticis exponi, quamuis nolens azymum laudasti dicens: *sicut estis baptisati, id est, azymi & puri.* Si ergo secundum tuam confessionem baptisati sunt azymi, quid sunt non baptisati, nisi fermentati, id est, corrupti?

Dic tamen vbi & quomodo Paulus cum vndecim Apostolis Canones illos cum excõmunicatione exposuit, quorum tu nobis septuagesimum caput obiicit? omni-

A no nesciens quid loquaris? *Siquis*, inquiens: *Episcopus aut Presbyter aut Diaconus, aut omnino ex numero Clericorum ieiunauerit cum Hebræis, aut epulatus fuerit cũ eius, & acceperit festiuitatum eorum munera, vt sunt azyma, aut aliud huiusmodi, designatur: laicus autem sequestretur.* Etiam si hoc capitulum ex libris authẽticis prolatum esset nullo modo nos tangeret, quia nec cum Hebræis ieiunamus, nec cum eius epulamur aut festiuitatem eorũ munera aliqua accipimus. Quod autem tu vesane subiungis: *Siue ab illis accipiatis, siue domi faciatis, azyma sunt* Id iaculum tibi retorquemus dicentes: *Siue cum Hebræis Sabbato epulemini, siue domi epulatio est.* Sane hoc dignius contra vos dirigeretur, quia vos nihil aliud in Sabbato quam solennitatẽ Iudæorum, nos autẽ in azymo longe alius Sacramẽtũ retinemus & amplectimur. Si enim interrogemus Iu- B dæos, quid celebrent in Sabbato? Respondebunt: *Requiẽ Domini.* Si Græcos? idẽ & non aliud dicent. Ergo sub seruitute legis sunt. In cuius vmbra & tenebris consederũt.

Deinde post inanes latratus super vocabulo panis reduxisti nobis annos ab initio mundi, vsque ad passionẽ Christi: quando secundũ te Cyclus solaris erat XVIII. & Lunæ V. vt hoc saltem figmento, possis euadere cũ fermento tuo, quasi iuxta hanc supputationem tuam occurrat in cœna Domini luna XIII. in qua nondum fermentum abiecerat plebs Hebræa. Sed nos chronographis & calculatoribus talia relinquentẽs, maxime cũ apud Græcos & Latinos atque Hebræos diuersæ de temporibus habeantur rationes: Hoc tantum dicimus, quia Christus nec vnum iota aut apicẽ veteris legis resoluit. Vnde & XIV. Luna ad vesperũ quinta Sabati Pascha C celebrauit, & mox eadem nocte comprehensus, crucifixus est quinta decima Luna, id est, sexta Sabati, quæ specialiter dicebatur prima dies azymorum. Quamuis & in tota præcedẽte die. i. quarta decima Luna fermentatum non appareret in omnibus finibus Israel. Nam & agnus cum azymis comedebatur. Quod si iuxta tuam assertionem Christus Pascha fecit tertiadecima Luna cum fermento, dupliciter reus fuit iuste puniendus secundum legem, quia Pascha fecit in tempore non suo, & quia cum fermentato. Quapropter mors eius nihil nobis conferret, qui non pro nostris sed pro suis peccatis interiit scilicet quia fuit transgressor sanctæ legis, Sed de his alias copiose disseruimus.

Deinde si exceptis septem diebus Iudæi toto anno fermentatum, vt asseris, comedunt, quis conuenientius de- D bet argui. Ille qui minimo tempore eos imitatur in azymis: an ille qui toto anno in fermentatis, Absit tamen vt eorum carnalem ritum in aliquo imitemur.

Verum quoniam Labyrintheo errore duceris, vt nũc qua exibas intres, nunc qua intrabas exeas, iterum eandem viam teris dicens; *Si traditum vobis fuit ab Apostolis comedere azyma, quomodo Agatho Papa vester præsessor sanctæ sextæ Synodi, cum Gregorio Agrigentinorum Episcopo & aliis patribus, contra azyma ne fierent, legem statuit?* Audi; Stulte, vane non tantum ab Apostolis, quantum ab ipso domino nostro Iesu Christo traditum est nobis azyma non de Phase Iudaico comedere, sed Pascha Christiano percipere.

Nec rei tenemur illo quod obiecisti XI. cap. sextæ Synodi dicens; *Nemo in Sacerdotali constitutus ordine, aut Laicus ea quæ apud Iudæos sunt azyma comedat, aut cum eis* E *habitet, aut in infirmitatibus eos inuitet, aut medicinæ ab eis accipiat, vel in balneis cum eis lauetur. quis hæc egerit, siquidem clericus fuerit deponatur, si autẽ laicus, sequestretur.* Quis nostrum rogo azyma, quæ apud Iudæos sunt, comedit. Quamuis enim etiam reliqua capituli huius obseruemus, illud, tamen super omnia de azymis obseruamus,

Sed quid dices Nonne magnus Basilius à Ioseph Iudæo medicinam multotiens accepit; tu autem sicut diabolus Psalmum, ita exponendo capitulum subiunxisti: *Qui ergo azymum conficit & comedit, quamuis hoc non acceperit à Iudeis, imitator tamen Iudæorum est, sicut & is qui circumciditur,* Perdes domine omnes qui loquuntur

I.

mendacium. Nunquid omnibus omnino Christianis interdicitur, ne aliquando alicubi azyma comedant, sicut interdicitur, ne se aliquando circumcidant? Quare hoc? quia in his imitantur Iudæos? Concedimus tamen circumcisionem solum fuisse Iudæorum: veruntamen azyma omnium gentium, quæ tu malitiose non solum à diuina, sed ab humana mensa omnino repellis. Sed quid facies ô fermentate? Iudæi ceu superius asseruisti, exceptis septem diebus toto anno fermentatum comedebant, & aliquando offerebant. Nunquid & hoc tolles hominib⁹?

Hinc videamus si non estis Sabbatiani, quos commemorant Patres sanctæ quintæ Synodi. Reprehendens nos cur ieiunemus Sabbatis, dicis: *quarta & sexta feria singulariter ieiunandum: vna propter traditionem, altera propter passionem Domini, Sabbato autem nunquam nisi vno.* Et hoc asserere conaris ex apocryphis libris & Canonibus pari sententia sanctorum Patrum repudiatis. Nam Clementis liber, id est, itinerarium Petri Apostoli, & Canones Apostolorum numerantur inter apocrypha, exceptis capitulis quinquaginta, quæ decreuerunt regulis orthodoxis adiungenda. Vnde nos quoque omne apocryphon abijcientes, dedignamur audire eorum fabulosas traditiones, quia non sunt, vt lex Domini. Quapropter his omissis, in altera epistola, vide quid senserint de Sabbato beati & antiqui Pontifices Romani, Syluester & Innocentius, quorum sententiæ sententia Agathonis, quamuis sanctissimi nullaten⁹ præscriptis. Sed absit vt aliquando contraria eis Agatho sensisset. Et tamen in hoc, sicut & in alijs falleris, quod eum præsessorem illius synodi fuisse dicis: cum tantum legati eius eidem Synodo præfuerint. Cuius gesta hîc summatim placuit inseri.

Tempore Constantini filii Constantini Imperat. anno imperij eius septimo decimo, Agatho Papa ex rogatu Constantini, Heraclij & Tiberii Principum piissimorum misit in regiam vrbem legatos suos. In quibus erat Ioannes Romanæ Ecclesiæ tunc diaconus, longe post Episcopus, pro adunatione facienda sanctarum Dei Ecclesiarum. Qui benignissime suscepti à reuerendissimo fidei Catholicæ defensore Constantino: iussi sunt remissis disputationib. Philosophicis, pacifico colloquio de fide vera perquirere, datis eis de Bibliotheca Constantinopolitana cunctis antiquorum Patrum, quos petebant, libellis. Affuerunt autem & Episcopi CL. præsidente Gregorio regiæ vrbis præsule & Antiochiæ Machario. Et conuicti sunt qui vnam voluntatem & operationẽ astruebant in Christo, falsasse Patrum Catholicorũ dicta perplurima. Finito autem conflictu, ea hora tantæ aranearum telæ in mediũ populi ceciderunt, vt omnes mirarentur. Ac per hoc significatũ est, quod sordes hæreticæ prauitatis depulsæ essent. Et Gregorius quidem correctus est, Macharius autem cum suis sequacibus simul, prædecessoribus, Cyro, Sergio, Honorio, Pyrrho, Paulo & Petro anathematizari: in loco eius Theophanius abbas de Cicilia Episcopus factus, Tanta gratia legatos Catholicæ pacis comitata est, vt Ioannes Portuensis Episc. qui erat vnus ex ipsis, Dominica octaua Paschæ Missas publica in Ecclesia S. Sophiæ coram principe & episcopo ipsius vrbis Latine celebraret. Eo tempore Damianus Nicinẽsis Ecclesiæ Episc. sub nomine Mansueti Episc Ecclesiæ S. Michaelis, satis vtilẽ rectæq; fidei epistolã cõposuit, quæ in præfacta synodo, non mediocre suffragium tulit. Recta autem & vera fides hæc est, vt in Domino nostro Iesu Christo sicut duæ sunt naturæ, hoc est, Dei & hominis: sic etiam duæ credantur esse voluntates sic operationes. Vis audire quod deitatis est? *Ego*, inquit, *& Pater vnũ sumus.* Vis audire, quod humanitatis? *Pater maior me est.* Cerne secundum humanitatem eum in naui dormiẽtem. Cerne eius diuinitatem cum Euangelista dicit: *Tunc surgens imperauit ventis & mari, & facta est tranquillitas magna.* Hæc est sexta synodus vniuersalis Constantinopoli celebrata & Græco sermone conscripta, temporib⁹ Papæ Agathonis, exequẽte ac residente piissimo principe Constantino intra palatium suum, simulq; legatis A-

Ioan. 10. Ioan. 14. Matth. 8.

A postolicæ sedis & Episcopis CL. residentibus: Qui omnes quidem hæresim damnauerunt. Tunc piissimus princeps Constantinus interrogauit eos, qualiter Romana Ecclesia de sacrificio corporis & sanguinis Domini nostri Iesu Christi ordinem teneret. Illi responderunt: *In calice Domini non debet solummodo offerri vinum sed aqua mixtũ. Nam si solũ vinũ offertur, sanguis Christi incipit esse sine nobis. Et si aqua pura offertur, sola plebs incipit esse sine Christo. Quãdo vtrumq; admiscetur, id est, vinũ & aqua, tunc sacramentum spirituale perficitur. Oblatio vero quę in sacrificio altaris offertur, nullam commixtionem aut corruptionem fermẽti debet habere, sicut B. Virgo Maria absq; omni corruptione, Christum concepit & peperit. Hinc in Ecclesia mos obtinuit, vt sacrificium altaris non in serico aut in panno tincto, sed in lino*
B *terreno celebretur, sicut corpus Domini fuit in syndone munda sepultum. Sic & oblatio munda debet esse à fermento, iuxta quod in gestis Põtificalibus à B Syluestro legimus esse statutũ.* Tunc placuit piissimo principi Constantino hæc traditio Apost. sedis. Ecce istius & sex cæterarum synodorum omnibus sanctis Patribus & Orthodoxis Imperatoribus, per omnia placuit fides & traditio Apostolicæ sedis. Et tu quis es, cui displicent? Sed volumus dicas. Videtur ne tibi congruum, vt omni quarta & sexta feria ieiunes propter traditionem & passionem Christi, & propter sepulturã nullo sabbato, nisi vno? Cum ergo omni Dominica celebres resurrectionem, omniq; quarta & sexta feria ieiunes propter traditionem & crucem. cur non & omni Sabbato propter sepulturam, cum de celebrando Sabbato nullam rationem teneas, nisi quam Iudæi, scilicet quia in eo re-
C quieuit Deus? Qui vtique fatigatus non est verbo creans quidquid voluit: Sed in hoc nostram requiem præfigurauit. Quod si vno Sabbato in toto anno ieiunandum est, propter sepulturam Christi, ergo & vna quarta feria propter traditionem, & vna sexta feria propter passionem in toto anno, est ieiunandum? Vna quoque Dominica propter resurrectionem celebranda.

Non autem mirum si Agathoni Papæ & sanctis Patribus sextæ synodi vestra imputatis deliramenta, & quæ aut corrupistis aut finxistis capitula, cum etiam ipsi Domino Iesu & Apostolis eius imputetis figmenta. Vnde nos scientes sextam synodũ ad destruendã hæresim Græcorum Monothelitarum, non autem ad tradendum Romanis nouas institutiones congregatam: capitula quæ nobis sub eius autoritate opponitis, omnino refutamus,
D quia prima & apostolica sedes, nec aliquando ea accipit, nec obseruat hactenus, & quia aut sunt nulla, aut vt vobis libuit, deprauata sunt. Deprauatis Ioannis Chrysostomi atque Gregorij Theologi aliorumq; orthodoxorum Patrum dicta: & exhibuistis in eadem synodo sexta. Nẽpe à prima synodo Nicena vsque ad hanc sextam trecenti & amplius anni dicuntur euoluti. Et quomodo in Nicena & reliquis quatuor synodis vniuersalibus nulla mentio fit de tam necessarijs rebus? Nunquid vsque ad sextam synodum Græci & Latini rationem Missæ ac ieiuniorum ignorauerunt? & per sexcentos & amplius annos à passione Christi in talibus errauerunt? An forsan Græci hæc nouerunt, & Romani ignorauerunt? Sed ex Missalibus Romanorum libris, ab omni Ecclesia occidentali, antiquitus receptis, euidenter cognoscitur: Quam rationem ieiunij & Missæ habuerint sub reuerendissimis Pontifici-
E bus, Syluestro, sc. auctore Nicenæ Synodi, Gelasio damnatore vestri Acacij, maximeq Gregorij Dialogo, compatre Imperatoris Mauritij. In cuius libris Missalibus omnis dies quadragesimæ habet specialis Missæ plenarium officium, & excepta Dominica, nullus dies eius soluit susceptum ieiunium, quam traditionem si tentasset Papa Agatho aliquatenus remouere Romanis, non audiretur ab eis. Quia licet ipse magnus extiterit, præfatis tamen prædecessoribus suis sicut tempore, ita scientia & auctoritate minor fuit. Quamobrem caput quo asseritis eum promulgasse, vt si quis clericus ieiunaret Sabbatum præter vnum deponeretur, magis dicendum est Nazareorum esse quam Apostolorum: Cerinthi & Hebionis, quam

quam sextæ synodi & Papæ Agatonis. Cui sane capitulo epistola Pauli aperte contradicit, vbi ait: *Nemo vos iudicet in cibo aut potu, aut in parte diei festi, & Neomeniæ & sabbatorum, quæ sunt vmbra futurorum.* (Colos. 2.) Vnde romani proprio auctori & magistro gentium in fide & veritate obedientes, nulli sabbato festum vel otium dependunt: sicut nec Neomenia, quia profecto Iudaica sunt, & vtique vmbra futurorum.

Porro vnde acceperimus omni die ieiuniorum perfectam Missam facere supra curauimus ostendere: nec timemus caput, quod dicitis Apostolorum de his qui non ieiunauerint quadragesimam, quarta quoque & sexta feria, qua excepta grauissima infirmitate, sollicite cuncti ieiunamus diebus quadragesimæ, adeo vt interdum decennes pueros nobiscũ faciamus ieiunare: nec soluimus per sabbata quadragesimalem abstinentiam, quam Dominus noster nõ soluit in quadraginta ieiuniis sui dieb⁹. Nec solueremus etiam in die Dominica, quemadmodũ nec ipse, nisi præ gaudio resurrectionis eius hoc interdixisset ab initio omnium Catholicorum patrum sententia, etiam cum anathemate. Quos secuti sancti Patres Gangresis concilii dixerunt: *Si quis non deiudicã: diem Dominicam, ieiunauerit tanquam in eius cõtemptu, anathema sit.* Vbi certe sicut eis attestantur omnes autentici libri, non contradicunt ieiunio sabbati, sed Dominicæ diei.

Sed ô perfide Stercoranista, quia putas fideli participatione corporis & sanguinis Domini quadragesimalia atq; Ecclesiastica dissolui ieiunia, omnino credens cœlestem escam velut terrenam per aqualiculi fetidã & sordidam egestionem in secessum dimitti, plane sentis cũ Arrio. Qui cum pro aliis blasphemiis in filium Dei, tum etiam pro ista foueam delapsus in artam, visceribus fusis, vacuus quoque ventre remansit. Et vbi est Saluator
(1. Cor. 11.) qui dans discipulis panem à se benedictũ & fractũ dixit:
(Ioan. 6.) *Accipite & comedite, hoc est corpus meum.* In quo quid traderet, alibi dicit: *Panis quẽ ego dedero, caro mea est pro mũdi*
(Ibidem.) *vita. Et caro mea vere est cibus, & sanguis meus vere est potus.* Quomodo verus? Quia qui manducat carnem meã, & bibit sanguinem meum, habet vitam æternam. Et quæ
(Ioan. 14.) est vita æterna: Nempe Christus Iesus, sicut ipse dicit: *Ego sum via, veritas & vita.* Qui ergo panem Dei manducat, carnem Dei Christi manducat. Qui autem carnẽ eius manducat, Christum manducat: qui Christum manducat, procul dubio vitã æternam manducat, ergo ô pestifer Leno antiqui serpẽtis, qui conaris astutia tua corrũpere sensus Christi sponsæ, quæ est Ecclesia, vt excidatur à charitate tanti & talis sponsi, credis nos vitã incorruptibilem comedentes, corrumpere integritatem ieiuniorum, velut aliquo cibo corruptibili:

Horremus quidem dicere sed compellimur à tua impudenti improbitate, conaris Christum, imo ipsam vitã
(Ioan. 6.) per deiectionem sicut cœnum olidum demittere in latrinam. Et vbi est, quod dixit. *Qui manducat carnem meã,*
(Ibidem.) *& bibit sanguinem meum, in me manet & ego in eo?* Hinc qua refectione, quia nõ habetur vita, ipsa vita quæ est Christus quasi quodã iureiurando protestatur, dicens: *Amẽ amen dico vobis: nisi manducaueritis carnem filii hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Nũquid hic dixit: Si manducaueritis carnem meam & biberitis sanguinem meum, dissoluetis ieiunium: Et vtinã hoc solo sacramento, non ad iudicium nostrum, omni hora reficeremur. Sed quia corpore corruptibili, & nimia miseria conscientiæ nostræ grauati, etiam bonũ nostrum nequim⁹ sufferre, à sanctis Patribus certe ad percipiendum tantũ sacramentũ, præfixæ sunt horæ. Quod ne vilescat carnalibus, & in percipiendo escam spiritus submurmuret aliquis carnis appetitus, cum summa parcitate, prægustamus, videre tantummodo cupientes quã suauis est Dominus, cuius panis non vult, sicuti nec mãna fastidium. Nec dubitandum in quantulacunque portione eius fideles manducare sibi totam vitam .i. Christum, infideles autem mortem, id est, iudicium suum, vtpote qui rei fiunt corporis & sanguinis Domini. Deinde

A quotidie, siue tertia, siue nona, siue quacunq; hora fiat à nobis Missa, nõ fit nisi perfecta. Nec reseruatur ex oblatione eius pars aliqua, vt per dies quinque agatur inde Missa imperfecta, quia nec S. Apostoli leguntur quidquam ex illo primo corporis & sanguinis Christi mysterio sub ipsa cœna distributo reseruasse: nec actus eorum indicant eos aliquando tale quid egisse, aut præcepisse. (Actor. 2.)
Quinimo, sicut Lucas narrat: *Erant fideles perseuerantes in* (Ibidem)
doctrina Apostolorũ & cõmunicatione fractionis panis. Quæ cõmunicatio qualiter & quibus diebus fieret, post pauca demonstrat, dicens: *Quotidie perseuerantes vnanimiter in templo & frangentes circa domos panem sumebant.* Ecce verax Euãgelista testatur sub Apostolis fideles quotidie orasse & panem fregisse. Et vos qui estis qui dicitis duobus tantũ diebus hebdomadis Missam perfectam fieri debere, reliquis vero quinque imperfectam: Nempe hic in panis fractione & cõmunicatione, non nisi perfectã actionẽ Missæ debemus accipere, quẽadmodum & ipsũ
B Dominũ legimus, nõ imperfectã sed perfectã cõmemorationẽ suis discipulis tradidisse, in pane à se benedicto & mox fracto atque distributo. Non enim benedixit tãtum & seruauit frangendum in crastinum, nec fregit tãtum & reposuit, sed fractum statim distribuit. Vnde B. Alexander martyr & Papa V. ab Apostolo Petro, passionẽ Domini inserens Canoni Missæ, nõ ait: hoc quotiescunque feceritis, sed: *Hæc quotiescunque feceritis,* id est, (1. Cor. 11.)
benedixeritis, fregeritis & distribueritis, *in mei memoriã facietis,* quia quodlibet horum trium, si sine reliquis fiat scilicet, benedictio sine distributione aut fractio siue benedictione & distributione, perfectam Christi memoriã
C nõ repræsentãt, sicut distributio nulla sine benedictione & fractione. Quod autem quotidie & quotacunque hora diei, non autem sola tertia perfectam Missam agimus, auctoritatẽ tenemus ex verbis ipsius Domini iux- (Ibidem.)
ta B. Paulum dicis: *Hoc facite, quotiescunque in meam commemorationem.* Vnde mox idẽ Apostolus secutus adiecit: *Quotiescunque manducabitis panem hunc, & calicem biberitis, mortem Domini annunciabitis,* Et quandiu? *Donec ve-* (Ibid.)
niat: scilicet, iudicare viuos & mortuos. Putasne alicubi dixerit: hoc facite hora tertia in meam commemorationem? Non vtique, sed nullam horam aut tempora excipiens dixit: *Quotiescũque.* Nec ipse Paulus ieiunia aliqua aut certã quamlibet euolutionẽ annorum attendens ait: Quotiescũque per tot annos hora nona manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortẽ Domini annun-
D ciabitis, sed indifferenter, *Quotiescunque. Et donec veniat.*

Nec nescimus sanctos Patres diei Dominicæ & præcipuarum solemnitatũ Missas hora tertia celebrasse solitos propter Spiritus sancti effusionẽ hora tertia in discipulos, & hoc mandasse ad posteros, quatenus illa vnius actio Missæ gemino priuilegio insigniretur, resurrectione videlicet Christi & aduentu Paracliti, vtque propter gaudiũ festi temperius relaxarentur cunctis frena ieiunii. Veruntamen alia causa est Dominicæ diei, ac solennitatum, alia ieiuniorum. si ergo hora nona aut vespertina diebus ieiuniorum, perfecta agitur Missa, nulla procul dubio inde cõtrahitur noxa, quia & Dominus in cœna ad vesperum, primam & perfectam administrationem tanti sacramenti discipulis instituit, & hora nona spiritũ tradens sacrificium vespertinum expansis manibus in cru-
E ce, & præmissa oratione ad Patrem consummauit. Propterea quamuis hora tertia & nona propter supra dictas rationes sint aptiores Missarum actioni: quotiescunque tamẽ horis aliis fiunt occupatione itineris aut gratia cuiuslibet necessariæ rei, in memoriam fiunt Christi: nec violatur inde integritas ieiunii. Quod vtiq; B. Telesphorus Papa à Petro VII. sentiens etiam nocte Natiuitatis Domini Missas celebrari instituit nec vllam resolutionem ieiunii ante horam tertiam & diurnam Missam inde fieri, sicut vos peruerse putatis, timuit. Dicite autẽ si potestis, cur Sabbatum & cæteræ extra Dominicam feriæ hora tertia Missã debeant habere, cum in eo Spiritus sanctus non legatur descendisse. Itaque nos sicut

supra ostenditur, diuina auctoritate subnixi, nec ieiunia resoluimus in celebratione Missæ quotacunque hora diei sit: nec in aliquo natalitio Martyrum, sed nec in annuntione Mariæ Virginis. Et ideo nullius vniuersalis Synodi percellimur anathemate. Cæteri autem quamuis sanctorum Patrum conuentus, & si potuerunt de vtilitate & conuersatione Ecclesiarum suarum tractare, nullas tamen traditiones vniuersali Ecclesiæ præfigere. De papa quoque Agathone omnino scimus, quia nec sextæ Synodi per seipsum præsedit, nec aliquibus capitulis eius subscripsit, nisi quæ promulgata fuerunt aduersus Monothelitarum hæresim. Vos videte vnde hæc quæ proponitis habeatis, quia Ecclesia Romana talia hactenus ignorauit. Nec credi potest post tot annos Romanum Pontificē Græcis promulgasse aliquas de Missa obseruationes. Deinde ritum vestræ Missæ deficere non curamus, quia minimam cautelam & maximam negligentiam ei inesse cognoscimus, dum sanctum panem frangentes & sumentes, hinc inde decidentes micas non curatis. Quod etiam solet contingere, dum patinas sanctas foliis palmarū & porcorū setis fricatis inhoneste. Multi quoque vestrum tam irreuerenter corpus Christi reponunt, vt paradas inde euomuerit, & ne decidat aut supereffluat, manu inculcant. Reliquias quoque oblationis velut communes panes, nonnunquam vsque ad fastidiū sumunt. Et si sumere non sufficiunt subterrunt, aut in puteū proiiciunt. Si autem, vt dicis, panem iam pridem oblatum & sanctificatum ex altaris altera die, vnam oblationem videmini bis offerre. Et cur non attendistis in Epistola Papæ Clementis, cuius traditiones portatis contra nos defenditis, quod ibi promulgasse putatur? *Certe*, inquit, *tanta in altario holocausta offerant, quanta populo sufficere debeant. Quod si remanserint, in crastinum non reseruantur, sed cum timore & tremore clericorum cautela & diligentia consumantur.* Ad hæc quod asseritis vos ab ipsa sancta communione statim ad communes cibos trāsire, non sic sensisse idem Clemens inuenitur in præfata Epistola, vbi de his qui residua sacrificii consumpserint, subiecerit: *Qui autē* inquit, *residua corporis Domini quę in sacrario relicta sunt consumant, non statim ad communes accipiendum cibos conueniant non putātes sanctæ portioni esse commiscendos cibos, qui per aqualiculi egestas in secessum funduntur. Si igitur mane dominica portio in Sacrario edatur vsque in sextam, ieiunēt ministri qui hæc consumpserint. Et si tertia aut quarta, ieiunēt vsque vesperam.* In quibus sane verbis liquet, quod non solum hora tertia, sed etiam mane hora quarta Missas fieri licet, quodque sacrificio ieiunium non soluitur, dum illic dicitur, vt qui consumpserint ieiunēt vsque ad sextam vel vesperum, alioqui quomodo ieiunabunt, si ex sacrificio ieiuniū soluerunt? Deinde abstinentiam paucissimorum nobis prædicantes, tacetis ingluuiem multorum, qui aut parum aut nihil Quadragesimalis ieiunii Deo offerunt, dum à primo mane, vsque ad vesperum crapulati non metuunt nec erubescunt. Aliqui etiam ad Ecclesiam legumina & alia obsonia deferentes inibi comedūt, nec Paulum attendunt dicentem: *Qui esurit domi manducet. Et Nunquid domos non habetis ad manducandum & bibendum aut Ecclesiam Dei contemnites, confunditis eos qui non habent* At nos Quadragesimam vnius septimanæ quam dicitis sancti Theodori, nescientes, solā Quadragesimā Domini nostri Iesu Christi quadraginta diebus diligenter obseruare contendimus, quam vt aliquis accepta gratia infirmitate in aliquo infringat, sufferre nequimus. Nec licet cuiquam apud nos, sicut apud vos, post vnā refectionem quicquam pomorum aut herbarum diebus ieiuniorum percipere.

1.Cor.11.

Hinc perpendentes à te tam peruerse defendi adulteria potius quam nuptias Sacerdotum, arbitramur ab inferis emersisse principem huius hæresis nefandum Diaconū Nicolaum. De quo Epiphanius vester sic scripsit: *Quarta Nicolaitarum à Nicolao hæresis est adinuenta, vno ex septem Diaconibus ab apostolis ordinato. Iste cum zelo pulcherrimę coniugis [illegible]aretur, docere cœpit iis differentes vti cōiugibus, non solum laicos, sed etiam qui Sacerdotiis fungerētur officio. Hos damnauit sanctus Euangelista & Apostolus Ioānes & instituit, vt quicunque cū eis, vel sermonem colloquii miscuissent, ex hoc ipso communione priuandos. Docens rationabiliter à mundi origine Deo castitatem plurimum placuisse. Tunc etiā in seipso Christum Dei filium castitatis gloriam dedicasse, cum virginem possidēs matrem, virgo mansurus, nullum discipulorum suorum commixtione etiam legitima coniugii vti permisit dicens: si quis vult post me venire, abneget semetipsū sibi & tollat crucem suam & sequatur me. Vnde idem Dominus Iesus in apocalypsi præcipiens Apostolo Ioanni scribere Angelo Ephesi inter alia inquit: hoc habes, quia odisti facta Nicolaitarum, quæ & ego odi. Hinc etiam Angelo Pergami dicit. Habeo aduersum te pauca, quia habes illic tenentes doctrinam Balaam, qui docebat Balac mittere scandalum coram Filiis Israel, edere & fornicari: ita habes & tu tenentes Doctrinam Nicolaitarum.*

Suffecerant quidem hæc, ô Nicolaita Niceta, ad conuincendum errorem tuum, sed quia Canonibus sub nomine Apostolorum editis, nos vrgere videris exponere tibi tua capitula decreuimus, quamuis ea inter apocrypha vsque nūc magna ex parte computauerimus, vt aperte cognoscatur nec Apocryphis, nec authenticis vos vestras ineptias posse defendere. Ante omnia autem comprobamus te esse mentitum ipsi veritati, in eo quod dixisti, nostros prius ordinari, deinde vxores sortiri. Quia apud nos nec ad Subdiaconatus gradū quisquam admittitur, nisi perpetuam continentiam etiam à propria coniuge profiteatur. Nec post gradum cuiquam vxorem ducere vnquam conceditur. Sed tu Ecclesiam Dei volens efficere Synagogam Satanæ & prostibulum Balaā & Iesabel, cum Nicolao dicis *Episcopum & Presbyterum & Diaconum dicimus, qui vnam habet vxorem, ordinari: quāuis viuant eorum coniuges, quamuis defunctæ. Nec licet eos post manus impositionem innuptos esse, nec insuper ad nuptias ire, aut si amiserint alteras amplectī, sed sufficere eis quas habent cum ad ordinationem venerunt* O abominabilis Cynice quomodo non erubuisti tantum nefas vomere? Ergo non licet aliquem post manus impositionem sine vxore esse; Si ita est. Ipse Ioannes Apostolus & Paulus & Barnabas & omnis continens in gradu Ecclesiastico in culpa est procul dubio. Vnde necesse est, vt futurus Episcopus, presbyter, diaconus & Subdiaconus, prius vxorem sortiatur, quæ sibi sufficere debeat, ad carnales amplexus. Nunquid laicis non sufficit vna, nisi forte discipulis maligni Mahūmed, cuius farinæ totus es. Tu quoque qui Presbyter, sine vxore esse non debes secundum assertiones tuas

Sed iam videamus capitula quibus putas posse defendi adulteria Sacerdotum, non coniugia *Episcopus*, inquā *Presbyter aut Diaconus vxorem suam non abiiciat obtentu religionis: Si autem abiecerit, sequestretur, perseuerans autem deponatur.* Omnino confitemur non licere Episcopū, Presbyterum, diaconum vel Subdiaconum vxorem propriā causa religionis abiicere à cura sua, scilicet vt ei victū & vestitum prouideat, non vt cum illa ex more carnaliter iaceat. Sic & sanctos Apostolos legimus egisse, B. Paulo dicente: *Nunquid habemus potestatem, sororem mulierem circunducendi sicut fratres Domini & Cephas* Vide insipiens, quia non dixit: nunquid non habemus potestatē sororem mulierem amplectendi, sed circunducendi, scilicet vt de mercede prædicationis sustētarentur ab eis, nec tamen foret deinceps inter eos carnale coniugiū. Præterea cur aliquis laicus vxoratus dubitabit, ad Ecclesiasticos gradus ascendere, cum ei vna, sine qua esse non debet possit ad carnales amplexus sufficere, Et quare tu qui tantopere Clementis capitula proponis, Epistolam eius de qua superius diximus, non attendis? Ibi enim ita dicitur: *Tribus gradibus diuinorum commissa secretorū sunt Sacramenta, id est, Presbyteris, Diaconibus & subdiaconibus.* Et post nonnulla *Ministri altaris ad Dominica tales eligātur officia, qui ante ordinationem coniuges reliquerint, scilicet si semper continere voluerint. Quod si post ordinationem coniugerit.* 1.Cor.9.

gerit ministrum propria inuadere cubile vxoris, secretarij non A *terat limina, nec sacrificij portitor fiat, nec altare contingat, nec ab offerentibus holocausta vel oblationes suscipiat, nec ad Dominici corporis portionem accedat. Aquam Sacerdotum porrigat manibus, ostia forinsecus claudat. Minora tantum gerat officia, vt eum sane ad altare non suggerat.*

Porro Synodus Nicæna omnino venerabilis & authentica, sic de suis actis, id est, subintroductis habet: *Omnimodis interdicit sancta Synodus, & neque Episcopo, neque Presbytero, neque Diacono, neque vlli omnino Clericorum permittit habere secum mulierem extraneam, nisi forte mater sit soror ve aut amita. In his namque personis & horum similibus omnibus suspitio declinatur. Qui autem præter agit, periclitabitur de ordine suo.*

Beatus quoque Papa Innocentius latius hunc scribens Exuperio Episc. Tholosano dicit: *Proposuisti quid de his obseruari debeat, quos in diaconij ministerio, aut in officio positos* B *incontinentes esse aut fuisse generati filij prodidere. De his & diuinarum legum est disciplina, & beatæ recordationis viri Siricij Episcopi monita euidentia commearunt, vt incontinentes in officijs talibus positi, omni honore Ecclesiastico priuarentur, nec admitterentur accedere ad ministerium quod sola continentia oportet impleri.* Levit. 11. Idem ad Victricium Episcopum: *Præterea quod dignum & pudicum & honestum est tenere Ecclesia omnimodo debet, vt Sacerdotes & Leuitæ cum vxoribus suis non coeant, quia ministerij quotidiani necessitatibus occupantur: Scriptum est enim, sancti estote, quoniam ego sanctus sum, dicit Dominus Deus vester. Nam priscis temporibus de templo Dei anno vicis suæ non discedebant sicut de Zacharia legimus, nec domum suam omnino tangebant, quibus vtique propter sobolis successionem, vxorius vsus fuerat relaxatus: quia ex alia tribu & præter semen Aaron ad sacerdotium nullus fuerat permissus* C *accedere. Quanto magis hi Sacerdotes vel Leuitæ pudicitiam ex die ordinationis suæ seruare debent quibus Sacerdotium vel ministerium sine successione est, nec præterit dies, qua vel* 1. Cor. 7. *à sacrificiis diuinis aut baptismatis officio vacent. Nam si Paulus ad Corint. scribit, dicens: abstinete vos ad tempus, vt vacetis orationi: & hoc vtique laicis præcipit: multo magis Sacerdotes, quibus & orandi & sacrificandi iuge officium est, semper debebunt ab huiusmodi consortio abstinere: qui si contaminatus fuerit carnali concupiscentia excandere posse se credit, cum* Tit. 1. *dictum sit: Omnia munda mundis: coinquinatis autem & infidelibus nihil mundum. Sed fortasse hoc licere credit, quia scri-* 1. Timot. 3. *ptum est: vnius vxoris virum non propter permanentiam in concupiscentia generandi hoc dixit: sed propter continentiam futuram. Neque enim integros corpore non admisit, qui ait: velle* D 1. Cor. 7 *autem omnes esse sicut & ego. Et apertius declarat, dicens: Qui autem* Rom. 8. *in carne sunt Deo placere non possunt. Vos autem iam non estis* 1. Timot. 3 *in carne, sed in spiritu. Et habentem filium non generantem dicit.*

Et venerabilis Papa Siricius: *Fœminas non alias esse patimur in domibus Clericorum, nisi eas tantum quas propter solas necessitudinum causas habitare cum ijsdem synodus Nicena permisit.*

Sanctus deinde Leo Papa mirabilis doctor & sanctæ Calcedonensis Synodi auctor, omnem ambiguitatem huius rei abscindens ait: *Lex continentiæ eadem est altaris ministris, quæ Episcopis atque Presbyteris. Qui cum essent Laici, siue Lectores licite & vxores ducere & filios procreare potuerunt. Sed cum ad prædictos peruenere gradus, cœperunt eis non licere quæ licuerunt: vnde vt de carnali fiat spirituale coniugium, oportet eos nec dimittere vxores, & quasi non habeant sic habere quo & salua sit charitas connubiorum, & cessent* E *opera nuptiarum.*

Ecce isti cum Petro & per Petrum effecti clauigeri regni cœlorum, ita confringunt omnes clauiculas infernalium portarum, vt nulla iam supersit hæresis Nicolaitarum.

Sed ne quid minus factum dicas, seriatim & aperte prosequemur, quid Romana Ecclesia in gradibus Clericorum agat. Clericos tantum, Ostiarios, Lectores, Exorcistas, & Acolythos; si extra votum & habitum Monachi inueniuntur & continentiam profiteri nolunt, vxorem virginem ducere cum benedictione Sacerdotali permittit: non autem viduam & repudiatam; quia pro- A pter hoc solum deinceps nec ad subdiaconatum prouehi poterunt, nec laicus non virginem sortitus vxorem, aut bigamus, ad Clericatum. Quod si quis præfatorum ordinum desiderat ad Subdiaconatum ascendere, nequibit hoc sine consensu vxoris suæ, vt de carnali deinceps fiat coniugium spirituale, nemine eos ad hoc cogente. Nec permittitur postea vxor iungi eidem suo marito carnaliter, nec cuiquam nubere in vita aut post mortem illius, alioqui anathematizanda est, sicut & Diaconus & Subdiaconus & Presbyter aut Episcopus deponendus suam repetens, aut extraneam ducens: iuxta quod in Neocæsariensi Concilio orthodoxi sanxere Patres.

Talibus ergo traditionibus vsque nunc sancta Romana Ecclesia & Apostolica sedes omni mundo refulsit, nec aliquando Iudaicis fabulis & Apocryphis scripturis B acquieuit, sed per primos Apostolorum in ipso summo angulari lapide Christo Iesu fundata, nullis hæresibus cessit, nec prohibuit à coniugio laicos: sed sacri altaris ministros & Apostolicam perfectionem professos Monachos.

Illa tamen Ecclesia quam Arrius corrupit, Macedonius prostituit, quæ genimina viperarum, id est, Nestorium, Eutychen, Monothelitas & Theupaschitas & reliquas hæreticorum pestes peperit, adhuc à Nicolai hæresiarchæ complexibus abstrahi non potuit, adeo vt ad sacri altaris ministerium ordinandos interroget an habeant vxores. Qui respondentes se non habere: compelluntur primum ducere, & sic impositionis manum accipere, vt noui mariti, & recenti carnis voluptate toti resoluti & marcidi, & inter sancta sacrificia cogitantes, quomodo C placeant vxoribus, immaculatum Christi corpus tractent atque populo distribuant indeque sanctificatas manus ad tractandum membra muliebria mox referant, & sic sicut populus sic & Sacerdos, & tandem populi sicut Sacerdotes mali.

Quapropter parcite iam vobis, & nolite attendere spiritibus erroris & Dæmoniorum doctrinis, vt nobiscum de vera pace, quæ christus est, hic & in futurum gaudeatis.

Tu vero miserrime Niceta, donec resipiscas, sis anathema ab omni Christi Ecclesia cum, omnibus qui tibi aquiescunt in tam peruersa doctrina. Nam volens esse legis diuinæ doctor non intelligis quæ loqueris, neque de quibus affirmas, & stultos ipse, sapientior tibi videris septem viris loquentibus parabolas. Sed saltem aliquando disce tacere, qui nunquam loqui didicisti.

D

Explicit responsio Fratris Humberti Episcopi contra Nicetæ blasphemias.

INCIPIT BREVIS ET SVCCINCTA COMMEMORATIO EORVM quæ gesserunt apocrisarij S. Romanæ & Apostolicæ Sedis in regia vrbe, & qualiter anathematizati sunt michael cum sequacibus suis.

Nno vndecimo imperij Constantini Monachi indictione VII. ipso die natiuitatis B. Ioannis Baptistæ, aduenientibus à Domino Papa Leone nono Apocrisiarijs S. Romanæ E Sedis. Humberto s. Cardinali Episcopo Syluæ Candidæ & Petro Amalphitanorum Archiepiscopo: Frederico quoque Diacono & Cancellario, ad monasterium Studij intra vrbem Constantinopolitanam. Niceta Monachus, qui & Pectoratus ante præsentiam præfati Imperatoris & procerum eius, insistentibus ipsis nuntiis Romanis, anathematizauit quoddam scriptum sub suo nomine contra sedem Apostolicam & omnem Latinam Ecclesiam editum, & prætitulatum de azymo, de sabbato, & de nuptiis Sacerdotum. Insuper anathematizauit cunctos, qui ipsam sanctam ecclesiam Romanam negarent primam omnium ecclesiarum esse, & qui illius fidem

semper Orthodoxam præsumerent in aliquo reprehendere. Post hæc statim in conspectu omnium, ad suggestionem eorundem nuntiorum Romanorum, iussit idem Orthodoxus Imperator præfatum incendi scriptum, sicque fuit discessum.

Sequenti autem die prædictus Nicetas vrbe est egressus, vltro adiit legatos ipsos intra palatium Pigi. A quibus accipiens perfectam suarum propositionum solutionem, iterum sponte anathematizauit omnia dicta & facta vel tentata aduersus primam Apostolicam sedem. Hic sic ab eis in cōmunionē receptus, effectus est eorum familiaris amicus. Porro dicta vel scripta eorundem nuntiorum aduersus diuersas calumnias Græcorum & maxime cōtra scripta Michaelis Cōstantinopolitani Episc. & Leonis Acridoni Metropolitani Episcopi, & sæpe dicti Nicetę Monachi, iusso Imperatoris in Græcum fuere translata, & in eadem vrbe hactenus conseruata.

Tandem Michaele præsentiam eorundem & colloquium deuitante, atque in stultitia sua perseuerante, præfati nuntii 17. Calen. Augusti adierunt Ecclesiam S. Sophiæ, & super obstinatione illius conquesti, clero ex more ad Missas præparato iam hora tertia diei Sabbati, chartam excommunicationis super principale altare posuerunt sub oculis præsentis cleri & populi. Inde mox egressi, etiam puluerem pedum suorum excussere in testimonium illis, dictum Euangelii proclamantes: VIDEAT DEVS ET IVDICET. Hinc Ordinatis Ecclesiis Latinorum intra ipsam Cōstantinopolim, & anathemate dato cunctis, qui deinceps communicarent ex manu Græci Romanum sacrificium vituperantis, in osculo pacis accepta Orthodoxi Imperatoris licentia donisque Imperialibus S. Petro & sibi, alacres cœpere reuerti 15. Cal. Augusti, sed nimia instantia precum Michaelis, spondentis tunc demum se conflicturum cum eis, Imperator compulsus à Solembria literis suis eos reuocauit 13. Cal. Augusti. Quo etiam die festinantes regressi deuenerunt ad palatium Pigi. Quos præfatus Michael hæresiarcha comperiens redisse quasi ad Concilium conabatur adducere in Ecclesiam S. Sophiæ, sequēti die, vt ostensa charta quam omnino corruperat transferendo, obruerentur ibidem à populo: quod prudens Imperat. præcauens, noluit haberi aliquod Concilium, nisi & ipse adesset præsens. Cumque hoc ei omnimodis Mihael contradiceret, iussit August. ipsos nuntios cōfestim arripere iter: quod & factum est. Porro vesanus Michael dolens suas non procedere insidias, concitauit Imperatori vulgi seditionem maximam, velut nontuis cooperata fuerit eius volūtas. Vnde Imperator coactus, interpretes Latinorum Paulum ac filium eius Smaragdum cæsos & detonsos Michaeli tradidit, sicque tumultus ille conquieuit. Verum Imperator post nuntios Romanos directis suis, exemplar excommunicationis verissimum à ciuitate Rossorum remissum sibi accepit, ciuibusq; exhibuit, ac tandem Michaelem falsasse chartam legatorum comperit atque conuicit. Itaq; commotus, amicos & affines ipsius honoribus priuatos à palatio eliminauit, contraq; ipsum vsq; nunc graues iras retinuit. Denique exemplar chartæ excommunicatoriæ est tale.

HVMBERTVS DEI GRATIA CARDINALIS EPISCOPVS S. ROMANÆ ECCLESIĘ, Petrus Amalfitanorum Archiepiscopus, Fridericus Diaconus & Cancellarius, omnibus Catholicę Ecclesiæ filiis.

SAncta & Romana prima & Apostolica sedes ad quam tanquam ad caput sollicitudo omnium Ecclesiarum specialius pertinet, Ecclesiasticæ pacis & vtilitatis gratia ad hanc Regiam vrbē, nos Apocrisarios suos facere dignata est, vt iuxta quod scriptum est, descenderemus & videremus vtrum opere compleatur clamor, qui sine intermissione ex tanta vrbe conscendit ad eius aures, aut si non est ita vt sciret. Genes. 18. *Quamobrem cognoscant ante omnia gloriosi Imperatores, Clerus, Senatus & populus huius Constantinopolitanæ vrbis, & omnis Ecclesia Catholica, nos hic persensisse magnum vnde vehementer in Domino gaudemus, bonum, & maximum, vnde miserabiliter contristamur, malum. Nam quantum ad columnas imperij & honoratos eius atque ciues sapientes, Christianissima & Orthodoxa est ciuitas. Quantum autem ad Michaelem abusiue dictū Patriarcham, & eius stultitiæ fautores, nimia zizania hæresium quotidie seminantur in medio eius. Quia sicut Simoniaci donum Dei vendunt, sicut Valesij hospites suos castrant, & non solum ad clericatum, sed insuper ad Episcopatum promouent. Sicut Arriani rebaptizant in nomine sanctæ Trinitatis baptizatos, & maxime Latinos. Sicut Donatistæ affirmant, excepta Græcorum Ecclesia, Ecclesiam Christi & verum sacrificium atque baptismum ex toto mūdo periisse. Sicut Nicolaitæ carnales nuptias cōcedunt, & defendūt sacri altaris ministris. Sicut Seueriani maledictam dicūt legem Moysi. Sicut Pneumatomachi vel Theomachi absciderunt à symbolo Spiritus sācti processionem à filio. Sicut Manichæi inter alia, quodlibet fermentatum fatentur animatum esse. Sicut Nazareni carnalem Iudæorum munditiam adeo seruant, vt paruulos morientes ante octauum à natiuitate diem baptizari contradicant, & mulieres in menstruo vel in partu periclitantes communicare, vel si paganæ fuerint baptizari prohibeant, & capillos capitis ac barbæ nutrientes, eos qui comam tondent, & secundum institutionem Romanæ Ecclesiæ barbas radunt, in communione non recipiant. Pro quibus erroribus & aliis pluribus factis suis, ipse Michael litteris Domini nostri Papæ Leonis admonitus resipiscere contempsit. Insuper nobis nuntiis illius, causas tantorum malorum rationabiliter reprimere volentibus, præsentiam suam & colloquium denegauit, & ecclesias ad Missas agendum interdixit, sicut & prius Latinorum Ecclesias clauserat, & eos Azymitas vocans, verbis & factis vbique persecutus fuerat: in tantum vt in filiis suis anathematizasset sedē Apostolicam contra quam se adhuc scribit Oecumenicum Patriarcham. Vnde nos quidem sanctæ primæ & Apostolicæ sedis inauditam contumeliam & iniuriam non ferentes, Catholicamque fidem subrui multis modis attendentes, auctoritate sanctæ & indiuiduæ Trinitatis, atque Apostolicæ sedis, cuius legatione fungimur, & cunctorum Orthodoxorum patrum ex Conciliis septem, atque totius Ecclesiæ Catholicæ anathemati, quod noster reuerendissimus Papa iisdem Michaeli & suis sequacibus nisi resipiscerent, denuntiauit, ita subscribimus.*

Michael abusiuus patriarcha Neophytus, & solo humano timore habitum monachorum adeptus, nunc etiam criminibus pessimis diffamatus, atque cum eo Leo Acridanus Episcopus dictus, & sacellarius ipsius Michaelis, Constantinus, qui Latinorum sacrificium prophanis conculcauit pedibus, & omnes sequaces eorum in præfatis erroribus & præsumptionibus, sint anathema maranatha, cum Simoniacis, Valesiis, Arrianis, Donatistis, Nicolaitis, Seuerianis, Pneumatomachis, Manichæis & Nazarenis, & cum omnibus hæreticis, imo cum diabolo & Angelis eius, nisi forte resipuerint, Amen, amen, amen.

Item alia excommunicatio ibidem facta in præsentia Imperatoris & optimatum eius, viua voce: *Quicūque fidei sanctæ Romanę & Apostolicæ sedis eiusque sacrificio pertinaciter contradixerit, sit anathema, maranatha, nec habeatur Christianus Catholicus, sed prozimita hæreticus. Fiat, fiat, fiat.*

ECCLESIÆ LVGDVNENSIS LIBER ADVERSVS opinionem Ioannis Erigenæ cognomento Scoti, Spiritus circa Ann. Christ. 850.

IN NOMINE DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI INCIPIT LIBELLVS aduersus cuiusdam vanissimi nominis, qui cognominatur Ioannes, Ineptias & errores de prædestinatione & præscientia diuina, & de vera humani arbitrij libertate.

VENERVNT ad nos, id est, ad Ecclesiam A
Lugdunensem, *cuiusdam vaniloqui* & garruli
hominis scripta, qui velot de præscientia
& prædestinatione diuina, humanis, & vt
ipse gloriatur, philosophicis argumenta-
tionibus disputans nulla ratione reddita,
nulla scripturarũ siue sanctorũ patrũ auctoritate prælata,
velut tenẽda & sequẽda sola sua præsũptione definite au-
sus est. Quæ à fidelibus & in doctrina sacra exercitatis le-
ctorib9, eo quod sunt vanissima, & contra fidem ac veri-
tatẽ Dei plena mẽdacii & erroris Deo opitulante facillime
iudicantur, & respuuntur, immo etiam contemptui & ri-
sui habentur. Sed quia à multis (vt audimus) idem ho-
mo quasi scholasticus & eruditus admirationi habetur, &
talia garriens siue scribens, alios ad hæsitationẽ dedocit: B
Alios, quasi magnum aliquid dicat, erroris sui sequaces
efficit, omnes tamen auditores & admiratores suos inani
verbositate & ventosa loquacitate perniciosissime occu-
pet, vt noo diuinis scripturis, non authoritatibus paternis
se humiliter summittant, sed eios potios deliramenta se-
quantur: necessarium omnino duximus vt studio charita-
tis, & debito nostri loci atq; ordinis eius insolentiæ, au-
ctore Domino, responderemus: vt quicumq; hæc cũ Dei
timore & cura salutis suæ fideliter legere voluerint, agnos-
cant veraciter quantũ necesse sit in his maxime pericu-
losissimis temporibus & extremis inhærero firmiter scri-
pturæ sanctæ immobili veritati, obedire humiliter san- C
ctorum patrum fundatissimæ auctoritati claudere & ob-
struere auditum indisciplinatæ & vanissimæ verbositati:
Et illud Domini dictum tota intentione pertimescere
Luc. 18. 8. quod iam pene videmus impleri, quo ipse ait: Poras, filius
hominis veniens inueniet fidem in terra: Et quod Apo-
stolus in quo idem Dominus loquebatur, terribiliter de-
1. Tim. 4. nuociat, dicens: Erit enim tempos cum sanam doctrinã
non sustinebunt, sed ad sua desideria coaceruabunt sibi
magistros prurientes auribus: & à veritate quidem auer-
tens, ad fabulas autem conuertentur, vnde & alibi sub
persona dilecti & electi discipuli omnẽ fidelem & præ-
1. Tim. 20. cipue ordinem pastoralem solertissime admonet, dicens:
O Timothee depositum custodi deuitans profanas vocum no-
uitates & oppositiones ψευδωνύμου γνώσεως, id est falsi nominis D
scientiæ: *Quam quidem promittentes circa fidem exciderunt.*
Propositis igitur verbis quæ in decem & nouem opuscu-
li sui digessit capitulis, prout Dominus donare dignatur
non nostro sensu, sed sanctarum scripturarum & beatissi-
morum Catholicorum patrum ita respondendum aggre-
dimur Caput primum. Primo namq; capitulo istiusmodi
proposuit definitionẽ, quadruuio regularum totius phi-
losophiæ quatuor omnem quæstionem solui: Duasque
prædestinationis non esse. Cui fides Ecclesiæ econtrario
respondet, veritatem æterni iudicii & ordinationis Dei
quæ vocabulo prædestinationis exprimitur, non esse re-
quirendam à philosophis, sed ab Apostolis & prophetis
Dei: nec in mundanæ doctrinæ quadruuiis, sed in vna &
vera via, quæ dicit de semetipsa: Ego sum via, veritas
Cap. 6. & vita. Ad quam nos beatus Hieremias Propheta hor-
tatur & inuitat, dicens: *State super vias & videte, & in-*
Cap. 35. *terrogate de semitis antiquis, quæ sit via bona, & ambulate in*
ea, & inuenietis refrigerium animabus vestris. Et de qua E-
saias Propheta ipsi ecclesiæ promittit, dicens: *Et erit ibi*
A *via, & via sancta vocabitur: Non erit ibi leo, & mala bestia*
non ascendet per eam. Quicumque ergo eligont huic sæ-
culo stulti esse propter Christum, & obedire student A-
postolo dicenti, *si quis videtur inter vos sapiens esse in hoc* 1. Cor. 3. 18.
seculo, stultus fiat, vt sit sapiens, teneant incessanter &
indeclinabiliter hanc viam veram, viam bonam, viam
directam, quæ ipse Dominus Christus est, & fugiant
humanæ sapientiæ astutiam & deceptionem, de qua
idem Apostolus dicit: Scriptum est enim, comprehen-
dam sapientes in astutia eorum: Et iterum, Dominus
cognouit cogitationes sapientium quoniam vanæ sunt
Et ideo per huiusmodi philosophiam & inanem fal-
laciam non est solum de diuina prædestinatiooo quæ-
stio, sed potios confusa & inuoluta, & diuersis menda-
B ciis atque erroribus accumulata. Prædestinationem au-
tem & æterni consilii & iudicii Dei siue in remuneratio-
ne iustorum, siue in damnatione iniquorum, & propter
vnam ac simplicem scientiam diuinam in qua simul atq;
æternaliter de omnibus præordinatum atq; præfinitum
est, vnam veraciter dicimus. Et propter duplicem eius
efficientiam qua alii misericorditer liberantur, alii iuste
damnantur, duas dicere nõ timemus: fideliter cum Psal-
mista ipsi iudici vniuersorum dicentes: Misericordiam &
iudicium cantabo tibi Domine. Et eundem iudicem, hu-
ius prædestinationis mysterium apud patrem æternaliter
fuisse dispositum, & manifeste in aliorum obcæcatione
C & aliorum illuminatione mirabiliter expletum in Euan-
gelio declarantem fideliter audientes, cum in Spiritu Matth. 11.
sãcto exultãs ait: *Confiteor tibi pater Domine cæli & terræ* 25.
quia abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & reuelasti
ea paruulis. Ita pater quoniam sic fuit placitum ante te. Quid
enim apertius in vtramque partem dici potoit, quam
cum per aduentũ suum & superbos dicit excæcatos &
humiles illuminatos, hoc est enim quia abscondisti hæc
à sapientibus & prudentibus, reuelasti ea paruulis. Et
quid firmius ac fortius de vtriusque rei iusta & clemẽti
prædestinatione quam good statim congratulans sub-
iunxit dicens: ita pater quoniam sic fuit placitũ ante te.
Et quia pater omne iudicium dedit filio: Et ipse cum pa-
tre in æterno consilio vtriusq; hæc omnia statuit & præfi-
D niuit, quæ in mundo suis temporibus discernit & iudicat
continuo de se adiungit: Omnia mihi tradita sunt à pa-
tre meo. Omnia scilicet, & liberanda, damnanda, & iu-
ste excæcanda, & misericorditer illuminanda, sicut &
alibi ipse dicit: *In iudiciũ ideirco ego in hunc mundum veni,* Ioan. 29.
vt qui non vident videant, & qui vident cæci fiant. Hoc iu-
stum iudiciũ Dei sicut ipse Dominus & Saluator laudat,
& cum gratiarũ actione ad patris gloriam refert, ita om-
nis scriptura diuina, & omnis sancta Ecclesia Catholica
in Psalmis, & Hymnis, & Canticis spiritualibus, quę
Deo offerre consueuit tanquam iustum & sanctum &
pium, fideliter laodando & gratias agendo concelebrat, Psal. 199.
dicendo cum Psalmista: *Iustus Dominus in omnibus viis* 17.
suis, & sanctus in omnibus operibus suis. Et illud quod le-
gislator in Cantico Deuteronomii ait, *Date magnitudi-* Deut. 32. 3
nem Deo nostro, Dei vera opera sunt, & omnes viæ eius
iudicia: Deus fidelis in quo non est iniquitas, iustus & sanctus
Dominus. Item in psal. eum & de electis liberandis, & de
reprobis damnãdis generaliter dictum: *Prope est Domi-* Psal. 144
nus omnibus inuocantibus eum in veritate: voluntatem timẽ-

cium se faciet, & deprecationem eorum exaudiet, & saluos faciet eos. Custodit omnes diligentes se, & omnes peccatores disperdet, vtriusque partis iustum iudicium copiosa & generali laudatione commendatur, cum statim subiungitur: Ibidem. *Laudationē Domini loquētur os meū, & benedicat omnis caro nomini sancto eius in sæculū, & in sæculū sæculi.* Sic & in alio Psalmo cum præmisisset Dei laudationem mox vtramque partem iustum Dei iudicium in eius laudibus commemorans ait: *Lauda anima mea Dominū, laudabo Dominum in vita mea, psallam Deo meo quandiu fuero:* Psalm. 145 Et post pauca: *Qui custodit veritatē in sæculum, facit iudiciū iniuriā patientibus, dat escam esurientibus:* &c. vsque vbi ait: *Pupillū & viduam suscipiet, & viam peccatorū disperdet.* Vnde in Apocalypsi post illud extremum iudicium & remunerationis iustorum & damnationis iniquorum talis laus & gratiarum actio de vtraque re à sanctis Deo offertur dicente eodē libro: *Et viginti quatuor seniores qui in cōspectu Dei sedēt in sedibus suis ceciderūt in facies suas, & adorauerunt Deum dicētes: Gratias agimus tibi Domine Deus omnipotens, qui es & qui eras, & qui accepisti virtutem tuam magnā & regnasti: Et iratæ sunt gentes. Et aduenit ira tua, & tempus mortuorum iudicare: Reddere mercedē seruis tuis Prophetis & sanctis timentibus nomē tuum pusillis & magnis, & exterminandi eos qui corruperunt terrā.* Et multa huiusmodi quæ in scripturis sanctis multipliciter inueniuntur, vt nihil melius sit homini fideli quam iustū Dei iudiciū in vtraque parte agnoscere & laudare fideliter, dicendo: *Iustus es Domine, & rectum iudicium tuum.* Psalm. 118 157. Hoc etiam sancti patres & doctores Ecclesiæ sollicitè admonent esse faciendū, sicut *beatus Papa Leo* in quodam loco exortatur, dicens: Leo. Nihil nobis debet de Dei iudiciis displicere. Nam non per omnia illi gratias agere quid est aliud quam ex quadam eum parte reprehendere? August. Et *beatus Augustinus* cum tractares de verbis Psalmi ad populum vbi scriptum est, sicut deficit fumus deficiant, sicut fluit cera à facie ignis sic pereant peccatores à facie Dei: quis, inquit, gloriabitur castum se habere cor aut quis gloriabitur mundū se esse à peccatis? Ac per hoc cum scriptura dicit, sicut fluit cera à facie ignis, sic pereant peccatores à facie Dei: quis non contremiscat, quis non pauibundus exiliat? Qui ergo faciemus? & quæ spes nobis est? Neque enim hæc frustra cātantur. Aut vero cum hæc dicit Propheta optat ea hominibus, ac non potius ventura præuidet? In verbis quidem figura optantis apparet, sed intelligitur Nota. præscientia nunciantis, sicut enim quædam in scriptura Prophetarum, tanquam in præteritum facta narrantur, cum futura prædicantur: ita quædam tanquam voto dicantur optantis, sed qui recte intelligunt, quod audiunt visionem prænunciantis agnoscunt. Sicut ergo in verbis præteriti tēporis futura facta significantur, sic in figura optantis prænūciantis mās intelligenda est, sic & de Iuda Domini traditore tāquam. *d: sunt aliqua, Quæ omnia idcirco replicamus vt considerent qui hæc legunt nullum certamen, nullam contētionem esse debere de numero: siue pluraliter de prædestinatione Dei dici possit, siue aliqua veracitatione non possit, dummodo certissime constet duplicem esse eius effectum, vel in electis scilicet misericorditer præordinatis ad vitam, vel in reprobis iuste præ August. ordinatis ad pœnā. Docet *beatus Augustinus* sicut sapiētiam, ita eo prudentiam vel scientiam Domini recte dici, his verbis: Quis ergo hominum potest istam sapientiam qua nouit Deus omnia comprehendere, istam inquam sapientiam, eandem prudentiam, eandemque scientiam, quandoquidem à nobis nec nostra comprehenditur: vbi etiam post aliqua ita subiungit: Et putamus nos verum Dei prouidentia eadem sit memoria & intelligentia, qui non singula cogitando aspicit, sed vna æterna immutabili, atque ineffabili visione complectitur cuncta quæ nouit tanta mentis infirmitate posse comprehendere. In hac igitur difficultate & augustiis libet exclamare ad Deū viuum, Mirificata est scientia tua ex me, inualuit nec potero ad illam. Ecce doctor eximius eximiè de Deo sentiens & loquens confidenter, dixit Deum esse scientiam;

A vbi autem venit ad hoc, vtrum similiter Deus dicēdus sit prouidētia, quæ vtiq; sic Dei est & in Deo vt ad gubernationem referatur, noluit velut temere aliquid de hac re definire: sed velut in magnis difficultatis & angustiis deprehensus maluit eandem disputationem admirationis & orationis ad Deum exclamatione finire. Quo exēplo etiam nos omnes pensare & dicere debemus quam piè nobis de Deo sit sentiendum, quam moderate & disciplinate loquendum, quā caute & trepide definiendum? Sap. 2. Post hæc iam dictis disputator more suo velut definiendo subiungit: Et præscientiam & prædestinationem vnū idemque esse. Nos autem repudiato huius nouitatis errore teneamus certissimam & firmissimam fidei regulā. Et Deo adiuuante fideliter discernamus aliquando dici B præscientiam quæ omnino prædestinatio esse nō possæ: Quia omnipotens Deus sicut bona, sic etiam mala id est peccata hominū vel Angelorum futura præsciuit: Quæ tamen vt fierent iustus & *sanctus prædestinare non potuit.* Prædestinatio autem eius vel ad conditionem & gubernationem pertinet creaturarum, quæ vtique bona & iusta est, vel præcipue ac maxime ad opera vel iudicia eius quæ agit siue acturus est in creatura rationali, angelica videlicet & humana dū ex eis alios per gratiā iustificat & beatificat, alios per iustitiam deserit & condemnat: Quia & eorum bona, id est sanctorum hominum & sanctorum angelorum eius sunt dona vel præmia. Et istorū mala, id est, æterna supplicia eius est iuste omnia disponentis iusta vindicta. Et idcirco prædestinatio eius *semper in bonis, semper* in operibus suis, quæ in creatura (vt dictū est) rationali vel misericorditer vel iusta exercet, accipienda est, quæ ipse & prædestinando *præsciuit, & præsciēdo æternaliter prædestinauit.* C Vnde manifestum est prædestinationem Dei sine præscientia non esse: Præscientiam vero & cum prædestinatione esse in bonis & iustis operib' Dei: Et sine prædestinatione in malis operibus hominum & angelorum iniquorum. Quod totum præfatus pater, beatus scilicet Augustinus, breuissime ita ostendit, dicēs: *Prædestinatio est gratiæ præparatio, Gratia vero iam ipsa donatio.* Quod itaq; ait apostolus, non ex operibus, ne forte quis extollatur: ipsius enim sumus figmētum, creati in Christo Iesu in operibus bonis, gratia est. Quod autem sequitur, quæ præparauit Deus, vt in illis ambulemus, prædestinatio est, quæ sine præscientia non potest esse: potest autem esse sine prædestinatione præscientia. Prædestinatione quippe Deus ea ipse præsciuit quæ fuerat ipse facturus, vnde dictum est, fecit quæ futura sunt: præscire autem potens est, etiam quæ ipse non facit, sicut quæcumq; peccata. Quia & si sunt quædā quę ita peccata sunt, vt pene sint etiam peccatorum, vnde dictum est, & tradidit illos Deus in reprobum sensum, & mentē, vt faciant quæ non cōueniāt, non ibi peccatū Dei est, sed iudicium. Quocirca prædestinatio Dei quæ in bono est, gratiæ est, vt dixi, præparatio: Gratia vero est ipsius prædestinationis effectus. Nota. Item alio loco, hæc est, inquit, prædestinatio sanctorū nihil aliud, præscientia. s. & præparatio beneficiorū Dei quibus certissimo liberantur, quicunq; liberantur: Cætera autem vbi nisi in massa perditionis diuino iudicio relinquuntur. Ex quib' E omnibus sācti doctoris verbis clarissime apparet distincte & proprie in sanctis libris accipi debere præsciētiam & prædestinationem: nec que tanta distantia inter se distinguunt vnum atque idem esse sicut iste definit intelligi debere. Tamen aliquando ipsam prædestinationem, quæ nunquam sine præscientia est, etiam nomine præscientiæ significari, idem doctor ita ostendit dicens. Aliquando eadem prædestinatio significatur etiam nomine præscientiæ, sicut ait Apostolus: Non repulit Deus plebem suam quam præsciuit. Hic quod ait præsciuit non recte intelligitur nisi prædestinauit: Quod circunstantia ipsius lectionis ostēdit, loquebatur enim de reliquiis Iudæorum quæ saluæ factæ sunt pereuntibus cæteris: ideo cum dixisset, vnde nunc agimus, non repulit Deus plebem suam quam præsciuit, post ali-

qua

qua secutus adiunxit: Quod quærebat Israël hoc non est consecutus: electio autem consecuta est, cæteri vero excæcati sunt. In hac ergo electione, & in his reliquiis quæ per electionem gratiæ saluæ factæ sunt, voluit intelligi plebem, quam propterea Deus non repulit quia præsciuit. Nullus igitur qui hæc intelligit negare vel dubitare permittitur, vbi ait Apostolus, non repulit Deus plebem suam quam præsciuit, prædestinationem significare voluisse, præsciuit enim reliquias, quas secundum electionem gratiæ fuerat ipse facturus, hoc est, ergo prædestinauit, sine dubio enim præsciuit, si prædestinauit, sed prædestinasse est hoc præscisse quod fuerat ipse facturus. Ecce quid sequi debeat, qui iuxta piam sancti patris intelligētiam sane & pure & sincere de præsciētia & prædestinatione diuina sentire desiderat. Illa autem noui disputatoris definitio quia hæc duo tanta discretione distincta, tanta diligentia discreta vnum idemque esse definiunt merito suæ falsitatis atque fallaciæ penitus abiciēda est. Siue enim hoc ille propterea taliter definire voluerit, vt ea sicut iam præmiserat substantialiter in Deo velut vnū esse ostenderet, inanis & friuola est eius assertio, siue hoc docere voluerit, quod hæc in scriptis indiscrete & confuse atque indifferenter intelligende sint, manifestissimi erroris est. Subiungit idem disputator & dicit, hominem ad Deum quemlibero arbitrio sine labore deseruerit, sine laboris studio & cooperantis gratiæ dono peruenire non posse. In quibus verbis quod dicit primum hominem libero arbitrio Deum deseruisse, iam vtique in deserente Deum, & deserto à Deo non erat liberum arbitrium ad bonum. Illa & naturę bene à Deo conditæ, & gratię à
Sap.3. Deo donatę beata libertatis quam Apostolus commendat dicens, vbi spiritus Domini, ibi libertas est, sed erat liberum tantummodo ad malum, & peccato dominante, captiuum. De qua miserrima libertate & seruitute Apostolus conuersis fidelibus dicit: Cum enim serui essetis peccati liberi fuistis iustitiæ. Et iterum: Nescitis quoniā cui exhibetis vos seruos ad obediendum, serui estis eius cui obeditis, siue peccati in mortem, siue obeditionis ad iustitiam, vnde & Dominus ait: Omnis qui facit peccatū seruus est peccati. Et beatus Petrus Apostolus: A quo enim, inquit, quis superatur, eius & seruus est. Sed & captiuitatem peccati beatus Paulus nō tacet dicens: Video autem aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captiuum me ducentem in legem peccati quę est in membris meis. Sic itaque homo, vt dictum est, deserens Deum, & desertus è Deo factus est liber iustitię, cui seruire noluit, & seruus peccati in mortem, quia noluit esse seruus obeditionis ad iustitiā. Et per hoc incipiens habere in mēbris suis legem repugnantem legi mentis suę, & captiuantem se in legem peccati, amissa ergo gratia verę libertatis qua Deo poterat cohęrere & dicere: Mihi autem Deo adhęrere bonum est, infœlici libertate voluntatis suę adhęsit peccato, & factus est seruus captiuusque peccati. De qua seruitute & captiuitate exire & liberari non potest, nisi per eum qui ait, si vos filius liberauerit, tunc vos vere liberi eritis. Et ideo quando homo deseruit Dominū Deum manifeste, tunc amisit libertatem boni, & non remansit liber nisi ad malū; vnde nescimus cur talis in eo libertas debeat prędicari, ac non potius deleri & caueri. Quod autem dicit sine laboris studio & cooperātis gratię dono hominē ad Deum peruenire non posse, aliter fides Catholica tenet, quę certissime credit iuxta Euangelicā & Apostolicam veritatem nullo bono opere, nullo bono merito pręcedente, solo gratię diuinæ beneficio hominē saluari & venire ad Deum, sicut ipse Dominus dicit: Nemo potest venire ad me, nisi pater qui misit me traxerit eum. Et Apostolus diligentissime inculcat fidelibus dicens: Ei autem qui non operatur, Credēti autē in eum qui iustificat impium, reputatur eius fides ad iustitiā. Et iterum: Arbitramur iustificari hominem ex fide sine operibus legis. Et ne saltem ipsam fidem sibi deputarent qui veniunt ad Dominum, atque velut sui operis merito, & non gratuito Dei dono se putarent

A esse saluatos, ostendit alio loco etiam ipsam fidem Dei donum esse cum dicit: Gratia salui facti estis per fidem. Et continuo subiungit: Et hoc non ex vobis, Dei donum est, non ex operibus, ne quis glorietur. Vnde etiā Deus sicut ipse Apostolus commemorat, per prophetam dicit inuentus sum à non quærentibus me: palam apparui his qui me non interrogabāt. Vel sicut in nostra editione legitur: Quęsierunt me qui ante non interrogabāt: Inuenerunt qui non transierunt me. Ecce manifestissima gratia sine operibus per quam homines requirentes nō non solum veniunt, sed etiam perueniunt ad Deum, sicut innumera paruulorum millia, qui vtique nihil boni operari potuerunt, sola fide Ecclesię & regenerationis gratia cum in tali ętate ex aqua & spiritu renati, & originalis peccati vinculo absoluti, atque ita fuerunt defuncti absque
B vlla dubitatione ad Deum perueniunt. Aliter ergo sentire .i. hominem absque laboris sui studio ad Deum peruenire non posse, non est Catholicum, sed Pelagianum. Inuenitur in libello cuius titulus est Dogmatū Ecclesiasticorum, quędam talis definitio. Sed omnino vt diximus vt alia nonnulla in eodem libello Pelagiani erroris est. Et ideo quicūque eam propter alia quędam vtilia legit cum huiusmodi ibi sensus inuenerit, meminerit sollicitè Apostoli dicentis. Omnia probate, quod bonum est tenete. Addit posthęc ille & dicit, pręedestinationem in Deo secundum substantiam esse, relatiue autem fieri non posse: sed de hoc quid nobis melius aut cōuenientius videatur, iam supra vt potuimus dictum est. Tamen quia hic addidit prædestinationem ad Deum relatiue dici non posse: manifeste non ita refertur pręedestinatio ad Deum, sicut
C refertur in sancta Trinitate, pater ad filium, filius ad patrem. Spiritus sanctus ad vtrumq; vel genitor ad genitū, genitus ad genitorem, procedens ad vtrumq. Nec sicut verbū Dei cum intelligitur, filius refertur ad patrē cuius est verbum. Et cum idē filius dicitur imago, refertur similiter ad patrem cuius est imago. Et cum dicitur splēdor gloriæ, refertur ad æternam lucem ex qua est & cuius splendor est. Candor est enim lucis æternæ (sicut scriptura testatur) nec sicut donum Dei cum intelligitur proprie Spiritus sanctus refertur ad patrē & filium cuius est donum. Ista nāq; in illa sancta Trinitate sic referuntur ad inuicem, vt singularia ibi sint nec alterum de altero dici possit, vnus enim vbi est pater genitor, vnus filius vnitus, vnus Spiritus sanctus procedens, vnū verbum &
D imago & splendor patris quod est vnigenitus filius, vnū donum Dei patris & filii quod est Spiritus sanctus. Et hæc de singulis singula ita ibi intelliguntur, vt vniuscuiusque personæ, proprietas ad alterum transire nō possit verbi gratia, vt vel pater vnquā filius dici possit, vel filius naturaliter pater intelligatur, vel Spiritus sanctus pater aut filius. Manifestum est igitur, vt diximus, quia nō ita refertur prædestinatio ad Deum, sicut refertur pater ad filium, filius ad patrem, Spiritus sanctus ad patrem & filium: neque.n. prædestinatio aliqua est proprie in Trinitate personæ, vt ad alteram naturaliter referatur. Refertur tamen omnino eodem prædestinatio ad Deum, id est ad totam simul Trinitatem, quæ tota est simul prædestinans quæcumque prædestinata sunt quia absq; du-
E bio refertur prædestinatio ad prædestinantē: sicut & gubernatio ad gubernantem, & dispositio ad disponentem & ordinatio ad ordinātem. Nec aliquis vnquam tam absurde & importune contentiosus fuit, vt Deum omnia disponentem diceret esse dispositionem: omnia gubernantem diceret esse gubernationem: omnia ordinantem diceret esse ordinationem. Putamus quod nec omnia prædestinanda prædestinantem quisquam dixerit esse prædestinationem. Cum hæc omnia, sicut iam diximus, id est dispositio, gubernatio, ordinatio, prædestinatio magis ad opera vel ad operationem creatoris referenda intelligantur. Sed iste etiamsi noua contentione affirmare conetur, ita esse Deum substantialiter prædestinationem sicut veritatem, bonitatem, iustitiam, vt per hoc singulari tantum numero prædesti-

ratio dicenda videatur: sicut singulari tantum numero dicitur Deus, veritas, bonitas, iustitia: non tamen ista argumentatione efficere potest, vt prædestinatio Dei etiam substantialiter Deus dici possit, non duplicem habet effectum & operis distributionem, scilicet vel in præparationem iustorum ad vitam, vel in præordinatione impiorum ad interitum. Quia & iustitia verissime Deus dicitur: vel cum ipsa Deus substantialiter intelligitur, plurali numero recte enuntiatur. Et tamen iustitia Dei, quæ etiam Deus est, sine dubio duplicē habet effectum: videlicet vel in remuneratione bonorum, vel in damnatione malorum. Cum ergo ad prædestinantē Deū recte dicatur relatiue prædestinatio, sicut, ad disponentem dispositio, ad gubernantem gubernatio, ad ordinantem ordinatio, ad operantem operatio, ad creantē creatio, & etiamsi aliquid ratione ostendi possit, substantialiter dici debere prædestinationem Dei, vel prædestinationem Deum: duplex tamen eius effectus scripturæ sanctæ immobili veritate declaratus euacuari nullatenus possit: Quid sibi vult ista tam superuacua vel etiam mendax argumentatio. Sequitur tamē ille & dicit: sicut duas essentias, sapientias, scientias, virtutes, cæteraque omnia quæ de Deo dicuntur, geminari vel triplicari, vel multiplicari impium est: Ita prædestinationes duas asserentē reatui impietatis ligari. Quibus verbis nos respōdemus, verum quidem esse quia essentia, sapiētia, sciētia, virtus, quando de Deo dicuntur, vel ipse Deus ita dicitur vt ipse essentia, sapientia, scientia, virtus intelligatur, non sunt ista dicenda pluraliter. quia ipsa Trinitas non tres essentiæ, sed vna essentia, nec tres virtutes, sed vna virtus. Tamen quando ad diuinam dispositionem vel operationem Dei ad creaturas referuntur manifeste quædam ex eis etiam pluraliter & multipliciter dicūtur: sicut est illud: Quoniam Deus scientiarum Dominus est. Et si scientiarum Dominus est, vtique non alterius, sed suarum: Quomodo ergo hoc intelligendum: nisi quia ipsa sciētia quæ in illo naturaliter vna est & simplex relata (vt dictum est) ad dispositionem vel ordinationem creaturæ, nobis efficitur multiplex, sic Deus est virtus. Et tamen eadem ratione dictum legimus narrantes laudes Domini, & virtutes eius. Et sicut recte Deus dicitur virtus: ita recte dicitur idem Deus potentiæ: Et tamen in Psalmo canimus. Quis loquetur potentias Domini? Si ergo Deus vna est scientia, vna virtus, vna potentia, Et tamen iuxta veritatem & auctoritatem scripturæ ipsius Dei recte dicimus numero plurali atque multiplici sciētiarum Dominus, & potentias Domini & virtutes eius: cur hoc impiū esse iste disputator dicit quod ex veritatis & pietatis fonte procedit? si autem ista quæ verissime substantialiter in Deo sunt, non impie, sed pie secundum quendam modum etiam pluraliter de Deo dicuntur: quomodo reatu impietatis ligatur, qui prædestinationem Dei eadem ratione propter duplicem eius efficientiam pluraliter dicere voluerit. Cum tamen hoc nos nec propter eandem prædestinationis verissimæ duplicē efficientiam respuimus, nec vsquequaque dici æstimamus. Cum sicut vna Dei iustitia, ita & vna Dei prædestinatio multipliciter valere certissime intelligenda sit.

Sap. 5. Subiungit ille & dicit: vnamque esse diuinam prædestinationem, sicut vnam diuinam operationem, sapientiam substantiam, voluntatem. In quibus verbis hoc agere conatur quod & supra: videlicet vt sicut substantialiter Deus est sapientia, substantialiter voluntas, & ipse est summa substantia: Ita credatur idem Deus esse prædestinatio & operatio. Sed de prædestinatione iam multipliciter ostendimus, quid nos magis sentiendum esse tenaamus. De vna vero operatione Dei quam hic addidit, ita vt quantum apparet operationem Dei ipsum Deum velit intelligi diligenter considerandum est, quid de hac re iuxta regulam fidei sentiendum sit. Recte enim dicimus operationem Dei vtique in creaturis, quas operatur: Et recte dicere possumus operationem ex Deo, quoniam, sicut Apostolus dicit, ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt

A omnia: sed nunquid recte dicere possum operationem in Deo, cum Deus in se nihil operetur: sed extra ipsum (id est) extra eius naturam sit omnis creatura quam operatus est, & in qua vsque modo operatur. Cum tamē alio modo etiam in ipso dici possit esse creatura: Quia vtique in eius potentia & virtute subsistit: vnde Apostolus ait quod iam dictum est, quia in ipso sunt omnia. Et in alio loco, in ipso enim viuimus, & mouemur, & sumus. Cū ergo Deus in seipso, id est in substantia sua nihil operatur, sed omnis eius operatio in creaturis quæ non eiusdē cum eo naturæ vel substantiæ sunt, intelligatur, quomodo recte dici potest operatio in Deo. Et si non recte dicitur operatio in Deo, quanto minus recte dici potest ipse Deus operatio. Quamquam idem omnipotens Deus sicut apud se & in se omnia disponit; sic apud se & in se
B omnia operatur, Quia vt hæc agat, non extra se vtique egreditur, nec à se excedit cuius velle fecisse est: sed ipsa potius quæ operatur, vocat ad se: vt ex eo qui summe est incipiant esse singula iuxta modum suum, Et fiat quod Apostolus dicit, qui vocat ea quæ non sunt, tāquam quæ sunt. Ergo neque aliquid extra se operatur, qui sola & æterna voluntate, absque vllo conatu, absque vllo labore, absque vllo artificio omnia operatur. Nec iterum aliquid in se operatur, qui in suæ substantiæ perfectione & æternitate nihil efficit, nihil auget, nihil minuit, nihil mutat. Nec tamen quia eius velle fecisse est. Ideo & eius velle & fecisse vnum est. Quia in hoc non creatoris & creaturæ significatur vnitas sed solius creatoris potestas. Quomodo igitur operatio in Deo, vel ipse Deus substantialiter
C (vt iste asserit) operatio intelligi potest? nisi forte eo modo dicitur Deus operatio, non quod ipsum vel in ipso aliquid, sed ipse omnia operetur. Sed quia hoc nimis est inusitatum nec de scripturæ sanctæ authoritate sumptum, & vehementer fidei periculosum, ne fortè cū Deus operatio esse dicitur, iuxta impium Arrianorum errorē qui hoc de filio & Spiritu sancto senserunt, ab aliquo factus esse credatur: profecto cohibenda & coercenda est tantæ verbositatis præsumptio, & inter cæteras vocū nouitates, sicut attentissime ammonet Apostolus, deuitanda. Et tamen nos, qui simpliciter diuinam operationem in operibus & creaturis eius intelligimus, ipsam eius operationem plurali numero in scripturis positā legimus, manifeste Apostolo dicente, diuisiones vero gratiarū sunt, idem vero spiritus: Et diuisiones ministrationū sunt, idē
D autem Dominus: Et diuisiones operationum, idem vero Deus qui operatur omnia in omnibus. Cū ergo ipsa operatio Dei tam aperte pluraliter dicatur, & multipliciter intelligatur in creaturis Dei, quid vtilitatis habet istiusmodi argumētatio ad nihil vtilis, sicut Apostolus ait nisi ad subuersionem audientium: Et tamen ille subiungit & dicit: Ea necessitate prædestinationis nihil cōpelli sicut Sap. 6.
nec voluntatem. Quod vtrumque, id est, prædestinatione & voluntate Dei nihil compelli apertissima veritate falsum est: Quia & bonitate prædestinationis Dei frequenter diuersis flagellis & laboribus & tribulationibus compelluntur electi, siue vt conuertantur ad Deum, siue vt viuant secundū Deum, sicut compulsus est Apostolus Paulus, cū adhuc esset Saulus cælestis vocis terrore prostratus diuina percussione cæcatus, tātu terrore à suo errore & crudelitate coërcitus vtique vt conuerteretur ad
E Deum. Et tamen iam conuersus, iam Apostolus, iam magister gentiū effectus adhuc castigatur, adhuc colaphizatur, ne magnitudine reuelationum extollatur. Et eiusdem diuinæ prædestinationis iudicio & æquitate reprobi compelluntur: Et si non ad inique & impie viuendū, tamen ad æternum pro ipsis iniquitatibus & impietatibus suis supplicium luendum. Similiter & bonitate voluntatis Dei in qua est vtiq; æterna prædestinatio Dei, & electi flagellantur temporaliter ad correctionem vel probationem: Et eiusdem diuinæ volūtatis seueritate reprobi flagellantur æternaliter ad punitionem, Cùm omnipotens Deus, sicut Apostolus dicit, manifesta misericordia & occulto iudicio suo cuius vult miseretur, & quem vult indurat.

durat, vtraque enim sunt in Dei prædestinatione, vtraque in Dei voluntate, & bonitas, scilicet, & seueritas de quibus idem dicit Apostolus, vide ergo bonitatem & seueritatem Dei, in eos quidem qui ceciderunt seueritatem; in te autem bonitatem si permanseris in bonitate: sequitur ille & dixit: Et quicquid de diuina voluntate intelligitur, de prædestinatione Dei sentiri debet. Hæc diffinitio in eo nobis placet quia voluntatem Dei dicit prædestinationem Dei. Quid est enim aliud prædestinatio Dei quam æterna & incommutabilis voluntas Dei ad opera sua. Neque enim Deus necessitate, sed voluntate prædestinauit quæcumque prædestinauit. Et sicut omnia quæcumque voluit fecit, sic omnia quæcumque prædestinauit, impleuit, immo iam fecit: sicut de eo Propheta dicit? Qui fecit quæ futura sunt. Consequens ergo omnino est vt & illud quod de Deo dicit Apostolus, qui vult omnes homines saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire: sicut est in prædestinatione Dei ita rectissime intelligatur esse in voluntate Dei, id est, vt quos prædestinauit Deus æterna voluntate sua ex omni genere humano electos, ipsos omnes velit saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, videlicet quia prædestinatio Dei ipsa est certissime voluntas Dei, & sicut de voluntate Dei veraciter omnino ab Apostolo dictum est, cuius vult miseretur, & quem vult indurat: Ita & de prædestinatione Dei certissime teneatur: scilicet quod æterna prædestinatione, sicut æterna voluntate sua Iacob dilexit, Esau autem odio habuit: Et ex eadem massa fecit, aliud quidem vas in honorem, aliud vero in contumeliam, sed illud bonitate sua, illud iusto iudicio suo: vt essent alii vasa iræ, alii vasa misericordiæ. Si itaq; disputator iste iuxta veritatem doctrinæ Apostolicæ, & sicut ipse sua argumentatione conclusit, hæc nobiscum fideliter & simpliciter teneat, nulla erit necessitas quæstionis, nullus exigetur labor syllogisticæ disputationis, sed sola in nobis regnabit tranquillitas pacis. III. tertio capitulo huiusmodi definitiones posuit: Dei prædestinationem sicut essentiam nullum cogere, nullam necessitatem inferre. Duas prædestinationes non esse. Mortem, peccatum, miseriam à Deo non esse, prædestinationem vt charitatem non esse geminam vel duplam vel multiplicem & pluralitate carere. Ex his quatuor propositionibus iam superius prout Dominus dedit tractauimus. Id est primam qua dicit Dei prædestinationem sicut essentiam nullum cogere, nullā necessitatem inferre. Et secundum qua ait, duas prædestinationes non esse. Et quartam qua definiuit, prædestinationem vt charitatem non esse geminam vel duplam, vel multiplicem, & pluralitate carere, excepto quod charitatem superius inter exempla quæ de substantia Dei intelligi voluit, non nominauit. Et manifeste sicut beatus Ioannes Apostolus docet, Deus charitas est, ita vt secundum regulam fidei veræ rectissime dicamus esse charitatem Dei, & charitatem in Deo, & esse charitatem Deum. Quæ tamen charitas quia in Deo substantia est, sicut veritas, iustitia, bonitas cum de Deo intelligitur, non dicitur gemina, quia est in eo substantialiter vna: & simplex. Et ideo nec dupla nec triplex dici potest, quia non duplicatur nec triplicatur diuina substantia, id est ipsa deitas, ipsa veritas, ipsa charitas, Deus Trinitas. Non enim minor est ibi in vno, quam in tribus; nec maior in duobus vel tribus quam in vno, sed quanta est deitas, veritas, charitas, in vna persona sanctæ Trinitatis tanta est in duabus, tanta in tribus: Id est perfecta in singulis, perfecta in omnibus. Quia & pater perfectus Deus, & filius perfectus Deus, & Spiritus sanctus perfectus Deus: Et hi tres vnus perfectus Deus. In nobis vero hæc charitas, non est substantia sed donum Dei, sicut Apostolus dicit? Quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis. Et ideo potest in nobis esse & gemina & duplex, propter duo præcepta ipsius charitatis videlicet Dei & proximi, quæ vtique in nobis duplicem gignit affectum, vt diligamus Deum ex toto corde, & proximum sicut nosmetipsos.

Et quia per ipsum donum charitatis multiplicia & innumera bona operatur Deus in sanctis suis, dicitur in scripturis etiam multiplex. Ipsa est enim & gratia Dei de qua beatus Petrus Apostolus dicit, vnusquisq; sicut accepit gratiam in alterutrum illam administrantes sicut boni dispensatores multiformis gratiæ Dei. Quod autem pluralitate careat charitas, nec plurali numero nec in Deo, nec in nobis in scripturis dicta inueniatur, quis nesciat? De eo autem quod dicit prædestinationem non recipere pluralem numerum, sicut nec charitatem, iam superius satis dictum, nec assidue repetendum est. Nam & illud quod in prima ex his propositione prædestinationem Dei substantiæ Dei comparat, immo substantialem Dei esse dicit, iam supra vt potuimus tractatum est. Et quod affirmat ipsam Dei prædestinationem nullum cogere, nullam necessitatem inferre, si ita hoc dicit quod prædestinatione sua omnipotens Deus neminem cogit ad malum, vt malus sit & aliud esse non possit, recte omnino dicit, sin autem propterea hoc suspense & inexplicate posuit vt diceret ipsam prædestinationem nullum cogere, nullam necessitatem inferre, nec addidit, ad quod cogere vel cuius rei necessitatem inferre, vt malos in sua malitia vsque in finem perseuerantes, neget iusto iudicio prædestinationis diuinæ æterno iudicio puniendos: sicut magis ex omnibus quæ superius dixit verum esse apparet manifeste diuinam prædestinationem in parte accipit, & in parte negat: vt eadem Deus prædestinatione sua iustos præparauerit ad regnum, reprobos vero non præordinauerit ad supplicium. Restat tertia propositio quam hic posuit & definiuit, mortem, peccatum, miseriam à Deo non esse. Et de peccato quidem sicut fides vbique Catholica tenet, recte dixit quod à Deo non sit: quia nec voluit, nec præcepit nec impulit hominem ad peccandum: Immo & antequam peccaret prohibuit eum à peccato, & mortis supplicio terruit ne peccaret: Et post peccatum quasi suæ voluntatis rebellem & contrarium iuste puniuit. Et deo peccatum non est à Deo, qui hominem rectum & sine peccato condidit: sicut Ecclesiasticus dicit: solummodo hoc inueni quod fecerit Deus hominem rectum, & ipse se infinitis miscuerit quæstionibus, sed ab illo est initium peccati qui & primus peccauit in cœlo, & post ea hominem vt peccaret decepit, & decipiendo occidit in paradiso: sicut beatus Ioannes Apostolus testatur quoniam ab initio diabolus peccat. Et ipse Dominus docet dicens: Ille homicida erat ab initio & in veritate non stetit, quia veritas non est in eo. In eo enim quod in veritate non stetit, perdidit seipsum: In eo autem quod peccatū homini propinauit, occidit hominem. Et sicut primus peccator, ita & primus factus est homicida: quia anima quæ peccauerit, ipsa morietur, vnde & ipse in scripturis dicitur habere mortis imperium: non quod eius potestate, sed quod eius maligna inuidia mors inuaserit, & oppresserit omne genus humanum, vnde dicit scriptura. Inuidia diaboli mors introiuit in orbem terrarum: imitantur autem eum qui sunt ex parte ipsius. Hunc eius impium principatū Dominus sua morte destruxit, sicut de eo Apostolus dicit, vt per mortem destrueret eum qui habebat mortis imperium, id est diabolum. Ipse est enim agnus Dei qui abstulit peccatū mūdi. Et ideo bene dixit iste disputator peccatum non esse à Deo. Et tamen hoc ipsum superflue posuit cum de prædestinatione diuina definiret, quia nemo fidelium dicit, Deū peccata prædestinasse. Quod autem adiunxit mortē & miseriā similiter non esse a Deo, manifeste scripturæ contradicit dicenti: bona & mala: vita & mors: paupertas & honestas à Deo sunt. Sed quia iterum scriptura dicit Deus mortem nō fecit nec lætatur in perditione viuorū, vigilanter nobis quærendū est quomodo vtrumq; fideliter intelligendum sit: videlicet & quod Deus mortē non fecit: Et quod mors & vita à Deo sunt. Ita ergo vtrumq; recte intelligi potest. Quod Deus mortem non fecit qui hominē immortalem si non peccasset creauit. Et iterum mors à Deo est: quia peccantem hominem iusta morte

damnauit, sicque mors non est ab illo creatione: Et tamē ab illo veraciter est vltione, sicut autem mors ista corporalis, quæ & prima intelligitur à Deo est, quia ab eo peccanti homini iuste est inlata: Ita & mors secunda in gehenna homini permanenti in peccatis ab illo iuste est inferenda. Ideo & hæc & illa, id est, & prima quæ animam diuidit à corpore. Et secunda per quam, vt dictum est, & anima & corpus perditur in gehenna, quia est vtiq; iusta, & iusto Dei iudicio homini inlata vel inferenda adeo est. Inde & alibi eadem scriptura dicit de præsenti vtique morte corporali, noli metuere iudicium mortis, memento quæ antea fuerunt, & quæ superuentura sunt tibi. Hoc iudicium à Domino omni carni. Et iterum. Ignis, grando, fames, & mors, omnia hæc ad vindictam creata sunt. Et quomodo fames & mors creata: non vtique aliqua forma vel formatione vt existerent condita, sed in occulto
B
dispositionis Dei ad eius vindictam præparata: vt inde eorum in manifestum, prolatio velut quædam videatur esse creatio. Et iterum eadem scriptura dicit: mors, sanguis, contentio, & romphæa superueniens fames, contritio, & verbera: super iniquos creata sunt hæc omnia, & propter illos factus est cataclysmus. Cum ergo mors hominis ex iusta & diuina vltione veniens tam aperte dicatur, & tam veraciter intelligatur in scripturis esse à Deo: vnde & beatus Helias pro filio viduæ apud quam hospitabatur defuncto supplicans dicebat Deo: Domine etiamne viduam istam apud quam ego vtcumq; sustentor afflixisti, vt interficeres filium eius. Et Dominus in Euangelio aperte dicit, Timete eum qui postquam occiderit, ha-
C
bet potestatem mittere in gehennam, intelligatur aperta scripturæ veritas, & conticescat vanitas. Sicut ergo mors quæ est vtique pœna peccati: Ita etiam omnis miseria laborum, tribulationum & calamitatū quæ consecuta sunt hominem post peccatum, quia diuina dispositione & iudicio & inlata & inferuntur recte scriptura dicit esse à Deo, sicut aperte ea testimonia quæ posuimus, ostendāt. Et ideo sicut vere peccatum quod contrarium est iustitiæ Dei, non est a Deo, ita vere pœna peccati. Id est mors & omnis ista calamitas & miseria quæ cōsecuta est, quia iusto iudicio Dei competunt & iusta eius vltione inferuntur, à Deo esse scriptura attestante recte intelligūtur. vbi etiamsi diabolus & cæteri angeli maligni aliquid agunt ministri sunt diuinæ vltionis vtque vindictæ non iudices vel authores, sicut manifeste libri beati Iob historia ostē-
D
dit, in qua plenissime ostenditur quod non solū vt ipsum vulnere pessimo à planta pedis vsque ad verticem sauciaret, vel filios eius concussæ & corruentis domus oppressione occideret, & copiosam eius familiam vel gladio irruentium prædonum, vel de cœlo veniente igne consumeret, sed nec ipsa eius pecora & animantia contingere ausus est, nisi prius permittente sibi Domino & dicente. Ecce vniuersa quæ habet in manu tua sunt: verum tamen in eum ne extendas manum tuam. Et iterum: Ecce in manu tua est: verum tamen animam illius serua: vnde & ipse vir sanctus, & diuina sapientia repletus cum illi hæc omnia accidissent non ea deputauit diabolo, quia executor fuerit illius calamitatis, sed ad Deum & ad iustum iudicium eius omnia fideliter & humiliter cum gratiarum actione retulit dicens: Dominus dedit, Dominus abstulit, sicut Domino placuit, ita factum est, sit nomē Domi-
E
ni benedictum. Similiter & in Euangelio, cum ejcerentur ab homine quem obsederat legio dæmoniorum, habuerunt potestatem introeundi & perdendi gregem porcorum nisi ab illo permissi cum dolentes trementesque dicebant, si ejcis nos, mitte nos in gregem porcorum. Et ille dixit eis, ite. Inde est, quod etiam in Psalmo vbi narrantur plagæ & calamitates quibus Ægyptus pro sua impietate Deo iuste vlciscente, & Moyse famulo suo mediante ac ministrante percussa est manifeste scriptura etiamsi ministerio angelorum malorum aliqua horum eis inflicta sunt, omnia ad Deum referens dicit: Conuertit in sanguinem flumina eorum, & imbres eorum ne biberent. Misit in eos cœnomiam & comedit eos, ranam &

A
disperdidit eos. Et dedit ærugini fructus eorum, & labores eorum locustæ. Et occidit in grandine vineas eorum, & moros eorum in pruina. Et tradidit grandini iumenta eorum, & possessionem eorum igni. Misit in eos iram indignationis suæ, indignationem & iram & tribulationē, immissiones per angelos malos. Et in alio Psalmo cum impetum ignium & grandinum, tempestatum & procellarum replicaret, quibus tot naufragia & euersiones & vastitates fiunt in mundo, similiter omnia referens ad Deum dixit: Ignis, grando, nix, glacies, spiritus procellarum quæ faciunt verbum eius. Quarto capitulo posuit definitiones quinque hoc ordine. Tres hæreses, vnam Pelagianorum liberi arbitrij sine gratiæ commendatione. Alteram gratiæ solius. Tertiam Gotescalcanam præde-
B
stinationibus necessitates etiam inferentem: substantiam hominis esse tria. Id est, esse, velle, scire. Et hæc peccando non amisisse. Nullam naturam posse perire, nec liberam voluntatem eum perdidisse, id est naturam suam. Libertatem homini post peccatum remansisse: vigorem & potestatem eius perdidisse. Ea semper naturā inchoare posse, & perficere non nisi per gratiam. De tribus hæresibus quas dicit, primum, id est, Pelagianorum, qui liberū arbitrium sine Dei gratia homini ad salutem posse sufficere dixerunt bene nouit & condemnat Ecclesia sequens vocem Domini suam gratiam in omnibus commendātis atque dicentis: Qui manet in me & ego in eo, hic fert fructum multum, quia sine me nihil potestis facere. In eo enim quod ait: Qui manet in me, & ego in eo, hic fert
C
fructum multum, declarat gratiæ beneficium, quam in illo manētes, ex illo accipiunt, vt fructificare possint Deo, sicut palmes accipit ex radice vitis. Quod autem subiunxit, quia sine me nihil potestis facere, manifestissime ostendit, liberum hominis arbitrium absque adiutorio gratiæ suæ ad boni operis fructum nihil posse. Secunda hæresis quam dicit esse gratiæ solius: Quæ sit vel fuerit in Ecclesia, quæ ita prædicauerit sola Dei gratia hominem saluari, vt liberum hominis negaret, vel destrueret arbitrium nobis minime compertum est. Nam antiquissimi & impiissimi illi hæretici Marcion, & Valentinus, & Manichæus qui vel duo vel tria principia introduxerunt, & ideo duas naturas vel angelorum vel hominum asseruerunt, id est vnam bonam & alteram malam: illam ita esse bonam vt aliud esse non possit: Istam è contrario ita esse malam, vt similiter aliud esse non possit, nihil omnino
D
de gratia Dei dixerunt, sed solam naturam naturaliter vel bonam esse vel malam stultissime defendere conati sunt. Cum Ecclesia Catholica leges & Euangelij fideliter doctrinis instructa atque munita vnam tantummodo agnoscat & prædicet omnium creaturarum cœlestium & terrestrium, visibilium & inuisibilium esse principium sanctam videlicet Trinitatem, patrem & filium & Spiritū sanctum vnum Deum, ex quo omnia, per quem omnia, in quo omnia. Et nullam omnino naturam nisi ab eo, id est optimo conditore esse. Et ideo omnem naturam, in quantum natura est, bonam esse, nec malam naturæ naturam, sed vitium naturæ esse, sed quia mutabilis facta est ista natura in creatura angelica & humana, & à bono in quo condita est, suo vitio potuit labi ad malum & à malo in quo lapsa est quantum pertinet ad humanum
E
genus quod Dei miseratione saluatur posse surgere & reformari ad bonum. Quantum vero pertinet ad partem angelorum malorum & perpetuo iudicio damnatorum sic lapsos esse superbiendo à Deo, vt nullo iam mereantur remedio instaurari, non solum perdita in qua conditi fuerant bona voluntate, sed terribili iudicio conditoris, etiam ipsius bonæ voluntatis possibilitate priuati. Cum ergo & illi, de quibus, prædictum est, hæretici: naturam tantummodo vel defenderint quasi immutabiliter bonam, vel accusauerint quasi immutabiliter malam: Et ideo de gratia vel de libero arbitrio non appareat quomodo aliquid prædicare potuerint: Et è contrario Ecclesia Dei sic teneat sicut breuissime commemorauimus. Quæ est ista secunda hæresis tam incognita, tam noua

&

& inaudita, quæ libero arbitrio denegato solius gratiæ sit prædicatrix? Nisi quia (vt nobis videtur) disputator iste vel beatum Augustinum latenter quasi hæreticum accusat, eo quod manifeste iuxta veritatem scripturarum sola Dei gratia ostendat & doceat hominem posse saluari, nec ad ipsam salutem æternam aliquid humanum arbitrium posse, nisi per eandem gratiam fuerit reformatum, sanatum, illuminatum ac roboratum. Aut certe eos qui secundum eius venerabilem, & Catholicam doctrinam nunc de gratia Dei sentiunt & docent, quasi minus illius dicta intelligentes, hæreticos vocat, videlicet quasi ille non ita de libero arbitrio senserit, nec isti recte eius verba intelligant: Et ideo errent ex occasione verborum eius, dum ea aliter intelligũt, quam ille qui scripsit. Hac de causa nobis videtur quod callidissime omnino, & versutissime velut hæresim solius gratiæ posuerit, nec tamen auctorem, vel sectatores eius vlla significatione manifestauerit. Quod si ita est, quid aliud quam Ecclesiam nostri temporis simul cum eis qui illum ad talia instigant viperea subtilitate accusat. Et ideo si sint tales qui in partibus regni illius vbi iste impugnator veritatis non solum non arguitur, vel silentium ei imponitur, sed etiam laudi & honori maximo habetur, qui ei in talibus fauetãt maximè viri Ecclesiastici, Quis digne possit non dolere, & horrere istud contagij & pestilentiæ malum quod ab illis partibus tam effrenate & infrunite, tam impudenter & audacter contra cæteras partes Ecclesiæ Dei quietas inter se, & pacificas & tranquillas exsurgit, vbi tale monstrum, & prodigium iam dudum à fidelium auribus arcendum sedet & dispũtat, & congerit tot mendacia erroris, tot conuicia contra fidem veritatis. Et nulla pastorum Ecclesiæ vigilantia, vel corrigitur à talibus vel expellitur. Denique vt manifeste agnoscamus non eum de antiquiori aliqua hæresi dixisse quod solius gratiæ fuerit prædicatrix, non posuit hanc hæresim ante Pelagianam, sed postea, id est, à tẽporibus sancti Augustini vsque nunc. Nec potest inueniri toto hoc tempore quod fuit inter illum & nos, aliquam talem hæresim in Ecclesia extitisse, nisi quod vel ipsum, vt iam diximus, beatum Augustinum, vel nos qui eum sequimur, istius erroris accusat. Tertiam hæresim ponit prædestinationibus necessitates & vim inferentem. Cuius vt sibi videtur auctorem non tacet, vocans eam Gottescalcanam à quodã videlicet miserrimo & infœlicissimo monacho iam dudum (illic ne scimus quo ordine) damnato, & annis iam plurimis carcerali ergastulo retruso nomine Gotescalco, quasi aliquid tam grande, & periculosum contra fidem Catholicam, dicere præsumpsit vt necessario synodali iudicio tali ac tanta damnatione plecteretur, profecto dignum fuerat iuxta antiquum Ecclesiæ morem, vt tantus error propter cautelæ studium ne eo plures inficerentur cæteris Ecclesiis in diuersis regni partibus cõstitutis, etsi non in initio quando tantum malum est deprehensum: vel in fine quando tanta est seueritate damnatum saltem postea per literas synodicas & Ecclesiasticas ad omnium fratrum & coepiscoporum notitiam perferretur. Quod si more vt diximus, Ecclesiastico semper à patribus obseruato factũ fuisset, melius nunc sciremus & paratiores essemus ad redarguenda, & cõuincenda quę iste eum docuisse proponit dicẽs eum prædestinationibus necessitates & vim inferentem. Quod ergo de prædestinationibus velut pluraliter dictis eum accusat manifestum est, sicut iam in multis superius demonstrauimus, quod non ei tãtum displiceat huius nominis, id est, prædestinationis pluralis numerus, quantum ipsius prædestinationis vere pluralis, id est, duplex effectus: tam videlicet vt frequenter diximus, & ex scripturis sanctis ostendimus in præparatione electorum ad vitam, quam in præordinatione reproborum ad pœnam. Quod vt iste contra fidem Ecclesię denegaret, tantum, & tam laboriosum laborem assumpsit, vt nouis argumẽtationibus nobis persuadere

A conetur prædestinationem esse substantiam Dei, immo ipsum Deum esse prædestinationem, & ideo pluraliter de ea non debere sentiri: videlicet vt in parte tantum electorum sentienda sit prædestinatio: In parte autem reproborum minime. Et ex hac occasione vt iustam reproborum prædestinationem, ad supplicium æternum euacuet, in tantam prorupit audaciam, vt apertissime contra fidem & veritatem scripturarum asserere conaretur, quod sicut peccatum non est à Deo, ita & eius supplicium, id est omnis miseria & mors, quæ peccantem hominem consecuta est, non sit à Deo. Cum manifeste à Deo iuste damnante & iudicante & miseria laborum, & sudorum peccanti homini inflicta sit, & ipsa laborum omnium extrema mors dicente Domino ad eum de miseriis vitæ laboriosæ: maledicta terra in opere tuo: In la-
B boribus comedes ex ea, spinas & tribulos germinabit tibi, & comedes herbas terrę: In sudore vultus tui vesceris pane, vbi statim de extrema mortis pœna subiunxit: donec reuertaris in terram de qua sumptus es: quia puluis es, & in puluerẽ reuerteris. Sed & mulieri quæ ante virum suum peccauit, Ipsius peccati pœnam propriam præter eam quæ ei cum viro communis est, confestim irrogando ait: Multiplicabo ærumnas tuas, & cõceptus tuos, in dolore paries filios, &c. negando itaque in parte reproborum iustam diuini iudicij prędestinationem ad hoc deuolutus est, vt etiam omnes humanas miserias & ipsam mortem à Deo non esse, id est ad Dei iudicium non pertinere assereret, vbi si quæratur ab eo, vnde sit mors & miseria, si à Deo non est, quid aliud restat nisi vt
C cõtra omnem veritatem respondeat aut à nullo esse, aut à diabolo esse: Cum à nullo ea esse dicere insanissimum sit, Diabolus autem causas peccandi tantummodo suaserit, vltionem vero peccati non ipse, sed iustus iudex intulerit. Quod autem dicit præfatum Gottescalcum prædestinationibus necessitates & vim inferentem: si ita hoc dicit, quasi illa prædestinatio reproborum ad interitum alicui eorum vim, & necessitatem imponat ad malum, id est, vt ineuitabiliter mali sint, & omnino aliud esse nõ possint, hoc omnino alienum est à fide Catholica: Quia omnipotens Deus qui neminem vult esse malum, maius absurdum & impium est, vt dicatur quod aliquem cogat & compellat esse malum. Et de quo scriptum est: iustus Dominus iustitias dilexit, aliquem
E compellat esse iniustum. Sed hoc agitur nunc omnibus reprobis de peccatis eorum, & supplicio extremo, quod actum est in primo homine peccante iudicio primo: vt sicut ille nulla Dei impulsione, vel compulsione, aut prædestinatione compulsus est, ad peccandum, sed sua tantum sponte peccauit: Iudicium tamen & damnationem ipsius peccati nolens inuitusque suscepit, quod fuit supplicium hominis primum, ita & omnis reproborum multitudo quæ ex illa damnatione descendit, non Dei prædestinatione compellitur ad peccandum, cum Deus nulla peccata prædestinauerit, sed tamen ipsius diuinæ prædestinationis iusto & æterno iudicio compellitur ad luendum supplicium, recipiens à Deo vim & necessitatem iustæ damnationis, quæ nulla habuit vim aut necessitatem perpetrandæ iniquitatis, neque enim
F illi qui à sinistris stabũt in iudicio, & puniendi sunt igne æterno volentes suscipient tale supplicium: sed vtique nolentes & inuiti, & irremediabiliter dolentes ac trementes diuinæ maiestatis nutu, & Angelico ministerio illuc præcipitabuntur: Sicut Dominus aperte in Euangelio dicit: sic erit in cõsummatione seculi exibunt Angeli & separabunt malos de medio iustorum, & mittent eos in caminum ignis, illic erit fletus & stridor dẽtium. Istis namque messoribus & ministris Angelis, quando venerit messio, id est sæculi consummatio ab ipso iudice dicetur: Colligite zizania & alligate ea in fasciculos ad comburendum, triticum autem congregate in horreum meum. Ecce qualem vim & necessitatem diuinæ prædestinationis, erga reprobos Ecclesia Dei iuxta Euangeli-

Notet hoc

eam veritatem credit, id est, vim & necessitatem iudicij, non vim & necessitatem peccati. Qui autem vim & necessitatem peccandi Deum intulisse homini vel inferre dicit, manifeste horribiliter in Deum blasphemat quem ad peccata compellando vtique auctorem peccati esse confirmat. Hoc igitur modo nos secundum veritatem Dei, de reproborum prędestinatione sentimus: fideliter eum confitentes non peccati eorum, sed iusti supplicij auctorem: Et ideo quod iste delirat quasi huius prædestinationis prædicatio, necessitatis ad peccandum sit irrogatio quam sit calumniosum & vanum putamus quod ex his quæ dicta sunt omnibus clareat. Posthæc iste subiungit: substantiam hominis esse tria, id est, esse, velle, scire: Et hanc peccando non amisisse. Nos autem substantiam hominis non aliud esse dicimus, nisi quam scriptura diuina in principio conditionis humanæ demonstrat dicens: Formauit igitur Dominus Deus hominem de limo terræ, & inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ, & factus est homo in animam viuentem. Hæc est enim substantia hominis qua subsistit & viuit, sicut docti indoctique nouerunt, anima, scilicet, & corpus sibi vitaliter connexum: sed corpus de limo terrę, anima ex inspiratione Dei. His constat & ita factus est homo in anima viuentem. Cum ergo ita doceat diuina auctoritas, & ita teneat Catholica veritas, quid sibi vult ista superfluitas substantiā hominis esse tria, id est, esse, velle, scire, cum manifestum sit substantiam hominis non tria esse, sed duo quædam, id est, vt iam diximus, animam & corpus. Sed iste prætermisso corpore quod naturaliter ad substantiam hominis pertinet, substantiam hominis esse dicit, esse, velle, scire, quæ vtique in sola anima consistunt. Quasi substantia hominis non sit nisi anima sola. videtur tamen ex disputationibus sancti Augustini in libris de Trinitate, occasionem dicendi ista sumpsisse, sed absit vt tantus doctor tam absurdo vnquam dixerit & imperite, vt cum substantia hominis sit anima & corpus, ille definierit substantiam esse hominis, esse, velle, scire Non ergo ait, sicut manifestum intelligere potest qui dicta eius in eisdem libris diligentissime legerit, & perpenderit, substantiam esse hominis hæc tria, id est, esse, scire, velle. sed in substantia esse hominis non exterioris, sed interioris, id est in mente rationali, vbi creatus est homo ad imaginem & similitudinem Dei. Docens ea esse in ipsa mente rationali, & intellectuali naturaliter & substantialiter à Deo insita, vnde & rectissime in eisdē disputationibus dicit hæc tria vnus cum ipsa, & in ipsa mente esse substātiæ. Qua videlicet ipsa mens sicut substantialiter habet esse, ita substantialiter habet velle: Id est, substantialiter & naturaliter habet scire posse & velle posse. Magnum est vtique bonum istud naturæ ab optimo conditore bene & mirabiliter conditæ. Sed si hoc solum habeat mens hominis vt possit esse, possit scire, possit velle, & non habeat ex dono eiusdem conditoris sui vt possit bene, & beate esse, possit pie, & recte de auctore suo scire, possit amando illū cū illo esse velle, quid ei proderit ei habere esse, scire, velle, cum totum hoc malo suo habeat, si illud donum creatoris sui non habeat, habebit enim esse infœliciter, scire fallaciter, velle perniciose & nequiter, sicut etiam Angelica natura in diabolo, & Angelis eius damnata, vtique habet hæc tria in substantia sua spirituali, id est, esse, scire, velle: sed tamen esse ei pœnale est: scire autem & velle totum ad errorem, totum ad malum conuersum est. Quid est ergo quod iste gloriatur naturam humanam peccando ista non amisisse, id est, vt possit esse, scire, velle, cum omnium horum bonum, & fœlicitatem omnino amiserit, esse incipiens misera ex beata, scire amittens diuina, & velle perdens cœlestia: nisi quantum postea adiuuit & erexit grâtia conditoris, vt amissa bona recognosceret, recognita doleret, dolendo & pœnitendo diuinum auxilium imploraret. Atque ita quod amiserat suo vitio diuina bonitate reciperet. Propterea igitur ineffabilis misericordia conditoris non abstulit ei etiam post peccatum, hæc naturalia beneficia, id est esse, scire, velle; vt haberet cui misereri potuisset, si enim post peccatum noluisset eum esse, simul vtique cum ipso & in ipso periret, & scire, & velle, voluit itaque eum esse, vt haberet cui misereretur, voluit eum scire, vt haberet quem sua cognitione illuminaret: voluit eum velle, vt haberet quem suo amore beatificaret. Ita & diabolus qui creaturam Dei disperdere voluit, remansit victus, & creatoris bonitas & misericordia permansit inuicta. Sed iste cur hoc proposuerit, ex sequentibus eius propositionibus manifestius apparebit. Subiunxit enim statim post istas duas propositiones sibi cohęrentes, & ait: nullam naturam posse perire, nec liberam voluntatem eum perdidisse, id est, naturam suam. In quibus verbis quod definiuit nullam naturam posse perire: quod vtique generaliter de omnium rerum natura dixit, vnde didicit, aut vnde verum esse ostendit; cum manifeste omnis rerum natura sicut voluntate creatoris potuit, ex nihilo subsistere vt esset quæ ante non erat: ita etiam si ipse velit, possit perire & redire in nihilum vt non sit. Hoc namque & scriptura ostendit dicens de magnitudine & potentia creatoris: Excelsior cœlo est, & quid facies? profundior inferno, & vnde cognosces? Longior terra mensura eius & latior mari, si subuerterit omnia, vel in vnum coarctauerit, quis resistet ei? aut quis dicere ei potest, quare ita facis? Certe omnipotens conditor cum propter nimiam malitiam, & impietatem hominum pararet delere mundum diluuio, attestante scriptura sic ait: Delebo (inquit) hominem quem creaui à facie terræ, ab homine vsque ad animantia, à reptili vsque ad volucres cœli. Et iterū: Repleta est terra iniquitate à facie eorum, & ego disperdam eos cum terra. Sicut ergo illo magno & horrendo diluuio magna ex parte natura mundi deleta est, & in deterius commutata, sicut dictum fuerat: Et ego disperdam eos cum terra, & omnis pene natura animalium quæ in mundo erant, id est, tam hominum quam pecorum aquis deleta est: etiamsi animæ impiorum qui tam horrendo supplicio interire meruerunt, reseruatæ sunt, & transierunt ad maius, id est, infernale supplicium: saluatis his solis qui tam exiguo numero in arca Dei misericordia liberati sunt: omne si ita vellet delere omnem naturam mundi & mundialium siue cœlestium rerum, facillime hoc posset admiranda potentia creatoris, sicut manifeste in libris Machab. quidam sancti viri contra aduersarios suos dimicaturi dixisse leguntur. Nos autem in omnipotenti Deo qui potest. & istos contrarios venientes, & vniuersum mundum vno nutu delere confidimus. Requirendum autem ab isto est, in illa vltima mundi conflagratione, de qua beatus Petrus Apostolus dicit, in qua *cœli magno* impetu transient, elementa vero calore soluentur, quid sentiat tunc futurum de quatuor mundi elementorum natura? Si enim sic permanebunt vt nunc sunt, quomodo est vera Apostolica ista sententia? sin autem maxima ex parte immutabuntur vel peribunt, quomodo est vera ista definitio, quod nulla possit perire natura? Certe quatuor vicissitudinum tempora quibus annus ducitur ac reducitur, id est. veris & æstatis, autumni & hyemis, habent proprie & distincte quidditatem naturæ suæ: sed cum fuerit cœlum nouum & terra noua, & cessauerit cursus iste solis & lunæ ac sydetum, quo nunc ad refectionem & quietem mortalium dies noctesque sibi continuatim succedunt. Et idcirco etiam illæ quatuor vicissitudines temporum quę solis cursu peraguntur, sicut nunc sunt, esse non poterunt, quomodo non peribit eorum natura? Sed & hoc interrogandus est, quid credat tunc futurum innouato cœlo & terra per ignem, & in aliam qualitatem quæ immortalibus sanctorum corporibus congruat, mirabiliter translatis; Quid, inquam, tunc futurum credas de vniuersa natura volucrum, quadrupedum, reptilium, natatilium: si enim

Sup.

2 Petr. 3. 10.

A enim illa tam immensa conflagratione penitus con-
summanda credenda sunt, quia iam nihil mortale ille
mundus innouatus recipiet, quomodo verum erit nul-
lam posse perire naturam? maxime cum & de ipso tan-
tæ immensitatis mari in illa tam mirabili rerum com-
mutatione scriptum sit: Et mare iam non est, si ergo di-
xisset iste humanam naturam non posse perire, vtcum-
que audiendus esset: non quia non possit Deus eam dis-
soluere, si velit: sed quia promissio Domini nostri irrita
esse non potest, quia ipse promisit dicens: Vestri autem
capilli capitis omnes numerati sunt. Et alio loco: Et
capillus de capite vestro non peribit. Cum autem gene-
raliter dicat, nullam naturam posse perire, attendat
quid etiam in natura rationali, id est diaboli & Angelo-
rum eius, actum sit diuino & terribili iudicio, qui nō so-
B lum velle bonum, sed etiam posse velle ipsum bonum
perdiderunt. Postquam autem dixit nullam naturam
perire posse, statim qui hæc omnia dixerit ostendens
subiunxit, nec liberam voluntatem hominem perdidis-
se, id est naturam suam, videlicet quasi illa falsa & falla-
ci argumentatione sua qua ait: nullam naturam posse
perire hoc nobis probauerit, quod homo peccando li-
beram voluntatem non amiserit: Eo quod secundum
istum, libera voluntate eius, ipsa sit natura eius. Nos au-
tem iuxta fidei Catholicæ veritatem dicimus quod na-
tura illius primi hominis à bono creatore ex toto bo-
no, & bona voluntate prædita condita sit, hoc est enim
quia creauit Deus hominem rectum sicut scriptura di-
cit, ita tamen vt non tantum naturali bono esset, in eo
C voluntas bona & libera: sed vt vere in eo quod conditus
fuerat stare posset, diuinæ gratiæ indigeret, & adio-
uaretur auxilio, vnde illa vox ex persona eius intelligi-
tur in Psalmo dicentis: Ego autem dixi in abundantia
mea non mouebor in æternum, vbi statim de casu suo
subiungit, & dolens dicit ad Deum: Auertisti faciem
tuam a me, & factus sum conturbatus. Quod enim in
abundantia erat, & bonæ voluntatis, & beatæ liberta-
tis ante peccatum ex Deo illi erat. Cui & dicit: Do-
mine in voluntate tua præstitisti decori meo virtutem.
Quod autem auertente Deo faciem suam ab illo, nec
eum vultu suo illuminante factus est conturbatus, me-
ritum ac pœna peccati fuit. Iste autem qui absque illo
diuinæ gratiæ adiumento in tantum in eo solum naturæ
D bonum prædicat, vt liberam voluntatem, nec peccando
illum amisisse contendat, ita vt etiam ipsam liberam vo-
luntatem naturam eius esse dicat manifeste Pelagiano
errore innoluitur, asserens hominem sola natura & ante
peccatum liberam voluntatem habuisse, & post pecca-
tum eandem liberam voluntatem eum non amisisse:
& ipsam liberam voluntatem naturam eius esse. Cum
profecto non fuerit libera, nisi quandiu Deo pie sub-
dita permansit bona, vbi autem Deum contemnen-
do, & mandatum eius superbe transgrediendo pecca-
uit, statim facta sit sub iugo peccati. Quia sicut ipse
Dominus dicit, omnis qui facit peccatum seruus est
peccati. Et itaque ante erat libera ad bonum: post il-
E lam miserabilem ruinam, per se ipsam non potuit esse
libera nisi ad malum. De quo profundissimo damna-
tionis malo nullatenus valet assurgere ad libertatem
bonæ voluntatis, nisi illo liberante qui ait: si vos fi-
lius liberauerit tunc vos vere liberi eritis. Iste autem
qui propterea eum putat non amisisse peccando libe-
ram voluntatem, quia cum ipsa bona & libera volun-
tate est conditus: Et ideo naturaliter ei inerat ipse bo-
næ voluntatis affectus, scire debet quod ideo condi-
dit omnipotens Deus, omnem rationalem creaturam
& hominum, scilicet, & Angelorum, bonam & recta
voluntate præditam, vt quamdiu seruaret suum ordi-
nem pie Deo subdita, & gratia eius adiuta, perma-
neret in ea dignitas sua, id est, & naturæ bonum & gra-
tiæ donum. Si autem contra creatorem superbiendo,
& de se potius præsumendo, desereret ordinem subie-

ctionis, & obedientiæ suæ continuo ipsius condito-
ris iusto iudicio. & dono gratiæ priuaretur, & natu-
ra in deterius conuerteretur: vnde in Psalmo scriptum
est, Homo cum in honore esset non intellexit, com-
paratus est iumentis insipientibus, & similis factus
est illis. Erat namque ante peccatum in honore na-
turæ bonæ à Deo conditæ: Erat in honore gratiæ si-
bi à Deo conlatæ: sed hunc honorem diuinæ bonita-
tis & gratiæ, vnde haberet non intellexit, cum de-
serto creatore de se præsumpsit, & suggestione serpen-
tis Deo similis tanquam sub nullo Domino esse con-
cupiuit, vnde & ipse merito à creatore desertus, to-
tus in deterius commutatus est, & anima videlicet &
corpore. Anima, quia amissa libertate bonæ volun-
tatis, & peccato dominante depressus, ea quæ sursum
sunt quærere cessauit, & infima velut bruto & pecu-
deo sensu appetiuit. Corpore vero, quia mortis con-
ditione damnatus vt in terram & puluerem, vnde sum-
ptus est, more iumentorum dissolueretur, iusti iudicij
sententiam excepit. Ecce ad quantum malum deuo-
luta est humana natura peccati merito tota in deterius
commutata, libertate ad bonum amissa, & ad solum
malum appetendum libera, nisi eius gratia sanetur &
redintegretur qui venit quærere & saluare quod per-
ierat. Angelica autem natura quantum in diabolo, &
Angelis eius deprauata, & horribiliter in deterius
commutata sit, amisso libero arbitrio ad bonum, vt
non solum ad illud vllatenus assurgere, sed nec velle
iam possint, & ad solum malum nunquam mutanda
malitia conuersi, quis digne possit expauescere, quan-
to minus verbis explicare? Nam & corporis natura
ipsa est & sana & ægrota: Sed quæ videt & viget bo-
no sanitatis, eius amissione in deterius versa grauā-
tur & affligitur morbo ægritudinis. Sed iste qui libe-
ram voluntatem, & liberum arbitrium ad bonum
non credit esse bonum humanæ mentis, sed ipsam men-
tem: neque esse in mente, sed ipsam mentem, vide-
tur occasionem sumere, sicut iam, & suprà diximus,
ex quibusdam verbis sancti Augustini in libris de Tri-
nitate, Cum ille veraciter omnino dicat, & mentem
& scientiam mentis qua se ipsam nouit: & voluntatem
mentis qua seipsam vult & diligit, vnam esse natu-
raliter substantiam, quæ & est existendo, & seipsam
agnoscit sciendo, & seipsam vult diligendo, vere enim
hoc totum & mens & scientia, & amor sui substan-
tialiter vnum sunt. Quæ tamen duo, id est, scientiam
& voluntatem mentis qua se ipsam nouit, & diligit,
non dicit ille esse mentem hominis, sed in mente ho-
minis. Et ideo huius disputationis manifestus est er-
ror. Quod cum de libero arbitrio disputatur quo libe-
ra hominis voluntate vel bonum vel malum appeti-
tur, non de illa voluntate agitur qua mens diligit
seipsam, sed de illa voluntate qua vel summum bo-
num diligit cum recta est, id est Deum: vel infimum
bonum cum praua est, id est, mundum. Hæc enim vo-
luntas cum vna sit natura. cum ea voluntate qua mens
diligit seipsam, multum tamen distat affectione: quan-
tum distat inter dilectionem sui, & dilectionem Dei,
& dilectionem mundi. Illa enim voluntate seipsum
amat. Ista voluntate vel Deum diligit super se, vel
mundum infra se. Quæ tamen voluntas vt diximus, na-
tura vna est, sed affectione efficitur diuersa. Et singu-
laris est, in dilectione sui, & multiplex in dilectione
rerum bonarum, vel malarum quibus trahitur siue
distrahitur. Et ideo cum illa voluntas naturæ, de qua
beatus Augustinus disputat, id est, qua mens diligit
seipsam, nihil pertineat ad liberum arbitrium quo vel
bona appetuntur, vel mala: sed tantummodo men-
tis sit, & ad ipsam referatur: nimis callide, vel nimia
stulte iste adiungit ei libertatem, & vocat eam libe-
rum arbitrium vel liberam voluntatem. Quod beatus
Augustinus nullatenus dicit, & absit vt diceret. Quis

enim nesciat hanc mentis voluntatem qua se ipsam vult & diligit, omnibus hominibus naturaliter esse communem, & semper liberam, semper liberi arbitrij ad seipsam amandam. Quæ enim mens in hominibus est nisi amentium & dementium, cuius voluntas non naturaliter velit, & mentem cui inest, & seipsam, esse, viuere, incolumem permanere. Adhæc omnium mentium voluntas est libera. Quid enim liberius tali voluntate, quæ mentem cui inest diligit esse, diligit viuere, diligit non perire: vel quid magis superfluum, & superuacuum, vt talis voluntas appelletur libera quæ nunquam potest esse alind ad diligendam se vel mentem cuius est. Aut vt eadem talis voluntas appelletur liberum arbitrium cum arbitrium esse non possit, nisi in diuersis rebus quæ discernendę vel diiudicandę, vel eligendæ siue reprobandæ sunt, voluntas vero mentis nihil inter se & ipsam diuersitatis inueniat, sed & se & ipsam semper æqualiter diligat, & naturali pace atque vnitate semper sibi cohæreant. Desinat itaque dicere cum de libero arbitrio hominis agitur, quo vel bona ad salutem, vel mala ad perniciem suam diligit, talem voluntatem mentis esse naturam. Quia licet ipsa sit mentis voluntas quæ & seipsam & hæc diligit, tamen alia affectione diligit seipsam, quæ ita naturalis est vt nunquam mutetur: Alia affectione diligit ista quæ omnino variatur & mutatur, dum ad bona, vel ad mala diligenda conuertitur. Nam si talis voluntas mentis qua non seipsam mens, sed alia vel bona, vel mala diligit, quibus aut beatificetur, aut misera efficiatur, natura esset hominis, sicut iste dicit, aut bona esset tantummodo aut mala, & ex alio in aliud mutari non posset. Hæc igitur voluntas, id est, talis affectio humanæ voluntatis iuxta veritatem scripturarum Dei à bono creatore bona & recta est insita homini cum crearetur, hæc, in illo cooperante Dei gratia, bona & recta permansit, quamdiu creatori piè obediuit. Sed quia & ipsa humana natura ab incommutabili creatore mutabilis condita est, & talis affectio mentis humanæ similiter mutabilis est, stetit in bono adiuuante Dei gratia, & cecidit ad malum occulto Dei iudicio eadem gratia deserta. Et (sicut sępissime dictum est) quæ erat libera ad bonum, amissa illa fœlici libertate, cœpit esse sub peccati misera seruitute. Adiungit ille quasi definiendo: Libertatis homini post peccatum remansisse vigorem, & potestatem eius perdidisse. In quibus verbis non est diutius morandum: Quia, sicut supra iam sæpius diximus, qui ante peccatum erat liberæ voluntatis, & naturę bonæ, & dono gratiæ ad summum & æternum bonum, ad quod conditus fuerat, amandum & desiderandum, quærendum, inueniendum & contemplandum, peccando cecidit à tanto bono, & factus est seruus peccati, sicut Dominus ipse testatur dicens: Omnis qui facit peccatum seruus est peccati: Et beatus Petrus Apostolus dicit: A quo enim quis superatur eius & seruus est. Ita amisso dono gratiæ vitiato & corrupto, & deprauato bono naturæ sic miserabiliter tanta fœlicitate lapsus est; vt ad illud bonum amandum & perfruendum cui inhærere debuerat, nullum possit habere recursum nisi per misericordissimi reconciliatoris & mediatoris auxilium, & sanguinis eius pretium à quo redimimur de tanta captiuitate vt recipere possimus pristinam libertatem, & de inimicis efficiamur amici. De quo mediatore scriptum est: Vnus enim Deus & mediator Dei, & hominum homo Christus Iesus, qui dedit semetipsum redemptionem pro omnibus. Et iterum, Cum inimici essemus reconciliati sumus Deo per mortem filij eius. Quicumque ergo dicit post illam transgressionis infœlicissimam ruinam, qua amissa pristina libertate factus est homo seruus peccati, factus est seruus eius à quo & superatus est, factus est inimicus Dei, & indiget vno mediatore & reconciliatore, per quem accipiat redemptionem à seruitute, & reconciliationem ad Deum; post hanc, inquam, tam magnam & miserabilem ruinam, quicumque dicit eum habuisse vel habere liberam voluntatem, ad verum bonum appetendum, amandum & promerendum, nisi per gratiam veri mediatoris redimatur, iustificetur, reconcilietur, & reformetur, omnino contra fidem Ecclesiæ sentit, contra veritatem Euangelicam & Apostolicam docet, & omnino quantum in se est, euacuator est crucis Christi, euacuator est mortis Christi. Quia si aliter homo post illud peccatum veram mentis libertatem habere aut recuperare potuit, nisi per redemptionem mortis & crucis Christi, sicut Apostolus ait ad quosdam, qui se aliter putabant posse iustificari, ergo Christus gratis mortuus est, & hæc est sapientia verbi, in qua euacuatur crux Christi: vere enim si post illud peccatum veram libertatem homo habere potuit, non indiguit redemptione, non indiguit redemptore; & superfluus est aduentus Christi, superflua est mors Christi. Quod autem dicit iste peccantem hominem non amisisse libertatem, sed ipsius libertatis vigorem & potestatem, non recte dicit, quia nec recte sentit: non enim bonum libertatis ex parte tenuit, & ex parte amisit: sed sicut vigorem & potestatem libertatis; ita ipsam perdidit libertatem, vt iam ipse ad verum bonum, vnde cecidit, liber esse non possit. Remansit autem liber ad malum: Quia sicut libera voluntate deseruit bonum: ita libera voluntate adhæsit malo. Habet itaque homo post illam damnationem liberum arbitrium, quo propria voluntate inclinari potest & inclinatur ad malum, habet liberum arbitrium quo possit assurgere ad bonum: vt autem assurgat ad bonum non est propriæ virtutis, sed gratiæ Dei miserantis. Nam & qui grauiter ægrotat, potest dici posse recipere sanitatem: sed vt recipiat sanitatem, habet necessarium medicamentum. Et qui mortuus est, potest dici posse resurgere, posse viuere, non tamen sua virtute, sed Dei: Ita & liberum arbitrium hominis semel sauciatum, semel mortuum potest sanari, non tamen sua virtute, sed gratia miserantis Dei. Et ideo recte omnes admonentur, recte omnibus verbum Dei prædicatur quia habent posse credere, habent posse conuerti ad Deum, vt verbo extrinsecus admonente, & intus Deo suscitante qui audiunt reuiuiscant: vt recte de huiusmodi homine dicatur, quia mortuus fuerat & reuixit: perierat & inuentus est. De hac possibilitate humanæ naturæ, quæ tamen nihil valet absque diuinæ gratiæ largitate, ita beatus Augustinus docet dicens posse habere fidem, sicut posse habere charitatem naturæ est hominum: habere autem fidem, sicut habere charitatem, gratia est fidelium. Sed cum voluntas credendi alijs præparatur, alijs non præparatur à Domino, discernendum est quid veniat de misericordia eius, quid de iudicio. Vniuersæ enim viæ Domini misericordia & veritas, inuestigabiles autem sunt viæ ipsius. Inuestigabiles igitur sunt, & misericordia quia gratis liberat: & veritas quia iuste iudicat, iste autem postquam insulse, & fallaciter dixit, post peccatum homini libertatem remansisse, subijcit aliam conclusionem, & ait: semper naturam inchoare posse, & perficere non nisi per gratiam. Quod si ita dicit quasi natura hominis per liberum arbitrium suum semper possit bonum inchoare, sed non nisi per gratiam Dei perficere, vt inchoatio tantum boni semper homini deputetur, Deo autem tantummodo eius perfectio: vt primam partem boni agendi sibi vendicet homo, secundam Deus. talis sensus omnino Pelagianus est, & contrarius Euangelicæ, & Apostolicæ veritati: Quia ipse Dominus, vt initium boni nostri ostendat non esse ex nobis, sed ex illo, ait: Non vos me elegistis, sed ego legi vos: Et Apostolus dicit fidelibus; Quia qui cœpit in vobis opus bonum, perficiet vsque in diem Christi Iesu.

Et ite-

Et iterum, Vobis donatum est pro Christo, non solum vt in eum credatis, verum etiam vt pro illo patiamini; Et beatus Ioannes Apostolus dicit: Non quasi nos dilexerimus Deum, sed quoniam ipse prior dilexit nos: Et misit filium suum propitiationem pro peccatis nostris. Et iterum beatus Paulus Apostolus ait: Per patientiam curramus ad propositum nobis certamen, aspicientes in auctorem & consummatorem fidei nostræ Iesum. Si ergo verè Catholici esse cupimus, totum fideliter diuinæ gratiæ deputare debemus: & initium videlicet boni operis nostri & finem. Quia sicut præmissis scripturæ sanctæ testimoniis clarissimè demonstratur, Dominus elegit sanctos suos, non illi eum. Deus in suis fidelibus, & incipit bonum & perficit: Ab ipso donatur fidelibus qui pro eo patiuntur & initium fidei & B finis martyrij. Ipse prior dilexit sanctos suos, vt & illi eum possent diligere. Et fides nostra Dominum Iesum habet auctorem eam in nobis inchoando; Et ipsum habet consummatorem perficiendo. Hæc ergo fideliter teneamus, vt in vera fide fundati, ab errore hæretico tuti simus: aut si istius verba alium sensum habent, ostendat ipse qui scripsit. Quinto capitulo huiusmodi propositiones ponit; per præscientiam & prædestinationem Dei neminem compelli: præscire ea etiam quæ non esset facturus, prædestinare tantum quæ esset facturus, sicut in præscientia & prædestinatione Dei causam non esse peccati, ita nec pœnæ eius, nec mortis. Deum sicut neminem compellat peccare, ita nec bene viuere. Si qua causa præcedat voluntatem, id est, naturam ad bona vel mala cogitanda vel facienda, C non esse naturam. Ex his quinque propositionibus iam tres superius prout potuimus satis tractatæ sunt, & ex superfluo repetendæ non sunt: id est prima & secunda & quarta. Restant ergo duæ, quas nunc primum posuit. In tertia itaque sic dicit: sicut in præscientia, & prædestinatione, Deum causam non esse peccati, ita nec pœnæ eius, nec mortis, quibus verbis nos respondemus. Quia si præscientia & prædestinatio Dei non est alicui causa peccati, sicut omnino verum est; Ergo eadem diuina præscientia & prædestinatio non est iniusta, nec in aliquo vituperanda: Qua quia impios in sua impietate perseuerantes præsciuit & prædestinauit æternis suppliciis condemnandos: Quia sua præscientia & D prædestinatione omnipotens Deus non eis existit causa peccati, sed iustus vltor peccati: Nec eos impellit ad peccandum, sed iustè tradit ad luendum supplicium, præscit ergo sicut verè & verus Deus hominum futura peccata. Vnde & scriptura dicit: Deus æterne, qui occultorum es cognitor, qui nosti omnia antequam fiant: non vt ad peccandum sua præscientia aliquem compellat, sed vt ipsos peccantes sua æterna prouidentia iustè ordinet vel condemnet. Prædestinatione etiam sua, qua impios punire decreuit, sicut iam dictum est, non vt essent impij effecit, sed vt in ipsa impietate sua perseuerantes non essent impuniti, iustè constituit. Quod vero iste adiungit atque definit, quia sicut Deus sua præscientia & prædestinatione non est alicui causa peccati; ita nec causa sit pœnæ & mortis quæ peccato debetur, fideliter discernendum est. Quia videlicet homo peccando ipse sibi extitit, & existit causa pœnæ suæ, & causa mortis suæ. Et tamen quia omnipotens Deus iudex est iustus, licet non sit in eius præscientia, & prædestinatione, sed hominum meritis causa pœnarum & mortis: tamen est in eadem præscientia & prædestinatione æterna iustitia, quæ in sua impietate permanentibus & pœna inferatur & mors. Et ideo tali argumentatione sicut iste vult non destruitur prædestinatio Dei, qua impiis irrogat æterna supplicia. Quia si non est in eius prædestinatione vlla causa pœnarum, est tamen ibi iustitia, & iudicium iustè inferendarum pœnarum. Quinta propositio talis est, si qua causa præcedat voluntatem, id est naturam ad bona vel mala cogitanda vel facienda, non esse naturam: vbi mani-

A festè contra veritatem loquitur. Si enim nulla causa præcedit voluntatem hominis ad bona cogitanda vel facienda, vnde est in homine bona voluntas, id est, pia affectio vt possit aliquid boni cogitare vel facere. Neque enim à semetipso habet homo voluntatem bonam, de qua dicitur, pax in terra hominibus bonæ voluntatis: neque à semetipso habet efficientiam boni operis de qua dicitur: Gloria autem, & honor, & pax omni operanti bonum: sed ab illo hæc habet. De quo Apostolus fidelibus dicit: Deus est enim qui operatur in nobis & velle & perficere pro bona voluntate: ipse præuenit voluntatem hominis misericordia sua: sicut Psalmista dicit: Deus meus misericordia eius præueniet me: ipse inspirat homini gratiam cogitandi rectè: sicut Apostolus dicit: Non quod sufficientes simus cogitare aliquid à nobis quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est. Ipse ergo nobis est causa bonæ voluntatis: Ipse nobis est causa bene desiderandi & perficiendi: ipse nobis causa misericordiæ & gratiæ: Qua non solum bene velle, non solum bene agere & perficere, sed etiam bene cogitare possimus. Et non solum in præsenti hæc agit in electis suis: sed etiam ante mundi constitutionem prædestinauit illos gratia sua vt essent sancti & immaculati coram ipso: sicut Apostolus testatur dicens: Sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, vt essemus sancti, & immaculati in conspectu eius in charitate. Cum ergo tanta, & talis causa, quæ est vtique causa omnium bonorum, siue in condendis, siue in munerandis creaturis suis, sit nobis optima & æterna causa bonæ voluntatis præcedens nos gratia sua, vt bene velle & bene agere possimus, quomodo iste dicit, nullam causam præcedere bonā voluntatem, & bona opera nostra? Aut si præcedat hæc aliqua causa per quam fiant, ipsam causam non esse naturam: Cùm omnipotens Deus, qui bonæ voluntatis nobis est causa, ipse sit præ omnibus summa & optima natura. Qui ergo non credit hanc summam & efficacissimam causam, eandemque summam & optimam naturam præcedere voluntatem nostram vt rectè velle & rectè operari possimus, manifestè resistit veritati, & Pelagiani erroris esse conuincitur. Si enim hæc fœlix causa non præcederet hominum voluntates nulla esset prædestinatio bonorū, nulla redemptio miserorum, nulla remuneratio operum piorum. Ad mala autem cogitanda vel facienda, absit vt hæc summa & optima causa voluntatem nostram præcedat: præcedit tamen eam causa non efficiens, sed deficiens, id est summi boni desertio, & inferioris appetitio, cum ab amore Dei anima deficit, & ea quæ sunt inferius concupiscit. Ad hoc ergo delapsa humanæ naturæ voluntas efficitur mala, nullam aliam habens causam quia mala sit, nisi, vt dictū est; defectū à summo bono. Talis namque defectus voluntatis & Angelos fecit malos deserentes Deum, & hominem similiter malum inobedientē Deo. Talis autem defectus manifestè non est aliqua natura: Est tamen ipsius vel humanæ, vel Angelicæ naturæ deserens creatorem & defluens ad seipsum, vel etiam ad infimā crea- E turam. Et hæc est origo totius malæ voluntatis, totius prauæ cupiditatis & operis. Sed quamuis non sit Deus causa malis voluntatibus nostris, nec vlla natura subsistens, sed creaturæ rationalis adfectus ab amore conditoris deficiens, non tamen idcirco non est iudex & vindex ipsarum cogitationum nostrarum, & iustæ vindictæ ac iudicij sui prædestinatus æternus. Quod iste tantis ambagibus & argumentationibus euacuare contendit. Quod vero assiduè amat dicere ipsam voluntatem esse naturam, iam & supra admonuimus quod ex verbis S. Augustini huius erroris sumpserit occasionem: Dum quod ille tractat de voluntate mentis humanæ qua diligit semetipsam quæ semper vtique est bona, diligendo naturam suam, nec aliud vel aliter esse potest, iste contentiosè omnino transfert ad eam voluntatem de qua agitur, cum de libero arbitrio tractatur: Quia, sicut diximus, vna eademque voluntas mentis alia est, cum

A naturaliter diligit seipsum: Alia cum vel gratia adiuta diligit Deum, vel proprio vitio corrupta diligit mundum. Alia est autem & alia non naturæ, sed affectionis diuersitate: Et ideo potest esse & bona & mala secun-

Sap. 12. dum ea quæ diligit vel bene, vel male. Sexto capitulo definit: Nullum peccatum nullamque eius pœnam aliunde nasci nisi propria hominis voluntate libero male vtentis arbitrio: Et stultissimum esse, dubitare humanam voluntatem esse secundum naturam: Nec dubitari posse ipsam rationalem substantiam esse. Has tres definitiones quare posuerit, & quid ex eis efficere voluerit non satis apparet, nisi fortè quia præcipua eius intentio est in omnibus istis argumentationibus, vt vel liberum arbitrium secundum naturam defendat. quod

B est vtique Pelagianum, atque prædestinationem iusti iudicis Dei quantum in se est destruat, quod est Ciceronianum. Nam Cicero, sicut beatus Augustinus in libris de ciuitate Dei commemorat & ex ipsius Ciceronis verbis ostendit, in tantum conatus est diuinæ prouidentiæ dispositionem euacuare, vt non solum prædestinationem, sed etiam præscientiam Dei omnino negaret, hac quasi ratione volēs defendere liberum hominis arbitrium, atque ita auditores suos dum vult facere liberos, fecit sacrilegos, qui ita se existimarent absolutos sui arbitrij libertate vt in nullo essent obnoxij diuinæ dispensationis prouidentiæ: vel prædestinationem negantes Deo, quod summe ac propriè Dei est, id est

C præscientiam omnium futurorum, & prædestinationem dispositionum suarum. Quod quid est aliud dicere, quam Deum non esse Deum? quomodo enim verè Deus est, qui nullam habet præscientiam futurorum. Quod & nunc valdè timendum & cauendum est, ne per huiuscemodi contentiones & concertationes, dum in parte suscipimus & in parte negamus prædestinationem dispositionum Dei, nolentes homines quasi facere liberos, faciamus sacrilegos. Quia & hoc vtique ad fidem nostram pertinet, prædestinationem Dei, quæ vtique iusta est, in vtramque partem plenam & perfectam esse credamus. Quod quia contra fidem est, si negetur vtique sacrilegum est. Quia ergo, vt diximus, maxima huius intentio est vel liberum arbitrium se-

D cundum naturam defendere, vel prædestinationem iustitiæ Dei ex dimidia parte negare, potuit & has tres argumentationes velut in defensionem liberi arbitrij ponere. Quod ergo ait, nullum peccatum nullamque eius pœnam aliunde nasci nisi propria hominis voluntate libero male vtentis arbitrio, verum est quidem, quia hominis propria voluntate commissum est peccatum, & peccati merito consecuta est pœna, id est mors, miseria & supplicium. In hoc tamen plurimum distat inter peccatum & pœnam peccati: quod peccatum illud solus homo fecit: peccati verò pœnam & ipse meruit, & Deus iuste iudicando inflixit. Et ideo tali argumentatione nequaquam concludit vel ostendit iste quod vult: videlicet quasi nulla pœna peccati, nulla miseria, nullum supplicium, quæ peccantibus irrogantur,

E à Deo sint. Et ideo non potuisse à Deo prædestinari iniquorum æterna supplicia: quia ab ipso non sont, sicut peccatum, ita nec supplicium: Cùm sicut iam supra ostendimus, apertissimà contra hunc errorem scriptura clamet: Bona & mala, vita & mors, paupertas & honestas à Deo sunt. Non vtique illa mala quæ homines peccando & iniquè agendo committunt, quorum omnino author Deus non est: sed illa quæ propter peccata hominibus iusto Dei iudicio irrogantur, sicut fames, cædes, hostilitates, vastationes, & cæteræ ærumnæ

Amos c.3. 6 & clades: de quibus & Amos Propheta dicit: Si erit malum in ciuitate quod Dominus non fecit. Et ipse

Isa c.45 7. Dominus per Esaiam Prophetam ait: Ego Dominus faciens pacem & creans malum. Vnde de talibus malis quibusdam comminatur dicens: Et adducam super eos mala, annum visitationis eorum. Et iterum: congregabo super eos mala: Et sagittas meas complebo in eis.

A Quæ omnia Deus creare dicitur non quasi aliquam naturam condendo: sed ea iusto suo iudicio decernendo, instituendo & inferendo. Quomodo autem rectè Iere. 37 distinguere & intelligere debeamus secundum hunc sensum, quod Deus mortem non fecit, & tamen mors Deut. à Deo est; clarissimè beatus Augustinus exponit & 25. ostendit dicens: Iustum Dei iudicium est, vt peccato suo quisque pereat, cum peccatum Deus non faciat: sicut & mortem non fecit. Et tamen quem morte dignum censet, occidit. Vnde legitur, Deus mortem non fecit. Et legitur: mors & vita à Deo est. Quæ duo non esse inter se contraria profectò videt quisquis ab Sap. c. 1. operibus diuinis iudicia diuina discernit. Quia aliud est

B creando non instituisse mortalem, aliud iudicando plectere peccatorem. Quod autem subiungit iste, & dicit stultissimum esse dubitare humanam voluntatem esse secundum naturam: verum est quidem quod voluntas animæ rationalis secundum naturam & in natura est eiusdem animæ rationalis: sed sicut sæpe iam dictum est, eadem ipsa naturalis voluntas aliter intelligenda est, cum se vult & diligit, & ad se refertur, quam nemo dubitat semper naturaliter bonam esse: aliter verò cum vel Dominum piè diligit, vel peruersè mundum: & ad ea refertur quæ vel super se, vel infra se diligit. Et ideo iam talis voluntas non ad mentem suam cum naturaliter inest, sed ad aliud vel aliud quod extra substantiam eius est, relata, potest esse & bona & mala, non natura, sed af-

C fectione: videlicet aut rectè superiora diligendo quibus beatificatur: aut praue appetendo inferiora quibus corrumpitur. In qua re non iam sola est natura: sed aut virtus aut vitium naturæ: sed virtus ex diuinæ gratiæ infusione: vitium ex propriæ volūtatis deprauatione. Et hoc est liberum humanæ mentis arbitrium, cum ad illa vel illa appetēda affectus hominis inclinatur. Qui affectus nec extra naturam est: quia in vtramque partem spontanea voluntate mouetur, nec tamen solius naturæ est: sed vt ad bona moueatur, diuina excitatur & agitur gratia, vt verò ad mala, propria cupiditate deprauatur. Quod ideo in hoc loco breuiter & diligenter prout potuimus, demonstrandum putauimus, vt scienter discernatur & intelligatur quam absurdè & fallaciter natu-

D ralem tantummodo arbitrij libertatem iste vbique asserere conetur, propter illam humanæ mentis voluntatem, qua naturaliter diligit seipsam: nec attendit aut certè dissimulat nihil ad huiusmodi voluntatem pertinere cum de libero arbitrio agitur: sed ad illam quæ alio modo, alia affectione vel ad bona diligenda, vel ad mala appetenda aut diuina gratia adiuta aut suo vitio deprauata mouetur. Ac per hoc manifestum est quod eius tam contentiosa & peruicax intentio qua liberum Sap. 15. arbitrium naturaliter defendere conatur, manifestè cassa & irrita est. Quia licet in natura hominis, & voluntate humanæ mentis liberum consistat arbitrium, & naturaliter habeat posse bonum velle, posse rectè viuere, posse beatè esse, tamen vt ipsum bonum velit, vt rectè viuat, vt beata fiat non habet ex sua virtute, sed ex sola

E diuinæ gratiæ largitate. Sed quia iste tali argumentatione nos coarctare vult, vt aut diuinam prædestinationem ex dimidia parte negemus, aut eandem prædestinationem perfectè asserendo liberum videamur tollere arbitrium: sicut etiam Cicero disputabat diuinam præscientiam impugnando & negando, asserens quod si verè esset Dei præscientia non posset esse in hominibus liberum arbitrium, aut si esset in hominibus liberum arbitrium nullam esse Dei præscientiam, vnde & elegit ille impiissimus & detestabilis blasphemator Dei vt liberum hominis arbitrium defenderet, Dei præscientiam omnimodis denegaret. Quem iste quam magna ex parte in hac disputatione sua sequi & imitari videatur facile intelligit qui diligenter aduertit. Quia qui negat Dei præscientiam, negat etiam Dei prædestinationem, quæ sine præscientia nulla est. Vt ergo manifestius & lucidius intelligamus quomodo vtrum-

que

que verissimè constet, videlicet & diuina prædestinatio & liberum hominis arbitrium, nec omnino alterum altero destruatur, necessarium omnino & salubre existimamus in hoc loco ipsa verba sancti Augustini subiungere, quibus aduersus impiam Ciceronis disputationem vtrumque defendit, vtrumque tenendum suauissime docet. In has, inquit Augustinus, coarctat animum religiosum, vt vnum eligat è duobus, aut esse aliquid in nostra voluntate, aut non esse præscientiam futurorum: quoniam vtrumque arbitratur esse non posse: sed si alterum confirmabitur, alterum tolli. Si elegerimus præscientiam futurorum, tolli voluntatis arbitrium. Si elegerimus voluntatis arbitrium tolli præscientiam futurorum. Ipse itaq; ex his duobus elegit liberum voluntatis arbitrium: quod vt cõfirmaretur negauit præscientiam futurorum: atque ita dum vult facere liberos, fecit sacrilegos. Religiosus autem animus vtrumque eligit, vtrumque confitetur, & fide pietatis vtrumque confirmat. Item post aliquanta: Spiritus ergo vitæ qui viuificat omnia creatorque est omnis corporis & omnis creati spiritus, ipse est Deus spiritus vtique non creatus in eius voluntate summa potestas est, qua creatorum spirituum bonas voluntates adiuuat; malas iudicat, omnes ordinat. Et quibusdam tribuit potestates, quibusdam non tribuit. Sicut enim omnium naturarum creator est, ita omnium potestatum dator non voluntatum. Malæ quippe voluntates ab illo non sunt, quoniam contra naturam sunt quæ ab illo est. Et post aliqua: Causa, inquit, rerum quæ facit, nec fit, Deus est. Aliæ vero causæ & faciunt & fiunt, quomodo igitur ordo causarum qui præscienti certus est Deo id efficit vt nihil sit in nostra voluntate? cum in ipso causarum ordine magnum habeant locum nostræ voluntates. Item post pauca: Quod vero negat (inquit) ordinem omnium causarum esse certissimum & Dei præscientiæ notissimum, plus eum quam Stoici detestamur. Aut enim esse Deum negat, aut si esse confitetur Deum, quem negat præscium futurorum, etiam si nihil dicit aliud quã quod ille dixit insipiens in corde suo non est Deus. Qui enim non est præsciens omnium futurorum, non est vtique Deus. Quapropter & voluntates nostræ tantum valent, quantum Deus eas valere voluit atque præsciuit; Et ideo quicquid valent, certissime valent: & quod facturæ sunt, ipsæ omnino facturæ sunt: quia valituras atque facturas ille præsciuit, cuius præscientia falli non potest: si enim necessitas nostra illa dicenda est, quę non est in nostra potestate, sed etiam si nolumus, efficit quod potest, sicut est necessitas mortis, manifestum est voluntates nostras quibus rectè vel perperam viuitur, sub tali necessitate non esse. Multa enim facimus quæ si nollemus, non vtique faceremus, ad quæ primitus pertinet ipsum velle: nam si volumus, est, si nolumus, non est. Non enim vellemus si nollemus. Si autem illa definitur esse necessitas secundum quam dicimus necesse esse vt ita sit aliquid vel ita fiat, nescio cur eam timeamus ne nobis libertatem auferat voluntatis. Neque enim & vitam Dei & præscientiam Dei sub necessitate ponimus, si dicamus necesse esse Deum semper viuere & cuncta præscire, sicut nec potestas eius minuitur cum dicitur mori fallique non posse, sic enim hoc nõ potest, vt potius si posset minoris esset vtique potestatis. Rectè quippe omnipotens dicitur, qui tamen mori & falli non potest. Dicitur omnipotens faciendo quod vult, non patiendo quod non vult. Quod & si accideret nequaquam omnipotens esset. Vnde propterea quędam non potest quia omnipotens est. Sic etiam cum dicimus necesse esse vt cum volumus, libero velimus arbitrio, & verum procul dubio dicimus: Et non ideo ipsum liberum arbitrium necessitati subiicimus quæ adimit libertatem. Sunt igitur nostræ voluntates quæ & ipsæ faciũt quicquid volendo facimus, quod non fieret si nollemus, non ergo propterea nihil est in nostra voluntate quia Deus præsciuit quod futurum esset in nostra voluntate, non enim qui hoc præsciuit, nihil præsciuit. Porrò si

A illi qui præsciuit quid futurum esset in nostra voluntate, non vtique nihil, sed aliquid præsciuit, profectò & illo præsciente est aliquid in nostra voluntate. Quocirca nullo modo cogimur aut retenta præscientia Dei tollete voluntatis arbitrium: aut retento voluntatis arbitrio, Deum (quod nefas est) negare præscium futurorum, sed vtrunque amplectimur: vtrumque fideliter & veraciter confitemur: Illud vt bene credamus, hoc vt bene viuamus. Male autem viuitur, & de Deo non bene creditur. Vnde absit à nobis eius negare præscientiam vt libere velimus, quo adiuuante sumus liberi, vel erimus. Iustè itaque præmia bonis factis, & peccatis supplicia constituta sunt. Neque enim ideo peccat homo, quia Deus illum peccaturum præsciuit. Imò ideo non dubi- B tatur ipsum peccare cum peccat: quia ille cuius præscientia falli non potest, non fatum, non fortunam, non aliquid aliud, sed ipsum peccaturum esse pręsciuit. Qui si nolit, vtique non peccat: sed si peccare noluerit, etiam hoc ille pręsciuit. Hæc ad instructionem & confirmationem nostram contra humanę pręsumptionis & argumentationis errores beatissimus doctor lucidissime disseruit. Qui etiam alio loco de hac eadem re ita ait: Neminem Deus ad peccandum cogit, pręuidet tamen eos qui propria voluntate peccabunt. Cur ergo non iudicet iustus quę fieri non cogit præscius: sicut enim memoria sua nemo cogit facta esse quæ præterierunt; sic Deus pręscientia sua non cogit facienda quę futura sunt. Et sicut homo quædam quæ fecit meminit, nec tamen omnia quæ meminit fecit: Ita Deus omnia quorum ipse C auctor est, pręsciuit. Quorum autem non est malus auctor, iustus est vltor. Idem de immutabili ratione rerum mutabilium in Deo. Et de æterna eius in generali prędestinatione & pręscientia alio loco ita dicit: Ita Dei non perturbatio animi eius est, sed iudicium quo irrogatur pœna peccato. Cogitatio verò eius & recogitatio mutandarum rerum immutabilis est rectio. Non enim sicut hominem ita Deum cuiusquam facti sui pœnitet, cuius est de omnibus rebus tam fixa scientia quam certa præscientia. Septimo capitulo tamen definitionem ponit. Liberum arbitrium inter media dona Dei deputandum: ideoque & peccari potuisse. Vbi hoc breuiter di- *Cap. 14.* cendum & distinguendum est, quod iste licet donum Dei dicat esse liberum arbitrium, tamen naturale illud tan- D tummodo asserit more Pelagianorum: Cum fides Ecclesiæ multum distinguat inter dona naturæ, & dona gratiæ: vt quod dedit omnipotens Deus homini naturaliter mentem rationalem & intellectualem & in eadem mente memoriam, intelligentiam, voluntatem: quòd dedit etiam naturaliter corpori humano substantiam, formam, speciem, incolumitatem: sensum videndi, audiendi, olfaciendi, gustandi, tangendi, viuificante illud anima & sensificante, manifestè sint dona & munera naturę. Quę prima creatione Deus homini inseruit, & creando naturaliter dedit. Quod autem dat Deus homini fidem, spem, charitatem, pietatem, bonam voluntatẽ, boni operis facultatem, & cætera huiusmodi dona sitæ gratiæ, dona Spiritus sancti de quibus Apostolus dicit: Hęc autem omnia operatur vnus atque idem spiritus, di- E uidens singulis prout vult: de quibus etiam in Psalmo dictum esse exponit. Ascendẽs in altum captiuam duxit captiuitatẽ, dedit dona hominibus: Vnde & ipsum liberum arbitrium fides Catholica, fides vera inter dona gratiæ deputat: Quia licet naturaliter illud homini Deus inseruerit, quando eum creauit vtique bonum & bona voluntate præditum: tamen & tunc indigebat gratia conditoris, vt in bono quo creatum fuerat, permaneret, & primi illius peccati merito amissa libertate infirmatũ, vitiatum atque corruptum, & velut quadam ruina depressum, nullatenus valet assurgere ad illud ęternum & summum bonum ad quod homo conditus est, nisi Dei gratia sanetur, redintegretur, inluminetur & liberetur, nec potest omnino aliter fieri liberum, nisi fuerit Dei gratia liberatum, per eum qui dicit, Si vos filius libera-

uerit, tunc verè liberi eritis: vt fiat in nobis quod Apostolus ait: Vbi spiritus Domini, ibi libertas: & ideo, sicut diximus, insanus & Pelagianus est error si quis liberum arbitrium quod in Adam periit peccando amisso, & dono naturæ & dono gratiæ, aliter putat esse liberum nisi fuerit Christi gratia liberatum. Quod autem dicit iste illud liberum arbitrium bonum & rectum, & bona voluntate ad superna & diuina erectum quale in primo homine conditum fuit; ita vt esset sine vllo peccato, & posset non peccare, si vellet: Quod inquam tale & tam magnum bonum non inter summa, sed inter mediocria Dei dona esse asserit deputandum, multum à veritate discordat: Quia, sicut diximus, tantum ac tale erat in illo primo homine liberi arbitrij bonum, quale in nullo est sanctorum in præsenti vita: In quibus licet sit liberum arbitrium iam Christi gratia liberatum atque sanctum, tamē tanta est illa sanctitas, vt quādiu mortaliter viuūt, sine peccato esse non possint: Et cum multum velint atque desiderent non peccare, non possint tamen non peccare. Vnde & quotidie indigent supplicare, & veraciter dicere patri cœlesti; Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitorib. nostris. Non ergo mediū, sed summum donum erat secundum eum modum quo tunc homo in paradiso viuebat, liber à peccato, & libertatem non peccandi habens in propria voluntate, quamdiu piè Deo se subiiceret tegēdum atque iuuandum licet adhuc esset perficiendum in melius si in Dei obedientia permansisset, vt tantam virtutem acciperet, vt iam peccare non posset. Vt autem tale & tam liberum arbitrium in illo primo homine peccare posset, fecit hoc desertio Dei, & præsumptio sui: dum sub Deo esse negligēs, & in sua potestate esse volēs, amisit donū diuinę gratiæ, amisit bonum naturæ, & inuenit se sub damnatione miseriæ.

Cap. 15. VIII Octauo capitulo has definitiones ponit interioris hominis substantialem Trinitatem in essentia & voluntate & scientia contineri: nec aliud ei esse & velle, nec aliud velle & scire, sed hæc tria vnam naturam: totamque animæ naturam voluntatem esse: liberam voluntatem esse naturam hominis; eiusque liberum motum ac potestatem mouendi: quod sit liberum arbitrium hoc donum creatoris sicut * animale corpus potuit mori, (* enim.) quia adhuc non erat perfectum, id est spirituale, ita voluntas libera, adhuc animalis, merito quia mortalis, potuit peccare, quoniam adhuc non erat perfecta. Quæ vtique perfectio libertatis post mandati custodiam impleretur, dum ei peccandi volūtas penitus auferretur. Hunc motum nulli animalium præter hominem cōcessum, fitque talis differentia inter liberum hominis arbitrium, & eius substantiam, vt natura in voluntate rationali, liberum vero arbitrium in eius libertate, siue in motu liberæ naturaliter voluntatis, siue in munere intelligentiæ. Quę tria, id est liber motus, intelligentia, liberum arbitrium inter se componunt: vt sicut substantia in qua est, trina sit; est enim, & vult, & scit: Ita & illud trinum fiat liber, motus, intelligens. Quod ergo dicit, interioris hominis substantialem Trinitatem in essentia, & voluntate & scientia contineri, ex parte ex disputationibus sancti Augustini in libris de Trinitate sumpsit: ex parte de suo excogitauit. Dicit enim B. Augustinus de sancta & sūma Trinitate disputans, & de mente hominis vbi ad imaginem & similitudinem Dei conditus est, similitudinem ad Deum tradens vt per illam imaginem Trinitatis, quę est in mente hominis subleuaret nos ad cōtemplandum vtcumque Trinitatem quæ Deus est. Dicit inquam hæc tria id est, esse, nosse, & velle, ita in mente hominis inueniri, vt sic distincte tria sint, & substantia vnum sint; videlicet quando mens, quæ naturaliter est, naturaliter nouit se & naturaliter vult, id est diligit se, nec ad aliud tunc refertur eius notitia & voluntas, nisi ad se ipsum. Tunc enim licet distincte intelligantur hæc tria esse in mente, id est, esse, & nosse se, & velle se, tamen & ipsum esse natura & essentia mentis est. Et omnino naturaliter nouit se, & naturaliter vult se: Et tota est, & sicut tota

A habet esse, sic etiam tota se nouit, sic tota se vult & diligit. Et ideo tunc quanta est essentia eius, tanta est & notitia eius, & voluntas eius. Et ex hac comparatione admonet beatus Doctor, vt ex similitudine mentis nostræ exsurgamus ad contemplandam veram Trinitatem quæ Deus est: vt sicut hæc tria, id est esse, nosse se, & velle se, ita inueniuntur in mente hominis, vt & propriè singula discernantur, & tamen substantialiter & naturaliter vnum sint: Et quanta est ipsa mens, tanta tunc sit & notitia sui & dilectio sui, quia tota se nouit, tota se diligit. Ita ex hac imagine & similitudine Dei subleuemus intellectum ad ipsam Trinitatem Domini. Et agnoscamus in ipsa beata & summa Trinitate, distincte & propriè tria esse, id est Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum: Et B hæc tria essentialiter & naturaliter vnum esse, & æqualia esse, vt quantus est ibi Pater, tantus agnoscatur esse Filius, tantus & Spiritus sanctus. Sicque velut per speculum & in ænigmate mentis nostræ discamus intelligere sanctam Trinitatem distinctam personis, vnitam substantia, æqualem natura atque potentia. Iste vero cum hæc legisset tam vtiliter & salubriter ad illuminationem nostræ fidei dicta, non est contentus moderamine & pietate sancti doctoris ne terminos ab eo præfixos excederet, sed addidit ex suo quod hæc tria quæ in mente hominis contemplantur, Trinitas sit substantialis: Cum Trinitas substantialis & substantiua, quę substātialiter in personis consistat, nullatenus inueniri possit nisi vnus Deus. Vnde & idem doctor, ne quis erret in talibus, solliciè C admonet, & docet in eisdem libris, quod non homo sit hæc tria, sed hominis, vel in homine sunt hæc tria. Cum è contrario in sancta Trinitate illa tria quæ distincte ibi agnoscuntur, nullatenus debeant aut possint in vno Deo esse, sed vere vnus Deus esse. Neque enim Trinitatem dicimus esse in Deo, sed ipsam Trinitatem Deum. Sic enim ipse sanctus doctor dicit: Inuenimus in homine Trinitatem, id est, mentem & notitiam, qua se nouit, & dilectionem qua se diligit. Sed hæc tria ita sunt in homine, vt non ipsa sint homo. Homo enim est, sicut veteres definierunt, animal rationale mortale. Illa ergo excellunt in homine non ipsa sunt homo & vna persona, id est, singulus quisque homo, habet illa tria in mente. Ac per hoc illa tria non homo sunt, sed hominis sunt, vel in homine sunt, detracto etiam corpore si sola anima co- D gitetur aliquid, eius mens est tanquam caput eius vel oculus, vel facies. Sed non hæc vt corpora cogitanda sunt, non igitur anima, sed quod excellit in anima mens vocatur, nunquid autem possumus dicere Trinitatem sic esse in Deo, vt aliquid Dei sit, nec ipsa sit Deus? Iste vero postquam rectè substantialem Trinitatem in mentis essentia & voluntate & scientia contineri dixit, addit adhuc aliud peius dicēs de ipsa hominis mente, nec aliud ei esse & velle, nec aliud velle & scire, Totamque animę naturam voluntatem esse. Sed hæc tria vnam naturam. Cum è contrario firmissime fides teneat, nullam creaturam esse, id est, nec Angelicam nec humanam, quæ ita sit simplicis naturæ vel essentiæ, vt quod est ei esse, hoc sit intelligere: Quia videlicet potest esse, & non intelli- E gere: nec quod est ei esse, hoc est velle. Quia potest esse & non velle, nec hoc illi est esse quod nosse: quia potest esse & non nosse, nec hoc illi est esse quod diligere: quia potest esse & non diligere. Solius autem diuinæ naturæ est summa illa & ineffabilis simplicitas: vt quod est ei esse, hoc ei sit quicquid veraciter dicitur esse. Verbi gratia, quod est ei esse, hoc est intelligere: Quia non est in illo aliud essentia, aliud intelligentia: sed quod est essentia, hoc intelligentia, & quod intelligentia, hoc essentia. Similiter non est ei aliud esse, & aliud sapientem esse: Sed quod essentia, hoc sapientia: & quod sapientia, hoc essentia. De qua re idem beatus Doctor ita loquitur dicens; Si autem quæritur quomodo multiplex & simplex illa sit substantia, animaduertenda est primo creatura quare sit multiplex, nullo autem modo vere simplex. Et post aliqua: Etiam anima, inquit, cum aliud sit artificio-

sum

sum esse, aliud inertem, aliud acutum, aliud memorem, aliud cupiditas, aliud timor: aliud lætitia, aliud tristitia, possintque alia sine aliis, & alia maius, alia minus: Innumerabilia & innumerabiliter in animę natura inueniri: manifestũ non simplicem, sed multiplicem esse naturam. Nihil enim simplex mutabile est. Omnis autem creatura mutabilis (est) Deus autem multipliciter quidem dicitur magnus, bonus, sapiens, beatus, verus, † & quecquid aliud indignę dici videtur. Sed eadem magnitudo eius est, quæ potentia, non enim mole magnus, sed virtute. Et eadem bonitas quæ sapientia & magnitudo: Et eadem veritas quæ illa omnia. Et nõ est ibi aliud beatum esse, & aliud magnum, aut sapientem, aut verum, aut bonum, aut omnino ipsum esse. nec quoniam Trinitas est, ideo triplex putandus est. Alioquin minor erit pater solus, aut filius solus, quam simul pater & filius. Item cum de solo filio loqueretur: ita ait de illo: vbi est prima & summa vita cui non est aliud viuere, aliud esse, sed idẽ est & esse & viuere: Et primus ac summus intellectus, cui non est aliud viuere, & aliud intelligere: sed id quod est intelligere, hoc viuere, hoc esse est: vnum omnia tanquam verbum perfectum cui non desit aliquid. Et ars quædam omnipotentis atque sapientis Dei plena omnium rationum viuẽtium incommutabilium. Et omnes vnum in ea, sicut ipsa vnum de vno, cum quo vnũ. Cum ergo hæc ita sint, quomodo ille ausus est dicere de creatura humanæ mentis nec aliud est ei esse & velle, nec aliud velle & scire, sed hæc tria vnam naturam totamq; animæ naturam voluntatem esse, cum è contrario sanctus Doctor quem sibi sequi videtur, & cuius cautelam atque moderationem sua leuitate, atque vanitate nimis impudenter transcendere præsumit: Inter illa tria quæ in mente humana velut quædam similitudo Trinitatis inueniuntur, id est, esse, nosse, diligere, tantam distantiam esse ostendat, vt sic de his dicat: siue mentem dicamus in homine, eiúsque notitiam & dilectionem; siue memoriam, intelligentiam, voluntatem, nihil mentis meminimus, nisi per memoriam, nec intelligimus, nisi per intelligentiam, nec amamus, nisi per voluntatem. Ecce secundum veritatem quam sanctus vir docet, in ipsa hominis mente quanta est distantia, & diuersitas. Inter hæc tria quæ naturaliter in illa & illius sunt: id est, inter memoriam sui, & intelligentiam sui, & dilectionem sui, dum per solam memoriam sui meminit, per solam intelligentiam se intelligit. Aliud ergo ibi potest memoria, aliud intelligentia, aliud dilectio: nec quod potest memoria, hoc potest intelligentia nec quod potest intelligentia, hoc memoria: nec quod potest memoria & intelligentia, hoc voluntas. Et si mentis essentia distincte consideretur, quod potest substantialiter in his tribus, absque illis vtique non possit. Iste autem è contrario dicit, menti non aliud esse, & aliud velle: nec aliud velle, & aliud scire. Quod si recipiatur, quid aliud ista & inaudita præsumptione asseritur, nisi vt Deus simplicis est naturæ, ita & mens humana simplicis naturæ esse credatur. Si enim quod est humanæ menti esse hoc est vel le, manifestè non est ibi aliud essentia, & aliud voluntas: sed ipsa essentia voluntas, & ipsa voluntas essentia. Item si humanæ menti non est aliud velle, & aliud scire; ergo non est ibi aliud voluntas, est aliud scientia: sed ipsa voluntas scientia, & ipsa scientia voluntas. Ex hac incredibili ratione sequitur, vt dicatur sicut & iste dicit, quod ipsa mẽs sicut tota est essentia, sic tota sit voluntas, tota scientia. Et sicut de Deo verissime creditur, vt de ipso solo veraciter dicatur, quia quod habet, hoc est. habet enim iustitiam, sed ipse iustitia est: habet sapientiam, sed ipse sapientia est: habet bonitatem, sed ipse bonitas est: sequitur, inquam, vt & de humana mente similiter dicatur; Quia quod habet hoc est videlicet, quia habet voluntatem, sed ipsa est voluntas: habet sciẽtiam, sed ipsa est scientia: ita vt sicut de Deo credimus, non sit illi aliud esse, & aliud habere. Ecce ergo isto auctore, immo deceptore, contra omnem fidei veritatem,

A contra Scripturæ sanctæ auctoritatem, contra paternorũ dogmatum sinceritatem, immo contra diuinã humanámque rationem, inuenta est creatura, id est mens humana, quæ sit naturæ simplicis, ac per hoc incommutabilis, sicut Deus naturæ simplicis & incommutabilis est. Cum è contrario veritas clamet, Et ipse sanctus Augustinus, sicut supra ostẽdimus, manifestè affirmet, quia omnis creatura multiplex, nullo autem modo vere simplex. Et iterum dicat: nihil mutabile simplex, omnis autem creatura mutabilis. Eligat ergo iste alterum de duobus si mentis natura, sicut asserere conatur, natura simplex est, mutabilis non est: quia sicut ipse doctor dicit, & verissime dicit, nihil mutabile simplex, si autem ipsa mẽtis natura, sicut omnis creatura vere mutabilis est, simplex non est. Absit igitur vt beatus Augustinus qui omnem creaturam affirmat esse mutabilem & multiplicẽ,
B nec vllo modo simplicem, talia senserit, vel scripserit de natura mentis humanæ, vt eam nõ tantum similem, sed etiam æqualem Deo esse assereret, si eam immutabilis & simplicis naturæ esse dixisset. Legat, qui voluerit & valuerit diligentissime, & attentissime perscrutetur dicta illius de hac re in libris de Trinitate, & inueniet eũ dixisse illa tria quæ in mente hominis reperiuntur de quibus sępe dictum est, propter vnitatem substantiæ mentis cui insunt, vnum esse, & vnam mentem esse, vnamque substantiam, inueniet eum dixisse. quia hæc menti substantialiter insunt, & mentem esse substantiam, & notitiam sui substantiam, & voluntatem sui substantiam. Item inueniet eum dixisse, quod mens tota se nouit, tota se vult vel diligit: nusquam tamen illic eum dixisse inueniet ipsam mentem esse notitiam, ipsam mentem esse volunta-
C tem: Cum superius iam ex eiusdem verbis ostensum sit, aliud ibi esse notitiam per quam solum se mens nouit, & aliud voluntatem per quam solum se mens diligit. Cur itaque cum tota se nouit mens, non dixit ipsam mentem esse notitiam: Et cum tota se vult, non dixit ipsam mentem esse voluntatem: nisi quia mens ipsa creatura est, & simplex non est: Et aliud est illi esse, aliud nosse, aliud velle, sed si aliquis, vel iste qui hoc dixit, opponat, quomodo ergo hæc tria vnum, vna mens, vna substantia, si est ibi aliud & aliud agnoscat hæc tria, & substantialiter vnum posse dici, quia vna & in vna substantia sunt, & potentialiter aliud & aliud: quia, sicut ipse doctor ostẽdit, aliud in ipsa mente potest memoria, aliud intelligẽ-
D tia, aliud voluntas. Cum è contrario in diuina Trinitate possumus dicere alius, & alius, & alius: sed nullo modo dicere possimus aliud, & aliud, & aliud, propter summæ simplicem naturæ vnitatem. Ibi ergo summa simplicitas, vbi nunquam inueniri potest aliud & aliud Inuenitur quidam antiquus disputator cum de incorporea animæ tractaret natura inter cætera ita de ea dixisse: Et cũ vult anima, si tota vult tota voluntas est, vbi vtique circũspecte & cautissime sic asseruit ipsam animã secundũ quendam modum aliquotiens totam dici posse volũtatem, cum scilicet tota vult, quia manifeste non extra se, sed in se & apud se vult vt nullo modo eam absolute definierit esse voluntatem; sed suspense dixerit ac posuerit,
E si tota vult, tota volũtas est: vnde indubitanter intelligendum est, immo vnicuiq; in seipso naturaliter agnoscendum, quia si tota non vult tota volũtas non est. Potest namque vnum atq; idem ex parte velle, & ex parte non velle, potest idipsum quod tota vult, penitus non velle. Et ideo iuxta huiusmodi voluntatis mutabilem & variabilem motum, non est dicenda absolute ac definitiue animæ natura tota esse voluntas: quia procul dubio hoc non est, nec cum ex parte vult, vel cum omnino id quod voluerat non vult, habens semper in se naturaliter velle: ita tamen vt manente semper sui natura atq; substantia, id ipsum velle secundum ea quæ appetit, siue respuit, vel maneat eodem modo, vel mutetur aut pereat: cesset itaque iste dicere totã animæ naturam esse voluntatem: Quia non est naturæ simplicis vt Deus, vt quod illi est esse, hoc sit velle, nec aliud sit illi esse, aliud habere

voluntatem. Quæ cum ita sint, abigatur ab auribus fidelium tam impium & profanum commentum, meminerint, qui talem doctorem mirantur, & libenter audiũt se esse Christianos, meminerint se fidem Catholicam, fidem veram sentiendi de Deo integram sibi inuiolatámque seruandam. Meminerint depositum paternæ doctrinæ fidelissime custodiendum: & impias vocum præsumptiones omni pietatis intentione vitandas, sicut Apostolus vehementissime commendat dicens: O Timothee
1. Tim. c. 6. 19. depositum custodi. deuitans profanas vocum nouitates, & oppositiones pseudonymæ, id est, falsi nominis scientiæ, quam quidam promittentes circa fidem exciderunt, vel circa fidem naufragauerunt. Discamus non habere aures prurientes, id est auidas & appetentes inanium &
2. Tim. c. 4. 3. anilium fabularum. De quo malo Apostolus dicit: Erit enim tempus cum sanam doctrinam non sustinebunt, sed ad sua desideria coaceruabunt sibi magistros prurientes auribus: Et à veritate quidem auditum auertent, ad fabulas autem conuertentur. Quid enim restat talia dicentibus, vel recipientibus, id est humanam mentem, ita Deo exæquari, vt sicut Deus, ita ista etiam simplicis sit naturæ nisi vt sicut pessimi antiqui hæretici dixerunt, eiusdem naturæ esse blasphement Deum & animam.
Sap. 16. Post hæc dicit iste liberam voluntatem esse naturam hominis eiusque liberum motum ac potestatem mouendi, quod sit liberum arbitrium hoc, donum creatoris. Nos autem, vt iam diximus, & vt ipsa rei veritas euidenter ostendit, non dicimus hominem esse volũtatem, sed hominis esse volũtatẽ? Quia videlicet aliud est ei esse, aliud velle: Et ideo non homo voluntas, sed hominis est voluntas. Ostendit tamen iste quod Pelagiano errore secundum naturam tantum hominis liberum arbitrium esse sentiat, & donum esse naturæ non donum gratiæ, id est, voluntatis humanæ, vt ipse dicit, liberum motum ac potestatem mouendi. Per quod manifeste ostendit ita se sentire, quod voluntas humana, non solum liberũ naturaliter motum habeat, vt moueatur ad appetendum bonum vel malum, sed etiam liberam potestatem qua faciat ipsum bonum vel malum: sed è contrario fides Catholica tenet contra omnes huiusmodi errores, quod liberum arbitrium, & si fuit in homine naturaliter rectũ, & integrum ante peccatũ, tamen peccati merito deprauatum, immo amissum nullum habeat motum, id est, appetitum bonę voluntatis implendæ, nisi per occultam gratiam donante & inspirante illo. De quo Apostolus
Ph. c. 2. 13. verissime dicit: Deus est enim qui operatur in nobis & velle & perficere pro bona voluntate: habet namque, vt iam diximus, naturaliter à creatore insitum, vt possit velle, vt possit etiam posse quod bonum est, vt autem hoc velit, vt hoc possit nempe proficere, non habet ex se, sed ex illo tantum qui operatur in cordibus fidelium & velle, & perficere pro bona voluntate. Hæc est illa Ecclesiastica & fidelissima definitio, quam beatus Papa Cælestinus ponit in decretis suis dicẽs: Ita Deus in cordibus hominum, atque in ipso libero operatur arbitrio, vt sancta cogitatio, pium consilium, omnisq; motus bonæ voluntatis ex Deo fit: Quia per illum aliquid boni possumus, sine quo nihil possumus. Et iterum: Omnia studio, omnia opera, ac merita sanctorum ad Dei gloriã laudémque referenda sunt: Quia nemo aliunde ei placet, nisi ex eo quod ipse donauerit. Ex qua Apostolica & Ecclesiastica definitione certissime ostẽditur, nihil posse in homine liberũ arbitrium ad appetendum vel peragẽdum bonum, nisi fuerit Christi gratia liberatum. Est tamen liberum ad malum, quia cum peccat, nõ aliqua necessitate cogitur, sed voluntate propria deprauatur. Addit deinde iste & dicit: sicut animale corpus potuit mori quia adhuc non erat perfectum, id est, spirituale; ita voluntas libera adhuc animalis merito quia mortalis, potuit peccare, quoniam adhuc non erat perfecta, quæ vtique perfectio libertatis post mandati custodiam impleretur, dum ei peccandi voluntas auferetur, vbi quid aliud dicendum de corpore animali & spirituali, nisi quod

A Apostolus docet dicens, si est corpus animale, & est spirituale, sicut scriptum est: Factus est primus homo Adã in animam viuentem: nouissimus autem in spiritum viuificantem. Et supra cum de resurrectione mortuorum loqueretur ait: Seminatur corpus animale surget corpus spirituale. In quibus verbis quomodo distinguendũ est corpus animale & corpus spirituale, nisi quod corpus animale per animam tantummodo mortaliter & corruptibiliter viuificatur, quale erat corpus Adæ etiam ante peccatum. Quia & si necdum erat morti & corruptioni destinatum, poterat tamen peccati merito corrumpi & mori: sicut vtique & in illo factum est, & in vniuersa eius progenie fit, iusto illius iudicio atque vindicta qui ait: Donec reuertaris in terram vnde sumptus
B es, quia puluis es, & in puluerem reuerteris. Spirituale vero corpus dicitur, non quod corpus esse desistat & spiritus fiat: quia licet spirituale, vere tamẽ corpus ab Apostolo appellatur: sed tunc corpus spirituale erit, quando per spiritum immortaliter & incorruptibiliter viuificabitur: Quale & in se exhibuit nouissimus Adam, id est, Dominus Iesus Christus in resurrectione, per quam vtique mortale corpus, quod susceperat, in immortalitatẽ & incorruptionem transtulit: Et in sanctis suis per eandẽ incorruptionis gratiam in nouissimo die exhibebit. Cũ etiam in ipsis, iuxta eundem Apostolum, corruptibile hoc induerit incorruptelam, & mortale hoc induerit immortalitatem, vt absorbeatur quod est mortale à vita, & impleatur, sicut ipse dicit, sermo qui scriptus est: Absor-
C pta est mors à victoria, vt corpus quod nunc animale seminatur in morte, tunc surgat spirituale, nullo iam alimento sustentandum, nulla molestia corrumpendum, nulla morte dissoluendum, sed solo spiritu æterna immortalitate viuificandum. Quale erat etiam futurum corpus Adæ, nulla intercedente morte Deo eius obedientiam remunerante si non peccasset. Itaque verum quidem est, quod adhuc animale esset corpus Adæ, nec in illam immortalitatem commutatum quæ ei fuerat danda, si pie obediens Deo permansisset: Ita vt, & si non peccasset posset non mori, & si peccasset posset mori, manifestum est eum ideo mori potuisse, quia necdum fuerat immortalitate donatus. Quod autem in illo homine adhuc animalis esset volũtas, id est, secundum animæ humanæ appetitum, & non secundum spiritum Dei
D viuens siue intelligens, vt nondum esset in interiori homine, id est in spiritu mentis suæ spiritualis, sed adhuc animalis, id est animaliter non spiritualiter sentiens: de qualibus dicit Apostolus: Animalis autem homo non percipit ea quæ sunt spiritus Dei: non ita ostendit Apostolus, qui sacramentum illud magnum, quod futurum erat in Christo & in Ecclesia, ab ipso dicit esse prophetatum quando diuino vtiq; repletus spiritu ait: Propter hoc relinquet homo patrem suum & matrem suam, & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna. Quibus verbis Apostolus exponendo subiunxit. Sacramentum hoc magnum est: Ego autem dico in Christo & in Ecclesia; Quomodo ergo non spiritualis erat voluntas eius ad rectè viuẽdum spiritu adiuta & illuminata, quæ erat
E etiam Prophetali gratia sublimata: potuit tamen peccare etiam spiritualis voluntas in deterius lapsa: sicut ostẽdit idem Apostolus, etiam spirituales posse tentari, id est tentatione peccati aliqua superari, vbi ait: Fratres, & si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui spirituales estis huiusmodi instruite in spiritu lenitatis considerans teipsum ne & tu tenteris. Sic ergo voluntas illius hominis etiam spiritualis, poterat tentari, poterat tentatione superari: Et si peruenisset obediendo ad illam plenitudinem beatitudinis, vbi iam peccare non posset, non ab eo peccandi voluntas auferretur, vt iste dicit, quę in eo nulla erat, sed ipsa bona voluntas quæ illi inerat, tanta fœlicitate perficeretur, vt ad malum mutari non posset. Triplex enim status humanæ voluntatis fideliter intelligi potest, videlicet quod primus ille homo, ita bonæ voluntatis conditus est, vt si vellet posset non peccare.

care. Nunc autem etiam sancti homines, quia ex vitiata A illius propagatione nascũtur, quamuis velint nõ possint non peccare. Vnde & quotidie veraciter Deo dicunt: dimitte nobis debita nostra, in illa autem beatitudine, quæ eis donanda est, tanta virtute solidandi sunt, vt iam non possint peccare, sicut tanta incorruptionis gratia induendi, vt nunquam possint mori. Mirum est autem cur iste subiungere voluerit, & dicere hunc motum, id est liberi arbitrij, nulla animalium, præter hominem, cõcessum, cum omnibus manifestum sit, quod vbi nulla rationalis natura est, sicut in omnibus brutis, & inrationalibus iumẽtis, nulla rationalis, voluntas esse possit ad appetenda bona vel mala: sed ad omnia quæ agunt solo naturali bruto & insensato appetitu ducantur. Vnde & quæcunque ab eis fiunt, quantum ad ea pertinet, nec bona dici possunt, nec mala, nec vitia nec virtutes: nisi fortè B ideo sibi quodam modo comparauit humani arbitrij motum, & brutorum & iumentorum appetitum, quod sicut ille inrationalis appetitus solo naturæ incitamento agitur: ita & iste humani arbitrij motus solo naturæ suæ instinctu ad quod voluerit ducatur. Quod quam sit contrarium veritati supra iam sæpius demonstratum est. Et in tantum disputator iste auditorum sensibus & auribus abuti præsumpsit, vt auderet velut quidam fabricator, & figulus, mendaciorum nouam liberi arbitrij definitionem velut luteam & lutulẽtam fingere, & quasi magnũ aliquid intuentium oculis proponere, subiunxit enim

Sap. 17. posthæc & ait: Sitque talis differentia inter liberum hominis arbitrium & eius substantiam, vt natura eius sit in voluntate rationali, liberum vero eius arbitrium in eius C libertate, siue in motu liberæ naturaliter voluntatis, siue in munere intelligentiæ. Ecce quale liberum arbitrium docet: vtique Pelagianum, non Christianum cuius scilicet natura sit rationalis voluntas, effectus vero in sua naturali voluntatis libertate consistat: Et ex sola & in sola ipsa naturali voluntate habeat libertatem, & motum & intelligentiæ munus. Nos autem secundum veritatem fidei. ita liberum arbitrium in homine agnoscimus, vt licet menti rationali naturaliter sit à Deo insitum & bonum, ac rectum prima conditione collatum, tamen peccati merito deprauatum, & naturali virtute spoliatum, nullam possit habere ad verum bonum libertatem, nullum bonæ voluntatis motum, nullum intelligentiæ lumen, nisi illius gratia fuerit instauratum qui ait: Si vos D filius liberauerit, tunc vere liberi eritis: Et qui sua inspi-

Agg. c. 2. ratione mouet quorum voluerit corda ad fidem, sicut Propheta dicit: Et mouebo omnes gentes, & veniet de-

Psalm. 118. sideratus cunctis gentibus: & cui quotidie supplicantes dicimus, Da mihi intellectum & discam mandata tua. Et iterum: intellectum da mihi & viuam. De quo etiam intellectu largitori gratias agentes dicimus: Benedicam

Psalm. 15. Domino qui tribuit mihi intellectum. Hoc namque est vere liberum arbitrium: non, iuxta istum Pelagiani erroris assertorem, munus naturæ, sed munus gratiæ: Et liberum quia Christi gratia liberatum. Iste vero cum nominasset illa tria, id est, arbitrij libertatem, motum, intelligentiam, quæ omnia in sola naturæ vi constare affirmat, producit adhuc eiusdem liberi arbitrij, quod ipse confingit, velut nouam quandam effigiem ex tribus par- E tibus siue membris compactam & dicit: Quæ tria, id est libertas motus, intelligẽtia, liberum arbitriũ inter se cõponunt: vt sicut substantia in qua est trina sit: Est enim, & vult, & scit: ita & illud trinum fiat, id est liber, motus, intelligens. Quæ omnia vtique idcirco dicit, vt in his solis, id est, in ipsa natura & his quæ insunt ipsi naturæ, liberum arbitrium constare contendat, videlicet vt sicut menti humanæ naturaliter tria quædã insunt, id est esse, velle, scire, cum hæc duo, id est voluntas & scientia, tantummodo sui, & nõ alterius rei intelligitur; Ita etiam liberum arbitrium ex ipsa mente procedens, & in ipsa consistẽs, non aliunde, sed ex illa habeat libertatem, motum, intelligentiam: vt sit homini naturaliter per huiuscemodi arbitrium liber, motus, intelligens: Nec dicit mentem humanam tria illa in se habere, sed naturæ simplicis trinam esse. Et eodem modo etiam liberum arbitrium esse trinum, quis vnquam audiuit tam contentiosam erroris impietatem? Qui ita laborat includere, & velut quibusdã terminis cõmunire liberum arbitrium, vt omnino illud in sola humanæ naturæ virtute concludat, & ab eo penitus Dei gratiam excludat. Quid ergo ei respondendum est, cui de hac re superius tam multa responsa sunt? Nisi vt si Christianus, vel esse, vel videri cupit, abiiciat hunc insanum & mortiferum errorem: Quem quãto subtilius sibi sequi & asserere videtur, tanto infœlicius à diabolo includitur & excæcatur. Et abiectis humanarum adinuentionum falsis & fallacibus argumentis, totum se Scripturę sanctæ veritati, & Ecclesiasticorum patrum auctoritati, & fidei simplicitati humiliter summittat, ne dum libertatem suam sibi committit & à Christo alienat vere à Christo alienari mereatur.

Maledictus enim homo qui cõfidit in homine, & ponit Ier. c. 17.
carnem brachium suum, & à Domino recedit cor eius. Benedictus autẽ vir qui confidit in Domino, & erit Dominus fiducia eius. VIIII. Nono capitulo has definitiones Sap. 18.
ponit, præscientiam & prædestinationem similitudine rerum temporalium ad Deum transferri, & omnẽ prædestinationem præscientiam esse. Si ergo ex vsu rerum temporalium, quæ trium temporum diuersitate variantur, id est præteriti præsentis, & futuri, magis ad temporalia pertinent, vbi tam multa futura expectantur: quia videlicet præscientia, & prædestinatio propriè rerum est futurarum: apud Deum verò sicut nihil est præteritum, ita etiam nihil futurum: in cuius æterna scientia æternaliter omnia præsentia sunt. Et idcirco hæc duo magis translatiue, quàm propriè ad Deum dicuntur, quomodo iste superius tam frequenter definiuit præscientiam, & prædestinationem non solum Dei, & in Deo esse, quod etiam nos fatemur, sed etiam ipsam substantiam & essẽtiam Dei esse, quapropter si ipse in sua disputatione tam cõtrarius sibi est, vt quod prius affirmat postea destruat, quid necesse est vt nos eius vanitatem euacuemus, qui tam apte seipsum euacuat Si autẽ aliqua regula sophisticæ disputationis quam ipse sola sequitur, talis est, vt licite apud sæcularem sapientiam quod vno loco affirmatur, altero subuertatur, quis non videat quàm sit cõtemnenda, & penitus abiiciẽda, vbi nulla est firmitas veritatis, & tam impudens, tam procax, tam petulãs libertas est falsitatis. Quod vero ait omnem prædestinationẽ præsciẽtiam esse, ex parte verum est quidem: Quia omnis prædestinatio futurorum non sine præscientia fit, per quam ipsa futura præsciuntur. Sed si hoc ideo dictum est, quia si nihil amplius agat prædestinatio in rebus, vel de rebus futuris quam præscientia, manifestissime falsũ est: Quia præscientia ipse res futuræ tantummodo præsciuntur: prædestinatione verò etiam statuuntur, præfiniuntur & decernuntur. Et ideo prędestinatio impiorum supplicium æternum non tantummodo præsciuit, sed etiam iusto & æterno iudicio statuit ac præfiniuit, quid essent passuri. X. Decimo capitulo quatuor definitiones Sap. 19.
ponit hoc modo: Deum præscire aut prędestinare peccata, vel mortem, vel pœnas hominum, vel Angelorum à contrario intelligendum sit: omne malum, peccatum & pœnam eius esse: & hæc nihil esse, peccatum eiusque consequentias in morte, atque miseria constitutas non aliud esse, quam integræ vitæ beatęque corruptiones, ita vt singula singulis opponantur. Integritati quidem peccatum, vitæ mors, beatitudini miseria Illa sunt, hęc penitus non sunt: Omnem peruersæ voluntatis defectum, vel priuationem, vel peccatum, finisque ipsius mors miseriaque suppliciorum ęternorum omnino nihil esse: Ac per hoc nec pręsciri, nec prędestinari. Ecce ad quid perducta est ista diabolica disputatio, vt homo qui vult videri Christianus paganis, & diabolicis argumẽtationib. omnem fidem pręscientię & prędestinationis diuinę, qua impios pręsciuit & prędestinauit esse damnandos, quãtum in se est subuertat & destruat, non solum iustum

Hæc nempe præscientia & prædestinatio.

Dei iudicium & æternum, atq; incommutabile eius cõsilium in eorum damnatione euacuans; sed etiam peccatum & omnem pœnam ac damnationem quæ peccatum consecuta sunt, nihil esse contendens. Ac per hoc quia nihil sint, nec præsciri à Deo, nec prædestinari potuisse. Ita vt vbicunque in Scripturis sanctis, siue in dogmatibus patrum talia præscisse & prædestinasse legitur, à contrario accipi debeat, id est, vt omnino ea nec præscisse, nec prædestinasse intelligatur. Quod quid est aliud dicere quam aperte insanire? Quis enim vnquam fidelium, vel sentire, vel dicere præsumpsit, quia quod dixit veritas, nõ est veritas: Quod docuit fides, falsũ est: Quod omnes credũt fideles, nihil est. Certe iste propterea hæc, id est peccatum & omnem pœnam ac miseriam & calamitatem, vel temporalem, vel æternam nihil esse cõtendit: quia non habeat essentiam in semetipsis existẽdi, vel subsistendi sicut habent animæ hominum, & spiritus Angelorum bonorum siue malignorum. Et propterea affirmat diabolicæ præsumptionis audacia Deum, solas rerum substãtias & scire & præscire, & prædestinare potuisse? Ea verò quæ ipsis substantiis contraria & pœnalia sunt, quia existendi substantiam non habent, nullatenus præsciri, vel prædestinari, ac per hoc nec scire potuisse. Ergo nec peccatũ primi hominis præsciuit, quia peccatum substantiam existendi non habet; nec pœnam peccati præsciuit, id est mortem, miseriam, supplicium sempiternum: quia hæc similiter in seipsis substantialiter non exsistunt. Et vbi est, quod fides firmissime & immobiliter tenet: Omnipotentem Deum verissime præscium esse futurorum omnium, vbi est quod per Prophetas suos in Scripturis sanctis tot peccata hominum, tot pœnas & clades & miserias peccatorum spiritu suo venturas prædicit? Vbi etiam quod ipse vnigenitus Dei filius, qui est veritas Dei æterna, tot persecutiones Ecclesiæ suæ tot bellorum commotiones, & laborum ac terrorum pressuras, terræmotus etiam & pestilentias, & fames vtique præsciendo prænunciat, & vt patiẽtissime à suis tolerentur monet? Cur tam apertum mendacium, immo tam inauditam & impiam blasphemiam iste impius proferre ausus est contra totius sanctæ Ecclesiæ fidem, contra Scripturarum cœlestium veritatem, contra omnipotentem Dei maiestatem ore sacrilego & verbis impiis obstrependo. Quid est quod in tantum consilium, & deceptionem diaboli imitari & adiuuare conatur, vt ea quæ verissime & certissime impios passuros Deus prænũciat & comminatur, id est, æterna supplicia, iste labiis iniquis & lingua dolosa velut peccatoribus blandiendo affirmet nihil esse: sicut & serpens in initio, vt terrorem mortis quam Deus comminatus fuerat, à corde hominis excluderet, & ad peccati delectationem prouocaret, nequaquam (ait) morte moriemini: ita namque & iste serpentis imitator, dicendo quod tormenta æterna quæ Deus peccatoribus denuntiat, nihil sunt, quid aliud agit quam vt terrorem salubrem à cordibus audientium tollat eosque ad peccandum infrenes & præcipites reddat. Et ideo constantissima & immobili fide tenendum omnipotentem Deum omnia futura præscire, id est & bona & mala, non solum naturas omnium rerum, antequam eas crearet, præscisse: sed etiam quæcunque ipsis naturis possunt esse contraria & pœnalia similiter præscisse. Nõ quia substantialiter existunt: sed quia substantiis ab eo conditis peculiariter nocent. Hanc enim fidem scriptura confirmat dicens: Deus æterne qui absconditorũ es cognitor, qui nosti omnia antequam fiant: Et ipse Dominus in Euangelio de his fideles suos terret dicens: Ostẽdam vobis quem timeatis: Timete eum qui postquam occiderit, habet potestatẽ mittere in gehennam: ita dico vobis, hunc timete. Iste autem è contrario dicit, omnes pœnas suppliciorum æternalium tam hominum quam Angelorum malorum, quæ illis cõminata & præparata sunt omnino nihil esse. Si autem pœnæ æternę malignorum Angelorum & hominum pessimorũ prædestinatæ non sunt, quid est quod ipse iustus iudex, & dãnator ipsorum in illo iudicio se dicturum prædixit, Ite maledicti in ignem ęternũ, qui paratus est diabolo & Angelis eius? Si paratus vtiq; & prædestinatus. An Angelis damnatis & damnandis est prædestinatus: impiis autem qui eodẽ ęterno igni pariter puniendi sunt, nõ est paratus nec prędestinatus? sed prædestinatas impiis pœnas, & supplicia sempiterna etiam beatũ Enoch Patriarcham antiquissimum qui ambulauit cum Deo, & non comparuit, quia tulit eum Dominus, ante diluuium Prophetasse beatus Iudas Apostolus loquens de impiissimis hæreticis, qui ipsis temporibus Apostolorum impugnare cœperũt Ecclesiam Dei, ita testatur dicens: prophetauit autem & de his septimus ab Adã Enoch dicẽs: Ecce venit Dominus in sanctis millibus suis facere iudicium cõtra omnes, & arguere omnes impios de omnibus operibus impietatis eorum, quibus impie egerunt, & de omnibus duris quæ locuti sunt contra eum peccatores impij. Hoc iudicium damnationis impiorum, & iniquorũ & blasphemantiũ hominum ab initio mundi tam mirabiliter prædictũ & in finem mundi verissime implendũ etiam beatus Petrus Apostolus his verbis denuntiat dicens: Fuerunt vero & pseudoprophetæ in populo, sicut & in vobis erunt magistri mendaces, qui introducent sectas perditionis, & eũ qui emit eos negant superducentes sibi celerem perditionem. De quibus & paulo post adiungit: quibus iudicium iam olim non cessat, & perditio eorum non dormitat. Si ergo quærimus istius iudicij æternã apud Deũ prædestinationem audiamus vigilanter quod ait: quibus iam olim iudicium non cessat: id est, non nunc primum iudicantur: nec tunc primum quando de corpore exient ad supplicium sempiternum. Sed hoc iudicium damnationis eorum iam olim est decretum; iam olim ex æternitate prædestinatũ, & iam olim eis præparari nõ cessat. Si autem quærimus quę pœna illis inferatur tali iudicio, & perditio (inquit) eorum non dormitat. item de eisdem impiis, & blasphematorib. idem Apostolus dicit: hi sunt fontes sine aqua, & nebulæ turbinibus exagitatæ quibus caligo tenebrarum reseruatur, quomodo eis reseruatur, nisi quia ipsis ab initio est præparata, & in fine reddenda. Quod eisdem pene verbis beatus Iudas Apostolus attestatur dicens: Hi sunt nubes sine aqua, quæ à ventis circumferũtur: Arbores autumnales, bis mortuæ, eradicatæ: fluctus feri maris dispumantes suas confusiones: sydera errantia, quibus procella tenebrarũ in æternum seruata est. Contra hæc tam horrenda, tam terribilia quę omnipotens Deus per Prophetas, & Apostolos suos impiis & peccatoribus cõminatur, dicit iste: Omne malum, peccatum, & eius pœnam non esse. Et iterum asserit: naturæ integritatem, vitam, beatitudinem esse. Econtrario autẽ peccatum, mortem, miseriam penitus nõ esse. Addidit adhuc, omnem peruersæ voluntatis defectum vel priuationem, vel peccatum, finẽmque ipsius mortem & miseriam suppliciorũ æternalium omnino nihil esse: Ac per hoc nec præsciri à Deo nec prædestinari. De quibus omnibus si aliquid singillatim dicẽdum est manifeste nouit fides, quia malum quod est cõtrarium bono, sicut vitium virtuti, tenebræ luci, infirmitas sanitati, substãtialiter nõ est. Quia, sicut iam supradictum est, substantiam per se existendi & subsistẽdi non habet: sicut cœlũ, terra, aqua, aer, ignis, & reliqua, siue corporea, siue spiritalis creatura. Sed desertio summi boni, cui vt beata esse possit, inhærere debet creatura rationalis, Angelica vel humana, hoc nomen accepit vt dicatur malum. Deserendo ergo rationalis creatura in Angelis, siue hominib. peccantib. summum bonum, defecit ab ipso bono, & priuata est bono, & hoc ei est summum malum. Siue ergo dicamus malum esse desertionem boni, vel defectum à bono, vel priuationem boni rectissime dicimus, sicut & vitium desertio virtutis, & tenebræ priuatio lucis, & infirmitas nihil aliud quàm defectus est sanitatis. Similiter & peccatum manifestè nullam habet substantiam in se existendi & subsistendi. Sed desertio iustitiæ & defectus à iustitia tale nomen accepit. Ita etiam mors substantiam in se existendi

Marginalia: Cap. 14 (beside "tulit eum Dominus"); Luc. c.12.5. (beside "Dominus in Euangelio"); Matth. c.25. 14. (beside "rum Angelorum & hominum"). Section letters A, B, C, D, E in the inner margin.

existendi & subsistendi non habet, sed vitæ amissio tale nomen accepit. Item quod dicitur pœna nullam in se existendi substantiam habet, sed dolor & ex dolore cruciatus tale nomen accepit. Quod nihil est aliud quàm tranquillitatis & quietis naturalis perturbatio vel amissio. Hoc namque agit pœna vt tranquillitas & quies naturæ ipso dolore & cruciatu turbetur vel amittatur. Sed hæc omnia, id est, malum, peccatum, pœna, mors, miseria, quæ & ipsa nihil est aliud quam amissio fœlicitatis, licet per se & in se existendi vel subsistendi nullam habeant substantiam, tamen omnino necesse est vt in aliqua vel ex aliqua substantia fiant. Nam & desertio boni quod dicitur malũ, & desertio iustitiæ quod appellatur peccatum, manifestè in animo fiunt vel angelico, vel humano. Sic amissio vitæ, quæ appellatur mors, & amissio trãquillitatis vel quietis naturalis, quæ appellatur pœna, & amissio fœlicitatis, quæ vocatur miseria, in vtroq; fieri inueniuntur; id est, & in anima & in corpore. Nam & anima moritur desertione vitæ suæ, quod Deus illi est: & corpus moritur amissione vitæ suæ, quod anima illi est: & hęc duo, id est, mors animæ, & mors corporis, quid aliud in vtroq; nisi vel fœlicitatis vel tranquillitatis amissio est? Pœna autem quæ in cruciatu & dolore sentitur manifeste vel in anima agitur, vel in corpore; & cum in corpore agitur, maxime ex alio corpore irrogatur: vt cum flagellis cæditur, gladiis vulneratur, vel quibuscũq; tormentis vexatur. Quod etiam in suppliciis æternis futurum est, vbi dãnatorum corpora igni & sulphure torquebuntur: Qui tamen omnes dolores & cruciatus corporibus de corporibus inlati, sic fiunt in corpore, vt per corpus etiam animæ sint. Anima namque sine corpore & dolere, & cruciari potest; sicut illa damnati diuitis in inferno, anima cruciabatur, qui ait, quia crucior in hac flamma: corpus vero sine anima dolere non potest. Omnipotenti itaque Deo, de quo scriptũ est: Domino enim Deo antequam crearentur, omnia fuerunt agnita: sic & post perfectum respicit omnia. Et iterum: à sæculo & vsque in sæculum respicit, & nihil est nouum in conspectu eius. Et iterum cum de hominibus scriptura loqueretur ait: Et omnia opera eorum quasi sol in conspectu Dei: non præterit illum omnis cogitatus, & non absconditur ab eo vllus sermo. Isti, inquam, omnipotentissimo & ineffabili creatori, cui antequam crearẽtur in æterna scientia sua omnia fuerũt agnita, Qui etiam postquam omnia perfecit nõ aliter, sed sic respicit facta, sicut vidit facienda, nihil videlicet extra se, sed in se omnia cernendo: Et ideo in conspectu eius nihil est nouum, nec quando primum est creatum, quia semper fuit in eius scientia æternum: Quem omnia opera hominum, sicut in clarissimo sole non latent: quem nullus hominum præterit cogitatus, à quo nullus eorum sermo absconditur: iste tam mirabilis creator & gubernator, sicut omnium rerum quæ futuræ erãt, naturam & speciem & ordinem in sua æterna præsciẽtia semper nouit; ita etiam ipsarum rerum statum, & siue ad meliora profectum, siue ad deteriora defectum æternaliter præuidit: & quæ ad se proficientibus præmia, quæ autem à se deficientibus supplicia deberentur, iustissimus operis sui ordinator & præsciuit & prædestinauit, & se impleturum prædixit. Et ideo siue malum & peccatum in quibus est defectus à bono: siue mors & pœna quæ illi defectui iuste debetur, semper sunt in præscientia conditoris: Qui mensuram proficiendi & deficiendi in creaturis suis solus veraciter agnoscit & ipsorum profectuum atque defectuum solus iudex iustus existit. Ita & mors & peccatum & omnis pœna ac miseria, quæ peccatum consequitur, quia substantiam nullam habent in se existendi, nihil sunt. Et quia creaturæ rationali cuius defectus & corruptio his nominibus significantur, nimis nocent, in eius substantia vel corporali vel spiritali veraciter sentiuntur. Et quæ non sunt substantia existendo, sunt omnimodis perniciosa nocendo. Desinat ergo huiusmodi blasphemia, & omnipotens Deus sicut omnium naturarum conditor, ita & statuum earum verissimus agnoscatur cognitor, & iustissimus ordinator. Vndecimo capitulo sequitur ista & dicit: Nõ esse Dei prædestinationem nisi de his qui præparati sunt ad æternam fœlicitatem: Abusiuè translatéque dici præscire Deũ & prædestinare: à simili præsciuit quæ facturus esset: à contrario præsciuit quæ factum non esset, pro nesciuit. Similiter à simili, prædestinauit quos præparauit ad gratiam. A contrario prædestinauit impios ad interitum vel supplicium æternum: si enim prædestinati sunt, necessario peribunt, pœnasque patientur ineuitabiles. Quod si ita est, quomodo iuste iudicabitur mundus quem necessitas prædestinationis cogit perire? sanctas scripturas præscientiam simul & prædestinationem aut solam absolutam prædestinationem non nisi in his quos Deus elegit ad æternam beatitudinem possidendam inueniantur posuisse, Apostolum præscientiam & prædestinationem in solis sanctis, Augustinum aliquoties in reprobis à contrario posuisse. Imprimis quod dicit, nõ esse Dei prædestinationem nisi de his qui præparati sunt ad æternam fœlicitatem; siue ex suo sensu hoc dixerit, siue ab aliis audierit, nos tamen veraciter scimus quia iste est error moderni temporis apud plurimos dum non putant prædestinationem Dei nisi in parte electorum in scripturis inueniri. Nec ipsum beatum Paulum Apostolum in Epistolis suis nisi de solis similiter electis prædestinationem posuisse, sicut & in sequentibus dicit. Sed adquiescendum & obediendum est humiliter veritati; & non quod semel nobis persuasum est, cõtentiosè defendẽdum, sed potius Scriptura sancta diligentius præscrutanda, non solum Apostolica, sed etiam prophetica, ex qua omnis Apostolica auctoritas descendit. Sicut ipse beatus Paulus statim in principio Epistolæ ad Romanos euidenter declarat, segregatum se esse dicens in Euangelium Dei quod ante promiserat per Prophetas suos in Scripturis sanctis. Et in fine eiusdem Epistolæ, omne mysterium Euangelicæ prædicationis, in qua est etiam profundissimum mysterium præscientiæ & prædestinationis Dei per scripturas Propheticas cõfirmat esse reuelatum, ita dicens: Ei autẽ qui potens est vos confirmare secundum Euãgelium meum & prędicationem Iesu Christi, secundum reuelationem mysterii ęternis temporibus taciti, quod nunc patefactum est per scripturas Prophetarũ, &c. Itemque in Actibus Apostolorum de se ipso loquitur dicens: Vsque in hodiernum diem sto testificans minori atque maiori, nihil extra dicens quam ea quæ Prophetæ sunt locuti futura esse & Moyses. Cũ ergo ipse Apostolus ostendat atque confirmet in illud Euangelium Dei, quod ante promisit per Prophetas suos in scripturis sanctis se segregatum, & omne illud mysterium quod euangelizat per scripturas Prophetarum testetur patefactum, nihilque extra dicere quam quæ scripta sunt in lege & prophetis, manifestum est huius rei, id est, diuinæ præscientiæ & prædestinationis altitudinem non solum in Apostolo qui ex scripturis Propheticis omnem suam prædicationem confirmat: sed etiam in ipsorum Prophetarum scripturis diligentius inuestigandam, & quod in vtrisque manifesta veritatis declaratione fuerit inuentum, fideliter nobis & sine vlla controuersiarum disceptatione, omnimodè sequendum. Primo itaque quid ipse Apostolus qui se nihil extra dicere nisi quę scripta sunt in lege & Prophetis testatur, de hac re dicat audiamus, nec tam absurdi vel contentiosi simus, vt vbi ipsa res, id est, prædestinationis veritas apparet ideo negemus pro prædestinatione dictum, quia nequaquam ibi prædestinationis nomen positum inueniatur: sed siue sonet ibi expresse prædestinatio, siue ipsius prædestinationis veritas certissime clarescat, vna & pari fide suscipiatur. Dicit itaque ipse primũ de sola prædestinatione electorum ita: Nam quos præsciuit, & prædestinauit conformes fieri imaginis filij sui vt sit ipse primogenitus in multis fratribus: Quos autem prædestinauit, hos & vocauit: Et quos vocauit, hos & iustificauit: Quos autem iustificauit, illos & magnificauit: post quæ verba subiungit omni-

Cap. 20.

Eccl. c. 17 16.

Rom. c. 16 25.

Act. c. 26 22.

Quasi.

N

oo dixisset de parte reproborum etiam hic vtique ceoo- A
trario intelligere debueramus quid de eis sit sentien-
dum, videlicet, vt ex prædestioatione electorum ad glo-
riam agnoscere mus etiam prædestinationem esse repro-
borum ad pœnam. Sicut & in symbolo tantummodo
vitam æteroam, quod est præmiom saoctorum, videmur
confiteri: Et tamen è contrario similiter indubitanter
credere & intelligere debemus mortem æternam, quod
est damnatio iniquorum. Hanc enim regulam intelligē-
di in scripturis ipse oos Apostolus docet, qui cum dixisset
de resurrectiooe disputans, semioatur corpos animale,
surget corpus spiritnale, ne sioe auctoritate scripturæ
spirituale corpus dixisse videretur statim quod è cōtratio
veraciter intelligendum esset, adiunxit diceos: si est cor-
pus animale est & spirituale: Et continuo vtrumque cō- B
firmans ponit testimooium scripturæ, & dicit, sicut scri-
ptum est: factus est primus bomo Adam in animam vi-
uentem: nouissimus Adam in spiritum viuificantem.
Similiter & illud vtique intelligitur, quod cum Deus pri-
mo homini dixisset de ligno scieotiæ boni & mali ne co-
medas, quocuoque die comederis ex eo, morte morieris.
vtrique inobedienti comminatus mortem: sed nunquid
noo agnoscit fides quid è coottario sentieodum sit: id
est, quod obedieoti præparauerit vitam? Item cum lo-
quitur Deos ad Abraham. Masculos cuius præputii caro
non fuerit circuncisa octaua die, peribit anima illa de po-
pulis suis: qnia pactum Dei irritum fecit: non vtique in
vtero materno, nec in illa tam recenti infantia quando
aliquid bonum aut malum nullatenus agere potuit, sed
vtiq; in paradiso, in præuaricatione Adæ, in quo omnes, C
sicut Apostolus dicit, peccauerunt, qui ex illa damnata
origine descēduot. Sicut ergo iste octaua die minime cir-
cuncisus manifeste periturus denūciatur ob reatum pri-
mæ præuaricationis: Ita è contrario fideliter intelligen-
dum est eum qui rite & legitime esset circuocisus ab illo
reatu absoluendum. Hæc diximus vt manifeste iotelli-
gamus, quod etiam si Apostolus nulla prædestinationis
disputatione de reproborū parte tacuisset, debuisset ta-
men fides nostra quid de eis seotiendum esset è cōtrario
aduertere & intelligere. sed noo tacet, cum statim post
aliquam electorum & reproborum similitudinem simul
pooens in duobus geminis Isaac & Rebecæ, ita adiunga-
tur: Cum enim oecdum oati essent, aut aliquid egissent
booum aut malum, vt secundum electionem proposi- D
tum Dei maneret, non ex operibus sed ex vocante dictū
est, quia maior seruiet minori: sicut scriptom est, Iacob
dilexi, Esaü autem odio habui. Manifeste igitur io hoc
exemplo, & in Iacob absq; vllis meritis dilecto & electo
qui similiter tenebatur originalis peccati obnoxius vt
frater, & ex eadem veniebat massa in Adam damnata
declarata est prædestinatio electorum ad vitam. In Esaü
autem solo originalis peccati reatu odio habito, præde-
stinatio reproborum ad interitum. Tale est, & quod pau-
lulum de vtraque parte subiungitur. Ergo cuius vult mi-
seretur, & quem vult iodurat; Et quod deiode addit, An
non habet potestatem figulus luti ex eadem massa facere
aliud quidem vas in honorem, aliud vero in cootume-
liam, de quibus vasis hoooris & contumeliæ statim sub- E
iungit: Quod si volens Deus ostendere iram & notam
facere potentiam suam, sustinuit in multa patieotia sua
vasa iræ aptata in interitum vt ostenderet diuitias gloriæ
suæ, in vasa misericordiæ quæ præparauit in gloriā? &c.
In quibus omoibus euidentissime agnoscitur Apostolum
non de solo electorum, quam primo loco posuit, sed in
toto isto disputationis suæ contextu, de vtriusque partis
prædestinatione siue in vitam, siue mortem & exemplis
& testimoniis tractasse propheticis, dū in Iacob propo-
nit formā electorū, in Esaü verò formā reproborum: In
quibus vtique duabus partibus, cuius vult Deus misere-
tur, & quem vult indurat, sed miseretur misericorditer
adiuuando, indurat iuste deserendo, & tanquam figulus
luti ex eadem massa simul tota damnata facit aliud vas in
honorem misericorditer liberando, aliud vero in cootu-
A meliam iuste damnando: vt duo ex his ordines existant,
quorum alii sint vas iræ, & alii vas misericordiæ: Illa ap-
tata in interitum, ista in gloriam præparata, sed aptata in
interitum & suo merito, & Dei iusto iudicio: præparata
autem in gloriam nullo suo merito, sed solo diuinæ gra-
tiæ beneficio. Cum ergo tam aperte dicat Apostolus, Et
vasa iræ aptata io interitum, & vasa misericordiæ præpa-
rata in gloriam, & ex eadem massa aliud vas fieri in ho-
norem, aliud vero in contumeliam. Quis noo intelligat
in his verbis vtriusque partis diuinam prędestinationem
manifestissime ostensam, dum & electi nullo suo meri-
to, sed sola Dei bonitate prædestinantur ad vitam: Et re-
probi nullo Dei præiudicio, sed solo suo vel originali vel
actuali merito prædestinantur ad interitum, nec eis diui-
B na prædestioatio necessitatem peccodi imponit, sicut nec
necessitatem peccaodi, sed necessitatem tantummodo
iusta supplicia patiendi: vt qui voluntate permaoent in
peccatis, necessitate crucientur in pœnis. Ita etiamsi tan-
ta illa Apostoli de hac re disputatio ex boc loco vsque ad
finem vbi ait: (Conclusit enim Deus omnia in incredu-
litate vt omnium misereatur:) diligenter coosideretur
& fideliter, de vtriusque partis prædestinatione, sioe in
vno popolo Iudæorum in his qui excæcati, & in his qui
secundum electionem gratiæ saluari meruerunt: siue in
vtraque, id est, Iudæorum & gentium, dum illi taoquam
naturales rami fracti suot, & isti tanquam oleaster io bo-
nam oliuam inserti, indubitanter eum inoeniet & suis
verbis & maxime testimoniis propheticis disputantē. In
quibus tamē propheticis testimooiis, quæ nobis B. Apo-
C stolus tanta auctoritate proposuit, vt nihil omnino de
huius rei, id est, diuinæ in vtramque partem prædestina-
tioois profunditate & obscuritate, nisi ex eorum firmita-
te, & euidēti attestatione docere voluerit. Illud præcipue
omni pietatis consideratione attendendum est, quod
nusquam in eis expresse & proprie verbum prædestina-
tionis sonet: tamen quia ipsæ res ad vtramque præde-
stinatiooem pertioeotes manifestissimæ appareāt, & eui-
dentissimæ declarantur, coofidentissime Apostolus ad
tātæ rei confirmatiooem atque doctrinam ea assumpsit,
& ita tenenda atque iotelligenda ecclesiæ tradidit: sua
scilicet auctoritate & exēplo nos informās & instruens,
vt non contentiose & superuacue de ipso verbo præde-
stinationis in sanctorum Prophetarum eloquiis ioter
D nos disceptemus, vel (quod absit) etiam rixemur, sed pa-
cifica & pia intelligentia vbicunque res ipsa manifestis-
sime declaratur, indubitanter omnino diuinam præde-
stinationem & agnoscere & asserere debeamus. Primum
namque testimonium propheticum quod de hac re po-
suit, illud ex Genesi est, de quo ita ait: Promissionis ver-
bum hoc est. secuodum hoc tempus veniam, & erit Sa-
ræ filius: vbi licet non videatur sonare prædestinatio,
sonat tamen aperte promissio, quæ non aliter rectè intel-
ligitur, nisi ipsa promissio fideliter prædestinatio acci-
piatur electi seminis Abrahæ: id est, eorum qui filii Dei
deputātur, & à filiis carnis diuina gratia discreti sunt. Si-
cut ipse Apostolus in eodem loco exponit dicēs: non qui
filii carnis, hi filii sunt Dei; sed qui filii suot promissionis
E æstimantur in semioe. Secundo loco illud iterum ex Ge-
nesi testimonium posuit de duobus geminis Isaac & Re-
becæ, quo dictum fuerat, quia maior seruiet minori: vbi
licet prædestinatio minime sonare videatur: tamen res
ipsius prædestinationis tam profunde & grāditer ibi de-
monstrata est, vt moneat nos & solerter excitet Aposto-
lus in toto illo oraculo, quod tūc Rebecæ de eisdem ge-
minis diuinitus responsum est hoc vigilaoter & fideliter
iotendere & considerare debere, quod nec damnati erāt
ex vtero materno, nec dum egerant booum aut malum
in vita propria, & vtique ex vno erant concubitu pro-
creati: Et tamen tanta distantia omnipotens Deus vtrū-
que discreuit, vt nullis eorum præcedentibus vel bonis,
vel malis meritis sola bonitate & iudicio suo vnum ex
eis præferret, & alterum seruituti subiugaret: Et ne hoc
parum esse existimaremus, quod quasi de humaois & in-
humanis

A humanis rebus dictum esse videbatur, quia maior seruiet minori: videlicet quasi hoc tantummodo in rerum temporalium statu in eis esset implendum, dum in eorum posteris vnus regno sublimatus, alteri sibi subdito & seruienti dominatur. Erigit adhuc Apostolus intelligentiam nostram ad maioris rei considerationem adiuncto testimonio ex Malachia Propheta, in quo de eisdem geminis non temporaliter, sed æternaliter discretis, neque in rebus tantum temporalibus, sed etiam æternalibus magna distantia separatis, ipse Deus loquitur dicens: Iacob dilexi, Esaü autem odio habui. Vnde non aliter recte intelligitur hoc testimonium Propheticum, nisi fideliter illi quod ex Genesi sumptum est testimonio coniungatur: vt scilicet, sicut illud quod ibi dictum est, quia maior seruiet minori: ita etiam istud B quod in Propheta Deus loquitur: Iacob dilexi, Esaü autem odio habui, antequam nati essent, & antequam aliquid egissent bonum aut malum, in diuino enim vtique iusto iudicio vtrumque præcessisse accipiatur, id est, & dilectio Dei in Iacob, & odium Dei in Esaü. Et cum hæc duo, id est, in alterum dilectio, & in alterum odium Dei, & natiuitatem eorum, & omne meritum vitæ eorum iuxta verum & Apostolicum sensum præcesserint, cum nec isti possent imputari mala quæ necdum fecerat, nec illi bona aliqua quæ nulla perpetrauerat, ita solummodo iuste facta intelliguntur, vt omnipotens Deus qui æternaliter ista in suo iudicio, & de vnius electione, & de alterius reprobatione statuerat, ac præfinierat, originalem in eis reatum ex præuaricatione Adæ venientem, cui vterque ambo æqualiter tenebantur C obnoxij, futurum præuiderit. Vnde vnum misericorditer diligendo liberaret, alterum iuste odiendo reprobaret atque damnaret: Quatenus ex hoc fideliter intelligamus profundiorem & occultiorem diuini iudicij dispositionem, & illam generalem in Adam totius humani generis damnationem illuminante nos sensu Apostolico altius perspiciamus. Ex qua omnipotens Deus & quos voluerit sola sua gratia liberat: Et quos noluerit æterna sua æquitate condemnat. Et licet in hoc Prophetico testimonio quod Deus dicit: Iacob dilexi, Esaü autem odio habui, non sonet verbum prædestinationis: ipsa tamen rei veritas ita euidenter apparet in vtriusque partis electionem vel reprobationem, vt nihil fortius & expressius dici potuerit quam vt ex forma istorum geminorum alios omnipotens Deus æterna misericordia sua dilexisse, alios D æterno suo iudicio odisse, sua attestatione manifestetur. Huic testimonio prophetico & sensui Apostolico, videlicet, quo & dilectio & odium Dei duobus geminis adhuc in vtero materno positis ex misericordia & iudicio Dei intelligitur. Etiam illud de Esaia Propheta mirabiliter consonat & concordat: vbi omnipotens Deus & electi populi ab vtero auxiliator: & è contrario reprobi populi similiter tanquam ex vtero transgressoris condemnator ostenditur, dicente eodem Propheta imprimis ad populum electum. *Hæc dicit* Dominus faciens & formās te ab vtero auxiliator tuus. Deinde post aliqua ad populum reprobum ex persona Dei subiungens. Et transgressorem ex ventre vocaui te: vt certissime quod in illorum geminorum forma demonstratum declarat Apostolus E hoc in duplici genere hominum, electorum scilicet & reproborum, lucidissime tenendum appareat. Dum & isti diuino iudicio ex ventre transgressores arguuntur. Et illis similiter Deus ex vtero auxiliator ostenditur quatenus ex eadē massa originaliter tota damnata in vtero materno fiant alia vasa in honorem, & alia in contumeliam. Similiter & in testimonio Prophetico quod ita posuit, Moysi, enim dixit, miserebor cui miserebor & misericordiam præstabo cuius miserebor, manifeste verbum prædestinationis consonat. Res tamen ita manifesta est, vt de ea nullatenus dubitari possit. Cum se omnipotens Deus omnibus æqualiter ex prima illa transgressione damnatis, non vtique vllis præcedentibus bonis meritis, sed sola gratia sua misereatur cui miseretur, & misericors

fiat cui misericordiam præstiterit, manifeste cæteris quibus hanc gratiam conferre noluerit iusto & æterno suo iudicio odio habitis atque damnatis. Post hæc quartum testimonium Propheticum sicut & tertium de Exodo posuit, ita subiungens: Dicit enim scriptura Pharaoni: Quia in hoc ipsum excitaui te, vt ostendam in te virtutem meam, & annuncietur nomen meum in vniuersa terra. Vbi licet nomen prædestinationis expresse non sonet, tamen ipsa prædestinatio malorum merito iniquitatis suæ ad interitum sempiternum tam aperte ostenditur, vt qui hæc fideliter audit & intelligit de ea dubitare non possit: dum ille impurus & impius & indomabilis Rex Ægyptiorum diuino iudicio siue ex massa damnatæ originis, siue ad potestatem regij honoris in hoc tantummodo excitatus est, vt qui ex semetipso & semetipso dignus erat interitu æterno, apponente Deo iniquitatem super iniquitatem eius, augeret contemptum in Dominum qua tantis ac talibus plagis admirabili potentia Dei mereretur flagellari, & ad vltimum cum omni similiter impio populo suo æterna submersione & perditione deleri: vt & illi iustissime reciperent quod merebantur: & omnipotens Dei virtus siue in flagello, siue in perditione eorum magnificentius omnibus innotesceret, & ex vnius pœna plures ad cognitionem Dei & salutem suam proficerent. Sicut de hac re beatus Ambrosius euidentissime tractans ita dicit: Iustus Dominus in periculis, iustus in damnis, iustus in vlnneribus, non solum quia vnusquisque iuste culpæ suæ pretium luit: verum etiam quia dum vnus punitur plurimi corriguntur. Ananias in Actibus Apostolorum fraudati pretij, quod de agri venditione perceperat, crimen admisit, qui potuerat nihil offerre, & crimen euadere. Verum nequis impune circumscribendos Apostolos arbitraretur, aut misericordiæ suæ munus fraude contaminare perfidæ morti addictus æternæ, vniuersos ad fidei studium iusto terrore composuit. Pharao cum populo suo fluctibus mersus mundanæ conuersationis exemplum est, ne quis Dei populum persequatur. Denique potuit Deus eum voluntati suæ facere obedientem, sed eius pœna omnes voluit emendari. Ideóque dicit ad eum Dominus: Quia ad hoc ipsum te suscitaui, vt ostendam in te virtutem meam, & annuncietur nomen meum in vniuersa terra. Non vtique Dominus suæ laudis sed nostræ correctionis incrementa quærebat. Hæc beatus Ambrosius. Apostolus verò præmissis duobus testimoniis, quorum vnum ad misericordiam quæ electis confertur: alterum ad iudicium quod reprobis irrogatur pertinet: Et velut vtrumque concludens, & vtrumque clementi, & iusta voluntate Dei fieri docens subiungit: Ergo cuius vult miseretur, & quem vult indurat. Deinde aduersus audaciam & præsumptionem hominum, qui non recognoscentes fragilitatem suam nec propria merita attendentes, diuina potius iudicia, quæ non intelligūt, reprehendere non pertimescunt: Proponit quintum testimonium ex Esaia Propheta ita dicens: O homo tu quis es qui respondeas Deo? nunquid dicit figmentum ei qui se finxit, quid me fecisti sic? vbi & verbum prædestinationis minime sonat: & tamen ipsa in vtramq; partem prædestinationis iustitia tam clare & perfectè defenditur, vt omnino compellat fideliter audientem verissime cognoscere, quia ille solus omnipotens creator verus est figulus, & omnes homines de limo terræ ab eo conditi, eius figmentum. Et ideo iustissima ratione non posse iudicare figmentum de figulo suo, sed potius figulum de figmento suo. Qui solus nouit æterno consilio suo vnumquodque vas tam magni figmenti sui benigne formare, & ad quos vsus ei placuerit vtique iustos & debitos ordinare atque disponere. Quod vt adhuc apertius insinuet adiūgit sextum testimonium ex Hieremia Propheta, & dicit: An non habet potestatem figulus luti ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud verò in contumeliam? Ibi namque, id est, in Hie-

remia Propheta legimus dixisse Dominum ad eum: **D** Surge descende in domum figuli, & ibi audies verba mea. Cumque ingressus fuisset Propheta; Ecce figulus faciebat opus è luto manibus suis, & subito dissipatum est opus quod faciebat: statimque conuersus fecit illud vas alterum sicut placuerat in oculis suis. Tunc Propheta iussus est ire & clamare ad populum ex persona omnipotentis Dei: Nunquid sicut figulus iste non potero facere vobis domus Israël? ait Dominus; Ecce sicut lutum in manu figuli, sic vos in manu mea, &c. Qua lectione Prophetica manifeste Deus ostendit, & se esse figulum, & omne humanum genus in manu ipsius quasi lutum in manu figuli, vt ex eo faciat vasa diuersa, sicut placuerit in oculis eius: Ex vna videlicet massa & rota in Adam æqualiter damnata **B** efficiens vasa suo iudicio distincta atque diuersa, dum aliud ex eis fit in honorem, aliud vero in contumeliam: Et illud etiam vas quod suo merito & diuino iudicio fingitur in interitum, si subito per pœnitentiam, figuli inter manus dissipetur, vt iam non sit aptatum in interitum continuo per sapientiam & bonitatem figuli formatur & efficitur vas alterum, vt sit in honorem vt placeat oculis conditoris. Cumque in omnibus his verbis non inueniatur propriè expressa prædestinatio, ipsa tamen prædestinationis virtus, & veritas in vtramque partem, & electorum videlicet, & reproborum, & vasorum in honorem, & vasorum in contumeliam. Tanta luce manifestantur, tanta discretione distinguntur, vt nihil certius vel manifestius inueniri possit. **C** Quæ omnia idcirco tam sollicita & diligenti consideratione legentibus proponenda existimauimus, vt iuxta hanc formam sensus Apostolici in omnibus scripturis Propheticis non multum laboremus de verbo prædestinationis: Cum omnino ipsa veritas rerum ad diuinam prædestinationem pertinentium tam clare & multipliciter ibi proponatur, vt vix ea omnia inuenire vel capere sufficiat humana fragilitas. De quibus hic aliqua exempli gratia subiungere, maxime, quæ planiora & euidentiora sunt, necessario studuimus, vt ex his & pacifice ac fideliter audientes facilius informentur, & contentiose seueritatem suscipere non renuerint, citius corrigantur. Nec de illa nunc electorum prædestinatione aliquid dicimus, cum ad eam intelligendam ac fideliter credendam & plenissi- **D** me omnia sufficiant Prophetica testimonia ab Apostolo sicut ostendimus lucidissime prolata. Nec de ea Domino largiente, aliquis nostrum dubitet; sed tantum de illa iusti iudicij prædestinatione qua impios ad interitũ præordinauit ac prædestinauit; de qua inter multos multa hæsitatio est, pauca ex multis & manifesta testimonia replicamus. Legimus namque in libro Genesis quod omnipotens Deus totius humani generis interitum præter eos qui misericordia ipsius in archa erant saluandi propter nimias iniquitates & impietates ipsorum, vt generaliter & in præsenti perirent, pœna diluuij deleti, & in futuro æterna damnatione puniti lõge ante prædixerit ad sanctum Patriarcham Noë ita loquens; Finis vniuersæ carnis venit coram me: Repleta est terra iniquitate à facie eorum, & ego disperdam eos cum terra. **E** De qua etiam generali omnium perditione paulo superius eadem scriptura dicit: Dixitque Deus: non permanebit spiritus meus in homine in æternum quia caro est. Eruntque dies illius centum & viginti annorum: Et post pauca; Vidẽs autem Deus quod multa malitia hominum esset in terra, & cuncta cogitatio humani cordis intenta esset ad malum omni tempore, pœnituit eum quod hominem fecisset in terra: vbi & paulo post subditur: Delebo, inquit, hominem quem creaui à facie terræ ab homine vsque ad animantia, à reptili vsque ad volucres cœli. Pœnitet enim me fecisse ea. Quid euidentius tali prædictione & prædestinatione de generali omnium impiorum, quibus tunc mundus plenus erat in terra: Quam & sancto & electo Patriarchæ longe ante Deus annunciare voluit, & apud se in æterna & interna cõsilij sui dispositione statuit ac præfiniuit; dum non per Angelum, nec per Prophetam aliquem illius temporis, sed apud semetipsum hæc statuisse & præfinisse ostenditur. Et tamen benignissimus iudex & conditor etiam illos quos merito iniquitatum & impietatum eorum ad tam horrendum exitium atque interitum prædestinauerat, non sine misericordiæ suæ bonitate & pietate reliquit, tribuens eis tempus & spatium pœnitẽdi vt intra centum & viginti annos aut digne pœnitendo Deo satisfacerent: aut si secundum duritiam suam & cor impœnitens thesaurizarẽt sibi iram in die iræ, inexcusabiliter perirent. Ita illos & merito impietatis suæ ad interitum prædestinauit, nec tamen ipsa prædestinatione ad peccandum vllatenus impulit quos tot annis ad pœnitentiam expectauit. De illorum infœlici contumacia & damnatione terribili etiam liber Ecclesiasticus adiuncto eorum interitu qui educti ex Ægypto per Moysem terram repromissionis propter incredulitatem suam intrare non potuerunt, sed eorum cadauera prostrata sunt in deserto, ita dolenter & lamentabiliter loquitur dicens: Non exorauerũt pro peccatis suis antiqui Gigantes qui destruxerunt confidentes suæ virtuti, & non pepercit peregrinationi illorum & exsecratus est illos præ superbia illorum, non misertus est illis gentem totam perdens & extollentem se in suis peccatis: Et sicut sexcenta millia peditum qui congregati sunt in duritia cordis sui: Et si vnus fuisset ceruicatus, mirum si fuisset immunis. Misericordia enim & ira cum illo, potens exoratio, & effundens iram. Secundum misericordiam sic correptio illius hominem secundum opera sua iudicat. Talis est illa prædictio atque prædestinatio Dei loquentis ad Abraham de futura oppressione atque afflictione & ereptione seminis eius: Et econtrario damnatione & perditione oppressorum illius, cum ei ita dixit: Scito prænoscens quod peregrinum futurum sit semen tuum in terra non sua, & subiicient eos seruituti & affligent quadringentis annis: Veruntamen gentem cui seruituri sunt, ego iudicabo: Et post hæc egredientur cum magna substãtia: Tu autem ibis ad patres tuos in pace sepultus in senectute bona: Generatione autem quarta reuertentur huc: necdum enim completæ sunt iniquitates Amorrhæorum vsque in præsens tempus. Quid hac prædestinatione manifestius? qua & semen Abrahæ tot annorum curriculis prædicitur in terra aliena peregrinaturum, & seruituti subiiciendum atque affligendum & ex ipsa afflictione gloriosissime liberandum, & præfinito tempore, id est quarta generatione, ad terram patribus repromissam reuersurum, ipsumque beatissimum Patriarcham in pace & senectute bona patribus sociandum. Econtrario autem gentem & Regem Ægyptiorum qui eos expressuri erant, æterno Dei iudicio perditioni perpetuæ destinatos. Similis est, aut etiam multo ardentior illa prænunciatio ac prædestinatio de interitu Amorrhæorum, immo septem gentium pessimarum quas tanto ante omnipotens Deus merito impietatis ipsorum se disperditurum ac deleturum statuisse ac præfinisse, ad Abraham loquens manifestissime declarauit, cum ei dixit: Necdum enim completæ sunt iniquitates Amorrhæorum vsque in præsens tempus: promiserat namque eidem sanctissimo Patriarchæ quod illis deletis regna & terras eorum semini eius in possessionem traderet. Nec tamen hoc Iudex iustus & misericors, velut personarum, quod absit, acceptor, propter solam bonitatem & promissionem suam ad Abraham facere voluit: sed secundum diuitias bonitatis, patientiæ & longanimitatis suæ tot sæculis expectauit & distulit, & spatium pœnitentiæ dedit, vt illarum gentium multitudo si in suis impietatibus perseueraret, & peccatorum suorum cumulum adimpleret, in plenitudine iniquitatum suarum iustissime puniretur: Eiusque loco semen Abrahæ quod Deo erat seruiturum non personæ acceptione, non iustitiæ & æquitatis suæ merito, sed sola diuina bonitate suc-

cederet

cederet. Cumque iam tempus appropinquaret, & perditionis earumdem gentium propter iniquitates suas, & introductionis seminis Abrahæ in terras earum per misericordiam Dei, ita de earum peccatis, & instāti iusta perditione ad ipsum semē Abrahæ, id est ad populum Israel Deus loquitur dicens: Ne polluamini in omnibus his, quibus contaminatæ sunt vniuersæ gentes quas ego eijciam ante conspectum vestrum, & quibus polluta est terra, cui⁹ ego scelera visitabo vt euomat habitatores suos. Et post pauca: Omnes enim execrationes istas fecerunt accolæ terræ qui fuerūt ante vos, & polluerunt eam. Cauete ergo ne & vos similiter euomat cum paria feceritis, sicut euomuit gētē quæ fuit ante vos. Iā vero de extrema earumdem gentium perditione qua & in præsenti & in futuro sæculo procul dubio perierūt, ita generaliter scriptura loquitur dicens: Domini enim sententia fuerat, vt indurarentur corda eorum, & pugnarent contra Israel & caderent, & non mererentur vllam clementiam, ac perirent, sicut præceperat Dominus Moysi. Quid apertius inueniri potest de prædestinatione impiorum ad interitum sempiternum, quam quod omnipotens Deus qui hoc futurum in occulto iudicio suo statuerat, tanto ante & Abrahæ ista prædixerat, & ipse postea mediis temporibus frequentissime comminatus est, & ad extremum eius sententiæ, id est consilii atque iudicii fuisse scriptura confirmat vt non mererentur vllam clementiam, sed in sua impietate atque contēptu funditus & æternaliter perirent. De his diuinis iudiciis etiam liber sapientiæ ita ad Deum loquitur dicens: Quis enim dicet tibi quid fecisti? aut quis stabit contra iudicium tuum? aut quis in cōspectu tuo veniet vindex iniquorum hominum? aut quis tibi imputabit si perierint nationes quas tu fecisti? Nec enim est alius Deus quam tu. cui cura est de omnibus: vt ostendas quoniam non iniuste iudicas iudicium, neque Rex, neque Tyrannus in conspectu tuo inquirent de his quos perdidisti; cum sis ergo iustus, iuste omnia disponis. Item cum eadem scriptura distantiam faceret diuinę bonitatis erga populum suum, & iustæ seueritatis erga inimicos ipsorum, Ægyptios scilicet quos æternæ perditioni destinauerat ita dicit. Ostēdens quemadmodum tuos exaltares & aduersarios illorum necares. Cum enim tentati sunt, & quidem cum misericordia disciplinam acceperunt, scierunt quemadmodum cum ira iudicati impij tormenta paterētur: Hos quidem tanquā pater monens

Sap. 11. 1 probasti: Illos autem tāquam rex durus interrogans condemnasti. Et iterum: Oportebat enim illis quidem sine excusatione superuenire interitum exercentibus tyrannidem: His autem tantum ostendere, quemadmodum

Sap. 16. 4 inimici illorum exterminabantur. Et iterum: tetigit autem tunc & iustos tentatio mortis, & commotio in Heremo facta est multitudinis, sed non diu permāsit ira tua: Erat enim sola tentatio iræ sufficiens, impiis autem vsque in nouissimum sine misericordia ira superuenit. Et paulo post de æterno eorūmdem Ægyptiorum in mari rubro interitu, ita dicit: Adhuc enim inter manus habentes luctum & deplorantes ad monumenta mortuorum, aliam sibi assumpserunt cogitationem inscientiæ, & quos rogantes proiecerant, hos tanquam fugitiuos persequebantur: Ducebat enim illos ad hunc finem digna necessitas, & eorum quæ acciderant cōmemorationem amittebant: vt quæ deerant tormentis, repleret punitio, & populus quidem tuus mirabiliter transiret; illi autem nouam mortem inuenirent. Similiter in libro Danielis

Dan. c. Prophetæ quatuor futurorum magnorum & cardinalium regnorum & ordo, & tempora, & æterna destructio iuxta diuinæ prędestinationis iudicium siue sub specie quatuor metallorum in statua à Rege in somnis visæ siue sub diuersitate quatuor bestiarum de mari ascēdentium; siue aperta prænūciatione regum atque bellorum vsque ad tempora & interfectionem atque interitum ipsius Antichristi, & aduētum Christi ad iudicium admirabili Dei præscientia & dispositione manifestātur. Quæ vtique regna adiūcto regno Antichristi quanta & quam horrenda mala in vniuerso mundo exercuerint, & inquantum maximè Ecclesiam Dei oppresserint & impugnauerint quis dignè æstimare sufficiat? Et tamen vt omnia hæc æterno præscientiæ & prædestinationis diuinæ iudicio facta vel futura esse intelligantur; tam mirabiliter, vt diximus, suo ordine prædicta, suis temporibus distincta, suis terminis finienda, tanto ante prophetica reuelatione & agnita & descripta sunt. Quod si etiam ipsum nomen prędestinationis quod nihil est aliud quam decretum & præfinitio diuini iudicii in verbis propheticis inuenire cupimus: Est locus mirabilis & memorabilis apud Esaiam Prophetam, vbi historice de regni Babylonii, & Assyrii destructione, mystice autem de totius ciuitatis diaboli in fine sæculi perditione loquitur, & omnipotentem Deum iurantem, id est, immobili veritate sua verba firmantem inducit & ait: Iurauit Dominus exercituum dicens, si non vt putaui ita erit: Et quomodo mente tractaui sic eueniet. Et paulo post: hoc consilium quod cogitaui super omnem terram: & hæc est manus extenta super vniuersas gentes: Dominus enim Deus exercituum decreuit, Et quis poterit infirmare, & manus eius extenta, & quis auertet eam? Ecce manifeste prædestinatio interitus reproborum, id est, omnium gentium populo Dei aduersantium & inimicarum per diuinæ mentis tractatum & consilium atque decretum, & per manus extensionem, per quam omnia opere implenda & perficienda significantur sub iusiurandi testificatione, id est diuini consilii immobili firmitate apertissime declaratur. In illa quoque visione arboris magnæ, cuius aspectus erat vsque ad fines terræ, quam Rex vidit in somnis Deo iubēte abscidi, per quam significabatur altitudo mundanæ potentiæ quæ superbiæ merito frequenter diuino iudicio subuertitur & dissipatur: vt diuini consilii prædestinatione atque decreto & sententia per Angelorum Sanctorum ministeria hæc fieri demonstrentur. Sic ipse Rex in eiusdem somnii narratione ait: Videbam in visione capitis mei super stratum meum, Et ecce vigil & sanctus de cœlo descendit, Clamauit fortiter & sic ait: Succidite arborem, & præcidite ramos eius, excutite folia eius, & dispergite fructum eius, &c. Et post pauca: In sententia vigilum decretum est & sermo Sanctorum, & petitio, donec cognoscant viuentes quod dominetur Excelsus in regno hominum, & cuicūque voluerit, dabit illud, non enim hæc propter solum Nabuchodonosor gesta sunt; sed ad terrorem & humiliationem omnium mundialium potestatum; qui legunt ista vel audiunt, vt omnes contremiscant, omnes cognoscant quod dominetur Excelsus in regno hominum: Cuius potestate atque iudicio regnandi potentia aliis atque aliis tribuatur. Quod quia per Angelica ministeria disponitur atque peragitur, etiam in sententia vigilum decretum esse, & sermo Sanctorum, & petitio in talibus impleri dicitur. Quam tamen vigilum sententiam Propheta in sequentibus sententiam Altissimi esse testatur dicēs: Hæc est interpretatio sententiæ Altissimi quæ peruenit super Dominum meum Regem. Ista itaq; iudicii diuini sententia, qua, vt talia gerantur in mundo, decretum & præfinitum est apud Deum & Altissimi est & Angelorū sanctorum: sed Altissimi iudicando & iubēdo, sanctorum vero Angelorum qui sub illo & secundum illum omnia inferiora iudicant, obediendo & exequendo. Inde accipiunt potestatem, vt sit sermo eorum in talibus tanquam iubentium. Et tamen petitio adiungitur, vt quæcunque in mundo per eos exercenda sunt, apud Deum orando obtineātur. Hæc prædestinatio & prefinitio diuini iudicii etiam apud Ezechielem Prophetam breuiter ostenditur vbi in persona totius regni & sacerdotii Iudaici merito impietatis suæ in nouissimis temporibus Christo Domino adueniente destruendi ad reprobum regem dicitur: Tu autem prophane impie dux Israel cuius venit dies in tempore iniquitatis præfinita. Tale est & illud apud eūdem Prophetam, quod Dominus ad gladium exacutum atque limatum ad cædem & perditionem impiorum, ita

dicit: vt dareris super colla vulneratorũ impiorum; quorum venit dies in tempore iniquitatis præfinita. A Sic igitur vtramq; prædestinationem & Apostolus in Epistolis suis & Prophetæ in scripturis antiquis manifestissime ostendunt: per quam nihil iniuste, nihil inordinate, sed totum iustitia & ratione disponitur. Quam auctoritatem Apostolicam, atque Propheticam beatus Augustinus fideliter sequens in iustis Dei iudiciis & dispositionibus non timuit prędestinationem verissime dicere; non, sicut iste dicit, fallaciter simulare, qui nobis duas, nescio quas mendacissimas & fallacissimas regulas tradere conatur, id est, à simili, & à contrario, vt quod per vnam quasi veraciter affirmatur, per alteram, quasi falsum sit, penitus destruatur. Ita vult vt quicquid vel in Scripturis sanctis, vel in dogmatibus patrum de hac prædestinatione B quæ ad partem reproborum pertinet, simpliciter & veraciter dicitur, licenter velut à contrario ita intelligatur, vt factum pro non facto, & dictum pro non dicto positum intelligatur. Quis vnquam talem audiuit insaniam? nunquid non procul ab auribus omnium repellẽdus est, qui tam apertum & impium mendacium contra veritatem scripturarum, contra puritatẽ paternæ doctrinæ audet sentire. Et cum tanta fallacissimis argumẽtationibus suis dixerit atque cõscripserit, hic pene in extremo velut per somnium recordatus est Scripturarum sanctarum & Apostoli, & Augustini. Et tamen quod per Scripturas sanctas & Apostolum definit, nihil de prædestinatione malorum ad supplicium æternum dici, quam apertum mendacium sit, supra sufficienter putamus ostẽsum. Dicit de Deo secundum ridiculam & omnibus conspuen- C dam regulam suam: præsciuit quæ facturus nõ esset pro nesciuit. Quis audiuit vnquam tale? vt vbi legimus quod Deus aliquid præsciuit, intelligatur; nesciuit. Quod vtiq; vtrumque falsum est, vt aut præsciuit intelligatur nesciuit, aut quod Deus facturus non esset, dicatur quia nesciuit: Qui vera & æterna scientia sua, sicut præsciuit quæcunque erat facturus; etiam præsciuit quæcunq; nõ erat facturus: verbi gratia, præsciuit quod Lazarum esset resuscitaturus, & fecit: præsciuit quod Iudam nõ esset suscitaturus nec fecit; iste autem dicit, prædestinauit impios ad interitum vel supplicium æternum, pro non prædestinauit; vt vbi legimus prædestinauit inaudita insania intelligamus non prædestinauit. Proponit etiã quæstionẽ quomodo iuste iudicabitur mũdus quem necessitas præ- D destinationis cogit perire, quod absit vt aliquis nostrum dicat: Quia apertissimę blasphemiæ est, vt Deus prædestinationis suæ præiudicio aliquem cogat peccare & peccãdo perire. Sed prædestinationis suæ iusto iudicio quos perseuerãtes in peccatis punire decreuit, reuocat potius à peccatis, & salubrem terrorem incutit audientibus, vt timentes corrigantur, & correcti minime damnentur. Duodecimo capitulo huiusmodi definitiones ponit: Omnem præsciẽtiam Dei prædestinationẽ esse, & omnẽ prædestinationem præscientiam. Omnem prædestinationem Dei omnino esse præparationem gratiæ: omnẽmque gratiam, donum. Omnem igitur diuinam prædestinationem donorum eius præparationem. Pœnam impios iuste torquere, quæ donum non est: Alioquin si esset donum, nõ torqueret, sed vtique liberaret. Non es- E se igitur prædestinationem pœnæ: Quod si esset, non esse pœnam, sed gratiam: Esse autem pœnam: non esse igitur prædestinationem eius. Proinde prædestinationem in donis diuinæ largitatis semper intelligẽdam esse prædestinatos ad pœnam à contrario semper intelligi, sicut electos pro non electis: filios Dei pro non filiis. Eas quatuor propositiones longissimas & vanissimas, & velut syllogismorum artificio contextas facile diiudicare & distruere potest qui ea quæ superius iuxta regulam fidei Domino largiẽre diximus, studiose legerit, & fideliter intellexerit. Quis. n. non intelligat quam blasphemum & impiũ sit, quod hic primo loco posuit dicens: omnẽ præscientiam Dei prædestinationem esse; cum manifeste fides teneat omnipotentem Deum præscire omnia. i. bona & mala: & quæ facturus ipse sit, & quæ facturus nõ sit: prædestinare autem non nisi sola bona quæ ipse facturus sit, vel misericorditer liberando, vel remunerando electos, vel iuste reprobos condemnando. Quia quod iustum est, vtique bonum est. Si ergo iuxta istius definitionem omnis præscientia Dei, prædestinatio est, Ergo omnia quæ præsciuit, etiã mala, prædestinauit se esse facturum, quod absit. Quia mala tantummodo præsciuit, nec ea vllo modo prædestinauit, quia nec ipse ea erat facturus, sicut omnia quæ prædestinauit, neque vt fierẽt ipse statuit aut præfiniuit. Similiter secũdæ propositionis caput à falsitate incipit; Et ideo etiã falsitate finitur. Dicit enim omnem prædestinationem Dei, omnino esse præparationem gratiæ: Quod non ita esse superius Apostolicis & Propheticis testimoniis satis ostensum est, vbi aperte inuenimus & demũstrauimus prædestinationem Dei dupliciter debere intelligi. i. aut in bonis misericorditer remunerãdis, aut in malis iuste damnandis. Et ideo sicut verba beati Augustini quæ supra posuimus manifestissime docent, prædestinatio Dei quando in bono accipitur, tunc tantũ intelligenda est gratiæ præparatio. Tertia propositione, similiter falsissimum est, quod affirmare conatur, videlicet non esse vllam prædestinationem pœnæ. Si enim pœna Diabolo & Angelis eius, & omnibus reprobis, qui cum eis puniendi sunt, non esset prædestinata, nullatenus veritas diceret; Ire in ignem æternum, qui paratus est Diabolo & Angelis eius. Et quod in fine huius tertiæ propositionis posuit, prædestinationem in donis diuinæ largitatis semper intelligendam esse, similiter falsum est: Inuenitur enim & veraciter intelligitur non solũ in donis diuinæ largitatis, sed etiam in iudiciis iustæ dãnationis. Quarta eius propositio quæ ita se habet prædestinatos ad pœnam à contrario semper intelligi ad illam insaniam pertinet, de qua superius satis diximus, qua vult vt intelligamus prædestinatos, id est, non prædestinatos. Quod autem, velut exempli gratia subiunxit: sicut electos, pro non electis, filios Dei, pro non filiis, melius in sequenti capitulo tractabitur, vbi de his quid ipse sentiat latius exponit. Recordandum tamen & recognoscendum est beatum Augustinum, sicut superius posua eius verba demonstrans dixisse aliquando in scripturis præscientiam Dei prædestinationem significare. Ex quibus verbis iste velut occasionem suæ argumentationis assumens contra eius veracissimum dictum quod ille aliquando ita docuit debere intelligi, iste addit omnem, & tulit aliquando. Atque ita fecit definitionem falsissimam dicendo: Omnem præscientiam Dei, prædestinationem esse. Item quia B. Augustinus, sicut supra posuimus, definiuit prædestinationem Dei, præparationem gratiæ esse quod tantummodo iuxta illius sensum in parte electorum intelligitur: Iste addidit omnem, & fecit definitionem falsissimam dicendo: omnem prædestinationem Dei, omnino esse præparationem gratiæ. Tertio decimo capitulo ita dicit: electum Iudam pro non electo, & filios Dei, pro non filiis à contrario accipi. Sic idem amicus, qui nunquam non fuerat inimicus: frustra quæri filios Dei præter eius electos: frustra putari eius electos præter ab eo prædestinatos. Item impie putari prædestinatos à Deo præter eius electos superuacue æstimari electos Dei pręter eius filios, nec esse prædestinatos si non sint filii Dei prædestinatos ad pœnas, vel interitum, vel supplicium, nihil aliud sentiendum nisi non prædestinatos: sed à massa damnabili merito peccati originalis atq; propter nõ esse separatos. Ideóq; impie viuere permissos ęterno igne puniendos. In his verbis quod ita intelligit Iudam inter electos Apostolos à Domino connumeratum vbi ait: nonne duodecim vos ego elegi vt cęteri intelligãrur vere electi. Ille verò velut à contrario per ironiam ita sit appellatus, melius est ita accipiatur, vt veritas verum dixisse agnoscatur vt omnes duodecim, electi à Domino esse intelligantur, sed aliter cæteri, aliter Iudas, i. illi ęternaliter ad regnum, iste temporaliter ad ministerium.

sterium. Electus namque ad tempus inter cæteros ad Apostolicum ministerium missus ad prædicationis officium. Accepit etiam forsitan gratiam miraculorum. Vnde & beatus Petrus in Actibus Apostolorum sic de eo loquitur, quandoquidem connumeratus erat in nobis & sortitus est sortem ministerij huius. Et cum statuisset duos & orarent vt Deus ostenderet quis ex eis in locum quem ipse prçuaricādo amiserat constitui deberet, ita supplicantes dixerunt: Tu Deus qui corda nosti hominum, ostende quem elegeris ex his duobus accipere sortem ministerij huius & Apostolatus de quo præuaricatus est Iudas vt abiret in locum suum. Ita ergo electus erat à Domino vt temporali quadam dispensatione coniungeretur Apostolis, & sortiretur cum eis sortem ministerij & Apostolatus: ita vt de ipso gradu Apostolico dicatur esse præuaricatus, quod tamen Dominus non fecit quasi ignarus futurorum qui semper nouerat in æterna sua præscientia, & cæterorum Apostolorum perseuerantissimam fidem & illius casum & ruinam futuram: sicut beatus Ioannes Euangelista dicens testatur: sciebat enim ab initio Iesus qui essent credentes, & quis traditurus esset eum, vnde & ipse Dominus, cum dixisset illud quod supra commemoratum est: Nonne duodecim vos elegi, tanquam vere præscius futurorum, statim subiunxit: & vnus ex vobis diabolus est. Quod Euangelista exponens de quo dixerit, addidit continuo. Dicebat autem Iudam Simonis Iscariotben: hic enim erat traditurus eum cum esset vnus ex duodecim: nouerat etiam locum dānationis eius in supplicijs sempiternis qui merito impietatis suæ fuerat destinatus & prædestinatus, vnde & ab Apostolis dictum est, vt abiret in locū suum. Et ipse Dominus ait, Væ hominū illi per quem filius hominis tradetur: bonum erat ei si natus non fuisset homo ille. Et tamen voluit eum, vt dictum est, ad tempus ministerium & locum Apostolatus accipere, vt cum ille male abusus fuisset tanta Domini bonitate, Dominus econtrario bene vteretur magno eius malo ad nostrum magnum bonum. Docens tali exemplo futuros in Ecclesia sua malos admistos, sicut & iste in illa tunc societate Apostolorum ad tempus mixtus est: & communicaturos cum Ecclesia non solum sacramenta & ministeria diuina, sed etiam locum regiminis: atque ita monstraret suis exemplum patientiæ, quam patienter, scilicet tolerantes malos, sicut ipse istum & verissime nouerat & mira patientia tolerabat: nec putarent veri fideles talium societate se pollui, vel eorum ministeria, quæ secundum Deum sunt, respuenda. Sicut nec beati Apostoli illius ficta societate polluebantur: nec eius ministerium, in quantum secundum Deum fiebat, est improbatum, cumque vsque ad proditionis malum eius infœlicitas peruenisset, tam magnum vnius hominis malum conuertit in totius mundi bonum, dum per hoc ipse verus immolatus est agnus qui abstulit peccatum mundi: atque ita in tantum bene bonus Dominus eum elegit ad bonum, & vt bona sua illi concederet & mala illius in nostrum bonum commutaret. Quia quod præuaricatus est, quod periit, suæ malitiæ fuit: Quod autem inter bonos electus est, bonitatis Domini. Si permansisset in bonitate, sicut Apostolus ait. Vide ergo bonitatem & seueritatem Dei, in eos quidem qui ceciderunt, seueritatem: in te autem bonitatem, si permanseris in bonitate. Quantum ergo ad temporale Apostolatus ministerium adtinet, de quo Dominus tunc loquebatur cum diceret: nōne duodecim vos elegi, bene potest dici & iste inter cæteros electus. Quantum vero ad æternam beatitudinis electionem illi tantummodo electi erant, de quibus cum inter istum & illos faceret distinctionem, ait: non de omnibus vobis dico, ego scio quos elegerim. Atque ita bene & vere potest intelligi dictum & adiuncto Iuda: nonne duodecim vos elegi, & illo segregato tanquam reprobo: Ego scio quos elegerim. Nec necesse est econtrario accipi. Quod vtrumque verum euidenti ratione monstratur. Sic namque etiam de Saule scriptum est, cum esset

A eligēdus ad regnū cui in multis vtilis erat futurus, quod etiam sorte electus accepit dicente scriptura: Erat vir de tribu Benjamin vocabulo Saul electus & bonus, & non erat de filiis Israel melior illo: Qui tamen postea infœlicissime reprobatus & abiectus periit: Et tamen ad tempus bene ad tēporalē quādā regni vtilitatem electus dicitur: Qui & mystica vnctione & sortis electione per Prophetā sanctū Dei populo prælatus est. Vbi autē scriptura Euangelica specialiter filium nominet Iudā, nos minime legimus. Quod .n. Dominus de Apostolis ait, Non possunt filij sponsi ieiunare, quandiu cum illis est sponsus: nulla necessitas cogit vt non etiam Iuda excepto possit de cæteris tantummodo dictum recte intelligi. Ad quos vtique solos illo iam perdito, illud pertinet quod Dominus subiungit dicens: Venient autem dies cum aufe-
B retur ab eis sponsus, & tum ieiunabunt in illis diebus. Sed si quis etiam ipsum Iudam in his verbis Domini inter filios vult intelligi deputatum manifeste hoc propter aliquam fidem illius in Dominum, & sacramentorum societatem qua sanctis Apostolis iungebatur, non à contrario, sed bene & consequenter ita potuit appellari. Sic & cum Dominum iam tradenti, & eum osculo designanti ipse Dominus ait: Amice ad quid venisti? bene potest intelligi, non quod tunc gerebatur, sed quod dudum fuerat ei exprobratum: vt cum fuisset aliquando secundum quendam modum discipulus & amicus, in tam crudelem & impium inimicum repente esset mutatus. Sed si hoc per Ironiam dictum intelligatur, sicut & intellectum est à quibusdam, non propterea aliquid valebit huius noui & insulsi disputatoris regula: Quia aliud
C est more humano aliquid per ironiam significare quod verùm est sicut cùm malo homini indignantes vel increpantes dicimus, bonus homo es: vel male agenti, bene agis, & inimico, amice: & multa similiter: aliud iuxta diabolicam illius regulam aperta falsitate negare quod verum est, vt cum aliquis merito impietatis suæ diuino iudicio veraciter dicitur prædestinatus ad supplicium: Iste noua insania fallaciter doceat dictum, prædestinatus non prædestinatus: quo peruersissimo & falsissimo sensu nunquam in rebus ad fidem pertinentibus, quod absit, scriptura loquitur, nunquam aliquis doctor Ecclesiasticus, numquam aliquis vir verax loquutus est. Si autem non ad peccandum, quod absit, sed ad luendum pro peccatis supplicium nemo iusto Dei iudicio est præ-
D destinatus, quid est quod Apostoli in oratione sua ad Dominum de Iuda dixerunt: de quo præuaricatus est Iudas, vt abiret in locum suum? Quid est quod Salomon ait: vniuersa propter semetipsum operatus est Dominus impium quoque ad diem malum. Quid est quod in libro Iob legitur: quia in diem perditionis seruatur malus, & ad diem furoris ducitur. Quid de Ægyptiis in mari rubro & æternaliter dolendis atque perituris scriptura dicit: Ducebat enim eos ad hunc finem digna necessitas: vbi aperte ostenditur, quia & ducebat eos diuini Iudicij necessitas ad interitum; & tamen digna pro meritis impietatis & contemptus eorum. Quid est etiam illud quod alibi scriptum est, & qui transgreditur à iustitia ad peccatū, Deus parauit illum ad romphæam. Qui etiam de Antichristo adhuc in fine sæculi
E reuelando & extinguendo, dixit Angelus ad beatū Ioannem in Apocalypsi: Bestia quam vidisti fuit, & non est, & ascensura est de Abysso, & in interitum vadit. Si hoc non est prædestinatū apud Deum, quomodo idem Angelus dicit: Hæc verba fidelissima & vera Dei sunt. Si idem Antichristus homo peccati, filius perditionis cum omnibus sequacibus suis non est ad iudicium æternæ damnationis prædestinatus; quomodo tam aperte de eo dicit Apostolus, quem Dominus Iesus interficiet spiritu oris sui, & destruet illustratione aduentus sui: Et de omnibus qui ab eo seducendi, & cum eo in æternum perituri sunt: post pauca subiungit: Eo quod charitatem veritatis non receperunt, vt salui fierent. Ideo mittet illis Deus operationem erroris vt credant mendacio: & iudi-

gentur omnes qui non crediderunt veritati, sed cõsense- A
rũt iniquitati. Quomodo dicitur apud Ezechielem Pro-
phetam: ad gladium exacutum & limatum ad cædem &
interitum impiorum, vt dareris super colla vulnerato-
rum impiorum, quorum venit dies, in tempore iniqui-
tatis, præfinita. Qui etiam idem Propheta de Iudæis &
regnum & sacerdotium amissuris, & in sua infidelitate
perituris sub persona impii regis dicit: Tu autem pro-
phane impie dux Israel, cuius venit dies tempore iniqui-
tatis præfinita: Hæc dicit Dominus: Aufer cydarim,
tolle coronam. Coronam quippe esse regni, Cydarim
verò sacerdotii, vt supra iam diximus, manifestum est.
Quod si quis opponat in his duobus propheticis exem-
plis non esse positam prædestinationem, sed præfinitio-
nem, cognoscat veraciter nihil esse aliud prædestinatio- B
nem quam rei futuræ præfinitionem: Quod aperte Apo-
stolus ostendit dicens: secundum præfinitionem sæcu-
lorum quam fecit in Christo Iesu Domino nostro. Vbi
enim hic in Latino legimus præfinitionem, in Græco
habet πρόθεσιν. Quod propriè in Latinum propositum
interpretatur. Qui sermo etiam in Epistola ad Romanos
alio loco est positus, vbi idem Apostolus dicit: Scimus
autem quia diligentibus Deum omnia cooperantur in
bonum his qui secundum propositum vocati sunt. Pro-
positum autem Dei non esse aliud quam prædestinatio-
nem Dei ipse Apostolus velut exponit, qui cum dixisset,
his qui secundum propositum vocati sunt, statim adiun-
xit, Nam quos præsciuit, & prædestinauit cõformes fieri
imagini filii sui: vt ex his omnibus rectissime intelliga-
mus vnũ atq; idẽ esse & propositũ Dei & prædestinatio- C
nẽ Dei, & præfinitionẽ Dei, Quæ præfinitio. i. prædesti-
natio, manifestissime, & in his verbis Apostoli ponitur in
bono, & in illis verbis Prophetæ, quæ supra memorani-
mus ponitur in malo, dum hîc designat præordinatos ad
vitam, ibi vero præordinatos ad interitum. Tales nãque
sunt vasa iræ, sicut ipse Apostolus ait, aptata in interitũ:
siue vt alii transtulerunt, perfecta in interitum. Et suo
videlicet merito, & iusto diuino iudicio. De quibus cum
iste dicat, quod in massa damnata ex originalis peccati
merito sint derelicti & male viuere permissi, & ad extre-
mum æterno igne plectendi; etiam nolens & contradi-
cẽs nihil aliud dicit, quã diuino eos iudicio æterno igni
prædestinatos. Nam si massa illa tota damnata est, vtique
iusto Dei iudicio est condemnata: & condemnata sine D
dubio ad æternam perditionem atque supplicium. Quod
quid est aliud quam hãc eandem massam diuino iudicio
damnatam esse ad interitum sempiternum. Ita dum ve-
ritati resistere conatur, ipsam veritatem etiam nolens ac
Cap. 12. nesciens inuicta ratione confiteri compellitur XIV.
Quarto decimo capitulo ita dicit: Ex verbis Augustini
probari prædestinatos non nisi de iustis dici, dicentis:
Nescientes. n. quis pertineat ad prædestinatorum nume-
rum, quis non pertineat. Et iterum: Qui prædestinatos à
nõ prædestinatis discernere non valemus. Item: qui ca-
dunt & pereunt prædestinatorum numero non fuerunt:
Pœnam prædestinatam peccatoribus: ipsos vero præs-
citos tantum, non prædestinatos hoc etiam legibus hu-
manis conicei quæ hominum non definiunt ad peccan- E
dum: pœnas autem peccatum definiẽdo nihil aliud ap-
petere quam pronos ad peccandum suppliciorum atro-
citate territos cohibere; Ac per hoc non minus miseri-
cordiæ quam vindictæ transgressoribus suis efficere. His
verbis nos respondemus, immo ex verbis beati Augusti-
ni probari prædestinatos etiam de iniustis dici: Qui cum
definiret quid sit prædestinatio, ita ait: prædestinatio
Dei quæ in bono est, gratiæ est præparatio, vbi sine du-
bio nullatenus adiungeret in bono, nisi sciret prædesti-
nationem esse etiam in malo: sicut aperta ex libro Actuũ
Apostolorum ipse demonstrat, ponens illud testimo-
nium vbi dicitur: Conuenerunt enim in veritate in ciui-
tate ista aduersus sanctum puerum tuum Iesum quem
vnxisti, Herodes & Pilatus & populus Israel facere quã-
ta manus tua & consilium prædestinauit fieri: vbi & sub-
didit: Tanta quippe ab inimicis Iudæis manus Dei &
consilium prædestinauit fieri, quanta necessaria fuerant
Euangelio propter nos. Manifeste igitur & ex verbis li-
bri diuini, & ex verbis sancti Augustini approbatur, præ-
destinationem quæ hic legitur non fuisse in bonum illis
qui tanta & talia passionis tempore in Dominum exer-
cuerunt, sed in magnum & mortiferum malũ: quamuis
Deus illud nobis verterit in bonum. Si quis autem putat
beatum Augustinũ velut vitiose ex iam dicto libro istud
testimonium posuisse, quia apud nos legitur quæ manus
tua & consilium decreuerunt fieri: sciat potius vere &
expresse & proprie, sicut in Græco habetur, ab eo posi-
tum, ipse enim sermo id. προώρισεν etiam hic legitur in
Græco, vbi ille posuit quæ manus tua & consilium præ-
destinauit fieri: qui etiam in Epistola ad Romanos Græ-
ce inuenitur, vbi Apostolus ait, quos autem prædestina-
uit, hos & vocauit. Ex quo manifestum est, eundem
Græcum sermonem proprie in Latinum interpretari
prædestinauit, posse autem interpretari ad sensum etiam
decreuit siue præfiniuit, vt certissime intelligamus, præ-
destinatum nihil esse aliud quam decretum & definitũ.
Sicut & ex verbis Esaiæ Prophetæ quibus ait, Dominus
enim Deus exercituum decreuit. Et ex illis verbis libri
Danielis: In sententia vigilum decretum est, iam supra
euidentissime est demonstratum. Quid ergo isti pro-
dest quod tanta intentione & contentione mentitur,
beatum Augustinum definisse omnem prædestinatio-
nem gratiæ præparationem esse: Cum ille nequaquam
dixerit omnem, sed prædestinationem tantũmodo quæ
C in bono est, ita definierit, & quasi ipse dixerit, prædesti-
natos non nisi iustos dicendos: Cum ille hoc nusquam
dixisse inueniatur. Sed verba quæ ille de sola iustorum
prædestinatione posuit, qua alii sunt vtique prędestinati,
alii non prædestinati: alii pertinant ad numerum præ-
destinatorum, alii non. Iste minus pertinaciter & im-
pudenter posuit: Quasi ille sanctus doctor semper de v-
traque prædestinatione, id est, bonorũ & malorum simul
loqui loqui debuisset: aut consequens sit, vt cum de so-
la bonorum prædestinatione disputat, statim prædesti-
nationem malorum negare videatur: Quia in illo aper-
tissime in multis locis commemorat & ostendit: De
quibus hic exempli gratia vnum testimonium ponimus,
vbi ait: populum quendam psalmus ille culpat in quo
D nec vnus erat qui faceret bonum, dum volunt manere
filii hominum & non esse filii Dei, cuius gratia homo fit
bonus vt faciat bonum. De illo enim bono dictum hic
debemus accipere quod ibi ait: Deus de cœlo respexit
super filios hominũ, vt videat si est intelligens aut requi-
rens Deum. Hoc ergo bonum quod est requirere Deũ,
non erat qui faceret, non erat vsque ad vnum, sed in eo
genere hominum quod prædestinatum est ad interitum:
super hos. n. respexit Dei præscientia protulitq; sentẽtiã.
Sed quid prodest hoc exemplũ de Dei prædestinatione
malorum, cõtra istum proponere: cũ solita insania para-
tus sit dicere auditoribus suis: vt cum audiunt in verbis
huius sancti doctoris dictum, genus humanum præde-
stinatum ad interitum: à contrario intelligant non præ-
E destinatum: sic inludãtur qui veritatem non in scriptura
veritatis sed in mendacii fabricatoribus quærunt. Addit
adhuc & dicit: pœnam prædestinatã peccatoribus, ipsos
verò præscitos tantum, non prædestinatos De qua re
& in isto & in præcedenti capitulo satis diximus multis
testimoniis manifeste ostendentes peccatores qui in pec-
catis suis permanserint iusto Dei iudicio pœnis præde-
stinatos. Mirum est autem quo sensu vel qua ratione
possit intelligi vt Deus peccatoribus prædestinauerit
pœnas, & peccatores non prædestinauerit pœnis. Neque
enim quãdo eis pœnas prædestinauit & præparauit, igno-
rabat qui eis puniendi & cruciandi essent. Quod etiam
iste confitetur dicens esse præscitos. Si ergo certissima
præsciebat qui illis pœnis iustè puniendi & excruciandi
essent, quid aliud fecit cum certissimis quibusque cer-
tissimas pœnas præparauit? Nisi quod eos certissime
pœnis

pœnis prædestinauit. Omnino enim illi soli eas patien- (A) tur, quos ille passuros præsciuit. Quid ergo est immutabili præscientia præscisse illos ad pœnas, quam immutabiliter eos pœnis prædestinasse. Neque enim timendum erat, vt quod certissime præsciebat iuste futurum, non prædestinaret se iuste facturum. Alia est autem legum humanarum conditio quæ sic statuunt peccantibus certa supplicia, vt tamen qui ita peccaturi sunt, qui in illis vel illis suppliciis iuste excrucientur penitus ignorēt. Et ideo pœnas peccatoribus præparare & prædestinare possunt quas iustas esse nouerunt: Ipsos tamen peccatores quos prorsus ignorant, pœnis prædestinare non possunt. Quod si scirent certissime personas, quæ illis suppliciis dignæ essent, possent omnino iustissime, sicut peccatoribus pœnas statuere: ita & ipsos peccatores certa & iusta definitione pœnis prædestinare: sicut in (B) ipsa iam iudicij examinatione quos certissime comprobauerint capitalis criminis reos, & mortem eis statutam atque decretam ex legibus recitant & manifesta sententia ipsos morti adiudicant. Quod eis vtique præstat iudicij certa cognitio: vt sicut peccatoribus pœnas, ita & ipsos peccatores pœnis prædestinare audeant. Si ergo vtrumque hoc rectè & iustè id humano iudicio certis cognitionibus informato atque formato potest fieri, vt & pœnæ peccatoribus, & peccatores pœnis iusto & irreprehensibili iudicio decernantur; nec tamen aliquis talium reorum vel per ipsas leges, vel ipsos iudices ad peccandum cogitur, sed tantum quia peccauit iuste punitur: Quanto incomparabiliter & ineffabiliter in diuino iudicio fieri omnino credendum est: vt quoniam & (C) ipsas pœnas quæ peccatoribus iuste debentur, & ipsos peccatores quibus debentur æterna scientia nouit; Cum nulli sit ipse auctor vel causa peccati, iustissime tamen & pœnas peccatoribus quas iustissimas nouit: Et peccatores numquam sibi ignotos, sed æterna veritate notissimos æternis prædestinat pœnis. Neque enim aliquis nostrum dicit: Quod iste tam frequenter obiicit: quod Deus prædestinatione sua aliquem cogat ad peccandum sed tantummodo pro his quæ peccauit ad luendum supplicium: sicut nec leges ipsæ decernendo supplicium compellunt ad peccatum: sed tantummodo quod sponte & voluntariè peccatum est iusta damnationis vl- (Cap. 15.) tione non relinquunt impunitum. XV. Quinto decimo capitulo tales definitiones ponit: peccata & eorum supplicia nihil esse præscisse & prædestinasse Deum peccata (D) vel pœnas, pro non præscisse non prædestinasse, non præparasse: Exemplo Iudæ, qui electus pro non electo, Amicus pro non amicu, Filius pro non filio. Pœnas mala esse ideo non à Deo, à quo non sit malum. Deum non punire quæ facit, nec ab eis naturalia munera tollere. Dolorem esse sanitatis absentiam, tenebras lucis, silentium clamoris, tristitiam gaudij, laborem quietis, præsciri vel prædestinari peccata vel pœnas dolendo non ipsum dolorem, sed ipsam sanitatem nosci quam non nosceret, sed illam notionem quandam non haberet. Recordationem sanitatis in sensibus ramanere: ipsam vero in illa substantia quam Deus creauit residere. In istas propositionibus illud quod primo loco posuit, id est peccata & supplicia nihil esse iam superius prout potuimus est tractatum: Quia & si nihil dici pos- (E) sunt peccata eo quod nullam habeant substantiam in se existendi vel subsistendi: tamen iustitiam deserere quod est peccare non potest fieri nisi in aliqua & per aliquam substantiam vel spiritalem, vel corporalem; spiritalem cum in ipso animo deseritur veritas, iustitia, bonitas, & subintrant his contraria; id est, mendacium, iniquitas, malitia, quæ licet nullam habeant subsistendi naturam, sunt tamen magna vitia vel langores naturæ, id est ipsius animi cui dominantur, & cuius sanitatem atque integritatem violant: Ita vt ipse animus his incuruatus atque depressus ex libero seruulus, & ex sano infirmus efficiatur: dicente Domino in Euangelio: Quia omnis qui facit peccatum seruus est peccati. Et Psalmi-

(A) sta dolenter & miserabiliter implorante: Ego dixi Domine miserere mei, sana animam meam quia peccaui tibi. Sed quia hæc mala sic incipiunt in animo vt maxime tamen per corpus exerceantur, transit malum spiritalis naturę, id est, animi in malum corporalis naturę, id est, ipsum corpus: Et ita velut quędam pestis totum simul commaculat & corrumpit, vt peccato dominanti anima seruiens redigat in eandem seruitutem corpus suum: Et fiant membra corporis ipsius, arma iniquitatis peccato, quibus ipsa iniquitas & peccatum fortius, & violentius in vtroque dominetur. Vnde Apostolus fidelibus dicit, & ne exhibeatis membra vestra arma iniquitatis peccato: sed exhibete vos Deo tanquam ex mortuis viuentes, & arma vestra arma iustitiæ Deo. Huic tanto & tam mortifero langori totum hominem sibi (B) vindicanti & saucianti solus ille vnus & verus medicus potest adhibere medelam, & sanitatem conferre, qui de se ipso ait; Non est opus sanis medico, sed male habentibus, & de quo scriptum est: Ipse enim saluum faciet populum suum à peccatis eorum. De quo etiam Apostolus ait: Fidelis sermo & omni acceptione dignus, quia Christus Iesus venit in hunc mundum peccatores saluos facere. Iste ergo qui tam assidue dicit & repetit peccata nihil esse, quid aliud conatur agere diabolo instigante, nisi vt ea quasi leuiget in cordibus auditorum, vt non doleant, non agnoscant quanto malo teneantur: nec curent dicere cum Psalmista; Miserere mei Deus secun- (Psal. 50) dum magnam misericordiam tuam: & secundum multitudinem miserationum tuarum dele iniquitatē meam. Amplius laua me ab iniquitate mea, & à peccato meo (C) munda me. Quoniam iniquitatem meam ego cognosco, & peccatum meum contra me est semper. Abiiciatur ergo deceptor iste ab auribus & cordibus fidelium, & contra tam magnam miseriam imploretur dolenter & simpliciter magna Dei misericordia, contra multitudinem tantarum miseriarum quæratur multitudo miserationum, vt deleatur iniquitas, lauetur homo ab ipsa iniquitate, mundetur à peccato quo erat sordidus & immundus effectus. Cognoscat iniquitatem suam, & peccatum suum non putet esse nihil, nec ponat illud post dorsum suum: sed ante oculos semper habens imploret illum qui dixit: Deleui vt nubem iniquitates tuas, & qua- (Isa. c. 44 22.) si nebulā peccata tua similiter & supplicia quæ peccatis debentur, ita extenuare, sic leuigare & annullare contendit, vt ea semper nihil esse confirmet: Quæ licet in se (D) substantiam nullam habeant existendi: tamen per corporales naturas, id est, ignem æternum, & stagnum ignis & sulphuris, & vermes numquam deficientes damnatorum & corporibus & animis inferuntur: dum & animas & corpora simul excrucianr. Et ideo licet non sint substantialiter, sunt tamen semper pœnaliter & infœliciter in eorum animis & corporibus quos sine fine excruciant. Quocirca non nos delectet audire ab isto misero seductore peccatorum supplicia nihil esse: sed potius audiamus quod verissime veritas dicit: mortuus est autem & diues, & sepultus est in inferno; eleuans autem oculos suos cum esset in tormentis vidit Abraham à longe, & Lazarum in sinu eius, & ipse clamans dixit (Luc. c. 16 23.) Pater Abraham miserere mei, & mitte Lazarum vt in- (E) tingat extremum digiti sui in aqua & refrigeret linguam meam quia crucior in hac flamma. Et paulo post cum pro fratribus suis supplicaret, ait: vt testetur illis, ne & ipsi veniant in hunc locum tormentorum. Ecce infœlix & infœlicissime damnatus diues, statim vt mortuus est corpore, anima sepultus est in inferno, vbi tenebatur ipsa anima in tormentis, & ibi amplius cruciabatur vnde amplius peccauerat, id est, in lingua; & cruciabatur in flamma vndique adurente & concremante. Et sicut ipse micas mensæ suæ non dederat Lazaro mendico & vlceribus pleno iacenti ad ianuam suam: Ita & ipse stillam aquæ de digito eius, qua aliquantulum refrigeraretur non meruit impetrare. Et pro fratribus rogat, ne & ipsi veniant in illum locum tormentorum. Si ergo iuxta vo-

cem veritatis, infernus locus est tormentorum, & ani- A mæ inferiorum exutæ corporibus, statim illic sepeliuntur, & sunt in tormentis, & per quæ peccauerunt, per hæc & torquentur, vt iudicium sit illis sine misericordia, quia non fecerunt misericordiam. Hæc audiat fidelis quisque & timeat, & dum tempus est fugiat ab ita ventura. Facite ergo fructus dignos pœnitentiæ, hunc locum tormentorum ipse Dominus frequenter appellat tenebras exteriores & caminum ignis, & ignem æternum diabolo & omnibus impiis præparatum, vbi erit dolor sine fine, & ex dolore sempiternus fletus oculorum, & stridor dentium. De tali pœna infœlicium damnatorum & Esaias Propheta dicit, vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur: & erunt vsque ad satietatē visionis omni carni: sed & beatus Iob B lacrimabiliter Deum implorat dicens: numquid non paucitas dierum meorum finietur breui? Dimitte ergo me vt plangam paululum dolorem meum antequam vadam & non reuertar ad terram tenebrosam & opertam mortis caligine, terram miseriæ & tenebrarum, vbi vmbra mortis & nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat. Et beatus Ioannes in Apocalypsi. Missi sunt (inquit) in stagno ardenti igne & sulphure quod est mors secunda, & cruciabuntur die ac nocte in sæcula sæculorum. Et sicut alibi ait, fumus tormentorum eorum ascendet in sæcula sæculorum. Hæc fideliter credamus, veraciter timeamus, & hunc vaniloquum & seductorem penitus ab auribus repellamus: Quia, sicut ait Apostolus, corrumpunt bonos mores conloqoia mala. Vnde & alia scriptura admonet dicens: sepi aures C tuas spinis, & noli audire linguam nequam, statim namque posthæc illa sua regula impia & furiosa qua persuadere conatur vt cum audimus aliquid factum intelligamus non factum, cum aliquid dictum, intelligamus non dictum, adiungit & dicit præscisse & prædestinasse Deum peccata vel pœnas, pro non præscisse, non prædestinasse, non præparasse. Quod apertissime veritati & fidei contrarium ast. Si enim non præsciuit Deus Angelorum vel hominum omnia futura peccata, nō est præscius futurorum. Et quid iam aliud præstat, nisi vt dicat iste insipiens in corde suo, non est Deus, si non præsciuit pœnas quæ peccantibus iuste debentur. Quomodo eas & in Euangeliis & in cæteris scripturis tam assidue, tam grauiter, tam terribiliter comminatur, sed dicit D iste, quia peccata vel pœnæ nihil sunt eo quod substantiam per se existendi non habeant. Et ideo quod nihil est Deum nec scire, nec præscire potuisse, quasi Deo ignotum sit quicquid non est. Et quod ipse essentialiter & naturaliter esse non fecit: Cum ille omnipotenti scientia & præscientia sua sicut nouit omnia quæ fecit, sic etiam nouerit quæ non fecit. Et sicut nouit quæ esset facturus: ita semper nouerit quæ non esset facturus. Ita namque & quæ vellet esse, & quæ nollet esse, nullatenus potuit ignorare: Et quod noluit habere naturam vel substantiam existendi. Nouit sine dubio magnum malum esse naturæ subsistendi Angelicæ vel humanæ cum peccato in deterius commutatur, & pœnali supplicio sine fine cruciatur. Quod autem dicit Deum non præde- E stinasse pœnas vel peccata, de peccatis vtique verum est, quia non prædestinauit nisi quæ fuerat ipse facturus. Quæ vtique omnia & bona & iusta sunt. De pœnis autem manifeste falsissimum est, quas non solum prædestinauit, sed etiam præparauit Sicut ipse Dominus in Euāgelio dicit: Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & Angelis eius. Adiungit exemplum Iudæ satis absurde & incongrue, sicut supra ostensum est. Et statim subiungit dicens, Pœnas mala esse ideoque non à Deo à quo malum non sit. Contra illud quod ipse Deus per Prophetam testatur dicens: Ego Dominus faciens pacem & creans malum. Vnde & alibi scriptum est. Si erit malū in ciuitate quod Dominus non fecit. Et iterum: Bona & mala, vita & mors, paupertas & honestas à Deo sunt: & ideo fideliter dicer-

A nendum aliud esse malum, id est vitium contrarium bono quod vtique non est à Deo, sed vel à diabolo inuentum, vel ab homine commissum, aliud vero esse malum quod significat aliquam afflictionem vel temporalem vel æternam: vt sunt fames, pestilentia, hostilitates, vastationes, mors, & ipsa quæ appellantur æterna supplicia. Quæ vtique omnia à Deo sunt: Quia non nisi iusta eius dispositione, & iusto eius iudicio præparantur vel inferuntur. Iste autem qui pœnas illas æternas à Deo non esse confirmat compellandus est vt dicat à quo eas esse putet, vtrum à diabolo cui sunt præparatæ: an ab hominibus quibus pariter cruciandi sunt: an à nullo, vt sine aliquo auctore coæternæ Deo existant. Subiungit posthæc dicens: Deum non punire quæ fecit, nec ab eis naturalia munera tollere. Quod vt diligentius conside- B retur, manifestum est illa quæ Deus fecit in creatura rationali angelica vel humana esse in Angelis spiritus sine corpore esse in hominibus animam & corpus. Naturalia vero munera quæ istis rationalibus creaturis naturaliter Deus dedit, illa vult iste intelligi de quibus superius multa loquutus est, id est quod habeat in se naturaliter mens humana siue Angelica, memoriam, intelligentiam, voluntatem, esse, nosse, velle, vt naturaliter meminerit sui, intelligat se, diligat se, naturaliter habeat esse, vt existat, nosse, vt agnoscat se, velle vt amet se. Liberum etiam arbitrium; naturale tantummodo donum creaturæ asserit iste, sicut supra satis suis verbis ostendit. Dicit itaque Deum non punire quæ fecit: idest, nec spiritum Angelicum in Angelis malignis: nec C spiritum & corpus in hominibus damnandis. Et quomodo ignem æternum dicit paratum esse diabolo & Angelis eius, si illo igne spiritus Angelici puniēdi non sunt? Quomodo etiam alibi hominibus & de hominibus dicit: sed potius eum timete, qui potest & animam & corpus perdere in gehennam, si illo cruciatu gehennæ nec anima nec corpus quæ vtraque Deus fecit punientur; sed vere punientur & spiritus & corpora in gehenna, sicut vera fides credit, sicut ipsa veritas testatur: non quia ea Deus fecit, sed quia ipsa fecerunt quæ Deus non fecit, & quæ Deus odit, & quæ impunita esse non sinit, i. peccata: Quæ sine auctoribus suis neque esse, neq; puniri possunt: neque enim per se subsistunt, vt in se ipsis puniantur, sed insunt mētibus deprauatis Angelicis siue D humanis ab ipsis commissa, ipsis adhærentia, & cum ipsis atque in ipsis damnanda; ita & illud verum est quod in Dei laudibus scriptura dicit. Diligis enim omnia quæ sunt, & nihil odisti eorum quæ fecisti. Et quod Dominus ait: qui potest & animam & corpus perdere in gehennam. Diligit enim creaturam suam, in quantum natura est, & ab eo condita est: Et odit eam in quantum vitiata est. Vnde scriptum est, Odisti omnes qui operantur iniquitatem, perdes omnes qui loquuntur mendacium: virum sanguinum & dolosum abominabitur Dominus. Vnde & de quibusdam dicit Propheta, Et facti sunt abominabiles sicut ea quæ dilexerunt, Et iterum: similiter autem & odio sunt Deo impius & impietas eius. Ita ergo diligit omnia quæ sunt, & nihil E odit eorum quæ fecit; vt tamen hæc in creatura rationali vitiata, deprauata atque corrupta, impunita & inordinata esse non sinat: iuste enim ordinatur & punitur in pœnis natura quæ non sub Deo & ex Deo voluit esse beata, sed in se & per se velut libera esse concupiuit: vt quæ noluit subiici volēs, subiiciatur nolens, Et quæ ille potuit esse semper beata, hic sine fine misera efficiatur: Quia manum Dei, sicut ipsa scriptura dicit, effugere impossibile est, cui necesse est, vt quæ noluit voluntate, necessitate subdatur. Quid autem ipsis naturis rationalibus proderit, si in illa æterna damnatione constituis, naturalia illa, vt iste dicit, munera non erunt subiata, cum ad nullum beatitudinis fructum, sed ad solum tormentorum cumulum in eis relinquenda esse manifestè intelligantur? vt meminerint sui, ad æternum dolorem malæ conscientiæ: Intelligant se semper

permiseras, semper esse damnatas: Diligant se vt magis doleant, sine fine perire quod amant. Liberum verò arbitrium quomodo aut quale in illis erit, quorum voluntas nec iniquitatem suam poterit iam deserere, nec bonum aliquid vlterius operari? sicut scriptura dicit; Quodcumque potest manus tua facere, instanter operare: Quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia erunt apud inferos quo tu properas. Quid illis proderit semper esse infœliciter, scire damnationem suam, velle nec posse euadere pœnam suam? Omnia ergo quæ hic data sunt ad vsum bene agendi ad gratiam Domini promerendam, ibi quantulacumque vestigia remanserint, ad supplicium valebit non ad solatium. Si autem rationalis creaturæ memoria, intelligentia, voluntas, non ad se sed ad conditorem referantur, quid iam illis B penitus à Deo desertis, & ab æterno illo & vero lumine separatis, quid in illis, inquam, ager memoria vbi nemo dicere poterit, memor sui Dei & delectatus sum? & vbi implebitur quod scriptum est, quoniam nō est in morte qui memor sit tui. Nulla erit intelligentiæ illuminatio qua Deus agnoscatur, quæratur, inueniatur. Nulla dilectionis pietas qua Deus ametur, desideretur, fruatur. Ipsæ enim erunt tenebræ exteriores extra illud lumen iam positis cuius nulla illuminatione perfruentur: Et illa nox horrenda de qua ipsum verum lumen Dominus noster dicit, Quandiu in mundo sum, lux sum mundi. Venit nox quando nemo potest operari. Quandiu ergo in mundo est per illuminationis gratiam, lux est mundi à suis tenebris liberati. Cum autem hanc suæ illuminationis gratiam subtraxerit æterna cæcitate damnatis C quid eis aliud remanebit nisi nox horrēda, nox perpetua in qua nemo possit operari? Si autem etiam de sensibus corporis, qui & ipsi sunt vnque naturalia munera conditoris tale aliquid consideretur, quid ibi proderit visus, vbi nullus erit lucis aspectus? Aut si ad horam fuerit, non ad consolationem, sed ad vehementiorem dolorem valebit: vt scilicet & videant boni aliquid, quod iam habere aut promereri non possint. Sicut & diues ille eisdem infernalibus pœnis damnatus Abraham & Lazarum ad horam videre potuit, sed ad augmentum doloris, non ad solatium ereptionis. Licet hoc ante vltimum illud iudicium iuxta occultam dispositionem conditoris fieri credendum sit: Postea verò nihil tale futurum legatur. Quid ibi aget auditus, vbi semper horrendus fragor, & tristis atque innumerabilis audietur gemitus? D Quid olfactus, vbi, iuxta quod Deus per Prophetam comminatur, erit semper pro suaui odore fœtor? Quid gustus, vbi æterna erit fames & sitis? Sicut de ciuitate diaboli, id est de tota illa multitudine damnatorum aperte in Apocalypsi scriptum est; Quia in vna die venient plagæ eius, & mors, & luctus, & fames: quia fortis est Deus qui indicauit illam. De siti autem & lingua semper ardente, in damnatione illius diuitis aperte Euangelium declarat. Quid totius corporis tactus, vbi nulla eius poterit esse iucunditas, nulla suauitas: sed sempiternus sentietur dolor, æterna exustio, æterna excruciatio? Quid ergo prodest quod iste dicit velut ad consolationem stultorum, Deum non punire quod fecit, nec ab eis naturalia munera tollere: Cùm & puniat æternaliter naturam vitiatam pro his quæ male gessit. Et E si aliquid naturalium munerum in illa damnatione eam habere permittet, totum valeat ad supplicij augmētum, non ad consolationis solatium. Quid est autem quod addit, dolorem esse sanitatis absentiam, tenebras lucis, silentium clamoris, tristitiam gaudij, laborem quietis. Sic præsciri vel prædestinari peccata vel pœnas. Si enim in his verbis hæc persuadere voluit quod sicut nos per sanitatis absentiam cognoscimus in nobis dolorē, & per absentiā lucis cognoscimus tenebras, & per absentiam vocis cognoscimus silentium, & per absentiam gaudij sentimus tristitiam; per absentiam quietis sentimus laborem: sic Deus præscierit peccata, vel prædestinauerit pœnas, vt & peccata non nisi priuatione iustitiæ scire

aut præscire potuerit: Et pœnas nisi priuatione beatitudinis non agnouerit vel prædestinauerit. Si, inquam, ita sensit, ita persuadere voluit, quid tali sensu horribilius, quo diuina virtus humanæ infirmitati adæquatur? Dei etenim virtus semper eodem modo se habēs omnia nouit in se, nec indiget vt aliquid nouerit extra se: nec aliter nouerit facta, aliter non facta, quia nec illa nouit per eorum præsentiam, nec ista per aliarum rerum absentiam: sed æterna & incommutabili scientiā sua æqualiter videt quid voluerit esse, & quid esse noluerit: nec priuatione iustitiæ cognoscit peccata, sed cum sit ipse summa iustitia in ipsa incommutabiliter videt, quid ab ea dissonet vel discordet. Similiter non per absentiam beatitudinis pœnas cognoscit, sed cum sit ipse summa beatitudo in semetipsa incommutabiliter videt in quantam pœnarum profunditatem mergēdi sunt qui ab eius tranquillitate discedunt. Atque ita non priuatione iustitiæ, sed in ipsa iustitia videt, quicquid ab ea dissentit: nec priuatione beatitudinis agnoscit pœnas: sed in ipsa beatitudine videt quid doloris & laboris incurrat qui ab eius tranquillitate separatur. Adhuc addit & dicit dolēdo non ipsum dolorem, sed ipsam sanitatem nosci, quam non nosceret, si de illa notionem quandam non haberet. In quibus verbis affirmare videtur dolorem illum æternarum pœnarum non posse nosci, id est, agnosci ab animo patientis, eo quod ipse dolor non habeat substantiā in se existendi vel subsistendi. Et ideo eum substantialiter nihil sit, non ipse agnoscatur ab illo qui dolet, sed potius ex eius comparatione sanitas agnoscitur quę in corpore naturaliter aliquid est, & quæ ipsi dolori contraria est. Quam sanitatem nullatenus nosset, qui totus dolet in pœnis, nisi eius notitia in memoria remaneret. Et vt hæc tam absurda & stulta velut ratione quadam reddita confirmare videatur, subiungit & dicit: Recordationem sanitatis in sensibus remanere, ipsam vero in illa substantia quam Deus creauit, residere. Per quod fortassis hoc intelligi vult quod in sensibus in illa damnatione semper dolentis velut ex commonitione ipsius doloris fiat recordatio sanitatis in sensibus videlicet, quibus vel corpus vel anima ipsos dolores sentiet. Ipsam vero sanitatem in illa damnatione ita posse intelligi quia substantia hominis, quem Deus creauit, & est in animæ & corporis perpetuitate, non consumitur, non deletur, sed velut quadam suæ plenitudinis sanitate æternaliter durat. Quæ omnia idcirco dicere videtur vt per illum sempiternum pœnarum dolorem nec cognitionem sanitatis, nec eius recordationem, nec ipsam sanitatem in eis qui torquendi sunt, asserat perire. Cùm è contrario omnia ista, id est, & cognitio & memoria sanitatis in animo semper dolentis, & conseruatio illa naturæ nunquam delendæ non proficiant ad aliquam gratiam & iucunditatem salutis, sed potius ad cumulum doloris: vt non solum sensu & corporis & animæ doleat ita damnatus: sed etiam dum recordatur & agnoscit bonum sanitatis quod funditus amisit, in ipsa memoria & notitia puniatur. Dicat ergo insanus, esse in æternis & omnimodis doloribus sanitatem, dum quæ ibi existimat, dum quæ ibi putat remanere ad iudicium sanitatis, non aliud quam memoria sint doloris: vt dum nunquam finitur qui torquetur nec tormenta ipsa finiantur.

XVI. Sexto decimo capitulo duodecim definitiones proponit ita dicens: nulla natura naturam puniri: Et nihil aliud esse pœnas peccatorum, nisi peccata eorum: in igne æterno nihil aliud esse pœnam, quam beatæ fœlicitatis absentiam: in ea nullum esse qui non habeat insitam sibi naturaliter absēns beatitudinis notionem, eiusque desiderium habimus miseros, fœlicitatis & veritatis notionem atque scientiam: Ac per hoc non esse miseros nec puniri in diabolo & impiis hominibus non puniri nisi peruersitatem propriæ voluntatis: nec peccasse naturam sed voluntatem: nec in primo homine peccasse naturæ generalitatem, sed vnius cuiusque indiuiduam voluntatem; si ea natura delinqueret, eum vna

sit, tota profectò periret: proinde in nullo naturā puniri, quia ea Deo sit & non peccet, sed motus voluntatius libidinosus puniatur: ideoq; in impiis supplicia non perpeti quod Deus fecit, sed quod superbia vitiosè inuenit: Libidinem peruersæ volūtatis cruciari, dum ea quæ male aut indignè appetit habere non sinatur: Ea nullo bonum malum esse. Eum qui hic libero volūtatis arbitrio, quod est naturalis intelligentiæ munus, id est, mentis acies in vsus turpitudinis mutet, illie ne omnino veritatis honestate fruatur, iustissimè perdat & tenebras æternæ ignorantiæ non euitare. In his verbis illud quod primo loco posuit nullam naturam puniri ideo dixisse videtur: quia omnis vtique natura à bono auctore Deo cōdita in quantum natura est; bona est, vt verbi gratia natura animæ siue corporis bona est: & natura ignis, inquantū natura est, similiter bona est. Cùm ergo vtraq; naturaliter bona sint, rectè sibi iste videtur dicere & definire, quod nulla alia puniatur natura: Quia videlicet duo bona secundum eius sensum non possūnt sibi esse contraria: nec naturæ bonæ altera bona natura possit esse pœna. Atque huiuscemodi argumentationis manifestissima fallacia cupit subuertere in cordibus audientium firmissimam fidei veritatē qua omnes fideles indubitāter credunt & confitentur in vna & per vnam æterni ignis naturam & naturam spirituū malignorum, & naturam hominum perditorum, id est animas & corpora eorum sine fine damnandas, puniendas atque torquendas per eius iustum & æternum iudicium qui potest & animā & corpus perdere in gehennam. Nec solum illis æternis suppliciis quibus natura Angelica & humana vtique natura ignis æterni torquebitur: vt ignis qui bonitate conditoris hic homini datus est ad solatium, ibi iusta seueritate iudicis vertatur ei in supplicium. Non de illis inquam solis certa est fides ita esse futurum; sed etiam in communi hominum sensu certissimum constat, nunquam naturam nisi natura puniri: sicut natura corporis aut ex semetipsa punitur, velut cum deficit à sanitate & succūbit infirmitati atque languori: dum & bonum sanitatis in eo minuitur, & malum languoris in seipso patitur, aut ex alterius naturæ subtractione quæ illi ad sustentationem vel aliud solatium valet: velut si ei pœnaliter subtrahatur natura cibi aut potus, aut etiam lucis vel vestimenti, & quicquid eiusmodi est: dum ea hoc & fame ac siti tabescit ac deficit & tenebrarum horrore affligitur, aut frigoris ærumna cruciatur, aut certè ea alterius rei natura ipsum corpus hominis punitur: sicut corpora latronum vtique puniuntur in flagellorum & gladiorum, ac multiplicium tormentorum quæcumque ipsorū naturæ ex eius naturis pœnaliter inferūtur. Cùm ergo hæc ita sint, & nunquam natura nisi aut ex se ipsa in seipsa puniatur, vel alterius naturæ vtilitate subtracta vel violentia inlata, qua ratione iste dicit nullam naturam natura puniri: vt ex hoc quantum in se est, veritatem æternorum destruat suppliciorum: vbi & natura spirituum & natura corporum iuxta Euangelicam & Apostolicam veritatem natura ignis æterni cruciabitur die ac nocte in sæcula sæculorum. Si autem propterea hoc dicit quia naturæ non nocent inuicem nisi suis qualitatibus vt, verbi gratia, ignis & aqua quorum propriæ qualitates sunt, vt & aqua sit naturaliter humida, & ignis naturaliter aridus; Et ideo potest & aquæ humore ignis extingui, & ignis ariditate ignitus humor aquę exsiccari vt non sibi videātur ista aduersari ex eo quod naturæ sunt, sed ex eo quod qualitatibus suis sibi contrariæ sunt. Si propterea, inquam, hoc dicit, sciat in fide nostra nullam esse distantiam vtrum naturæ naturis puniri dicantur, an ipsæ naturæ suis naturalibus qualitatibus sibi inuicem pœnales existant, quia vtrumque vnus conditor creauit, id est & naturam & qualitatem insitam naturæ. Et ideo vtrumque simul rectissimè vna dicitur natura & à sapiētissimo conditore alia ab alia propria qualitate distincta. Deinde quia & si immortalis est natura Angelici siue humani spiritus, tamen potestate conditoris, & iusti vltoris Dei sic illi igni corporeo & æterno pœnaliter & æternaliter alligabitur sicut & hic eadem potestate summi conditoris cōligatur humanus spiritus terreno corpori: Nec solui potest nisi illius voluntate & iudicio qui cōligauit. Natura quoque humana corporis in illo æterno igne damnatorum ita erit pœnaliter immortalis vt ad sustinēda æterna supplicia nunquam morte soluatur: Ita passibilis & corruptibilis vt omni genere dolorum cruciatuum atque pœnarum sine fine affligatur. Hanc enim pœnam omni intentione cauendam terribiliter scriptura denunciat dicens: Humilia spiritum tuum valde quia vindicta carnis impij ignis & vermes. Et iterum: Dominus enim omnipotens vindicabit in eis, in die iudicij visitabit illos: Dabit in carnes eorum ignem & vermes vt vrantur & sentiant vsque in sempiternum. Proposuit quidam antiquitus similem de naturarum inter se contrarietate quæstionem: Quæ qualiter ab illo sit proposita & à B. Augustino euidentissima ratione destructa necessarium existimamus ad commonitionem & confirmationem legentium hic breuiter inserere: maximè quia ille qui eam proposuit, aut ipse Pelagius fuit, aut aliquis Pelagianus, sicut & iste est. Ita ergo eandem quæstionem B. August. commemorat dicens: Quid est quod interrogat qui fecit hominis spiritum, & respondet sibi sine dubio Deus: Et item interrogat; Carnem quis creauit? Itemque respondet; item credo Deus. Interrogat tertio: bonus est qui vtrumque creauit Deus? Respondet, nulli dubium est. Adhuc interrogat. Et vtrumq; quod bonus auctor creauit bonum est? Et ad hoc respondet, confitendum est. Deinde concludit, si igitur & spiritus bonus & caro bona vt à bono auctore condita; qui fieri potest vt duo bona possint sibi esse contraria. Post hæc idem B. August. subiungit è contrario responsionem suam ita dicens: Omitto dicere quia tota eius ratiocinatio turbaretur si quis ab eo quæreret, æstus & frigus quis fecit? Respōderet enim sine dubio Deus. Non ego multa interrogo, ipse concludat vtrum aut ista possint dici non bona, aut non appareant inter se esse contraria. Hic fortè dicit: Qualitates sunt istæ substantiarum, non substantiæ. Ita est verum est. Sed qualitates naturales, & ad Dei creaturam sine dubio pertinentes, substātiæ quippe nō per seipsas, sed per suas qualitates, sicut aqua & ignis dicuntur sibi esse contrariæ, &c. quæ ad cōminuēdam & destruendam improbi hominis insaniam sanctus doctor exsequitur. Cùm itaque terror & veritas ęternorum suppliciorum, tam apertè & multipliciter nostræ fidei commendetur ad incutiendū saluberrimū timorem, & excitandum ad continuā emendationem, quomodo iste subiungere & dicere ausus est nihil aliud esse quam peccata pœnas peccatorum quas animæ in præsenti ex ipso peccatorum suorum merito patiuntur desertæ à Deo, desertæ à lucē iustitiæ, à contemplatione veritatis, ab inluminatione caritatis. Et aliquando traditæ etiam in reprobum sensum. Has enim pœnas peccatoribus, & carnalium voluptatum amatoribus diuina scriptura in præsenti inferri manifestissimè testatur dum de quibusdam Deus dicit: non permanebit spiritus meus in hominibus istis in æternum, quia caro sunt: Dum impij in fine dolentes ac gementes dicent: Et iustitiæ lumen non luxit nobis & sol non est ortus nobis. Dum de eisdem impiis scriptura dicit: Excæcauit enim illos malitia ipsorum. Et generaliter de his qui fratres oderunt: Omnis qui odit fratrem suum, in tenebris est, & in tenebris ambulat, & nescit quò eat: quoniam tenebræ obcæcauerunt oculos eius. Et de quibusdam scriptum est, sicut non probauerunt Deum habere in notitiam, tradidit illos Deus in reprobum sensum vt faciant quæ non conueniunt. Sunt etiam pœnæ peccantium animarum ipsa peccata: quia eis & ipsarum animarum sanitas corrumpitur & violatur, & conscientia misera, perturbata & anxietatibus plena efficitur. Ita ergo & peccatorum pœnæ sunt ipsa peccata iusto & terribili iudicio: Et tamen pro eisdem peccatis aliæ statim in præsenti grauissimæ pe... integantur

gantur, sicut superius ostensum est: De quibus omnibus præsentibus pœnis quibus peccantium animæ continuò feruntur, atque puniuntur, beatus Moyses in Deuteronomio apertissimè testatur, dicens de omnipotenti Deo: faciens misericordiam in millia diligentibus se, & reddens odientibus se statim, ita vt disperdat eos, & vltra nō differat, protinus eis restituens quod merentur. Sunt itaque & in præsent grauissimæ animarum pœnæ ipsa peccata sua: sunt grauissimæ animarum pœnæ, ipsa desertio Dei & damnatio, quæ peccatorum mentis continuo restituuntur, sed restant illæ in futurum æternorum suppliciorum pœnæ, de quibus scriptum est dicente Domino, Mortuus est autem & diues, & sepultus est in inferno. Et iterum: Ne fortè tradat te aduersarius iudici, & iudex tradat te ministro, & in carcerem mittaris. Amen dico tibi non exies inde donec reddas nouissimum quadrantem. (Mat. 5. 25.) Et alio loco cum de seruo nequam loqueretur, qui noluit debitum conseruo suo dimittere, sicut & sibi dimissum est, ait: Tunc iratus Dominus eius tradidit eum tortoribus quoad vsque redderet vniuersum debitum. (Matt. 18. 34.) Has pœnis peccatorum, siue in ipsis peccatis eorum, siue in desertione Dei pro merito ipsorum peccatorum quæ statim in præsenti inferuntur: siue etiam in exterioribus pœnis multiplicium flagellorum quæ peccantibus ad præsens diuinitus inferuntur: siue in damnatione æternorum suppliciorum, quæ post omnia in fine seruantur, cum tam apertè scriptura testetur, tam indubitanter Ecclesiæ fides teneat, audiant qui huiusmodi fallacijs atque præstigijs per hunc vanissimum hominem illuduntur, illud, quod Apostolus terribiliter omnibus fidelibus annunciat dicens: Nemo vos decipiat inanibus verbis, propter hæc venit ira Dei in filios diffidentiæ. Quibus verbis Apostoli B. Hieronymus exponendo subiungit, dicens: Verba quæ decipiunt atque supplantant inania sunt & vacua: Quæ vero ædificant audientes plena, cumulata, conferta. Quia igitur sunt plerique qui dicunt non futura pro peccatis esse supplicia, nec extrinseca adhibenda tormenta: sed ipsum peccatum & conscientiam delicti esse pro pœna, dum vermis in corde non moritur, & in animo ignis accenditur in similitudinem febris, quæ non torquet extrinsecus ægrotantem, sed corpora ipsa corripiens punit sine cruciatus forinsecus adhibitione quæ possidet. Has itaque persuasiones & decipulas fraudulentas, verba inania appellauit & vacua, quæ videntur florem habere sermonum, & blandiri peccantibus. Sed dum fiduciam tribuunt, magis eos ferunt ad æterna supplicia. Quia de nulla re sic irascitur Deus quomodo si peccator superbiat, & erectus & rigidus non flectatur in fletum, nec misericordiam postulet pro delicto. Hæc sanctus doctor & antiquorum hæreticorum errorem super hac re redarguens, & istius fraudulenta mendacia atque commenta. Apostolica veritate subuertens, audet, tamen iste adhuc maiora & detestabiliora, & subiungit dicens: In igne æterno, nihil aliud esse pœnam quam beatæ fœlicitatis absentiam. (Sap. 26.) Vbi rectè ab eo quæritur cur & Angeli maligni, & homines iniqui mittendi sunt in ignē æternum, si ex ipso igne nulla supplicia, nulla tormenta passuri sunt? An propterea tantummodo, vt qui nunc vel in aëre, vel in terra conuersantur, incipiant in igne habere nouum habitaculum, vbi sicut de sanctis tribus pueris in fornaci Babylonia damnatis scriptum est, Nullam potestatem habeat ignis in corporibus eorum, & capillus capitis eorum non aduratur, & odor ignis non transeat per eos: Et quid iam restat, nisi vt sicut de illis scriptura dicit; quia Angelus Domini descendit cum Azaria, & socijs eius in fornacem & excussit flammam ignis de fornace, & fecit medium fornacis quasi ventum roris flantem, & non tetigit eos ignis neque contristauit, nec quicquam molestiæ intulit: ita & de istis mirabili insania affirmare contendat. Quod si ita esset, quod nunquam tale miraculum esse potuit, inter magnalia & prodigia quæ diuinitus facta sunt, vt tam innumera multitudo apostatarum Angelorum & hominum perditorum

esset in medio immensarum & æstuantium flammarum, & non tangeret eos omnino ignis, sed vim virtutis suæ obliuisceretur, vt diabolus & eius Angeli custodirentur inlæsi. Quis audiuit vnquam tale? aut quis sufferre possit tantæ impietatis insaniam? Si enim nulla erit pœna in æterno igne damnatorum, consequenter nulla erit etiam gloria in æterna remuneratione iustorum. Qui enim verissimè promisit hanc gloriam dicendo: Venite benedicti patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum est à constitutione mundi: (Mat. 25. 34.) ipse verissime comminatus est illam pœnam, dicendo: Discedite à me maledicti in ignē æternum, qui paratus est diabolo & Angelis eius. Ipse etiā de vtraque immobili veritate subiunxit: Tunc ibunt hi in supplicium æternum; Iusti autem in vitam æternam. Si ergo quærimus quid illud regnum, quod à constitutione mundi iustis est paratum, audiamus fideliter esse vitam æternam. Si quærimus quid credere debeamus illum in quem & homines impij, & Angeli mittendi sunt in ignem æternum? audiamus nihilominus fideliter esse supplicium sempiternum. Nec maior esse potest gloria quam vita æterna. Nec maior pœna quam supplicium sempiternum. Illud in regno positorum, istud in æterno igne damnatorum. De quo supplicio ignis æterni apertè B. Ioannes in Apocal. testatur, dicens: Missi sunt in stagnum ignis & sulphuris, & cruciabuntur die ac nocte in sæcula sæculorum. Et alio loco: Et fumus tormentorum eorum ascendet in sæcula sæculorum. Non ergo in igne æterno Angeli vel homines damnati poterunt vnquam esse quieti & immunes à pœnis; qui, vt Veritas dicit: Cruciabuntur die ac nocte in sæcula sæculorum. Et quorum fumus tormentorum ascendet in sæcula sæculorum: qualis etiam nunc pœna & illos consequitur. De quibus ad similitudinem illius purpurati & damnati diuitis, scriptura dicit: Ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descēdunt: vt & ipsi sicut de illo legitur statim incipiant esse in tormentis & cruciatu in flamma, & deputati in loco æternalium tormentorū solet iste dicere, sicut audiuimus cum aliquis ei de talibus iuxta fidei veritatem obsistere cœperit sermocinādo: Quid vis? Ratio te vincit: Quæ ergo est hæc ratio omni ratione vacua, omni veritate aliena, & spiritu impijssimi erroris lymphatica atque phanatica: Qui vult vt homines veritatē Christi deserant, & suas phantasticas & dæmonicas vmbras sequantur. Sed cum dixisset in æterno igne damnatos nullam aliam sentire pœnam, nisi beatæ fœlicitatis absentiam, subiungit tamen, velut quandam eorum beatudinē & dicit: in ea id est, in beatæ fœlicitatis absentia nullum esse qui non habeat insitā sibi naturaliter absentis beatitudinis notionem eiusq; desiderium, vbi & addit: habituros miseros fœlicitatis & veritatis notionem atque scientiam, ac per hoc non esse miseros nec puniri. Quibus verbis manifestè vtique affirmare conatur omnes, qui futuri sunt in illa damnatione, quam iste non aliam putat nisi absentiā beatitudinis, qua sancti perfruuntur, habituri sunt naturaliter insitam ipsius beatitudinis, cuius participes non erunt, cognitionē atque desiderium. Quod adhuc repetens & inculcans dicit, habituros veritatis & beatitudinis notitiam atq; scientiam. Ac per hoc miseros non esse miseros neq; puniri: vt per hoc quod iuxta istius sensum habituri sunt cognitionem, scientiam, & desiderium beatitudinis & veritatis cuius absentia erunt damnati, quodāmodo miseri nō sint miseri, & puniti non sint puniti: Quia & ex eo quod erunt in absentia beatitudinis & fœlicitatis, possunt dici & miseri & damnati? Ex eo autē quod illius beatitudinis & veritatis quæ illis absens erit, habebunt notitiā, scientiam & desideriū, possint dici non esse miseri nec damnati. Sed fides Ecclesiæ veraciter nouit, nullam esse rationalis creaturæ maiorem damnationē quam à Deo separari, & nulla eius illuminatione illustrari, nulla eius gratia visitari, nulla liberatione saluari, nulla eius visione & contemplatione beatificari. Angeli ergo & homines tāta infœlicitate dānari, & penitus à beatitudinis & veritatis possessione exclusi, etiamsi nullam extrinsecus pœnam, nullum tormentum,

sentirent, quod eis prodesset habere cognitionem, notitiam & desiderium, sicut iste eis promittit, beatitudinis & veritatis: Cum hoc eis magis ad tormentum proficeret habere quantulancumque notitiam veritatis: sed nunquam eius præsentiam promereri: Habere qualecumque desiderium æternæ beatitudinis, nec vnquam tamen eius possessionem lætari. Et ideo absit vt credamus non esse miseriam à Deo penitus separari: aut dicantur non esse puniti & æterna beatitudine funditus exclusi: verè ergo miseri, & verè in æternum damnati erunt, qui semper veritatis & beatitudinis exules erunt nulla veritatis luce illuminati, nulla beatitudinis iucunditate consolati. Et tamen excepta hac plena & summa miseria, aderit eis sine fine etiam exterior pœna, vt & intus toqueantur infœ-

Psal. 20. 9 licitate conscientiæ, & foris igne gehennæ. Quod vtrumque Psalmista breuiter ostendit, dicens ad ipsum iudicem viuorum & mortuorum: Inueniatur manus tua ab omnib. inimicis tuis: dextera tua inueniat omnes qui te oderunt. Pones eos vt clybanum ignis in tempore vultus tui Dominus in ira sua conturbabit eos, & deuorabit eos ignis. Quod B. Augustinus breuissimè & plenissimè his verbis exponit, dicens: Constitues (inquit) eos ardentes intrinsecus conscientia impietatis suæ in tempore manifestationis tuæ. Deinde conturbati vindicta Domini post accusationem conscientiæ dabuntur igni æterno deuorandi.

Sap. 27. Quæ cum ita sint, quærendum nobis sollicitè, quid secundum regulam veræ fidei, de eis qui illa æterna damnatione fuerint puniti, sentire debeamus, vt ex eorum statu qui illa æternaliter erunt damnati, intelligamus, quantũ Dominus donare dignatur, cui ibi nulla iam possit esse emendatio, & cui inde nulla possit fieri liberatio. Primo igitur illud considerandum est, quod fides Catholica firmissimè tenet, nullum hominũ per mortem de corpore exeuntem aliquod sibi bonum posse comparare meritum quo aut iniquitatem suam in qua mortuus est, possit deserere, aut ipse in melius commutari. Quia etsi sunt aliqui qui, vt ipsius fidei pietas nouit, & indulgentiam peccatorum accipiant post mortem orationibus & oblationibus & eleemosynis Ecclesiæ adiuti, & quibusdã purgatorijs pœnis expiati æternæ beatitudini sociari mereantur: Non tamen hoc eis præstat aliquod bonum meritum post mortem additum, sed potius ante mortem adquisitum. Quia videlicet tale fuit meritum vitæ ipsorum in corpore, vt etiam post mortem talibus remedijs adiuuari mereantur. Quod Apostolus manifestè ostendit, vbi ait, Omnes enim nos manifestari oportet ante tribunal Christi, vt referat vnusquisque propria corporis prout gessit, siue bonum, siue malum; propria namque corporis sunt, siue bona, siue mala quæ anima gessit dum esset in corpore: Quia sicut nec ante corpus aliquod bonum aut malum gerere potuit, quæ nondum erat, ita nec post depositionem corporis aliquod bonum aut malum agere potest, quæ tẽpus agendi & operandi cum corporis morte finiuit. Nam & illi qui solo originalis peccati reatu obstringuntur, & sic absque remedio salutari de corpore exeunt, secundũ propria corporis mala damnantur: Quia & corpore vtique & cum corpore illud originale debitũ contraxerunt vode in æternũ damnari mererentur. Omnes itaque manifestari oportet, sicut Apostolus dicit, ante tribunal Christi, vt referat & reportet vnusquisq; propria corporis, id est, quæ in corpore gessit, siue contraxit: quia vtiq; nec ante corpus aliquid gerere potuit, nec post corpus gerere potest, cum iam vnicuique non est tempus agendi, sed pro actibus tantummodo recipiendi. Et ideo certum esse debet fidei nostræ neminem eorum, qui in die iudicij æterna damnatione puniendi sunt, tale aliquod meritum ex hac vita secum tulisse, per quod instè ab illo æterno interitu liberarentur. Si enim quisquam eorum tale meritum in præsenti vita sibi præparasset, nunquam profectò ab illo iusto iudicio æternæ damnationi traderetur. Sed quicumque damnatione puniendi sunt, sine dubio tale meritum hinc secum tulerunt, vt iusto iudicio nunquam inde absolui, nunquam liberari mereantur,

A sed vt illa damnatio sicut iusta, sic etiam æterna esse mereatur. Ea causa erit quia nulla iam suppetere poterit emendatio præteritorum, nulla promereri poterit melioratio futurorum. Erit namque ibi de præteritis malis pœnitentia, erit etiam liberationis & ereptionis desiderium. Quod tamen nullum habebit effectum, vbi ergo tunc erit misericordia Dei, qui nec tanta & tam longa pœnitentia flecti poterit ad indulgendum, nec vllis damnatorum desiderijs, vel etiam rogantium gemitibus mouebitur ad liberandum. Et quomodo iustus qui ista contemnet? qui tantum dolorem conscientiæ, tantam afflictionẽ creaturæ suæ non respiciet? Quæ, inquam, causa erit, vt nihil ibi salubre, nihil acceptabile fieri possit. Si enim posset, nunquam à tanta misericordia, nunquam à tanta

B iustitia repudiaretur. Cur itaque non potest? nisi quia recedente ab eis penitus Deo, nulla in eis esse poterit gratia specialis, per quam eis donetur pietas fidei, spei & charitatis; vt tali pietate pœniteant & præteritis tali pietate desiderent de futuris, id est, piè credendo, piè sperando & diligendo. Et quia iam, vt dictum est, funditus à Deo separati, & sola omnipotentiæ eius virtute ad æterna supplicia seruati nunquam poterunt esse participes Spiritus sancti, etiamsi fuerit ibi aliqua fides, siue ex memoria præteritorum quæ hic audierunt vel didicerunt, siue ex terrore & manifestatione præsentium quæ tunc apparebũt: manifestata scilicet omnib. Dei, & Christi eius virtute & potestate, tam in maiestate quæ in eius iudicio apparebit, quam in æterna remuneratione iustorum, & æterna damnatione iniquorum: Quæ vtique nulli poterunt

C esse ignota, nulli non confessa, nulli non vel ipsius terroris necessitate adorata. Tunc enim † generaliter subiecta * sine omni creatura creatori, siue pietate vt in sanctis Angelis, & sanctis hominibus, siue necessitate, vt in Angelis malignis & hominibus impijs, implebitur perfectè quod A- Rom. 14. postolus per Prophetam scriptum esse commemorat, di- 12. cens: Viuo ego, dicit Dominus Deus, quia mihi curuabunt omnia genu, & omnis lingua confitebitur Domino. Vnde etiam illud manifestè in eodem iudicio fiet, quod scriptura de impijs futurum prædixit. Dicent inter Sap. 5. se pœnitentiam agentes, & per angustiam spiritus dolentes: hi sunt quos aliquando habuimus in derisum, & in similitudinem improperij. Nos insensati vitam illorum putabamus insaniam, & finem illorum sine honore, quomodo ergo computati sunt inter filios Dei, & inter sanctos sors illorum est? Ergo errauimus à via veritatis, &

D iustitiæ lumen non luxit nobis, & Sol non est ortus nobis, & cætera quæ multiplici dolore plena illo die dicturi sunt. Si ergo ex tanta diuinæ virtutis & Christi Domini manifestatione & terrore tam magni, & tam manifesti æterni iudicis fuerit aliqua fides, vel eorum qui aliquando crediderunt: vel etiam fidelium qui tam præsenti maiestate & terrore credere compellentur, ita vt in illa sua lamentatione, sicut iam commemorauimus, dicant: Errauimus à via veritatis, & iustitiæ lumen non luxit nobis, & sol non est ortus nobis. Iam tamen talis fides in illis qui, vt sæpius dictum est, penitus à Deo deserti, nec vlla eius gratia illustrati erant, profectò non erit ex pietate amoris sed, ex necessitate terroris. Qualem & in dæmonibus esse fidem beatus Iacobus Apostolus testatur, dicens: Et dæmones credunt & contremiscunt, talis ergo

E fides non eis valebit ad salutem, sed ad confusionem, vt quemadmodum in Psalmo scriptum est: Erubescant & Psal. 82. 18. conturbentur in sæculum sæculi & confundantur & pereant, spes vero nulla iam in eis esse poterit æterna sententia condemnatis, & de liberatione sua penitus desperatis, similiter & charitas, qua & piè Deum diligant & proximum secundum Deum, vel in Deo aut propter Deum, nulla eis inesse poterit, cum deseruerit eos ipse Deus charitas, nec affuerit eis illa gratia spiritus de qua Apostolus dicit: quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis, & simul ab eis recesserit, & gratia Domini nostri Iesu Christi & charitas Dei & communicatio Spiritus sancti. Nam & si

diues

diues ille iam apud inferos condemnatus, fratres suos, quos in carne reliquerat, velut secundū Deum dilexisse videtur, pro quibus, ne in illum locum tormentorum venirent anxius satagebat & deprecabatur: nō tamen verè secundum Deum hebat, quod non instinctu diuinæ charitatis, sed vel terrore præsentis damnationis vel amore humanæ affectionis ab eo extorquebatur. Quia ergo nulla iam in eis esse poterit per illuminationem Dei & donum spiritus sancti, pietas fidei & charitatis, nulla bonæ spei expectatio, ideo nulla eorum pœnitentia de præteritis, nullum desiderium de futuris à iusto & misericordi iudice suscipietur, quia hæc tunc non erunt ex pietate & amore diuinæ gratiæ: sed tantū ex necessitate tribulationis & angustiæ. Tunc itaque subtracto à su penitus diuinæ illustrationis lumine, & ab illo gaudio quod bonu fideli seruo promittitur, dicente Domino, B intra in gaudium Domini tui, penitus exclusis, & alienatis, remanebunt extra lumen Dei: Et hoc erit eis mitti in tenebras exteriores, & in illam noctē horrendam de qua Dominus ait; venit nox quando nemo potest operari. Et alio loco misericorditer admonet dicēs: Ambulate dum

Ioan. 9. 4. lucem habetis, ne tenebræ vos comprehendant. Et ideo qui in talibus tenebris atque in tali nocte erunt, nihil iam poterunt piè & fructuosè operari, quod vel à iusto iudice possit suscipi, vel vnde ipsi mereantur, ab illa æterne damnatione liberari. Et quia nulla poterit esse pia pœnitentia, nulla erit delictꝰ indulgentia: consequenter nec vllus finis supplicii. Et quæcunque in eis esse poterit recordatio veritatis siue beatudinis, tanta erit quanta humano sēsu, vel tenuiter potest attingi, nō qualis per Dei gratiam solet inspirari. Tunc enim implebitur quod terC ribiliter vnicuique scriptura dicit. Et tantummodo sola

Isa. 28. c. 19. vexatio intellectum dabit auditui. Et iterum: Quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia erunt apud inferos quo tu properas. Nullumque erit ibi opus bonum.

Eccl. 9. 10 Aliquod meritum adquirendi nulla ratio vel iustè excusandi, vel digne satisfaciendi. Nulla sapiētia ex illustratione veritatis. Nulla scientia in exercitio alicuius virtutis. Quomodo ergo iuxta istum habebunt cognitionem & notitiam veritatis, cuius & illuminatione & contemplatione æternaliter priuati erunt. Quomodo habebunt eiusdem veritatis & beatitudinis desiderium, in quibus nullus erit amor pietatis quo aut veritas verè diligatur aut vera beatitudo veraciter desideretur. Poterunt fortasse habere quandā scientiam veritatis in eo, quod se agnoscent dignos talibus esse suppliciis, quod se agnoD scent iusto iudicio condemnatos, nec vnquam ab æterno & iusto iudicio liberandos. Sed totum hoc eis proficiet ad tormentum, non ad consolationis solatium. Sic etiam poterunt habere desiderium cuiusdam beatitudinis suæ vt ab illis tormentis erui, & aliqua pace vel quiete refrigerari mereantur. Ipsam autē veritatem Dei, ipsam beatitudinem Dei nosse, & desiderari donum est piorum, & Dei spiritu illuminatorum, non impiorum perpetua cæcitate atque infœlicitate damnatorū: Quia & si fuerint ibi aliqui fortassis ex his, qui aliquando crediderant & cognouerant, meminerint aliquatenus ipsius veritatis vel beatitudinis, ad hoc tantū eis valebit ipsa memoria vt magis doleant, magis pœniteāt, magis se esse damnatos cognoscant, desiderantes quidem habere tempus emendandi vt possent euadere supplicium: nec tamen habentes pietatem ipsius desiderii qua promereantur E Deum. Cesset itaque iste eos qui à Deo nō illuminabūtur, & alienati à vita Dei nulla veritatis & beatitudinis dulcedine consolabūtur, dicere, non esse miseros nec dānatos. Quia hęc est vera, & ęterna miseria alienari à beata vita. Et nulla maior potest esse damnatio, quam penitus excludi & repelli à Deo, & nullam spem nullum recursum iam habere posse ad Deum: vnde consideret fidelis quisque quam vanum & insanum sit, quod iste conatur: vt qui de Deo beati esse nunquam poterunt, ex se ipsis beatos esse posse commendat: id est, non aliqua Dei gratia, sed quibusdam, vt ipse putat, bonis naturæ: Quæ

A etiamsi omnipotens Deus in illis relinquat, erit eis ad testimonium suæ bonitatis, erit in illis ad testimonium iustæ damnationis: vt ipsi etiam possint cognoscere veritatem iusti iudicii in se expletam, atque ita suo etiam iudicio condemnentur. Addit adhuc iste & dicit: in diabolo impiis hominibus non puniri, nisi peruersitatem propriæ voluntatis, nec peccasse naturam sed voluntatem. Ecce iterum rem nouam & inauditam. Quod iste dicit in diabolo & impiis hominibus æterna perditione damnatis, non esse puniendam à Deo naturam ipsorum, sed tantummodo peruersam voluntatem eorum: Eo quod iuxta istius sensum non peccauerit natura eorum sed voluntas: fides autem Ecclesiæ veraciter nouit, & firmissime tenet quia natura rationalis, siue in angelis, siue in hominibus, sicut naturalem habet à Deo insitam B rationem, ita naturalem habeat à Deo insitam voluntatem: Et hoc totum, id est, naturam cum ratione sua, vel naturam cum voluntate sua simul vnam esse naturam? Ita vt nec natura ista rationalis possit esse absque volūtate, nec voluntas absque natura. Quicquid ergo ista natura vult, non potest alienum esse ab ipsa natura, vt ad solam voluntatem referatur; quia quando aliquid vult ista natura, non vtique in parte sui vult, & in parte non vult, sed tota vtique vult. Siue itaque ad bonum moueatur, ipsa voluntate tota hoc agit: siue è contrario ad malum similiter tota hoc agit. Et ideo siue ad bonum, siue ad malum moueantur, tota vtique mouetur: Sed cū mouetur ad bonum virtus est, cum mouetur ad malum, vitium est. Et ideo sicut per virtutem tota melior efficitur, cum mouetur ad bonum: sic per vitium tota deC terior fit, cum mouetur ad malum, non ergo sola voluntate melioratur ex virtute, sed tota melioratur; Nec sola voluntate deterioratur ex vitio, sed tota deterioratur, ita vt per virtutem non sola voluntas, sed tota ipsa natura efficiatur mala non amittendo bonum substantiæ suę, sed corrupta & deprauata vitio voluntatis suæ. Cum ergo natura hæc recta agit, tota agit, quia tota hoc vult. Et cum peruersè agit, similiter tota agit, quia tota hoc vult. Et ideo iustum est apud Deum, vt & pro bene gestis tota glorificetur: Et è contra pro male gestis tota damnetur: nam si in angelis malignis, & hominibus impiis nō peccauit natura sed voluntas: Ergo & in Angelis sanctis, & in hominibus piis non aliquid recte agit, vel aliquid boni meruit eorum natura, sed sola voluntas. Et si in ipsis Angelis malignis, & hominibus impiis non tota D natura, sed sola voluntas damnabitur: Ergo & in istis, id est sanctis Angelis, & hominibus non tota natura, sed sola voluntas glorificabitur. Sed certissimum est & indubitanter fides tenet, quia & Angelorum sanctorum tota natura iam beatificata & glorificata est: similiter & sanctorum hominum tota natura est beatificāda & glorificanda, ita ergo econtrario absque vlla dubitatione tenendum est, quia & in Angelis malignis & in hominibꝰ impiis non sola voluntas, sed tota natura damnabitur quia tota peccauit. Iste autem contra omnem fidem & veritatem Dei, ideo tale argumentum introduxit, vt scilicet Angelos & homines malos in sola dicat voluntate damnandos, vt habeat locum eius insana fallacia & possit discere, sicut superius iam dixit in igne æterno nullam aliam futuram esse pœnam, nisi absentiam beatitudinis: vt & nullam ibi pœnam extrinsecus patiatur E natura Angelica, vel humana, quia iuxta eius sensum nō peccauit: & sola intrinsecus in conscientia puniatur voluntas, quia, vt iste dicit, sola peccauit: Et puniatur aliquo tormento pœnæ exterioris, sed sola absentia beatitudinis, quam non habebit, & prohibitione praui desiderii sui, quod ei explere non licebit. Quę omnia quam sint contraria fidei & veritati, quantum faueant voluntati diaboli adulando hominibus, ne aut veraciter se peccasse recognoscant, dum eorum natura non peccasse defenditur, nec veraciter se esse puniendos, dum non eorum natura, sed sola voluntas dicitur condemnanda manifestissimè omnibus patet qui salutis suæ cu-

Sap. 28

ram gerunt, qui hæretica figmenta & deliramenta longè à se reiiciunt & Euangelicam atque Apostolicã veritatem fideliter sequuntur. Sed vt de his quæ contra eius vesanam & impiam definitionem diximus, certius & firmius qui hæc legerit, instruatur, subiũgimus hic verba B. Augustini, quibus de hac re clarissime & plenissimè docet dicens: Nullum est quod dicitur malum, si nullum sit bonum: sed bonum omni malo carens integrum bonum est. Cum verò inest malum, vitiatum, vel vitiosum bonum est. Nec malum vnquam potest esse vllum, vbi est bonum nullum, vnde res mira conficitur, vt quia omnis natura, inquantum natura est, bonum est: nihil aliud dici videatur, cum vitiosa natura mala esse natura dicitur, nisi malum esse quod bonum est, nec malum esse, nisi quod bonum est, nec res aliqua mala esset, si res ipsa quæ mala est natura non esset. Et paulò post dicit: Cauendum est ne incidamus in illam sententiam Propheticam vbi legitur: Væ his, quæ dicunt quod bonũ est, malum: Et quod malum est, bonum: Qui dicunt tenebras lucem, & lucem tenebras: Qui dicunt dulce amarum, & amarum dulce. Et tamen Dominus ait: Malus homo de malo thesauro cordis sui profert mala. Quid est autem malus homo nisi mala natura: quia homo natura est. Porrò si homo aliquod bonum est, quia natura est, quid est malus homo nisi malum bonum? Tamen cum duo ista discernimus, inuenimus nec ideo malum quia homo est, nec ideo bonum quia iniquus est. Quisquis ergo dicit malum est hominem esse, aut bonum est iniquum esse, ipse incidit in Propheticam illam sententiã: væ his qui dicunt quod bonum est malum, & quod malum est, bonum. Opus enim Dei culpat, quod est homo, & vitium hominis laudat quod est iniquitas. Omnis itaque natura etiamsi vitiosa est, in quantum natura est, bona est, inquantum vitiosa, est mala est. Ecce venerabilis Doctor non dicit solam vitiatam, vel vitiosam voluntatem hominis malam esse, sed vitiosam hominis naturam, malam esse naturam: & rem quæ mala est, naturam esse confirmat: Et malum hominem dicit malam esse naturam. Ita enim ait, quid est autem malus homo nisi mala natura? non dixit quod malus homo tantummodo mala voluntas sit: sed mala natura, videlicet, quia cum malus est homo, non sola voluntate, sed tota sua natura malus est. Docet tamen fideliter discernendum, cum dicimus, malus homo inter opus Dei & vitiũ ipsius hominis: quia videlicet, hominem esse opus Dei est: iniquum esse vitium hominis est. Atque ita naturam etiamsi vitiosa est, inquantum natura est, bonam esse: inquantum vitiosa est malam esse. In omnibus ergo his, non solam vt iste asserit, voluntatem, sed ipsam naturam dicit esse bonam, inquantum natura est: ipsam naturam dicit esse malam, inquantum vitiosa est. Hoc itaque fideliter sequendum. Catholice sapiendum, firmissimè retinendum est, vt certissimè cognoscamus nec maligni Angeli, nec mali hominis voluntatem solam, sed totam eorum naturam malam esse cum peccatet. Addit iste adhuc & dicit: nec in prisco homine peccasse naturæ generalitatem, sed vniuscuiusque indiuiduam voluntatem. Si ea natura delinqueret, cum vna sit, tota perfecto periret. In his verbis apertissimè affirmare conatur, non solum in cæteris hominibus, non peccare naturam, sed solummodo voluntatem sed etiam in primo homine similiter non peccasse naturam, sed solam voluntatem. Et ideo non peccasse in eo generaliter humani generis naturã, quia nec eius peccauit natura, sed peccasse in eo tantummodo specialem & propriam vniuscuiusq; voluntatem. Quia & ipse iuxta huius sensum sola tantummodo voluntate peccauit. Et affirmat quod si tota hominis natura peccasset tota profecto periret. Nunc autem quia sola voluntas peccauit, sola vitiata est, natura inlæsa permansit. Quid ergo dicemus ad hæc tam exquisita & inaudita phantasmata? nisi vt opponamus è contrario testimonia scripturarum Dei quibus verissimè cognoscamus, & fidelissimè teneamus, totam in illo homine naturam peccasse, totam perisse, totam ad posteros eius peccato & perditioni obnoxiam transmissam esse: sicut Apostolus manifestissimè docet dicens, Per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors, & ita in õnes homines pertransiit in quo õnes peccauerunt, non ait per vnius hominis voluntatem peccatum intrauit in mũdum, sed per vnum hominem. Nec ait: & ita in omnium voluntates pertransiit: sed ita in õnes homines pertransiit, nec subiunxit: in quo omnes voluntates peccauerunt: sed in quo omnes peccauerunt: per vnum ergo hominem peccatũ intrauit in mundum, per totam scilicet & plenam, qua homo constat, naturam. Et sicut in ipso tota est vitiata peccato, ita in omnes homines tota pertrãsiit vitiata peccato, vt ex illa origine tota peccatrice traheretur omniũ hominum natura tota peccatrix. Quia in toto illo homine peccante tota omnium natura peccauit, vnde & omnes, sicut idem Apostolus dicit, effecti sunt non voluntate, sed natura filii iræ. Ita namque ait. Et eramus natura filii iræ, sicut & cæteri, verè eorum natura efficiuntur filii iræ omnes qui ex illa vitiata radice nascuntur, nõ qualis ipsa natura à Deo condita est, sed qualis per eũ peccando effecta est. Ex quorum omniũ persona Psalmista ait: Ecce enim in iniquitatibus conceptus sũ, & in peccatis cõcepit me mater mea. Ecce natura peccatrix in iniquitatibus concepta, in peccatis procreata. Hanc naturam quæ in Adam tota periit, & ad eius posteros tota perdita transmissa est, venit Dominus noster Iesus Christus quærere & saluare non ex parte, id est, in sola voluntate, sed omnino totã. Sicut ipse dicit: venit enim filius hominis quærere & saluum facere quod perierat, & quia tota perierat, & totam ille venit saluam facere: ideo totam illam suscepit, id est & animam & corpus hominis, vt ex toto eam sua morte & resurrectione saluaret: animam à peccatis iustificando, & corpus à mortuis suscitando, sicut Apostolus ait, quia mortuus est propter delicta nostra, & resurrexit propter iustificationem nostram. Quicumque ergo naturam humanam non totam periisse dicit, quid aliud quam sacramentũ diuinæ incarnationis quãtum in se est euacuare contendit? Sine causa enim Dominus totam eam sua incarnatione suscepit, si non tota indigebat salute, si non tota indigebat saluatore. Mirum est autẽ quomodo iste dicat in primo illo homine vniuscuiusque nostrũ proprias voluntates peccasse, quæ omnino needum erant, at naturam omnium nostrum non peccasse, quæ vtique in illo erat. Quod autem dicit, quia si tota illius hominis natura peccasset, tota profecto periret: ergo cõsequens est secundum illius sensũ, vt si sola in illo voluntas peccauit sola vtique perierit: & si periit profecto indiget liberante & saluãte reformãte, vt sana & libera esse possit per eum qui dicit: si vos filius liberauerit vere liberi eritis. atquomodo iste in tota ista vanissima disputatione sua liberum arbitrium ex virtute, & non ex dono gratiæ defendit: Et si iuxta eum sola periit voluntas, & natura salua remansit: ergo veritas, quod absit, non verum dixit, vbi ait: quia totum hominẽ sanum feci in sabbato, subiungit iste & dicit: proinde in nullo naturam puniri quia ex Deo sit & non peccet, sed motos voluntarios libidinosus puniatur. Ideoque in corpus supplicia non perpeti quod Deus fecit, sed quod superbis vitiosè inuenit: Libidinẽ peruersę voluntatis cruciari, dum ea quæ malè aut indigne appetit, habere non sinatur. Quod ergo ait: in nullo naturã puniri quia à Deo sit, & nõ peccet, dupliciter est cõtrariũ fidei & veritati: Quia & natura Angelica siue humana peccatrix, sicut superiùs multipliciter ostensum est, iusto Dei iudicio, & ęterna damnatione punitur. Cum enim non possit nec debeat impunitum esse malum, necesse est vt ibi puniatur vbi inuenitur & à quo perpetratur, ideò, in ipsis naturis à quibus peccata commissa sunt, & quæ peccando corruptę & deprauatæ sunt: & ideo pro his iustè damnantur & ipsa Angelica vel humana natura: licet ex Deo sit non generatione sed creatione, non natiuitate sed origine: Tamen peccare potest, & peccat, vtrumque ergo fides

Catholica confitetur, quia vtrúque verum nouit: id est & veraciter peccare naturã, & veraciter propter peccatum puniri naturam. Et e contrario vtrumq; iste negat, dum nec naturam puniri, nec naturam peccare cõfirmat. Itaque secundum eius assertionem inuenta est natura à Deo condita quæ non peccet, sicut nec illa natura quæ sola à Deo est genita. Fides autem vera firmissime tenet omnem rationalem naturam & Angelicam & humanã, quantum in se est, posse peccare: sicut manifeste peccauit, & in Angelis refugis, & in hominibus per mandati transgressionem lapsis. Quod autem in electis Angelis eadem natura non peccat diuinæ est gratiæ, diuinæ est bonitatis, vt & boni sint ex natura, & boni perseuerent ex gratia: sola autem illa natura peccare numquam possit, quæ sic est ex Deo, vt hoc sit quod Deus, non ex nihilo condita, sed ex ipso genita vel procedens, quod est sine dubio vnigenitus Dei filius & Spiritus sanctus, vnde iste qui nullam aliam naturam dicit nõ peccare, manifestissima blasphemia creaturam creatori conatur exæquare. Et quid aliud ei restat, nisi vt eiusdem naturæ esse dicat Angelicum, vel humanum spiritum cuius & Deus est: sicut impii antiqui hæretici dixerunt: Et cum illi duas naturas separatim inter se contrarias introduxerint, vnam bonam, quæ mala esse non possit, & alteram malam, quæ bona esse non possit, iste nouo & inaudito genere erroris, immo eodem Angelico, vel humano spiritu & naturam dicit non peccare, id est malam esse non posse: Et voluntatem peccare, id est malam esse posse. Et ideo cum dixisset, naturam non peccare nec puniri, vt solam voluntatem hominis peccare confirmet, statim subdidit: sed motus voluntatis libidinosus puniatur: Et hoc ipsum repetens & inculcans subiunxit, atque ait: in impiis supplicia nõ perpeti quod Deus fecit, sed quod superbia vitiose inuenit: quibus vtique verbis, sicut & superius naturam Angelorum siue hominum impiorum numquam pœnas passuram esse confirmat, sed quod superba voluntas vitiose admisit, hoc in sola voluntate puniendum esse. Et quasi ab eo quæreremus quæ esset pœna futura ipsius vitiosæ voluntatis, velut exponendo addidit: Libidinem peruersę voluntatis cruciari, dum ea quæ male aut indigne appetit, habere non sinatur: Ecce qualem cruciatum futurum dicit malæ voluntatis in Angelis & hominibus impiis, id est, non ignis æterni, non alicuius exterioris supplicii, sed ex eo tantummodo, quia quod male cupiunt oppressæ & coërcitæ implere non possunt: ita fit vt non solam naturam Angelorum, vel hominum malorum numquam peccare, numquam puniendam esse, sed etiam ipsam voluntatem quam in eis peccare concedis, nullam pœnam sensuram, nullum supplicium passuram esse confirmet, nisi quale & in hac vita omnes praui homines patiuntur, dum ea quæ praue cupiunt, vel diuino iudicio obsistente, vel alia qualibet necessitate cogente, implere minime permittuntur: vnde manifestum est omnem pœnam, omnem cruciatum, omne tormentum futuræ damnationis, quod omnipotens Deus tam frequenter, & tam terribiliter comminatur, eum penitus denegare: Et ideo tanquam fidei nostræ contrarium, & veritatis inimicum procul ab auribus, procul à cordibus fidelium repellendum. His tantis & talibus subiungit breuissimam definitionem & dicit: ex nullo bonum esse bonum malum esse. Quod vt vigilanter intelligere possimus, illud imprimis considerandum est, quia potest aliquod bonum esse malum; sicut ipsa natura Angelica vel humana vtique in suo modo, & in suo genere bonum est: sed hoc naturæ bonum potest vitio fieri malum, vt & in quantum natura est, bonum esse permaneat, & in quantum vitiatum est, malum esse incipiat: Atque ita bonum malum esse non dubitetur: vt autem hoc fiat, id est bonum malum esse incipiat, nullam habet præcedentem causam, vnde hoc velut cõsequenter fiat. Nam si verbi gratia quæratur, quæ causa sit, vt illa vel illa natura sit aliquod bonum, inuenitur vtique summum bonum Deum esse, & ab ipso summo bo-

A no omne bonum esse, si quæratur vnde ille, vel ille sapiens sit & iustus: inuenitur similiter summam sapientiam summam iustitiam Deum esse: Et ideo ipsum esse summam & certissimam causam, vnde omnis qui verè est sapiens, sit sapiens: Et vnde omnis qui verè est iustus, sit iustus: vt ergo sit aliquis bon', sapiens, iustus, est causa præcedens & efficiens ipsa summa bonitas, summa sapientia, summa iustitia: sed numquid eodem modo dicere possumus, si quæratur à nobis, vnde bonum malum esse incipiat, vt respondeamus aliquod summum malum esse extra omnem naturam Angelicam vel humanam, & ex ipso summo malo fieri quicquid in ipsis creaturis est malum; vt Angelus malus, & homo malus, quasi inde habeant causam præcedentem & efficientem malitiæ suæ qua ex bono mali efficiuntur. Nam etiam Angelus B sicut & homo vtique bonus fuit, & malus esse cæpit, vnde ergo habuit causam præcedentem qua fieret malus? numquid Deus bonus potuit esse causa qua effectus sit Angelus malus, absit quia summe bonus mali causa esse non potuit, similiter absit vt dicamus esse aliquod summum malum, & ipsum esse præcedentem causam qua bonus Angelus fieret malus. Quia si hoc dicimus manifeste contra fidei veritatem duo principia introducimus, id est, sicut principium boni, ita & principium mali, sed hoc absit, vt dicamus: quia nulla est omnino mali natura, nec existit substantialiter, vt alicuius rei principium esse possit, sed defectus à bono, appellatur malum: sicut defectus lucis tenebræ, & defectus sanitatis languor. Iste igitur defectus à bono, quod appellatur malum, vnde factus est in diabolo qui primus peccauit? Ex C Deo non est factus: quia Deus auctor mali non est. Ex aliqua mali substantia non est factus, quia nulla mali substantia est. Si autem quis dicat propria ipsius voluntate hoc factum esse, vt ex bono fieret malus? quærẽdum est vtrum illa voluntas quæ hoc in illo fecit, bona fuerit an mala: si bona quomodo bona voluntas causa esse potuit malæ voluntatis? sin autem mala voluntas hoc in illo fecit, vt ex bono fieret malus, ipsam malam voluntatẽ qua hoc factum est, quis fecit? Quod cum inueniri nullatenus possit vere confitendum est, nullam præcessisse causam efficientem illius voluntatis malæ qua bonus Angelus factus est malus: sed potius causam esse deficientem quia defectus à bono, vt dictum est, appellatur malum: similiter & in homine peccante, vt ex bono fieret malus, nec Dei vtiq; volũtas causa esse potuit, nec natura mali quã D nullam esse cõstat: nec bona volũtas ipsius hominis quæ mali causa esse nõ potuit: nec mala eius voluntas, cuius auctor si quæratur, nullus inueniri potest, si enim dicatur quod mala diaboli voluntas fecerit hominis voluntatem malam, sicut potuit adquiescere male suadẽti, ita potuit & non adquiescere. Cum ergo esset vtrumq; in sua potestate nemo eum impulit, nemo eum coegit, nemo etiam suadendo præualere potuit, nisi quia intus apud se volũtario defectu lapsus à bono factus est malus. Hoc etiam & in cæteris hominib. agitur, vnde manifestũ est ipsum bonum, id est naturã bonã ex Deo esse: vt autẽ istud naturæ bonum efficiatur vitio malũ ex nullo esse, quia nullũ habet auctorẽ efficientem, sed causam deficientẽ. Hoc ergo totũ recte de rationali Angelica, siue humana natura sentitur & dicitur: vt in eis ex nullo auctore ipsũ naturæ bo- E num malum fieri vel malũ esse intelligatur. Quia vt sæpius dictũ est, malũ istud rationalis creaturæ nec ex Deo, nec ex mali aliquo auctore, sed ex proprio defectu à bono esse cæpit, sed iste qui nec Angelicã, nec humanã naturam asserit peccare, sed solam ipsius naturæ voluntatẽ, ideo talem definitionem posuisse videtur, vt sic velit ostẽdere ipsum voluntatis bonum, malũ fieri, vel malum esse, vt tamen ipsam naturã defendat ab hoc malo alienam esse: Eo quod non potuerit auctor esse mali suæ volũtati quæ ex bono in malũ mutata est. Quia bonũ vt incipiat esse malum, ex nullo est. Ex nullo auctore habet causam efficientem: sed potius defectum à bono hoc ibi malũ esse. Vt hoc intelligatur iuxta eius sensum in eo quod dictum

est, ex nullo bono malum esse, quia vel Angelicæ, vel humanæ voluntatis bonum, vt esset malum non fuit auctor eorum natura: & ideo remansit immunis à culpa. Quia videlicet vt voluntatis eius bonum inciperet esse malum ex nullo factum est, & ideo nec ex ipsa. Huius autem fraudulentissimæ argumentationis occasionem ex verbis sancti August. accepit in libris de ciuitate Dei: Et quod ille ad ædificationem fidei, & destructionem hæreticorum maxime Manichæorum salubriter disputauit. Iste callide ad impugnationem ipsius fidei conuertit & in omnibus quam maxime ita agit, vt ex subtilissimis eius sancti partis disputationibus, quod ille dixit ad

Cap. 29. confirmationem pietatis, iste furetur & vsurpet ad confirmationem sui erroris. Adiungit adhuc & dicit: Eum qui hic libero voluntatis arbitrio, quod est naturalis intelligentiæ munus, id est mentis acies in vsus turpitudinis mutet illic, ne omnino veritatis honestate fruatur iustissime perdere, & tenebras æternæ ignorantiæ non euitare. In his verbis non de ipsa natura Angelica vel humana, nec de eius voluntate, vt solet, sed potius de ipsius intelligentia dicit: vt quia tria considerantur in mente rationali, id est esse, scire, velle: & iam de duobus id est esse: & velle vtriusque naturæ satis sibi disputasse videtur, nunc etiam de scire, id est de ipsa intelligētia aliquid ponat: vnde salua natura, & ab omnibus pœnis nata eius sensum libera, non solum voluntas ipsius naturæ, sed etiam intelligentia in damnatione futura punienda intelligatur: non tamen aliquod supplicio, vel tormento exteriori, sed tantum interiori damno. Dicit enim quod quicumque modo per liberum voluntatis arbitrium naturalis intelligentiæ munus, quod habere debuit ad exercitium quærendæ, inueniendæ, & contemplandæ veritatis, commutauerit in alios vsus, id est, vt ipsam intelligentiæ aciem potius in rebus vanis & inutilibus, vel etiā noxiis occupet in illa tunc damnatione ipsa volūtas hominis libera, quæ hic male vsa est bono intelligentiæ etiā hoc modo punietur, vt veritatis luce minime perfruatur, sed & ipsum bonum intelligentiæ iustissime perdat, & æternæ ignorantiæ tenebras incurrat. Quod si ita est, magna est iam ista humanæ voluntatis pœna: vt quæ in hac vita suo libero arbitrio male abusa est intelligentiæ bono, in illa tunc damnatione & ipsum bonum intelligentiæ perdat, & nulla veritatis luce fruatur, & æternæ ignorantiæ tenebris condemnetur. Et hæc pœna peruersæ humanæ voluntatis intelligentiæ lumen amittentis, tantum erit pœnale ipsi intelligentiæ vt iuste amittenda esse videatur, & loco eius æternæ ignorantiæ tenebræ succedant, hæc pœna humanę mentis nulla damnatione futura etiam à nobis non respuitur. Quia vt in Euangelio legimus quando seruus inutilis condemnabitur, quia vnum talentum intelligentiæ quod acceperat, noluit vtiliter exercere & exercendo duplicare: sed vel in sudario illud ligauit, vel in terra abscondit, id est delicate viuendo, & terrenis curis se immergendo infructuosum reddidit: Quando, inquam, ille inutilis seruus condemnabitur, sicut ipsa Euangelica veritas manifestat primum dicetur auferendum talentum: Et tunc subiungetur: *& inutilem seruum proiicite in tenebras exteriores, vbi æterna cæcitate damnatis illic erit fletus & stridor dentium*: vnde nulla pœna fideli homini formidanda est sicut ista, id est, in illa damnatione spoliari lumine intelligentiæ Dei & proiici in tenebras exteriores, vbi æterna cęcitate damnatis nulla erit illuminatio, nulla contemplatio veritatis. Cum ergo hęc ita sint quomodo eis, qui in tanta & tam graui damnatione ęternę cęcitatis futuri sunt, & absentiam veritatis & beatitudinis semper passuri promisit iste superius notitiam, & scientiam ipsius beatitudinis & veritatis: Ita vt propter hanc cognitionem & miseros, non esse miseros, & damnatos non damnatos esse firmauerit: hoc ergo teneat quod hic vtrumque veraciter dicit, & abiiciat illud quod ibi superuacue & inaniter posuit xvij. septimo decimo capitulo septem defi-

Cap. 30. nitiones posuit hoc modo: Deum non esse auctorem, fa-

A ctorem, prædestinatorem suppliciorum: prędestinationem vero ab ea tantum quę in bono sunt: pręscientiam vero ad bona malaque. Quam differentiam non ex natura esse, sed ex vsu locutionum: sicut & id quod dicitur Deus vbique esse pręscientia potestatis, sed non vbique gratia habitationis: ita dici posse de eo vbique pręscientia, sed non vbique prędestinatione: cum apertissime veritas clamet de Deo, vbicumque fuerit Deus pręscientia, ibi profecto erit habitatione, similiter vbicumque fuerit præscientia necessario erit prædestinatione. Et sicut pręscientiam & prędestinationem, non nisi quæ ipse facturus esset: Et sicut præsentia eius & habitatio in his quę nec ab eo sunt, nec ea fecit econtrario esse dicantur cum in eis non sit ita pręscientiā eius & prędestinationem, econtrario pronunciari in illis quę nec fecit, nec

B donauit quia nihil sunt. Ignem ęternum ad vrendum diabolum & Angelos eius, non homines factum postquam æthere detrusus sit: vbi in æthereo corpore non poterat pœnas sentire, additum ei corpus aëreum in quo ignem sentiret. Non esse illum ignem pœnam, neque ad eam præparatum vel prædestinatum, sed qui fuerat prædestinatus, vt esset in vniuersitate omnium bonorum, sedes factus est impiorum: in quo proculdubio habitabunt non minus beati quam miseri. Miseriam nullam esse nisi mortem æternam: Æternam mortem veritatis ignorantiam: nullamque miseriam esse nisi veritatis ignorantiam: & vbi ignoretur veritas ibi nullam vitam. Quod ergo primo loco posuit Deum non esse auctorem, factorem, prædestinatorem suppliciorum manifeste cōtra fidem dixit, sicut supra iam frequenter ostendimus.

C Non enim iniusta sunt illa supplicia, quæ in æterna damnatione diabolo & Angelis eius, & omnibus impiis hominibus inferentur. Quia vnumquemque eorum qui ibi damnantur, secundum meritum suum, & secundum mensuram iniquitatis suæ torquent & cruciant implente eis iusto & æterno iudice, quod de eo in Psalmo scriptum est: quia reddet vnicuique secundum opera sua. Ita & vnus est ignis gehennæ, & tamen diuerso modo sibi traditos cruciat, sicut & vnus est calor Solis, & tamē non æqualiter ab omnibus, sed ab aliis, & ab aliis diuerso modo pro sui corporis temperatione sentitur. Ideo autem supplicia ipsa nunquam finiuntur: Quia iustum est apud Deum, vt qui nunquam sibi voluerunt ponere finem peccatorum, nunquam finem habeant tormentorum. Et qui ei noluerunt subditi esse pietate, omnes eā

D subdantur necessitate, ne creatura vlla suo remaneat auctori contraria. Et quicumque hic non adquieuerunt veritati, sed crediderunt iniquitati, ibi omnino & ab iniquitate coërceantur & manifestam veritatem diuini iudicii, diuinæ maiestatis & potestatis Dei, & Christi eius negare non possint: Ita vt ipsi impii qui alieni semper extiterunt à cultu Dei, cogantur ipsam veritatem fateri: Et sero gementes ac pœnitentes dicant: Ergo errauimus à via veritatis, & iustitiæ lumen non luxit nobis, & sol nō est ortus nobis, vnde & cum ipse omnipotens Deus per Prophetas suos horrenda & æterna supplicia comminatur, frequenter in fine comminationis suæ subiungit dicens: Et scient quia ego Dominus, id est necessitate dicent, ad confusionem suam quod nunquam pietate, & deuotione scire voluerunt ad salutem suam. Ipse quoque totius malitiæ doctor & instigator diabo-

E lus, cum omnibus satellitibus suis Angelis immundis, atque damnatis ibi finem accipiet suæ tyrannidis quam aduersus Deum, & cōtra totius humani generis salutem ab initio exercere non cessat, cum, sicut scriptum est, videntibus cunctis præcipitabitur, propter hæc namque omnia & alia quæ in secretis Dei latent, in scripturis sanctis etiam vtilis appellatur infernus: sicut vtilis est pœna etiam humanarum legum per quam noxii puniuntur, vt cæteri in pace viuant. Ait namque scriptura cum de lingua mala loqueretur: Et vtilis potius infernus quam illa. Cum ergo tam iusta, & tam ordinata sint illa æterna supplicia Angelorum siue hominum damnatorum

torum, cur non sit Deus auctor eorum? non quod ipse sit causa tantorum malorum, sed quod ipsa sit iustus ordinator & iudex iustorum tormentorum. Aut quomodo non est auctor illorum suppliciorum de quo manifeste in Euangelio dicitur, qui potest & animam & corpus perdere in gehennam. Et qui postquam occiderit, habet potestatem mittere in gehennam: Et qui docturus est in ipso iudicio: Discedite à me maledicti in ignem æternum. Quod si illa supplicia & locus tormentorum in aliqua parte rerum creatarum, id est, in aliqua parte mundi esse credenda sunt, quis alius esse potuit factor eorum nisi ipse qui factor est omnium. De quo scriptura manifeste dicit: Qui viuit in æternum creauit omnia simul.

B Cum enim vere creatura sit ille ignis æternus: neque enim credendus est esse Deo coæternus, & sit hæc creatura in iustorum visus & rectos condita, quicunque vel illam vel aliam quamlibet creaturā non à Deo dicit esse, vno & solo totius creaturæ auctore, sed ab alio nescio quo, manifeste hæretica impietate, vel Manichæorum, vel aliorum pessimorum hæreticorum inuoluitur. Et ideo cum vere inter creaturas ignis ille æternus connumerandus sit, ipsum sine dubio habet auctorem & factorem quem & omnis cætera creatura. De quo etiam scriptum est: sex enim diebus fecit Deus cælum, & terram, & mare & omnia quæ in eis sunt, & in septimo requieuit. Dicat ergo iste in qua parte rerum putet esse infernum, id est locum illum æternalium tormentorum, C verum in cælo an in terra, an in mari, vel in cæteris quæ in eis sunt, vbicunque eum esse putauerit, necesse est, vt ab eo factus sit qui fecit & cælum, & terram, & mare, & omnia quæ in eis sunt.

Quæ cum ita, sint cur ipse omnipotens Deus, qui est auctor & factor omnium rerum, non recte & veraciter intelligatur, siue credatur etiam prædestinator tam iustorum & tam ordinatorum suppliciorum. Licet enim patientibus & sustinentibus illa supplicia videantur esse mala apud illum tamen æternum iudicem non sunt mala quia iusta, & nihil iustum potest dici malum. Ipse ergo & prædestinauit & præparauit illum æternum ignem de quo ipsa veritas ait: qui paratus est diabolo & Angelis eius: Et de quo Salomon: dicit parata sunt derisoribus iudicia, & mallei percutientes stultorum corporibus, si enim hæc supplicia impiis & iniquis à Deo iusto iudice prædestinata non sunt, quomodo de eis adhuc vtique futuris atque venturis per beatum Ioannem in Apocalypsi dicitur, & cruciabuntur die ac nocte in secula seculorum. Et iterum: Et fumus tormentorum eorum ascendet in secula seculorum quomodo etiam beatus Petrus de quibusdam pessimis dicit: quibus caligo tenebrarum in æternum reseruatur. at beatus Iudas Apostolus de eisdem similiter quibus procella, inquit, tenebrarum in æternum seruata est. Certe omnes consonanter fatemur Deum prædestinasse omnia quæ ipse esset facturus & vtique tam magna tam iusta & æterna iudicia nemo præter ipsum facturus est, si ergo ad eius opera pertinent, nec ab alio fieri possunt, certum est omnino, nec dubitari debet: quod ipsum habent prædestinatorem quem auctorem atque factorem. Quod si iste propterea dicit, non esse Deum auctorem, factorem prædestinatorem suppliciorum, quia, vt dicere solet, supplicium nihil est, quia substantiam & naturam per se existendi & subsistendi non habet, sicut nec malum, nec peccatum, nec mors, & ideo non potuisse à Deo prædestinari ea quæ substantialiter non existunt, contradicendum ei constanter ipsa rei euidentissima veritate: quia videlicet, istud verbum quod dicitur suppliciū non significet aliquem rem vel naturam subsistentem, sicut significant cum dicimus: Cælum, terra, mare, hæc enim continuo quasdam rerum naturas sua significatione demonstrant. Licet ergo hoc quod dicitur supplicium non significet isto modo aliquem rem subsistentem, tamen significat aliquod grande malum, quod

Ep. 14. 19.

Apocalyp. 20. 10.

Apoc. 14. 11.

A per subsistentes agitur naturas rerum. Ita cum nullam sui habeat substantiam, significat tamen illud quod non nisi per res & substantias existentes efficitur, sicut & ipsa mors cum dicitur vtique nullam substantiam significat quia naturam per se subsistendi non habet, hoc tamen nomine significatur & intelligitur grauissimum malum quod in substantiarum, id est, animæ & corporis diuisione cognoscitur. Ita omnipotens Deus supplicium quod non prædestinauit vt existeret in natura sui, prædestinauit tamen in naturis & substantiis vere existentibus, quibus tantum malum quod illo nomine significatur & intelligitur, vere & substantialiter exhibetur. Dicit post hæc: prædestinationem Dei ad ea tantum quæ in bonis sunt, præscientiam vero ad bona malaque. B Quam differentiam non ex natura esse, sed ex vsu locutionum: hanc differentiam præscientiæ & prædestinationis Dei, quia, vt patres sancti eam tradiderunt, & ipsa veritas veracem esse demonstrat, vtique tenemus & amplectimur. Quod videlicet Deus præscius omnium futurorum, omnia æternaliter præsciens, quæ erant futura, id est, & bona & mala: prædestinauerit vero æternaliter sola bona quæ erat facturus siue gratuita misericordia sua, siue iusto iudicio suo: Et ideo rectissime præscientiam Dei & in bonis & malis intelligi, prædestinationem vero in solis bonis & iustis quæ ipse non solum præsciuit, sed etiam statuit præfiniuit atque decreuit futura. C Iste tamen hanc differentiam propterea commemorat, vt Deum mala præscire potuisse: prædestinare autem non potuisse contendat, non intelligens illam differentiam mali quam iam superius commendauimus, quod scilicet, aliud sit malum contrarium bono, quod est vtique vitium, nec habet auctorem Deum. Aliud vero esse malum quod est contrarium paci, quieti vel sanitati quod nunquam accidit nisi Deo auctore & iudice: sicut ipse loquitur per prophetam: Ego dominus faciens pacem & creans malum: vnde & illud est apud alium Prophetam: Si erit malum in ciuitate quod dominus non fecerit. Et iterum: Bona & mala, vita & mors, paupertas & honestas à Deo sunt. Illius itaque mali quod intelligitur in vitio vel peccato, non prædestinator Deus, quia nec auctor: huius autem mali D quod intelligitur in aliqua afflictione, tormento atque supplicio vel temporali vel æterno, quia hæc, sicut scriptura docet, ab ipso sunt, & eius iudicio dispensantur atque inferuntur, manifeste & auctor est & prædestinator: quia & præsciuit ea futura, & prædestinauit iuste fienda. Quæ cum ita sint nihil egit istam differentiam ad medium deducendo, nisi vt veritatem negaret, & suam imperitiam demonstraret. Quod vero ait, hanc differentiam diuinæ præscientiæ & prædestinationis, non esse ex natura sed ex vsu locutionum, nobis melius & verius videtur quod ex natura & secundū naturam sit, & quia, & si in Dei natura nulla est transmutatio vel vicissitudinis obumbratio, vt aliud sit ei, scire, aliud præscire, aliud prædestinare, sed vna & simplex & æterna sciētia sua totum simul & æqualiter continet. Quod in rebus temporalibus diuerso modo agitur & exhibetur. E Tamen cum hæc, id est, præscientia & prædestinatio Dei verissime ad creaturarum eius statum, dispositionem referantur, differentiam aliquam in Dei æterna & incommutabili scientia non habent: quia totum ibi vna & simplex scientia est, nec temporibus variata, nec rerum diuersitate mutata, habet tamen eam, id est, differentiam in rebus temporaliter transeuntibus, dum in eis alia sunt præsentia vel preterita vbi humanus sensus proprie agnoscit scientiam: Alia vero futura quibus proprie præscientiam vel prædestinationem intelligi conuenit: Et quia in ipsis futuris alia occurrit diuersitas vt quædam sint bona, quædam vero mala. Rursum alia occurrit differentia, vt scilicet prædestinatio agnoscatur in solis bonis, præscientia vero in vtriusque intelligatur id est bonis & malis: ita hæc differentia præscientiæ & prædestinationis & si non est ex natura vel secundum

naturam incommutabilis deitatis: Est tamen & agnoscitur esse ex natura & secundum naturam administrandæ & disponendæ creaturæ mutabilis. De qua re etiam superius, id est, secundo huius disputationis capitulo plenius diximus, & ideo nullatenus patimur ista quæ tam recte & veraciter suis proprietatibus sunt distincta, & ita nobis à patribus tradita vllius noua præsumptione turbari atque confundi, vt indiscrete & confuse aliquis præsumat discere sicut iste dicit, omnem præscientiam prædestinationem esse, quod est apertissime blasphemum vt cum præscire possit Deus etiam mala, & quod absit, prædestinasse dicatur. Quamuis prædestinatio quia non est sine præscientia, non absurde possit dici etiam præscientia. Iste tamen vt non ex rerum natura veritate & proprietate, sed tantummodo ex vsu locutionis nostræ hanc differentiam venire contendat, subiungit exemplum suæ assertioni contrarium & dicit: sicut & id quod dicitur Deus vbique esse præsentia potestatis, sed non vbique gratia habitationis: Ita dici posse de eo vbique præscientia, sed non vbique prædestinatione: cum apertissime veritas clamet Deo vbicunque Deus fuerit, præsentia, vbi profecto erit habitatione. Similiter vbicunque fuerit præscientia, necessario erit prædestinatione, ecce affirmat quod hæc religiosa locutio Ecclesiasticæ disciplinæ, vt distinguatur & discernatur & dicatur à nobis, quia Deus vbique est per præsentiam maiestatis, sed non vbique per præsentiam habitationis, non sit ex rerum proprietate, sed tantum ex vsu locutionis humanæ, vt destruat saluberrimum sensum totius scripturæ diuinæ, vbi omnipotens Deus aliter commendatur nobis vsquam esse generaliter per præsentiam maiestatis, aliter vero specialiter per gratiam inhabitationis. De generali namque suæ maiestatis præsentia ipse dicit, cælum & terrã ego impleo. Et propheta ad ipsum. Si ascendero in cælum, tu illic es, si descendero ad infernum, ades; si sumpsero pennas meas diluculo, & habitauero in extremis maris. Etenim illuc manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua. De gratia vero inhabitationis eius quia non vbique est, sed in templo suo, id est, in sancta & rationali creatura Angelica vel humana quæ sola est capax eius cognitionis & intelligentię, illuminationis & gratiæ, aliquando cælorum significatione, per quam intelligitur cælestis vita Angelorum, siue hominum sanctorum: aliquando vero ipsius specialis templi commemoratione. Ita loquitur scriptura vt dicat: Qui habitat in cælis irridebit eos, & ad te leuaui oculos meos, qui habitas in cælis. Et, respice de sanctuario tuo, de excelso cælorum habitaculo. Et, pater noster qui es in cœlis. Et illud quod Apostolus ait: nescitis quia templum Dei estis & spiritus sanctus habitat in vobis. Et iterum, vos enim estis templum Dei viui sicut dicit Deus, quoniam inhabitabo in illis, & inambulabo, & ero illorum Deus, & ipsi erunt mihi populus. Cum ergo veraciter & omnino secundum rerum naturam tanta sit distantia & differentia inter præsentiam diuinæ maiestatis, quæ generaliter & potentialiter omni creaturæ exhibetur & gratiam habitationis, quæ specialiter & misericorditer tantummodo rationali & electæ creaturæ, quæ eius potest capere illuminationem & intelligentiam, & suauitatem conceditur quare hunc tam diuinum sensum, & tamen necessarium fidei & saluti nostræ sua temeritate in tantum euacuare conatur, vt ipsam veritatem clamare dicat, quod vbicunque Deus est præsentia ibi sit & habitatione. Cũ è contrario hæc veritas scripturæ Dei tam diligenter discernat semper atque distinguat, vt habitationem Dei tantummodo in templo suo, vel cælesti vel etiam adhuc in terris posito per bonitatem gratiæ eius commendet. Dicitur quidem & in templo aliquo manufacto & religiosa pietate suo nomini consecrato, propter ipsius consecrationis gratiam, & familiariorem suæ maiestatis cultum, & celebriorem supplicationis & exauditionis affectum aliquando inhabitare: sicut ipse Dominus in Euangelio ostendit dicens: Et qui iurat in templum, iurat in illud, & in eum qui habitat in ipso, Et tamen aperte scriptura dicit: quia non excelsus in manufactis templis habitat, vnde & Salomon de ipso exemplo quod ei ædificauerat, & consecrabat, in oratione sua dicit: si cælum & cæli cælorum te capere non possunt, quanto magis domus hæc quam ædificaui: vnde & intelligimus, quod in huiusmodi templo manufacto, & suo nomini dicato atque sacrato recte inhabitare Deus dici possit, quadam gratiæ dignatione, & sacramentorum cęlestium sanctificatione: Et non inhabitare maiestatis immensitate, & illius gratiæ quam soli electæ & rationali creaturæ exhibet, largitate. Dicit quidam sanctus & gloriosus martyr de illo. Cuius templum totus est mundus, in quibus verbis si simpliciter totum mundum qui constat è cœlo & terra intelligi voluit; ita hoc recte intelligitur dixisse, quia in toto mundo potest religiose coli, vbique adorari: dum veri adoratores non tam in Hierosolymis cum Iudæis, nec in monte illo cum Samaritanis, sed vbique adorant Patrem in spiritu & veritate: si autem illo modo intelligi voluit cuius templum totus est mundus, vt totum mundum iuxta consuetudinem scripturarum, totum genus humanum appellauerit, manifeste templum Dei totus est mundus: In illis scilicet qui ex toto mundo id est, ex vniuerso genere humano conuertuntur & colliguntur ad Deum, & templum eius fiunt. Vnde & idem beatissimus martyr postquam dixit cuius templum totus est mundus, subiunxit atque ait: in nostra dedicandus est mente, in nostro consecrandus est pectore.

Quapropter non ex vsu tantummodo locutionum sed ex ipsa veritate & proprietate rerum omnipotens Deus vbique esse dicitur per præsentiam maiestatis, & tantummodo electæ rationali creaturæ largitur gratiã suæ inhabitationis. Quid autem est, quod asserit dici posse de Deo vbique præscientia, sed non vbique prædestinatione: & vbicunque fuerit præscientia, necessario erit prædestinatione. Quis vnquam ita locutus est vt diceret Deum vbique esse præscientia: Cum præscientia sua tantummodo apud se sit, cui soli cognita est. Aut quid necesse est dicere, vbique eum esse prædestinatione, cum prædestinatione sua tantummodo apud se sit quia ipsi soli cognita habetur. Similiter ergo vanum est quod ait: vbicunque fuerit præscientia, necessario erit prædestinatione: quia & hoc nemo dicit, sed sicut quidam patrum antiquorum dixerunt, nouitas est vocis, & aliud nihil: dicimus namque Deum vbique esse maiestate, vbique esse potentia, vbique esse virtute, quia hoc totum, id est, maiestas, potentia, virtus, ipse est qui vbicunque. Vt autem dicamus vbique eum esse præscientia, vbique prædestinatione, nulla ratio est, quia nusquam legitur Deus vel præscientia vel prædestinatione esse. Ergo & illud quod dicit, præscientiam & pręedestinationem Dei non nisi eorum quæ ipse facturus esset, aperte mendacium est: quia præscientia eius etiam in malis esse potest, quæ ipse facturus non erat. Deinde quod ponit & dicit, sicut præsentia eius & habitatio in his quæ nec ab eo sunt, nec ea fecit similiter vanissimum est. Vbi enim vnquam legit? vbi à fidelibus dictum audiuit, vt Deus in his quæ nec ab eo sunt, nec ea fecit, præsentiam & habitationem habere diceretur: Quę autem sunt ista, quæ vt ipse scribit, nec ab eo sunt, nec ipse fecit? si enim sunt aliqua talia, est ergo aliqua creatura quæ nec à Deo est, nec Deus eam fecit: Quod vtique non est Christianum, sed Manichæum, quia non potest mentiri Euangelium, vbi scriptum est. Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil. Tale est etiam illud quod continuo subiunxit: Præscientiam Dei & prædestinationem è contrario pronunciari in illis quæ nec fecit, nec donauit. E contrario enim pronunciari dicit, iuxta suam illam & nouam regulam & insanam quod pronunciatur non vero pronunciari intelligatur: mendacium ergo est quod affirmare conatur, illa

ęterna

æterna supplicia nihil esse, nec à Deo facta esse, quia vtrique veritati contradicit, & ideo vere à Deo prædicta sunt futura, vere à Deo eis qui meruerunt inferenda: Et cum hæc aperte in scripturis & facta & prædicta & prædestinata esse inueniantur. Conteratur potius & pereat talis regula, qua facta pro non factis haberi debere insanissime affirmatur, subiungit adhuc dicens: ignem æternum ad vtendum diabolum, & Angelos eius non homines factum, hoc propterea iste & alii fortasis vel quærentes, vel affirmantes dicere videntur: id est, quod ille ignis æternus non ad pœnam hominum, sed tantummodo ad supplicium Angelorum malignorum paratus sit: quia non ait Dominus in illo iudicio his qui ad sinistram eius erunt, sa esse dicturum, Discedite à me maledicti in ignem æternum qui paratus est vobis, sed qui paratus est diabolo & Angelis eius, ex eo quod non ait qui paratus est vobis: sed ait, qui paratus est diabolo & Angelis eius malignis tantummodo spiritibus: Id est, ipsi diabolo & Angelis eius paratus esse videatur, vnde & quorundam opinio fuisse deprehenditur, quod alius sit ille ignis quo nunc apud inferos damnatorum animæ cruciantur: & alius ille ignis æternus in quem tunc tantummodo homines mittentur quando cum corporibus suis resuscitati simul cum diabolo & Angelis eius in eundem ignem æternum ire compellentur, sed siue vnus sit ignis quo & nunc solę animæ, & tunc receptis etiam corporibus suis torquebûtur, siue alius sit iste, siue alius ille, nos credamus scripturæ veraci, quia & illud supplicium ignis æterni, & tenebræ exteriores quæ ibi sine dubio sunt futurę, non solum Angelis qui non seruauerunt suum principatum, sed dereliquerunt suum domicilium, quos etiam ruentes de cęlestibus, tradidit Deus in iudicium cruciandos reseruari: sed etiam hominibus impiis sunt præparata & reseruata, vnde sicut iam commemorauimus, beatus Petrus Apostolus ait de quibusdam impiis, & illa vltima perditione damnandis, quibus caligo tenebrarum in ęternum reseruatur. Et beatus Iudas Apostolus de eisdem similiter dicit: quibus procella tenebrarum in ęternum reseruata est: sicut ergo caligo illa & procella æternarum tenebrarum hominibus impiis, & pessimis est pręparata & reseruata: Ita etiam ipse ignis ęternus qui sine dubio simul intelligendus est, etiam ipsis est præparatus & reseruatus. Et ideo quod Dominus ait de eodem igni æterno qui paratus est diabolo & Angelis eius: ita fideliter intelligamus, vt quod principaliter de illo, hoc est de diabolo dictum est, hoc ipsum consequenter & de eius corpore intelligatur, de quibus scriptura dicit: imitantur autem eum qui sunt ex parte illius, vt supplicium quod illi principaliter est præparatum, etiam istis consequenter accipiatur & præparatum & reseruatum: sicut superius memorata verba Apostolica apertissima demonstrant. Subiungit iste & dicit: postquam ab æthere detrusus sit vbi æthereo corpore non poterat pœnas sentire, additum ei corpus aereum in quo ignem sentiret. De hac re non istius importunam & inconsideratam definitionem, sed potius beati Aug. dicta pie moderata & cautissima & magis quærentis quam definientis audiamus: superior, inquit, pars aeris propter puram tranquillitatem cælo cui confinitur, communi pace coniungitur, & eius vocabulo connuncupatur. In qua fortassis parte si fuerunt ante transgressionem suam transgressores Angeli cum principe suo nunc diabolo tunc Archangelo: nam nonnulli nostri non eos putant cælestes vel super cælestes Angelos fuisse: non mirum si post peccatum in istam sunt detrusi caliginem, vbi tamen & adusit, & humore tenui contexatur, si autem transgressores illi antequam transgrederentur, cęlestia corpora gerebant, neque hoc mirum est si conuersa sunt ex pœna in aeriam qualitatem, vt iam possint ab igne, id est ab elemento naturę superioris aliquid pati, nec aeris statim spatia superiora atque puriora, sed ista caliginosa tenere permissi sunt: Qui eis pro suo genere quidam eis quasi

A carcer est vsque ad tempus iudicii. Et si quid de his transgressoribus Angelis diligentius requirendum est; ecce doctor pietatis nihil temere præsumens, sed de singulis caute & humiliter tractans; dicit Angelos transgressores cum suo principe nunc diabolo, tunc Archangelo vel in superiore parte aeris huius, id est, cælo æthereo fuisse antequam peccarent: aut fortasse in cælestibus conuersatos, si cum cæteris cælestes vel super cælestes Angeli fuerunt. Et si in cælo ęthereo tantummodo fuerunt, ex illa pura & semper serena tranquillitate deiectos esse atque detrusos post peccatum in istam inferiorem & caliginosam partem aeris, similiter si ante transgressionem suam, sicut cæteri Angeli cęlestia corpora gerebant, conuerti ea potuisse vel conuersa esse

B ex pœna illius damnationis in aeriam qualitatem vt iam possint ab igne pœnam quæ eis debetur pati. Non ergo definiuit hic sanctus doctor vtrum in cęlo æthereo, an etiam in cęlo sydereo ante transgressionem suam fuerint conuersati, sed vtrumque fieri potuisse non contradicit: vndecumque autem post transgressionem, siue scilicet ex superiore, siue inferiore cęlo corruerint, etiam si cęlestia corpora ante gerebant, conuersa esse ex pœna in aeream qualitatem non alia eis ex ipso aere, id est, aerea corpora addita, non inconueniens esse existimat. Non ergo definit, sicut iste, quod ex ęthere in aerem diabolus sit detrusus, quia potuit & ex cęlestibus ruere, nec definit ęthereum, siue cęleste eum corpus habuisse, sed si habuit, ex pœna in deterius commutatum esse, nec additum ei corpus aereum vel quasi duplici corpore

C vno cęlesti vel æthereo, altero autem aereo vestiretur; sed ipsum eius cæleste corpus si fuit, conuersum esse ex pœna in aeream qualitatem, vt iam non cæleste vel æthereum, sed aereum corpus esset, vbi ignis pœnam & supplicium sentire posset. Item alibi de eadem re tractans, & cautissime ac suspensa deliberans, ita dicit: si non erit ignis incorporalis sed corporalis tactu noxius vt ea possint corpora cruciari, quomodo in eo erit etiam pœna spirituum malignorum: nisi quia sunt quædam sua etiam dæmonibus corpora, sicut doctis hominibus visum est, ex isto aere crasso atque humido cuius impulsus vento flante sentitur. Quod genus elementi si nihil ab igne perpeti posset, non vreret feruens factus in balneis: vt enim vrat, prior vritur, facitque cum patitur

D si autem quisquam nulla habere corpora dæmones asseuerat, non est de hac re aut laborandum operosa inquisitione, aut contentiosa disputatione certandum. Cur enim non dicamus quamuis miris, tamen veris modis etiam spiritus incorporeos posse pœna corporalis ignis affligi? si spiritus hominum etiam ipsi profecto incorporei & nunc potuerunt includi corporalibus membris, & tunc poterunt suorum corporum vinculis insolubiliter alligari. Adhærebunt ergo spiritus dæmonum, immo spiritus dæmones licet incorporei, corporeis ignibus cruciandi, accipientes ex ignibus pœnam; & cæt. quæ de hac re prolixius disputat. Hac ergo cautela quam beatus doctor in suis inquisitionibus ostendit de talibus rebus sentiendum atque tractandum, & non improbe vel mendaciter aliquid definiendum; sequitur iste & dicit non esse illum ignem pœnam, neque ad eam præparatum vel prædestinatum: sed qui fuerat præ-

E destinatus vt esset in vniuersitatem omnium bonorum, sedes factus est impiorum, in quo procul dubio non minus habitabunt beati quam miseri. In his verbis cum dicit illum ignem æternum non esse pœnam manifeste ipsi veritati, id est, iudici viuorum & mortuorum contradicit, qui se in illo iudicio dicturum prędixit, discedite à me maledicti in ignem æternum. Et vt ipsum ignem æternum intelligamus esse pœnam & supplicium sempiternum, statim post pauca de miseris qui ibi æternaliter damnandi & torquendi sunt, subiungit dicens Tunc ibunt hi in supplicium æternum. Contradicit & beato Paulo Apostolo dicenti: in reuelatione Domini nostri Iesu Christi de cælo cum Angelis virtutis eius dantis,

vindictam in flammam ignis his qui non nouerunt Deum, & qui non obedierunt Euangelio Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui pœnas dabunt in interitu æternas à facie Domini, & à gloria maieſtatis eius. Contradicit & beato Apoſtolo Ioanni de eodem ſtagno ignis & ſulphoris in Apocalypſi dicenti: Et cruciabuntur die ac nocte in ſæcula ſæculorum: & iterum. Et fumus tormentorum eorum aſcendet in ſæcula ſæculorum. Et ſcripturæ quæ ait: Dabit in carnes eorum ignem & vermes vt vrantur & ſentiant vſque in ſempiternum. Et iterum: Humilia ſpiritum tuum valde, quia vindicta carnis impii ignis & vermes. Quæ cum ita ſint, & fideliter ad terrorem atque emendationem aſsiduam tenenda ſint, quomodo iſte audet, vel cur tam impiam & multis noxiam permittitur habere libertatem vt in Eccleſia dicat ad ſubuerſionem audientium, & ſecuritatem mortiferam nutriendam, non eſſe illum ignem æternum pœnam, cum Dominus eum teſtetur eſſe ſupplicium ſempiternum: Et veritas Apoſtolicæ doctrinæ, ignem & flammam vindictæ, & pœnas in interitu æternas, & cruciabuntur die ac nocte: & fumum tormentorum aſcendentem in ſæcula ſæculorum aperuiſsime eum eſſe denuntient. Et ideo omnino indubitanter & veriſsime nobis iſta credenda ſunt, vt tali terrore coerceatur & mortificetur in nobis delectatio peccati, & excitetur ac corroboretur ſollicitudo bene agendi & Deo placendi. Hoc namque nobis præcipue neceſſarium eſſe ipſe Dominus oſtendit dicens: Oſtendam vobis quem timeatis, timete eum qui poſtquam occiderit habet poteſtatem mittere in gehennam. Et iterum, ſed potius eum timete; qui poteſt & animam, & corpus perdere in gehennam, vnde & alibi ſcriptura vtilitatem huius timoris, & è contrario malum ſecuritatis oſtendens, dicit: Timor Domini expellit peccatum: nam qui ſine timore eſt, non poteſt iuſtificari. Quod autem iſte dicit eundem ignem æternum non eſſe ab initio præparatum & prædeſtinatum, & ad pœnam, ſed tantum vt vniuerſitate creaturarum quæ à bono creatore bonæ conditæ ſunt, & ipſo quaſi locum ſuum teneret, fidei noſtræ nequaquam eſt recipiendum, ſed hoc potius timendum, quia omnipotens Deus, qui omnia quæcumque ab initio creauit certis vtique ex cauſis & ad certos & neceſſarios vſus condidit, & nihil inaniter aut ſuperuacue conſtituit, ſed vnamquamque rem ſua omnipotentia conditam proprium officium ſiua vtilitatem habere voluit: ſicut lucem ad vſum diei, & tenebras ad quietem noctis, & firmamentum cœli ad ſedem luminarium & aquarum ſuper cœlos, ſeparationem ad temperationem aſtrorum: & herbas atque arbuſta ad ſuſtentationem animantium: Et luminare maius vt præeſſet diei, & luminare minus vt præeſſet nocti cum ſtellis: & cæt. in hunc modum. Sicut ergo omnia hæc ab initio condita & ordinata, ſtatim propriis officiis & miniſteriis atque vſibus deputauit: Ita & illum ignem æternum ab initio inter cæteras creaturas non inaniter conditum ſua iuſta prouidentia, & prouida iuſtitia ſtatim ad eos vſus credendus eſt præparaſſe & prædeſtinaſſe ad quos Dominus eum præparatum eſſe oſtendit, cum impiis & damnatis hominibus dicit: Ite in ignem æternum: & ſubiungit, qui paratus eſt diabolo & Angelis eius: Id eſt, ad vtriuſque creaturæ tam Angelicæ quam humanæ ſupplicium ſempiternum, quia & ex ipſis verbis quibus dicturus eſt: Venite benedicti patris mei, percipite regnum quod vobis paratum eſt à conſtitutione mundi. E contrario recte intelligere poſſumus, etiam ipſum ignem æternum ad æternum ſupplicium Angelorum, ſiue hominum impiorum ſimiliter à conſtitutione mundi eſſe præparatum, nec tamen eſt vlla iniquitas apud Deum, quod ipſum ignem ſupplicii ſempiterni tantæ multitudini impiorum tam longe antequam peccarent, antequam naſcerentur, & antequam omnino eſſent, præparauit & prædeſtinauit, quia & in nouo ciuitatis ædificio, ſi ſtatim cum ipſa ſimul ciuitate domus carceris horrenda & terribilis extruatur, non poteſt dici iniquitas, ſed potius promiſsio miſericordiæ & iuſtitiæ: vt videntes qui in ciuitate habitant pœnale & triſte ergaſtulum damnationis, aut deterreantur miſericorditer à peccando, aut ſi nec peccata vitauerint, iuſte & inexcuſabiliter puniantur. Si ergo & ille ignis ad æternum creatus ſupplicium & miſericorditer & iuſte credi debet, dum aut eius terrore homines corrigantur, aut ſi corrigi noluerint, iuſtius puniantur. De cuius ignis æterni creatione quam vtique in illis operibus Dei intelligere debemus, cum ſex diebus fecit cœlum & terram & mare & omnia quæ in eis ſunt, & in ſeptimo ceſſauit ab omni opere quod patraret. Ita ſanctus Papa Gregorius exponens verba libri beati Iob, vbi ſcriptum eſt de impio: Deuorabit eum ignis qui non ſuccenditur, ita ait, miro valde modo paucis verbis expreſſus eſt ignis gehennæ; ignis namque corporeus vt eſſe ignis valeat corporeis indiget fomentis, qui cum neceſſe eſt vt ſeruetur, per congeſta ligna procul dubio nutritur, nec valet niſi ſuccenſus eſſe, & niſi refotus, ſubſiſtere. At contra gehennæ ignis cum ſit corporeus & in ſemiſſos reprobos corporaliter exurat, nec ſtudio humano ſuccenditur, nec lignis nutritur, ſed creatus, ſemel durat inextinguibilis. Et ſuccenſione non indiget, & ardore non caret. Exponens adhuc idem beatiſsimus doctor verba ſequentia quibus de eodem impio dicitur, affligetur relictus in tabernaculo ſuo, quid de pœnis æterni ipſius ignis fideliter ſentiendum ſit ita ſubiungit, iniqui enim tabernaculum caro eſt, quia ipſam lætus inhabitat, & ſi ſit poſsibile, optat vt eam numquam relinquat. Quam videlicet carnem cum in reſurrectione receperit, cum ea gehennæ ignibus traditus ardebit: Tunc ab ea educi appetet, tunc incipit velle vitare quod amauit, ſed quia eandem carnem Leo præpoſuit, iudicante Deo, agitur, vt ex ea amplius igne crucietur. Ad augmentum itaque tormenti, & hic de corpore nolens educitur, & illic in corpore tenetur inuitus. Item cum verba eiuſdem libri exponeret, in quibus de eodem impio ſcriptum eſt: luet, quæ fecit omnia, nec tamen conſumetur, iuxta multitudinem adinuentionum ſuarum ſic & ſuſtinebit, ita dicit: perſoluit enim in tormentis ea quæ hic illicita ſeruauit deſideria: Et flammis vltricibus ſemper moritur, quia ſemper in morte ſeruatur: nec in tormentis conſumitur, quia ſi conſumeretur vita morientis, cum vita etiam pœna finiretur: Et qui multa inuenit ad culpam, nouis inuentionibus cruciatur in pœna. Hæc ſanctus doctor terribilia terribiliter, & vera veraciter loquitur, vt audientium animos ad terrorem excitet, ad emendationem ſtimulet, à mortifera ſecuritate ad curam ſalutis ſuæ velut vigilare compellat. Iſte autem adhuc inania inaniter, & falſa fallaciter loquens: dicit quod ipſe ignis æternus, qui ad hoc tantum fuerat creatus ſicut ipſe vult, vt eſſet in vniuerſitate omnium bonorum ſedes factus eſt impiorum. Non dixit tormentum aut pœna, vel ſupplicium factus eſt impiorum, ſed ſedes factus eſt impiorum: vt iuxta eius ſenſum, ſicut vnicuique ſedes eſt domus ſua, vbi quietus reſidet & inhabitat: ſic & impiis illa ignis non ſit tormentum damnationis: ſed tranquilla ſedes habitationis: vnde adhuc de eodem igne ſubiungit dicens: in quo procul dubio non minus habitabunt beati quam miſeri: Et hoc namque habitabunt in illo igne dixit, non cruciabuntur, non punientur, aut tale aliquid, negans omnino, vt ſolet pœnas veriſsimas æternalium tormentorum, quas tota ſcriptura tanto terrore denunciat, tanta attentione commendat. Quod autem dicit, in quo proculdubio habitabunt non minus beati quam miſeri, manifeſte vtroſque & beatos & miſeros in vno igne æterno poſt reſurrectionem habitaturos affirmare contendit: ſequens, videlicet ſtulta & vaniſsima perſuaſione opiniones ſæcularium philoſophorum, qui putant animas piorum poſt diſſolutionem corporis, vel in cœlo æthereo, vel in illo circulo, quē lacteum vocant vel in globis ſyderum habitaturas. Quæ iſte omnia,

Matth. 25. 34.

Sap. 11.

omnia, & ipſum cœlum æthereum & firmamentum cæ-
li in quo lacteus ille circulus apparet, & ipſa ſydera
ignem appellat: ſicut & illum ignem gehennæ. Quia
omnia hæc quæ ſuper tria mundi elementa, id eſt, ter-
ram & aquam & aerem conſtituta ſunt, ex quarto ele-
mento ignis putat exiſtere, vt idipſum quartum mundi
elementum, & apud inferos ſit ignis æternus qui para-
tus eſt diabolo, & Angelis eius & omnibus impijs ho-
minibus: & in cæleſtibus ſpatijs ſit ignis æternus vbi ſit
poſt reſurrectionem habitatio beatorum: ecce qualem
beatitudinem promittit ſanctis & electis Dei: vt qui ha-
bitauerunt, cum adhuc eſſent mortales in primo mundi
elemento, id eſt in terra, habitent iam immortales effecti
in quarto & ſuperiori mundi elemento, ſicut ipſe dicit
igni æterno. Et hæc ſit eorum remuneratio habitare in
quolibet, quamuis lucido, quamuis tranquillo & puro
tamen elemento. Dominus autem non in elementis
mundi æternam beatitudinem ſuis promittit, ſed in cæ-
leſtibus & ſupercæleſtibus bonis vbi Christus eſt in
dextera Dei ſedens, exaltatus ſuper omnes cælos & in-
terpellat pro nobis. De cuius ſublimitate beatitudinis
Apoſtolus dicit: non enim in manufactis ſanctis in-
Heb.9.24 troiuit Ieſus exemplaria verorum, ſed in ipſum cælum,
vt appareat nunc vultui Dei pro nobis. Ad quam habi-
tationem vt ſancti eius valeant peruenire, ipſe in Euan-
gelio patrem exorat, dicens: Pater quos dediſti mihi vo-
lo vt vbi ego ſum & illi ſint mecum, vt videant clarita-
tem meam quam dediſti mihi: de qua beata & Angelica
Io.17.24 habitatione ſanctorum, ipſe iterum dicit Apoſtolus:
Scimus autem quoniam ſi terreſtis domus noſtra huius
habitationis diſſoluatur, quod ædificationem ex Deo
habemus domum non manufactam æternam in cælis:
vnde & ipſe dicebat: Cupio diſſolui & cum Chriſto
2.Cor.5.5. eſſe. Et de omnibus generaliter electis poſt reſurrectio-
nem promittit, dicens: Rapiemur in nubibus obuiam
Ph.1.23. Chriſto in aera, Et ſic ſemper cum Domino erimus. De
qua glorioſa & fœliciſſima habitatione iuſtorum Pſal-
miſta dicit: habitabunt recti cum vultu tuo. Hæc ergo
1.Theſſ.4 16 habitatio quæratur, hæc deſideretur, non in elementis
mundi, ſed in vultu Dei, in viſione claritatis Chriſti, in
Pſalm.139 ſocietate beatorum, & ſupercæleſtium Angelorum
4. quando erunt ſancti ſicut ipſa veritas promittit æqua-
les Angelis Dei in cælis. Non ergo in vno mundi ele-
mento igneo erit beatorum habitatio, vel potius con-
truſio, nec ita ibi includentur ſicut impij in igne æterno,
ſed habebunt omnia mundi elementa in poteſtate tanta
fœlicitate & facilitate ſibi ſubdita, & ſic ſuæ immorta-
li habitudini congruentia, vt vbicumque voluerint,
& ſicut voluerint continuo eſſe poſſint. Et videant at-
que habeant hæc omnia non tam ad præmium beatitu-
dinis quam ad cumulum fœlicitatis & laudem & glo-
riam conditoris. Hanc namque eis poteſtatem & glo-
riam ſcriptura Prophetica promittit, dicens: Regnum
autem & poteſtas & magnitudo regni quæ eſt ſubter
Dan.7. omne cælum detur populo ſanctorum altiſſimi: cuius
27. regnum, regnum ſempiternum eſt, & omnes reges ſer-
uient ei & obedient: adiungit poſt hæc iſte & dicit: mi-
ſeriam nullam eſſe niſi mortem æternam. Æternam
mortem veritatis ignorantiam. Nullamque miſeriam
eſſe niſi veritatis ignorantiam. Et vbi ignoretur veritas
ibi nullam vitam. Hoc quidem quod in his verbis dici-
tur poterat eſſe bonum, ſi non ipſum bonum male, id
eſt, malo ſenſu diceretur. Verum namque eſt, quia ho-
mini iuſto & ſapienti omnis labor, omnis aduerſitas,
omnis miſeria quæ poteſt in iſta mortali vita accidere, ſi
non eum frangat, & in deterius mutet, ſed infatigabili-
ter exerceat, non poteſt ei eſſe miſeria quæ eum miſe-
rum non facit, ſed potius purgat & probat, & velut in
fornace aurum, puriorem reddit, nec vllam ſibi deputat
talis vir miſeriam niſi veritatis ignorantiam, in quantum
adhuc ab eius contemplatione retardatur, & quodam-
modo ipſa ſua infirmitate repellitur: Mortem vero non
iſtam exteriorem corporis, ſed illam interiorem animæ

A timet: Quæ omnino eſt ipſa ſummæ veritatis ignoran-
tia, qua vtique mortui ſunt omnes infideles, qui nec
credunt, nec agnoſcunt Dei veritatem. De quibus & Matth. 8.
Dominus dicit. Dimitte mortuos ſepelire mortuos 22.
ſuos. Et Apoſtolus; alienati inquit, à vita Dei per igno- Epheſ. 4.
rantiam quæ eſt in illis. Fidelium autem vita vtique ipſa 18.
cognitio veritatis eſt: quam & hic cognoſcunt per fi-
dem & in futuro cogituri ſunt per ſpeciem. Quia &
hic accipiunt vitam per fidem veritatis, ſicut ſcriptum
eſt, quia iuſtus ex fide viuit, & ibi habebunt vitam æter-
nam ex cognitione & viſione eiuſdem veritatis, dicente
domino: hæc eſt autem vita æterna vt cognoſcant te
vnum verum Deum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum.
Quicumque ergo peruenerint ad iſtam cognitionem
B per veram fidem & æternam cognitionem, erit eis ſine
dubio vita æterna ipſa viſio æternæ veritatis. Qui au-
tem ab ea ſiue per infidelitatem, ſiue per vltimam dam-
nationem fuerint ſeparati, quid eis erit aliud talis ſepa-
ratio & talis ignorantia veritatis, niſi mors æterna? Se-
cundum hunc ergo ſenſum hoc in doctoribus dictum
legit. Sed quod ab eis bene legit dictum, ipſe conuertit
in prauum & peruerſum, vt coaptet illud quantum in ſe
eſt ſuo errori atque mendacijs, propter nihil enim aliud
hæc dicit, niſi vt tali argumentatione tam violenter &
nequiter ex bono ad malum vſurpata: quaſi oſtendere
& confirmare videatur nullam aliam futuram eſſe mi-
ſeriam vel Angelorum malignorum vel hominum per-
ditorum in æterno igne dum natorum, niſi ignorantiam,
&, ſicut iam ſupra dixit, abſentiam veritatis. Et hanc
C ignorantiam atque abſentiam veritatis ſolam eis eſſe
æternam miſeriam, vt eos hoc modo ab omni miſeria
ſuppliciorum, & tormentorum quæ extrinſecus adhi-
betur, & ab omni morte pœnalis damnationis alienos
futuros eſſe contendat, ſed quantumcumque iſte con-
tendat, & contradicere conetur excepta illa morte quam
incurrunt intrinſecus ex ignorantia & abſentia verita-
tis, patientur etiam extrinſecus, ſicut Apocalypſis dicit,
ſtagnum ignis & ſulphuris, quod eſt mors ſecunda, pa- Apoc. 20.
tientur vere æternam miſeriam cum Deus iudex iuſtus, 10.
& fortis dabit in carnes eorum ignem & vermes, vt
vrantur & ſentiant vſq; in ſempiternum, ſemper nam-
que erunt in morte quos & immanitas ſuppliciorum
cōpellet mori, & diuini iudicii ſeueritas nunquam per-
D mittet extingui. xviii Octauodecimo capitulo ita dicit: Sap. 33.
Errorem prædeſtinationis ex diſciplinarum, ignorantia
quas ipſa ſapientia ſuas comites inueſtigatriceſque fieri
voluit, & Græcarū litterarum inſcitia ortum eſſe verbum
ὁρῶ, quod video & definio & deſtino interpretetur. Simi-
liter προορῶ præuideo, prædefinio, prædeſtino: ac per
hoc prædeſtinationem & prædefinitionem nihil aliud
eſſe quam præuiſionem. Deum nec præuidiſſe, nec præ-
deſtinaſſe mortem & pœnas quia nihil ſint. Peccatores
in maſſa originalis peccati reliquit relictos, deſeruit de-
ſertos lumine, tenebras torquere, deſertos vita mortem
interimere, nec quod in eis Deus fecit relinquit vel de-
ſerit. Alioquin eorum natura ad nihilum rediret, ſi
ſumma eſſentia in eis non eſſet. Sed quod in eis non fe-
E cit, id eſt, ſuperbiam, ſpreuit Deum in ea natura quam
ad ſe creauit ſemper habitare. Dei ſapientiam prædeſti-
naſſe in ſuis legibus modos, vltra quos impiorum ma-
litia progredi non poſsit: nec ſinit alicuius malitiam in
infinitum prout velit, extendi, Diuinis legibus progre-
diendi modum imponentibus. Nihilque appetere im-
piorum omnium & Diaboli nequitiam niſi ab eo qui
eſt ſumma eſſentia recedere: In tantum vt eorum natu-
ra, ſi lex diuina ſineret, in nihilum rediret. Sed quoniam
ei difficultas ex æternis legibus obſiſtit, ne in tantum
cadat, quantum vellet, ex ea difficultate laborare, labo-
rando torqueri, puniri, cruciari, & inde fieri miſeram
inanium voluptatum egeſtate. Eamque difficultatem
qua prohibentur peruenire ad ea quæ libidinoſe appe-
tunt, effici eis pœnalem interitum, & ſuæ miſerrimæ cu-
piditatis iuſtiſſimum cruciatum vtriuſque partis prædeſti-

natum esse numerum. Inuitos Deo seruire impios. Non
naturam quam in eis, fecit, & in eis non punit, sed ma-
lam vountatem quam in eis non fecit, & in eis punit, in
eoque quod ei inuiti seruiunt, puniri in se ipsis sua pœ-
na: De qua quos iuste non liberat, ad eam illos quo-
dammodo præparet, dum eos ad eam seipsos præparare
permittat. In his verbis cum dicit errorem prædestina-
tionis ex disciplinarum ignorantia (quas ipsa sapientia
suas comites inuestigatricesque fieri voluit) & Græca-
rum litterarum inscitia ortum auditores suos vtique
commonet, vt ab eo tanquam viro eruditissimo &
philosophico liberalium disciplinarum discant scien-
tiam: fortassis etiam vt ab eo similiter discant Græca-
rum litterarum peritiam: affirmat namque quod ipsa
sapientia quasi comites & sodales, sibi coniunctas ha-
beat easdem liberalium artium doctrinas, ita vt qui ad
eius cognitionem voluerit peruenire, necessarias om-
nino habeat ipsas liberales disciplinas, vt per eas quod
verum est, possit inuestigare: si ergo apud cæteros de ve-
ritate diuinæ prædestinationis, errorem fecit ignorantia
sæcularium litterarum, quid iste qui earum se iactat pe-
ritum de hac re per eas inuestigauit? quid veritatis inue-
nit? quid firmissima ratione fultum, & omni acceptione
dignum in tam prolixo suo sermone disputauit? Vbi ni-
hil inuenitur aliud nisi superfluus labor vanitatis & im-
plicatio infiniti erroris, & apertissima impugnatio ve-
ritatis, dum scripturas veritatis contemnens, & ipsas
quoque historias diuinorum eloquiorum incognitas ha-
bens, non in eis meditatur die ac nocte, nec ad earum
regulam fidem suam corrigere, dirigere, atque informa-
re studet: sed dies & noctes in humanarum vanitatum
lectione consumit, & porcorum siliquis ventrem suum
implere cupit, nec inde aliquam refectionem capit: sed
miserrima fame contabescit & perit, nequissimo prin-
cipe sibi dominante, qui misit eum in villam suam vt
pasceret porcos. Reuertatur itaque in seipsum, surgat
& veniat ad patrem, vt ibi tus panes inueniat, qui foris
fame peribat: ibi pascatur epulis vituli saginati, & pro
mundi salute immolati; ibi audiat symphoniam & cho-
rum, id est admirandam consonantiam cælestium scriptu-
rarum, & dulcem concordiam fidelium: Qui omnes
idem sapientes, & in eodem sensu atq sententia firmati,
vnanimes vno ore honorificant Deum & patrem Do-
mini nostri Iesu Christi. In hac itaque domo per Dei
misericordiam & fidei gratiam positi, audiamus & te-
neamus fideliter, quod dispensator panis eterni & ver-
bi diuini nobis insinuat, dicens: Si quis videtur inter vos
sapiens esse in hoc sæculo, stultus fiat vt sit sapiens. Sa-
1. Cor. 3. pientia enim huius mundi, stultitia est apud Deum:
18. scriptum est enim: comprehendam sapientes in astutia
eorum: Et Dominus cognouit cogitationes sapientium
1. Cor. 3. quoniam vanæ sunt. Audiamus & illum sapientissi-
19. mum virum, qui dicit: stultissimus sum virorum, & sa-
pientia hominum non est mecum: non didici sapien-
Prou. 30. 2. tiam, & noui sanctorum scientiam. Quod non ideo di-
cimus quasi nihil in illis etiam litteris humani inue-
niatur veritatis, aut illæ disciplinæ non habeant aliquam
vtilitatem ad indagandam veritatem: sed quia omni fi-
deli homini primum vigilantissime discenda est veritas
fidei ex auctoritate scripturarum Dei: vt si quid postea
de eisdem humanis litteris legere aut scire necesse fue-
rit, totum ex illa diuina auctoritate & fidei veritate
diiudicetur: vt siquid ibi ab eius regula non discordat:
absque periculo recipiatur: quicquid autem ab ea dis-
sonare inuenitur, quasi mortiferum respuatur. Quisquis
autem putat se absque veræ fidei cognitione, absque
scripturæ sanctæ fidelissima auctoritate, absque paternæ
doctrinæ studiosissima institutione solis humanis litte-
ris indagare posse veritatem Dei & fidei integritatem,
procul dubio seipsum inludit & decipit: & dum vult vi-
deri quasi inuentor veritatis, magister erroris efficitur.
Qui ordo pietatis tanta est attentione seruandus, vt nec
ipsæ sacræ litteræ in libris legis & prophetarum vlla te-

A nus possint esse vtiles & salubres legentibus, nisi aut fi-
des Christi præcedat in corde legentis, per quam vera-
citer intelligantur, aut ipsa fides Christi in eis fideliter
quæratur, & Deo inluminante inueniatur. Inde est
quod fidelem & dilectum Apostolus commonens &
informans, dicit: Et quia ab infantia sacras litteras nosti,
quæ te possunt instruere ad salutem per fidem quæ est
in Christo Iesu. Quod quid est aliud dicere quam per 1. Tim. 3.
fidem quæ est in Christo Iesu ipsas sacras litteras in- 15.
struere posse hominem ad salutem: quia absque eius fide
nulla ibi inueniri possit instructio salutaris. Propterea
ergo & iste in tantis errauit, tanta falsa & fallacia sensit
& scripsit, quia scripturas sanctas ignorauit, quia veri-
tatem fidei non eis humiliter & fideliter inquisiuit: sed
B superbe & vanissime humanis & ineptis argumentatio-
nibus eam inuenire posse se credidit: & ideo non illam
inuenit: sed eam potius infideliter & infeciliter impu-
gnauit. Qui ergo cupit de veritate diuinæ prædestina-
tionis humanum errorem effugere, & quid secundum
veritatem tenere debeat, inuenire, legat, vt iam diximus
diligenter & fideliter Propheticas & Euangelicas &
Apostolicas litteras, nec contra eas suum sensum de-
fendere audeat, sed earum se auctoritati & veritati hu-
militer summittat, ne in perniciem suam contra stimu-
lum calcitrare conetur. Ex quibus diuinis litteris quia
multa iam de hac re supra posuimus, ne legentibus tæ-
dium faciamus, vnum tantummodo hoc loco breuiter
memoramus ex Epistola beati Iudæ Apostoli, vbi cum
de impijssimis hæreticis qui Ecclesiam Domini ab ipsis
C Apostolicis temporibus vsque ad finem sæculi & impu-
gnauerunt & impugnaturi sunt, loqueretur: vt ostende-
ret eos æterno & iusto Dei iudicio in reprobum sensum
traditos, vt tanta ac talia contra Deum loqui auderent,
& ad vltimum eodem diuino iudicio æterna perditione
damnandos, ita dicit: Subintroierunt enim quidam ho-
mines qui olim præscripti sunt in hoc iudicium impij,
Domini nostri Iesu Christi gratiam transferentes in lu-
xuriam & solum dominatorem Dominum nostrum Ie-
sum Christum negantes; vbi etiam quam olim & quam
multis antea seculis hoc de eis fuerat prænuntiatum &
prophetatum ostendens; post multa subiungit, prophe-
tauit autem & de his septimus ab Adam Enoch dicens:
Ecce venit Dominus in sanctis militibus suis facere iu-
D dicium contra omnes, & arguere omnes impios de om-
nibus operibus impietatis eorum, & de omnibus quæ
locuti sunt contra eum peccatores impij. De quorum
etiam æterna damnatione & pœna horribili eis præpa-
rata, & reseruata manifestissime adiungit dicens: sydera
errantia quibus procella tenebrarum in æternum serua-
ta est. Quid enim euidentius de prædestinatione im-
piorum ad æterni iudicij damnationem, quam quod si
homines impij tanto olim & tantis antea sæculis & di-
uino iudicio & Prophetico vaticinio præscripti sint in
hoc iudicium? nec tantæ absurditatis esse debemus, vt
quia beatissimus Patriarcha & Propheta Enoch septi-
ma ab Adam generatione prophetauit, putemus quod
tunc Deus omnipotens aliquid statuerit ac prædestina-
uerit quod in eius æterno iudicio atque consilio non fue-
rit. Cum omnino in illius incommutabili æternitate
E nulla possit esse noua voluntas, nulla recens dispositio:
sed quod apud illum erat præfinitum æternaliter, hoc
congruentissimo ordine, hoc & prophetari & impleri
voluit temporaliter. Ad illorum quidem iudicium &
damnationem qui alia erant ausuri atque facturi. Ad
probationem vero & exercitium Ecclesiæ suæ, quam
etiam per talium contradictiones & impugnationes &
diligentius erudiri, & excellentius disposuit clarificari.
Sicut & Apostolus dicit: nam oportet & hæreses esse,
vt & qui probati sunt, manifesti fiant in vobis. Si ergo
quærimus iustam & æternam Dei prædestinationem in
malis ad iudicium damnationis, audiamus quia homi-
nes quidem præscripti sunt in hoc iudicium impij: &
præscripti non tam temporaliter sermone Prophetico,
quam

quam omnino æternaliter diuino iudicio. Quia vtique A
quod erat apud Deum æternaliter præfixũ hoc per pro-
pheram temporaliter est prædictum atque præscriptum.
Si quærimus vtrum eis æterno Dei iudicio pœna & sup-
plicium sit præparatum, audiamus quod de ipsis dicitur:
quibus procella tenebrarum in æternum seruata est: at-
que ita diuinæ veritati fideliter acquiescentes nec impiis
pœnis, nec pœnas impiis diuinitus præparatas vllatenus
dubitare poterimus. Hoc namque ad terrorem omnium
& errantium videlicet vt damnationis suę ruinam indu-
bitanter agnoscant: & stantium in fide, vt talium pœ-
nam cum metu & tremore præcaueant. Sequentibus E-
pistolæ suæ verbis idem beatus Apostolus Iudas vehe-
mentius inculcat, dum istiusmodi impios homines quos
dixerat iam olim in hoc iudicium præscriptos eisq; pro- B
cellam tenebrarum in æternum seruatam iam nunc an-
tequam extremæ damnationis, vbi talem exitum sortitu-
ri sunt, tempus adueniat, diuinæ vtique prædestinatio-
nis iudicio asserit iudicatos, cum fidelibus dicit: Vos
autem charissimi superædificantes vosmetipsos sanctis-
simæ vestræ fidei in Spiritu sancto orantes, ipsos vos in
dilectione Dei seruate: Et hos quidem arguite iudicatos,
illos autem seruate de igne rapientes: Aliis autem mise-
remini in timore. Non enim ait: hos quidem arguite iu-
dicandos, sed arguite iudicatos; vt scilicet quod in sua
impietate perdurantibus venturum erat suo tépore, iam
nunc eis diuini & æterni iudicii, vt dictum est, prædesti-
natione terribiliter superuenisse demonstret, & futura
vtique punitione damnandis, & præsenti iam sententia
diuinitus cõdemnatis. Post hæc ad illud necessario con- C
uertimur, quod iste vt aliquid ex Græcæ linguæ petitia
docere videatur addit & dicit: esse Græcum verbum ὁρῶ,
quod video & definio & destino interpretatur: similiter
compositum προορῶ præuideo, prædefinio, prædestino.
Ac per hoc prædestinationé & prędefinitioné nihil aliud
esse quàm præuisionem. In quibus verbis bene quidem
ait, quod ὁρῶ possit Latine dici video, sed quomodo istud
video intelligi debeat, vtrum simpliciter tantummodo,
sicut multa videmus transeuntes & vltro se nostris aspe-
ctibus ingerentia: an certò aliquo & defixo intuitu,
quo rem aliquam aut certissime esse cognoscamus, aut
tanta illuc intentione noster dirigatur aspectus, vt quasi
signum ad sagittam eundé nostrum aspectum actio con-
sequatur. Sicut & scriptura dicit de fabro ferrario vel cu- D
iuslibet alterius metalli, quia ad similitudiné vasis quod
fabricatur est oculus illius, cum tanta illud intentione
oculi attendis, vt velut ad regulam vel ad lineam sui ob-
tutus nihil in eo aliter nisi quod ipse disposuit esse patia-
tur. Ita ergo magis ille sermo ὁρῶ id est, video intelligen-
dus est vt talis ibi visio designetur, quæ ita ad certum di-
rigitur intuitum, vt ad ipsum vel cursus inuentis, vel
iaculatio, vel fabricatio, vel aliud eiusmodi rectissime &
indeclinabiliter dirigatur. Ex hoc namque verbo quod
dicitur ὁρῶ, deriuatur ὅραμα. quod est Latinè visio. Quã
visionem verbi gratia somnij aut alicuius reuelationis
ita antiqui definierunt. quia visio est, cum quid quis vi-
det, quod eodem modo quo apparuerat euenit. Vnde
maxime in scripturis visionem cuiuslibet diuinæ reuela-
tionis quæ vtique ita videtur in spiritu vt omnino aliter E
euenire non possit Græcè in ὁράματι ostendi siue vide-
ri legitur. Et ideo iuxta hanc euidentissimam rationem
enim isto modo dicitur video, certissime intelligitur de-
finio vel destino, sicut & iste recte posuit, vt cum com-
ponitur ille sermo addita præpositione & dicitur προο-
ρῶ rectissime intelligatur præfinio vel prædestino, quod
vtrumque vnius significationis est: potest etiam inter-
pretari præuideo. Quæ prouidentia cum ad Deum re-
fertur omnino certissima est, & omnino sicut ille pro-
uiderit futurum. Vnde & ex hoc verbo quod est ὁρῶ de-
riuari Græcè videtur ὁρισμὸς quod est destinatio, & præ-
positione addita προορισμὸς id est, prædestinatio. Quæ
duo verba nemo vnquam visionem vel præuisionem
interpretari ausus est, sed, vt diximus, destinationem

A & prædestinationem. Similiter ex eodem verbo ὁρῶ
deriuari videtur ὥρισεν, quod est destinauit, & præposi-
tione addita προώρισεν, id est, prædestinauit: potest au-
tem προορῶ, vt supra iam diximus, interpretari etiam pro-
uideo. Sicut in Psalmo vbi nos Latinè dicimus: proui-
debam Dominum in conspectu meo semper: in Græco
legitur προωρώμην τὸν κύριον, quæ prouidentia certum vti-
que aliquid & præfinitum ostendit. Quod beatus Hie-
ronymus in editione sua ita posuit; proposui Dominum
in conspectu meo semper; quod vtique manifestius ad
destinatum pertinet. Quod autem destinatum hoc sit
proprie quod ad certum intuitum siue consilium dirigi-
tur, ostendit nobis scriptura quæ dicit: Aut sicut sagitta
in locum emissa destinatum. Et Apostolus vbi de seipso
B air: ad destinatum persequor, ad brauium supernæ vo-
cationis Dei, &c. Quod beatus Hieronymus exponens
ait: Dicit se nec dum comprehendisse & nequaquam es-
se perfectum: sed instar sagittarii ad propositum & ad si-
gnum iacula dirigere quæ significanter Græci σκοπὸν no-
minant: ne sagitta ad partem declinans alteram, imperi-
tum ostendat sagittarium. Non ergo iste illudat nostræ
ignorantiæ ex Græcis verbis aliquid immutans noua in-
terpretatione, & eorum vim, quantum in se est euacuãs:
vt quod omnes antiqui in scripturis sanctis vel prædesti-
nationem interpretati sunt, vel præfinitionem aut pro-
uidentiam siue propositum, nunc iste velit dicere insoli-
tato & absurdo nomine præuidẽtiam. Quæ & ipsa quã-
uis in Deo sicut etiã præscientia certissima sit, tamen ex
huius nouitate sermonis nullatenus patimur extenuari,
C vel destrui sensum prædestinationis, quia præuideri, &
præsciri à Deo possunt etiam illa quæ ipse facturus non
est; prædestinati autem ab eo non alia intelliguntur, nisi
ea quæ facturus est, vel misericordia vel iudicio suo. Ac
per hoc absit omnino à nobis quod iste dixit & quasi de-
finiuit prædestinationem & præfinitionem Dei, nihil a-
liud esse quam præuisionem: Quia iste sensus manifesto
impius est vt quasi tantummodo præuiderit Deus quid
quisque esset facturus, vel quid pro factis suis passurus,
& nihil de illo qui vel male erat acturus, in suo æterno
iudicio prædestinauerit vel præfinierit. Addit iste adhuc
& dicit: Deum nec præuidisse nec prædestinasse mortem
& pœnas quia nibil sint. Quod quam sit vanum & veri-
tati contrarium, iam supra satis, vt putamus, & sæpius
D ostensum est. Deinde subiungit iste loquens de Deo:
peccatores in massa originalis peccati reliquit, relictos
deseruit; desertos lumine tenebras torquere; desertos
vita mortem interimere. Nec quod in eis Deus fecit, re-
linquit vel deserit: Alioquin eorum natura ad nihilum
rediret, si summa essentia in eis non esset: sed quod in eis
nõ fecit, id est, superbiã, spreuit. Quod ergo dicit de Deo
quia peccatores in massa originalis peccati reliquit, si di-
xisset reprobos aut puniendos siue damnandos, profe-
cto verum esset. Ipsi enim, id est, reprobi, puniendi atque
damnandi remanent in massa illa ex Adam generaliter
damnata. Quia non eos inde discreuit figulus ille omni-
potens, qui ex vna eademque massa facit aliud vas in ho-
norem, aliud vero in contumeliam. Nunc vero quod
dicit quod Deus peccatores in massa originalis peccati
reliquit, non omnino potest esse verum: quia vtiq; pec-
E catores inde discreuit ac liberauit ille qui dicit: non veni
vocare iustos sed peccatores: Et de quo Apostolus ait:
Fidelis sermo & omni acceptione dignus, quia Christus
Iesus venit in hunc mundum peccatores saluos facere.
veruntamen quia non dixit omnes peccatores in massa
illa reliquit: Quod vtique apertissime falsum esset, sed
dixit indefinite, peccatores in massa illa reliquit. Quod
potest intelligi & ex parte, stet vtcũque quod dictum est,
Quod autem subiũgit de eisdem relictis in massa pecca-
ti relictos deseruit, desertos lumine tenebras torquere,
desertos vita mortem interimere, ita eos vult intelligi à
Deo relictos, & relinquendo desertos, vt quia deserti
sunt à vero lumine, tenebris excitatis tuæ torqueantur
in mente. Et quia deserti sunt à vera vita, morte speciali

in anima perimantur. Et hæc si tantummodo eorum pœna atque supplicium in illa æterna damnatione, vt nullo extrinsecus tormento adhibito, sola mentis cæcitate, sola animæ morte puniantur, sicut & supra multipliciter asserere conatus est: Et vt in illa damnatione remanere eis aliquod magnum bonum ostendere videatur, dicit adhuc de ipsis, nec quod in eis Deus fecit, relinquit vel deserit: alioquin eorum natura ad nihilum rediret, si summa essentia in illis non esset, sed quod in eis nō fecit, id est, superbiam, spreuit. Ecce quale bonum eis prædicat remansisse, quale etiam insensibilibus elemētis Deus exhibere dignatur, vt omnipotenti virtute essentiæ suæ det eis esse, & vt esse permaneant, nec eorum natura ad nihilum redigatur, eadem virtute ea sustentat & permanere facit. Sed ista, id est, elementa mundi in quantum sunt in naturali sua substantia conseruantur, permanent vtique ad laudem creatoris & ad vsum siue honorem rationalis creaturæ. Illorum vero damnatorum & perditorum natura, & omnipotenti Dei virtute seruatur ne pereat, & iusto Dei iudicio ad pœnam ei tantum proficit quod seruatur, ne vnquam eius supplicium finiatur. Licet etiam mihi laudandus sit creator qui bonum naturæ quod condidit non omnimodo deleri voluit. Quod vero ait: alioquin eorū natura ad nihilum rediret si summa essentia in eis non esset: si dixisset, eorum natura ad nihilum rediret, si eis summa essentia esse non concederet, vel esse non conseruaret; esset vtique verum. Quia omnia quæcumque habent esse, ab illa summa & diuina essentia acceperunt vt essent: nunc autem cum dixerit nisi summa essentia in eis esset, tantum eis attribuere videtur qui erunt in illa perditione damnati vt etiam templum Dei esse videantur. Si enim summa essentia in eis erit, quia summa essentia Deus est qui de seipso dicit: Ego sum qui sum: Ergo Deus in eis erit, & tēplum Dei dici poterunt: Ita vt de ipsis dicat Deus, & inhabitabo in illis: immo & amplius quam templum erunt, si summa essentia in eis erit, vt quodammodo essentiali quadam copulatione Deo vniri videantur. Quod de vno & solo mediatore Dei & hominum homine Christo Iesu singulariter est credendū, Quem sibi verbum Dei & verbum Deus essentiali & naturali coniunctione vniuit, id est, in vnitatem personæ suæ suscepit. Quod si dixerit quod summa substantia in eis erit, virtute operationis suæ agēdo ne eorum substantia aboleatur & pereat, non per aliquam inhabitationis gratiam qua aliquo bono in illo & ex illo perfruantur, mutet ergo inusitatam & insolentem locutionem nec dicat in hominibus impiis æterna perditione damnatis summam essentiam esse, sed potius summam eis esse, iam adesse virtute operantis non dignatione inhabitantis. Est autem magna quæstio, & fideli pietate quantum diuina gratia largitur indaganda, quomodo & omnipotens Deus credendus sit in vniuersitate creaturæ semper vbique esse vel adesse, & aliquando etiam inesse vel inhabitare, quam tamē hoc in loco magis quærendam quam exponēdam proponimus vt à piis & fidelibus pie & fideliter huius rei veritas quæratur vt eodem Deo adiuuante veraciter inueniatur. Iste enim & Ecclesiasticæ locutionis & Christianæ pietatis minus expertus adiungit, adhuc propter eosdem impios damnatos & dicit: Deum in ea natura quam creauit semper habitare. In quibus nimirum verbis naturā quam Deus ad se creauit humanam vult intelligi, quam in mente rationali ad imaginem & similitudinem suam Deus fecit, & dicit in hac natura mētis rationalis semper Deum habitare, & in præsenti videlicet sæculo, & in futuro, & in credētibus qui eius fideles sunt & in incredulis ac Paganis qui ipsa sua infidelitate ab eo alieni sunt, & in electis quos templum suum fecit, & in reprobis quos in æterna perditione damnauit: quod vtique contrarium est fidei & veritati: Quia si hoc verum esse posset etiam in infidelissimis Iudæis & Paganis qui quantum ad naturam bonam & à Deo conditam pertinet, ad imaginem & similitudinē Dei facti sūt, recte diceretur habitare Deus pater, habitare Christus, habitare Spiritus sanctus. Quo sensu impie & detestando quid horribilius dici aut cogitari potest? istam namque absurditatem etiam illud sequitur vt si Angeli qui sunt vtique rationalis creatura principaliter, recte creduntur ad imaginem & similitudinem Dei conditi: neque enim minus aliquid hominibus in sua natura acceperunt; etiam in diabolo & Angelis eius qui vnius naturæ cum sanctis Angelis exsistunt, & Deus pater, quod absit, & Christus eius, & Spiritus sanctus habitare dicendus sit. Cum hoc donum beatæ & benignæ habitationis suæ soli electæ & fideli rationali creaturæ, sicut supra ex scripturis ostendimus, largiri credendus sit, piis namque & fidelibus Dominus promittit dicens: Ego & pater ad eum veniemus, & māsionem apud eum faciemus. Quibus & de Spiritus sancti habitatione similiter repromittit dicens: Et ego rogabo patrem & alium paraclitum dabit vobis qui maneat vobiscum in æternum. De quo etiam paulo post subiungit: Vos autem cognoscens eum qui apud vos manebit & in vobis erit. De talibus ipse Deus dicit, & inhabitabo & inambulabo in illis. Et Psalmista ait, in æternum exultabūt & habitabis in eis: Qui etiam alibi dicunt, nisi quia Dominus erat in nobis dicat nunc Israel, nisi quia Dominus erat in nobis: vnde & beatus Ioannes Apostolus distinguens inter habitatorem piorum Deum, & habitatorem impiorum diabolum dicit fidelibus: Vos ex Deo estis filioli, & vicistis eos quoniam maior est qui in vobis est, quam qui in mundo. Hæc iste si corrigi desiderat fideliter ex scripturis discat, & non humanis & vanis argumentationibus contra veritatem Dei litiget, sed se illi miti pietate summittat. Sed quia totum hoc quod de illis qui in massa originalis peccati relicti sunt, dicit; non ob aliud replicat, nisi vt eos tantummodo peccati originalis vinculo obstrictos nullo Dei iudicio asserat ad pœnam prædestinatos, quærendum ab eo est & à cæteris qui ita sentiunt, vtrum aliquo Dei iudicio factum sit vt tanta multitudo generis humani illi peccato originali fieret obnoxia, ac per hoc etiam æternæ morti debita, annon? si enim nullo Dei iudicio, sed tantummodo naturali cursu vitiatæ originis hoc factum est, ergo sic peccatum tantummodo in eos naturaliter ex illo primo homine transfusum est, vt nulla peccati eius damnatio in eos trāsfunderetur & cucurrit in eos ex Adam sola origo peccati, non etiam iusta pœna peccati, sed manifeste Apostolus dicit: quod per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines pertrāsiit. Vere ergo ex vno & per vnum hominē non solum peccatum, sed etiam pœna peccati mors intrauit in mundū. Cuius iudicio nisi illius qui homini prædixerat quacunque die comederis ex eo, morte morieris: quia comedere ex illo ligno vetito hoc fuit vtiq; peccatum. pœna vero peccati hoc quod consequenter adiunctum est, morte morieris: quod vtiq; non de sola ista morte corporis ei comminatus est, sed & de illa quæ peccando facta est in anima: quia anima quæ peccauerit, ipsa morietur. Et de secūda etiam morte quæ erit in damnatione externa, ad quam reatus illius primi peccati omnino omnem hominem trahit nisi Christi gratia liberetur. Cum ergo hæc Deus dixit non solummodo terrorem audienti incutere voluit, sed quod iustum æterno iudicio suo statuit illa comminatione manifestauit, vt videlicet iusto & æterno eius iudicio, si homo illud peccatum admitteret, primum animæ mortem incurreret, secundo etiam corporis morte dissolueretur, tertio etiam secūda morte damnaretur. Et hæc tota damnatio & in anima, scilicet, & in corpore, & post corpus cum ipso peccato in omnes posteros transfunderetur. Et ideo iudicium æterni consilij & iustitiæ suæ quod in illo primo & vno homine inchoandum iudicauit, in omnem eius progeniem transmisit, vt illo iusto eius iudicio quicunque ex illa massa damnata Christi gratia non fuisset discretus, prima illa diuini iudicij sententia æternæ damnationi teneretur prędestinatus. Et ideo reprobos non reliquit tātummodo

do in massa originalis peccati quasi nihil de eis statuens atque definiens, sed etiam iudicauit, vt æternum & iustum eius iudicium quod præcessit in radice sequeretur in germine: at quod cœpit in parente, necessario impleretur in sobole: nam nulla omnino apud fideles dubitatio est, quod omnipotens Deus antequam peccaret homo, præsciuit eum vtique peccaturũ. Et sicut præsciuit peccaturũ, ita etiam prædestinauit quid iusto eius iudicio esset passurus: Et quod in illo iuste iudicando cœpit in tota illius progenie eadẽ præscientia, eadẽ prædestinatione iudicii, eadẽ iustitia damnationis impleuit. Sed hæc verba nulla ratione fulta, quod Deus reprobos in massa illa damnationis reliquerit, nec aliquid de eorum prædestinauerit damnatione libello quem Græci hypognosticon appellant, quem etiam ex falso titulo plerique sancti Augustini esse putant, assumpsisse videtur. Quem libellum non esse sancti Augustini, & stilus ipse demonstrat & sensus, non solùm sancti Augustini scriptis, sed etiam fidei contrarius, & testimonia ex noua ista editione qua nos vtimur sũpta, cum ille contra hæreticos disputans, & de causis fidei agens continue ex antiqua editione conuincat contradicentes & ex ipsa instruat fideles. Addit adhuc & dicit: Dei sapientiam prædestinasse in suis legibus modos vltra quos impiorũ malitia progredi non possit, &c. vsq; ibi dicit, cupidinis iustissimum cruciatum. In his verbis quędam vera pręmissa sunt, vt ex eis falsa conclusio concinnaretur. Nam quod Dei sapientia in occultis legibus suæ dispositionis prædestinauerit, atque præfixerit modum atq; mensuram, malitiæ est impiorum vel Angelorum, ne scilicet, in tantũ possit procedere & extẽdi eorum malitia quãtum ipsi desiderant, sed sub occultis Dei legibus certa mensura & terminis coërceantur, manifeste verum est: Quia & diabolus & dæmones maligni semper vtique habent male agendi vel nocendi voluntatẽ, nec tamen possunt, nisi quantum & quando à Deo permittantur: Nam & diabolo malitiose & nequiter beato Iob nocere cupienti, modum imposuit: nec quantum voluit, sed quantum permissus est nocere præualuit: Et de impiis hominibus maligna & praua conantibus, & tamẽ Deo modum eis imponente nequaquã perficere valentibus aperte scriptura dicit: Cogitauerunt consilia quæ non potuerunt stabilire. Et iterum, qui dissipat cogitationes malignorũ, ne possint implere manus eorum quod cœperant. Et quod subiũgit iste & dicit: nihil appetere malitiam diaboli, & omnium impiorum, nisi vt peccando & inique agendo à Deo qui summa essẽtia est recedant: manifeste verum est: Quia, vt dictum est, peccando & inique agendo quid aliud agunt, nisi vt à Deo recedant: & longè ab eo fiant & pereant? Sicut de eis scriptum est, quoniam qui elongant se à te, peribunt. Et quod subiungit iste adhuc dicens: Quod in tantum & diaboli & hominum impiorũ iniquus appetitus pronus & auidus sit ad malum, vt si eos diuina potestas permitteret, tantum se peccatis immergerent, vt in eis etiam ipsa natura merito deleri posset, nimis quidem coactum, sed fortitan non ex toto falsũ est. Similiter quod adiungit: quia ex ea difficultate & impossibilitate, qua eis diuina potentia & prouidentia imponit, ne in tantam ruant voraginem malitiæ quantam desiderãt, fit in animo eorum, id est, & malignorum spirituum & hominum pessimorum labor conandi, & cruciatus multipliciter cogitandi, quod implere non possunt. Et talis labor fit vtiq; animis eorum tormentum, punitio, cruciatus: vt ipsa sui maligna voluntate torqueantur & puniantur. Quod vero post hęc omnia subiũgit & dicit: videlicet ex hoc interno cruciatu & punitione animi dum cupiditates suas Deo obsistente implere non potest, fiat anima misera, sustinens inanium voluptatum suarum egestatem: verum quidem est, quod hæc peruersa animi cupiditas, & cum expletur, & cum expleri non permittitur, miserum eundem animum facit. Sed multo est miserior animus cum ad talia permittitur, quam cum à talibus diuina potestate

Psal. 32.

prohibetur. Infœlicius namq; mala possit, quam velit

A tantummodo, nec possit. Vnde & secularis philosophi vera est illa sententia de quodam: O miserũ cui peccare licebat. Verum namque dixit qui hoc dixit: Quia si prohiberetur peccare ille de quo hoc dictum est, minus vtique miser esset sola voluntate peccandi: Cum autem ei peccare licebat infœlicissima licentia multo miserior erat, & appetitu malæ voluntatis & effectu. Quod vero iste aperiens & exponẽs cur omnia ista præmiserit subiũgit in fine & dicit, quod ea difficultas & impossibilitas qua impii Angeli vel homines Deō obsistente prohibentur peruenire ad ea quę cupide & peruerse appetunt, hęc eis tantummodo fiat in illa æterna damnatione pœnalis interitus & miserrimę cupiditatis iustissimus cruciatus, vt hunc tantummodo ibi patiantur in animo suo interi-

B tum & cruciatum: quia iam quod peruerse desiderauerant, implere non sinentur, nec vllum eis extrinsecus ex illo igni ęterno adhibeatur supplicium & tormentum: manifestissimũ mendacium est fidei ac veritati contrarium, sicut iam supra frequenter ostensum est. Post hæc subiungit & dicit inuitos Deo seruire impios: non naturam quam in eis non fecit, & in eis nõ punit: sed malam voluntatem quam in eis nõ fecit, & in eis punit. In eoq; quod ei inuiti seruiunt, puniri in seipsis sua pœnà. De qua quos iuste non liberet, ad eam illos quodammodo præparet, dum eos ad eam seipsos præparare permittat. Similis est & in his verbis eius intentio: Dicit namque quod omnes impii, id est, & Angeli & homines maligni in illa subiectione qua subiicientur potestati & iudicio Dei in æternum damnati inuiti seruient diuinę disposi-

C tioni: Et hoc secundum eius sensum vt videlicet inuiti subiiciantur Deo non natura in eis faciet quam Deus fecit. Et quam sicut iste contendit nũquam punit, sed mala voluntas quam in eis non fecit, & quàm solum in eis punit. Et ea eo quod inuiti seruient diuino iudicio puniẽdos eos esse non extrinsecus aliquo tormento adhibito, sed tantummodo intrinsecus in ipsa voluntate, dum in eis volũtas fit sua pœna sibi ipsi: dũ & esse cupiet male libera. Et tamen diuina potestate ab illa peruersa libertate coërcetur inuita. Hanc itaque solam dicit esse pœnam & Angelorum & hominum impiorum, vt hoc modo cupiendo habere, nec valendo assequi pessimam malitiæ libertatem in sola & ex sola tali voluntate crucientur, natura vero eorum qua subsistunt, in spiritu vel corpore quia à Deo facta est, & secundũ istũ nunquam

D peccat, nunquam punietur, nunquam aliqua tormenta patietur. De quibus omnibus iam suprà, prout Dominus dedit, satis responsum est, vnum tantummodo hic proponimus omnibus considerandum, immo etiã execrandum, quomodo iste contra humanum sensum, & contra Apostolicam veritatem dicat non peccare naturam; sed solam voluntatem naturæ. Quis enim vnquam hominum fuit aut est, qui dicat quod cũ aliquis adulterium aut comessationem vel ebrietatem perpetrat, sola in illo peccet voluntas, & nihil ibi peccet anima, nihil peccet corpus: cum e contrario secundum fidei Catholicæ veritatem propterea adducendæ sint omnes animę cum corporibus, suis ad iudicium omnipotẽtis Dei, vt sicut in vtroque & ex vtroq; peccauerunt, ita in vtroq;

E iudicentur atq; puniantur. Nam si natura corporis impiorum omnino immunis està peccatis, quid necesse est vt resurgat quæ nullã damnationem meretur? aut quomodo iuste cum anima sua condemnabitur, quę cum ea nullum peccandi consortium habuit, nullum peccati meritum contraxit? nã si hoc ita esset, sufficiebat solam animam in iudicio pręsentari & malã voluntatem, quia in ipsa inhabitat, quam iste dicit solam peccare, in ea puniri? Ita huiusmodi impietatis assertio non solùm fidem veritatis; sed etiam fidem resurrectionis impugnat. Apostolus dicit: Non ergo regnet peccatum in vestro mortali corpore, vt obediatis desideriis eius: sed neque exhibeatis membra vestra arma iniquitatis peccato? sed exhibeate vos Deo tãquã ex mortuis viuentes, & mem-

bra vestra arma iustitiæ Deo. Si ergo iuxta hæc verba loquentis in Apostolo Christi regnat peccatũ in nostro mortali corpore, & tunc regnum ibi obtinet, cum obedimus desideriis eius: Ita vt efficiantur membra nostra arma iniquitatis peccato quibus animã nostram debellet & occidat, quomodo non corpus peccat, nec peccatum ad ipsum pertinet, in quo & peccati regnum inhabitat, & peccati militia exercetur? xix. Nono decimo, id est, extremo capitulo dicit: Ignem æternum istũ ipsum quartum mundi elemẽtum vbi corpora sanctorum in æthercam mutentur qualitatem, impiorum corpora in aëream qualitatem trasitura: In eoque naturarum intra se mirabile perfici gaudium, malarum vero voluntatum ineffabile tormentum: Et ita, impiorum omnium Angelorum hominumq; corpora supplicia ignis æterni perpessura: vt integritate eorum substantię nullo modo peritura, eorum pulchritudine nullo modo defutura, eorum naturali incolumitate permãsura. Omnibus deinda naturæ bonis ad vniuersitatis ornamentũ mirabili ordine refulsuris, excepta beatitudine qua priuabuntur: superioris ignis corporei cum inferioris aëris corporibus qualitate conluctante, naturali vi seruata: infelicium animatum intentio de corporibus suis æternas patiatur ærumnas; ita videlicet, vt idem ipse ignis omnibus corporibus fiat gloria, quo damnandis animabus intrinsecus iniquitate propria, extrinsecus cumulabitur pœna. In his verbis phantasticis, & omni insanię deliramento plenis prætermissa simplicitate fidei, & confessionis Apostolicæ, qua omnis Ecclesia credit & confitetur Dominum nostrum Iesum Christum die tertia à mortuis resurrexisse, & ascendisse ad cælos, & sedere ad dexteram patris. Et inde venturum esse ad iudicandum viuos & mortuos, atque in eius aduentu futuram carnis resurrectionem & donandam sanctis vitam æternam. Prætermissa, inquã, ista simplicissima & purissima cõfessione pietatis nusquam nominans Christi aduentum de cælis, nusquã cõmemorans resurrectionem ex mortuis, ita omnia confundit, & quibusdam adinuentionibus obscurare conatur, vt nec veritatem resurrectionis, nec veritatẽ diuini iudicii & æterni supplicii, nec mentionem aliquam futuræ vitæ sanctorum in eius litteris possimus agnoscere. Dicit namque quod in illo igni æterno, quem istud quartum mundi elementum putat, naturali ordine super terram, & aquas, & aërem constiturum ibi, id est, in igni æterno mundi igneo elemento corpora sanctorum mutabuntur in ęthercam qualitatẽ, vbi etiam impiorum corpora in aëriam qualitatem sint trãsitura. Dissentiens manifestissime & dissonans Apostolicæ doctrinæ, quæ non in quarto mundi elemento, neque in igneo quodam conflatorio, sed in isto habitaculo terreno, vbi & vixerunt & mortua sunt, tam iustorum corpora quam iniquorum, futuram dicit omnium resurrectionem, & sanctorum immutationem mirabili & ineffabili celeritate, id est, sicut ipse Apostolus dicit, in momento, in ictu oculi, quod vtique nihil est celerius in motibus corporalibus. Ita namque ait, omnes quidẽ resurgemus, sed nõ omnes immutabimur: in momento, in ictu oculi, in nouissima tuba, canet enim tuba, & mortui resurgent incorrupti, & nos immutabimur. In quibus verbis manifeste omnium & bonorum & malorum resurrectionem describit. Sed hanc ipsam omnium generalem resurrectionẽ quadam certa proprietate distinguit dum dicit, quia omnes resurgemus, sed non omnes immutabimur: Et cum subiungit: Et mortui resurgent incorrupti, & nos immutabimur. Ostendens videlicet, quia omnes resurgent receptione corporum, sed nõ omnes immutabuntur glorificatione iustorum. Iniqui enim resurgent tantummodo incorrupti, nõ etiam glorificati. Et incorrupti in eo tantummodo quod iam non poterunt morte dissolui: ad pœnas autẽ & ad cruciatus æternos sentiendos atque perferendos ita omnino corruptibiles erũt, & ita ipsis suppliciis sine fine consumantur, vt omnino, sicut Scriptura dicit, dentur in carnes eorum ignis & vermes, vt vrantur & sentiant vsque in sempiternum. Iusti autem, ex quorum persona Apostolus dicit, & nos immutabimur, & incorrupti resurgent, vt nulla vlterius morte soluantur; & hoc speciale habebunt, quod corpora eorum immutabuntur in melius, dicente eodem Apostolo, & aperte qualis futura sit ipsa cõmutatio exponente; Oportet enim, inquit, corruptibile hoc induere incorruptionem, & mortale hoc induere immortalitatem: scilicet vt hoc ipsum corpus quod nunc à sãctis corruptibile & mortale gestatur, illa resurrectionis virtute fiat incorruptibile & immortale, id est, incorruptione & immortalitate induatur. quę incorruptio sanctorum tanta ac talis erit, vt nullo iam dolore, nullo labore, nulla molestia, nulla indigẽtia tangi possit: Et ita per illam immortalitatem quę eis dabitur, absorbebitur mors in corporibus eorum, vt non solùm ipsa mors ibi quodammodo deleatur, sed etiam causa mortis, id est, peccati stimulus, cuius punctione mors ab initio facta est, penitus conteratur. Qui vtique peccati stimulus in corporibus damnatorũ nunquam euacuabitur: & ideo nũquam vere à morte liberi erunt. De hac itaque fœlicissima immutatione iustorũ subiungit Apostolus & dicit: Cum autem mortale hoc induerit immortalitatem, tunc fiet sermo qui scriptus est: absorpta est mors in victoria: vbi est mors victoria tua, vbi est mors stimulus tuus? stimulus autem mortis peccatum est: Deo autem gratias qui dedit nobis victoriam per Dominum nostrum Iesum Christum, Non ergo prius resurgent corpora iustorum, & postea, sicut iste dicit, in elemento igneo velut in conflatorio immutabuntur: sed in ipso momẽto & ictu oculi in quo resurgent, diuina virtute immutata, incorruptionis & immortalitatis gloria vestientur. De immutatione autem iniquorũ, & æternis suppliciis damnatorum, quorum iste corpora nouo & inaudito genere erroris commutanda dicit in aëream qualitatem, nihil omnino Apostolus loquitur: Et ideo etiam nos talem phãtasiam contemnere potius, quam audire debemus: ne simus prurientes auribus, & à veritate auditum auertentes, ad fabulas autem conuertentes. Quomodo enim iuxta ipsum transibunt in aëreã qualitatem? nam si de terrenis aërea fient, non erit vera resurrectio: quia non eadem corpora resurgent, quæ per mortẽ ceciderunt; illa enim terrestria erant, ista aërea erũt: si autem ipsa natura terrenorũ corporum permanebit & tamen qualitatem aëris accipiet, vt, videlicet, ipsius aëris in ventorum subtilitate immutetur. Hãc nouitatem fides Ecclesiæ non recipit: quia, sicut iam dictum est, de immutatione impiorum nihil Apostolus dicit. Quod autem dicit corpora sanctorum immutanda in æthercam qualitatem, si istam immutationẽ manente ipsorum corporum natura futuram credit, vt scilicet, ipsa corpora quæ ceciderunt in morte, quæ suscitata sunt in resurrectione, glorificentur cælesti claritate, & de obscuris lucida fiant, sufficit nobis de hac eorum mira clarificatione illud tenere quod Dominus in eis futurũ dicit: Tunc iusti fulgebunt sicut sol in regno patris eorum. Si autem ita dicit eadem corpora in æthercam qualitatem immutanda, vt amittant naturam suam, & pro terrenis cęlestia fiant, manifeste veritati resurrectionis contradicit, & ideo nullatenus audiendus est. Quicunque autem desiderat similiter & pure ac vere de sanctorum resurrectione & spiritualiũ corporum natura sentire, audiat & teneat fideliter quod Beatus August. de his sincerissime docet dicens: Egestas edendi ac bibendi talibus corporibus auferetur, vnde & spiritualia erunt; non quia corpora esse desistent, sed quia spiritu viuificante subsistent: nam sicut ista quæ habent animam viuentem, nondum spiritum viuificantem animalia dicuntur corpora, nec tamen animæ sunt, sed corpora: Absit tamen vt spiritus ea credamus futura sed corpora, carnis habitura substantiam, sed nullam tarditatem corruptionemq; carnalem spiritu viuificãte passura. Tunc iam non terrenus, sed cælestis homo erit: nõ

quia corpus, quod de terra factum est, non ipsum erit, sed quia dono cælesti iam tale erit, vt etiam cælo incolendo non amissa natura, sed mutata qualitate conueniat. Proinde cum hoc corpus iam non animale sed futura commutatione spirituale animæ receperit Angelis adæquata perfectum habebit naturæ suæ modum obediens & imperans, viuificata & viuificans tam ineffabili facilitate, vt sit ei gloriæ quod sarcinæ fuit. Subiungit iste dicit: In eoque naturarum intra se mirabile perfici gaudium, malarum vero voluntatum ineffabile tormentum: id est, vt iuxta eius sensum loquamur, naturarum ibi tantummodo mirabile perficiatur gaudium, quæ secundum istum minime peccauerunt, vt hoc sit gaudiũ naturarum, quod natura terreni corporis, sicut iste putat, in impiis transfirmata est in aëream qualitatem: in sanctis vero adhuc in excelsiorem gloriam, id est, in æthercam qualitatem. Malarum vero voluntatum quas solas dicit peccasse, tunc futurum ineffabile tormentum, cum ex ipsa sua mala conscientia torquebuntur. Sed hoc totum quam vanum & falsum sit, iam satis est demonstratum. Addit post ista, & dicit: Et ita impiorum omnium Angelorum omniumque corpora supplicia ignis æterni perpessura, vt integritate illorum substantiæ nullo modo peritura, eorum pulchritudine nullo modo defutura, eorum naturali incolumitate permansura, omnibus deinde naturæ bonis ad vniuersitatis ornamentum mirabili ordine fulsurus. Excepta beatitudine qua priuabuntur. Mirandum est minus in his verbis quomodo dicat omnium impiorum & Angelorum & hominum corpora æterni ignis supplicium perpessura: quod superius iam aperte & multipliciter vbique negauit: Quod vtique in hoc loco aut ficte & dolose confessus est, & abominabilis est Deo, qui de fide eius in corde tenet mendacium, Et in ore veri quasi præferre veritatem: sicut scriptum est: Perdes omnes qui loquuntur mendacium, virum sanguinum & dolosum abominabitur Dominus. Aut si vere ipsa rei veritate & timore offensionis Ecclesiæ superatus, ne omnino infidelis iudicaretur, hoc confessus est, vacua est omnino & cassa talis confessio quam superius tanta & tam multiplex præcessit negatio. Nobis autem non licet in rebus ad fidem Dei pertinentibus aliud modo, aliud postea dicere: sed quod semel ex ipso ore Domini & Apost. eius accepit Ecclesia credendum & confitendum ita inuiolabili & immutabili veritate retinere, vt fiat in nobis verissime quod Dominus præcipit dicens: Sit autem sermo vester, est, est: non, non: videlicet vt immobili veritate, & veritas nostra confessione confirmetur, & falsitas nostra confessione respuatur. Ettamen iste quam fideliter de æterni ignis supplicus credat, in sequentibus manifeste aperit: postquam enim dixit: ita impiorum Angelorum hominumque corpora supplicia ignis æterni perpessura vt intelligeremus modum quo id credit esse futurum subiūxit statim: Quod hoc ita fiet vt integritas substantiæ eorum, id est Angelorum & hominum malignorum nullo modo sit peritura, vt pulchritudo eis nullo modo sit defutura, vt naturalis incolumitas sit ipsis permansura Ecce quæ bona eis tribuit in suppliciis ignis æterni: videlicet integritatem naturæ, pulchritudinem, incolumitatem, vt integritatem naturæ suæ habeant, quia tota eorũ natura in anima & corpore perpetuo permanebit: pulchritudinem vero vbi aut quomodo habere possint, fidelis quisque cõsideret: pulchritudo namque aut animæ est aut corporis Quis autem fidelium credat vllam ibi esse pulchritudinem animarum, vbi erit amissio omnium virtutum, & fœditas omnium viriorum? Anima n. aut virtute pulchra est aut vitio deformis: Quæ autem ibi esse possit pulchritudo corporum, vbi æterno horrore tristitiæ, & æterna ignis exustione, æterna vermium laceratione offuscabitur & tenebrabitur. Quæ etiam in damnatis illis Angelis & hominibus, sicut iste dicit, poterit esse naturalis incolumitas, cum natura ad hoc eis integra tãtummodo seruetur, & nunquam à sua naturali compage soluatur, vt plenius

tota sine fine crucietur. Sed iste non contẽtus tanta ineptia & absurditate deprauant sensus sui addit in fine apertissimum hæreticæ impietatis errorem vt quod corde gestabat ad impugnationem veritatis, & subuersionẽ audientium etiam ore euomeret. Addit namq; statim de eisdem dæmonum & hominum damnatorum naturis, quod deinde, id est, post illa æterni ignis supplicia omnibus naturæ bonis mirabili ordine refulgebunt: id est, vt & in anima sint præditi & illustrati naturalibus bonis memoriæ, intelligentiæ, & liberæ voluntatis. Et in corpore clareant atque præpoleant, & quinque naturalium sensuũ viuacitate, & formæ perfectæ pulchritudine. Dicitq; eos propterea exẽptos suppliciis, & exornatos omnes omnibus naturalibus bonis, vt tanta pulchritudine refulgentes proficiant ad vniuersitatis ornatum: videlicet vt inter cæteras mundi creaturas terrestres siue cælestes etiam ipsi permanentes sint in ornamẽto mundi qui fuerant in damnatione supplicij. Et post hæc ne ex toto videretur venire contra Ecclesiæ fidem & Euangelicam atque Apostolicam veritatem subiunxit dicens: excepta beatitudine qua priuabuntur, id est, quod sic fulgebunt omnibus naturalibus bonis & dæmones & homines suppliciis exuti, vt excepta beatitudine visionis Dei quæ eis sola denegabitur nihil boni eis deesse videatur. accè quid audent sentire, quid audet dicere, quid audet etiã scribere, homo qui vult videri Christianus, & nihil aliud laborat nisi vt Christianæ veritati aduersetur, & hæreticorũ dogmata quibus infœliciter coniunctus est sinceritati Ecclesiæ intromittat. Nam Ecclesia Christi vtrumque negat, vtrumq; detestatur, quia vtrũque est hæreticum & omnimodis contrarium veritati, id est, & liberationem dæmonũ atque hominum ex illis suppliciis sempiternis, & aliquem medium locum esse, vbi ita sint ipsi dæmones & homines in requie & bonorum omnium copia & claritate, vt nec in damnatione ignis æterni sint cum diabolo, neque in beatitudine cum Deo. Et omnino certissime tenet neminem esse posse post illud vniuersale iudicium nisi aut in beatitudine æterna, aut è contrario in miseria sempiterna. Qui enim semel fuerunt in illo iudicio vel in pœnam missi, vel in vitæ æternæ gaudiũ intromissi, nunquam vlterius alibi vel aliter esse poterunt. Sicut Dominus certissime ostendit de vtraq; parte, i. & damnatorum qui erunt à sinistris, & beatorum qui erunt à dextris irreuocabilem sententiam proferens cum dicit. Tunc ibunt hi in supplicium æternum, iusti autem in vitã æternam. Si enim erit finis aliquando illi pœnæ æternæ, erit etiam aliquando quod absit, finis vitæ æternæ. Si autem vita æterna nullum omnino habebit finem, procul dubio & pœna illa, id est supplicium æternum, nullum vnquam habere finem poterit Non ergo erunt aliqui, vt iste delirat, ita in medio positi vt nec beati sint nec miseri. Et tamẽ extra domum patris aliquam requiem habituri. Dominus enim dicit manifeste; in domo patris mei multæ sunt mansiones. Ostendens quia extra domum patris sui, id est, extra societatem sanctorum Angelorum & hominum electorum quam ipse maternum inhabitat, nullum esse locum nullam mansionem quietis. Quia omnis illa multitudo & multiplicitas mansionum non est nisi in domo paterna vbi sicut in vno cælo stella ab stella differt in claritate, sic in vna eademq; domo erit diuersitas mãsionum pro diuersitate meritorum. Post hæc addit iste & dicit: superiotis ignis corporei cum inferiotis aëris corporibus qualitate conluctante, naturali vi seruata, infœlicium animarum intentio de corporibus suis æternas patiatur ærumnas. Ecce quomodo credit, si tamen credit, supplicia ignis æterni exercẽda: videlicet quod ignis ille qui est huiusmodi superius elementum corpora dæmonum quæ putat esse aërea, & corpora hominum impiorum quæ superius dixit transitura in aëream qualitatem. Nunc autem aperte dicit aërea sicut & ipsorum dæmonum, dum vtriusque elementi natura, id est, & ignis quem putat esse ignem æternum in suppliciis damnatorum, & aëris quem credit esse in corporibus dæmonũ &

A huminum perditorum in illo damnationis ergastulo inter se conluctantur atque compugnant efficiat infœlicibus animabus & hominum & dæmonum de corporibus suis aëteis æternas pœnarum ærumnas: Quia scilicet etiã in illo camino ignis æterni naturalem vim seruabunt hæc duo elementa ignis & aëris; vt sicut in hoc mundo ardore ignis superioris per calorem solis iste aër qui est inferior ita vaporatur & feruet, vt suo vapore atque feruore corpora nostra grauiter afficiat; ita in illo, vt dictũ est, camino ignis supplicij sempiterni, dum ignis naturali vi inflammat corpora aëtea dæmonum atque hominum ex ipso feruore atque ardore corporum suorum, animæ quæ in eis sunt sentiant & patiantur æternas afflictionis ærumnas. Dicit nunc ipse qui hoc sentit & scribit, quomodo infœlices animæ vtriusque creaturæ B Angelicæ & humanæ aliquando illis suppliciis erũt exceptæ, & omnibus naturæ bonis, sicut ipse dicit, refulsere, si per vim illius ignis corporibus suis aereis atrociter inflammatis æternas patientur ærumnas? Si enim liberabuntur illis suppliciis, carebũt vtique ærumnis: si autem in sempiternis erunt ærumnis, nunquam liberationem merebũtur. Sed exponẽs iste adhuc modũ qualiter illud tam fictum & tam labore cõcinnatum futurũ putet esse supplicium, adiungit & dicit. Ita videlicet, vt idem ipse ignis omnibus corporibus fiat gloria, quo damnandis animabus intrinsecus iniquitate propria, extrinsecus cumulabitur pœna. In quibus verbis hoc videtur asserere quod idem ipse ignis æternus & animabus intrinsecus ex conscientia sua propria iniquitate dãnatis, & exterius earum corpora inflammando & seruefaciendo accumu- C let pœnam, vt scilicet non solùm interius torqueantur conscientia, sed etiam exterius affligantur pœna ignita: Et tamen eorum corporibus aëreis idem ignis quãdam gloriam conferat: putamus quia sicut iste ignis qui lucet in syderibus obscuram & caliginosam huius aëris naturam sua infusione inluminat, suo fulgore lucidam reddit, qui est vtiq; naturaliter tenebrosus, nisi aut in die radiis solis, aut in nocte radiis lunæ & siderum illustretur: ita iste existimat illa aëtea dæmonum & hominum corpora æterni illius ignis fulgore inlustrãda & clarificanda, sicut etiã nigredo ferri calore fornacis in lucidã vertitur qualitatem. quomodo ergo superius dixit Angelorum hominumque corpora aërea supplicia ignis æterni perpessura? Si enim supplicium eis erit ille ignis æternus, non erit vtique gloria: si autem gloria eis fuerit, non erit pœ- D na. Abigentes itaque & procul repellentes huiusmodi tortuosas & vipereas ambages, & anfractus laboriosissimos ac perniciosos, teneamus fidei simplicitatem, vera damnatorum hominum corpora, id est, terrena credẽtes, & in eis vera & æterna supplicia qui in illa fuerunt damnatione passuros: Quia verissimus est sermo veritatis quę in Euangelio dicit; Quia veniet hora quãdo omnes qui in monumentis sunt, audient vocem filij Dei, & procedent qui bona fecerunt in resurrectionem vitæ: qui vero mala egerunt, in resurrectionem iudicij. Ad illam nãque vocem filij Dei omnes qui in monumentis sũt, procedent: quia eadem corpora quæ in monumentis erant posita recipient & in eisdem resurgent, in eisdem habituri vel resurrectionem vitæ, vel resurrectionem iudicij, E vt aut in ipsis possideãt vitam æternam, aut in ipsis mortem patiantur æternam. Bonum est nobis & omnino saluti nostræ necessarium vt in fidei veritate & simplicitate fundati timeamus, & Domino auxiliante caueamus illud malum quod Apost. Eccl. Christo desponsatæ, & casta fidei virginitate præditæ timere se denuntiat dicẽs: Despondi.n. vos vni viro virginem castã exhibere Christo. Timeo ne sicut serpens Euam seduxit astutia sua, ita corrumpantur sensus vestri, & excidant à simplicitate quæ est in Christo. Vnde & alibi admonet dicens: Ineptas autem & aniles fabulas deuita. Et iterum, Prosana autem & maniloquia deuita, multum.n. proficient ad

A impietatem, & sermo eorum, vt cancer serpit Vnde & B. Petrus Apost. eadem pietate, eadem sollicitudine fideles admonet dicens: Vos igitur fratres præscientes custodite vosmetipsos ne insipientium errore traducti excidans à propria firmitate: Crescite vero in gratia & cognitione Domini nostri Iesu Christi & Saluatoris. Non nobis efficiantur ista velut iocosa & ludo similia, quia & ludum Ismaelis cum Isaac persecutionem vocat Apost. Et ideo vbicumque talia agnoscimus, zelo fidei contra hæc excitari debemus. Illo nos informante & adiuuante qui in psalmo dicit: Zelus domus tuæ comedit me: Qui etiam flagello de funiculis facto violatores domus Dei cum suis mercibus eiecit, eo quod eandem domum paternam fecerint speluncam latronum. Vere enim domum Domini, quæ est Ecclesia Dei viui, columna & fir- B mamentum veritatis, in speluncam latronum vertunt, & vere latrones sunt, qui sub prætextu Christiani nominis velut in Ecclesia consti tuti infidelitatem suam occultare conantur; Et insidiosis etiàm ac maliciosis disputationibus vitæ fidelium insidiantur. Et quia iste (cuius verbis auxiliante Domino vtcumque respondimus) in Philosophicis regulis & syllogisticis argumentationibus gloriatur, audiamus in fine fideliter & obedienter beatis. Christi antistitem & confessorem Hilarium ita istiusmodi homines redarguentem atque dicentem: Oportuerat homines religiosam diuinarum rerum scientiam præferentes, vbi Euangelicæ atque Apostolicæ prædicationis veritas præferebat, callidę Philosophiæ tortuosas quæstionas abiicere, & sectari potius fidem quæ in Deo est; C quia sensum infirmum facile fidei suæ præsidio Sophisma Syllogisticæ interrogationis exsueret: cum captiosa propositio responsionem simplicem sibique secundum interrogationem rerum obsecũdantem ad vltimum iam sensus sui interrogatione spoliaret: vt quod professione amisisset id iam conscientia non teneret. Item idem gloriosus Confessor cum verba Apostoli exponeret dicentis: videte ne quis vos spoliet per Philosophiam & inané fallaciam, secundum traditionem hominum, secundum elementa mundi, & non secundum Christum. Cauendum, inquit, aduersus Philosophiam est, & humanarum traditionum non tam euitanda sunt studia quam refutanda Neque enim his ita concedendum est, quasi vincant potius quam fallant: Quia nos Christum Dei virtutem & Dei sapientiam prædicantes æquum est humanas D doctrinas non tam defugere quam refellere; & simpliciores, ne ab his spolientur, & obstruere & instruere. Nã cum possit omnia, & ea ipsa omnia Deus possit sapiẽter, & nec virtuti eius ratio, nec rationi virtus obsistat: oportet eos qui Christum prædicant mundo inreligiosis ouũdi imperfectisque doctrinis per scientiam sapientis omnipotentiæ contraire. Hæc B. Hilarius. Quanta autem pœna & damnatio non solùm auctores, sed etiam fautores mendacij maneat, & quanta pietatis intentione à talibus recedendum sit, vnusquisque fidelium ablutus & mundus fidei puritate mereatur habere consortium in ligno vitæ: Audiamus ipsum Dominum nostrum tam terribiliter quam dulciter in Apocalypsi commonantem pariter & pollicentem: Qui vero possidebit, & ero illi Deus & ille erit mihi filius: Timidis autem & incredulis E & execratis & omnibus mendacibus pars illorum erit in stagno ardenti igni & sulphure, quod est mors secunda. Et iterum, Et portæ eius non claudentur per diem, nox enim non erit illic: Et afferent gloriam & honorem gentium in illam. nec intrabit in eam aliquid coinquinatũ, & faciens abominationem & mẽdacium. Et iterum: Beati qui lauant stolas suas, vt sit potestas eorum in ligno vitæ, & per portas intrent in ciuitatem. Foris canes & venefici, & impudici. & homicidæ, & idolis seruientes. & omnis qui amat & facit mendacium. Ego Iesus misi Angelum meum testificari vobis hæc in Ecclesiis.

FINIS RESPONSIONIS LVGDVNENSIS ECCLESIÆ.

IN NOMINE DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI, INCIPIT *libellus De tribus quibusdam Epistolis venerabilium Episcoporum, quid de earum sensu & assertionibus iuxta Catholicæ veritatis regulam sentiendum sit.*



QVORVNDAM venerabilium virorum, trium videlicet *Episcoporum ad Ecclesiam nostram, id est, Lugdunensem Epistolæ perlatæ sunt:* Ex quibus duæ priores simpliciter & sinceriter de quadam profunda & perplexa quæstione quæ iam per aliquot annos inter plores multa & varia disceptatione vel etiam contentione versatur, de veritate s. diuinæ præscientiæ & prædestinationis, Et quid ipsis videretur aperuisse & exposuisse videtur; Et quid præfata Ecclesia nostra Deo inspirante atque auxiliante de eadem re sentiat, vt eis vere & fideliter respondeatur, attentius flagitare & exigere noscuntur. Quorum vnus qui & in his tribus primus ponitur, etiam cuiusdam miserabilis monachi, qui inquieta & insolenti præsumptione huius quæstionis vel potius scandalis excitator & exagitator extitisse dicitur. Qualiter videlicet in *duobus Episcoporum conciliis & auditus fuerit & iudicatus* atque damnatus, diligenter & breuiter in Epistola sua exposuit atque digessit. Et singulis eius propositionibus quid vel ab ipso vel à cæteris siue tunc obiectum fuerit siue vsque hodie apud eos obiiciatur pariter exsecutus est. (A, B)

Secundus autem etiam quosdam qui aduersus eum scripserint fere sex numero memorauit. Nec tamen aliquem eorum ad rem de qua quæritur sufficienti ratione satisfecisse conquestus est.

Nam tertius non ad Ecclesiam nostram sed ad quendam alium Episcopum specialiter scripsisse, & quid de hac re illi tenendum siue docendum esset, sicut ei visum est, exposuisse & definisse cognoscitur. C

Quæ omnia cum legissemus: & prout Dominus dedit sollicite & fideliter tractassemus, visum omnino nobis est quod & interrogantibus, vt dictum est, venerabilibus viris, & ipsarum opinionum quæ tam laciniosæ & inuolutæ ponuntur necessitate cogente, necnon & simpliciorum & ignorantium fratrum, quos in talium quæstionum incerto fluctuare cognoscimus, perturbatione compulsi nullatenus qualem donare dominus dignatus fuerit, responsionem fidei non ex nostro sensu sed ex scripturarum sanctarum immobili veritate & beatissimorum Ecclesiasticorum patrum fundatissima auctoritate subtrahere debeamus quatenus in quantum Dominus opitulari dignatur, & nobis ipsis ex huiusmodi responsionis studio fidei firmitas augeatur, & aliis qui hæc fortasse legere voluerint, quam fideliter diuina veritas sit seruanda, quam reuerenter & obedienter paterna auctoritas sequenda diligentius & manifestius declaretur. D

Primus igitur qui, vt supra diximus, miserabilis illius Monachi & actum describit & doctrinam redarguit, & damnationem exponit postquam eum dixit vltro sibi prædicatoris nomen assumpsisse atq; ad barbaras & paganas gentes velut Euangelizaturum perrexisse his verbis seriem prædicationis eius exequitur dicens. Aliò prædicationem suam orsus initio quam Ioannes qui dixit: Pœnitentiam agite, appropinquauit enim regnum cælorum: Et quam Paulus qui docuit, per visibilia visibilium & inuisibilium cognoscere creatorem, cœpit prædicare. Quia ante omnia sæcula & antequam quicquam faceret à principio Deus quos voluit prædestinauit ad regnum, & quos voluit prædestinauit ad interitum. Et qui prædestinati sunt ad interitum saluari non possunt: Et qui prædestinati sunt ad regnum perire non possunt: Et Deus non vult omnes homines saluos fieri, sed eos tantum qui saluantur. Et quod dicit Apostolus, qui vult omnes homines saluos fieri, illos dicit omnes qui tantummodo saluantur. Et Christus non venit vt omnes saluaret, nec passus est pro omnibus nisi solummodo pro his qui passionis eius saluantur mysterio. Et postquam primus homo libero arbitrio cecidit, nemo nostrum ad bene agendum, sed tantummodo ad male agendum libero potest vti arbitrio. Et cætera quæ iam de aliis actis eius, non de doctrinæ tenore exsequitur. (E)

Hoc itaq; nobis licet ex parte incredibile videatur, quod videlicet gentibus ignorantibus dominum prædicans prætermittere potuerit, vt non eos primo omnium ad pœnitentiam prouocaret, nec eis inter creaturam & creatorem rationabiliter discernere persuaderet, vt iam non colerent, neq; seruirent creaturæ per idololatriæ errorem, sed potius creatori qui est benedictus in sæcula. Sed quæstiones eis etiam fidelibus & doctis difficillimas de diuinis iudiciis & prædestinationis ac redemptionis mysterio proposuerit. Tamen prætermittentes huius rei tam absurdam & incongruam obiectionem, magis enim credimus inter fideles vel etiam sacerdotes illarum partium talia mouere & proponere potuisse, quibus magnarum & nouarum rerum velut nouus atq; admirandus prædicator existimaretur, quam tantæ eum fatuitatis & stultitiæ extitisse vt imputetur omnium rerum diuinarum penitus ignaris tam importune & præpostere talia ingessisse, quibus apud eos non audiendus, sed penitus ridendus & ab omnium auribus arcendus iudicaretur. De præfatis autem quinque sententiis quas vel prædicasse dicitur, vel etiam in conciliis, vbi audiendus ac diiudicandus admissus est, proposuisse ac defendere ac confirmare voluisse asseritur, quid nostræ pusillitati iuxta rationem veræ fidei diuina inspirante pietate videatur, non præcipiti & inconsiderata festinatione temere aliquid credimus definiendum: sed omni cura pietatis & deuotissimo studio inueniendæ ac tenendæ veritatis fideliter quærendum & pulsandum atq; petendum, vt non humano errore quod nobis videtur, sed quod ipsa veritas ostenderit remota omni animositate & contentione fideliter atq; vnanimiter sequamur. Quod vt, inquantum Deo adiuuante possumus, diligenter & fideliter possit fieri illud primo loco ponendum, & vehementius, prout nunc pusillæ nostræ memoriæ occurrit, credimus commendandum, septem quasdam esse regulas fidei ex diuinarum scripturarum auctoritate euenientes, & à sanctis atq; orthodoxis patribus diligentissime commendatas de præscientia s. & prædestinatione diuina, quas & Catholicus quisque fidelissime tenere debeat, & quicunque his contraria sapit non Catholicè sentire comprobetur.

Harum ergo prima est, vt omnino firmissime ac fidelissime teneamus, quia omnipotens Deus nihil ex tempore præscierit vel prædestinauerit: sed sicut ipse absque vllo initio æternus & incommutabilis est, ita & eius præscientia ac prædestinatio sempiterna atq; incommutabilis sit. Nulla n. Deo noua voluntas, nullum nouum consilium, nulla noua dispositio, nullum nouum iudicium, quasi ex æterno apud ipsum & in ipso non fuerit, sed postmodum esse cœperit. Nihil namq; eius diuinitati est accidens, nihil in eius deitate potest augeri, vel minui, vel mutari. Et ideo quicquid præsciuit æternaliter præsciuit, quicquid prædestinauit procul dubio æternaliter prædestinauit. Ad hanc fidem nos scriptura sancta instruit atque informat dicens: Deus æterne qui occultorum es cognitor, qui nosti omnia antequam fiant. Et ipse omnipotens Deus cum de se ipso testatur & dicit: Ego n. dominus & non mutor. Et hanc prædestinationis suæ æternitatem etiam alio loco per Prophetam ostendit dicens; Ego Dominus locutus

A sum & feci. i. quod nunc per Prophetam locutus sum, longe postea suo tempore facturum in me prædestinationis æternitate iam feci, nec apud me adhuc expectatur futurum, quod in mea immobili dispositione cõstat esse iam factum: vt autem hoc omnipotens Deus diceret per Prophetam præmiserat supra similitudinem duarum arborum in figura scil. duorum populorum. i. Iudæorum & Gentium: Quarũ vnam se dicit ex sublimi humiliasse, & ex viridi siccasse alteram ex humili exaltasse, & ex arida frondentẽ fecisse ita dicẽs Et sciẽt omnia ligna regionis quia ego Dominus humiliaui lignum sublime, &
Ezech.17.24. exaltaui lignum humile. Et siccaui lignũ viride & frõdere feci lignũ aridum. Et continuo subiungens: Ego Dominus locutus sum & feci. Id est, quod nunc sũ per Prophetã locutus, & quod apud homines adhuc sum facturus in æterna prædestinatione iã feci, videlicet vtrumq; B i. misericordiam & iudicium suum, & sicut Apost. dicit, bonitatem & seueritatem suam vtriusque populi vel deiectione vel exaltatione æternaliter prædestinata ostendens, dum illũ iusto iudicio humiliat & arefacit, hũc autẽ gratuita in sæculo exaltat & virere facit. Quid ergo euidẽtius & dilucidius de vtriusq; partis. i. tam electorũ quã reproborũ prædestinatione quæri potest? Cum & vnius per infidelitatẽ ariditas, & alteri' per fidẽ viriditas æterno Dei iudicio in æterna eius prędestinatione declaratur prædestinata. Tale est & apud eũdẽ Ezechielẽ Prophetã quantum ad partem pertinet reproborum, vbi omnium impiarum Gentium & populo Dei inimicarum, i. paganorũ, Iudæorum & hæreticorum, & maxime antichristi, C & eorum qui cum illo Eccl. Dei persecuturi sunt sub figura Gog & Magog æternus prænunciatur interitus: Et statim Propheta subiungit dicens: Ecce venit, & factum
Eze.39.8 est. Ait Dominus Deus. i. quod apud homines tam lõgo post tempore est venturum, & quod tam lõgo post tempore est futurum apud me in æterna prædestinatione nõ adhuc venturum est, sed iam venit: nec adhuc futurum sed iam factum est. Hoc & Psalm. in vtramq. partem & electorum. s. & reproborum. i. æterno Dei iudicio & illos misericordiæ, & istos perditioni prædestinatos ostendẽs
Ps. 102. 17. distincte & manifesta de electis dicit: Misericordia autẽ Domini ab æterno & vsq; in æternum super timẽtes eũ: De reprobis vero: Quoniam qui elõgat se iniquitate pe-
Ps.72. 27 ribunt, perdidisti omnes qui fornicãtur abs te. Id est, qui D elongant se abs te quantum ad ipsos pertinet adhuc suo tempore videlicet extremo iudicio peribunt; quantum autem ad prædestinationem æterni iudicij tui, tu eos iã perdidisti. Hanc immobilitatem consilij & iudicij diuini docet nos Apost. intelligere vbi iuramentum Dei interponitur. Sicut illud est quod de hæredibus fidei Abrahæ ad ipsum Abraham iurasse eum explanat dicẽs: Abrahæ nãque promittens Deus quoniam neminem habuit per quem iuraret maiorem, iurauit per semetipsum dicens:
Gen.16. 10. Nisi benedicens benedicã tibi, & multiplicans multiplicabo te: Et paulo post, in quo abũdãtius, ait, volẽs Deus ostendere pollicitationis hæredibus immobilitatem cõsilij sui, interposuit iusiurandum, vt per duas res quib. impossibile est mentiri Deũ fortissimum solatiũ habeamus, E qui confugimus ad tenẽdam propositam nobis spẽ. Sicut ergo in parte electorum, qui sũt diuinæ pollicitationis & promissionis hæredes, per iusiurãdum voluit Deus ostendere immobilitatem cõsilii sui. i. immutabilem dispositionẽ æternæ prædestinationis suæ iuxta expositionem Apost ita & in parte reproborum vbi interponitur iusiurandum Dei, nihil aliud ostenditur nisi immobilitas atq; immutabilitas æterni cõsilii & prædestinationis eius in damnatione & perditione ipsorum: ostẽdit nãque eos omnipotẽs Deus reprobos eũ de eis dicit: Ipsi vero non cognouerunt vias meas: Ostendit eos immobili consilio suo. i. immutabili prædestinatione iudicii sui æternæ dãnationi & perditioni esse præordinatos cum statim subiũgit, Quib. iuraui in ira mea si introibũt in requiẽ meã. Quod si quis putat de illis tãtum reprobis qui educti ex Ægyp. per Moysẽ, & per xl. annos in deserto semper re-

A belles & increduli extiterũt, quorum etiam cadauera in eodem deserto prostrata sunt, esse intelligendum & non potius in eorũ speciali damnatione & perditione omniũ generaliter reproborum interitũ figuratũ; Audi Apost.
1.Cor.10. 11. terribiliter & veraciter dicentem: Omnia autem hæc in figura cõtingebant illis: scripta sunt autem ad correptionem nostram in quos fines sæculorũ deuenerunt. Et alio
Heb.4.11 loco: Festinemus ergo, inquit, ingredi in illã requiem vt ne in idipsum quis incidat incredulitatis exemplum. Hãc veritatem & immobilitatem diuinæ prædestinationis in qua Deus iudicia sua futura iã fecit; Et B. Proph. Esaias mirabiliter ostendit: Et B. August. veraciter & breuiter exponit dicẽs: Qui. n. certis & immutabilibus causis omnia futura prædestinauit, quicquid facturus est, fecit. Nã B & per Prophetã dictum de illo est: qui fecit quæ futura sunt. vnde etiam alio loco idem doctor verissime de ipso dicit: Neq;. n. sicut hominem, Deum cuiusquam facti sui pœnitet, cuius est de omnib. omnino rebus tam fixa sententia, quam certa præscientia. Vtrumque ergo apud illũ æternũ, vtrumque immutabile est, cum de omnibus omnino rebus tam bonis quam malis quæ fiũt in mundo æternaliter ante mundum & præcognoscendo certa est eius præscientia & iudicando fixa sententia. Hanc immobilitatem præscientiæ & prædestinationis Dei ante tempora manentem, & omnia temporalia ordinantẽ etiam B. Iu-
Iudit.9.4 dith victoriam de Assyriis inimicis populi Dei postulans mirabiliter & breuiter in oratione sua Deo cõfitetur dicens: Tu. n. fecisti priora & illa post illa cogitasti, & hoc factum est quod ipse voluisti: Et tua iudicia in prouiden- C tia tua posuisti: fecisti, inquit, priora & illa post illa cogitasti. Non quod in Deo volubilitas & varietas decedẽtiũ & succedentium cogitationũ credenda sit, sed quia omnia quæ in rebus creatis præcedunt atque succedunt, ille vno & æterno intuitu immutabiliter cernit, incomprehensibiliter cõprehendit. Et tua, inquit, iudicia in prouidẽtia tua posuisti i. iudicia tua quæ exerces in mundo, in prouidentia tua posuisti etiam ante mundũ: Et quicquid temporaliter fieri voluisti, in æterno consilio tuo intemporaliter statuisti. Nouit. n. omnipotens Deus creare noua sine nouitate aliqua voluntatis: Nouit & quiescẽs agere & agens quiescere. Potest ad opus nouum nõ nouũ sed sempiternum adhibere consilium. Et ideo eũ se aliud atq. aliud cogitasse dicit, nõ ipse quod absit mutabilitate D aliqua variatur, sed erga mutabilitatem nostrã diuersis modis immutabilis & non diuerso cõsilio operatur. Vnde & B. Apost. Iacobus de illo dicit: Apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio. Et lib. Eccl. in eius laudibus loquitur dicens: Domino. n. Deo antequam crearentur omnia fuerunt agnita. Similiter & post perfectum respicit omnia: Et iterum. A sæculo & vsque in sæculum respicit, & nihil est mirabile in cõspectu eius. Secũda regula diuinæ præsciẽtiæ & prædestinationis est, nihil omnino esse aut fuisse, aut futurum esse possit in operibus Dei, quæ siue in condendis, siue in regendis, siue in consummandis vel finiendis creaturis agit, quod non ipse in suo æterno cõsilio atq; iudicio & veraciter præsciecit, & immobiliter prædestinauerit. Atque ita omne E quod temporale est intemporaliter sua præsciẽtia & prędestinatione pręcedit: Et omne quod in eius ęterna præscientia & prędestinatione dispositum est, etiam in rebus esse potest. Quicquid vero ibi dispositũ non est, nũquam & nusquam esse potest nihil. n. temere vel fortuito, sed omnia æternæ suæ sapiẽtiæ cũsilio & ratione facit, vnde in eius laudibus verissime dicitur. Omnia in sapiẽtia fe-
Ps. 103. 24. cisti, præcessit n. eius sapientia æternaliter omnia quæ in creaturis facta sunt vel fiunt siue futura sunt tẽporaliter. Verbi gratia, præsciuit esse mundum futurum, præsciuit hominem creandum & prędestinauit se esse creaturum. Pręsciuit humanum genus per hominem primũ lapsum vnigeniti filii sui sanguine redimẽdum & prædestinauit se esse redẽpturum. Redẽptionem. n. misit populo suo: Et veraciter ipsi cantatur. Redemisti in brachio tuo populum, pręsciuit electos suos ad æternum regnum suum esse

esse venturos, præsciuit etiam reprobos in æternũ sopplicium tradendos: Et hoc totum quia plenum est misericordia, plenũ iustitia, prædestinauit se misericordia & iudicio suo esse facturũ: Apud quem est iuxta Epist. æterna bonitas æterna veritas, & cui digne à fidelib. dicitur, Misericordiam & iudiciũ cãtabo tibi domine, vnde cõstat omnino in vtramq; partem electorum, videlicet & reproborum, nisi eorũ vel glorificationem vel damnationem iustissimã præsciẽtia & prædestinatio diuina præcederet, nũquã in eis fieri & adimpleri posset, Sicut nihil omnino in operibus diuinis esse potest, quod non ibi præcesserit. Ad hoc mirabiliter & sublimiter insinuãdum pertinet quod de æterno & vnigenito verbo Dei Euangelista dicit; Quod factũ est in ipso vita erat, i. omne quod à verbo & per verbum Dei factum est temporaliter, iã antequam fieret, æternaliter in eodem verbo Dei vita erat: Quia videlicet ipsum verbum Dei viuens vita est, & viua sapientia & viua ratio, & viuum consiliũ quo omnia suis modis, & suo ordine fieri potuerunt.

Tertia regula diuinæ præscientiæ & prædestinationis est, quia in operib. omnipotẽtis Dei nõ sunt alia *præscita & alia prædestinata*, sed quicquid ibi est præscitũ quia, totũ est bonum & iustum, sine dubio est etiam prædestinatũ: & quicquid est prædestinatum vtiq; est præscitum: quia prædestinatio sine præscientia esse nõ potest. quantum igitur ad ipsa opera diuina pertinet, siue dicãtur præscita, siue dicãtur prædestinata, tãtundem valet, & eandẽ exprimit immobilem firmitatẽ. Inde est quod Apost. quodã loco præscientiam Dei prædestinationem eius intelligi voluit, vbi ait: Non repulit Deus plebẽ suã quã præsciuit, si. n. præscisset tantũmodo & nõ prædestinasset. nequaquã eam plebem suam fecisset, sed quia ita præsciuit vt eam verissime ipsa præsciẽtia prædestinaret, quid est aliod quod eã præsciuit, nisi quia vere & immutabiliter prædestinauit. Sic ergo in preordinatione electorũ ad vitã & in præordinatione reproborũ ad mortẽ, quia vtrumq; iustum opus Dei est, sicut Psalm. testatur dicens, Iustus Dominus in omnib. viis suis & sãctus in omnibus operib. suis, nec præscientia eius sine prædestinatione, nec prædestinatio sine præscientia intelligi potest. quia istud iustum est & rectum opus suũ, & vere præsciuit, & præsciendo iuste prædestinauit.

Quarta regula est eiusdem præscientiæ & prædestinationis quod hæc duo in operibus rationalis creaturæ & distincte & coniuncte intelligi possunt quia. s. eiusdem creaturæ opera alia sũt bona, alia sũt mala: Et quia bona opera ita sũt ipsius creaturę vt sint omnia principaliter & veraciter opera creatoris, qui operatur in ea & velle & perficere pro bona voluntate, rectissime tanquam vere diuina. i. diuinitus inspirata & gesta & præscita & prædestinata debent intelligi. Mala vero opera eiusdẽ creaturæ, quia ipsius tãtũmodo sunt, & ex eius vitio, non ex Dei voluntate vel operatione procedũt, præscita à Deo *dici possunt, prædestinata nõ possunt.* Quia ita est ille certissime præscius omnium futurorũ & bonorũ. s. & malorum, vt nunquã esse possit prædestinator sicut nec auctor malorũ: præsciuit itaq; Deus & prædestinauit rationalis creaturæ suæ omnia bona, sicut Apostolus dicit: Nam quos præsciuit & prædestinauit conformes fieri imaginis filii sui. Et iterum, Sed loquimur Dei sapiẽtiã in mysterio absconditã, quam prædestinauit Deus ante secula in gloriam nostrã. Mala vero opera & mala merita eiusdem creaturæ præsciuit tantummodo nõ prædestinauit: sicut Ps. ex persona humani generis inter labores & pericula vitæ mortalis gementis & ad Deũ redire conantis ipsi omnipotenti Deo humiliter cõfitetur dicens, Intellexisti cogitationes meas de longe, semitam meã & funiculum meũ inuestigasti, & omnes vias meas præuidisti. Quid est. n. omnes vias meas præuidisti, nisi omnes vias meas vtiq; malas, non solũ præsentes vidisti, sed etiam futuras antequã eas ambularem præuidisti? Cui etiam alio loco scriptura dicit. Qui nosti omnia antequam fiant, vtiq; non solum bona, sed etiam mala.

Rom. 8. 1. Cor. 2.

Quinta regula est præsciẽtiæ & prædestinationis, quod A omnipotẽs Deus eadem præscientia & prædestinatione sua ita quosdam malos in sua iniquitate & impietate & præscierit perseueraturos, & ob hoc iuste prædestinauerit perituros, vt ex ipsa certa præsciẽtia & iusta prædestinatione sua nulli necessitatẽ imposuerit vt mal⁹ esset, & aliud esse nõ posset. Hoc. n. si fecisset, quod absit, de eius bonitate sẽtire, ipse esset vtiq; auctor malorũ quæ suæ potestatis violẽtia fieri cõpulisset. Quod quã horrẽdæ sit blasphemiæ dicere vel cogitare, omnis pius & fidelis intelligit, suo ergo vitio impii & iniqui in malis suis pertinaciter perseuerãt, nõ aliquo Dei præiudicio, qui quotidie omnes ad pœnitentiã vocat, & ad salutem inuitat, & cõuersis ad se misericordię suæ sinũ pandit, & incessãter declinari à malis & fieri bona hortatur & admonet dicens. B Declina à malo & fac bonum. Et iterum, quærite bonum & nõ malum vt viuatis, & erit Dominus exercituum vobiscũ sicut dixistis. Et alio loco. Cõuertimini ad me, & cõuertar ad vos, dicit dominus exercituum. Et rursum in Psalmo, Lætetur cor quærentium dominum, quærite dominum & cõfirmamini, quærite faciem eius semper. Vnde & in eius laudem digne canitur, Sperẽt in te omnes qui nouerũt nomen tuum, quoniam non derelinquis quærentes te Domine. Nõ ergo ille tantæ bonitatis & pietatis pater quenquam impellit aut cõpellit ad malum opus agendum vel in malo opere permanendũ, tamen vere constringit & cõpellit iudicio in malis perseuerantes ad iustum supplicium luẽdũ. Et ibi ergo bonus, quia neminẽ vult malum esse: Et hic iustus, quia nullum iniquum & impium permittit C impunitum esse. Nusquam autem malus, qui malorum tãtummodo vltor nunquam auctor existit. Hoc. n. nobis de illo scriptura diligentissime commendat dicens: Nemini mandauit impie agere, & nemini dedit spatiũ peccandi. Et iterũ de his qui putant se Deo impellente peccare. Stultitia, inquit, hominis supplãtat gressus illi⁹, & cõtra dominum feruet animo suo. Et alio loco: Iniquitates suæ capiũt impiũ; & funibus peccatorum suorum cõstringitur. Vnde & Beatus Iacobus Apostolus omnẽ fidelẽ ab hac insania coërcens, & ad verã pietatis scientiã reducens sollicite admonet dicens: Nemo cum tentatur dicat quoniam à Deo tentatur, Deus. n. intentator malorum est, ipse autẽ neminem tentat: vnusquisq; autẽ tentatur à concupiscentia sua abstractus & illectus: deinde concupiscentia cum conceperit parit peccatum; D peccatum vero cum consummatũ fuerit, generat mortẽ. Igitur omnipotens Deus præscientia sua erga reprobos præuidit quod verũ est. Eos, s. non suo impulsu, sed proprio vitio in impietatibus perseueraturos, prædestinatione sua statuit & decreuit quod iustũ est, eosdem videlicet æterno sopplicio perituros. Hæc etenim mala. i. nõ ea quæ ipsi volentes faciunt, sed quę pro malis factis suis nolentes patientur, & prædestinauit. Illis iustitia sua; & omnino illatutus est iudicio suo. Qui verissime talibus cõminatur, dicens; Congregabo super eos mala, & sagittas meas cõplebo in eis. Et iterum: Adducam super eos mala annum visitationis eorum. Reddet. n. omnino Deus, vt B. August. sincerissime & lucidissime mala pro malis quoniam iustus est, & bona pro malis, quoniã bonus est, & bona pro bonis quoniam bonus & iustus E est. Tantummodo mala pro bonis non reddet, quoniã iniustus nõ est. Reddit ergo mala pro malis. pœnã pro iniustitia: Et reddit bona pro malis, gratiam pro iniustitia, & reddit bona pro bonis, gratiam pro gratia. Qui ergo ergo hæc audit, quid habet vnde cõqueratur? Aut quid ei restat nisi vt terrore iusti iudicii Dei quo perseuerantes in malis suis punire decreuit, ipse à malis corrigatur, ne cum illis qui corrigibiles permanẽt, puniatur. Ita timor iusti iudicii Dei erga iniquos & impios puniendos, nemini omnino est noxius, sed illis qui per eum corriguntur verissime probatur esse salubris.

Sexta regula est diuinę præsciẽtię & prędestinationis, vt in diuinis scripturis nequaquã hoc pueraliter quæratur

Notent Caluinistæ.

Ps. 36. 27. Am. 5. 14. Zach. 1. 3. Ps. 104. 3. Ps. 9. 11. Eccl. 15. 21. Deut. 32. 23. Iere. 13. 12.

vel exigatur, vt ibi solummodo intelligatur diuina præscientia & prædestinatio, vbi hæc ipsa nomina præscientiæ & prædestinationis expresse & proprie posita inueniuntur, sicut eo loco vbi Apostolus dicit: nã quos præsciuit & prędestinauit conformes fieri imaginis filii sui. Sed vbicunque res ipsa eiusdem diuinæ præscientiæ & prædestinationis certissime posita legitur præscientiã & prædestinationem ipsam intelligendam esse minime dubitemus: nam si proprietates ipsorum nominum requiramus, nusquam in illis testimoniis propheticis quæ pro ipsius præscientiæ & prædestinationis commendatione in Epist. ad Rom. assonát & proponit Apostolus vel præscientia vel prædestinatio nominatur, & tamen res ipsa in eis tam clare & perspicue demonstratur vt de ea nemini fidelium liceat dubitare.

B Primum namq; ipsorum testimoniorũ est, quia maior seruiet minori. Secundũ, Iacob dilexi, Esau odio habui. Tertium, miserebor cui miserebor, & misericordiã (Exod. 9, 19.) præstabo, cui misericors fuero. Quartũ, dicit.n. scriptura Pharaoni, quia in hoc ipsum excitaui te, vt ostendã in te virtutem meam, & annuncietur nomen meum in vniuersa terra. Et sic in ordine cætera vsq; ad eum locũ vbi ait. conclusit.n. Deus omnia sub peccato, vt omniũ misereatur. In quibus omnibus, vt dictum est, nusquã nomen præsciẽtiæ, nusquam prædestinationis sonat: Et tamen ipsa fidei religione compellimur credere Apost. hæc omnia de præsciẽtia & prædestinatione vtriusque partis tam electorum videlicet, quam reproborũ, illorũ ad salutem, istorum ad damnationem intelligenti; atq; docenti, quæ ille rãta auctoritate & firmitate proponit, C vt quidquid paulo superius ante hæc testimonia de æterno Dei proposito, pręsciẽtia & prędestinatione, vocatione & electione, iustificatione & glorificatione docuerat: Et quod postea de gentium salute & Iudæorum obsecratione cõmemorat, eisdem ipsis testimoniis sufficienter atq; euidenter se demonstrasse & comprobasse credi velit. Tale est & illud quod & ex verbis Apostoli eiusdem B. August. ad comprobandam & commendãdam diuinam Dei gratiam & prædestinationem proponit, dicens: Quod ergo ait Apostolus, ipsius. n. sumus figmentũ, creati in Christo Iesu in operibus bonis, gra- (Eph. 2, 10.) tia est: Quod autẽ sequitur & dicit, quæ præparauit De⁹ vt ambulemus in illis, prędestinatio est. Certe.n. neq, in hoc testimoniu Apostolico nomen gratiæ vel prædestinationis sunat. Et tamen res ipsa gratiæ & prædestinationis ibi manifestissime cõprobatur. D Quæ. n. manifestior res gratiæ quã quod ex nobis nulla bona opera habem⁹; sed ipsius.i. Dei sumus speciale figmẽtũ, creati in Christo Iesu in operibus bonis. Et quæ euidentior res prædestinationis quã quod hæc ipsa bona opera nõ solũ in præsenti per gratiã suã nobis dõnauit, sed etiã in æterna prædestinatione sua præparauit Deus vt in illis ambulemus. Caueamus itaque, vt beatus Hieronymus quodã loco admonet, in scripturis superstitiosã intelligẽtiã: Et hanc Apostolicã auctoritatem quæ nõ nomina sed res ipsas diuinæ præscientiæ & prædestinationis suo exẽplo nobis quærendas & tenendas docuit quãtũ possumus firmissime & fidelissime tã in Euangelicis & Apostolicis, quam etiã in Propheticis dictis sequamur.

E Septima regula est diuinæ præscientię & prædestinationis vt neque de electis Dei vllum perire posse credamus, neque de reprobis aliquem saluari vllatenus existimemus: Non quia nõ possunt homines de malo ad bonum commutari, & de malis & prauis boni ac recti fieri, sed quia in melius mutari noluerunt & in pessimis operibus vsq; in finem perseuerare voluerunt: Nec possunt vllo modo pertinere ad sortem electorum, qui magis elegerunt permanere in malitia iniquitatũ & impietatum suarum. Hoc enim pessimum & nefarium malũ, quod est nolle ad Deum conuerti; neque de malo ad bonum cõmutari, sed secundum duritiam & impœnitentiam cordis sui thesaurizare sibi iram in diem iræ & reuelationis iusti iudicii. Illo in eis æterna sua præscientia verissime præuidit futurum qui omnino falli nõ potest. A Et quia hoc verissime præsciuit, iuste omnino tales perditioni æternæ prædestinauit. Quod ergo non possunt saluari, eorum est vitium quia nolunt, non Dei, quod absit, aliqua iniquitas, qui erga illos & verax sẽper existit in præscientia sua, & iustus in iudicio suo. Licet sit & aliud genus reproborum in innumerabilibus videlicet millibus paruulorum qui nec ætatem nec sensum ad aliquid boni agendum vnquam acceperũt, sed in sola originalis peccati, quæ per vnum hominẽ in mundum intrauit, damnatione perierunt. De quibus quid aliud dicendum nisi quod & in eorũ reprobatione atque interitu omnipotens Deus iustus est: in quibus nõ naturam bene à se conditam, sed culpam male admissam & in eos originaliter transfusam iusta vltione damnauit. Hoc ita est, B hoc est neminem de electis perire posse ipse Dominus ostendit dicens. Oues meæ vocem meam audiunt, & ego cognosco eas & sequuntur me; Et ego vitam æ- (Ioa. 10, 28.) ternam do eis & non peribunt in æternum, & nõ rapiet eas quisquam de manu mea. Pater meus quod dedit mihi mai⁹ omnibus est, & nemo potest rapere de manu Patris & filii. Alio loco appellantur pusilli Dei. De quibus similiter ipse Dominus dicit, sic nõ est volũtas ante patrem vestrum vt pereat vnus de pusillis istis: quibus etiã alio loco ait: Nolite timere pusillus grex, quia compla- (Matt. 18, 14.) cuit patri vestro dare vobis regnum. Et iterum, capillus de capite vestro nõ peribit. Item quod reprobi nõ pro- (Luc. 12, 32.) pter præscientiam & prædestinationem Dei veraciter præscientis & iuste damnantis, sed propter obstinatã & indomabilem malitiam suã nullatenus possint saluari, C idem Dominus ostendit loquens talibus & dicens, sed (Luc. 21, 18.) vos non creditis quia non estis de ouibus meis: Et iterũ, propterea vos nõ auditis quia ex Deo non estis. Similiter & per Prophetam de talibus comminatur dicẽs. In cõcilio populi mei non erunt, & in scriptura domus Israel non scribentur, nec terrã Israel ingredientur, videlicet sicut vere de cœtu electorum eiecti, & de libro vitæ deleti, & de terra viuentiũ penitus alienati: De his & Apostolus consonanter verbis Euangelicis loquitur dicens: Quod si etiam opertum est Euangelium nostrum, in his qui pereũt est opertum, in quibus Deus huius sæculi excæcauit mentes infidelium vt nõ fulgeat inluminatio gloriæ Christi Dei, quibus etiam alio loco dicit: Non enim omnium est fides. Et non omnes obediũt Euangelio. Quia ergo tales sunt, & tales vsque in finem D perdurãt, merito vtiq; & præscientia Dei mali præsci- (Rom. 10, 16.) tĩ sunt, & prædestinatione Dei iuste reprobati atque dãnati: probet ergo seipsum homo vt ex quotidiano profectu siue defectu vitæ suæ vtrũ magis ad societatem electorum, an, quod absit, ad societatem reproborũ propinquare se sentiat, apud se sollicit⁹ perspiciat & inquirat, oretq; fideliter & perseueranter quãtum potest, vt eũ omnipotens Domini misericordia & ab æterna dãnatione eripi, & in electorum suorum iubeat grege numerari quia licet, vt B. Gregorius dicit, obtineri nequaquam possint quæ prædestinata nõ fuerint, ipsa tamen perennis regni prædestinatio ita est ab omnipotente Deo disposita, vt ad hoc electi ex labore perueniãt, quatenus postulando mereantur accipere, quod eis omnipotens Deus ante sæcula disposuit donare. E

Hæc ita esse quæ ita prout Dominus dedit septem titulis distincta atque digesta tã nobis quam cæteris qui legere voluerint iuxta regulam verę fidei de præscientia & prædestinatione diuina, velut regulariter proposuimus agnoscẽda atque tenenda non ex nostro sensu aliquid præsumentes, sed scripturæ sanctæ auctoritatem fideliter atque humiliter sequentes. Hęc inquam ita esse & ita antiquæ Ecclesiæ authoritate & sanctorum patrum fidelissima institutione tenta & tradita, necessarium omnino duximus vt etiam eorundem sanctorum patrum verbis & definitionibus breuiter aperteque propositis ad confirmationem legentium attentius commendare ac declarare studeamus.

In

In libro cuius titulus est, de *Duabus in Christo naturis omnibus fere Ecclesiis notissimo & celebriter cōmēdato*, vbi etiam multorum & Orthodoxorum patrum tam Græcorum quam Latinorum, vel libri integri, vel sententiæ ad ædificationem fidei pertinentes beatiss. s. Athanasii, Ambrosii, Hieron. August. & cæterorum diligenter collectæ atq; digestæ sunt; inseruntur etiam quædam xl. capit. sub vnius libelli textu, qui vel B. August. vel B. Fulgentij gloriosi Antistitis confessoris Christi nomine titulatur, præcipue ad agnitionem & confirmationem fidei pertinētia, in quibus de hac re vnde nunc agitur, i. de diuinæ præsciētiæ & prędestinationis veritate quid firmissime atque indubitanter tenendum sit, ita breuissime ac plenissime legitur definitum. Firmissime, inquit, tene & nullatenus dubites Deo incommutabili non solum præterita & præsentia, sed etiam futura omnia incommutabiliter esse notissima. Cui dicitur, Deus qui occultorum es cognitor, qui scis omnia antequam fiant. Et iterū, firmissime, inquit, tene & nullatenus dubites Trinitatem Deum incōmutabilem rerum omnium atque operū tam suorum humanorum certissimū cognitorē ante omnia sæcula scire quibus per fidem esset gratiam largiturus quàm sine, qua nemo potuit ex initio mundi vsque in finem à reatu peccati tam originalis quam actualis absolui: Quos. n. Deus præsciuit & prædestinauit conformes fieri imaginis filij eius. Et iterum, firmissime, inquit, tene & nullatenus dubites omnes quos vasa misericordię gratuita bonitate Deus facit ante constitutionem mundi in adoptionem filiorum Dei prædestinatos à Deo, neque perire posse aliquem eorū quos Deus prædestinauit ad regnum. Neque quēquam eorum quos Deus non prædestinauit ad vitam vlla posse ratione saluari: prædestinatio. n. illa gratuitæ donationis est præparatio qua nos Apostolus ait prædestinatos in adoptionem filiorum per Iesum Christum in ipsum. Hanc fidei regulam & definitionem certissimam fideliter sequens beatus & sanctus doctor Ecclesiæ Beda presbyter cum exponeret locum illum vbi in lib. Genesis narratur de ereptione Loth ex interitu Sodomorum, & quorundam suorum credentiū & cum eo exire nolētium, & ideo cum cæteris qui in vrbe impia remanserant, iustissime perditorum punitione, ita ait: Quod ostium Loth occluserunt angeli, ne vel ipsum vel aliquem de domo ipsius possent ad perdendum rapere Sodomitæ patēter insinuat, quia nullum de electis Dei perditura est impietas & persecutio reproborum: dicente Domino de ouibus suis: Et ego vitam æternam do eis & non peribunt in æternum, & nō rapiet eas quisquam de manu mea. Quod vero idem Loth facultate ab angelis data nullum de ciuibus perfidis ne de suis quidem cognatis siue amicis tametsi multum conatus potuit ad salutem reuocare, significat quia nullus labor hominis ad numerum prædestinatum qui ante constitutionem mundi electi sunt à Deo vel vnam possit animam adijcere. Nouit. n. Dominus qui sunt eius. Verum & si nostram fragilitatem qui ad electorum sortem pertineant latet, non tamen ab agenda cura nostræ salutis cessandū, non ab instruendis proximis lingua est continenda, sed ad exemplum beati Loth & nobis caste viuendum & errantium quoque correctioni officium pietatis impendendum. Constat. n. quia etsi prædestinatos ad interitum saluare nequimus, nostræ tamen benignitatis quam erga illorum salutem impendimus mercedem non perdimus.

Hanc fidei regulam firmissime ac fidelissime nobis tenendam *beatus Augustinus* ita breuiter & diligēter commendat in libris de ciuitate Dei ita dicēs: Humanum, inquit, genus in duo genera distribuimus: vnū eorum qui secūdum hominem, alterum eorum qui secundū Deum viuunt, quas etiā mystice appellamus ciuitates duas, hoc est duas societates hominum, quarum est vna quæ prædestinata est in æternū regnare cum Deo: altera æternū supplicium subire cum diabolo. Et post pauca: Ab exortu duarum ciuitatum, i. statum, i. ciuitatis Dei, & ciuitatis

A diaboli diligentius disputans ita dicit: Natus est igitur prior Cain ex illis duobus humani generis parentibus pertinens ad hominum ciuitatem: Posterior Abel ad ciuitatem Dei. Prior est natus ciuis huius sæculi: posterior autem isto peregrinus in sæculo & pertinēs ad ciuitatem Dei. Gratia prædestinatus, gratia electus, gratia peregrinus deorsum, gratia ciuis sursum. Nam quantum ad ipsum attinet, ex eadem massa oritur, quæ originaliter est tota damnata: sed tanquam figulus Deus: hanc. n. similitudinem non impudenter sed prudēter introducit Apostolus. Ex eadem massa fecit aliud vas in honorem, aliud in contumeliam. Prius autem factum est vas in contumeliam, post vero alterum in honorem. Quia & in ipso vno homine, sicut dixit Apostolus, non primum quod

B spirituale est, sed quod animale, deinde quod spirituale, &c. Item in libro Enchyridiō quem ad Laurentium Ecclesiæ Romanæ Archidiaconum scripsit, de eadem re ita loquitur: Cū Angelica, ait, & humana creatura peccasset, i. non quod Deus, sed quod ipsa voluit fecisset, etiam per eandem creaturæ voluntatem qua factum est quod creator noluit, impleuit ipse quod voluit, bene vtens & malis tanquam summe bonis ad eorum damnationem quos iuste prædestinauit ad pœnam, & ad eorum salutem quos benigne prædestinauit ad gratiam.

Hæc pauca ex præfati beatissimi doctoris duobus libris posuimus, quos eū non solum Catholice & veridice scripsisse, sed etiam diligenter & fideliter retractasse, qui libros retractationum eius attentius legit, euidenter agnoscit; vt quia iam eius authoritas de hac re, i. de diuina

C in vtramque partem prædestinatione, & electorum videlicet ad gloriam & reproborum ad pœnam à nōnullis publice contemnitur & conculcatur ita vt quia seipse in quibusdam scriptis suis pie atque humiliter reprehendit & corrigit, putent se, vbi eis visum fuerit, licenter eum posse reprehendere: Et quod ille fecit ad exemplum humilitans, ipsi vsurpare non erubescant ad tumorem præsumptionis: Ex his saltem libris agnoscant quia hoc verbum diuinæ prædestinationis in parte reproborum positum, quia verissime & rectissime diuino iudicio prædestinati *dicūtur non ad culpam vtique sed ad pœnam, nec ad malū opus quod ipsi volētes agunt, sed ad malū quod in æternis suppliciis inuiti patientur*, nec ipse in suis dictis reprehenderit, nec ab vllis Catholice & sane sentientibus reprehensum sit. Et ideo etiam moderno tempore, à nobis

D qui tantæ imperitiæ & infirmitatis sumus, nequaquam reprehendendū vel reijciendum debuit iudicari, sed potius diligenti & humili pietate perscrutari & intelligi. Et si qui sunt qui ex hoc scandalizari videantur tāquam per istud prædestinationis verbum necessitas male agendi cuiquam imposita esse significetur, instruendi potius fuerunt & breuiter ac lucide docendi quod Deus neminem prædestinauerit ad peccatum, sed ad luendum supplicium pro peccato. Nec iste prædestinatione aliquem cogat ad male agendū, sed potius declaret iudicem iustum, qui & peccata fieri noluit, & facta iuste se punitturū esse præsciuit, iuste se puniturum esse prædestinauit. Hac namque prędestinatione non opus hominis malū, sed iustum hominis prædestinauit supplicium. Hunc sensum beati

E Augustini verum atque Catholicum quod Deum operis sui futuri, i. iudicij sui de malis & in malis exercendi semper fuisse præscium, semper fuisse prædestinatorē iustum fideliter commendat beatus Fulgentius, vt supra memorauimus illius temporis vicinus, & tempore Vandalicæ persecutionis apud Africam inter cæteros Christi sacerdotes confessor inclytus interrogatus à quodam pio & religioso viro non spreuit, non respuit, sed potius diligenter exposuit & confirmauit dicens, nihil aliud accipiendum ex sermo in illo sancti Augustini sermone, quo ad interitum quosdam prædestinatos affirmat *nisi ad interitū supplicij non debiti, neque ad malum quod iniuste admittunt sed ad cruciatū quod iuste patiuntur: nec ad peccatū sed ad tormentum quod illis propria iniquitas male parit & æquitas diuina bene retribuit*: Nec ad mortem secun-

A dari. Quod enim ante gehennam mali peccando pereunt, non est diuini operis sed humani. Quod autem in gehenna perituri sunt, hoc facit Dei æquitas cui nulla placet peccantis iniquitas. Hoc itaque prædestinauit Deus, quod erat ipse facturus, illud vero nullatenus prædestinauit, quod facturus ipse non fuit. Mala quippe voluntas non pertinet ad optimum creatorem: iusta vero iniustorum damnatio pertinet ad æquissimum cognitorem, prædestinauit itaque Deus iniquos & impios ad supplicium iustum, non ad aliquod opus iniustum: Ad pœnam, non ad culpam. Ad punitionem, non ad transgressionem: ad interitum quem ira iusti iudicis peccantibus reddidit, non ad interitum quo in se iram Dei peccantium iniquitas prouocauit. Huc vsque beatus Fulgentius.

B Sap. Beatus etiam Leo de huius diuinæ præscientiæ & prædestinationis veritate, id est sempiternarum dispositionum incommutabili ordine, sic docet: Cum omnia quæ in Domino maiestatis Iudaica admisit impietas, tanto ante prædicta sint, vt non tam de futuris quam de præteritis Propheticus sit sermo contextus, quid aliud nobis quam sempiternarum dispositionum Dei incommutabilis ordo referatur? Apud quem discernenda iam, diiudicata, & futura iam facta sunt. Cum enim & qualitates actionum nostrarum & effectus omnium voluntatum scientia diuina præueniat, quanto magis nota sunt Deo opera sua? Et recte placuit quasi facta recoli, quæ non poterant omnino non fieri. Beatus quoque Gregorius exponens illa verba Apostoli, id est, quæ sit longitudo Cap. & latitudo & sublimitas & profundum, Ita de prædestinatione reproborum ad interitum breuiter & aperte dicit: inest Deo etiam profundum, quo damnandos inferios iusta æquitate disponens præordinat. Item de eadem re alio loco sic dicit: Ad læuam quoque dilatatur Ecclesia, dum ad se quosdam in iniquitate permansuros admittit. Propter hanc multitudinem quæ extra electorum numerum iacet in Euangelio Dominus dicit: Multi vocati, pauci autem electi. Alio quoque loco vim supernæ dispositionis incommutabilem esse demonstrans ita ait: Vitari enim vis superni consilij nequaquam potest, sed magna sibi virtute hanc temperat qui se sub eius nutibus refrenat: Eiusque sibi pondera leuigat, qui hanc subiecto cordis humero volens portat. Item alibi de eadē re, sicut nemo obsistit largitati Dei vocantis, ita nullus obuiat iustitiæ relinquentis: Et iterum de impiis iam præiudicatis: Qui vero nec fidei sacramenta tenuerunt, increpationem iudicis in extrema examinatione non audiunt: quia præiudicati infidelitatis suæ tenebris, eius quem despexerunt inuectione redargui non merentur. Item de prædestinatione perditionis reproborum, omnipotens, inquit, Dei iustitia futurorum præscia ab ipsa mundi origine gehennæ ignem creauit, qui in pœnam reproborum esse semel inciperet, sed ardorem suum etiam sine lignis numquam finiret. Alibi quoque de ipso impiorum & reproborum atque æterno interitu damnatorum capite, id est, Antichristi iam eum damnatum esse contestans, ita dicit, ille damnatus homo quem in fine mundi Apostata Angelus assumit ad prædicandum falsitatem suam, astutos ac duplices atque huiusmodi scientiam habentes electurus est. Et alio loco: terra cui væ dicitur ille principaliter damnatus homo est, qui alarum cymbalum vocatur: Quia qui per superbiam multitudinem cogitationis euolant, eundem peruersum hominem prædicando sonant. Et paulo post: Terra inquit, cui væ dicitur, trans flumina Æthiopiæ esse perhibetur: Quia damnatus ille homo tanta immensitate iniquus est, vt omnium peccantium peccata transcendat. Ecce beatissimi patres Ecclesiæ vno sensu, vno ore, quia & vno spiritu diuinæ præscientiæ & prædestinationis immobilem veritatē in vtraque parte electorum scilicet & reproborum prædicant & commendant: Electorum vtiq; ad gloriā, reproborum vero nō ad culpam sed ad pœnam: Et in his non temporaliū, neque ex aliquo tēpore inchoantium,

sed sempiternarum dispositionum Dei immutabilē ordinem nobis demonstrari confirmant, nec aliquem electorum posse perire, nec vllum reproborum propter duritiam & impœnitentiam cordis sui posse saluari. Hoc & diuinarum scripturarum veritas, & sanctorum atque orthodoxorum patrum auctoritas consonāter annunciāt, indubitanter nobis credendum & tenendum inculcant. Quapropter & si illius miserabilis monachi improbatur leuitas, improbatur temeritas, culpatur importuna loquacitas, non ideo diuina negāda est veritas. Quia iuxta præmissam Catholicæ fidei rationem omnipotens Deus ante constitutionem mundi, antequam quicquam faceret à principio certis & iustis atque immutabilibus causis æterni consilij sui quosdā prædestinauerit ad regnum gratuita bonitate sua, ex quibus nemo sit periturus protegente misericordia sua, & quosdam prædestinauerit ad interitum iusto iudicio suo propter *meritum quod præsciuit impietatis eorum*: Ex quibus nemo possit saluari, non propter violentiam aliquam diuinæ potestatis: sed propter indomabilem & perseuerantem nequitiam propriæ iniquitatis. Quid ergo restat, nisi vt si aliquid aliter sapimus, hoc nobis Deo reuelante humiliter abnuamus, & clarescentem veritatem fideliter amplectamur: quia, vt Apostolus docet non debemus posse aliquid aduersus veritatem; sed pro veritate.

Sequitur in iam dicta Epistola præfatum monachum dixisse atque docuisse, quod Deus nō vult omnes homines saluos fieri, sed eos tantum qui saluātur: Et quod dicit Apostolus, qui vult omnes homines saluos fieri, illos C dici omnes qui tantum saluantur.

Hæc autem quæstio valde perplexa, & in sanctorum patrum scriptis multum versata & multipliciter exposita, non nobis videtur præcipitāter definienda, sed cautissime & fidelissime perscrutanda atque pertractāda, & ex aliis videlicet scripturæ sanctę manifestioribus locis, quibus eius obscuritas illustretur, & ex paternæ, vt dictum est, auctoritatis expositionibus, & ex ipsa fidei ratione.

Primo itaque hoc dicendum quod firmissime sit credendum & nullatenus dubitandum quod Apostolus Christo in se loquēte testatur & prædicat dicens, de Deo qui vult omnes homines saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire: Et tamen manifestum est non omnes saluari, cum ipsa veritas dicat discernens inter eos qui D saluantur, & qui condemnantur: Qui crediderit & baptizatus erit, saluus erit: Qui vero non crediderit condemnabitur. Mat. 16. 16. Neque omnes ad agnitionem veritatis venire, nisi eos solos qui mysterium Dei patris & vnigeniti filij eius & qui agnouerint per fidē, & in futuro videre meruerint per speciem: sicut eadem veritas ad patrem dicit: vt omne quod dedisti ei, det eis vitam æternam: Hæc est Ioan. 17. autem vita æterna, vt cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti Iesum Christum. Quomodo ergo omnipotēs Deus & omnes homines saluos fieri vult, atque ad agnitionem veritatis venire, & tamen non omnes saluantur, nec veniunt ad hanc agnitionem, cum alibi scriptura dicat, omnia quæcunque voluit Dominus fecit: Cur itaque hoc voluit & nō fecit, qui omnia quæcumque voluit fecit. Hunc obscurissimum & difficillimum E locum, inquātum nostræ pusillitatis memoriæ occurrit, quatuor modis in scriptis Catholicorum patrum inuenimus explanatum, videlicet vt vel ita intelligamus dictum, qui vult omnes homines saluos fieri, vt omnes homines omnia hominum genera accipiamus, id est Iudæorum & Gentium: liberorum & seruorum: virorum & mulierum: diuitum & pauperum: nobilium & ignobilium: & quæcumque huiusmodi. Ex omni enim genere hominum saluat, & ad agnitionem veritatis perducit per Dominum Iesum Christum qui in Euāgelio dicit: Simile est regnum cælorum sagenæ missæ in mare, & ex omni genere piscium congreganti. Isto namq; locutionis modo ipse Dominus in Euangelio dicit: Et ego si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me: Quomodo enim per passionem crucis in qua exaltatus est omnia traxit ad se,

qui

qui alibi dicit. Nemo poteſt venire ad ıo e, niſi pater qui
miſit me, traxerit eum. Quod itaque de ſolis fidelibus
intelligendum eſt: ſed omnia ad trahit, qui ex omni,
vt dictum eſt, genete hominum Eccleſiam ſuam colligit
& perficit, ſicut etiam illud ab Apoſtolo dictum eſt coo-
cluſit enim Deus omnia in incredulitate vt omnium
miſereatur, quomodo enim omnium miſeretur æter-
na illa miſeratione, qua electos ſuos coronat miſericor-
dia, & miſerationibus, qui occulta diſpoſitione iudicij
ſui cuius vult miſeretur, & quẽ vult indurat, niſi quia, vt
dictum eſt, omni hominum generi miſeretur: Quod in
duobus populis Iudæorum ſcilicet & gentium contine-
tur. De quibus vt hoc diceret ſupra loquebatur Apo-
ſtolus. Aut ita accipiamus dictum, qui vult omnes ho-
mines ſaluos fieri, vt illos ſolos ſaluari intelligamus,
quos ipſe ſaluare voluerit, id eſt, non quod omnes
ſaluentur, ſed quod nemo niſi miſerationis eius volun-
tate ſaluetur: de quo Pſalmiſta dicit: ſaluum me fecit
quoniam voluit me: Et iterum: & vita in voluntate eius.
Iſte enim loquutionis modus in verbis Apoſtoli etiam
aliis locis inuenitur ſicut eſt illud: ſicut per vnius homi-
nis delictum in omnes homines in condemnationem:
ita & per vnius hominis iuſtitiam, in omnes homines in
iuſtificationem vitæ: Quomodo enim per vnius homi-
nis iuſtitiam, id eſt Chriſti, in omnes homines in iuſtifi-
cationem vitæ? cum manifeſtiſſime oon omnes homi-
oes per iuſtitiam Chriſti iuſtificentur, & viuificentur
in Chriſto: Et tamen veriſſime dixit Apoſtolus, per
vnius hominis iuſtitiam in omnes homines in iuſtifica-
tionem vitæ: Non quia nullus hominum eſt qui per
illius iuſtitiam non iuſtificetur: ſed quia præter eius iu-
ſtitiam nemo iuſtificatur. Omnes ergo per primum
Adam in condemnationem, & omnes per nouiſſimum
Adam in iuſtificationem: Quia nemo in condemna-
tione niſi per illum: Nemo in iuſtificatione niſi per
iſtum. Tali ſenſu & illud accipiendum eſt: Sicut in
Adam omoes moriuntur, ita & in Chriſto omnes viui-
ficabuntur. Quod vtique de futura reſurrectione dixit
Apoſtolus. Nunquid enim tunc viuificabuntur in Chri-
ſto, qui numquam crediderunt in Chriſtum? qui num-
quam fuerunt in Chriſto? qui numquam vixerunt nec
mortui ſunt io Chriſto? Et ideo nullatenus pertinent
ad Chriſtum, vt in illo accipiant reſurrectionem vitæ
quam Dominus fidelibus promittit dicens: Qui bona
fecerunt, in reſurrectionem vitæ, & ideo ad eorum perti-
nent ſortem, de quibus ſtatim ſubiungit. Qui vero mala
egeruot, in reſurrectionẽ iudicij: Et tamen vere in Adam
omoes moriuntur: quia nemo in mortem niſi per illum.
Et vere in Chriſto omnes viuificabuntur: Quia nemo in
illa reſurrectione vitæ niſi per ipſum. Quo etiam ſenſu
manifeſtiſſime illud in Pſalmo dictum eſt. Alleuat Do-
minus omnes qui corruunt, & erigit omoes eliſos. Ne-
que enim omnes omnino qui in diuerſis criminibus &
vitiis corruunt & eliduntur, Dominus miſerendo atque
indulgendo à lapſu ruinæ ſuæ alleuat & erigit, cum tan-
tos in eiſdem ſuis criminibus & iniquitatibus perire cer-
tum ſit: Et tamen vere ipſe omnes corruentes & omoes
eliſos alleuat atque erigit, quia vel ex omni genere pec-
cantium ſiue criminoſorum quos voluerit ſaluat: vel
quia niſi per illum nemo proſtratus erigitur aut alleua-
tur, dum non ſuis viribus, ſed Dei miſeratiooe cooſur-
git. ſicut ergo in his Pſalmi verbis de opere miſericor-
diæ Dei: ita & in illa Apoſtolica ſententia quæ de ipſo
dictum eſt, qui vult omnes homines ſaluos fieri, rectiſſi-
me intelligitur de voluntate bonitatis Dei: Vel certe
ita intelligatur qui vult omnes homines ſaluos fieri, quia
hoc ſanctos ſuos per ſpiritum ſuum velle facit, id eſt
velle eis inſpirat, vt omnes homines ſicut ſeipſos ſaluos
fieri optent: ſicut & de Spiritu ſancto intelligendum eſt,
quod idem dicit Apoſtolus: ſed ipſe ſpiritus poſtulat pro
nobis gemitibus inenarrabilibus. Qui autem ſcrutatur
corda, ſcit quid deſideret ſpiritus, quia ſecundum Deum
poſtulat pro ſanctis. Poſtulat namque ſpiritu, quia vt

A beatus Gregorius exponit ad poſtulandum eos, quos
repleuerit inflammat. Ergemit atque deſiderat ſpiri-
ritus, quia ſanctos in orationibus gementes & deſide-
rantes facit: iuxta hunc itaque ſenſum Deus vult omnes
homines ſaluos fieri, quia, vt dictum eſt, ipſe ſanctis ſuis
inſpirat, vt hoc velint ipſe eos ita volentes facit, ſicut in-
ſpirauerat beato Apoſtolo qui dicebat: Volo autem om-
nes homines eſſe ſicut meipſum. Et alibi cum coram
Rege Agrippa & principibus teſtimonium Chriſti mira
libertate & conſtantia prædicaret dicente ſibi eodem re-
ge, in modico ſuades me Chriſtianum fieri, continuò
plenus deſiderio ſalutis omnium reſpondit: opto apud
Deum & in modico & in magno oon ſolum me, ſed &
omnes qui me audiunt hodie tales fieri qualis ego ſum,
exceptis malis iſtis. Quarto autem modo ita à ſanctis
B patribus intellectum iouenitur quod dictum eſt, qui
vult omnes homines ſaluos fieri, vt ſimpliciter accipia-
tur hoc de omnibus hominibus quantum in ipſo eſt,
Deum velle, eo quod omnes ſaluari velit bonitate crea-
toris: ſed quia liberi arbitrij eos condidit, expectet vt
hoc etiam ipſi velint: & ſi voluerint, iuſte ſaluentur: ſi
noluerint iuſte puniantur, ſed huic ſenſui imprimis il-
lud videtur eſſe contrarium quomodo omnipotẽs Deus
eorum, quos vult ſaluos fieri expectet voluntatem, vt &
ipſi ſcilicet propria arbitrij libertate ſalui eſſe velint,
cum velle fideliter ſaluum fieri ſit per redemptionem
Domini Ieſu Chriſti. Quia (ſicut beatus Petrus Apoſto-
lus docet, non eſt in vllo alio ſalus, & non eſt aliud no-
men ſub cælo datum hominibus in quo oporteat nos
C ſaluos fieri) nemo omnino poſſit, niſi in eo Deus opere-
tur & velle & poſſe: ſicut Apoſtolus teſtatur dicẽs: Deus
eſt enim qui operatur in vobis & velle & perficere pro
bona voluntate, ſicut manifeſtiſſime Apoſtolicæ doctri-
næ veritas docet, vt quid Deus expectat eorũ quos vult
ſaluos fieri voluntatem, vt ipſi libero arbitrio incipiant
velle ſaluari, & tunc diuina bonitate ſaluentur vt ini-
tium ſalutis eorum ſit ex ipſis, perfectio autem eiuſdem
ſalutis ſit ex Deo. Et vbi erit quod idem Apoſtolus di-
cit: Aut quis prior dedit illi & retribuetur ei? Aut quo-
modo in tali ſenſu Pelagianus error non habet victoriã,
qui ſalutem hominis oon ex Dei dono, ſed ex libero ho-
minis arbitrio eſſe confirmat. Quod ſi falſum eſt, ſicut
omnino falſum eſſe conuincitur, quid cauſæ eſt vt Deus
qui omnes homines vult ſaluos fieri, non omnes homi-
D nes ſaluet? Voluntatem eorum noo expectat, quia vo-
lũtatem veræ ſalutis ſuæ nemo habere poteſt niſi per il-
lũ. An quod vult nõ poteſt omnipotẽs? vt (quod abſit)
velit ſaluare omnes homines, & nõ poſſit. Quid ergo re-
ſtat, niſi vt ille qui omnia quæcumque voluit fecit, ideo
hoc non faciat quia noluit non quia non poſſit: Quia ſi-
cut vere omnia quæ voluit fecit ita vere noluit quæ non
fecit. Cur ergo noluit? niſi quia in hac re ſicut iuſtum
ita & occultum eſt iudicium eius cui Pſalmiſta dicit, iu-
dicia tua abyſſus multa. Et de quo Apoſtolus dicit: quis
enim cognouit ſenſum Domini, aut quis conſiliarius
eius fuit? Et iterum, numquid iniquitas apud Deum?
Abſit. Quos ergo voluit ſaluare, ſaluauit, quia omnia
E quæcumque voluit fecit; Quos autem ſaluare noluit,
vbi, niſi in illa ex Adam veniente maſſa damnationis,
reliquit? Ita fit etiam ſi ſecundum pium quorundam
patrum piorum ſenſum Deus omnes homines vult
ſaluos fieri bonitate creatoris, qua creaturam ſuam
bene à ſe conditam perire non vult, id ipſum iterum
non vult iudicis æquitate, qua eandem creaturam
ſuam vel originali vel etiam actuali peccato nequiter
inquinatam & vitiatam impunitam eſſe non ſinit. In
tantum enim neminem vult perire, nec voluntas eius
alicui cauſa perditionis exiſtit, vt per Prophetam etiam
iuret & dicat: Viuo ego dicit Dominus, quia nolo
mortem impij, ſed vt reuertatur à via ſua impia &
viuat: Et tamen ipſe qui non vult mortem impij, per-
ſeuerantem in impietate ſua impium procul dubio pu-
nit. Ita in vno atque eodem homine & bonitatem &

A seueritatem suam ostendens, bonitatem, qua non vult eum perire: seueritatem qua perseuerantem in iniquitate non vult impunitum relinquere, si ergo hoc quod de vno homine diximus, de vniuerso genere hominum pereuntium similiter intelligatur, potest forsitan non absurde dici, quod Deus omnes homines velit saluos fieri bonitate creatoris: Et tamen eos quos indignos salute iudicauerit, iusta iudicis seueritate non saluet. Nam & in vno homine, vt iam dictum est, vtrumque fieri posse ostendit Apostolus dicens: Vide ergo bonitatem & seueritatem Dei: in illis quidem qui ceciderunt seueritatem: In te autem bonitatem si permanseris in bonitate alioquin & tu excideris: Quod est aperte seueritatem denunciare illi qui non permanserit in bonitate. In tribus itaque prioribus modis intelligentiæ eorum verbo-

B rum quibus de Deo dicitur, qui vult omnes homines saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, nulla absurditas, nulla repugnantia fidei inuenitur: Quia siue omnes homines quos Deus vult saluos fieri omnia genera hominum accipiantur: siue omnes homines saluos fieri Deum velle ita intelligatur: quia omnes qui saluantur non nisi eius voluntate saluantur: siue eo modo dictum credatur: omnes homines Deum velle saluos fieri: quia in sanctis suis ipse hoc vult, qui eis talem voluntatem inspirat, vt omnes homines velint saluos fieri sicut seipsos: in his, inquam, nominibus & vera omnino & salubris intelligentia est. In quarto autem modo illud sine dubio cauendum, quia & occasionem Pela-

C gianæ prauitati præbet, quod Deum vt saluet homines humanas expectare asserit voluntates. Contra quem errorem ita in antiquis patrum concilijs legitur definitum si quis vt à peccato purgemur, voluntatem nostram Deum expectare contendit: Non autem vt etiam purgari velimus per sancti Spiritus infusionem & operationem in nobis fieri confitetur, resistit ipsi Spiritui sancto per Salomonem dicenti: præparatur voluntas à Domino: & Apostolo salubriter prædicanti Deus est qui operatur in nobis, & velle & perficere pro bona voluntate. (Philip 2.13) Quod autem ibi simpliciter intelligitur Deum omnes homines velle saluos fieri bonitate scilicet creatoris, ita vt putamus fideliter potest recipi, si hanc voluntatem bonitatis suæ erga salutem hominum non credatur, humana obsistente voluntate implere non posse,

D sed obsistente humana iniquitate implere nolle. Quæ omnia cum tam obscura sint & tam profunda atque perplexa, nollemus inter fratres & charissimos nostros aliquid de his contentiose ventilari vel temere definiri, sed potius quod in eis certum est sine dubitatione defendi. Quod autem etiam inter magnos diuerso modo sed non diuersa pietate sentientes ambiguum atque incertum remansit, etiam apud nos & reuerenter honorari, quia neutrum eorum videtur esse falsum vel fidei contrarium: Et magis in talibus inquietos & contentiosos ad tranquillitatis & sobrietatis modestiam prouocari, qua pro inusitatis & minus elucentibus rebus aliquem in moderata austeritate ac seueritate damnari.

E Adiungitur post hæc in præfata Epistola quod prædicauerit ille miserabilis monachus, quia Christus non venit vt omnes saluaret, nec passus est pro omnibus, nisi solummodo pro his qui passionis eius saluantur mysterio, sed & de hac quæstione nihil confuse & inconsiderate dici vel definiri vellemus, habet enim & ipsa profunditatem & difficultatem suam, non nostra præsumptione, sed scripturarum sanctarum veritate & Orthodoxorum patrum auctoritate diligentius perscrutandam, & in quantum Dominus aperire dignatur, fideliter intelligendam. Nos enim firmissime tenemus, nec vllatenus dubitamus iuxta Euangelicam & Apostolicam fidem Dominum nostrum Iesum Christum, pastorem bonum animã suam posuisse pro ouibus suis; sicut ipse dicit: Ego sum pastor bonus, bonus pastor animam suam dat pro ouibus. (Ioan 10. 14.) Et iterum: sicut nouit me

A pater, & ego agnosco patrem: Et animam meam pono pro ouibus meis. De quibus ouibus alibi dicitur: Sicut filius hominis non venit ministrari sed ministrare & dare animam suam in redemptionem pro multis: Et hic est calix sanguinis mei noui testamenti qui pro vobis, & pro multis effunditur in remissionem peccatorum. Vnde & Apostolus dicit: Sic & Christus semel oblatus est ad multorum exhaurienda peccata. (Hebr. 9. 28) Et qui isti sunt diligentissime commendauit dicens: & ambulate in dilectione sicut & Christus dilexit nos, & tradidit semetipsum pro nobis oblationem, & hostiam Deo in odorem suauitatis. (Ephes 5.) Et alibi: Quanto magis sanguis Christi, qui per Spiritum sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo, emundauit conscientiam vestram (Hebr. 9.)

B ab operibus mortuis ad seruiendum Deo viuenti. Et iterum, qui dedit semetipsum pro nobis, vt nos redimeret ab omni iniquitate, & mundaret sibi populum acceptabilem sectatorem bonorum operum. (Tit. 2. 14.) Et alio loco: Qui factus est, in nobis, inquit, sapientia à Deo, & iustitia & sanctificatio & redemptio. Hoc & in Psalmis similiter est prænunciatum, vbi canitur: Redemptionem misit Dominus populo suo: Et, redemisti in brachio tuo populum tuum. Et iterum: Quia apud Dominum misericordia & copiosa apud eum redemptio: Et ipse redimet Israel ex omnibus iniquitatibus eius. Hoc nobis & sacratissimum nomen eius commendat, & Angelus docet dicens: Et vocabis nomen eius Iesum, ipse enim saluum faciet populum suum à peccatis eorum. (Matth. 1. 21)

C Pro his namque & ipse Dominus se in patibulo crucis exaltatum testatur dicens: Et sicut Moyses exaltauit serpentem in deserto, ita exaltari oportet filium hominis, vt omnis qui credit in ipsum non pereat, sed habeat vitam æternam: (Ioan 3. 14) vbi & statim subiunxit. Sic enim & Deus dilexit mundum vt filium suum vnigenitum daret. Et quis iste sit mundus quem Deus dilexit, & pro quo vnigenitum suum dedit continuo exponens adiunxit, vt omnis qui credit in ipsum non pereat, sed habeat vitam æternam: sic enim & ibi intelligendus est mundus Deo dilectus, & per vnigenitum eius redemptus, vti beatus Ioannes Apostolus dicit: Et ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantum, sed & pro totius mundi. (Ioan. 1. 2.) Et vbi beatus Apostolus dicit: Deus erat in Christo mundum reconcilians si-

D bi, non reputans illis delicta ipsorum. Est namque mundus in infidelibus inimicus Deo, nec reconcilians Deo. De quo scriptum est: Et mundus eum non cognouit. (S. Ioan 5. 16.) Et iterum: Et mundus totus in maligno positus est. Totus ergo mundus in salute, & totus in incredulitate; Totus in reconciliatione, & totus in inimicitijs; quia & ille in suo genere totus, & iste in suo genere totus intelligendus est. (Ordo Christianorum 19) In hac redemptionis & reconciliationis gratia primus ordo est electorum & prædestinatorum ad vitam æternam: de quibus perire nullus potest, & qui omnino omnes saluantur, & ad quos pertinet quod Dominus dicit; qui perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit. Secundus ordo est eorum fidelium qui recta fide & pietate accedunt ad gratiam

E baptismi, & per eam accipiunt indulgentiam peccatorum baptizati morte Christi, & abluti à peccatis suis in sanguine eius: Ac per hoc participes redemptionis ipsius effecti: sed postea diuersis tentationibus gratiam ipsius fidei & redemptionis amittunt perseuerantes in malis suis; Et sic de sæculo exeuntes. De qualibus dicit Apostolus quod regnum Dei non consequentur: Et quia non habent hæreditatem in regno Christi & Dei: Quibus etiam Dominus se dicturum cõminatur dicens: Amen dico vobis nescio vos: vnde & idem Apostolus de eisdem gratiam Christi in Ecclesia consequutis, sed eam minime seruantibus terribiliter denuntiat dicens: Quanto magis putatis deteriora mereri supplicia, qui filium Dei conculcauerit & sanguinem testamenti pollutum duxerit, in quo sanctificatus est, & spiritui gratiæ contumeliam fecerit. (Hebr 10) Et iterum: (Hebr. 6)

impossibile

impossibile est enim eos qui semel sunt illuminati, gustauerunt etiam donum cæleste, & participes sunt facti spiritus sancti, gustauerunt nihilominus bonum Dei verbum, virtutesque sæculi venturi, & prolapsi sunt, renouari rursus ad pœnitentiam, rursum crucifigentes sibimetipsis filium Dei, & ostentui habentes. Propter hoc horrendum malum transgressionis & amissionis gratiæ Dei, omni intentione cauendum atque fugiendum omni fideli Dominus in Apocalypsi dicit: Tene quod habes vt nemo accipiat coronam tuam. Et iterum: Esto fidelis vsque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ. Et Apostolus admonet atque hortatur dicens. Participes enim Christi effecti sumus, si tamen initium substantiæ vsque ad finem firmum teneamus: Et iterum, Christus vero tanquam filius in domo sua, quæ domus sumus nos, si fiduciam & gloriam spei vsque ad finem firmam retineamus. Tertius autem ordo eorum qui ad hanc gratiam accedunt, in illis accipiendus est, qui adhuc in infidelitate positi vocandi tamen sunt per misericordiam Dei, & hoc sine dubio in Ecclesia consecuturi, quod consecuti sunt & illi duo ordines siue perseuerantium, siue non perseuerantium in gratia Christi, de quibus iam diximus De his namque Domini voce promittitur: Qui crediderit & baptizatus fuerit saluabitur. Quartus vero ordo de quo statim subiungitur: Qui autem non crediderit condemnabitur, manifeste extra numerum fidelium iacet, & æternæ condemnationi est destinatus, qualibus dictum est, sed vos non creditis quia non estis ex ouibus meis: Et propterea vos non auditis quia ex Deo non estis. Et qui non credit iam iudicatus est, quia non credit in nomine vnigeniti filij Dei.

Apoc 3. 11. · Apoc 2. 10. · Hebr. 3. 14. · Hebr. 3. 6. · Marc 16. 16 · Ioan. 10. 26.

Pro illis itaque tribus ordinibus ad Christi gratiam, & societatem fidelium pertinentibus Dominum Iesum Christum & venisse vt eos saluaret, & crucifixum esse vt eos redimeret, eosque in sua morte baptizaret, & in suo sanguine à peccatis ablueret, & fideliter credendum tenemus, & hoc non solum ex diuinis scripturis, sed etiam ex sanctorum patrum fide & doctrina euidente agnoscimus: Beatus namque Hieronymus exponens illum locum Euangelij vbi Dominus de se ait; Et dare animam suam in redemptionem pro multis; de hac re ita docet: Quando formam serui accepit vt pro mundo sanguinem funderet: Et non dixit: dare animam suam in redẽptionẽ pro multis, id est pro his qui credere voluerint: in quibus verbis miro & Apostolico modo Dominum nostrum, & pro mundo sanguinem fudisse, & tamen ipsum mundum, pro quo pretiosus ille sanguis effusus est, non alios nisi fideles monstrauit. Beatus Augustinus in tractationibus Euangelij secundum Ioannem, non solum pro infidelibus, sed etiam pro his qui ex parte credunt Christum, & ex parte non credunt, docet non esse mortuum Christum, ita dicens: Qui ita confitetur Christum Deum vt hominem neget, non pro illo mortuus est Christus: quia secundum hominem mortuus est Christus: Et alio loco de infidelibus: Quomodo, inquit, istis dixit, non estis ex ouibus meis: Quia videbat eos ad sempiternum interitum prædestinatos, non ad vitam æternam sui sanguinis pretio comparatos. Et alibi distinguens inter Apostolos & Iudam proditorem, quod pro illis Dominus moriturus esset, pro illo non esset: Tota, inquit, eius passio nostra purgatio est: passurus exitia, promisit obsequia, non solum illis pro quibus erat subiturus mortem, sed etiam illi qui fuerat eum traditurus ad mortem: Item docens pro illis tantum Dominum passum, quos ipsa passione redimendo, oues suas fecit: Omnes, inquit, fecit suas oues pro quibus est omnibus passus; Quia vt ipse pro omnibus pateretur, ouis est factus. Item cum exponeret mysterium illius vituli saginati quem pater redeunti filio iussit occidi, tunc eum pro vnoquoque dicit occidi, cum credit in occisum: Nam vt etiam occidant, inquit, eum iubet, hoc est vt mortem eius insumant: Tunc enim

A cuique occiditur cum credit in occisum. Beatus Leo, nihil Dominum nostrum inaniter egisse aut pertulisse, sed totum ad salutem fidelium ita docet: Nihil enim redemptor noster non ad nostram salutem, aut egit aut pertulit, vt virtus quæ inerat capiti, inesset & corpori. Nam primum ipsa illa substantiæ nostræ in deitate susceptio, qua verbum caro factum est, & habitauit in nobis: Quem hominum misericordiæ suæ, nisi infidelem, reliquit exortem? Et cui non communis natura cum Christo est? si assumentem recipit, & eo spiritu est regeneratus quo est ille progenitus. Beatus quoque Gregorius quod ad eos tantum Dominus noster saluandos venerit, quos in se suscipiendo liberauit, ita docet: Interpellat autem pro nobis Dominus non voce sed miseratione: Quia quod in æternum damnari voluit, suscipiendo liberauit. B Hæc ex sanctorum patrum verbis breuiter adnotauimus, vt quam vere eorum veneranda doctrina etiam in hac re de qua quæritur, Euangelicæ & Apostolicæ auctoritati consonet & concordet, euidentissimè cognoscatur. Et licet Apostolus de eodem Domino & Redemptore nostro dicat, Vnus enim Deus, vnus est mediator Dei & hominum homo Christus Iesus, qui dedit semetipsum redemptorem pro omnibus. Tamen iuxta superius demonstratam fidei regulam, recte intelligitur pro illis omnibus se redemptionem dedisse, pro quibus etiam dignatus est mediator Dei & hominum esse, neque enim infidelium mediator est, sicut nec aduocatus nec reconciliator, sed fidelium tantum: De quibus B. Ioannes Apostolus dicit: Aduocatum habemus apud patrem Iesum Christum iustum, & ipse est C propitiatio pro peccatis nostris: vt videlicet ita accipiatur quod dictum est, qui dedit semetipsum redemptionem pro omnibus; non quod omnes eius passione redemerit, sicut vtique manifestum est, sed quod nemo accipiat redemptionem nisi in illo & per illum. Dicit enim alibi idem Apostolus de Domino, vt gratia Dei pro omnibus gustaret mortem, & pro quibus omnibus mortem gustasse intelligendus sit videtur continuo demonstrasse cum subiunxit: Decebat enim eum propter quem omnia, & per quem omnia, qui multos filios in gloriam adduxerat, auctorem salutis eorum per passiones consummari. Similiter & alio loco vbi de eodem Domino nostro dicit: quia vnus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt, & pro omnibus mortuus D est, statim pro quibus omnibus mortuus esse intelligendus sit subiungit dicens: vt & qui viuunt, iam non sibi viuant, sed ei qui pro ipsis mortuus est & resurrexit. Isti namque sunt omnes: De quibus alibi idem Apostolus in gloriam & laudem Dei patris dicit: Qui etiam proprio filio suo non pepercit, sed pro omnibus tradidit illum: Quibus & alibi dicit: & non estis vestri: Empti enim estis pretio magno. Vnde penset vnusquisque fidelis, cum sanguis ille tanquam agni incontaminati & immaculati Christi ab Apostolo pretium magnum dicatur esse, vtrum possit tale pretium in aliqua parte esse inane & vacuum, an potius illarum mercium pro quibus datum est lucro & cumulo refertum. Dicit quidem E ipse Dominus apud Esaiam Prophetam loquens de mysterio passionis suæ, Et ego dixi, in vacuum laboraui sine causa & vane fortitudinem meam consumpsi: sed absit vt hoc velut anxius & ignarus loqui credatur, qui sine dubio nunquam ignorare potuit exitum & effectum passionis suæ, quam pro vtriusque populi redemptione & salute certo & definito consilio suscepit: Dicente Euangelista, quia Iesus moriturus esset pro gente: Et non tantum pro gente, sed vt filios Dei qui erant dispersi congregaret in vnum: Et ipso Domino de humilitate & copioso fructu eiusdem mortis suæ manifeste prænunciante cum ait: Nisi granum frumenti cadẽs in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet: sin autem mortuum fuerit, multum fructum affert. Cum ergo hęc tãta certitudine præscierit, tanta veritate & firmitate prædixerit, quid est quod dicit: Et ego dixi, in vacuum

1 Tim. 2. 5. · 1 Ioan 2. 2. · Heb. 2. 9. · Hebr. 2. 10. · 2 Cor. 5. 14. · Rom. 8. 32. · Esai 49. 4. · Ioan 11. 52. · Ioan 12. 24

laborauit sine causa, & vane fortitudinem meam consumpsit? Vt scilicet quia si doleat & conqueratur tanta humilitate & obiectione passionis se in vanum laborasse, ac sine causa & vane tantam tolerantiæ & patientiæ fortitudinem consumpsisse: Dum velut infructuosa & vacua videretur inani adnisu & conatu esse consumpta, sed hoc nimirum bene intelligitur dicere ex persona membrorum suorum, sub illa passionis & mortis ignominia infirmantium ac pene desperantium: Deum & persecutorum sæuitia velut victus & extinctus putabatur, & resurrecturus atque humani generis redemptor minime credebatur. Ita namque de illo desperare cœperunt qui dicebant: Et quomodo tradiderunt eum summi sacerdotes & principes nostri in damnationem mortis, & crucifixerunt eum: Nos autem sperabamus quia ipse esset redempturus Israël: Et ideo vacuus eis videri poterat & labor passionis & fortitudo tantæ tolerantiæ; Cuius nullus fructus videbatur, nulla redemptionis vtilitas credebatur: sic enim & in Psalmo, vtique non ex sua qui peccatum non fecit sed ex persona membrorum suorum dicit: Longe à salute mea verba delictorum eorum. Et alio loco, Deus tu scis insipientiam meam, & delicta mea à te non sunt abscondita. Ita ergo & in istis Propheticis verbis, ex persona, vt dictum est, infirmantium & pene desperantium membrorum suorum, & in vanum se illa passione laborasse, & sine causa & vane fortitudinem suam consumpsisse cōquestus est. Ipse autē ex persona sua omnino certus & fidens licet, & à persecutoribus videretur victus, & ab infirmantibus discipulis putaretur frustra atq; in vacuum passus, continuo per illa verba velut querimoniæ & anxietatis subiungit: Ergo iudicium meum cum Domino, & opus meum in Deo meo. Id est iudicium meum quod apud homines in illa humilitate sublatum est, apud Dominum saluum & inuiolatū est. Et opus meum quod sub tanta ignominia, & contemptu passionis frustra videtur effusum atque cōsumptum, apud Deum plenum est fructu, & in nullo sui effectus lucro fraudatum. Deniq; vt statim fructuosissimum ipsius sui operis effectum in vtriusque populi redemptione atque illuminatione euidentissime declararet, præmissis verbis protinus adiunxit: Et glorificatus sum in oculis Domini, & Deus meus factus est fortitudo mea. Et dixit: Parum est, vt sis mihi seruus ad suscitandas tribus Iacob & feces Israel conuertendas: Posui te in lucem gentibus, vt sis salus mea vsque ad extremum terræ. Non ergo aliquis ex illis verbis velut rationem se inuenisse existimet, quia Dominum nostrū aliquid inaniter, & vane in passione sua & pretiosi sanguinis effusione egisse contendat. Cum tota huius Prophetiæ lectionis serie ordinatissimo rerum effectu, & ex persona, vt dictum est, infirmantium membrorum euidens hæsitatio & desperatio, & ex persona ipsius capitis iusti iudicij & efficacissimi operis præsumptio, & ex persona patrum plenissima declaretur tantæ humilitatis, & tanti operis in vtriusque populi adquisitione compensatio: in illis videlicet qui per eum à morte animæ suscitātur, qui ad fidem conuertuntur, quibus in lucem ponitur, atque in salutem datur. Quamuis igitur idem Dominus noster & ad omnes saluandos etiam quos nec saluauit, nec redemit, id est infideles & impios in sua infidelitate, & impietate perditos & pereuntes siue perituros venisse contendatur: Vnum tamen est quod nos & fidelissime credimus & verissime nouimus, quia pro omni illa innumerabili & infinita multitudine impiorum qui ab exordio mūdi vsq; ad passionem Domini per quatuor ferme annorum milia in sua impietate sunt mortui, & apud inferos æterna perditione damnati, nunquam Dominus passus, numquam mortuus est, nec ad eos saluandos vllatenus venit nec pro eis pretiosum sanguinem fudit: Quoniam solos illos ex his qui ab exordio mundi vsque ad passionem eius extiterunt, eadem passione sua redemisse & saluasse, atque, *ab inferni claustris eduxisse credendus est*, qui & fideliter eū sperauerunt venturum, & fi-

Psal. 21.2
Psal. 68.6.
Esai. 49.4.

A deliter per eum redemptionem & liberationem ad salutem se accepturos esse crediderūt: sanctos videlicet Patriarchas & Prophetas & cæteros iustos: quibus etiam per Oseā Prophetam ante promiserat dicens: De manu mortis liberabo eos, de morte redimam eos: Ero mors tua ô mors: Ero morsus tuus inferne. Et ideo nunquam aliquis Catholicorum doctorum ita sensisse aut docuisse credēdus est: quasi Dominus & Saluator noster etiam ad illam impiorum multitudinem, quæ ante passionem eius periit, saluandam atque redimendam, passionem & mortem susceperit. Cum ergo pro illa inæstimabiliter maiore humani generis parte qui per tot milia annorū præcesserat, nullatenus credendus sit passus, nec pro eius salute crucifixus; quid de ista vtiq; minori parte infide-
B lium, & impiorum credendum est, qui post passionem eius vsq; ad mundi terminū aut extiterunt, aut existunt, aut futuri sunt, in quibus vtique & homo ille nondum natus Antichristus erit. Nam si ad istos tales Dominus saluandos venit, id est impios & in sua impietate perituros, ergo præstitit illis quod illis antiquis impiis nō præstiit quia videlicet pro istis est crucifixus & mortuus, quod pro illis nullatenus credendus est passus: si autem nec pro istis est crucifixus & mortuus, sicut nec pro illis, ergo pares sunt impietate, pares perditione, & pariter omnino extranei à Christi redemptione: quia & si pro istis passus esse dicatur, quid eis profecit eius passio impiis & in sua impietate perituris, nisi vt qui nō fiunt participes redemptionis, maiorem, & grauiorem incurrant cumulum damnationis. Ponit quædam verba B. Leo in
C quibusdam sermonibus ad populum, ex quibus nōnulli vel minus attendentes, vel minus intelligentes, fortassis eum docere & sentire existimant quod Dominus noster etiam pro impiis in sua impietate durantibus passus sit, & eorum possit dici redēptor: sicut illud est quod quodam loco ait: Respice tandem Iudæa, respice, & ad redemptorem etiam tuum deposita infidelitate conuertere. Noli sceleris tui immanitate terreri, non iustos Christus sed peccatores vocat: nec impietatem tuam repellit, qui pro te cum crucifixus esset orauit, sed in his verbis manifestum est, bene intelligentibus quia vsitato more humanæ locutionis, sub vnius Iudæi persona totum Iudæorum populum alloquitur, & idcirco velut in persona omnium ad vnum clamat & dicit: & ad redem-
D ptorem etiam tuum deposita infidelitate conuertere. Non quia nullus sit infidelium Iudæorum cuius Dominus non sit redemptor, sed quia non solum aliarum gentium, sed etiam illius Iudaici populi, cuius scelere & impietate crucifixus est, si ad eum conuertatur, redemptor esse dignatur. Et ideo ait, qui pro te cum crucifixus esset orauit: Non quod nullus infidelium Iudæorum sit pro quo non Dominus in cruce orauerit dicens: Pater ignosce illis, non enim sciunt quid faciunt: Cum aperte ipse Dominus dicat: Ego pro eis rogo, non pro mundo rogo, sed pro his quos dedisti mihi de mundo: sed quia etiam in ipso infideli populo & sunt & fuerunt multi, pro quibus vt à suo errore conuertantur & saluentur Dominus misericorditer orauit, & quod orauit efficaciter obtinuit & perfecit. Et recte
E B. Doctor dicit, velut sub vnius persona ad totum illum infidelem populum qui pro te cum crucifixus esset orauit. Quia profecto & in illo & ex illo populo & fuerunt, & sunt & erunt pro quibus orauit. Hæc verba B. Leonis ita omnino esse intelligenda etiam ipse in aliis locis eorumdem sermonum ad populum tam clare exponit, vt de his minime dubitandum sit, sic enim quodam loco ait: Dominus noster ita humano generi sua morte consuluit, vt sacramentum salutis etiam ipsis persecutoribus non negaret. Qui enim venerat vniuersis credentibus omnia peccata dimittere, à generali indulgentia nec Iudaicum voluit crimen excludere. Item alibi de eodem Domino nostro loquens: Cuius inquit etiam circa interfectores suos tanta erat pietatis affectio, vt de cruce supplicans

Osee 13.14
Ioan 17.9.

pati

patri non se vindicari, sed illis postularet ignosci, dicens: Pater dimitte illis, non enim sciunt quid faciunt. De eius vtique orationis potentia fuit vt prædicatio Apostoli Petri ex his qui dixerunt, Sangtus eius super nos & super filios nostros, multorum ad pœnitentiam corda converteret. & vna die baptizarentur tria fere millia Iudæorum; fieretque omnium vna anima & cor vnum paratorum pro eo mori quem proposcerant crucifigi. Hæc de expositione superiorum verborum, ex ipsis B. Leonis verbis posuimus, qui his dictis continuo subiungit dicens: Ad hanc indulgentiam traditor Iudas peruenire non potuit: Quoniam perditionis filius, cui diabolus stabat à dextris, prius in desperationem transiit quam sacramentum generalis redemptionis Christus impleret. Nam mortuo pro impiis omnibus Domino potuisset forte etiam hic consequi remedium si non festinasset ad laqueum. In quibus verbis potest aliquis minus considerans, & minus intelligens ita existimare vt quod dictum est sacramentum generaliter redemptionis & mortuo pro omnibus impiis Domino ita accipi possit quasi & illa generalis redemptio, & illa mors Domini pro omnibus impiis, etiam pro non credentibus & in sua impietate pereuntibus facta credenda sit, sed pro quibus omnibus impiis Dominum mortuum dicat. & quid generalem redemptionem velit intelligi putamus quod ipse suis verbis, quæ paulo superius posuimus diligenter exponat dicens. Qui enim venerat vniuersis credentibus omnia peccata dimittere à generali indulgentia, nec Iudaicum voluit crimen excludere: vt vere pro illis omnibus impiis mors Domini fuerit impensa: quibus vniuersis credentibus omnia peccata dimittit. Et generalem redemptionem siue generalem indulgentiam ideo dixisse intelligatur, quia nec populum Iudaicum, nec vllum genus hominum ab illa redemptione & indulgentia inueniatur exclusum, sed in illis verbis pro quibus exponendis ista replicauimus illud euidenter ostenditur quod proditor Iudas nullatenus ad Christi redemptionem pertineat: Nec potuerit consequi remedium quoniam festinauit ad laqueum, & ideo nihil passio Christi illi profuit, quia in eorum damnationem transiit qui apud inferos iam puniti redemptionis Dominicæ participes esse non poterãt. Et tamen velut ad ipsum infœlicem & perditum alio loco ita increpãdo loquitur dicẽs: Redemptorem etiam tuum ne tibi parceret vendidisti: Non quia & ipsum redemit quem iam superius idem doctor ad redemptionem peruenire non potuisse monstrauit. Nec quod redemptor illius intelligendus sit, qui in sua impietate permansit & periit: sed quia in illa generali redemptione passionis Christi potuisset & ipse fortasse consequi remedium si non festinasset ad laqueum: Et ideo sic ei dicit: Redemptorem etiam tuum vendidisti, quia vere etiam ipsius Redemptor fieret si ab eo etiam post tantum reatum pie & fideliter indulgentiam posceret. Nimis omnino prolixum est & in ratione fidei exercitatis minime necessarium, vt de singulis huius B. Doctoris sententiis, vbi aliqua eiusmodi occasio esse potest, sicut in istis paucissimis factum est, diligenter omnia exponantur. Illud tantum attentius videtur esse commendandum quod vbi generale Chyrographum vel generalem pactionem siue cautionem memorat generalis damnatio totius humani generis quæ introducta est per Adam, intelligenda sit: & vbi generalem redemptionem, vel generalem indulgentiam ponit, propter omnium hominum vel omnium nationum genus dictum accipiendum sit: Et vbi pro omnibus impiis Dominum mortem suscepisse docet, pro omnibus ex impietate conuersis & in eum credentibus, sicut ipsa eius verba in multis declarant accipiendum sit.

Hæc fideliter, & omnino indubitanter tam de scripturis sanctis, quam de beatorum Patrum scriptis legenda, & consideranda proposuimus: in quibus euidenter idem reuerendi Patres docent, & ex ipsius Domini & Redemptionis nostri sermonibus probant, quod pretiosus eius sanguis pro multis effusus sit in remissionẽ peccatorum, & dederit ipse animam suam redemptionem pro multis: Et nõ eum dixisse pro omnibus sed pro multis. Ita intelligunt & exponunt quod pro his qui credere voluerint, distincte & designanter accipiendum sit. Et quod omnes pro quibus mortuus est oues suas fecit: Quod vtique impios in sua impietate pereuntes & perituros nullatenus fecit. Quibus etiam manifeste dicit: sed vos non creditis, quia non estis ex ouibus meis. [Ioan. 10. 18.] Et pro eis qui ita credunt Dominum nostrum verum Deum, vt negent eum pro salute nostra verum hominem factum, dicunt non esse mortuum ipsum Dominum Christum, quia vtique secundum hominem mortuus est Christus. Dicunt etiam quod tunc pro vno quoque Christi occasio intelligenda sit, cum credit in occisum, id est per eius mortem sua peccata dimitti; Et quod gratia incarnationis & totius Redemptionis eiusdem Domini Iesu Christi, ita generaliter omnibus qui eum naturam nostram suscipientem receperint, & eo spiritu fuerint regenerati quo est ille progenitus præstita sit: vt tamen impios & infideles tantæ misericordiæ suæ reliquerit exsortes. Quibus autem ista non sufficiunt, sed magis ita generaliter pro omnibus Christum Dominũ passum & mortuum intelligunt, vt eandem passionem & mortem suam etiam impiis numquam credituris, & omnino in sua impietate perituris impenderit, quæri ab eis merito potest quum Dominus se pro multis animã suam daturum, & pro multis sanguinem suum effundendum in remissionem peccatorum dixerit & non pro omnibus: vbi si responderint, quia nec aliud eis respondendũ restat, quod ideo dixerit pro multis, quia pro solis illis qui ad fidem venturi & fideles futuri erant: Et mors illa suscepta, & pretiosus sanguis fusus esse intelligendus sit. Ergo confirmatur patrum illa sententia, qua pro multis dictum, pro illis scilicet qui credere voluerint intellexerunt? Et ideo vbicumque in litteris Apostolicis legitur. quod idem Dominus noster dederit semetipsum redemptionem pro omnibus, & gratia Dei pro omnibus gustauerit mortem, & pro omnib. mortuus sit, illi multi pro quibus Dominus, & animam suam se positurum & sanguinem fusurum dixit, qui vtique in suo genere & multi & omnes sunt. recte intelliguntur, sicut & illud quod omnes io Christo viuificabuntur, & quod per vnius hominis iustitiã in omnes homines in iustificationem vitæ, & non confuse & absurde etiam de impiis & infidelibus, sed de illis omnino multis dictum intelligendum est, de quibus manifeste dicitur: Sic & per obedientiam vnius hominis iusti constituentur multi & de quibus alibi idem Apostolus dicit verbis Domini euidentissime consonans. Sic & Christus semel oblatus est, ad multorum exhaurienda peccata. Et apud beatum Danielem Prophetam legitur: Et multi de his qui dormiunt in terræ puluere euigilabunt Et quod est mirabilius, isti ipsi in suo genere omnes, & in suo genere multi ad cõparationem multitudinis reproborum dicuntur à Domino pauci cum ait: Multi autem sunt vocati, pauci vero electi. Quod si inueniuntur aliqui patrũ qui etiam pro impiis in sua impietate per mansuris Dominũ crucifixũ dicant: & hoc diuinæ scripturæ certissimis & clarissimis documentis probant: Erunt ergo illa, quæ ex verbis Domini de hac re commemorauimus aliter intelligenda. Quod est omnino mirum, vel potius incredibile posse fieri. Si autem absque vllis scripturæ, vt dictum est, non ambiguis, quæ & aliter intelligi possint, sed certis omnino testimoniis hoc dixisse inueniuntur, quis non videat potiorem illam esse auctoritatem, quæ & tam euidenti ratione, & tam multiplici scripturarum attestatione firmatur. Si autem placet sicut & nobis multum placet, vt etiam istorum sententia ex pietate veniens, propter pacem & venerabilem pietatem beatissimorum patrum non renuatur. Nulla ergo contentione pro aliis aduersus alios litigetur: non vna sententia

pro altera damnetur. Et quia vere fieri potest, vt ignorantiam & imperitiam nostram in hac re aliquid lateat, nihil temere definiatur; vt quolibet quis adquiescat modo, non sit hæreticum, nisi contentione hæreticum fiat.

Additur adhuc in præfata Epistola dixisse illum miserabilem monachum quod postquam primus homo libero arbitrio cecidit, nemo nostrum ad bene agendum, sed tantum ad male agendum libero potest vti arbitrio. Quod est vtique non solum instabile & inauditum, sed quantum nobis videtur etiam incredibile, vt homo inter fideles & à fidelibus nutritus & eruditus, & in Ecclesiasticorum patrum scriptis, non parum exercitatus hoc dicere, vel sentire potuerit: quod post primi hominis lapsum, nemo etiam fidelium ad bene agendum libero possit vti arbitrio, sed tantum ad male agendum: Tanquam in nobis sit liberum arbitrium nisi ad malum: Ad bonum autem sola in nobis Dei gratia absque libero arbitrio operetur. Si enim dixisset generaliter, nemo hominũ & addidisset sine Dei gratia, *& ita subiũgeret, libero bene vti potest arbitrio, esset Catholicus sensus, & Catholica omnino assertio*. Cum autem dixisse arguatur quod nemo nostrum, id est fidelium, nisi tantummodo ad male agendum libero vti possit arbitrio, quid aliud tali dicto, & tali nouitatis præsumptione asseritur nisi quod humanæ mentis arbitrium quod ante peccatum ad verum bonum amandum & desiderandum & fruendum erat liberum, ita primo homine peccante vitiatum sit, & perierit: vt deinceps tantummodo ad malum remanserit in homine liberum arbitrium. Ad bonum vero agendum siue habendum nullum sit hominis liberum arbitrium, sed tantum diuinæ gratiæ donum. Quod genus erroris nec apud hæreticos, nec apud quemquam Catholicorum nos cognouisse, vel audisse meminimus: Ita vt etiam de isto hæc nobis vt iam diximus incredibile videatur. Sicut enim vnus atque idem homo potest esse sanus & ex sano qualibet intemperantia effici infirmus, & remedio salutari iterum fieri sanus: sic & liberum humanæ mentis arbitrium quod prius erat sanum, factum est primo homine peccante infirmum, & quod erat saluum factum est perditum, & quod erat viuum factum est mortuum. Vere enim sanum erat ante peccatum nullo peccati languore vitiatum, &
Psalm. 40. per ipsum peccatum factum est infirmatum vt veraciter clamet ad Deum: Ego dixi Domine miserere mei,
Psalm. 29. sana animam meam quia peccaui tibi: Et cum per verum medicum sanatur, gratulans & gratiosa gens dicit: Domine Deus noster clamaui ad te, & sanasti me, vere erat saluum quod nulla interius mala voluntate, nulla exterius mala operatione erat deprauatum, siue corruptum: & vere factum est perditum cum mala voluntate Deum deseruit, & deserendo bonum quod habe-
Psalm 176. bat, amisit. Vnde hanc perditionem in se recognoscens, atque ab ea liberari cupiens ingemiscit & dicit: Erraui sicut ouis quæ periit require seruum tuum quia mandata tua non sum oblitus: Et quotidie necessarium habet
Luc. 19. 10. quærentem atque saluantem illum qui dicit, venit filius hominis quærere & saluum facere quod perierat: Erat etiam viuum, quia adhærebat illi cui dicimus, Quoniam apud te est fons vitæ & in lumine tuo videbimus lumen: viuens in illo & per illum, de quo in Euangelio
Ezec. 18. 4. scriptum est. Et vita erat lux hominum. Sed hanc vitam, atque hunc fontem vitæ deserendo factum est à vita Dei alienatum & mortuum. Quia anima quæ pec-
Luc. 15. 24. cauerit ipsa morietur. Nec habet in se & ex se vllum sensum vitalem, & ad veram vitam nitentem, nisi per eum resuscitetur, & viuificetur qui dicit, quoniam hic filius meus fuerat & reuixit, perierat & inuentus est: Et nisi in illo spiritu vegetetur de quo dicit Apostolus: litera occidit, spiritus autem viuificat, sic sunt mortui, & quotidie viuificantur. De quibus Dominus in Euangelio dicit: Venit hora & nunc est, quando mortui audient vocem filij Dei, & qui audierint viuent. Et quibus Apostolus clamat dicens: Surge qui dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit te Christus. Nec aliquis insidiosus & calumniosus obiicere nobis conetur, quod ita dicamus liberum arbitrium per peccatum primi hominis perditum & mortuum, quasi naturam suam in qua naturaliter habet insitam liberi arbitrij voluntatem perdidisse intelligendus sit. Non enim perdidit naturam, sed bonum naturæ, non perdidit velle, sed perdidit bonum velle: Nec perdit anima naturam suam cum moritur, in qua semper existit, ita & secundum quendam modum suum semper viuit. Et tamen vere moritur non abolitione substantiæ, sed amissione veræ vitæ suæ, quod illi Deus est. Et ideo prorsus ipsum liberum hominis arbitrium necesse habet requirente, & inueniente, vt ex perdito fiat saluum: necesse habet suscitantem & viuificantem, vt ex mortuo fiat viuum: necesse habet etiam redimente, vt quod erat seruituti obnoxium, possit effici liberum. Erat namque seruituti obnoxium quia peccato subiugatum, & omnis qui facit peccatum seruus est peccati: A qua seruitute fit liberum per eum qui dixit: Si vos filius liberauerit, tunc vere liberi eritis. Et per donum Spiritus sancti, de quo Apostolus ait vbi Spiritus Domini, ibi libertas. Perdiderat itaque homo per primæ præuaricationis lapsum, & in eo omne genus humanum, veram arbitrij libertatem qua antea liberum erat ad appetendum & habendum verum & diuinum & æternum bonum. Nec hanc fœlicem & veram bonæ voluntatis libertatem vllo modo valet recipere, nisi per redemptionem Christi fiat liberum, & per gratiam Spiritus sancti de seruitute peccati in libertatem iustitiæ transferatur.

Hæc est ergo infirmitas, & perditio, & mors liberi arbitrij per vnum hominem ingressa in mundum, qua per se nullatenus valet assurgere ad verum & æternum, & beatificum bonum, nisi per secundum hominem fuerit sanatum, inuentum, viuificatum, & redemptum. Idipsum namque liberum hominis arbitrium, id est, ipsa humanæ mentis bona & recta voluntas cum qua homo bonus & rectus conditus fuerat, & Deo obediendo ante peccatum perseuerabat, bona & Deum contemnendo per peccatum facta est mala. Et per iustificationis Christi gratiam, ad Deum resipiscendo & redeundo efficitur bona, ipsa erat ante peccatum libera, ipsa facta est per peccatum seruituti obnoxia, ipsa fit per iustificantem gratiam liberata, & renouatur de die in diem vsque dum ad perfectam libertatem vitæ æternæ per eandem gratiam perducatur. Item liberum arbitrium ad verum bonum, & per Adam agnoscitur verissime perditum. Qui non abstulit homini liberum arbitrium, sed, vt dictum est, infirmum sanans perditum inuenit, mortuum suscitauit, seruituti addictum redimendo liberauit. Ideo in infidelibus idipsum liberum arbitrium, ita per Adam damnatum, & perditum in operibus mortuis liberum esse potest, in viuis non potest, vnde ante omnia necessaria est homini omni sanguinis Christi redemptio, per quam & emundetur ab operibus mortuis, & viuificetur ad seruiendum Deo viuenti. Quod commendans Apostolus dicit, quanto magis sanguis Christi, qui per spiritum sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo emundauit conscientiam nostram, ad seruiendum Deo viuenti ab operibus mortuis; vere enim mortua sunt omnia opera infidelium, non solum quando aperte vitiis & peccatis seruiunt, sed etiam quando naturali bono, in quantum omnipotens creator tribuit, instigati, vel naturali lege commoniti quæ quotidie in cordibus eorum clamat: Quod tibi non vis, alij ne feceris: Et omnia quæcunque vultis vt faciant vobis homines, & vos eadem facite illis: quædam bona opera & velut quasdam virtutes habere atque exercere videntur: quia fidem Dei & Christi eius, vel ignorantes, vel odio habentes, aut etiam persequentes, quod ex illa fide non operantur, omnino nec bonum opus, nec vera virtus esse potest;

quæ

quæ non procedit ex radice veritatis & bonitatis. Dum enim illa ipsa quę secundum homines videntur esse bona opera, nequaquam vera fide ad Dominum referuntur quem ignorant: nec propter eum agunt, sed aut propter quandam honestatem qua inter homines magni videantur, vel propter cupiditatem alicuius commodi temporalis ipsa impietate infidelitatis, ipsa inflatione elationis, ipsa peruersitate cupiditatis. Ita immunda & inquinata sunt omnia, vt apud Deum non virtutes, sed vitia iudicentur, vnde Apostolus ait: Inquinatis autem, & infidelibus nihil est mundum: sed inquinata sunt eorum & mens, & conscientia. Et iterum: omne autem quod non est ex fide peccatum est: Et, sine fide impossibile est placere Deo, fideles autem Christi sanguine redempti, & per

B lauacrum regenerationis & renouationis mandati instaurata in se, & quotidie instauranda arbitrij libertate, eadem gratia per quam semel inluminati sunt, semper cooperante & auxiliante operantur opera bona, non ex seipsis neque ex viribus propriis, sed ex illo cuius spiritu aguntur, quia, vt Apostolus dicit quicunque spiritu Dei aguntur hi filij sunt Dei. Qui etiam vt manifestissime ostenderet & commendaret, & fideles operari opus bonum, & vt hoc ipsum operari possint Deum in illis operari, breuiter vtrumq; declarauit dicens eiusdem fidelibus: Cum timore & tremore vestram ipsorum salutem operamini: Deus est enim qui operatur in vobis, & velle & perficere pro bona voluntate. Quod beatus Leo ita

C exponit: Dicente enim discipulis suis Domino, sine me nihil potestis facere, dubium nō est hominē bona agentem ex Deo habere, & effectum boni operis, & initium voluntatis: vnde & Apostolus copiosissimus & fidelium cohortator, cum timore, inquit, & tremore vestram salutem operamini: Deus est enim qui operatur in vobis & velle, & operari pro bona voluntate. Et hæc sanctis causa est tremendi atq; metuendi, ne ipsis operibus pietatis elati deserantur ope gratiæ & remaneant in infirmitate naturæ. Ita namque operante in suis fidelibus Deo impletur illud quod Dominus ait: Qui autem facit veritatem venit ad lucem, vt manifestentur eius opera, quia in Deo sunt facta, & ex persona eorumdem fidelium ei per Prophetam dicitur: Domine dabis pacem nobis: omnia enim opera nostra operatus es in nobis. Hæc ita esse

D sentienda, atque tenenda de liberi arbitrij instauratione, & de munere atq; auxilio diuinę gratię, ita beatus Papa Celestinus breuiter docet, & inculcat dicens: Non est dubium ab ipsius gratia omnia hominis merita præueniri, per quem fit vt aliquid boni & velle incipiamus, & facere. Quo vtique auxilio & munere Dei non aufertur liberum arbitrium, sed liberatur: vt de tenebroso lucidum, de prauo rectum, de languido sanum, de imprudēte sit prouidum. Tanta enim est erga omnes homines *bonitas Dei, vt nostra velit esse merita quæ sunt ipsius dona:* Et pro his quæ largitus est, æterna præmia sit donaturus. Agit quippe in nobis, vt quod vult & velimus & agamus: nec otiosa in nobis esse patitur quę exercenda non negligenda donauit, vt & nos cooperatores simus gra-

E tiæ Dei.

Item de eadem re ex consilis vel definitionibus patrum, hæc proponenda credimus. Primum.

1. Adiutorium Dei etiam renatis ac sanatis semper est implorandum, vt ad finem bonorum peruenire, vel in bono possint opere perdurare. Secundum.

2. Arbitrium voluntatis in primo homine infirmatum, nisi per gratiam baptismi non potest reparari: quod amissum nisi à quo potuit dari, non potest reddi, vnde veritas dicit: si vos filius liberauerit, tunc vos vere liberi eritis. Tertium.

3. Natura humana etiamsi in illa integritate in qua est cōdita permaneret, nullomodo seipsam creatore suo non adiuuante seruaret. vnde cum sine Dei gratia salutem non posset custodire quam accepit, quomodo sine Dei gratia poterit reparare quod perdidit? Quartum.

4. Ideo Christus non gratis mortuus est, vt & lex per

A illū impleretur qui dixit: non veni soluere legem, sed adimplere. Et natura per Adam perdita per illum repararetur qui dixit, venisse se quærere & saluare quod perierat.

Post hæc interposita quadā narratione quæ ad præsentem responsionem nostram non videtur necessaria, subiungit scriptor Epistolæ de conuentu concilij Episcoporum pro examinandis & definiendis quæstionibus siue obiectionibus, quas ille miserabilis monachus proposuisse vel docuisse dicitur: De quibus quid nostræ pusillitati videatur iam supra satis ostensum est. Et qualiter idem monachus eorumdem Episcoporum iudicio, quia eorum adquiescere sententiæ noluit, fuerit condemna-

B tus ita dicēs *Quapropter* inquit, *ad Episcoporum cū præsentiā, qui tunc regio mādato pro negotiis regis apud Carisiacū accersiti erāt, in præsentiam etiā Domini VVenilonis qui illuc cōuenerat producere studuit: vbi multis audiētibus nihil dignū ratione vel dixit, vel interrogatus respōdit. Sed vt arrepticius cum quid rationabiliter responderet non habuit, in cōtumelias singulorum prorupit: Et propter impudētissimā insolentiā suam per regulam S. Benedicti à monachorū Abbatibus, vel cæteris monachis dignus flagello adiudicatus. Et quia contra Canonicā institutionē ciuilia, & Ecclesiastica negotia perturbare studuit indefessus, & se noluit recognoscere vel aliquo modo humiliare professus, ab Episcopis & secundum Ecclesiastica iura dānatus.* In quibus verbis imprimis illud videtur absurdū, quod præfatū mi-

Hic Senonensis metropolitanus fuit circa annū 850. sub Carolo Caluo.

C serabilē monachum in iudicio Episcoporū productum, prius Abbates monasteriorum qui præsentes aderant, ad cædes, & flagella iudicasse referuntur, & deinde Episcopi iuxta Ecclesiastica iura damnasse. Cum homo ante reddebatur hæreticus iuxta antiquam Ecclesiæ obseruantiam atque auctoritatem ad Episcopale tātummodo iudicium pertineret, siue damnandus, siue absoluendus. Nec prius ab inferioris loci hominibus iuxta Ecclesiasticam & sacerdotalē, siue monachalem verecundiam obseruari debuerit, ipsi potius apud se iudicent. Quod autem in Episcoporū contumelias dicitur prorupisse vere hoc & impium est & insanum, & omnino iusta vltione damnandum: Licet melius ab aliis quam ab ipsis. De aliis vero sententiis, quas & antea prędicasse, & tunc in

Septem prima lineam seq. iāg hic ponenda, & sequente deinde.

D synodo proposuisse, nec vllatenus mutare voluisse firmatur, ignoscat nobis vnusquisq; lector, ignoscat etiā reuerendus ille Epistolæ scriptor: quia sicut iam superius & ex diuina, & ex paterna authoritate satis ostendimus, videtur nobis sine dubio, quod illa quæ de diuina prędestinatione dixit, iuxta regulam Catholicę fidei vera sint & à veridicis patribus manifestissime confirmata, nec ab vllo penitus nostrum qui Catholicus haberi vult, respuenda siue damnanda. Et ideo in hac re dolemus nō hunc miserabilem, sed Ecclesiasticā veritatem esse damnatam. In illa autem Apostoli sententia qua de Deo ait, qui vult omnes homines saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, putamus eum sensum beatissimi patris Augustini ab omni semper Ecclesia venerabiliter recepti, & vsque in finem sęculi recipiendi securum fuisse,

E qui de tanta quęstione tractans & conlatis inter se duobus testimoniis Apostolico videlicet & Prophetico, qualiter iuxta sanam fidei intelligentiam vtrumque verum esse accipiendum sit: & in plerisque aliis librorum suorum locis, & maxime in libello qui Enchyridion dicitur euidentissime declarat. Et quid ei de re tanta, & postmodum ab Episcopis debuerit condemnari, sed & de ipsis flagellis & cædibus quibus secundum regulam sancti Benedicti dicitur adiudicatus, quibus & omnino ferus atrocissime, & absque vlla misericordia pene vsque ad mortem dilaceratus. Quæ moderatio & mensura iuxta pietatem probabilius videatur manifesta. Cuius omnino veridicum sensum non oportuit sub persona alicuius hominis, à Catholicis Dei sacerdotibus condemnari: Ne iam non iste qui errare putatur, sed ille potius cuius authoritatem sequitur hęreticus esse iudicetur. Et licet alij quidam sancti & venerabiles patres simpliciter

illa Apostoli verba accepisse inueniantur, vtrorumque tamen sententia fuerat honoranda: Nec vt iam superius dictum est, vna pro altera damnanda: Quia & illa ex diuina auctoritate vera esse monstratur: Et ista quadam pia ratione non abhorrere à veritate fideliter creditur. Iam illud de Dominici sanguinis pretio, quod pro his tantum qui credere voluerint, datum sit manifesta est, sicut supra satis ostendimus eorumdẽ beatorum patrum sententia: Quam iste vt putamus, & legendo didicerat, & damnare metuebat, vnde & si inuenti sunt alij æque patres qui illud gloriosum pretium etiam pro nunquam credituris, & in sua impietate perituris datum esse non abnuant, melius, vt credimus, vtique honorarentur, nec pro aliis alij damnarentur: Quia & illud manifeste diuina auctoritate firmatũ est: Et illud, si pie sentitur, non est abnuendum. Quod vero dixisse firmatur ad male tantummodo agendum liberum nos habere arbitrium, ad bene vero agendum non habere, si veritas sensit & dixit, hoc vere non est ex diuina auctoritate sumptum, neque ex sanctorum patrum dogmatibus tractum, sed aperte ex proprio errore prolatum. Quia liberum nobis arbitrium quod peccato fuerat subiugatũ non ablatum est, sed liberatum, & ipsum nobis per Dei gratiam excitatur
Gal 6.1. ad bene agendum, vt & ipsi eiusdem gratiæ cooperatores simus. De qua re si iste tam absurde & insipienter errauit, manifesta est Apostoli sententia dicentis: Fratres & si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui spirituales estis huiusmodi, instruite in spiritu lenitatis considerans te ipsum, ne & tu tenteris. Et illi quidem propter intemperantiam & importunitatem atque infrunitatem linguæ suę, & inquietam mobilitatem instabilitatis suæ merito forsitan accidit quod in Salomone
Prou 3.3. legitur: Et qui inconsideratus est ad loquendum sentiet
Prou 26.10. mala. Et iterum: Qui imponit stulto silentium iras mitigat. Et alio loco, Eiice derisorem, & exibit cum eo iurgium, cessabuntque causæ & contumeliæ. Tamen nul-
Prou. 22.10 lius hominis improbitate & infrunitate ita moueri debemus, vt contemnamus vel impugnemus, aut etiam dãnare audeamus diuinam veritatem, siue patrum nostrorum venerabilem auctoritatem, memores Apostoli dicentis: Non enim possumus aliquid aduersus veritatem, sed pro veritate. Atque ita potius agendum vt & patres in filiis, & filij in patribus honorentur: iuxta Salomonem dicentem: Corona senum filij filiorum, & gloria fi-
Prou 17.25 liorum patres eorum. De quibus alibi præcipitur: In multitudine presbyterorũ prudentium sta, & sapientiæ illorum ex corde coniungere, vt omnem narrationem Dei possis audire. Et iterum, Ne despicias narrationem presbyterorum sapientium, & in prouerbiis illorũ conuersare: Non te prætereat narratio seniorum: Et ipsi enim didicerunt à patribus suis: quoniam ab ipsis disces intellectum, & in tempore necessitatis dabis respõsum. De his namque alibi pręcipitur: Interroga patrem tuum & annunciabit tibi, maiores tuos, & dicent tibi. Et iterum: Ne transgrediaris terminos antiquos quos posuerunt patres tui. Quapropter illud prorsus omnes non solum dolent, sed etiam horrent: quia inaudito irreligiositatis & crudelitatis exemplo tamdiu ille miserabilis flagris & cædibus trucidatus est, donec sicut narrauerunt nobis qui præsentes aderant, accenso coram se igni libellum in quo sententias scripturarum, siue sanctorum patrum, sibi collegerat quas in concilio offerret, coactus est iam pene emoriens suis manibus in flammam proiicere, atque incendio concremare: Cum omnes retro hęretici verbis, & disputationibus victi atq; conuicti sunt. Et sic prauitas, quæ videbatur hominis, fuerat coercẽda, vt nulla diuinis rebus inferretur iniuria. Maxime cum illi sensus qui ipso continebantur libello, excepto vno quod extremum ponitur, non essent sui, sed Ecclesiastici: nec ignibus damnandi, sed pia & pacifica fuerint inquisitione tractandi: sed & illa eiusdem miserandi hominis tam longa, & inhumana in ergastulum per tot annos damnatio aliqua, vt credimus, compassionis benignitate & consolatione fuerat temperanda, vel etiam remouenda, vt frater pro quo Christus mortuus est, per charitatem & spiritum mansuetudinis potius lucraretur, quam abundantiori tristitia absorberetur, quod illuc vt Dominus nouit in quantum ipse inspicere dignatur, suggerimus charitate, quam nobis beatus Ioannes Apostolus commendat dicens: In hoc cognouimus charitatem Dei quod ille pro nobis animam suam posuit, & nos debemus pro fratribus animas ponere.

Post dãnationem huius miserabilis hominis subiungit scriptor Epistolæ ad singulas illius propositiones suas & quorundã qui cum eo similiter sentiunt, responsiones, quas hîc necesse est in ordinem ponere, & quid nobis de his videatur breuiter designare. Quod licet supra multipliciter iam factum sit: tamen neque nunc prætereundum putamus, ne quid difficultatis & obscuritatis ex huiusmodi responsionibus cuiquam generetur. Quæ videlicet responsiones in ipsa Epistola ita incipiunt.

Dicunt & firmiter credunt, qui sanius apud nos sapere videntur, quia Dominus omnes homines vult saluos fieri, secundum Apostolum, qui neminem vult perire, licet non omnes saluentur: nam & lux in tenebris lucet, licet eam tenebræ non comprehendant. Et Christus pro omnibus passus est secundum eundem Apostolum scribentem ad Timotheum, qui dedit semetipsum redemptionem pro omnibus, licet non omnes passiones eius mysterio redimantur: Quia effusio iusti sanguinis Christi tam diues fuit ad pretium mundi, vt si vniuersitas captiuorum in eum crederet, nullus sub mortis imperio remaneret. Et quia non omnes tam ditissimo pretio redimuntur ad infidelium respicit partem, non ad pretium sæculi copiosum

In quibus verbis videtur sibi ille qui scripsit epistolã, duas quæstiones simul, id est, & quod Deus omnes homines velit saluos fieri, & quod Dominus Iesus Christus pro omnibus omnino hominibus etiã in sua infidelitate perituris mortuus sit, duobus testimonijs ex Apostolo sumptis plenissime absoluisse atque finisse. Nam quod Deus omnes homines saluos fieri velit, producit Apostolum testem apertissime de eodem Deo & Domino dicentem: Qui vult omnes homines saluos fieri. Et istis verbis Apostoli adiungit ex verbis Propheticis velut alterius testimonij sensum, quod Deus neminem velit perire, qui vtiq; apud Ezechielem Prophetam loquitur: Quia nolo mortem morientis dicit Dominus, sed vt conuertatur & viuat. Quem sensum illorum Apostoli verborum quibus ait, Qui vult omnes homines saluos fieri etiam nos superius commemorauimus, & fideliter posse accipi diximus. Si tamen & ille sensus beati Augustini, quẽ ille iuxta alterius diuinæ scripturæ auctoritatem diligenter inquirit: & multis ac veracibus modis exponit pariter recipiatur: Nec propter istum ille damnetur, sed potius vtriq; sensui propter veracem & piam patrum auctoritatem fideliter obediatur. Quia omnino & quos vere vult Deus saluos fieri, sine dubio saluos facit, qui, vt scriptura testatur, omnia quæcumque voluit fecit. Et si cæteros ita vult saluos fieri, vt tamen non eos saluos faciat, sed omnino perire permittat, vtrumq; hic euidẽter apparet: Et erga creaturam suam scilicet, bonitas creatoris, & erga eiusdem creaturæ iniquitatem seueritas iudicis. Quod autem Dominum nostrum etiam pro impiis in sua impietate perituris esse mortuum vno similiter Apostoli testimonio confirmare videtur, quo ait, Qui dedit semetipsum redemptionem pro omnibus, profecto non recoluit nec diligẽter considerauit ita hęc Apostoli verba esse accipiẽda vt consonent Domini verbis quibus se in Euangelio ad hoc venisse dicit, vt animã suam daret redemptionem pro multis: Et de pretio sui sanguinis similiter ait, qui pro vobis & pro multis effunditur in remissionem peccatorum. Et ideo ita vere accipiendum est quod Apostolus ait: qui dedit semetipsum redemptionem pro omnibus, vt isti omnes intelligantur multi: sicut & alibi idem Apostolus dicit: sic & Christus semel oblatus est ad multorũ exhaurienda peccata.

Qui

Qui etiam alio loco quos dixit omnes, eosdem cõtinuo exposuit intelligendos esse multos: Cum enim dixisset de Domino, quod per vnius iustitiam in omnes homines in iustificationem vitæ, statim subiunxit: quia & per obedientiã vnius hominis, ipsius videlicet Domini Iesu Christi iusti constituentur multi: Quia vt omnino manifestum est, ita per eum omnes homines efficiuntur iusti, vt ipsi qui in suo genere omnes sunt, ex comparatione alterius generis eorum, qui propter infidelitatem suam non iustificantur, potius multi sint. Quod & si aliqui patrum pro omnibus omnino hominibus Dominũ passum intellexerunt, honoretur & iste velut pius sensus, dummodo ille prior qui est certissimus, & diuina veritate firmatus, nulla præsumptione contemnatur, vel quod est grauius, damnetur. Nam & illud ad testimonium velut ad confirmationem huius rei ex Euangelio sumptum, id est, lux lucet in tenebris & tenebræ eam non comprehẽderunt, non nobis videtur incongruum huic assertioni: Quia lex illa præsentia maiestatis suæ in tenebris lucens, id est in infidelium cordibus maiestate conditoris suam præsentiam exhibens operatur aliquid in eis, & si non vt videant ipsam, tamen vt videant aliquid per ipsam, id est, vt intelligant inter iusta & iniusta, inter bonum & malum, inter agendum & non agendum, vt sint inexcusabiles in die quo iudicabit Deus occulta hominum. Quæ tamẽ lux non à facie illis resplendet, quia nõ ad eam attendunt, sed velut à tergo eis relucet: quia sicut Propheta dicit, verterunt ad eam tergum & non faciem. In hoc autem re qua sanguis Domini Iesu Christi etiam pro impiis in sua impietate perituris fusus esse asseritur, quid vtilitatis in eis egerit, nihil omnino inuenitur, nisi vt iuxta disputationem antiqui & fidelissimi doctoris, cuius etiam doctrina & industria totæ Galliæ ab infestatione quondam Arrianæ impietatis Deo auxiliãte ante defensæ sunt, hoc eis non in remedium, sed sicut iam supra diximus, in exitium conuertatur. Ait namque vir ille doctissimus, & magna eloquẽtiæ facultate fultus, cum exponeret verba Euangelij, in quibus Iudæi obstinata impietate aduersus Dominũ dixisse leguntur: Sanguis eius super nos, & super filios nostros: Hoc sibi Iudaicus, hoc optat populus Christianus pari verbo, dispari voto. Est enim super nos, est & super illos: si super fidelem, protegit, si super inimicum ponitur, premit: sic tamen quod illos sibi adiungit quos tegit: illos non tangit quos grauat. Sed & illam B. Leonis sententiam licet ex parte aliis verbis, & alio forsitan sensu positã, quasi hoc vir ille senserit, quod etiam pro impiis in sua impietate perituris Dominus Christus mortuus sit manifesta veritas non ita intelligendã ostendit. Ait namq; ille, effusio pro multis sanguinis iusti tam potens ad priuilegiũ, tam diues ad pretium, vt si omnes in eum crederent, nullum tyrannica vincula retinerent. Vere enim pretiosus sanguis ille & potens extitit ad priuilegium vt omnes posset redimere: Et diues ad pretium, vt nullũ tyrannica, id est diabolica vincula retinerent, nisi qui ab eius fide alienus existeret. Et ideo in tanta quæstione non sunt proponẽda incongrua, non sunt asserenda superflua, vt in simplicitate & sinceritate Dei instruantur, & non in vanitate sensus nostri, hi qui nos audiunt inludantur.

Hilarius.

Subiungitur in eadem Epistola de tertia quæstione, id est prædestinatione diuina sermo prolixus, qui non totus simul, sed per partes ponendus & tractandus nobis videtur ita se habens.

Ex Epist.

Dicunt, inquit, quia qui omnes homines vult saluos fieri, & neminem vult perire, & qui pro omnibus passus est, neminem prædestinauit ad interitum vel ignem æternum: sed ex massa peccati quosdam sicut præsciuit, prædestinauit, id est, gratia præparauit ad vitam & regnum, & illis vitam ac regnum prædestinauit, id est gratia præparauit æternum: Euangelio teste qui dicit: Venite benedicti, id est de prima maledictione, gratia erepti, electi, & prædestinati, percipite regnum quod vobis paratum est, id est, quod vobis prædestinatum est ab origine mundi. Quosdam autem sicut præsciuit non ad mortem neque ad ignem prædestinauit, sed in massa peccati & perditionis iuste deseruit, à qua eos prædestinatione sua, id est gratia præparatione occulto, sed non iniusto iudicio nequaquam eripuit. Quia sicut beatus exponit Augustinus, prædestinatio est gratiæ præparatio: Gratia autem est ipsa donatio, id est prædestinationis effectus. Et B. Prosper in hac re S. Augustini expositor cum cæteris Orthodoxis concordans patribus dicit: Non est prædestinatio nisi quod ad donum pertinet gratiæ, aut ad retributionem iustitiæ.

In quibus verbis quod dicitur quia qui omnes vult saluos fieri, & neminem vult perire, & qui pro omnibus passus est neminem prædestinauerit ad interitum, vel ignem æternum, apertissime contrarium est fidei: Qua vere & fideliter creditur & definitur quod omnipotens Deus omnia opera sua quæ erat ipse facturus, quæ vtiq; nunquam esse possunt nisi iusta & recta, sicut in Psalmo canitur: Iustus Dominus in omnibus viis suis, & sanctus in omnibus operibus suis, ante omnia sæcula & verissime præscierit futura, & immobiliter prædestinauerit, id est, statuerit & præfinierit futura. Iusta quippe impiorũ & iniquorũ in æterna morte atque in æterno igni damnatio, opus est proculdubio iusti iudicij Dei, qui reddet vnicuique secundum opera eius. Et idcirco semper apud eum extitit, & vere præscitũ, & iuste prædestinatum qui attestante Propheta fecit quæ futura sunt. Nam si hoc in æterna eius præscientia & prædestinatione non fuisset, nunquam eius opus esset, nunquam temporaliter fieri potuisset. Quia omne opus suum ille præsciendo & prædestinando præuenit: Et ideo nihil est in eius operibus futurum, quod ipse non præscierit & prædestinauerit se esse facturum. Deinde contrarium est etiam doctrinæ & definitionibus sanctorum patrum, qui in vtramque partem tam videlicet electorum quam reproborum, quia & illorum glorificatio & istorũ condemnatio iustum Dei opus est, diuinam prædestinationem ponere non dubitant, sicuti iam supra satis à nobis ostensum est. Et ideo multum necesse est vt agnoscãt qui ita sentiunt, manifestam fidei veritatem, & fundatissimã beatorum patrum auctoritatem: Et quod eis nullatenus expedit, non spernant neque abiiciant illos de quibus Dominus ait: Qui vos audit, me audit, & qui vos spernit, me spernit. Quod si ideo eis videtur absurdum quia omnipotens Deus reprobos prædestinauerit ad interitum & ignem æternum, quoniam velit incredibile videtur, vt qui omnes vult saluari, & qui pro omnibus mortuus creditur, aliquem eorum prædestinauerit ad damnationem, recogitent attentius quia etsi illa verba Apostoli simpliciter intelligantur quibus de Deo dicit, qui vult omes homines saluos fieri, duobus modis hoc Deum agere certissimum est: Dum alios ita vult saluos fieri, vt ipse omnino facit saluos, sicut omnes electos: Alios vero ita velit saluos fieri, vt eos omnino non saluet, sed in æternum perire permittat, sicut vtique omnes reprobos quos iuxta hunc sensum, & vt benignus creator saluari voluit, & vt iustus Iudex æternæ perditioni tradidit. Sicut ergo & bonitatẽ suam eis ostendit, quia eos saluari voluit: & tamen bonitas eius non impediuit seueritatẽ eius qua eos iuste damnauit: Ita eadem bonitas eius nullatenus impediuit prædestinationem eius iustitiæ, dum quos ille saluos fieri voluit, & iniquos futuros semper præsciuit; Et in iniquitate sua permansuros iuste ad interitum prædestinauit. Ita & si pro omnibus etiam in sua impietate perituris Christus mortuus est, sic eis exhibuit bonitatem passionis suæ, vt tamen huiusmodi impios in sua impietate permansuros iusto suo iudicio condemnauerit. Sicut ipse ait, Qui non credit, iam iudicatus est. Et ideo bonitas eius, quia etiam pro talibus passus creditur, non euacuauit erga eos prædestinationem eius: Quia eos semper & præsciuit in sua impietate permãsuros, & prædestinauit iuste perituros. Quicquid ergo post ista in his verbis de æterna prædestinatione sanctorum dicitur, ad regnum & vitam æternã Catholice & fideliter dicitur:

1. Petr. 2. 9. ctione damnauit. Sequitur in eadem responsione. Quod & beatus Petrus in Epistola sua distincte loquens demonstrat cum dicit: Nouit Deus pios de tentatione eripere, iniquos autem in die iudicij cruciandos reseruare. Nouit enim verbum præsciētiæ Dei ad vniuersa hæc facit, videlicet & ad prædestinationem piorum quæ verbo ereptionis innititur, & ad significationem pœnæ prædestinatæ cum in fine cruciandos impios monstrat, quando reddet vnicuique secundū opera sua. Et ad discretionem.

Iniquos non dicit Dominum ad pœnarum cruciatus prædestinare: sed iuste desertos cruciandos reseruare: Et aperte monstratur quia præscientia sine prædestinatione esse potest, prædestinatio autem sine præscientia esse nō potest. Quocirca sola præscientia viget in reprobis, in quibus misericordia iuste nil operatur ad donū gratiæ: præscientia autem & prędestinatio, id est, gratiæ præparatio misericorditer operantur in electis qui prædestinantur ad regnum, & quibus regnum prædestinatur æternum quod ad donum pertinet gratiæ. Et præscientia simul & prædestinatio æque ac iustissime operantur in prædestinatione pœnæ reproborum, quæ pertinet ad retributionem iustitiæ. Hæc sententia beati Petri Apostoli non proprie de pręscientia & prædestinatione diuina, sed simpliciter nobis accipienda videtur: Ait namque: Nouit Dominus pios de tentatione eripere: Impios autem in die iudicij cruciandos reseruare: Id est, Nouit ille alta & secreta dispositione sapientiæ suæ & pios in præsenti vita periculis & tentationibus plena laborantes sua gratia, sua protectione eripere: Cui quotidie ipsi dicunt: Ne nos inducas in tentationem, ne aut prosperitatibus huius sęculi inclinentur, aut aduersitatibus frangantur. Et econtrario impios in hoc sęculo florētes, & in sua impietate velut prospere agentes nequaquam sua inscitia negligere, nequaquam impunitos dimittere, sed quos videtur quasi iniuste in suis cupiditatibus & delectationibus carnalibus securos & lætos relinquere, eosdem potius futuro suo iudicio & æternis cruciatibus reseruare, vt quanto hic licentius & amplius prosperantur, tanto ibi durius & atrocius puniantur. Potest tamen in istis postremis verbis vbi ait, impios vero in die iudicij cruciandos reseruare, aliquid diuinæ præscientiæ & prędestinationis erga eosdem impios velut ex latere intelligi: Quia quos occulto & iusto iudicio suo ad æternos reseruat cruciatus & præsciuit sine dubio, & prędestinauit perpetuo cruciandos. Quæ verba Apostoli cum ita & verius & rectius intelligantur, nihil necesse est velut ex eorum auctoritate tam multipliciter de ea re loqui, quę huius sententię attestatione non valet approbari, sed potius falsa & superuacua demonstrari. Sequitur in responsione aliqua etiam exempla quæ illorum stultitia ad munimen sui, eandem male intelligendo proferens, profert, sicut modò ad memoriam occurrunt sapientiæ vestræ scribo. Proferunt ex Apostolo vasa iræ aptata vel perfecta ad interitum, dicentes vasa esse prędestinata ad interitum & mutari non possunt, sed aliter alij intelligunt: Maxime cum idem dicat Apostolus de eisdem vasis: si quis emundauerit se ab istis, vide-
1 Tim. 2. 21. licet pro quibus vas contumelię fuerat, erit vas in honorem: Proferunt, qui non credit iam iudicatus est, id est, prędestinatione Dei iam damnatus est. Et Augustinus in libro de Agone Christiano dicit.

Cap. Qui non credit iam iudicatus est, id est iam damnatus est. Pręscientia vtique Dei. Qui nouit quid immineat, non credentibus. Proferunt indurauit cor Pharaonis,
Cap. tradidit illos in reprobum sensum, immittet eis spiritum erroris. Tu vero Deus deduces eos in puteum interitus.
Eccl. 18. 27 Qui transgreditur à iustitia ad iniquitatem, Deus parauit illum ad rompheam.

Hęc testimonia scripturarum quæ ab illo miserabili monacho & ab aliis nescimus quibus qui cum eo sentiunt ad cōfirmationem diuinæ præscientiæ & prædestinationis dicuntur esse probata, non negligenter & quasi transeunter omittenda, sed potius diligenter & fideliter iuxta regulam veritatis singillatim videtur esse tractanda: Ne forte parum attendentibus, & non intelligentibus nihil ad rem de qua agitur pertinere videantur. Aut velut leuia & nullius momēti absque periculo preteriri posse existimentur. Est enim certissimum & manifestissimum huius rei testimonium ex Apostolo sumptum: quia vt ipse dicit: sustinuit Deus in multa patientia vasa iræ aptata vel perfecta in interitum, vt ostenderet diuitias gloriæ suæ in vasa misericordię quæ præparauit in gloriam. Vere etenim vasa iræ, id est iustę vindictę Dei quam meruit primę transgressionis culpa, omnes reprobi sunt: qui in fine non ereptionem misericordiæ, sed iram damnationis sensuri sunt. Et hęc vasa irę non ad misericordiam, sed ad iudicium pręordinata iam & suo merito & diuino iudicio, & aptata & perfecta sunt in interitum: vt & suo pręcedente merito, & diuinæ prędestinationis iusto præcedente iudicio, qui noluerunt conuerti ad bonum, ęternum patiantur malum. Non ergo quia non potuerunt, sed quia noluerunt de malo conuerti ad bonū, iustum patientur supplicium. Sicut econtrario vere vasa misericordiæ sunt omnes electi, qui nullo suo præcedente merito, sed sola Dei misericordia à massa perditionis discreti diuina prędestinatione sunt vasa præparata in gloriam: Vnde & illud quod alibi idē dicit Apostolus: si quis autem se emundauerit ab istis, erit vas in honorem: Nullo modo huic tam clare & manifeste diuinę prædestinationis in vtramque partem tam electorum videlicet quam reproborum, si diligenter ex superioribus verbis Apostoli consideretur contrarium, sed omni concors & consonum inuenitur. Ait namque: in magna autem domo non solum sunt vasa aurea & argentea, sed & lignea & fictilia: Et quædam quidem in honorem, quędam autem in contumeliam: Et ita subiunxit: si quis autem emundauerit se ab istis, erit vas in honorem sanctificatum & vtile Domino. Manifestissime itaque constat, quod quę in illis verbis dixerat vasa irę aptata, siue perfecta in interitum: Et è contrario vasa misericordię pręparata in gloriam, ea omnino dicit hic quędam in honorem, & quædam in contumeliam: In honorem vasa misericordię, in contumeliam vasa iræ; sed cum ibi prædestinationem tantummodo vtriusque partis, id est electorum & reproborum, simpliciter commēdauerit, hic adiungit etiam exhortationem quam attente vasa misericordiæ debeant se custodire & segregare ab immunditiis vasorum iræ cum dicit: si quis autem emundauerit se ab istis, erit vas in honorem, &c. id est, si quis emundauerit se ab istis vasis iræ, vasis in contumeliam, vel ab eorum immunditiis, si aliquando in eis fuit, sollicite se extrahendo, vel nunquam eis se admiscendo, & immaculatum se ab hoc sęculo custodiendo, erit vas in honorem sanctificatum, id est, ipso emundationis & sanctificationis suæ effectu atq; profectu demonstrabit se ad vasa misericordiæ, & ad vasa honoris, & glorię pertinere, vnde non hoc significat in his verbis Apostolus, quod vasa irę & contumelię, id est, diuino iudicio reprobi & reprobati possint effici vasa misericordię & honoris & glorię, id est, in sortem electorum transire sicut scriptor huius Epistolę intellexit: Cum omnino reprobi qui diuinitus pręsciti sunt in suis iniquitatibus permansuri, nullatenus possint merito perseuerantissimę iniquitatis suæ in societate electorum censeri, sicut regula Catholicę fidei indubitanter tenet & docet, sed vt vnusquisque fidelium, sicut iam dictum est, ipsa fidei & iustitiæ sanctificatione probet, & declaret sese ad vasa misericordię & electionis pertinere. Duo namque sunt quibus velut quodam signaculo probātur & agnoscuntur electi Dei: scilicet ęterna diuinæ gratię pręordinatio, vt ex manifesta luce iustitię & sanctitatis manifestetur in eis veritas diuinę electionis: sicut ipse Apostolus paulo superius ostēdit dicens: Sed firmum fundamētum Dei stetit habens signaculum hoc: Cognouit Dominus qui sunt eius, ęterna electio est: Cognouit Dominus qui sunt eius & discedat ab omni iniquitate om-

Rom. 9. 22.
2. Tim. 2. 21.
2. Tim. 2. 19.

nus qui nominat nomen Domini. Quod ergo cognouit Dominus qui sunt, æterna electio est: vt autem discedat ab iniquitate omnis qui nominat nomen Domini, certa ipsius electionis probatio est. Secundo loco testimonium diuinæ prædestinationis de Euangelio ponitur: Qui non credit iam iudicatus est: Quod videlicet omnes impij & increduli iam sunt diuina prædestinatione dãnati. Quia videlicet si eorum damnatio iustum diuini iudicij opus est, sine dubio opus suum semper apud Deum & præscitum & prædestinatum est. Sed scriptor Epistolæ nolens damnationem incredulorum ad diuinam prædestinationem, sed tantummodo ad præscientiam pertinere, subiungit verba beati Augustini quibus quasi hoc probare videatur. Ait namque ille in libro de Agone Christiano memorans verba Euangelij: Qui non credit B iam iudicatus est, id est, iam damnatus est præscientia vtique Dei qui nouit quid immineat non credentibus: Ego quod non dixerit sanctus doctor iam damnatus est prædestinatione Dei, sed præscientia Dei. Nec dixerit qui statuit aut præfiniuit siue prædestinauit, sed qui nouit, inquit, quid immineat non credentibus, quasi omnipotens Deus aliquid operum suorum præscierit futurum, quod non prædestinauerit se esse facturum? Aut cum in operibus ponitur præscientia Dei, non statim certissime intelligi debeat & prædestinatio Dei. Quia sicut nihil operum suorum prædestinauit, quod non præscient. Ita quicquid eorum præsciuit, sine dubio etiam prædestinauit. Nihil omnino in operibus eius est iniustum aut iniquum, vt digne tantummodo præsciretur, & non prædestinaretur, sed quia totum est iustum & rectum, totum C est omnino præscitum, totum omnino prædestinatum, vnde idem beatus Augustinus, qui in hoc loco dicit incredulos iam diuina præscientia damnatos, alibi cum tractaret verba Domini dicentis ad quosdã, sed vos non creditis quia non estis ex ouibus meis: Eosdem testatur diuino iudicio ad æternam mortem prædestinatos, ita dicens. Quomodo ergo istis dixit, nõ estis ex ouibus meis, quia videbat eos ad sempiternum interitum prædestinatos, non ad vitam æternam sui sanguinis pretio comparatos: Ecce & in illis verbis Domini quibus ait, qui non credit iam iudicatus est: & in istis quibus dixit, sed vos non creditis, quia nõ estis ex ouibus meis, vtrobique increduli & infideles designati sunt, & quos in illa senten- D tia sanctus doctor dixit, diuina præscientia iam damnatos, in ista eosdem dixit ad æternum interitum prædestinatos, non quia alij ex eis diuina præscientia, & alij diuina prædestinatione dãnati sunt: sed quia diuini iudicij virtute qua tales damnantur, sicut & in omni opere diuino vtrumque simul intelligendum sit, & si non vbique quia nulla exigit necessitas simul dicendum: Tertio loco testimonium de Exodo ponitur, indurauit Dominus cor Pharaonis: Quod manifeste non ad præscientiam vel prædestinationẽ futurorum, sed ad præsens Dei iudiciũ pertinet, qui eum quem tali pœna iudicauit iusto iudicio indurauit. Similiter & quartum testimonium intelligẽdum est, scilicet non de præscientia aut prædestinatione, sed præsenti iusto iudicio Dei quod Apostolus dicit: Tradidit illos Deus in reprobum sensum. Et quintum vbi ait: mittet eis Deus operationem erroris; quia, vt dictũ est quos dignos tali pœna iudicauit, vel in reprobum sensum tradidit, vel eis suo iusto iudicio operationem erroris immisit. Similiter & sextum accipiendum est. Tu vero Deus deduces eos in puteum interitus. Puteus namq; interitus est, vt beatus Augustinus exponit, tenebræ erroris, tenebræ summersionis. Deducit vero Deus reprobos in hunc puteum, non quod ipse sit auctor culpæ ipsorum, sed quod ipse sit Iudex iniquitatis eorum. Quod etiam si quis de puteo infernalis damnationis & summersionis eodem sensu velit intelligi: Et pertinere potest ad iustam prædestinationem interitus reproborum, & non est contrarium veritati. Quod autem septimo loco ponitur: Et qui transgreditur à iustitia ad iniquitatem, Deus parauit illum ad rompheam, mani-

2. Thess. 2. 11.

Notent Caluinistæ

Ezech. 18. 24.

A feste iustã prædestinationem reproborum ad interitum sonat, vt qui suo vitio & suo peruerso arbitrio à iustitia declinans transgreditur ad iniquitatẽ iuste diuini iudicij prædestinatione præparetur ad romphæam, id est, ad æternæ mortis vindictam. De qualibus etiam alibi scriptum est, quod si auerterit se iustus à iustitia sua, & fecerit iniquitatem, morietur in ea. Iam cætera scripturarũ testimonia quę sequuntur, sicut etiam de quibusdam iam superius dictum est, non ad præscientiam vel prędestinationem futurorum, sed ad præsens Dei iudicium pertinere existimamus. Et ideo prætermissis his quæ ad præsentem quæstionem minime pertinent, ad ea quæ restant consideranda, transeamus.

Sequitur in eadem responsione. Sed isti maliuoli non B intelligẽtes quæ loquuntur, vel de quibus affirmãt, confundunt præscientiam & prædestinationem: Et sicut male intelligunt authenticas scripturas, Ita & pessime verba sancti Augustini in quibusdam locis, sicut in Enchyridion, & in libris de ciuitate Dei, & alibi etiam prædestinatos ad interitum, & populum natum ad iram dicit. Vnde etiam postquam de libero arbitrio, & de correptione & gratia, & de perfectione iustitiæ hominis, & de prædestinatione sanctorum ad Prosperum & Hilarium, vbi nihil de prædestinatione reproborum, sed de prædestinatione sanctorum dixit, multis postulantibus scripserat, *librũ hypomnesticum aduersus Cælestium & Pelagium scripsit de quinq; quæstionibus, & hanc sextam loco retractationis superaddidit* de prædestinatione: vbi se excusat nõ eo sensu dixisse, nec intelligi velle prędestinatos C ad interitum, sed in iniquitate vel impietate perseuerantibus pœnam esse prædestinatam. Quarum quæstionum & absolutionum mẽtionem in libro quem scripsit contra Manichæos ex Genesi facit. Propterea maliuolos, id est illum miserabilem monachum, & qui cum eo forsitan sentiunt, confundere præscientiam & prædestinationem diuinam arguit, quia sicut in tota ista responsione laborauit. non vult intelligi prædestinationem nisi in solis electis: In reprobis vero solam præscientiam debere sentiri. In qua assertione non solos istos quos vocat maliuolos, sed sanctos patres & doctores Ecclesiæ, qui prædestinationem diuinã in vtramque partem & intellexerunt & docuerunt, se culpandos affirmare nequaquam considerat. Quod vero pessime dicit intelligi ver- D ba sancti Augustini, si quis in libro Enchyridion, & in libris de ciuitate Dei, & in tractatibus Euangelij secundũ Ioannem, ita intelligat prædestinationem reproborum ad interitum sicut eam ille & scriptis suis per omnes Ecclesias, & verbis etiam præsentibus populis simpliciter & veraciter prædicauit: Atque ita conatur beatissimi doctoris manifestum & veracem sensum nescimus in quid aliud peruertere & detorquere, quantæ absurditatis, immo quam impiæ præsumptionis sit, qui possit explicare. Per hoc enim non solum sensum Ecclesiasticorũ patrum, sed etiam fidem Ecclesiæ & auctoritatem scripturæ diuinæ à parte euacuare molitur. Ita namq; patres docuerunt: Ita Ecclesia fideliter tenet: Ita scriptura veritatis E veraciter tenendum demonstrat: Sicut iam superius, prout Dominus dare dignatus est, satis probauimus. Adiungit etiam rem nouam & neque ex lectione, neque ex veraci aliqua traditione nobis hactenus comparatam. Quod, scilicet, beatus Augustinus post omnes libros suos scripserit quendam libellum quẽ græco *vocabulo hypomnesticon nominant*, quod latine memoratorium interpretatur: In quo de quinq; quęstionibus contra Pelagium & Cælestium disputauerit. Et quicquid in præcedentibus libris de prædestinatione diuina erga dãnationem reproborum dixerat, non ita se dixisse, vt ab omnibus dixisse cognoscitur & intelligitur: sed alio absurdissimo & inconuenientissimo sensu: vt per hoc quod dixit impios ad interitum prædestinatos, noluerit intelligi ipsos impios ad interitum prędestinatos, sed quod nemo credere aut suspicari posset pœnã eis intelligi voluerit esse prædestinatã. Quis vnquam audiuit tam pertinacem

Vulgo hypognosticon male hab. tomo 7. Aug. opera tom. 7.

tinacem audaciã, vel tam audacem pertinaciam, vt sanctissimum & veracissimum doctorem ipsum de se fateri compellat. quia quod dixit impios in sua impietate permansuros prædestinasse ad interitum, non dixit quia veraciter ita sit, sed quod in eius verbis nullatenus sonat pœnam eis intelligi voluerit præparatam. Quis talẽ absurditatem immo insaniam ferre possit? Nos enim manifeste nouimus, quia quando libros Retractationum iam senex & morti vicinus scripsit, in quibus omnes præcedentes libros suos diligenter & fideliter retractauit, nequaquam adhuc istum libellum scripserat. Quia si scripsisset, vtique inter alios etiam eius mentionem fecisset. Manifestum etiam videtur, quia post eius obitum, quando vitam ipsius & catalogum non solum librorum eius, sed etiam tractatuum ad populum, & Epistolarum ad diuersos quidam sanctus Episcopus & alumnus eius diligẽtissime recensuit & descripsit, necdum istum libellum scripserat beatus Augustinus: si enim scripsisset, vtique tanquam præcipue necessaria inter alios annumerari & memoriæ commendari potuisset? *Quod si aliquis* ex Ecclesiæ rectoribus qui post eius obitum extiterunt simpliciter eum ex titulo qui à sancti Augustini nomine inscriptus est, non considerata diligentius ratione, nec aliqua necessitate vt id faceret compellente, ipsius eum esse credidit cuius in fronte nomen inuenit: Quid hoc præiudicat veritati? quæ diligenter inquisita & inuenta nullum super hac re errare permittit. Accidit hoc etiam & præclarissimis Ecclesiæ magistris, vt scilicet siue ex titulo libri, siue ex alterius narratione inducti putauerint & scripserint eius auctoris aliquod esse opusculum, cuius postea non esse & veraciter probauerunt & humiliter confessi sunt. Sicut beatus Hieronymus in libris contra calumniatorem suum de libro quem ex falso titulo crediderat beati Pamphyli martyris, & postea inuenit Eusebij esse Cæsariensis, manifeste declarat: Et beatus Augustinus in libris Retractationum euidẽter commemorat, & corrigit quod iuxta cuiusdam scripta, sententias quasdam de libero arbitrio, & de gratia Dei sic intellexerit & exposuerit tanquã beatissimi Xisti Romanæ vrbis Pontificis & martyris, cum è contrario postea inuenerit Ethnici eas esse philosophi, id est Sexti Pytagorei. Nam & ipse supra memoratus libellus manifestissimis indiciis nõ se sancti Augustini esse aperte ostendit, quia nec præfationem aliquã in initio sui gerit vbi se ab aliquibus rogatum vel sibi necessario visum, vt de tali re. i. prædestinationis verbo in suis libris corrigendo siue aliter exponendo aliquod nouum opus scriberet & significasse inueniatur. Nec vlla talis necessitas extitisse cognoscitur vt de illis quinque quæstionibus de quibus tam multa & tam multipliciter in libris præcedentibus disputauerat, iterum nouo opere disputare cogeretur. Sed & ipse sermo ab eloquio sancti Augustini multum discrepat: Et sensus ab illius sensu nõ parum inferior habetur: Et modestia atq; humilitas morum & sermonum eius non ibi seruatur: Et testimoniis ex Hebraica translatione, quam B. Hieronym. *edidit præter eius consuetudinem contra illos hæreticos vtitur. Quod ille ex antiqua potius editione facere consueuit* Et prorsus de tanto viro sentire indignũ est verbum & sensum prædestinationis quẽ omni tempore in suis scriptis & prædicationibus tenuit & cõmendauit, & quem in libris Retractationum nequaquam reprehendẽdo vtique approbauit; in hoc libello euacuare & destruere inueniatur, vt iam ex huiusmodi occasione nec retractationibus eius fides adhibenda videatur. Vnde magis credibile est, quod non paruo spatio post Eusebium à quodã alio scriptum sit, & magna ex parte iuxta modum & formam sensuum eius contra Pelagianos & Cælestianos hæreticos de illis quinque periculosioribus eorum quæstionibus breuiter collectus atque digestus Et quia auctor eius ipsius beati Augustini sẽsus breui isto opusculo velut in vnum collegisse, & explicuisse videtur, ideo ipsi opusculo nomen sancti Augustini in titulo præferre voluerit: Non quod vere ab illo sit editus

Possidon.

sed vere in quantum auctor eius potuit iuxta formã disputationũ eius digestus atque compositus, velut in eundem libellum Latine memoratorium sancti Augustini appellare voluisset, nihil vtique aliud intelligeretur nisi quia illud quod ab eo sparsim & multipliciter fuerat disputatum, breuiter & velut sub vno aspectu positum memoriæ commendaret. Nam si beatus Augustinus prędestinationis verbum in parte reproborum, vt durum & incõgruum, vel etiam falsum in suis scriptis repudiare & damnare voluisset, multo maior & formidolosior extitit occasio, vt hoc in libris quos de prædestinatione sanctorum & dono perseuerantiæ ad Prosperum & Hilarium scripsit, facere cogeretur, compellente. s. tanta super hac re querimonia & perturbatione magnorũ & sanctorum apud Gallias virorum qui disputationibus in tantũ permoti fuerant, & quodam tædio affecti, vt prædestinationis sensum constanter & instãter prædicabatur, vel quasi falsum, vel quasi periculosum potius tacẽdum esse indicarent. Sed nec tanta perturbatione & permotione fidelium ab intentione veracissimæ & fidelissimæ doctrinæ suæ frangi potuit aut reuocari. Sed magis eos & scriptis suis in quantum potuit, admonuit & instruxit, & orationibus apud Deum profusis fideliter adiuuit. vt intelligerent & agnoscerent quam necessario & quam salubriter propter commendationem diuinæ gratiæ eiusdem prædestinationis veritas omnino & credenda & prædicanda esset. Pelagiani vero hęretici numquam prędestinationẽ in parte reproborum, quia vt putamus & verã & iustam esse intellexerunt in eius disputationibus reprehendisse inueniũtur. Sed tantummodo in parte electorum vt diuinam gratiam destruerent, & liberum arbitrium hominis afficere cõfirmarent, eam negauerunt, quia videlicet si omnipotens Deus ante mundi constitutionẽ quos saluaturus esset elegit, & dona sua quę eis largiturus fuerat prædestinauit, cessat hic omnis humani arbitrij præsumptio & sola Dei gratia euidentissime & firmissime commendatur, per quam ipsum etiam humanũ arbitrium, & à seruitute peccati liberatur & diuinis muneribus illustratur. Atq; ita euidenti & inuicta ratione, totum eorũdem Pelagianorũ falsum & fallax dogma destruitur. Nõ ergo tantus doctor veram diuini iudicij prędestinationẽ de damnatione reproborũ illo hypomnisticõn libello negauit, quam vbiq; in suis scriptis asseruit: sed alius quidam vt putamus, noua postmodũ insurgente calumnia velut per illam prædestinationem reproborum ad interitum hoc doceret Ecclesia, quasi Deus sua prædestinatione necessitatem imponeret hominibus, & in suis impietatibus permanendi, & in æternum pereundi, subtraxit verbum prædestinationis in parte reproborum. Quod potius secundum veritatem diuini iudicij, & diligenter exponi & commendari oportuerat. Et solam electorum prædestinationem conatus est asserere. atque ita dum vult illam refutare & remouere calumniam, magnam erroris occasionem dedit, vt eadem tam vera & manifesta in damnatione reproborum diuina prædestinatio nulla esse crederetur, & tanquam nulla sit, negaretur. Quapropter diligenter inquisita & euidenter agnita veritate, cesset contentio & animositas erroris, & suscipiatur libenter atque obedienter manifestatio veritatis, vt autem quinque illas quæstiones, siue appositiones Pelagianorum in libris quos de expositione Genesis, idem beatus Augustinus contra errores & blasphemias Manichæorum scripsit, commemoraret, nec in nostris codicibus inuenitur, nec vlla ratio esse videtur, quia manifestum omnino est quãdo eosdem libros idem auctor conscripsit primis fere adhuc temporibus conuersionis, siue presbyterij sui: nec dum tunc Pelagianorum nomẽ aut hæresim extitisse, sed longo post tempore & multis intercedentibus annis eorum insaniam atque impugnationem contra Ecclesiam surrexisse. Et ideo quod neque ad Manichæos hæreticos pertinebat, neque à Pelagianis qui nec dum exorti fuerãt nullatenus opponi potuerat, nulla prorsus ratio permittit, quod adhuc penitus futu-

Ex hoc habetur semipelagianos non fuisse hæreticos sed Catholicos.

Orabat August. pro aduersarijs.

rum ignorabatur, in illis libris velut trãsactum commemoraretur. Sunt quidem circa finem librorum eorumdem breuiter contra Manichæos propositæ atque expositæ quædam quinque quæstiones, sed ad Pelagianos nihil pertinentes & eorum nullam memoriam facientes.

Illud quoq; quod dixit scriptor epistolæ quia in libris ad Prosperum & Hilarium scriptis de præstinatione sanctorum & dono perseuerantiæ, nihil idem doctor dixerit de prædestinatione reproborum ad interitum nullatenus verum esse cognoscimus, frequenter enim in eisdem libris de vtriusque partis, id est, electorum & reproborum prædestinatione nunc simul, nunc distincte disputat. Et ideo liber ille de prædestinatione sanctorum titulatur: non quia & de prædestinatione reproborum nihil ibi dicitur, sed quia ex meliori parte nomẽ accepit. Sicut & in libris de ciuitate Dei, vtique de vtriusque ciuitatibus, & Dei, scilicet, & diaboli pariter & multipliciter disputat: Et tamẽ ex meliori parte libros de ciuitate Dei voluit appellare. Quia ergo multum ad præsentem quæstionem vbi de diuina prædestinatione agitur, necessarium videtur opportune atque vtiliter fieri existimamus, vt aliqua ex eisdem libris ad hãc rem pertinentia agnoscenda & tenenda legentibus proponamus. Ait igitur quodam loco distinguens vtramq; prædestinationem, sicut iam superius memorauimus. Prædestinatio Dei quæ in bono est, gratiæ est præparatio, Gratia vero est ipsius prædestinationis effectus. Et alibi. Tanta quippe ab inimicis Iudæis manus Dei & consilium prędestinauit fieri, quanta necessaria fuerant Euangelio propter nos. Agit quippe Deus quod vult in cordibus hominum vel adiuuando, vel iustificando, vt etiam per eos impleatur, quod manus Dei & consilium prædestinauit fieri. Et alio loco: Hæc Deus facturum sa esse præsciuit Ipsa est prædestinatio sanctorum, quos elegit in Christo ante constitutionem mundi. Et iterum: Et paruulis, ait, quibus vult etiam non volentibus neque currentibus, subuenit; quos ante constitutionem mundi elegit in Christo daturus eis gratiam gratis: Et maioribus, etiam his quos præuidit si apud eos facta essent, suis miraculis credituros, quibus nõ vult subuenire, nõ subuenit. De quibus in sua prædestinatione occulte quidem, sed iuste id iudicauit. Nõ enim est iniquitas apud Deum, sed inscrutabilia sũt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius. Item ibi post paululum. Duorum, inquit, geminorum, quorum vnus assumitur, vnus relinquitur, dispar est exitus, merita cõmunia. In quibus tamen sic magna Dei bonitate liberatur, vt alter nulla eius iniquitate damnetur; nũquid enim est iniquitas apud Deum? absit: sed inuestigabiles sunt viæ ipsius. Itaq; misericordiam eius in his qui liberantur, & veritatem in his qui puniuntur sine dubitatione credamus; neque inscrutabilia scrutari, aut inuestigabilia vestigare conemur. Et alio loco: Hæc est prædestinatio sanctorum nihil aliud præscia, s. & præparatio beneficiorũ Dei, quibus certissime liberantur, quicumq; liberãtur. Cæteri autem vbi nisi in massa perditionis iusto diuino iudicio relinquuntur. Et iterum: An forte nec ipsa dicunt prædestinata: Ergo nec dantur à Deo, aut ea se daturum esse nesciuit. Quod si & dantur, & ea se daturum esse pręsciuit profecto prædestinauit. Et iterũ: Nulla sua futura dona & quę danda essent, & quibus danda essent, Deum non præscire potuisse: Ac per hoc prædestinatos ab illo esse, quos liberat & coronat. Item alibi: Sine dubitatione enim præsciuit, si prędestinauit: sed prædestinasse est, hoc præscisse quod fuerat ipse facturus. Hæc ex supra memoratis B. Augustini libris breuiter consideranda proposuimus vt diuinæ præscientiæ & prædestinationis æternam & immobilem veritatem perspicue eum docuisse, & legentibus commendasse certissime cognoscamus. Sequitur autem in pręfata responsione.

Sed de gratia vel libero arbitrio qui melius sapiũt, ita credunt, & ita loquuntur: Arbitrium liberum in primo homine non emortuum, sed vitiatum, in nobis autem ad malum agendum arbitrium male est liberum: quia à gratia non liberato, sed male libero arbitrio vsi efficimur serui peccati. Ad bene agendum autem, immo & ad bene volẽdum tunc vere est nostrum arbitrium liberum cum fuerit gratia liberatum, quod non est resuscitatum quia non fuit emortuum; sed gratia est sanatum quia vitio fuit corruptum. Et reprobi idcirco nequaquam cœlestis patriæ præmia æterna percipient quia ea nunc, dum promereri poterant ex libero arbitrio, contempserunt: quod videlicet liberum arbitrium in bono formatur electis cum eorum mens à terrenis desideriis gratia aspirante suspenditur. Bonum quippe quod agimus & Dei est & nostrum; Dei per pręuenientem gratiã: nostrũ per subsequentem liberam voluntatem; si enim Dei nõ est, vnde ei in æternum gratias agimus? Rursum, si nostrum nõ est, vnde nobis retribui pręmia speramus? Quia ergo non in merito gratias agimus, scimus quod eius munere præuenimur. Et rursum, quia in non merito retributionem quærimus, scimus quod subsequente libero arbitrio bona eligimus quæ ageremus, vnde sicut sãcta scriptura docemur, gratia præuenimur vt bene velimus. Per liberum arbitrium gratiam subsequimur, vt bene agamus. Gratia adiuuamur, vt bene agere possimus, quod arbitrio volumus. Et gratia corroboramur, vt in bono quod per liberum arbitrium subsequendo cœpimus perseueremus. Et gratia subsequimur, vt & gratia bonæ retributionis pro gratia bonæ operationis gratuita gratia remuneremur. Et misericordia eius, inquit, id est gratia præueniet me. Et qui coronat te in misericordia & miserationibus. *Psal. 58. 11.*

In his verbis quod dictũ est arbitrium liberum in primo homine non fuit emortuum, sed vitiatum: & quod paulò post de eodem libero arbitrio subiungitur, quod non est resuscitatum, quia non fuit emortuum, sed vitiatum, sed gratia est sanatum, quia vitio fuit corruptum, multũ miramur qua ratione ita sentiri & dici potuerit. Nunquid enim primus homo peccando in anima mortuus non est? sicut scriptura verissime dicit: Anima quæ peccauerit ipsa morietur. Et quid est vere liberum arbitrium animæ nisi libera animæ voluntas? Quid est autẽ libera animæ voluntas, nisi libera charitas, qua sponte & voluntarie & perfecte ante peccatum Deo adhærebat anima, & ex eo viuificatur, tanquam ex fonte vitæ & ab ipso illuminabatur sicut ex vero lumine: Cui fideliter dicere debemus. Quoniam apud te est fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen. *Ezech. 18. 4.* Mortua est itaque humana anima per peccatum, non amittendo, sicut iam superius diximus, naturam suam, sed amittendo veram vitam suam quæ illi Deus est: vnde ad Deum conuersa viuificatur & viuit Deo: A Deo autem auersa moritur, Deo & viuit peccato. Et sine dubio voluntate auertitur à Deo, vt moriatur: & voluntate conuertitur ad Deum vt viuificetur, voluntas ergo animæ ad Deum conuersa fit bona: à Deo auersa fit mala: ad Deum conuersa viuificatur: à Deo auersa, moritur sicut acies oculorum corporalium, à luce auersa tenebrescit: ad lucem conuersa clarescit. Quid est vitiũ animæ nisi auersio à Deo? & quid est virtus animæ nisi conuersio ad Deum? vitium itaque auersionis à Deo mors animæ est: & virtus conuersionis ad Deum vita animæ est. Et quia, sicut iam dictum est, voluntate auertitur à Deo, & voluntate conuertitur ad Deũ, ipsa auersione vel conuersione voluntatis animæ quæ naturaliter cum ipsa in ipsa est, cum ipsa & in ipsa pariter aut moritur, aut viuificatur. Et ideo nullatenus credendum est, quod in primo homine mortua anima per peccatum, non fuerit voluntas bona mortua eodem peccato. Tota namque anima cum voluntate sua, aut viuit, aut moritur. Et ideo nec sine voluntate sua potuit Deo viuere: nec sine voluntate sua potuit Deo mori. Nec sine voluntate sua mortua est peccato mortifero Nam si primo homine peccante voluntas bona non est mortua, quomodo nunc per viuificantem gratiam & creatur, & innouatur; & Deus eam operatur in homine. Vnde ait Apostolus: Ipsius enim sumus figmentum

mentum creati in Christo Iesu in operibus bonis: sed A vt simus creati in Christo Iesu in operibus bonis, illud necesse est vt fiat in nobis quod Psalmista ait: Cor mundum crea in me Deus, & spiritum rectum innoua in visceribus meis. Deus est enim qui operatur in nobis velle. Quid est enim cor mundum nisi munda conscientia à peccatis cordis mūdata & bona voluntate prędita? Et quid est spiritus rectus, nisi nulla mala voluntate deprauatus? Et quid est Deum operari in nobis velle, nisi inspirare & largiri nobis bonum velle: Mortua est itaq; peccando humana anima & humana voluntas à vita Dei. Mortuum est illud quod erat ante peccatum vere liberum arbitrium, quo libera hominis voluntas, id est libera hominis charitas voluntatie & libere diligendo B adhærebat Deo. Et vere mortuum est huiusmodi liberum arbitrium hominis negligendo Deum & credendo à Deo. Et ab ea morte qua amisit charitate Dei resuscitatur & viuificatur per eandem gratiam charitatis Dei, quod aperte beatus Ioannes Apostolus docet dicens: Nos scimus quoniam translati sumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres. Qui non diligit manet in morte. Vita itaque humanæ animæ, & humanæ volūtatis, Dei & proximi dilectio est: qua homo ante peccatum fruebatur Deo, & fruebatur proximo in Deo ab hac vita sua mortuus est, negligendo Deum, negligendo seipsum & proximum: Quoniam qui non diligit, manet in morte. Anima itaque humana, & humana voluntas sicut vere manet in morte non diligendo: ita C vere transfertur de morte in vitam diligendo. Et sicut vera mors eius est non diligere: Ita & vera vita eius est diligere. Hac dilectione non fit vere liberum arbitrium, id est vere libera voluntas, nisi illo liberante, id est, libertatem largiente qui ait, si vos filius liberauerit, tunc vere liberi eritis: Et nisi illo munere spiritus Dei, de quo dicit Apostolus, vbi autem Spiritus Domini, ibi libertas. Sed & illud quod in istis verbis dicitur: quia bonum quod agimus, & Dei est, & nostrum: quia nisi esset Dei non ei pro eodem bono in æternum gratias ageremus: Et nisi esset nostrum, non ab eo pro eodem bono iusto præmia expectaremus. Nescimus quid diuisionis vel cuiusdam distributionis vnius atque eiusdem boni inter Deum & hominem sonat. Quasi ex parte sit D Dei, & ex parte nostrum. Sicut toto isto sermone asserere videtur scriptor Epistolę, vt quasi initium boni nostri sit Deus, effectus vero liberi humani arbitrij, licet hunc errorem velut gratiæ adiunctione non etiam plenitudine temperare conetur, cum vere totum sit Dei, sicut ipsa veritas dicit: sine me nihil potestis facere. Et Apostolus: quid enim, inquit, habes quod non accepisti. Vnde beatus & gloriosus martyr Cyprianus definiuit dicens: In nullo gloriandum quando nihil nostrum sit. Bonum itaque nostrum totum Dei est, quia totum ex Deo est: & nihil boni nostri nostrum est, quia nihil boni nostri ex nobis est. Et ideo manifeste, vt iuxta formam paternæ doctrinæ potius loquamur, omne bonum nostrum, & totum Dei est donando, & totum nostrum fit E accipiendo, vnde & in Dominica oratione quotidie postulamus dicentes: Panem nostrum quotidianum da nobis hodie: Cur enim panem nostrum nobis poscimus à Deo dari, nisi quia, vt diximus, sicut vere est Dei largiendo, ita etiam nostrum fit accipiēdo, vnde & beatus Papa Cælestinus, sicut iam superius eius verba posuimus, ait: Tanta enim est erga omnes homines bonitas Dei, vt nostra velit esse merita, quæ sunt ipsius dona. Totum itaque bonum nostrum Deo dandum, Deo est tribuēdum, quia totum ex illo est, non ex nobis, dum totum & ab illo inchoatur, ac ab illo agitur, ac peragitur in nobis? quia non qui suo, sed quicumq; spiritu Dei aguntur, hi filij sunt Dei. Hæc de prima epistola, quia multis & perplexis quæstionibus plena erat, prout Dominus donare dignatus est, ipsa necessitate cogente prolixius diximus. In secunda autem Epistola pauca quidem sunt de quibus dici oporteat, sed nec ipsa silentio prætereunda. Cum ergo de præfatis quæstionibus, & ille qui hanc secundam scripsit epistolam breuiter significare vellet quantum apud eos esset inquirendi studium, & quanta dissonantia sententiarum, quantaque auiditate desideraretur, vt de his rebus aliquid certum & absque ambiguitate sequēdum inueniri & ostendi posset ita ait: Plures inde apud nos scripserunt. Et cum quinque ex eis nominasset, inter quos *etiam Amalarium scripsisse memorauit*, subiunxit dicens: Sed quia hæc inter se valde dissentiebant. *Scotum illum qui est in palatio regis Ioannem nomine scribere coegimus*. Et paulò post: Quæ autem inter nostros inde sit maxima contentio vobis significo. Quidam dicunt Augustinum edidisse libellum quem hypognosticon prætitulauit. Et quidam nostrorum dicunt, non à præfato viro eundem libellum esse editum: quod mendacium esse cito probare poterit, qui secundum libellum Augustini quem in Genesim contra Manichæos edidit ad finem vsque perlegerit: vbi demonstrat se ipsam quæstionem cum aliis quinque contra rabiem Manichæorum edidisse: Et propterea in retractatione nihil inde commemorat, quia quæcumque aliorsum de prædestinatione dixerat, *In eo libello corrigere videtur*. Simili modo etiam quidem dicimus de incrratione cordis *Pharaonis libellum à beato Hieronymo editum*. Et nostrorum quidam non ab eo, sed ab alio quolibet mendose factum. Quod etiam mendacium fore inuenietis, *si septimum decimum librum præfati Hieronymi in Isaiam legeritis vbi mentionem* eiusdem libelli facit.

His verbis quid aliud in primis respondere possumus, nisi quia de his rebus auxiliante, & protegente diuina misericordia, nullus labor, nulla necessitas noua inquirendi, & inueniendi, & scribendi apud eos extitisse: nec tanta dissensio & contentio exoriri potuisset, si remoto omni præsumptionis, atque animositatis studio, sola apud illos veritas in sanctorum patrum dogmatibus, & Ecclesiasticis definitionibus, quorum rectissimam fidem & fidelissimam doctrinam semper honorabiliter & fideliter, & secuta est, & sequitur, & sequetur Ecclesia vnanimiter, & humiliter atque obedienter in quæreretur. Et quod inuentum esset pacifica & tranquilla pietate omnibus sequendum proponeretur & commendaretur. Nec propter vnum libellum vsque hodie incerti auctoris, & inusitati atque nullatenus recipiendi sensus de quæstione prescientiæ & prædestinationis Dei, tam claris & tanta firmitate solidatis Ecclesiasticæ veritatis institutionibus præferre maluissent. Quid enim causæ extitit, vt illa omnia postponerentur, & scripturæ sanctæ veritas minus discussa & considerata negligeretur. Ex his omnibus quod nullo certo auctore, nulla vera ratione fultum est, sequendum potius iudicaretur, nisi à parte ipsum contentionis malum, quo semel præsumpta sententia, & sensus inconsiderate prolatus obstinate potius defendendus quam salubriter putatus est corrigendus, vnde etiam satis mirari non possumus, quomodo illæ quinque vel sex quæstiones à beato Augustino contra Manichæorum rabiem, prolatæ esse credi potuerunt, Cum sicut & multiplices libri eiusdem sancti doctoris testantur, & ipse hypomnisticon libellus manifeste ostendit à Pelagianis primum hæreticis contra fidem Ecclesiæ sint obiectæ, & ad eorum confutationem diligentius sint tractatæ. Certissime autem, sicut iam supra diximus, quando illos libros beatus Augustinus de expositione Genesis contra Manichæos scripsit, nec dum Pelagiani auditi, aut exorti fuerint: sed longo post tempore Ecclesiam Dei cœperint impugnare. De ipsorum libello qui huius erroris & conturbationis occasionem dedit, quia iam superius satis diximus, hic nihil amplius dicendum putamus. Libellum vero de induratione cordis Pharaonis, qui à beato Hieronymo scriptus putatur, nec in libro de viris inlustribus, nec in venerabili vitæ eius historia, inter eius opuscula inuenire potuimus. In libro tamen septimo decimo expla-

Optima definitio [illegible]

A nationum Esaiæ Prophetæ aliquid tale scripsisse commemorat, nec tamen specialiter de induratione cordis Pharaonis, sed de tota illa ad Romanos difficillima Apostoli quæstione breuiter perstrinxisse designat: sed quia nos huiusmodi libellũ numquam vidimus, vtrum ille qui apud istos inuenitur, & stili grauitate & fidei sinceritate eius esse credendus sit, tanquam de ignoto iudicare non possimus. Quid tamen ille sanctus doctor iuxta fidei Catholicæ veritatem de libero arbitrio senserit, & dialogi ipsius, quos sub nomine Attici & Critoboli, contra Pelagianos scripsit manifestissime testantur: Et fidei eius professio quam plenissime & perfectissime contra quosdã calumniatores ad pontificem sedis Apostolicæ in defensionem sui edidit, satis ostendit, vbi de eodem libero arbitrio ita loquitur: Liberum sic confitemur arbitrium, vt dicamus nos semper Dei indi-
B gere auxilio: Et tam illos errare, qui cum Manichæo dicunt hominem peccatum vitare non posse, quam illos qui cum Iouiniano asserunt hominem non posse peccare: vterque enim tollit arbitrij libertatem. Nos vero dicimus hominem semper & peccare, & non peccare posse, vt semper nos liberi confiteamur esse arbitrij. In quibus beati doctoris verbis, quod affirmat hominem semper peccare posse manifeste humanæ infirmitatis est. Quod autem affirmat hominem posse non peccare, hoc vere diuini est, sicut ipse testatur, auxilij, vt possit esse liberi humani arbitrij. Dixit etiam quodam loco idem beatus doctor: Liberi arbitrij nos condidit Deus, nec ad virtutem, nec ad vitia necessitate trahimur. Alioquin vbi necessitas, nec corona est. Quę verba eius à Pelagio velut
C contra gratiam Dei opposita beatus Augustinus in libro de natura & gratia, ita exponit, & defendit dicens, quod ait à memorato dictum esse presbytero: Liberi arbitrij nos condidit Deus, nec ad virtutem, nec ad vitia necessitate trahimur: Alioquin vbi necessitas, nec corona est. Quis non agnoscat, quis non toto corde suscipiat, quis aliter conditam humanam neget esse naturam? sed in recte faciendo, ideo nullum est vinculum necessitatis, quia libertas est charitas. Quod autem ex vitiis naturæ, non ex conditione naturæ, sit quædam peccandi necessitas, audiat homo, atque vt eadem necessitas non sit, discat Deo dicere: De necessitatibus meis educ me. Sic namque opitulante gratia per Dominum nostrum
E Iesum Christum, & mala necessitas remouebitur, & libertas plena attribuetur. Hæc beatus Augustinus. Quod autem inter cæteros, qui de tanta quæstione diuinæ, scilicet, præscientiæ & prædestinationis apud eos scripsisse memorantur, etiã Amalarius ponitur, & S. Ioannes ab eis adscribendum compulsus esse refertur, multum moleste & dolenter accepimus, vt Ecclesiastici & prudentes viri tantã iniuriam sibimetipsis fecerint, vt Amalarium de fidei ratione consulerent, qui & verbis & libris suis, mendaciis & erroribus, & fantasticis atque hæreticis disputationibus plenis omnes pene apud Franciam Ecclesias, & nonnullas etiam aliarum regionum, quantum in se fuit, infecit, atque corrupit: vt non tam ipse de fide interrogari quam omnia scripta eius saltem post mortem ipsius debuerint igne consumi, ne simpliciores quique
F qui eos multum diligere, & legendo frequentare dicuntur, eorum lectione & inaniter occuparentur, & perniciose fallerentur, ac deciperentur: Et, quod maioris est ignominiæ, atque opprobrij, *Scotum illum ad scribendum compellerent. Qui, sicut ex eius scriptis verissime comperimus*, nec ipsa verba scripturarum adhuc habet cognita. Et ita quibusdam fantasticis adinuentionibus & erroribus plenus est, vt non solum de fidei veritate nullatenus consulendus, sed etiam cum ipsis omni irrisione & despectione dignus scriptis suis, nisi corrigere & emendare festinet: vel sicut deuius sit miserandus, vel sit hæreticus anathematizandus.

Tertia epistola quæ non ad Ecclesiam nostram, sed ad quendã amicum à venerabili Episcopo scripta est, assumit quantum nobis videtur, non necessariam, nec vlla-
A tenus ad rem de qua quæritur, pertinentẽ disputationẽ. Quæritur nãq. in præsenti disceptatione, sicut iam frequenter & multipliciter supra diximus, non illud, vtrum impios Deus & iniquos prædestinauerit ad ipsam impietatem & iniquitatem, id est, vt impij & iniqui essent, & aliud esse non possent. Quod nullus omnino moderno tempore dicere vel dixisse inuenitur. Quod est vtiq; immanis & detestabilis blasphemia, vt Deus sua prędestinatione quasi auctor sit impietatũ, & iniquitatũ, aliquos impios & iniquos esse coegerit: sed illud potius quęritur vtrum eos quos veraciter omnino præsciuit, proprio vitio impios & iniquos futuros, & in suis impietatibus atq; iniquitatibus vsq; ad mortẽ perseueraturos iusto iudicio prædestinauerit, æterno supplicio puniẽdos. Auctor vero ipsius Epistolæ relicta hac secũda quæstione, quæ in prę-
B senti apud multos versatur, cõtra priorẽ potius impiam opinionem laborat, & totum disputationis suæ sermonem ad hoc dirigit, quod Deus bonus & iustus numquã alicuĩ esse potuerit causa vel origo vel auctor peccati & iniquitatis: Quod omne, vt dictũ est, fideles fideliter & indubitanter fatentur: nullã tamen esse diuinam prædestinationẽ erga iustam damnationem eorumdẽ impiorum & iniquorũ, & tantummodo in parte electorum esse credendam, verbis præfati libelli, qui hypomnisticon dicitur, affirmare contendit. Vnde & quia ipse ante omnes qui moderno tẽpore scripsisse referuntur, de hac re scripsit, eius sibi auctoritatẽ sequi videntur, qui similiter de eadem diuina prædestinatione sentiunt & defendunt.

Dicit namque ipse statim in præfatione ipsius epistolæ
C *ita: de hæresi quam quidam de prædestinatione Dei inique condunt, errantes, & alios in errorem mittentes commonis inter nos vt de diuinis scripturis, & de orthodoxorum patrum sententiis aliquod opusculum conficerem, ad conuincendum errorem eorum qui de Deo bono & iusto tam nequiter sentiunt, vt dicant eius prædestinationem facere, quod nec homo ad vitam prædestinatus possit in mortem incidere: nec ad mortem prædestinatus, vllo modo se possit ad vitam recuperare. Cum auctor omnium rerum & conditor Deus naturarum nullius ruina atque interitus causa sit, sed multorum origo salutis.*

In quibus verbis primum hęresim & [illegible]tetleos non nominat, qui de diuina prædestinatione ita sapiunt, vt iuxta auctoritatem scripturarum & sanctorum patrum
E eam in vtramq; partem, & electorum, scilicet, & reproborum fideliter credant: vt & illos omnipotens Deus magna bonitate sua æternaliter prædestinauerit ad gloriã: Et istos magna æquitate iudicij sui prædestinauerit ad pœnam. Et ideo prorsus est admonendus, & ad pietatis reuocandus considerationem, ne sub istorum persona, quos tam facile hæreticos vocat, sãctos potius & venerabiles patres qui ita docuerunt & definierunt, damnare inueniatur. Quod autem dicit de illis, quos hæreticos putat, quia de Deo bono & iusto tam nequiter sentiunt, vt dicant eius prædestinationem facere, quod nec homo ad vitam prædestinatus possit in mortem incidere, nec ad mortem prædestinatus vllo modo possit ad vitam recuperare: Manifestũ est nullo modo esse mendacium, sed certissimam veritatem quam omnes fideles
F credunt & confitentur, quod bonitas & gratia diuinæ prædestinationis faciat vt ex his qui prædestinati sunt ad vitam æternam nemo possit incidere in mortem æternam. Hanc enim perseuerantiæ stabilitatem, & firmitatem in bono ab eo acceperunt qui rogauit & rogat pro eis ne deficiat fides ipsorum: sicut ipse ad beatum Petrum dicit: Ego autem rogaui pro te vt non deficiat fides tua. Et alio loco Euangelij de eisdem electis suis dicit: Et ego vitam æternam do eis, & non peribunt in æternum. Quod autem eadem diuina prædestinatio hoc in reprobis agat, vt se ad Deum conuertendo, & in melius commutando nemo eorum possit se ad vitam recuperare, quasi omnipotens Deus, quod absit, sua prædestinatione eis imposuerit necessitatem male agẽdi, & in suis malis perseuerãdi, hoc omnino nullus fidelium dicit: quia auctorem

Nota Cel[illegible] nostri temporis.

A ctorem operum & meritorum malorum Deum esse non credit. Quod enim impius & iniquus mala sua corrigẽdo, & diuinam misericordiam implorãdo recuperare se possit ad vitam testatur ipse Dominus per Prophetam dicens: Quod si auerterit se impius ab impietate sua, & fecerit iudicium & iustitiam, ipse animam suam viuificabit. Similiter & in eo quod addidit quia Deus nullius ruinæ atque interitus causa sit, nullus omnino fidelium contradicit: Quia nemo Deum auctorem ruinæ & perditionis impiorum, sed tantummodo iustæ eorum damnationis & punitionis auctorem credit. Tale est & illud quod in initio statim Epistolæ ponit & dicit: Ita vt quidam eorum perditionis suæ conditorem suum asserant auctorem dicentes: quod sicut hi qui præscientia Dei ac B prædestinatione conuocati sunt ad percipiendam gloriam æternæ vitæ: Ita & illi qui ad æternum interitum vadunt prędestinatione Dei cogantur non posse euadere interitum. Quod vtique nemo dicit: Quia omnes impij & iniqui pro suis impietatibus & iniquitatibus iuste pereuntes, non habent Deum auctorem perditionis suæ, quia ipsi suo merito perierunt: sed tantummodo auctorem pœnæ & damnationis, quam iuste exceperũt. Ita & quod ait, illos quos putat hæreticos dicere, quia illi qui ad ęternum interitum vadunt, prædestinatione Dei cogantur non posse euadere interitum, nemo omnino dicit: Quia quod impij ad interitum vadunt proprium ipsorum est vitium, non diuinæ prædestinationis pręiudicium: Nec eadem Dei prædestinatione coguntur non posse euadere, sed sua perseuerantissima iniqui- C tate quam relinquere noluerunt, merito coguntur perire: sequitur in eadem Epistola. Quia nullo modo ille qui cuncta bona creauit, & sanabiles fecit nationes orbis terrarum, atque vult omnes homines saluos fieri & ad agnitionem veritatis venire, aliquem cogit interire. Et hoc omnino verum est quia nemini Deus imponit necessitatem pereundi, sicut nemini imponit necessitatem male agendi: vnusquisque enim sibi auctor est iniquitatis suæ, auctor est perditionis suæ, & Deum quem non habet auctorem culpæ suę, habet auctorem iustissimæ pœnæ suæ. Item ibi, si enim secundum ipsos qui talia sentiunt, Dei prædestinatio inuitum hominem facit peccare, quomodo iusto iudicio Deus damnat peccantem, cum ille non voluntate, sed necessitate pecca- D uerit. Et hoc sicut etiam in illa quæ supra dicta sunt, nihil ad præsentem pertinet quæstionem: Nemo enim ita sentit aut dicit, quod Dei prædestinatio aliquem inuitum faciat peccare, vt iam non propriæ voluntatis peruersitate, sed diuinæ prædestinationis necessitate peccare videatur. Sed hoc agit diuina prædestinatio, vt qui volens peccat, & volens in peccatis suis perseuerat, nolens iusto iudicio puniatur. Item post aliquanta sequitur & dicit. Prædestinationis autem fides, firmissima sanctarum auctoritate scripturarum munita est, cui nullo modo fas est ea quę ab hominibus male aguntur adscribi. Et hoc nemo fidelium facit. Nemo enim per prædestinationis diuinæ erga reprobos veritatem adscribit E & deputat Deo male agentium iniquitatem, sed tantummodo eorumdem reproborum & eorumdem male agentium iustam damnationem. Sequitur in eadem Epistola. Qui enim recedit à Christo, & alienus à gratia finit hanc vitam, quid nisi in perditionem cadit? sed non in quod remissum est recidit, nec in originali peccato damnabitur. Qui tamen propter posteriora crimina, ea morte afficietur, quæ ei propter illa quæ remissa sunt, debebatur. In quibus verbis quod dictum est de illo qui recedit à Christo & gratiam eius in se vacuam fecit atq; ita finit hanc vitam, nequaquam ei imputari, nec originalia, nec actualia peccata, quæ illi vere in baptismo fuerant remissa, sed ea sola quæ post baptismum gratiam Dei amittendo commisit, magno nobis quæstio videtur, nec nostro eam sensu, sed sanctorũ patrum auctoritate, prout Deus dederit, soluẽdam credimus. Nam beatus Augustinus cum exponeret verba Psalmi vbi in

Venia peccatorum post baptismum promissa

A maledictionibus Iudæ proditoris inter extera dicitur in memoriam redeat iniquitas patrum eius in conspectu Domini, & peccatum matris eius non deleatur. Ita in ipsum Iudam hoc maledictum adimpletum esse exponit dicens: Si Iudas teneret illud ad quod vocatus est, nullo modo ad eum vel sua præterita vel parentum iniquitas pertineret. Quia ergo non tenuit adoptionem in familia Dei, sed iniquitatem vetusti generis potius elegit, redijt iniquitas patrũ eius in conspectu Domini, vt in ea etiam ipse puniretur: Et peccatum matris eius non est in eo deletum. Sequitur autem continuo in Psalmo: fiant contra Dominum semper, id est iniquitas patrum eius, & peccatum matris eius: Quod idem doctor ita exponit: fiant contra Dominum semper, non vt a Domino auer- B terentur, sed vt merita eorum pessima non obliuiscatur in illo Dominus cum illi & ipsa retribuet. Contra Dominum enim dixit, in conspectu Domini. Ecce apertissime beatus doctor iuxta sensum Prophetæ quę in hoc Psalmo de illo perdito homine continetur, apertissimè docet quod nec sua nec parentum peccata iam ad eum pertinere potuissent, si in illa gratia & adoptione filiorum Dei ad quam vocatus fuerat, permanere voluisset. Sed quia non permansit, & ad iniquitatem vetustæ ex Adam generationis apostatãdo redijt etiam post baptismi gratiam quam in se irritam fecit, redijt ad eum non solum sua; sed etiam iniquitas patrum eius, & peccatum matris eius non est in eo deletum, vt in eis etiam ipse puniretur, iudicante illo & damnante qui reddit iniquitatem patrũ in filios in tertiam & quartam progeniem, C vnde etiam additum est in prophetia fiant contra Dominum, id est in conspectu Domini semper, scilicet peccata & iniquitates patrum eius ac matris: vt merita eorum pessima non obliuiscatur in isto Dominus cum illi & ipsa restituit. Quod ergo in isto apostata & transgressore gratię Dei qui vocationem & adoptionem filiorum Dei deseruit & magis iniquitatem vetustæ generationis, quam iustificationem nouæ regenerationis elegit, & diuina veritate, & beati patris manifesta expositione factum cognoscimus. Hoc etiam de cæteris eiusdem gratiæ transgressoribus fieri certum tenere debemus: vt recedente ab illis noua gratia redeat ad eos iniquitas antiqua, non solum sua, sed etiam paterna. vtrum autem & originalis peccati reatus per baptismi gratiam deletus D ad eum redire eiq; imputari intelligẽdus sit in his verbis propheticis quibus dicitur: In memoriam redeat iniquitas patrum eius in conspectu Domini, vt non solum illorum parentum & progenitorum eius qui vicino tempore esse potuerunt, sed etiam primorum patrum & primorum parentum qui primi in paradiso deliquerunt, iniquitas, vt dictum est ei, imputetur: Nec in verbis sancti doctoris clare elucet, nec à nobis temere præsumendum est. Legimus quidem apud Ieremiam Prophetam: in diebus illis non dicent vltra, patres comederunt vuam acerbam, & dentes filiorum obstupuerunt: sed vnusquisque in iniquitate sua morietur. In quibus verbis manifestè noui testamenti gratia per quam regene- E ratione baptismi originale peccatum ex prima trãsgressione contractum soluitur & deletur prænuntiata est, vt iam vnusquisque illa regeneratione purgatus, & à vinculo antiquæ damnationis absolutus nequaquam in primorum parentum peccato quod etiam dimissum est: sed si peccatis & criminibus seruierit in sua iniquitate moriatur. Iniquitas namq; ipsa est vua acerba, immatura, aspera & noxia, quæ agentem quasi comedentem nulla vera suauitate reficit, sed virtutem & robur animæ velut dentes ita debilitat & lædit, vt cibum vitæ percipere non possit, de quo scriptum est: Gustate & videte quoniam suauis est Dominus. qui etiam de ipso ait. Ego sum panis vitæ. Patres itaque comederunt vuam acerbam qui primi in paradiso iniquitatem commiserunt, & dentes filiorum obstupuerunt, quia non solum seipsos, sed & omnem progeniem suam peccando læserunt. Sed illo peccato originaliter tracto cum omnes qui ad fi-

deleta redeant & imputentur ad pœnam si homo damnetur.

Psal. 108.

tem pertinentes sententias multas & multipliciter suniens transeamus ad eius verba quibus circa finem epistolæ, ita dicit.

Quomodo isti vaniloqui garriunt, quod nihil prosit homini recta fides & bona operatio; quoniã nisi prædestinatus sit quis, non veniat ad vitam, Cùm prædestinatio nihil aliud sit nisi vitæ donatio non perditionis damnatio. Vnde manifestè scriptura dicit: Deus mortem non fecit, nec lætatur in perditione viuorum. Creauit enim vt essent omnia, & sanabiles fecit nationes orbis terrarum: Et per Prophetam ipse Dominus ait: Nolo mortem peccatoris, sed vt conuertatur & viuat. Si autem non vult Deus mortem impij & peccatoris, quomodo prædestinauit eum ad mortem? Cùm nihil aliud sit eius velle quam prædestinare. Causa enim omnium rerum voluntas est Dei: eiúsque facere velle est: Nec simplex natura aliquam contrarietatem in se habet, sed idem Dominus omnium diues est in omnibus qui inuocant illum. Itaque prædestinatio in bono legitur non in malo. Vnde dicit Apostolus: quos præsciuit & prædestinauit conformes fieri imaginis filij sui, vt sit ipse primogenitus in multis fratribus. Quos autem prædestinauit hos & vocauit: & quos vocauit illos & iustificauit: Quos autem iustificauit, illos & glorificauit. Nota quod dicit: Quos prædestinauit, hos & vocauit: non quos prædestinauit illos & damnauit: Amauit enim bonus factor creaturam suam: Nec immeritò aliquem damnat. De quo alibi scriptum est: Misereris omnium Domine, & nihil odisti eorum quæ fecisti, dissimulans peccata hominum propter pœnitentiam & parcens eis quia tu es Deus vniuersorum.

[Margin: Sap. 1. 13 & 2. 15] [Margin: Sap. 11. 24.]

De his omnibus quia multa iam superius dicta sunt non est diutius laborandum, sed tantũ pauca ex eis quæ consideratione indigent, breuiter designanda. Itaq; in eo quod ait, vaniloquos dicere quod nihil prosit homini recta fides & bona operatio, quoniam nisi prædestinatus si quis nõ veniat ad vitam verum est omnino quod soli illi veniunt ad vitam qui diuinitus electi sunt & prædestinati, sicut apertè prædicat & confirmat Apostolus dicens: Quia quos præsciuit & prædestinauit; Quos autem prædestinauit hos & vocauit: Et quos vocauit, hos & iustificauit; Quos autem iustificauit illos & magnificauit. Hi sunt qui omnino veniunt ad vitam: De quibus ipse Dominus promittit dicens: Et ego vitam æternam do eis, & non peribunt in æternum. Recta autem fides & bona operatio absit vt quisquam fidelium dicat quia nihil prosint, verè etenim prosunt, & verè hominem saluant, si illud eis adiungatur quod Dominus dicit: qui perseuerauerit vsque in finem hic saluus erit. Securus itaque fidelis homo, & rectè credat & bene operetur, quia si in his fideliter perseuerauerit, sine dubio salutis erit, & ad electorum numerum pertinebit. Quod verò hic positum est, quia prædestinatio nihil aliud sit, nisi vitæ donatio non perditionis damnatio, videtur nobis non ita à S. Augustino dictum vel definitum; Qui distinguẽs inter prædestinationem & gratiam, ita ait: Prædestinatio est gratiæ præparatio: Gratia verò est iam ipsa donatio. Et post pauca quæ interposuit, eandem prædestinationem diuinam dupliciter accipiendam esse, id est, in bono electis qui gratis prædestinati sunt ad vitam: & in malo reprobis qui iustè prædestinati sunt ad pœnam, ita dicit: Prædestinatio igitur Dei quæ in bono est, gratiæ est vt dixi, præparatio. Item quod proponit & dicit: si autem non vult Deus mortem impij & peccatoris quomodo prædestinat eum ad mortem, quantum pusillitas nostra potuit, iam superius est tractatum. Et nunc breuiter dicimus quia illud non vult bonitate conditoris, illud autẽ facit iudicis æquitate vt & saluare velit quod creauit, & tamen creaturæ vitium non relinquat impunitum. Quod verò subiungit & dicit: Itaque prædestinatio in bono legitur nõ in malo, vnde dicit Apostolus, quos præsciuit & prædestinauit cõformes fieri imaginis filij sui. Consideret diligẽter, sicut iam supra multipliciter nobis ostensum est, quia in diuinis scripturis non est exigendum vt vbicumque res prædestinationis dicitur, etiam ipsum nomen prædestinationis propriè & expressè positum legatur: sed vbicumque res ipsa certissimè posita inuenitur, regulariter obseruandum quod etiam tacito prædestinationis nomine rectissime prædestinatio intelligatur. Nam si ipsum prædestinationis nomen propriè positum exigimus, nec in illis testimoniis propheticis ex quibus Apostolus prædestinationem diuinam & erga electos & erga reprobos approbat istud nomen nullatenus inuenimus. Et tamen quod clarissima rerum certitudine approbat, fideliter credere non dubitamus.

[Margin: Opera bona prosunt & verè hominem saluant]

Sequitur post hæc omnia in fine Epistolæ, multiplici ergo reatu iste constringitur qui prædestinationis bonum in prauum sensum conuertens nefandis sermonibus blasphemare præsumit.

Primò, quod creatorem suum, qui est summè bonus, maliuolum ausus est dicere, eo quod opus suum frustra & sine causa decernat interire.

Secundò, quod ipsam veritatem fallacem nititur asserere, quæ per scripturas sacras rectè credentibus & bene operantibus æternæ vitæ spondet præmia: & peccantibus atque non pœnitentibus mortis prædicit pœnas.

Tertiò, quod iustum iudicem qui in æquitate iudicaturus est viuos ac mortuos prædicat iniustum, quando bene agentibus præmia & male agentibus tormenta eum non reddere affirmat.

Quartò, quod redemptorem mundi frustra sanguinem suum fudisse non timet per errorem suum fingere, quando in se credentibus & sperantibus propter prædestinationis necessitatem non possit subuenire.

Quintò, quod inuidet bonis Angelis eorum numerum quem diabolus per superbiam corruens minuit, saluatorem nostrum per hominum conditionem adimplere.

Sextò, quod magis fauet sua opinione diabolo quam Deo, cum ad eius perditionis sortem tradit eos pertinere, quos diuina gratia decreuit ad salutem æternam pertingere.

Septimò, quod totius humani generis inimicus sit manifestus cum eum dicit per Christi fidem & baptismi sacramentum à primi parentis lapsu propriorumq; scelerum reatu, necnon & ab hostium potestate non posse erui, sed obligatum noxia opificis sui prædestinatione in tartarum demergi. Septem his verbis obiectiuncu siue definitiones ponit, quibus non, vt ipse dicit, blasphemantes in Deum, sed fideliter credentes Deo, & veraciter in electorum liberatione & reproborum damnatione misericordiam eius & iudicium confitentes atque laudantes falsitatis & erroris arguat. Et tamen nihil ex his quæ in ipsis septem definitionibus suis obiicit verum aut rationabile valet ostendere.

1. Nemo enim creatorem suum summè bonum maliuolum dicit, quod absit, quasi malæ voluntatis sit erga creaturam suam, quia semper eius voluntas bona est bonis; Quæ & si mala videtur malis, semper tamen iusta est, & ideo mala esse nõ potest, vnde & scriptura ad eum dicit: cum sancto sanctus eris, & cum viro innocente innocens eris; & cum electo electus eris, & cum peruerso peruerteris. De quibus verbis B. August. tractans: Est (inquit) occulta profunditas qua intelligeris cum sancto sanctus, quia tu sanctificas, & cum viro innocente innocens, quia nulli noces: sed criniculis peccatorum suorum vnusquisque constringitur, & ab ea quem eligis eligeris, & cum peruerso videris peruersus: quoniam dicunt, non est recta via Domini, & ipsorum non est recta via. Nec frustra & sine causa ille opus suum decernit interire; sed quos verissimè præsciuit impios & iniquos futuros & in sua impietate & iniquitate permansuros iustis & rectissimis causis decreuit & statuit & prædestinauit perituros. Sicut ipse ait: Qui pecca-

[Margin: Psal. 17. 27] [Margin: Ezech. 33. 11]

uerit mihi delebo eum de libro meo.

2. Nec qui prædestinationem diuinam in vtramque partem, id est, & electorum & reproborum fideliter credit & confitetur, ipsa veritatem fallacem nititur ostendere: sed omniuo veracem & fidelem in omnibus verbis suis, & sanctam in omnibus operibus suis, quia electis sicut prædestinauit, æternæ vitæ præmia spondet & reddit. Et è contrario reprobis peccantibus nec pœnitentibus, sicut prædestinauit iusto suo iudicio æternas retribuit pœnas.

3. Nec iustum iudicem ista diuinæ prædestinationis veritas velut iniustum prædicat: quia secundum eam & bene agentibus, atque in bono perseuerantibus præmia restituuntur; Et male agentibus atque in malo permanentibus iustè tormenta inferuntur.

4. Nec Redemptorem mundi aliqua prædestinationis suæ necessitas compellit, vt per gloriosum sanguinis sui pretium in se credentibus & sperantibus subuenire non possit: Quia & omnibus electis suis illo pretio in æternum subuenit: Et quod reprobis non subuenit, ipsi per impietatem & iniquitatem suam pretium eius repellunt: Quos & si potest ille saluare, vult tamen aliquos ad ostendendum terrorem seueritatem sua iusta vltione damnare.

5. Nec inuidet eadem diuinæ prædestinationis seueritas bonis Angelis, nec propter multitudinem reproborum quotidie pereuntium non possit adimpleri & instaurari eorum numerus, qui per ruinam diaboli & Angelorum eius est imminutus: Quia certissimè nouit fides fidelium tantos illuc electos ex humano genere assensuros quantos illic constat electos Angelos remansisse: Testante scriptura quæ dicit: Statuit terminos gentium iuxta numerum Angelorum Dei.

6. Nec magis fauet hæc prædestinatio diabolo quam A Deo, quia & diabolum quotidie compellit amittere quos diuina gratia eadem prædestinatione decreuit ad salutem æternam pertingere. Et omnino nullum ex electis Dei ad ipsius diaboli sortem posse pertinere confirmat.

7. Nec compellit aliquem huius prædestinationis fides quasi per fidem Christi & sacramentum Baptismi primi parentis lapsu, & à suorum scelerum reatu siue hostium potestate non posse erui: sed verissimè præstat omnibus electis, vt sint agentes semper gratias Deo & patri qui dignos eos fecit in parte sortis sanctorum in lumine: Qui eripuit illos de potestate tenebrarum & B transtulit in regnum filij dilectionis suæ: Nec reprobis noxia est opificis sui, id est Dei prædestinatio, quæ perseuerantem & indomabilem iniquitatem ipsorum iustissimè punit, cuius mole & grauissimo onere oppressi demerguntur in tartarum, descendentes in profundum quasi lapis, & submersi quasi plumbum in aquis vehementibus. Quod etiam liber Apocalypsis de tota ciuitate huius sæculi, id est vniuersa multitudine damnatorum terribiliter extremo iudicio futurum significat & denuntiat dicens: Et sustulit vnus Angelus fortis lapi- *Apo. 18.* C dem quasi molarem magnum, & misit in mare dicens: Hoc impetu mittetur Babylon magna illa ciuitas, & vltra iam non inuenietur.

Quæ cum ita sint, deposita omni contentionis animositate, deposita nouitatum præsumptione, agnoscamus fideliter diuinam veritatem, sequamur obedienter paternam auctoritatem: Caueamus vigilanter erroris & mendacij fallacissimam vanitatem: seruantes Deo auxiliante semel depositum nobis veræ fidei inuiolatum thesaurum; Et fugientes profanas vocum nouitates atque oppositiones falsi nominis scientiæ, quam quidam promittentes circa fidem exciderunt. Explicit.



IN NOMINE DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI.

ABSOLVTIO CVIVSDAM QVÆSTIONIS: De generali per Adam damnatione omnium, & speciali per Christum ex eadem ereptione electorum.



VPER quæstio habita est, quomodo rectè & fideliter possit intelligi: Tota humani generis massa merito primæ transgressionis ad æternum interitum damnata? Cum proculdubio omnium electorum numerus ex ipsa esset assumendus diuina prædestinatione ac præscientia æternaliter præcognitus & præordinatus ad vitam æternam. Si enim iste beatorum & sanctorum numerus nullo erat ad interitum diuino iudicio condemnatus: Quomodo velut è contrario diuinæ misericordiæ beneficio ad vitam prædestinatus? Et vtrumque vtique æternaliter atque immobiliter in eius æterno & incommutabili consilio, qui iuxta Prophetam, fecit quæ futura sunt. Neque enim iuxta Catholicæ veritatis regulam dicere possumus omne humanum genus illius præuaricationis merito ad interitum fuisse damnatum, sed nequaquam ad eundem interitum prædestinatum: Cum omnipotentis Dei iusto & æterno iudicio nihil potuerit æternaliter esse damnatum, quod non ita præscitum & præfinitum sit fuisse damnandum. Omnia namque opera sua tanquam verè iusta & recta & præsciuit futura, & prædestinauit sine dubio facienda. Prædestinauit itaque & hanc humani generis iustam ac debitam damnationem, cui & generaliter ex illius iustitia omnes essent obnoxij, & ex qua specialiter ex illius misericordia discernerentur & saluarentur electi, manente scilicet inconuulsa damnationis prædestinatione in reprobis: & manente similiter incõuulsa ereptionis prædestinatione in electis, dum iustissimo & admirabili ordine diuinæ æquitatis & misericordiæ & illud oportuit prius fieri ad ostendendam seueritatem Dei, & istud postmodum ad ostendendam bonitatẽ Dei. Quod tamen vtrumq; simul, ita semper in æterno Dei consilio fuerat prædestinatum: vt sic vnum decerneretur iudicij æquitate, & quantum ad illius massæ damnatæ meritum pertinet immobili seueritate: quatenus & alterum gloriosissimè impleretur diuini arbitrij potestate & misericordissimi conditoris gratuita bonitate. Quapropter iuxta pusillitatem sensus nostri vbicumque legimus, siue in diuinis scripturis, siue in dogmatibus patrum totam humani generis massam in primo & per primum hominem peccantem esse damnatam, nihil aliud intelligendum occurrit, nisi eam iusto Dei iudicio, merito primi illius peccati æternæ damnationi traditam. De qua damnatione per vnum hominem in mundum ingressa manifestè dicit Apostolus: Nam iudicium ex vno in condemnationem. Quæ vtique, sicut iam dictum est, non potest rectè intelligi nisi æterna: Si ergo rectè intelligitur; Tota ipsa humani generis massa damnata æternæ perditioni tradita, quid est hoc aliud nisi eidem perditioni destinata siue prædestinata, vt quantum pertinet ad meritum culpæ suæ, illius videlicet primæ præuaricationis, esset iustè omnino & tota & simul æterna sententia condemnata. Quantum verò attinet ad bonitatem & misericordiam conditoris qui sibi nec necessitatem imposuit, nec potestatem abstulit Adæ creatura sua iusta exigente seue-

A ritate iudicando posset inde saluari quantum illi placeret per indebitam gratiam quod iuste & æternaliter fuerat damnatum per culpam: manente scilicet damnationis sententia, in quibus permanet & reatus, & soluta in his in quibus idem reatus per Christi sanguinem est solutus. Atque ita prædestinatio omnium electorum Dei ita eius æterna dispositione esset præordinata, vt ex sorte æternæ damnationis transferrentur in sortem æternæ salutis & liberationis: vt & ibi fuerit etiam pars ista verè communi sententia condemnata, & hic verè sola Dei gratia liberata: Tantoque fieret gratior & deuotior liberanti, quanto se agnosceret verius verę obnoxiam fuisse & æternæ damnationi. B Hanc namque electorum trãslationem à sorte illius damnationis in sortem liberationis sublimiter & attentissimè commendat Apostolus fidelibus agnoscendam, & cum omni gratiarum actione recolendam. Ita dicens: Gratias agentes Deo & patri qui dignos nos fecit in parte sortis sanctorum in lumine: Qui eripuit nos de potestate tenebrarum, & transtulit in regnum filij dilectionis suæ: Et hanc irã æternæ vindictæ ac damnationis, quæ omni illi massę æqualiter debebatur, fideles per Domini Christi passionem & mortem euasisse, quam vtique non veraciter euasisse diceremur, nisi ei etiam veraciter obnoxij exti- C tissent, ita gratulatur atque commendat dicens: Si enim cum inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem filij eius: multo magis nunc reconciliati in sanguine ipsius salui erimus ab ira per ipsum. Et iterum, Quoniam non posuit nos Deus in iram, sed in adquisitionem salutis per Dominum nostrum Iesum qui mortuus est pro nobis, vt siue vigilemus, siue dormiamus, simul cum illo viuamus. Et alio loco: Et quomodo conuersi estis à simulachris seruire Deo viuo & vero, & expectare filiũ eius de cœlis Iesum, qui eripuit nos ab ira ventura. Hoc etiam Psalmista per aduentum Domini Saluatoris futurum, id est, antiquam illam iram Dei omnimodo in ele- D ctis mitigandam atque auertendam, quasi iam factum canit & exultat dicens: Remisisti iniquitatem plebis tuę, operuisti omnia peccata eorum, mitigasti omnem iram tuam, auertisti ab ira indignationis tuæ. Si enim verè nõ fuerũt omnes electi & prædestinati ad vitam in vna cum cæteris massa damnationis & perditionis, vnde ergo sũt electi & discreti, vnde redempti, vnde saluati & liberati? Cur & ipsa veritas de eis dicit: Venit .n. filius hominis quærere & saluum facere quod perierat. Cùm ipse Apostolus manifestissimè hoc etiam in Actibus Apostolorũ coram rege & principibus liberè Christi mysteriũ prædicans attestetur & declaret; Referens qualiter sibi à Domino dictum sit in prima statim vocatione & cõuer- E sione sua. Ait namque ita cœlitus sibi ab eo dictum: Ad hoc enim apparui tibi, vt constituam te ministrum & testem eorum quæ vidisti, & in quibus apparebo tibi eripiens te de populis & gentibus, in quibus nunc ego mitto te aperire oculos eorum, vt conuertantur à tenebris ad lucem, & de potestate satanæ ad Deum, vt accipiant remissionem peccatorum, & sortem inter sanctos, per fidem quæ est in me. Et Dominus ipse in Euangelio: Cùm fortis; inquit, armatus custodit atrium suum, in pace sunt ea quæ possidet, sin autem fortior illo su-

perueniens vicerit eum, vniuersa arma eius in quibus confidebat, aufert, & spolia eius distribuit. Et alio loco: Nunc iudicium est mundi, nunc princeps huius mundi eiicietur foras. Et, Ego si exaltatus fuero à terra omnia traham ad me. Vnde quantum Deo auxiliante intelligimus, nullatenus oportet hanc nouitatem diuisionis induci, vt illa totius humani generis massa, sicut omnes doctores Ecclesiæ sentiunt, per primi hominis transgressionem [illegible], nunc à nobis ex parte dicatur damnata, ex [illegible] interitum destinata. Hoc namque modo in [illegible] quodam modo leuigare atque extenuare primam & generalem damnationem nihil est aliud quam diuinæ bonitatis & misericordiæ erga eos magnitudinem minorare & coangustare: nec quicquam omnipotens contra prædestinationem suam qua totam illã massam iusta damnatione perire statuit, electos suos inde saluando fecit. Quia sic illud statuit merito culpæ & seueritate iustitiæ, vt & hoc sibi seruaret bonitate misericordiæ: Et haberet, iuxta Apostolum, potestatem figuli luti ex eadem massa simul & tota damnata facere aliud vas in honorem per misericordiam suam, & aliud in contumeliam per iustitiam suam: Atque ita fierent, vt dictum est, ex vna atq; eadem massa alia vasa iræ, & alia vasa misericordiæ, illa perfecta in interitũ, ista in gloriam præparata vt in eius laudem dignè & veraciter diceretur: Misericordiam & iudicium cantabo tibi Domine: & vniuersæ viæ Domini misericordia & veritas. Quam rem diligentissimè, & breuiter alio loco Apostolus commendat dicens: Et eramus natura filij iræ sicut cæteri: Deus autem qui diues est in misericordia propter nimiam charitatẽ suam qua dilexit nos, & cum essemus mortui peccatis, cõuiuificauit nos Christo. Certè hoc ex persona sua & cæterorum fidelium atque electorum loquitur, & tamen & se & cæteros vitio damnatæ ex Adam generationis testatur fuisse antequam per Christi gratiam liberarentur naturaliter filios iræ. Quod quid est aliud quam vasa iræ, vasa vindictæ, vasa damnationis æternæ? Et hoc non aliter sed sicut & cæteri, pari scilicet reatu, pari conditione, pari sententię damnatione quæ procul dubio eis cum cæteris omnibus erat communis: Ex qua se & illos apertè docet liberatos per diuitias misericordiæ Dei, & nimiam charitatem eius, qua etiam talibus subuenit, & tales diligere dignatus est, vt mortuos peccato non solum viuificaret, sed etiam conuiuificaret Christo, ipse eos à mortuis resuscitando, & ad dexteram suam in cœlestibus constituendo, & dexterã suam in cœlestibus constituendo. Hoc etiam alio loco sublimiter & nimis granditer commendat dicens de se ipso Domino & Saluatore nostro, delens quod aduersum nos erat chyrographum decreti quod erat contrarium nobis, & ipsum tulit de medio affigens illud cruci, spolians se carne. Principatus & potestates traduxit palam, triumphans illos in semetipso. Iuxta hunc namque venerabilem & mirabilem Apostoli sensum ipse Dominus & Saluator antiqui decreti, i. antiquæ damnationis & præfinitionis qua in mortem æternã merito ac iustè præcipitabamur, chirographum quod nostris operibus tanquam propriis manibus cum diabolo feceramus, venditi sub peccato, & eius nos seruituti tradentes suo sanguine deleuit. Quia ipse est Agnus Dei qui tollit peccata mundi: quatenus per tale ac tantum pretium soluto ac deleto chirographo peccati solueretur & vinculum decreti, quod nobis ita erat contrarium, & ita nos fecerat obnoxios & subditos seruituti, vt nemo nostrum caput posset erigere. Et ipsum tulit de medio, ne esset iam obstaculum & interclusio inter nos & Deum: iuxta quod Propheta dicit: Sed iniquitates vestræ diuiserunt inter vos & Deum vestrum. Sed pateret homini liber aditus & regressus ad conditorem suum. Affigens illud cruci, dum eiusdem peccati nostri, quæ nobis debebatur, pœnam in carne quam suscepit pro nobis ex nobis ipse sustinuit: Attestante etiam Propheta, qui ait, Verè langores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portauit: Spolians se carne, id est indumentũ corporis quando voluit sua sponte, sua potestate deponens. Cùm enim accepisset acetum, sicut ait Euangelista, dixit, Cõsummatum est, & inclinato capite tradidit spiritum, qui etiam ante dixerat: Potestatem habeo ponendi animam meã, & potestatem habeo iterum sumendi eam. Nemo tollit eam à me, sed ego pono eam à meipso, vt iterum sumã eam. Principatus & potestates traduxit palam, Principatus videlicet & potestates spirituum malignorum diaboli & angelorum eius, qui ante in genere humano à se decepto & captiuato velut liberè dominabantur, dehonestauit, contumelia & ignominia denotauit: atque omnium credentium & intelligentium oculis manifestum esse fecit; Triumphans illos in semetipso, dum suo pretioso sanguine peccata mundi deleuit. Atque ita causas eis antiquæ damnationis & principatus abstulit, & per simplam mortem carnis suæ duplicem mortem omnium electorum suorum destruxit, liberans eos & à morte animæ per indulgentiam peccatorum, & à morte corporis, per resurrectionis & immortalitatis trophæũ. Si autem & hoc exigitur vt de scripturis aliquod testimonium proferamus, vbi simile aliquid in diuinis operibus gestum legitur, scilicet vt quod iudicij sui æquitate & seueritate decreuit, bonitatis & misericordiæ suæ potestate indulserit, atque in bonum conuerterit, illud in præsenti occurrit, quod beatus Moyses populo, cui regendo & deducendo præerat, de eodem omnipotente Deo dicit: Timui enim indignationem eius & iram qua aduersum vos excitatus delere vos voluit. Et post aliqua cum supplicationis suæ, quam pro illius offensionis indulgentia apud Deum sudarat, humilitatem & instantiam commendasset, subiunxit atque ait: Et exaudiuit me Dominus etiam hac vice & te perdere noluit. Ecce populum contumacem & rebellem omnipotens Deus iusta indignatione commotus delere voluit: quod vtiq; eum voluisse, non, quod absit, fallaciter, sed veraciter scriptura dicit: Et tamen id ipsum postea fidelis famuli prece & supplicatione placatus libera bonitate & misericordia sua noluit. Non quod in eius voluntate vlla sit mobilitas, apud quem, iuxta Apostolum, non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio; sed quia illud ita iusta seueritate decreuerat, vt id posteà mira pietate & iusta interueniẽte causa relaxaret. Tale est illud, quod & in eodem scripturæ loco de Aaron sacerdote qui sacrilegio populi in vituli fabricatione & celebritate licet inuitus cesserat, dicitur. Aduersus Aaron quoque vehementer iratus voluit eum conterere: Et pro illo similiter deprecatus sum. Sicut ergo in his euidentibus rebus, & aliud iustitia decreuit, & aliud bonitate fecit, nec sibi iustus & misericors aliquid contrarium egit, dum & ibi iustitiam & hic misericordiam conseruauit: ita perfectò & in illa destinatione totius massæ damnatæ ad interitum quod iusta seueritate generaliter statuit, specialiter inde quos voluit eligendo misericorditer temperauit, non cuiusquam supplicatione, sed quod est ineffabiliter gratius & magnificentius sola bonitatis suæ dignatione & miseratione; vtrumque tamen simul in æterno Dei consilio semper fuisse nulli fidelium dubitare licet. Quia quamuis iuxta ordinem rerum temporalium præcedat in genere humano iusta illa damnatio, & subsequatur illa misericors exinde liberatio; apud æternam tamen atque incommutabilem veritatem, vbi nihil est ante, nihil postea, sed omnia & æqualiter & simul tam præcedentia scilicet quam subsequentia in rebus mutabilibus vno cernuntur intuitu, vno disponuntur nutu: vtrumque, vt dictum est, & sempiterna præscientia præcognitum, & sempiterna dispositione constat esse præfixum ac præfinitum.

De hac iustissima & generali totius humani generis per Adam damnatione, & per vnicum mediatorem ac reconciliatorem Dei & hominum Dominum nostrum

strum Iesum Christum misericordissima & benignis- A sima absolutione plena est scriptura sancta, sicut iam supra breuiter ostensum est: Pleni sunt etiam libri beatorum Patrum: Ex quorum dictis ad ædificationem & confirmationem legentium hic aliqua subiungere, & gratum & necessarium omnino duximus.

Beatus itaque Hilarius exponens verba Apostoli quæ iam superiùs posuimus, id est vbi de Domino ait: delens quod aduersum nos erat chyrographum decreti, & cætera, de hac re ita loquitur: Carnem enim peccati recepit vt in assumptione carnis nostræ delicta donaret, dum eius fit particeps assumptione non crimine, delens per mortem sententiam mortis, vt noua in se nostri generis creatione constitutionem decreti anterioris aboleret, cruci se permittens figi, vt maledictio crucis obliterata terrenæ damnationis maledicta configeret om- B nia; Et ad vltimum in homine passus, vt potestates dehonestatet, dum Deus secundum scripturas moriturus & his vincentis in se fiducia triumpharet, dum mortalis ipse neque morte vincendus pro morientium æternitate moreretur.

Item cum exponeret verba Psalmi quibus ad Deum dicitur: Quia apud te propitiatio est: Est enim, inquit, vnigenitus Dei filius, Deus verbum, redemptio nostra, in cuius sanguine reconciliati Deo sumus: Hic est qui venit tollere peccata mundi qui cruci suæ chyrographũ legis affigens edictum damnationis veteris deleuit.

Sed & beatus Ambrosius in expositione epistolæ ad Ephesios, de eadem re sic dicit; Simus itaque nos possessio Dei, & ille nobis portio in quo sunt diuitiæ gloriæ C hæreditatis eius. Quis enim diues nisi solus diues qui omnia creauit? sed multò magis diues misericordia, qui omnes redemit. Et non secundum carnis naturam iræ filios & condemnationi obnoxios mutauit quasi auctor, vt simus filij pacis & charitatis. Quis enim mutare naturam potest, nisi qui creauit naturam? Itaque suscitauit mortuos, & viuificatos in Christo sedere fecit in cœlestibus in ipso Domino Iesu.

Beatus quoque Dacianus sicut de eo in libro de viris inlustribus beatus testatur Hieronymus tam vita quam sermone clarus, ita apertè idipsum inculcat dicens: Omnes aliquando gentes principibus tenebrarum & potestatibus traditas nunc per Iesu Christi Domini nostri victoriam, liberatus ille est, ille qui redemit donans D nobis omnia peccata, sicut Apostolus dicit, & delens quod aduersum nos erat chyrographum inobaudirionis: quia & ipsum tulit de medio affigens illud cruci, exuens se carnem traduxit potestates liberè triumphans eos in semetipso, soluit compeditos & vincula nostra disrupit: sicut Dauid dixerat: Dominus erigit elisos, Dominus soluit compeditos, Dominus inluminat cæcos. Et iterum: Disrupisti vincula mea, tibi sacrificabo hostiam laudis. Soluti itaque de vinculis, vbi per baptismi sacramentum ad signum Domini conuenimus, diabolo & omnibus Angelis renuntiamus quibus ante seruiuimus, ne iam illis vlterius seruiamus sanguine Christi & nomine liberati. Quod si quis posthac sui oblitus & redemptionis ignarus, rursus ad Angelorum seruitu- E tem & infirma illa & egena mundi elementa transierit, antiquis illis compedibus & catenis, id est, peccati vinculis alligabitur, & fient nouissima eius deteriora prioribus, quia & diabolus eum per fugam victum vehementius inligabit, & Christus pro eo iam pati non poterit. Quia qui resurrexit à mortuis, iam non morietur amplius.

Beatus etiam Leo granditer hoc & multipliciter commendans sic dicit; Exaltatus Iesus Christus in ligno retorsit mortem in mortis auctorem; Et omnes principatus aduersasque virtutes per obiectionem palpabilis carnis elisit. Euacuatum est generale illud venditionis nostræ & lethale chyrographum & pactum captiuitatis in ius transit redemptoris. Claui illi qui manus Domini pedésque transfoderant, perpetuis diabolum fixere vulneribus: Et sanctorum pœna membrorum inimicarum fuit interfectio potestatum. Sic suam Christo consummante victoriam, vt in ipso & cum ipso omnes qui in eum credunt, triumpharent. Et iterum: Tenuit, inquit, dispositam mansuetudo patientiam, & cohibita famulantium sibi angelicarum virtute legionum hausit calicem doloris & mortis, totúmque supplicium transtulit in triumphum: victi sunt errores, subactæ sunt potestates, accepit nouum mundus exordium, vt damnata generatio non obesset, quibus saluandis regeneratio subueniret. Item alio loco: Continuit, inquit, se ab impiis potestas, & vt dispositione vteretur occulta vti noluit virtute manifesta. Nam qui mortem & mortis auctorem sua venerat passione destruere, quomodo peccatores saluos faceret si persecutoribus repugnaret.

Nam etiamsi descenderet Christus de cruce, vos tamen hæreretis in crimine. Spreta ergo sunt vanæ insultationis opprobria: Et misericordiã Domini perdita & conlapsa reparantem nullæ contumeliæ, nulla conuitia à propositi sui via remouerũt. Offerebatur enim Dominò pro salute mundi hostia singularis. & occasio agni per tot sæcula prædicata promissionis filios in libertatem fidei transferebat; Confirmabatur quoque testamentum nouum, & Christi sanguine æterni regni scribebantur hæredes. Ingrediebatur summus pontifex sancta sanctorum & ad exorandũ Deum immaculandus sacerdos per velum suæ carnis intrabat. Alibi quoque breuiter & diligenter definiens, ita dicit: Sciens diabolus quod humanam naturam infecisset veneno, nequaquam credit Dominum Christum primæ transgressionis expertem quem tot documentis didicit esse mortalem. Perstrit ergo improbus prædo, & auarus exactor in eũ, qui nihil ipsius habebat insurgere: Et dum vitiatæ originis præiudicium generale persequitur, chyrographum quo nitebatur excedit, ab illo iniquitatis exigens pœnam, in quo nullam reperit culpam. Soluitur itaque pactionis antiquæ malesuada conscriptio, & per iniustitiam plus petendi, totius debiti summa vacuatur. Fortis ille nectitur vinculis suis & omne commentum maligni in caput ipsius retorquetur. Ligato mundi principe captiuitatis vasa rapiuntur. Redit in honorem suum ab antiquis contagiis purgata natura. Mors morte destruitur, natiuitas natiuitate reparatur, quoniam simul & redemptio aufert seruitutem, & regeneratio mutat originem, & fides iustificat peccatorem.

Sed & beatus Cœlestinus eandem rem eodem sensu & eisdem penè verbis plenissimè & breuissimè exsequitur dicens: Illud etiam quod circa baptizandos in vniuerso mundo sancta Ecclesia vniformiter agit, non otioso contemplamur intuitu cum siue paruuli, siue iuuenes ad regenerationis veniunt sacramentum, non priùs fontem vitæ adeunt, quam exorcismis & exsufflationibus clericorum spiritus ab eis immundus abigatur: vt tunc verè appareat quomodo princeps mũdi huius mittatur foras: Et quomodo prius alligetur fortis, & deinceps vasa eius diripiantur in possessionem translata victoris, qui captiuam ducit captiuitatem, & dat dona hominibus.

Iam verò beatus Augustinus tanto hinc vberius & multiplicius est locutus, quanto & maior ei ac vehementior incumbebat necessitas contra insurgentes tunc hæreticos Pelagianos, tanti huius sacramenti, id est, damnationis humanæ per Adam ingressæ, & liberationis ac redemptionis per Dominum Iesum Christum indultæ penitus ignaros ipsius humanæ damnationis causas & Dei gratiã qua sola per Christum Dominum liberamur, & diuinis testimoniis & certissimis rationibus asserendi. In quadam itaque epistola ad Optatum Episcopum ita loquitur: Cùm omnes iusti, hoc est, veraces Dei cultores siue ante incarnationem, siue post incarnationem Christi nec vixerint, nec viuant, nisi ex fide incarnationis Christi, in quo est gratiæ plenitudo, profectò quod scriptum est, non esse aliud nomen sub cœlo, in quo

oportet saluos fieri nos, ex illo tempore valet ad saluandum genus humanum, ex quo in Adam vitiatum est genus humanum. Sicut enim in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes viuificabuntur. Quia sicut in regno mortis nemo sine Adam, ita in regno vitæ, nemo sine Christo. Sicut per Adam omnes peccatores, ita per Christum omnes iusti homines. Sicut per Adam omnes mortales in pœna facti sunt filij sęculi, ita & per Christũ omnes immortales in gratia fiunt filij Dei. Cur autem quærantur etiam illi, quos creator voluit ad damnationem non ad gratiam pertinere, beatus Apostolus tanto succinctiore breuitate, quanto maiore auctoritate commemorat. Deum enim dicit volentem ostendere iram & demonstrare potentiam suam attulisse in multa patientia vasa iræ quæ perfecta sunt in perditionem: Et vt notas faceret diuitias gloriæ suæ in vasa misericordię, quem superius dixerat tanquam figulum luti ex eadem massa facere aliud vas in honorem, aliud vas in contumeliam. Merito autem videretur iniustum quod fiunt vasa iræ ad perditionem si non esset ipsa vniuersa ex Adam massa damnata. Quod ergo fiunt inde nascendo vasa iræ, pertinet ad debitam pœnam: Quod autem fiunt renascendo vasa misericordię pertinet ad indebitam gratiam. Ostendit ergo Deus iram suam, non vtique animi perturbationem, sicut est quæ circa homines nuncupatur, sed iustum fixúmque iudiciũ. Quod de stirpe inobedientiæ ducitur propago peccati atque supplicij. Et homo natus ex muliere, sicut in libro Iob scriptum est, breuis est vitæ, & plenus iracundiæ. Eius enim rei vas est, qua plenus est. vnde iræ vasa dicuntur. Ostendit & potentiam suam qua bene vtitur etiam malis, multa in illis naturalia & tẽporalia bona largiens, eorúmque malitiam ad exercendos & comparatione ammonendos bonos accommodans: vt in eis discant agere gratias Deo, quod ab eis non suis meritis quę in eadem massa paria fuerunt, sed illius miseratione discreti sunt. Quod maxime apparet in paruulis: De quibus cum per Christi gratiam renascuntur, & istam vitam in illa tenera ętate finientes in æternam & beatam transeunt, dici non potest quod libero discernuntur arbitrio ab aliis infantibus qui sine hac gratia in ipsius massæ damnatione moriuntur. Si autem hi soli crearentur ex Adam qui essent per gratiam recreandi, & præter illos qui in Dei filios adoptantur, nulli alij homines nascerentur, lateret beneficium quod donaretur indignis: Quia nullis ex eadem damnabili stirpe prouenientibus debitum supplicium redderetur. Cum vero attulit in multa patientia vasa iræ quæ perfecta sunt in perditionem, non solum ostendit iram & demonstrauit potentiam suam redhibendo vindictam & bene vtendo malis, sed etiam notas fecit diuitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ. Ita enim quid sibi præstetur discit gratis iustificatus, dum non suo merito, sed gloria largissimæ Dei misericordiæ discernitur à damnato cum quo eadem iustitia fuerat & ipse damnandus. Tam multos autem creandos nasci voluit quos ad suam gratiam non pertinere præsciuit, vt multitudine incomparabili plures sint quam quos in sui regni gloriam filios promissionis prædestinare dignatus est: vt etiam ipsa reiectorum multitudine ostenderetur, quam nullius momenti sit apud Deum iustum quantalibet numerositas iustissime damnatorum. Atque vt hinc quoque intelligant qui ex ipsa damnatione redimuntur hoc fuisse debitum massæ illi vniuersæ quod tam magnæ parti eius redditum cernerent non solum in eis qui originali peccato multa addunt malæ voluntatis arbitrio, verum etiam in tam multis paruulis qui tantummodo vinculo originalis peccati obstricti sine gratia mediatoris ex hac luce rapiuntur. Tota quippe ista massa iustæ damnationis reciperet debitum nisi ex ea faceret non solum iustus sed etiam misericors figulus alia vasa in honorem secundum gratiam non secundum debitum, dum & paruulis subuenit, quorum nulla merita dici possunt, & maiores præuenit, vt habere aliqua merita possint.

Item in libris de ciuitate Dei volens ostendere quantũ A nefas in illa prima præuaricatione commissum sit & qualiter eius merito credi debeat tota humani generis massa damnata, ita dicit: Quanto enim magis homo fruebatur Deo, tanto maiore impietate dereliquit Deum: & factus est malo dignus æterno, qui hoc in se peremit bonum quod esse posset æternum. Hinc est vniuersa generis humani massa damnata: quoniam qui hoc primus admisit cum ea quæ in illo fuerat radicata, sua stirpe punitus est: vt nullus ab hoc iusto debitóque supplicio nisi misericordi & indebita gratia liberetur: Atque ita dispertiatur genus humanum, vt in quibusdam demonstretur quid valeat misericors gratia, in cæteris quid iusta vindicta. Neque enim vtrumque demonstraretur in omnibus. Quia si omnes remanerent in pœnis iustæ damna- B tionis, in nullo appareret misericors gratia. Rursus si omnes transferrentur à tenebris in lucem, in nullo appareret veritas vltionis, in qua propterea multo plures quam in illa sunt, vt sic ostendatur quid omnibus deberetur. Quod si omnibus redderetur, iustitiam vindicantis iuste nemo reprehenderet: quia vero tam multi exinde liberantur, est vnde agantur maxime gratiæ gratuito muneri liberantis. Item ibi: Cum ergo requiritur, inquit, quam mortem Deus primis hominibus fuerit comminatus, si ab eo mandatum transgrederetur acceptum, nec obedientiam custodirent, vtrum animæ, aut corporis, an totius hominis, an illam quæ appellatur secunda: Respondendum est, omnes. Prima enim constat ex duabus, omnibus tota. Sicut enim vniuersa terra ex multis terris, & vniuersa Ecclesia ex multis Ecclesiis constat, sic vniuersa C mors ex omnibus, quoniam prima constat ex duabus, vna animæ, altera corporis: vt sit prima totius hominis, cum anima sine Deo & sine corpore ad tempus pœnas luit. Secunda vero vbi anima sine Deo cum corpore pœnas æternas luit. Quando ergo dixit Deus primo illi homini, quem in paradiso constituerat: de cibo vetito: quacúnque die ederitis ex illo, morte moriemini, non tantum primæ mortis partem priorem vbi anima priuatur Deo, nec tantum posteriorem vbi corpus priuatur anima, nec solam ipsam totam primam, vbi anima & à corpore & à Deo separata punitur, sed quicquid mortis est vsque ad nouissimam quæ secunda dicitur, qua est nulla posterior, comminatio illa complexa est.

Item cum de exordio duarum ciuitatum ageret, qua- D rum vna est Dei, altera diaboli, illa Dei gratia liberata, ista iusta vltione damnata, in ipso statim earundem exortu vtrumque mirabiliter ostensum ita commendat dicens: Cum primum duæ istæ cœperunt nascendo atque moriendo procurrere ciuitates, prior est natus ciuis huius sæculi, posterior autem isto peregrinus in sæculo, & pertinens ad ciuitatem Dei gratia prædestinatus, gratia electus, gratia peregrinus deorsum, gratia ciuis sursum. Nam quantum ad ipsum attinet, ex eadem massa oritur, quæ originaliter est tota damnata: sed tanquam figulus Deus (hanc enim similitudinem non impudenter, sed prudenter introducit Apostolus) ex eadem massa fecit aliud vas in honorem, aliud in contumeliam: prius autem factum est vas in contumeliam, post vero alterum in honorem. Iam vero in libris de baptismo paruulorum tan- E to plura de hac re loquitur quanto maiore intentione opus erat, vt aduersus præfatos hæreticos Pelagianos, & pœnam damnationis antiquæ per Adam, & indulgentiam nouæ redemptionis per Dominum Iesum Christum euidentius demõstraret, probaret atq; cõmendaret.

Ex his itaque libris hæc sunt quæ ad nostram & eorum qui legere voluerint instructionem & confirmationem adnotanda & proponenda credidimus. Ait ergo in primo libro de hac re disputans: sed regnauit, inquit Apostolus, mors ab Adam vsque ad Moysem, id est à primo homine vsque ad ipsam etiam legem, quæ diuinitus promulgata est; quia nec ipsa potuit regnum mortis auferre: Regnum enim mortis vult intelligi quando ita dominatur in hominibus reatus peccati, vt eos ad vitam æternam quæ vera vita est, venire non sinat: sed ad secundã etiam

quæ

quæ pœnaliter æterna est, mortem trahat, hoc regnum mortis sola in quolibet homine gratia destruit Saluatoris quæ operata est etiam in antiquis Sanctis. Ergo in omnibus regnauit mors ab Adam vsque ad Moysen qui Christi gratia non adiuti sunt, vt regnum mortis in eis destrueretur, etiam in eis qui non peccauerunt in similitudinem præuaricationis Adæ, id est qui nondum sua propria voluntate sicut ille, peccauerunt, sed ab illo peccatum originale traxerunt, qui est forma futuri, quia in illo constituta est forma condemnationis futuris posteris qui eius propagine crearentur, vt ex vno omnes in condemnatione nasceremur ex qua non liberat nisi gratia Saluatoris.

Item in similitudine præuaricationis Adæ peccasse accipiuntur qui in illo peccauerunt vt ei similes crearentur; sicut ex homine homines, ita ex peccatore peccatores; ex morituro morituri, damnatóque damnati. Item, potest proinde recte dici paruulos sine baptismo de corpore exeuntes in damnatione omnium mitissima futuros. Multum autem fallit & fallitur, qui & si in damnatione prædicat non futuros, dicente Apostolo, iudicium ex vno delicto in condemnationem: Et paulo post, per vnius delictū in omnes homines ad condemnationem.

Item, panis quem ego dedero caro mea est pro sæculi vita. Quis autem ambigat sæculi nomine homines significasse qui nascendo in hoc sæculum veniunt. Non sicut alibi ait: filij sæculi huius generant & generantur: Ac per hoc etiam pro paruulorum vita caro data est, quæ data est pro sæculi vita: Et, si non manducauerint carnem filij hominis nec ipsi habebunt vitam.

Item, bene autem non ait, ira Dei veniet super eum. Ab hac quippe ira qua omnes sub peccato sunt, de qua dicit Apostolus, fuimus enim & nos aliquando naturaliter filij iræ, sicut & cæteri, nulla res liberat nisi gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum.

Item, tales ergo prædestinari & creari arbitror, vt qui possunt intelligant Dei gratiam & spiritum, qui vbi vult spirat, ob hoc omne ingenij genus in filiis misericordiæ non prætermisse: Itemque omne ingenij genus in gehennæ filiis prætereunte, vt qui gloriatur in Domino glorietur.

Itē, cedamus igitur & cōsentiamus auctoritati sanctæ Scripturæ quæ nescit falli nec fallere: Et sicut non damnatos ad discernēda merita eorum aliquid boni vel mali egisse non credimus, ita omnes sub peccato esse, quod per vnum hominem intrauit in mundum, & per omnes homines pertransiit à quo nō liberat nisi gratia Dei per Dominum Iesum Christum, minime dubitemus: Cuius medicinalis aduentus non est opus sanis, sed ægrotantibus, quia non venit vocare iustos sed peccatores: In cuius regnum nō intrabit, nisi qui renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, nec præter regnum eius salutem ac vitam possidebit æternam. Quoniam qui non manducauerit carnem eius, & qui incredulus est filio, non habet vitam, sed ira Dei manet super eum. Ab hoc peccato, ab hac ægritudine, ab hac ira Dei, cuius naturaliter filij etiam si per ætatem non habent proprium, trahunt tamen originale peccatum, non liberat nisi Agnus Dei, qui tollit peccata mundi, non nisi medicus qui non venit propter sanos, sed propter ægrotos: non nisi Saluator de quo dictum est generi humano, Natus est vobis hodie saluator: non nisi redemptor cuius sanguine deletur debitum nostrum. Nam quis audeat dicere, non esse Christum infantium saluatorem nec redemptorem? Vnde autem saluos facit, si nulla in eis est originalis ægritudo peccati? Vnde redimit si non sunt per originem primi hominis venundati sub peccato?

Item. Dominum Iesum Christum non aliam ob causam in carne venisse, ac forma serui accepta factū obedientem vsq; ad mortem crucis, nisi vt hac dispensatione misericordissimæ gratiæ omnes quibus tanquā membris in corpore constitutis caput est ad capessendum regnum cœlorum viuificaret & saluos faceret, liberaret, illuminaret. & redimeret, qui prius fuissent in peccato

A tum morte, langoribus, seruitute, captiuitate, tenebris constituti, sub potestate diaboli principis peccatorum. Ac sic fieret mediator Dei & hominum, per quem post inimicitias impietatis nostræ illius gratiæ pace finita reconciliaremur Deo in æternam vitam, ab æterna morte quæ talibus impendebat, erepti.

Item. Oportet paruulos egere illis beneficiis mediatoris, vt abluti per Sacramentum, charitatémque fidelium, ac sic incorporati Christi corpori, quod est Ecclesia, reconcilientur Deo vt in illo viui, vt salui, vt liberati, vt redempti, vt illuminati fiant. Vnde nisi à morte, vitiis, reatu, subiectione tenebris peccatorum? Quæ quoniam nulla in ea ætate per suam vitam propriam commiserunt, restat originale peccatum.

B Item, cum ad Zachæū Dominus esset ingressus; Hodie, inquit, salus domui huic facta est quoniam & iste filius est Abrahæ: venit enim filius hominis quærere & saluare quod perierat. Hoc de oue perdita, & relictis nonaginta nouem quæsita & inuenta: hoc & de dragma quæ perierat ex decem: vnde oportebat, vt dicit, prædicari in nomine eius pœnitentiam & remissionem peccatorum in omnes gentes incipientibus ab Ierusalem.

Item, non ergo, inquit, de sanguinibus congregabo conuenticula eorum: vnus enim sanguis pro multis datus est quo veraciter mundarentur. Denique sequitur, nec memorero nomina eorum per labia mea, tanquam innouatorum. Nam nomina eorum erant prius filij carnis, filij sæculi, filij iræ, filij diaboli, immundi peccatores, impij: Postea vero filij Dei, Homini nouo, nomen

C nouum, canticum nouum per testamentum nouum, Non sint ingrati homines gratiæ Dei, pusilli cum magnis à minore vsque ad maiorem. Totius Ecclesiæ vox est, Erraui sicut ouis perdita: Omnium membrorum Christi vox est, omnes vt oues errauimus, & ipse traditus est pro peccatis nostris.

Item, ipse Dominus protulit ad hæc ora obstruenda sententiam vbi ait, Qui mecum non est aduersus me est. Constitue igitur quemlibet paruulum, si iam cum Christo est, vt quid baptizatur? si autem quid habet veritas, ideo baptizatur vt sit cum Christo: Et quia non est cum Christo aduersus Christum est, neque enim eius tam manifestam debemus aut possumus infirmare vel immutare sententiam. Vnde igitur aduersus Christum si

D non ex peccato? Porro si ex peccato quod in illa ætate nisi originale & antiquum, vna est quippe caro peccati in qua omnes ad damnationem nascuntur: Et vna est caro in similitudine carnis peccati per quam omnes à damnatione liberantur.

Item vniuersa Ecclesia tenet, quæ aduersus omnes profanas nouitates vigilare debet, omnem hominem separari à Deo, nisi qui per mediatorem Christum reconciliatur Deo. Nec separari quemquam nisi peccatis intercludentibus posse. Non ergo reconciliari nisi peccatorum remissione per vnam gratiam misericordissimi Saluatoris, per vnam victimam verissimi sacerdotis. Ac sic omnes filios mulieris quæ serpenti credidit, vt libidine corrumperetur, non liberari à corpore mortis huius,

E nisi per filium virginis quæ Angelo credidit, vt sine libidine (fœcundaretur) fœtaretur.

Item, nisi quis natus fuerit denuo, non potest videre regnum Dei: Et, nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu non potest introire in regnum Dei. Cur enim nascatur denuo nisi renouandus? vnde renouandus nisi à vetustate? Qua vetustate, nisi in qua vetus homo noster simul confixus est cum illo vt euacuaretur corpus peccati? aut vnde imago Dei non intrat in regnum Dei nisi impedimento prohibente peccati?

Item. nemo, inquit, ascendet in cœlum, nisi qui de cœlo descēdit filius hominis qui est in cœlo. Sic, inquit, fiet generatio specialis vt sint cœlestes homines ex terrenis, quod adipisci non poterūt nisi membra in ea efficiamur, vt ipse ascendat qui descendit: quia nemo ascendit nisi qui descendit: nisi ergo in vnitatem Christi omnes

mutandi leuandiq; concurrant, vt Christus qui descendit, ipse ascendat, non aliud deputans corpus suum, id est Ecclesiam suam, quam seipsum, quia de Christo & Ecclesia verius intelligitur, Erunt duo in carne vna. De qua re ipse dixit, igitur iam non duo sed vna caro, ascendere omnino non poterunt. Quia nemo ascendit in cœlum nisi qui descendit de cœlo filius hominis qui est in cœlo.

Item, non alienentur paruuli à gratia remissionis peccatorum, non aliter transitur ad Christum, non aliter potest Deo reconciliari, & ad Deum venire nisi per Christum. Quid de ipsa forma Sacramenti loquar? Vellem aliquis istorum qui contraria sapiunt, mihi baptizandum paruulum afferret. Quid *in illo agit exorcismus, nisi si in familia diaboli non tenetur.* Ipse certe mihi fuerat responsurus pro eodem paruulo quem generaret, quia pro se ille respondere non posset, quomodo ergo dicturus erat eum renuntiare diabolo cuius in eo nihil esset? quomodo conuerti ad Dominum à quo non esset auersus? credere inter cætera remissionem peccatorum, quæ illi nulla tribueretur? Ego quidem si contra hæc eum sentire existimarem, nec ad Sacramenta cum paruulo intrare permitterem. Ipse autem in hoc qua fronte ad homines, qua mente ad Deum se ferret ignoro.

Ex libro etiam eiusdem beati Doctoris qui *vsitatius Enchyridium appellatur*, ad eiusdem rei dilucidationem hæc pauca decerpenda & adnotanda credidimus, ait namque: Sed homo haberet pœnam propriam quia iam corporis morte punitus est, mortis ei quippe supplicium Deus comminatus fuerat si peccaret, sic eum munerans libero arbitrio, vt tamen regeret imperio, terreret exitio, atque in paradisi fœlicitate, tanquam in vmbra vitæ vnde iustitia custodita in meliora conscenderet, collocauit. Hinc post peccatum exul effectus stirpem quoq; suam quam peccando in se tanquam in radice vitiauerat, pœna mortis & damnationis obstrinxit, vt quicquid prolis ex illo, & simul damnata per quam peccauerat coniuge per carnalem concupiscentiam, in quam obedientiæ pœna similis retributa est, nasceretur, traheret originale peccatum. Quo traheretur per errores doloresque diuersos ad illud extremum cum desertoribus Angelis vitiatoribus & possessoribus & consortibus suis sine fine supplicium. Sic per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines pertransiit, in quo omnes peccauerunt. Mundum quippe appellauit eo loco Apostolus vniuersum genus humanum. Ita ergo res habebant. Iacebat in malis vel etiam voluebatur, & de malis in mala præcipitabatur totius generis humani massa damnata: Et adiuncta parte eorum qui peccauerant, Angelorum, luebat impiæ desertionis dignissimas pœnas. Ad iram quippe Dei pertinet iustam quicquid cæca & indomita concupiscentia faciunt libenter mali, & quicquid manifestis apertisque pœnis patiuntur inuiti: non sane creatoris desistente bonitate, & malis Angelis subministrante vitam viuacemque potentiam. Quæ subministratio si auferatur, intercidit & hominum quamuis de propagine vitiata damnataq; nascentium formare semina, & animare, ordinare membra per temporum ætates, per locorum spatia vegetare sensus, alimenta donare. Melius enim iudicauit de malis benefacere, quam mala nulla esse permittere. Et siquidem in melius hominum reformationem nullam prorsus esse voluisset, sicut impiorum nulla est Angelorum, non immerito fieret vt natura quæ Deum deseruit, quæ præceptum sui creatoris quod custodire facillime posset, sua male vtens potestate calcauit atque transgressa est. Quæ nisi sui conditoris imaginem ab eius lumine contumaciter auersam violauit: quæ salubrem seruitutem ab eius legibus male libero arbitrio abrupit, vniuersa in æternum desereretur ab eo, vt pro suo merito pœnam penderet sempiternam. Plane ita faceret si tantum iustus, non etiam misericors esset, suamque indebitam misericordiam multo euidentius in indignorum potius liberatione monstraret.

Item, ille vnus vnum peccatum misit in mundum: Iste vero vnus non solum illud vnum, sed cuncta simul abstulit, quæ addita inuenit. Vnde dicit Apostolus: non sicut per vnum peccantem, ita est & donum. Nam iudicium quidem ex vno in condemnationem, gratia autem ex multis delictis in iustificationem. Quia vtique illud vnum quod originaliter trahitur, etiam si solum sit, obnoxios damnationi facit. Gratia vero ex multis delictis iustificat hominem, qui præter illud vnum, quod communiter cum omnibus originaliter traxit, sua quoque propria multa commisit. Veruntamen quod paulo post dicit, sicut per vnius delictum in omnes homines ad condemnationem; ita & per vnius iustificationem in omnes homines ad iustificationem vitæ, satis indicat ex Adam neminem natum nisi damnatione detineri: Et neminem nisi in Christo renatum à damnatione liberari.

Item, remanentibus itaque Angelis & hominibus reprobis in æterna pœna, tunc sancti scient plenius quid boni eis contulit gratia. Tunc rebus ipsis euidentibus apparebit, quod in Psalmo scriptum est, misericordiam & iudicium cantabo tibi Domine, quia nisi per indebitam misericordiam nemo liberatur: Et nisi per debitum iudicium nemo damnatur.

Item, vniuersum genus hominum tam iusto iudicio diuino in Apostatica radice damnatum, vt etiamsi nullus inde liberaretur, nemo recte posset Dei vituperare iustitiam. Et qui liberantur sic oportuisse liberari, vt ex pluribus non liberatis, atque in damnatione iustissima derelictis ostenderetur quid commeruisset vniuersa conspersio. Et quo etiam istos debitum iudicium Dei duceret, nisi eius indebita misericordia subuenisset, vt volentium de suis meritis gloriari omne os obstruatur, & qui gloriatur, in Domino glorietur.

Quæ omnia ex fidelissimorum patrum & clarissimorum disputationibus sumpta, & tanta diuinorum testimoniorum atque euidentissimarum rationum contestatione declarata, atque firmata, cum ita omnino indubitanter credenda ac tenenda sint tria quædam principaliter magna & horrenda mala, quantum intelligi datur & in reprobis diuini iudicij seueritate retenta, & in electis diuinæ bonitatis miseratione remissa sunt ac soluta. Manet namque in illis & primæ præuaricationis reatus, qui in istis Christi sanguine est deletus. Manet in illis sententia æternæ damnationis: In istis soluta per gratiam redemptionis. Sunt illi in æternum diuini iudicij prædestinatione damnati.

Desunt quædam, nam & in manu scripto duo folia excisa sunt.

IN NOMINE DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI.

Incipit libellus de tenenda immortaliter Scripturæ sanctæ veritate: Et Sanctorum orthodoxorum Patrum authoritate fideliter sectanda.

Hic videtur hæc epistola eorumdem auctorum esse, quorum superiore, licet vtraque esse Ecclesiæ Lugdunensis se dicat.



INTER omnia pericula & innumeras calamitates atque miserias quibus Ecclesia huius regni terribili, & occulto Dei iudicio incessanter affligitur atque vastatur, ita vt regni vnitas sit discissa ac dilacerata, sacerdotum generalia & saluberrima concilia intermissa, legum seueritas & iudicium vigilantia subtracta, specialis doctrinæ studia, quibus fides & scientia Dei quotidie enutriri ac proficere debuit, penè vbique extincta. Exortum est magis dolendum ac lugendum malum, vt videlicet contempta veritate scripturarum sacrarum, calcata authoritate beatissimorum atque orthodoxorum Patrum, per quos Ecclesia Dei ædificatur & illostratur, præsumant aliqui etiam de rebus præcipuè ad fidem pertinentibus ex proprij sensus temeraria præsumptione; quæ apertissime contraria sunt diuinæ veritati, & ipsi docere, & aliis tenendum statuere atque conscribere: Cum & ipse omnipotens Deus speculatori, id est, vnicuiq; pastori Ecclesiæ ea sola, quæ ab ipso audierit annuncianda
Ezech. 3. 17 præcipiat dicens: Speculatorem te dedi domui Israël: Et audies ex ore meo verbum, & annuntiabis eis ex me. Et beatus Apostolus Petrus similiter contestetur & dicat,
1. Pet. 4. 11. Si quis loquitur quasi sermones Dei: & beatus Paulus id ipsum admoneat & inculcet dicens, Doctrinis variis & peregrinis nolite abduci, huiusmodi enim doctrinæ variæ atque peregrinæ, in quibus non est vnitas veritatis,
Hebr. 13. 9. sed introductio diuersi & profani erroris, significantur in lege Moysi per varia genera lepratum, quæ non solum cæteras corporis partes contaminant atq; corrumpunt, sed etiam in capite & barba germinant. Cum vel de ipso Domino Iesu Christo, vel de viris Apostolicis atque Ecclesiasticis qui ei principaliter adhærent, & faciem eius ornant, indignum aliquid sentitur. Quoniam sicut Apo-
Psal. 132. 2 stolus docet, Omnis viri caput Christus est: Et iuxta Psalmistæ vocem, Vnguentũ in capite primum descendit in barbam Aaron, & descendit etiam in ora vestimenti eius Quapropter omni studio & vigilantia pietatis cauenda est immunditia erroris: Et humiliter ac fideliter obtemperandum Apostolo sub persona Timothei ad vnumquemque errorem Ecclesiæ dicenti: O Timothee depositum custodi deuitans profanas vocum nouitates & oppositiones falsi nominis scientiæ quamquidẽ promittentes circa fidem exciderunt: Habemus namque magnum depositum fidei, & doctrinæ veritatis ex diuinis scripturis, *& sanctorum Patrum dictis*, velut preciosum & multiplicem thesaurum diuinitus nobis ad custodiam commendatũ. Quem sine intermissione Domino auxiliante debemus inspicere, extergere, polire, atq; excutere, ac diligentissime seruare, ne per incuriam & ignauiam nostram aut puluerem sordescat, aut ærugine vel tineis demoliatur, aut malignorũ spirituum insidiis, velut à nocturnis & occultis furibus effodiatur ac dissipatur. Quia & Sesac Rex Ægypti, per quem significatur princeps huius mundi, armamentarium veri Salomonis spoliare quærit, & trecenta scuta aurea exportans, id est veræ & meræ fidei mysterium de corde negligentium diripiens, pro aureis ærea fabricari compellit, vt faciat nos, quod absit, habentes speciem quidem pietatis, virtutem autem eius abnegãtes. Hæc idcirco dicimus, quia

A peruenit ad nos, id est, ad *Ecclesiam Lugdunensem, quædã schedula* studio fideliũ & bonorum virorum, qui & suæ & aliorum salutis deuotè ac laudabiliter sollicitudinem gerunt, in nostram notitiam perlata, atque vt ad eam sedulo respondere deberemus attentius commendata. In qua insunt quatuor capitula maxime nouarũ definitionum, nuper, vt comperimus, in quodam fratrum nostrorum Episcoporum conuentu tractata, digesta atque conscripta, velut ad comprimendam & retundendam cuiusdã garruli & inquieti hominis loquacitatem, qui nouarum, vt fertur, quæstionum auidus & indisciplinatus ventilator, & aliis non paruam perturbationem, & sibi ipsi ærumnam miserrimæ cladis induxit. Quorum capitulorum series sicut ad nos perlata est, ita se habet.

B

CAPVT I.

DEVS omnipotens hominem sine peccato rectum cum libero arbitrio condidit, & in paradiso posuit, quem in sanctitate iustitiæ permanere voluit: homo libero arbitrio male vtens peccauit & cecidit, & factus est massa perditionis humani generis. Deus autem bonus & iustus elegit ex eadem massa perditionis secundum præscientiam suam, quos per gratiam prædestinauit ad vitã, & vitam illis prædestinauit æternam. Cæteros autem quos iustitia & iudicio in massa perditionis reliquit, perituros præsciuit, sed non vt perirent prædestinauit; pœnam autem illis, quia iustus est, prædestinauit æternam:
C Ac per hoc vnam Dei prædestinationem tantum dicimus, quæ ad donum pertinet gratiæ, aut retributionem iustitiæ.

CAPVT II.

LIBERTATEM arbitrij in primo homine perdidimus, quam per Christum Dominum nostrum recepimus, & habemus liberum arbitrium ad bonum præuentum & adiutum gratia: Et habemus liberum arbitrium ad malum desertum gratia, liberum autem habemus arbitrium quia gratia liberatum & gratia de corrupto sanatum.

CAPVT III.

D DEVS omnipotens omnes homines sine exceptione vult saluos fieri, licet nõ omnes saluentur, quod autem quidam saluantur, saluantis est donum: quod autem quidam pereunt, pereuntium est meritum.

CAPVT IV.

CHRISTVS Iesus Dominus noster, sicut nullus homo est, fuit, vel erit, cuius natura in illo assumpta non fuerit: ita nullus est, fuit, vel erit homo, pro quo passus non fuerit, licet non omnes passionis eius mysterio redimantur. Quia vero omnes passionis eius mysterio non redimuntur, non respicit ad magnitudinem & pretij copiositatem, sed ad infidelium & ad non credentium ea fide, quæ per humanæ salutis dilectionem operatur, respicit partem:, quia poculum quod confectũ est ex infirmitate nostra & virtute diuina, habet quidem in se, vt omnibus prosit, sed si non bibitur, non medetur. Hæc igitur cum legissemus, & adiuncto omnibus fratrum nostrorum, Deo donante, bene studentium, & recte intelligentium collegio, pia & fideli attentione singula pertractassemus, grauiter perculsi & con-

fuli animo, vidimus in eis & Scripturæ sanctæ certissimam veritatem, & beatissimorum Patrum precipueq; sancti Augustini reuerēdam, & in omni Ecclesia Catholica receptissimam auctoritatem nouo conatu & ausu nimis temerario impugnari: Et quantum in ipsis fuit, improuide atque insolenter labefactari. Vnde ipsa charitate prouocati & cōmoniti, per quam in vno Christi corpore omnes vnum esse debemus, vt sicut Apostolus dicit, inuicem pro se sollicita sint mēbra, & siue gloriatur vnum membrum congaudeant omnia membra: hac inquam, charitatis affectione visum est nobis atque complacuit vt hæc qualiacunq; sunt, & ad commonitionem nostram, & ad eorum qui legere voluerint ædificationē & confirmationem, compendioso & lucido, prout Dominus aspirare dignatur, sermone scriberemus. Quicquid in eo dicendū putauimus non nostro sensu aut præsumptione, sed manifestissimis scripturarū testimoniis, & ... sacrorum sanctorum Patrum venerabili auctoritate firmantes. A quorum vestigiis & vnitate, absit vt vel nos, vel illi quorum charitate compulsi hæc dicimus, recedamus, ne ab ipsis diuisi etiam ab ipso Domino diuidamur: qui illis specialiter dicit, Qui vos audit me audit, & qui vos spernit me spernit. Quos nimirum tantæ in Ecclesia sua esse voluit gratiæ & gloriæ, vt confidenter cum Apostolo dicere possint; itaque qui hæc spernit, nō hominem spernit, sed Dominum qui etiam dedit spiritū suum sanctum in nobis, quique etiam per Phinees sacerdotem nobis sollicite mandant tantum vt à Domino & à nostro consortio non recedatis ædificato altari præter altare Domini Dei nostri quod extructum est ante tabernaculum eius. Primi itaque capituli textus sic dicit, *Deus omnipotens hominem sine peccato rectum cum libero arbitrio condidit, & in paradiso posuit quem in sanctitate iustitiæ permanere voluit. &c. sicut sup.*

1 Cor 12. 25

Vt ergo his verbis & huiusmodi definitioni commodius & manifestius respondeamus, hoc nos primum in eis mouet, quod absque vlla commemoratione gratiæ Dei, sine qua nulla rationalis creatura, scilicet nec Angelica nec humana vnquam potuit aut potest vel poterit in iustitia & sanctitate esse, manere atque persistere, ita primus homo definitur liberi arbitrij à Deo conditus, atq; in paradiso constitutus, tanquam per ipsum tantummodo arbitrium liberum in sanctitate & iustitia potuisset permanere. Quod in prædictis verbis Deus solummodo voluisse dicitur; Non vt fieri posset dono suæ gratiæ inspirasse vel adiuuisse. Hoc namque non esse plene & Catholica pietate definitum & Scripturę sanctę authoritas, & beati Augustini diligens disputatio, & aliorum sanctorum atque orthodoxorum Patrum lucidissima definitio ostendit. In libro quippe Genesis, vbi primo die sub nomine lucis naturæ Angelicæ creatio intelligitur, ita scriptum est: Et dixit Deus fiat lux: Et facta est lux. Et vidit Deus lucem, quod esset bona, & diuisit inter lucem & tenebras, appellauitq; lucem, diem, & tenebras, noctem. Si ergo hoc iuxta sensum Catholicorum Patrum de Angelis recte intelligitur dictum, manifestum est quia in verbo suo, quod in principio erat Deus apud Deum constituerit & fecerit Deus Pater, vt illi Angeli electi mox vt sunt creati, existerent eodem eius verbo illuminati, & fierent lux in Domino, qui per se ipsos & in se ipsis nihil aliud quam tenebræ esse potuissent. Sicut sunt vtique omnes refugæ Angeli qui decepti lumine gratiæ conditoris nihil aliud in se ipsis nisi tenebræ remanserunt. Vnde etiam de eorum impio dominatu, vnde per sanguinē vnici filij Dei liberati sumus, Apostolus dicit, Qui eripuit nos de potestate tenebrarum, & trāstulit in regnum filij charitatis suæ. Et alibi ait: Nam & ipse Satanas transfigurat se in Angelum lucis, manifeste ostendens alios esse Angelos lucis qui Deo illuminante in veritate perstiterunt: Et alios Angelos tenebrarum, de quorum principe Dominus dicit: Et in veritate non stetit. Facti sunt ergo non tātum vt essentialiter essent, sed etiam diuina gratia illuminante lux & dies in Domino essent. Qui vero ex

Explicatio ... literalis.

Coloss. 1. 13

illa illuminante veritate à cæterorū societate per superbiam ceciderunt, merito tenebræ & nox appellari meruerunt, hanc lucem vidit Deus quia bona est, cum eam sibi placentem suo iudicio approbauit, tenebras autem illas non laudauit, quia nec approbauit: sed tantum iusto iudicio, vt in suæ ruinæ damnatione persisterent, ordinauit. Hoc de Angelis sanctis etiam in Psalmo ostenditur vbi dictum est: Verbo Domini cœli firmati sunt, & spiritu oris eius omnis virtus eorum. Nam si per verbum Domini, id est vnigeniti filij virtute cœli firmati sunt, & spiritu oris eius, id est per virtutem Spiritus sancti omnes cælorum virtutes vel creatę sunt vt essent, vel firmatæ vt in veritate persisterent, claret omnino eos & spiritu Dei conditos, & eiusdem gratia in æterna beatitudine solidatos. Sic & primus homo liberi arbitrij à Deo conditus quandiu scuto bonæ voluntatis Dei, id est diuinæ gratiæ protectus est atque munitus, beatam vitam duxit cum Deo, postquam autem de sua virtute præsumendo, & contra creatorē se extollendo auersus est ab illo, eius indignatione irā, id est. iustæ damnationis pœnam incurrit. Quam postea in illis qui ex eius propagine per Dei misericordiam saluantur, iuste se incurrisse intelligens, humiliatus sub potenti manu Dei ad ipsum sine intermissione clamat & ipsum deprecatur, vt liberari & sanari mereatur. Hoc totum verissime ita esse, ex persona eiusdem hominis bene conditi, benigne adiuti, miserabiliter lapsi, vere conuersi & lachrymabiliter supplicātis his verbis Psalmista implorat dicens: Quoniā ira in indignatione eius & vita in voluntate eius: Ad vesperū demorabitur fletus, & ad matutinum lætitia. Ego autem dixi in abundantia mea, non mouebor in æternū. Domine in voluntate tua præstitisti decori meo virtutem: Auertisti faciem tuam à me, & factus sum conturbatus. Ad te Domine clamabo, & ad Dominū meum deprecabor. Quia homo tunc certe habuit vesperum, cum ei peccanti sol iustitiæ occidisset. In qua nocte cæca ex ipsa descendente demoratur in fletu genus humanum, cui ad matutinum lætitia, matutina Christi resurrectione promittitur vt per eam ex morte ad vitam reparetur. Hanc eius fœlicem & beatam in paradiso vitam lucidissimo & dulcissimo sermone beatus Augustinus in libro decimo quarto de ciuitate Dei describit. Viuebat itaque homo in paradiso sicut volebat, quandiu hoc volebat quod Deus iusserat. Viuebat fruēs Deo, ex quo bono erat bonus. Viuebat sine vlla egestate, ita sēper viuere habens in potestate. Cibus aderat, ne esuriret, potus, ne sitiret, lignūque, ne illū senecta dissolueret. Nihil corruptionis in corpore, vel ex corpore vlla molestia se illis eius sensib. ingerebat. Nullus intrinsecus morbus, nullus ictus metuebatur extrinsecus. Summa in carne sanitas, in animo tota tranquillitas. Sicut in paradiso nullus æstus aut frigus, ita in eius habitatore nulla ex cupiditate vel timore accidebat bonæ voluntatis offensio. Nihil omnino triste, nihil erat inaniter lætum: Gaudium vero perpetuabatur ex Deo, in quem flagrabat charitas de corde puro, & conscientia bona & fide non ficta, atque inter se coniugum fida ex honesto amore societas: Concors mentis corporisque vigilia, & mandati sine labore custodia. Non lassitudo fatigabat otiosum, non somnus premebat inuitum. Item idem doctor beatissimus de eadem primi hominis à Deo accepta gratia & propria culpa amissa in libro de Correptione & gratia ita astruit dicens. Ita gratiam habuit homo primus in qua si permanere vellet, nunquam malus esset: Et sine qua etiam cum libero arbitrio bonus esse non posset, sed eam tamen per liberum arbitrium deserere posset. Nec ipsum ergo Deus esse voluit sine sua gratia, quem reliquit in eius arbitrio libero, quoniam liberum arbitrium ad malum sufficit ad bonum autem parum est, nisi adiuuetur ab omnipotenti bono. Quod adiutorium si homo ille per liberum arbitrium non deseruisset semper esset bonus: sed deseruit, & desertus est. Et post aliquanta idem doctor subiungit: Tunc ergo dederat homini Deus bonam volūtatem. In

illa

Psalm. 32. 6.

Psal. 29. 6.

Psal. 17. 4.

Cap. 26.

illa quippe cum fecerat, qui fecerat rectum, ederat adiutorium, sine quo in ea non posset permanere si vellet: vt autem vellet in eius libero reliquit arbitrio: sed quia noluit permanere profecto eius est culpæ, cuius meritum fuisset, si permanere voluisset. De gratia quoque sanctis Angelis diuinitus conlata, in qua alij manserũt & ex qua alij corruerunt, ita adiũgit: *Angeli sancti qui per liberum arbitrium cadentibus aliis per idem liberũ arbitrium steterũt ipsi, huius mansionis debitam mercedẽ recipere meruerũt*. Tantã scilicet beatitudinis plenitudinem qua eis certissimum sit semper se in illa esse mãsuros. Si autem hoc adiutorium vel Angelo, vel homini cum primum facti sunt defuisset, quoniam nõ talis natura facta erat, vt sine diuino adiutorio posset manere si vellet, nõn vtique sua culpa cecidissent. Adiutorium quippe defuisset, sine quo manere non possent. Si enim nos de Scripturis sanctis nosse potuimus, sanctos Angelos iam nullos esse casuros, quanto magis hoc ipsi reuelata sibi sublimius veritate nouerũt. Nobis quippe beata sine fine vitę promissa est, & æqualitas Angelorum: Ex qua promissione certi sumus, cum ad illam vitam post iudicium venerimus, non inde nos esse lapsuros. Quod si de se ipsis Angeli nesciunt, non æquales sed beatiores erimus. Veritas autem nobis eorum promisit æqualitatem. Certum est igitur hoc eos nosse per speciem, quod nos per fidem, nullam scilicet ruinam cuiusquam sancti Angeli iam futuram. Hac Dei gratia sanctos Angelos indigere beatus etiam Ambrosius in expositione Psalmi centesimi octaui decimi ita confirmat dicens: Aliter eget misericordia Archangelus, aliter homo. Angeli enim natura non vtique ita corruptelæ obnoxia est, vt natura generis humani: & ideo ille eget misericordia Dei ne possit errare, & auersa a se Dei gratia labatur in vitium. Homo autem & si iam firmiore propositione tamen propter contractorum seriem peccatorum misericordiam quærit. Itaque & si vterque misericordia indiget, aliter tamen Angelo misericordia, aliter homini debetur. Hunc primi hominis statum libero scilicet arbitrio præditum, sed diuina gratia, vt bonum in quo conditus fuerat seruare posset, adiutum beatissimi patres præfati sancti Doctoris sententiam securi venerãdi concilij sui auctoritate ita commendarunt. Natura humana etiamsi in illa integritate in qua est condita permaneret, nullo modo seipsam creatore suo non adiuuante seruaret. Vnde cum sine Dei gratia non posset custodire quam accepit, quomodo sine Dei gratia poterit reparare quod perdidit? His itaque de prima quæstione breuiter adnotatis quisquis sincere, & pure, & Catholice, de illa primi hominis siue Angelica conditione vel beatitudine sentire cupit, attendat fideliter diuinam auctoritatem, attendat fidelissimos Ecclesiæ patres fidelissime disputantes, attendat etiam conciliis aggregatis id ipsum firmissime definientes: Et non iuxta impium Pelagianum errorem credat primum hominem solo suo arbitrio in bono quod acceperat permanere potuisse: sed etiam ipsum quandio stetit diuina gratia adiutum fuisse: Nec omnipotentem Deum vt idem homo in sanctitate, & iustitia permaneret tantũmodo voluisse, sed vt permanere posset etiam adiutorium dedisse. Post hæc subiungitur in iam dicto primo capitulo; ita homo libero arbitrio male vtens peccauit & cecidit, & factus est massa perditionis totius generis humani Deus autem bonus & iustus elegit ex eadem massa perditionis secundum præscientiam suam quos per gratiam prædestinauit ad vitam, & vitam illis prędestinauit æternam. In quibus verbis quod dictum est de Deo bono & iusto, quia elegit ex eadem massa perditionis secũdum præscientiam suam quos per gratiam prędestinauit ad vitam, probamus quidem quod electos suns omnipotens Deus per gratiam suam prædestinauit ad vitam & vitam illis prædestinauit æternam, vt & ipsi vitæ æternæ, & vita æterna ipsis sit prædestinata: vtrumque enim est verum, & dilucide ab Apostolo positum: Ait namque de prædestinatione electorum ad vitam: Quos autem prædestinauit, hos & A vocauit, & quos vocauit, hos & iustificauit, Quos autem iustificauit, illos & magnificauit: Et quod eisdem electis vitam æternam prædestinauerit, ita alio loco dicit, in spem vitæ æternæ quam promisit qui non mentitur Deus ante tempora æterna. Sed hoc nos mouet, cur in hac definitione qua per gratiam Dei & electi ad vitã æternam, & vita æterna iisdem electis creditur præparata, ipsos tamen electos absque vlla commemoratione gratiæ secundum præscientiam suam Deus elegisse dicatur: Quasi gratia sit quod electi perueniunt ad vitam, gratia quod vita æterna illis est præparata. Vt autem eligerentur non fuisse gratiam, sed tantummodo præscientiam. Quod manifeste contrarium est Catholicæ fidei: Quia omnipotens Deus in electione eorum quos prædestinauit, & vocauit ad vitam æternam, non eorum merita præsciuit tanquam ideo eos elegisset quia ex semetipsis bonos futuros præsciret: sed ipsa electio vt ex massa perditionis vasa misericordiæ fierent absque vllo bono merito, sola gratia fuit per quam discreti sunt à filiis perditionis, & adoptati in filios vitæ & resurrectionis Hanc namque electionem non meritorum sed gratiæ: In qua non alicuius bona præscita sunt opera, sed sola tantum diuina misericordia præparata commendat nobis diligenter Apostolus de duobus geminis Isaac & Rebecæ ita dicens: Cum enim nec dum nati essent, aut aliquid egissent bonum vel malum, vt secundum electionẽ propositum Dei maneret, non ex operibus, sed ex vocante dictum est, quia maior seruiet minori, sicut scriptum est, Iacob dilexi, Esaü autẽ odio habui. Manifeste enim hoc odium Dei in Esaü ex merito fuit originalis peccati: Illa vero dilectio Dei in Iacob, cum eodem damnationis merito teneretur obligatus, ex sola gratuita misericordia extitit: sicut idem Apostolus continuo subiungit dicens: Quid ergo dicemus? Nunquid iniquitas apud Deum? Absit: Moysi enim dicit, miserebor cui misertus ero, & misericordiam præstabo cuius miserebor. Hanc veræ gratiæ & nullius meriti electionem etiam ad Timotheum scribens, ita inculcat: Sed conlabora Euangelio secundum virtutem Dei qui nos liberauit, & vocauit vocatione sancta: non secundum opera nostra, sed secundum propositum suum & gratia, quæ data est nobis in Christo Iesu ante tempora sæcularia. Non itaque secundum præscientiam meritorum elegit Deus ex massa perditionis quos facere filios adoptionis: sed gratis elegit quos ab illa iusta damnatione æqualiter omnibus debita misericorditer liberauit. Sequitur in eodem capitulo: Cæteros autẽ quos iustitia & iudicio in massa perditionis reliquit, perituros præsciuit, sed non vt perirent prædestinauit: pœnam autem illis quia iustus est prædestinauit æternam: Ac per hoc vnam Dei prædestinationem tantummodo dicimus, quæ ad donum pertinet gratiæ aut ad retributionem iustitiæ. In quibus verbis mirum est quomodo asseritur omnipotens Deus cæteros, id est reprobos iusto iudicio suo in massa perditionis reliquisse, nec tamen prædestinasse, sed tantum præscisse perituros. Si enim iustum iudicium Dei iam in illis præcessit, & eodem iusto iudicio in massa perditionis sunt deputati, quomodo nõ tali iudicio iam perditionis destinati & prædestinati? Ita dum in hac definitione diuini iudicij veritas negatur, ipso etiam negantium testimonio confirmatur. Quomodo enim præsciuit tantummodo, & non prædestinauit quod ipsorum confessione iusto iudicio iam decreuit? Cur veram & perfectam prædestinationem iusti iudicij Dei, quæ æterno consilio suo vel iustos ad vitam, vel iniquos præordinauit ad pœnam. In parte audet homo accipere, & in parte negare? Quasi omnipotẽs Deus quid iusto iudicio suo de electis esset facturus, & præscierit, & prædestinauerit. Quid autem eodem iusto iudicio de reprobis esset gesturus præscierit tantum nec prædestinauerit: Cum vtraque parte vnum sit iudicium, vna iustitia qua vel iustis præmia, vel iniquis supplicia retribuuntur. Nam si hæc prædestinatio diuini iudicij esset merito alicui violenta, vel iniusta, vel

Rom. 9.11.

Gen. 25.23.

præiudiciaria, meritum iniustum Deum argueret: Immo de illo apud quem non est iniquitas nullatenus credi deberet. Cum autem manifestissime non sit violenta, quia nullum compellit vt malus sit, & aliud esse non possit, non sit iniusta, quæ illos tantummodo qui suo vitio in malis perseuerauerint, punit. Non sit præiudiciaria, qui non præiudicat aliquem, vt quasi eius sententia, & non suo merito pereat. Quid in ea reprehenditur vel quasi blasphemum putatur, in qua sola æquitas, sola iustitia inuenitur: hoc namq; erga homines diuina prædestinatio. quod & diuina præsciētia agit: Præsciuit enim Deus malos futuros, sed ipsa sua præscientia non eos compulit fieri malos. Prædestinauit iusto iudicio suo eos qui in malis perseuerauerint puniendos. Nec tamen eadem prædestinatione sua. vt mali essent vel in malis perseuerarent coegit. Et hæc est apud illum æquitas, vt qui volentes persisterunt in malis, nolentes puniantur in suppliciis; seipsum ergo homo mutet, seipsum, dum tempus est, corrigat & emendet, quia omnipotentem atq; æternam præscientiam & prædestinationem mutare vel destruere non valet. Si quis enim neget esse apud Deum præscientiam & prædestinationem manifeste infidelis est: si quis dicit quod præscientia & prædestinatio eius aliquem compellat, vt malus sit, & aliud esse non possit horribiliter blasphemat. Qui autem fideliter confitetur & præsciētiam & prædestinationem æternam esse apud Deum, nec tamen aliquem per hæc ad malum cogi, sed tantummodo qualis quisq; futurus sit præsciri, & prout gesserit, iudicari, iste protsus Catholicè sentit. Certe in professione fidei Catholicæ, quam nisi quisque integrā inuiolatamque seruauerit, absque dubio in æternum peribit: Et quam nisi quisque fideliter firmiterque crediderit, saluus esse non poterit, omnes vno ore confitemur quod in aduentu vnigeniti filij Dei de cœlo omnes homines resurgere habent cum corporibus suis, & reddituri sunt de factis propriis rationem: & qui bona egerunt, ibunt in vitam æternam: Qui vero mala in ignem æternum. Manifeste ergo quod de vtraque parte tam electorum quam reproborum hic confitemur, vtrumque est verum, vtrumq; iustum: vtrumque in æterno & iusto Dei iudicio prædestinatum. Nam si non prædestinatum, quomodo hoc tam firmiter credimus, tam indubitanter confitemur futurum? se igitur, vt iam dictum est, vnusquisque dum facultas datur, Deo auxiliante, mutet in melius. Hoc enim proculdubio vult, qui quotidie clamat & ammonet dicens: Declina à malo & fac bonum. Et iterum: Conuertimini ad me, & conuertar ad vos, dicit Dominus exercituum. Nam in illo apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio, & qui per Prophetam dicit, Ego enim Dominus & non mutor, quod suum est plene & perfecte confiteri debemus, quia eius plenitudini & perfectioni nihil possumus addere vel auferre. Et ideo plenam & perfectam prædestinationem iusti iudicij Dei tam in parte electorum quam in parte reproborū, sicut omnino vera est, veraciter confiteamur: Nemini misericordiam Dei negantes, nemini conuersionis gratiam derogantes, nemini aditum indulgentiæ claudentes: sed omnibus in iniquitate permanere volentibus vtilem & salubrem terrorem incutientes. Hanc enim vtriusque partis certissimam & immobilem prædestinationem Dei declarat nobis Apostolus dicens: Abrahæ namque promittens Deus, quoniam neminem habuit per quem iuraret maiorē, iurauit per semetipsum dicens: Nisi benedicens benedicam tibi & multiplicans multiplicabo te, vbi & post paululum subiungit: homines per maiorem se iurant, & omnis cōtrouersiæ eorum finis ad confirmationem est iuramentum. In quo abundantius volens Deus ostēdere pollicitationis hæredibus immobilitatem consilij sui, interposuit iusiurandum: vt per duas res quibus impossibile est mentiri Deum fortissimū solatium habeamus, qui confugimus ad tenendam propositam nobis spem. Ecce in parte electorum, qui promissi sunt vt essent Abrahæ filij, & hæredes noui

Notent Calumnia

Ezech 18. [?]

Malach 3.

Hebr 6 13.

A & æterni testamenti, omnipotens Deus, qui neminē haber maiorem, iurat per semetipsum. Et quid intelligendū sit per hoc iusiurandum docet nos Apostolus, videlicet quod hoc modo voluerit Deus hæredibus pollicitationis suæ abundantius ostendere immobilitatem consilij sui: vt per duas res, id est pollicitationis & iurationis suę quibus impossibile est mentiri Deum siue promittentē, siue promissa sua iurātem, fortissimum solatium habeamus, qui confugimus ad tenendam propositam nobis spem. Ergo hæc diuina Iuratio non est aliud, nisi immobilis consilij Dei æterna & incommutabilis prædestinatio. De quo immobili consilio Dei dicit Psalmista: Consilium autem Domini in æternum manet: cogitationes cordis eius in generatione & generationē. Et ipse Dominus per Esaiam testatur: Consilium meum stabit, & omnis voluntas mea fiet: sicut ergo hic per Dei iurationem ad Abraham factam docente Apostolo immobilitatem cōsilij, id est, pręde stinationis eius intelligimus: Ita & ibi intelligere debemus, vbi de æterno Christi sacerdotio Deus iurasse introducitur: dicēte Psalmista, Iurauit Dominus & non pœnitebit eum, tu es sacerdos in æternum secundū ordinem Melchisedech: Et vbi iterū in Psalmo de promissione Dei ad beatū Dauid facta dicitur: Iurauit Dominus Dauid veritatē & nō frustrabit eum; de fructu ventris tui ponam super sedem tuam. Si ergo in his omnibus immobilitas consilij & prædestinationis Dei per ipsius iurationem intelligitur in saluatione electorū, ita è contrario intelligendum est in damnatione reproborū, vbi de eis omnipotens Deus dicit, Ipsi vero non cognouerunt vias meas, quibus iuraui in ira mea, si intrabūt in requiem meam, Nempe & hic iusiurandi immobilitas interponitur, vt nullus eorum de quibus tam terribiliter iuratum est, in requiem Dei intraturus credatur. Nec tamen iniuste: quia in impietate secundum duritiam suam & cor impœnitens perdurare voluerunt, præmittēte ipso Domino: ipsi vero non cognouerunt vias meas, & deinde subiungente: quibus iuraui in ira mea si introibūt in requiem meam. Huic iurationi simile est illud quod de contemptoribus conuiuij sui ipsa veritas in Euāgelio comminatur dicens: Dico autem vobis quod nemo virorum illorum qui vocati sunt gustabit, cœnam meam. Veritas enim dixisse procul dubio iurasse est. Talis est & illa Dei iuratio apud Esaiam Prophetam, vbi post onus Babylonis & regni Assyriorum, qui erant sęuissimi hostes populi Dei, per quos, sicut beatus Ioānes Apostolus in Apocalypsi ostendit, significatur tota ciuitas diaboli, id est omnis multitudo reproborum, interponit Deus iusiurandū de certissima talium perditione, dicente Propheta Iurauit Dominus exercituum dicens, si non vt putaui ita erit: Et quomodo mente tractaui ita eueniet, vt conteram Assyrium in terra mea, & in montibus meis conculcē eum: hoc consilium quod cogitaui super omnem terram, & hęc est manus extenta super vniuersas gentes: Dominus enim Deus exercituū decreuit & quis poterit infirmare? Et manus est extenta, & quis auertet eam. In quibus verbis mirabiliter & granditer ostēditur & immobilitas prędestinationis Dei, & ipsius prędestinationis effectus. Cum tāta & tam grauia mala pereuntibus comminatus sub iureiurando dicit, si non vt putaui ita erit, & quomodo mente tractaui sic eueniet: id est sicut cogitaui & mente tractaui in ęterni consilij prędestinatione, ita erit & sic eueniet in ipsarum rerum adimpletione. Quod etiam sequentia Prophetæ verba magnifice & clarissime ostendunt dicentis ex persona Dei, hoc cōsilium quod cogitaui super omnē terram, & hęc est manus extenta super vniuersas gentes. Et mox ex sua persona addentis: Dominus enim Deus exercituū decreuit, & quis poterit infirmare? & manus eius extēta & quis auertet eam. Profecto enim in his verbis per consilium quod cogitauit Deus super omnē terram, ęterna eius prędestinatio; & per manū extentam eiusdem consilij intelligenda est adimpletio. Et vt cognoscamus nullum cōsilio & effectui prędestinationis posse resistere, dicitur, Dominus enim

Esa. 14. 10.

Luc. 14. 24.

Esa 14. 24.

enim Deus exercituum decreuit: vtique in æterno conſilio prædeſtinando, & quis poterit infirmare intelligatur nullus. Cum enim dicitur, Dominus enim Deus exercituum decreuit, quid eſt aliud decreuit, niſi prædeſtinauit, præfiniuit, ſtatuit, præfixit, preordinauit. Ex quo manifeſte intelligimus quid ſit predeſtinatum, videlicet & præfinitum, ſtatutum, præfixum, præordinatum. Hic namque ſermo, id eſt decreuit, etiam in actibus Apoſtolorum in ſimili re atque eodem ſenſu ponitur: vbi multitudo fidelium vnanimiter leuantes vocem in oratione dixerunt ad Deum. Conuenerunt enim in hac ciuitate aduerſum ſanctum puerum tuum Ieſum quem vnxiſti: Herodes & Pontius Pilatus cum gentibus & populis Iudæorum fecere quæ manus tua & conſilium decreuerunt fieri: Vbi enim Latinus interpres ad ſenſum transferens numero plurali poſuit in Græco, ſingulari numero legitur quæ manus tua & conſilium prædeſtinauit fieri. Sicut etiam hoc ipſum teſtimonium in libro de prædeſtinatione ſanctorum B. Auguſtinus poſuiſſe inuenitur. Idipſum enim verbum in hoc loco Græce legitur quod & in Epiſt. ad Romanos, vbi ſcriptum eſt: Quos autem prędeſtinauit, hos & vocauit: vbi enim nos Latine dicimus prædeſtinauit, ibi & in illa Epiſtola, & in hac ſententententia de Actib. Apoſtolorum Græce poſitum eſt, προώρισε, quod, vt iam dictum eſt, alij proprie tranſtulerunt prędeſtinauit, alij definiuit, alij decreuit, vel plurali numero decreuerunt; vbi & illud eſt, valde mirum: Quia ſicut in Propheta legitur, & cõſilium Dei, & manus extenta: Ita & hic ponitur facere quę manus tua & conſilium decreuit, ſiue decreuerunt fieri: Quod idcirco tam diligenter dicendum putauimus, vt prędeſtinauit, & decreuit, & definiuit, vel pręfiniuit idipſum ſignificare intelligatur. Conuenerunt ergo aduerſus ſanctum puerum Ieſum quem vnxit Deus Herodes & Pontius Pilatus facere quæ manus & conſilium Dei prædeſtinauit, decreuit & prędefiniuit fieri. Sed quæcunque omnipotens Deus Pater vnigeniti filij ſui paſſione prædeſtinauit fieri, illi fecerunt malitia & impietate. Ille prædeſtinauit miſericordia & benignitate, illi vt nomen Chriſti delerent, ille vt eius ſanguine peccata mundi ablueret. Prædeſtinata ſunt illa omnia vt eius paſſione fierent, prædeſtinatũ eſt & per quos fierent: quia videlicet & iuſto iudicio Dei, merito præcedentium peccatorum digni iudicari ſunt qui ita excæcarentur, vt per eos talia complerentur. Sicut & Iudas ideo prædeſtinatus eſt, vt eundem Dominum Chriſtum traderet, qui dignum ſe prębuit qui tale facinus expleret. Hanc æternam & incommutabilem prædeſtinationem Dei de vtraque ciuitate, id eſt electorum & reproborum B. Eſaias Propheta in fine ſęculi ad implendam miris laudibus & exultatione proſequitur dicens: Domine Deus meus exaltabo te, confitebor nomini tuo quoniam feciſti mirabilia, cogitationes antiquas fideles, amen. Et mox de ciuitate impiorum, quia poſuiſti, inquit, ciuitatem in tumulum, vrbem fortem in ruinam, domum alienorum vt non ſit ciuitas, & in ſempiternum non ædificetur, vbi & de ciuitate piorum continuo adiungit: ſuper hoc laudabit te populus fortis, ciuitas gẽtium robuſtarum timebit te: quia factus es fortitudo pauperi, fortitudo egeno in tribulatione ſua: ſpes à turbine, vmbraculum ab æſtu. Has duas partes electorum videlicet & reproborum menſura ęquitatis iuſti iudicij Dei alteram perdendam, & alterã ſaluandam mirabiliter etiam in libro regum legimus deſignatas, vbi de beato Dauid ſcriptum eſt: quia percuſſit Moab, & menſus eſt eos funiculo coęquans terræ. Menſus eſt autem duos funiculos: vnum ad occidendum, & vnum ad viuificandum, quis enim non agnoſcat verum Dauid eſſe Dominum Ieſum Chriſtum. Moabitas vero omnem multitudinem infidelium qui alieni ſunt à populo Dei: quorum dum alios iuſto & occulto iudicio ſuo præordinat ad mortem æternam, alios vero eligit & vocat ad vitam æternam, quid aliud quam æquiſſima iudicij ſui menſura duos metitur funiculos, vnum ad occidendum, & vnum ad viuificandum. Sed & in libro Eſther idipſum de vtraque parte, & electorum ſcilicet & reproborum, & fidelium, & infidelium ſub figura duarum ſortium magnifice figuratur, vbi de Deo ſcriptum eſt, & duas ſortes eſſe præcepit, vnam populi Dei & alteram cunctarum gentium: venitque vtraque ſors in ſtatutum ex illo iam tempore coram Deo: Per ſortem namque diuini iudicij diſpoſitio recte intelligitur, dicente Salomone: ſortes mittuntur in ſinum, ſed à Domino temperantur. Et omnipotens Deus duas ſortes eſſe præcepit, vnam populi Dei, id eſt omnium electorum, & alteram cunctarum gentium, omnium videlicet reproborum: Et vtraſque partes iudicij ſui ſortes diſtinxit, vt alij eſſent in partes ſortis Sanctorum, alij vero in partes ſortis impiorum: Eſſe etenim duas ſortes, id eſt ſortem Sanctorum & ſortem impiorum, aperte ſcriptura nos docet cum dicit Apoſtolus de prima. Qui dignos nos fecit in parte ſortis Sanctorum in lumine: qui eripuit nos de poteſtate tenebrarũ & tranſtulit in regnum Filij dilectionis ſuæ, quæ eſt vtique ſors populi Dei. Et de altera in libro Eccleſiaſtico legimus, Anima enim nequam diſperdet eum qui ſe habet, & in gaudium inimici dat illum, & deducet illum in ſortem impiorum, manifeſte ſcilicet reproborum. Sed & in aliis Scripturæ ſanctę locis ſors pro iuſti retributione iudicij, in parte reproborum repoſita inuenitur, ſicut in Eſaia ad plebem reprobam Deus dicit, hęc eſt pars tua ſorſque menſuræ tuę. Et de inimicis populi Dei idem Propheta ait, hæc eſt pars eorum qui vaſtauerunt nos, & ſors diripientium nos. Venit ergo vtraque ſors, id eſt & populi Dei, & eorum qui alieni iudicantur à populo Dei in ſtatutum; videlicet vt quemadmodum ſtatutum eſt in occulto iudicio Dei de vtriſque ſortibus, id eſt ciuitatis Dei & ciuitatis Diaboli, ipſis rebus expleretur ex illo iam tempore, quo ab exordio mũdi vſque ad finem ſęculi, hę duæ ciuitates mixtæ corpore, mente diuiſe temporaliter currunt, donec ad debitos fines perueniant, vel vitæ ęternæ, vel mortis perpetuæ: Hoc autem totum venit in ſtatutum coram Deo, qui ſolus nouit quam iuſte iſta diſpoſuerit, & quam veraciter atque efficaciter vſque ad finem ſæculi compleantur. Hanc diſtinctionem diuini iudicij & prędeſtinationis duorum videlicet funiculorum & duarum ſortium, quarum vna eſt populi, & altera omnium impiorum ita ęternaliter eſſe diſpoſitam prædictus liber Eccleſiaſticus mirabiliter oſtendit dicens: In iudicio Dei opera ipſius ab initio, & ab inſtitutione ipſorum diſtinxit partes illorum: Et alibi dicit, homines omnes de ſolo & ex terra vnde creatus eſt Adam, in multitudine diſciplinæ Domini ſeparauit eos, & immutauit vias eorum: & ex ipſis benedixit & exaltauit, & ex ipſis ſanctificauit, & ad ſe applicauit: Et ex ipſis maledixit, & humiliauit, & conuertit illos à ſeparatione ipſorum. Quaſi lutum figuli in manu ipſius plaſmare illud & diſponere. Omnes viæ eius ſecundum diſpoſitionem eius. Huic ſententiæ ſimile eſt illud quod beata Iudith in oratione ſua ad Deum dicit. Tu enim feciſti priora, & illa poſt illa cogitaſti, & hoc factum eſt quod ipſe voluiſti, & tua iudicia in tua prouidentia poſuiſti. Quam vero æterna ſint eius præſcientia & prouidentia, & prædeſtinationis iudicia, idem liber alibi oſtendit, dicens: Domino enim Deo antequam crearentur, omnia fuerunt agnita: ſic & poſt perfectum reſpicit omnia. Opera omnis carnis coram illo, & non eſt quicquam abſconditum ab oculis eius: A ſæculo & vſque in ſęculum reſpicit, & nihil eſt mirabile in conſpectu eius. Non eſt dicere quid eſt hoc, aut quid eſt illud. Omnia enim in tempore ſuo quærentur. Non præterit illum omnis cogitatus, & non abſcondit ſe ab eo vllus ſermo. Magnalia ſapientiæ ſuæ decorauit, quę eſt ante ſæculum, & vſque in ſæculum, neque adiectum eſt, neque minuitur, & non eget alicuius conſilio. Viæ illorum corã ipſo ſunt ſemper, non ſunt abſconſæ ab oculis ipſius.

Marginal notes: Eſai. 25. 1. — 2. Reg. 8. 2. — Eſther. 10. 10. — Coloſſ. 1. 12. — Eccl. 6. 4. — Eſa. 57. 6. — Eccleſ. 16. 26. — Iud. 9. 4.

sanctis Apostolis eius & Prophetis in spiritu, &c. Et iterum mihi omnium Sanctorum minimo data est gratia hæc, in gentibus Euangelizare inuestigabiles diuitias Christi, & inluminare omnes quæ sit dispensatio Sacramenti, absconditi à sæculis in Deo qui omnia creauit. Licet enim totum quod de Domini nostri diuinitate, atque incarnatione per Apostolos annũciatur, generaliter magnæ pietatis mysterium sit temporibus æternis tacitum, nec aliis generationibus filiis hominum agnitum, & à sæculis in Deo qui omnia creauit absconditum, nunc autem per scripturas Prophetarum & prædicationem Apostolorum manifestatum: Tamen etiam specialiter istud de inscrutabilibus diuinis iudiciis, & dispositionibus siue in excæcatione infidelium, siue in inluminatione fidelium aperte & præcipue mysterium appellatur: dicente Apostolo. Nolo vos ignorare fratres mysterium hoc, vt non sitis vobismetipsis sapientes: Quia cæcitas ex parte contigit in Israel, donec plenitudo gentium intraret, & sic omnia Israel saluus fieret. (Rom. 11.) Hanc scripturæ Dei veritatem atque auctoritatem secutus beatissimus Pater & egregius Doctor Augustinus, & prædestinatione Sanctorum librum luculentissimum scripsit, & de prædestinatione etiam reproborum iusto iudicio Dei ad interitum, & ibi & in aliis opusculis suis sæpius memorauit. Sicut in libro de perfectione iustitię hominis manifestè ostendit dicens: Quomodo ergo dictum est, non est qui faciat bonum, non est vsque ad vnum, nisi quia populum quendam psalmus ille culpat, in quo nec vnus erat qui faceret bonum, dum volunt remanere filij hominum, & non esse filij Dei cuius gratia homo fit bonus vt faciat bonum: (Psal. 13.) & post paululum: Hoc ergo, inquit, bonum quod est requirere Deum non erat qui faceret, non erat vsque ad vnum. Sed in eo genere hominum quod prædestinatum est ad interitum. Superbos enim respexit Dei præscientia protulitque sententiam. Item, de ciuitate Dei, libro decimo; Ita, inquit, Dei non perturbatio animi eius est, sed iudicium quo inrogatur pœna peccato: Cogitatio vero eius & recogitatio mutandarum rerum est immutabilis ratio. Neque enim sicut hominem, ita Deum cuiusquam facti sui pœniteat: Cuius est de omnibus omnino rebus tam fixa sententia quam certa præscientia. In tractatibus quoque quos in expositionem Ioannis Euangelistæ ad populum loquitur, de hac re ita dicit. Quod vero sequitur, propterea vos non auditis quia ex Deo non estis, eis dictum est, qui non solum peccato vitiosi erant: nam hoc malum commune erat omnibus, sed etiam præcogniti qui non fuerant credituri. Quapropter præsciebat illos quibus talia dicebat, in eo permansuros quod ex diabolo erant, id est in suis peccatis atque impietate morituros, nec venturos ad regenerationem in qua essent filij Dei, secundum hanc prædestinationem locutus est Dominus, &c. Item ibi: Isti autem indignantes mortui & morti sempiternæ prædestinati respondebant conuiciose & dicebant: Modo cognouimus quia dæmonium habes. Item alio loco exponens verba Domini quibus ait de ouibus suis, & non rapiet quisquam eas de manu mea. Quid potest, inquit, lupus, quid potest fur & latro? Non perdunt nisi ad interitum prædestinatos. Item alio loco: Qui enim, inquit, certis & immutabilibus causis omnia futura prædestinauit, quicquid facturus est fecit. Nam & per Prophetam de illo dictum est, qui fecit quæ futura sunt. Et alibi: filius, inquit, perditionis dictus est traditor Christi perditioni prædestinatus, secundum scripturam quæ de illo in Psalmo centesimo octauo maxime prophetatur. De diuina quoque præscientia qua omnia futura vel bona vel mala immutabiliter nouit, nec tamen ea aliquem ad peccandum compellit, in eisdem tractatibus ita loquitur. Non enim propterea Deus quenquam ad peccandum cogit, quia futura hominum peccata iam nouit, fecerunt ergo peccatum Iudæi, quod eos facere non compulit, cui peccatum non placet, sed facturos esse prædixit, quem nihil latet. Et ideo si non malum, sed bonum facere voluissent, non prohiberentur, & hoc facturi præuiderentur ab eo qui nouit quid sit quisque facturus, & quid eis sit pro eius opere redditurus. Hanc diuinæ prædestinationis veritatem per scripturas multipliciter declaratam, & à sanctissimo doctore fideliter commendatam etiam antiquissimus, & beatissimus doctor & magister Cyprianus clarissime docet dicens: Qui omne iudicium à patre solus accepit, & qui venturus est iudicaturus, iam iudicij & cognitionis futuræ sententiam protulit, prænuncians & contestans confessurum se coram patre suo confitentes, & negaturum negantes. Item cum de his qui in persecutione comprehensi pro Christo vsque ad mortem dimicant, & de his qui infirmitatis suæ conscij caute secedunt, disputaret sic ait: Illic fortitudo promptior, hic sollicitudo securior. Ille appropinquante hora sua iam maturus inuentus est, hic fortasse dilatus est, qui patrimonio derelicto idcirco secessit, quia non erat negaturus: Confiteretur vtique & ipse si fuisset detentus. Item alibi cum tempore mortalitatis consolaretur eum qui se dolebat morte peruenitur na se offerre posset ad passionem martyrij, ita dicit, Primo in loco non est in tua potestate, sed in Dei dignatione martyrium: Nec potes dicere perdidisse, quod nescias an merearis accipere, &c. Item alio loco: Neque enim, inquit, potest perire nisi quem constat esse periturum: Cum Dominus in Euangelio suo dicat: Omnis plantatio, quam non plantauit pater meus cœlestis, eradicabitur. (Matth. 15.) Item alibi dicit: Dominus in persecutione secedere mandauit, atque vt id fieret & docuit & fecit. Nam cum corona de Dei dignatione descendat, nec possit accipi, nisi fuerit hora sumendi, quisquis in Christo manens interim cedit, non fidem negat, sed tempus expectat: Qui autem cum non secederet cecidit negaturus remansit. Hanc præscientiæ & prædestinationis diuinæ immobilem firmitatem beatus quoque Hilarius ita docet dicens: Deo namque complectenti in se omnia futura pro factis sunt: Cuius cum fidelis præscientia est, vt quę mundum gesta sunt, tamen iam ab eo & pro præteritis habeantur & gestis. Et iterum: Dignum est enim, inquit, vt miserabilem populi casum, & impietati eius debitam pœnam, & post longæ seruitutis sufficientem peccatis grauibus satisfactionem & misericordem in eos Dei, indulto reditu voluntatem secundum prouidentem scientiam Prophetiæ spiritus loquatur. Item cum illud de Psalmo exponeret, Et surrexi & adhuc tecum sum: surrexi, inquit, ad resurrectionis gloriam spectat: sed secundum præscientiam Dei, id quod futurum est, tanquam præteritum loquitur: Quia Deo ob scientiam & virtutem quæ futura sunt facta sunt: vt etiam nosmetipsi facta esse existimamus quæ futura esse confidimus. Item cum exponeret illum locum Psalmi vbi dicitur, Dinumerabo eos & super arenam multiplicabuntur, de certo & prædestinato electorum numero sic ait, Nunquid numerus incertus est qui in libro Dei scribuntur. Ergo nulla est difficultas in numero, quorum veritas manet in scripto. Hanc diuini iudicij in vtramque partem tam bonitatem quam seueritatem etiam beatissimus Ambrosius ex verbis Epistolæ ad Romanos in expositione Psalmi centesimi decimi octaui, ita breuiter confirmat dicens: Ergo cuius miseretur, & quem vult indurat: Hunc, inquit, miseratus hortatur, illum non reuocat execratus. Item alibi: Deus, inquit, omnipotens pater in Moysi facio excæcauit populum Iudæorum, non duritia sed præscientia, nec malitia sed æquitate atque iustitia. Ipsi enim sibi posuere velamen qui legem intelligere noluerunt. Item in libris de fide ad Gratianum de eadem re sic dicit: Hęc consuetudo est Prophetiæ, vt quæ futura sunt vel quasi præsentia vel quasi futura dicantur: Deo enim, quæ sunt futura, præsentia sunt: Et ei cui præcognita sunt omnia, ventura pro factis sunt; sicut

scriptum est, Qui fecit quæ futura sunt. Beatus etiam A Hieronymus de eadem re disputans in expositione Epistolæ ad Ephesios, ita clarissime dicit, Considerandum quod & hic, προορισμὸς; & πρόθεσις, id est prædestinatio & propositum simul posita sunt iuxta quæ operatur omnia Deus secundum consilium voluntatis suæ. Non quo omnia quæ in mundo fiant Dei voluntate & consilio peragantur, alioquin & mala Deo poterunt imputari; sed quo vniuersa quæ facit, cum consilio faciat & voluntate, quæ scilicet ratione plena sit & potestate facientis. Nos homines pleraque volumus facere consilio, sed nequaquam voluntatem sequitur effectus: illi autem nullus resistere potest quin omnia quæ voluerit faciat. Vult autem ea quæ sunt plena rationis atque B consilij. Item alibi in eiusdem Epistolæ commentariis. Quod autem, inquit, electos nos vt essemus sancti & immaculati coram ipso, hoc est, coram Deo ante fabricam mundi testatus est, ad præscientiam Dei pertinet, cui omnia futura iam facta sunt, & antequam fiant vniuersa sunt nota: Sicut & Paulus ipse prædestinatur in vtero matris suæ: & Hieremias in vulua matris suæ sanctificatur, eligitur, roboratur, & in typo Christi Propheta Gentibus mittitur. Et post aliqua, Non enim Paulus, inquit, elegit nos ante constitutionem mundi, cum essemus sancti & immaculati, hoc est, quia sancti, & immaculati ante non fuimus, vt postea essemus, constituit. Non enim eliguntur Paulus & qui ei similes sunt, quia erant sancti & immaculati, sed eliguntur & C prædestinantur, vt in consequenti vita per opera atque virtutes sancti & immaculati fiant. Sed & beatus Leo de vtriusque prædestinationis æterno apud Deum consilio, in sermonibus suis ad populum ita euidenter docet dicens: In saluandis enim omnibus per crucem Christi communis erat voluntas Patris & Filij, commune consilium, nec vlla poterat ratione turbari quod ante æterna sæcula & immisericorditer erat dispositum & incommutabiliter præfinitum. Item alio loco: Cum ergo omnia quæ in Domino maiestatis Iudaica admisit impietas, tanto ante prædicta sint, vt non tam de futuris quam de præteritis Propheticus sit sermo contextus, quid aliud nobis quam sempiternarum dispositionum Dei incommutabilis ordo reseratur: apud D quem discernenda iam iudicata, & futura iam facta sunt. Cum enim & qualitates actionum nostrarum, & affectus omnium voluntatum scientia diuina præueniat, quanto magis nota sunt Deo opera sua? & recte placuit quasi facta recoli, quæ non poterant omnino non fieri. Beatus quoque Antistes & gloriosus confessor Fulgentius, de hac iudicij in vtramque partem præscientia & prædestinatione egregium librum scribit: Qui sicut & cætera eius admiranda & veneranda scripta semper ab Ecclesia fideliter receptus, & inter scriptores Ecclesiasticos laudabiliter annumeratus est. Et nunc nescimus qua ratione, immo infidelitate & contentione simul cum beato Augustino abiicitur, & ab eis qui Catholici videri volunt tales ac tanti viri Dei iniquissime iniuriati, & spreti velut quisquiliæ & purgamenta vilissima conculcantur. Et est nimis mirabile, E immo horribile, quomodo vt suis adinuentionibus & ineptiis credatur exigant, cum ipsi beatissimos Patres & illustrissimos Doctores Ecclesiæ abiecerint: Ac per hoc nisi se citius corrigere studeant, verissime hæretici iudicari possint; qui fidei & charitati, & sincerissimæ Patrum doctrinæ non communicant: sed insuper cum ipsis Scripturæ sanctæ cælestem authoritatem contemnunt. Nam si illum fidelissimum, copiosissimum & florentissimum librum beati Fulgentij cum pietate & obedientia legere & intelligere studuissent, profecto in hac obscurissima quæstione de præscientia & prædestinatione diuina, Deo aspirante atque inluminante, nulla erroris caligo in eorum cordibus remansisset. Ait namque præfatus doctor inter cætera in libro iam dicto: Quod ergo ante gehennam mali pereunt, non est diuini

Laus Fulgentij.

A operis, sed humani: quod autem in gehenna perituri sunt, hoc facit Dei æquitas, cui nulla placet peccantis iniquitas. Et iterum, Prædestinationis, inquit, nomine non aliqua voluntatis humanæ coactitia necessitas exprimitur, sed misericors & iusta futuri operis diuini sempiterna dispositio prædicatur: Deo namque misericordiam & iudicium cantat Ecclesia. Item ibi: Proinde, inquit, potuit sicut voluit prædestinare quosdam ad gloriam, prædestinauit ad iustitiam. Quos autem prædestinauit ad pœnam non prædestinauit ad culpam. In illis ergo opera sua glorificat, in istis autem opera non sua condemnat. Hoc itaque prædestinauit Deus, quod erat ipse facturus, aut quod fuerat largiturus, illud vero B nullatenus prædestinauit, quod siue per gratiam, siue per iustitiam facturus ipse nõ fuit. Item ibi: Mala quippe voluntas ad optimum creatorem, iusta vero iniusti quosdam ad pœnam. Sed quos prædestinauit ad gloriam, Angeli hominisque damnatio pertinet ad æquissimum cognitorem. Ad voluntatem igitur malam Deus hominem non prædestinauit, quia homini eam daturus ipse non fuit. Et iterum. Neque enim est alia eius prædestinatio nisi futurorum operum æterna præparatio, in qua nulla causa mali vllatenus poterit inueniri: Quia ex voluntate Dei nunquam processit origo peccati. Misericors enim Dominus & iustus: De quo alio loco scriptum est: misericordiam & veritatem diligit Dominus Deus. In omnibus ergo operibus eius aut iusta C veritas custoditur, aut pia misericordia prærogatur. Item ibi: Dei enim prædestinatione aut peccatorum præparata est pia remissio, aut peccatorum punitio. Nunquam igitur Deus hominem ad hoc potuit prædestinare, quod ipse disposuerat & præcepto prohibere, & misericordia diluere, & iustitia punire. Itemque ibi, Deus itaque omnia hominum opera siue bona, siue mala præsciuit, quia eum latere nihil potuit: sed sola bona prædestinauit, quæ se in filiis gratiæ facturum esse præsciuit: mala vero futura opera illorum quos non prædestinauit ad regnum, sed interitum, præsciuit potentissima deitate, ordinauit & prouida bonitate. Et iterum: Præsciuit enim voluntates hominum bonas & malas: prædestinauit non malas, sed solas bonas: Et licet D in eius prædestinatione non fuerit, vt malitiam voluntati humanæ dedisset, fuit tamen in eius prædestinatione, quid humanæ voluntatis malitiæ reddidisset. Hęc præfatus venerabilis Doctor in libro quem supra memorauimus iuxta scripturæ sanctæ veritatem, & præcedentium Patrum reuerendam auctoritatem, & multa alia, quæ ad præsentem quęstionem sufficiunt, claro sermone disseruit: Quem nos fideliter disputantem & maiorum vestigia pie sequentem obedienter & sinceriter sequi debemus: quia & hoc ad fidei nostrę integritatem pertinet, vt sicut in cæteris quæ de Deo credimus, ita & in hac parte nihil indignum diuina maiestate, nihil falsum de diuinis iudiciis faciamus. Pręsertim cum huius prædestinationis veritas, & fidei in nobis ædificet sinceritatem, & nulli præbeat desperationis offensio- E nem; & cunctis qui in suis vitiis perniciose & pertinaciter viuere delectantur saluberrimum timorem ingerat. Nam de contemptu & abiectione beatissimorum atque illustrissimorum Patrum, qui à multis nimis insolenter atque inreligiose conculcantur, quid nobis aliud sentiendum, nisi vt contra hæc magis audiamus & obseruemus quid scriptura de eisdem sanctis patribus præcipit dicens: Interroga Patrem tuum & annunciabit tibi, maiores tuos, & dicent tibi: Ne incurramus in illud quod per Salomonem dicitur: Malum est homini deuorare sanctos & post vota retractare: summisque parentibus spiritualibus, quorũ fide & doctrina in Christo generati ac regenerati sumus, inobedientes & contemptores scripturæ quæ dicit: Audi, fili mi, disciplinam patris tui, id est omnipotentis Dei, & ne dimittas legem matris tuæ, id est sanctæ Ecclesiæ dogmata & statuta fidalia, quæ non tantum vt legitima, sed vere vt legem obseruare

Patres antiquos adhorendos.

obseruare debemus: quia per Spiritum sanctum edita A minime dubitamus. Denique de B. Augustini libris & scriptis in quibus ex necessitate nouæ, id est Pelagianæ hæresis destruendæ & fidei Catholicæ defendendæ instantissima intentione de natura & gratia, de gratia & libero arbitrio, de correptione & gratia, de prædestinatione sanctorum & bono perseuerantiæ, de baptismo paruulorum iuxta profunditatem Scripturæ sanctæ & Euangelicæ atque Apostolicæ doctrinæ regulam multipliciter disputauit adhuc ipso viuente, sicut Prosper, & Hilarius ad eundem scribunt: & multo magis post obitum eius propter obscuritatem rerum, & tarditatem minus intelligentium, multiplex querela maxime intra Gallias exorta est: sed continuo per diuinæ mise- B ricordiæ prouidentiam, & conciliis ac statutis beatissimorum Patrum, & decretis atque auctoritate Apostolicæ sedis Pontificum solertissime sedata atque sanata: ita vt stultis & indisciplinatis quæstionibus silentium imponeretur, & sanctissimi ac sincerissimi Doctoris auctoritas in omnibus Ecclesiis, atque in ipsa sede Apostolica confirmaretur. Denique beatissimus Papa Cœlestinus cuius auctoritate & industria, Nestoriana hæresis surgens cum suo auctore oppressa est, contra tanti viri oppressores, vel potius calumniatores, sicut in libris canonum inter decreta Pontificum Romanorum continentur, scripsit ad Episcopos Galliarum, tanta reuerentia & laude illum commendatis, vt eiusdem scripturæ iste sit titulus: De sancto Episcopo Augustino C mira laudis assertio: & huic titulo subiungantur verba præfati Pontificis, quæ ita se habent: Augustinum sanctæ recordationis virum pro vita sua atque meritis, in nostra communione semper habuimus: Nec vnquam hunc sinistræ suspicionis saltem rumor aspersit, quem tantæ scientiæ olim fuisse meminimus, vt inter magistros etiam à meis semper decessoribus haberetur. Bene ergo de eo omnes in commune senserunt, vtpote qui vbique cunctis & amori fuerit & honori: vnde resistatur talibus quos male crescere videamus: Nefas est hæc pati religiosas animas, quarum afflictatione, quia membra nostra sunt, nos quoque conuenit macerari. Quamuis maneat hos beatitudo promissa, quicunque probantur persecutionem propter iustitiam D sustinere. Quibus quid promittat Dominus in futurum sequens sermo declarat. Non est agentium causa solorum. Vniuersalis Ecclesia quacunque nouitate pulsatur, intelligamus hæc ipsa vobis, quæ nobis non placent displicere: Quod ita demum probare poterimus, si imposito improbis silentio de tali re in posterum querela cessabit. Hunc igitur beatissimum & fidelissimum Patrem semper in communione sedis Apostolicæ habitum, & ab etiam pontificibus inter magistros fidei doctrinæ venerabiliter receptum, & ab ipsis tam clare & honorifice contra obtrectantes & obloquentes defensum, ita vt imposito improbis silentio, omnem Deo mussitationem comprimendam ac repellendam decernerent, etiam nos tota fidei deuotione honoremus, toto studio & intentione pietatis sequamur: Et in quibus E propter obscuritatem rerum & subtilitatem disputationum minus eum intelligere possumus, vel à Domino intelligentiam postulemus, vel ab eis quos ipse suo dono illuminare dignatus est, humiliter nos doceri patiamur ac deprecemur. Nam quod est magis dolendum, & amore diuinæ veritatis penitus detestandum, circumferunt quidam libellum velut ipsius nomine titulatum, quem Græco vocabulo ὑπομνηστικὸν appellant quem neque ille sanctus Episcopus, qui vtique vitam ipsius scripsit, & indicem omnium librorum siue Epistolarum eius diligentissime in fine eiusdem scripturæ subiunxit, qui vtique omnia eius scripta optime nouerat, vtpote ab ipso nutritus & cum eo multis curriculis annorum conuersatus inter cæteros libros eius memorat. Neque vllus fere Ecclesiasticus scriptor eius mentionem facere inuenitur, & ideo falsa superscriptione

[illegible] in tales [illegible] August [illegible]

A titulatum minime dubium est. Hunc ergo isti relictis eius authenticis & clarissimis libris, quos vniuersa Ecclesia sequitur confingunt suo errore atque mendacio, velut post omnes libros suos præfatum pontificem vltimum conscripsisse: & asserunt quod quicquid in præcedentibus libris suis de gratia & libero arbitrio, de prædestinatione & præscientia Dei perperam dixerat in isto correxit. Quod omnino absit à nobis vt tam nefarium commentum suscipere patiamur vt propter istiusmodi librum, qui neque in Catalogo librorum eius, neque in libris retractationum eius, neq; in scriptis alicuius viris Ecclesiastici forte memoratus reperitur: & manifestissime prædicti doctoris sensibus, immo Catholicæ sin- B ceritati probatur aduersus; Nec ipso stilo vllatenus cum eius eloquio consonat, obiiciamus clarissima veritatis dogmata, quæ in verissimis & probatissimis libris eius non solum in cæteris mundi partibus, sed etiam in ipsa sede Apostolica, omnis Catholica suscipit & seruat Ecclesia. Quæ omnia idcirco tam diligenter replicanda credidimus, vt tantum malum de contemptu, & abiectione sanctissimorum Patrum, tantum mendacium de libris fidelissimi & sincerissimi doctoris per quod clarissimam veritatem respuendam & fallaciarum vmbras ac nebulas sequendas isti persuadent, penitus à nostris animis repellamus. Quia si istiusmodi fallaciam incaute suscipimus, intrat putredo de veneno serpentis, & nihil integrum remanebit. Proferunt & alium libel- C lum velut sub nomine sancti Hieronymi *de libero arbitrio conscriptum*, quem vtique clarius debent ostendere, vt probetur si vere ipsius esse credendus sit. Nos enim scimus eundem sanctum Hieronymum *in quodam opere de libero scripsisse* arbitrio, & posuisse duas quorumdam opiniones, quarum vnam sequitur, alteram omnino respuit Ecclesia. Caueamus itaque inquantum Deo auxiliante possumus mendacia aduersus fidem & veritatem surgentia: Et maxime hoc tempore, quando terribili Dei iudicio, & ignorantia maior in hominibus cœpit succrescere, & multiplex error liberius pullulare. Sed & si quis in ratione fidei vel errat, vel errare putatur, vtique non mendacio vincendus est, sed veritate, sicut & beatus Augustinus ad quendam D scriptorem improuidum Vincentium Victorem dicit: Nos te ita volumus esse victorem, vt veritas vincat errorem, non error errorem, &, quod est peius, maior minorem.

Hæc de primo capitulo definitionum necessario dicta sint, vt & si quid surgente obscura & perplexa quæstione de præscientia, & prædestinatione diuina inconsideratius atque inconuenientius dictum est, non contentiose defendatur, nec synodali etiam auctoritate fulciendum putetur: sed potius agnita diuina veritate, & recepta humiliter paterna auctoritate velocius & attentius corrigatur. Sequitur secundum earumdem definitionum capitulum cuius verba hæc sunt.

Libertatem arbitrij in primo homine perdidimus, quam per Christum Dominum nostrum recepimus, & E habemus liberum arbitrium ad bonum præuentum & adiutum gratia: Et habemus liberum arbitrium ad malum desertum gratia. Liberum autem habemus arbitrium quia gratia liberatum, & gratia de corrupto sanatum.

Mirum est igitur cur hoc tam confuse & obtuse ac decurtate de libero arbitrio definitum sit, cum Domino largiente abundent in Ecclesia eius sanctorum atq; orthodoxorum Patrum, de hac re plenissimæ & clarissimæ definitiones: in quibus nec addendum aliquid fuerat, nec subtrahendum, quia & quod fidei Catholicæ necessarium est, plenissime continent: & si quid inde subtrahatur veritatis, integritas violatur. Ex quibus paternis & Ecclesiasticis definitionibus, exempli gratia, hæc pauca proponimus.

honorem parentibus suis, non mœchantes, non homicidium perpetrantes, non furtũ facientes; non falsum aduersus quemquam testimonium perhibentes, & cætera quæ in lege mandata sunt velut obseruant, & Christiani non sunt. Quia ergo ista omnia quæ faciunt, nesciunt ad quem finem referant, inaniter faciunt. Dicant ergo Pagani, bene viuimus: Si per ostium non intrant, quid eis prodest, vnde gloriantur? Adhoc debet enim cuiq; prodesse bene viuere, vt detur illi semper viuere. Nam cui nõ datur semper viuere, quid prodest bene viuere? Quia nec bene viuere dicendi sunt, qui finem bene viuendi vel cæcitate nesciunt, vel inflatione contemnunt. Non est autem cuiquam spes vera, & certa semper viuendi, nisi agnoscat vitam quod est Christus, & per ianuam intret in ouile. Fuerunt quidam philosophi de virtutibus & vitiis subtilia multa tractantes, diuidentes, definientes, qui etiam dicere auderent hominibus: Nos sequimini, sectã nostram tenete, si vultis beate viuere: sed non intrarant per ostium, perdere volebant, &c. In talibus igitur bonis & viget, & excellit humanæ voluntatis arbitriũ. in quãtum, vt dictũ est, naturali bono adiuuatur. Sed vt ipsum voluntatis arbitrium diuina affectione diuina amet, intelligat, recipiat, exerceat, & perseueranter teneat, non propter aliqua temporalia commoda, sed propter præmia æterna; nec propter solam vitæ præsentis honestatem, sed propter solam vitæ æternæ beatitudinẽ: vt hoc inquam arbitrium voluntatis humanæ possit velle, possit agnoscere, possit accipere, possit habere, nullatenus valet, nisi diuinę inspirationis gratia incitetur, inluminetur & adiuuetur, ac velut ex mortuis ad vitam resuscitetur: quia & reuera illa humana vita humana affectione acta, hominibus videri potest quasi vita, sed Deo mortua est: Hac ratione & bonum liberi arbitrij in hominibus agnoscitur, & Dei gratia omnimodis necessaria declaratur. Per quam humana natura merito antiquę pręuaricationis infirmata, per fidem Christi regenerata atq; innouata, & ad honorem sui reformata principij, recipiat possibilitatem & innocentiam quam in Adam perdidit, & per Christum libero bene vti incipiat arbitrio, vt eius gratia possit in eo esse sancta cogitatio, pium consilium, omnisque motus bonę voluntatis. Sicq; efficiatur humanę voluntatis arbitrium non ablatum sed liberatum; Et de tenebroso lucidum, de prauo rectum, de languido sanum, de imprudente prouidum. Quod tãto magis per Christum in nobis fit liberum quanto minus vitiis peccatisq; seruierit. Tunc autem erit verè & plenè liberum, quando iam perfectè liberatum in vitæ æternæ beatitudine nullis seruiet vitiis & peccatis. Sicque illa Domini promissio qua ait, si vos filius liberauerit, verè liberi eritis hic inchoatur in innouatione fidelium, ibi perficietur in incorruptione regnantium, si ergo propterea dictum est in hac definitione; libertatem arbitrij in primo homine perdidimus quasi post illius hominis transgressionẽ, nullum in hominibus remanserit liberum arbitrium, apparet quod non sit consonum veritati: quia si nullum est humani generis liberum arbitrium, quomodo iudicabit Deus mundum. Si autem propterea dictum est quia naturalem possibilitatẽ & virtutem liberi arbitrij qualis in illo primo homine condita est, merito illius præuaricationis amisimus, cauendum est omnino ne hoc quod de amissa eiusdem arbitrij libertate subiungitur, quam per Christũ Dominũ nostrum recepimus, ita sit dictũ quasi ex quo in Christo regenerati sumus, talem statum & virtutem liberi arbitrij receperimus: vt exinde in præsenti vita tales esse possimus, qualis ille homo erat ante peccatum: vt sicut ipse viuebat in paradiso absq; vllo peccato, ita & fideles regenerati in Christo absq; peccato viuant in mundo: quod manifestè nõn pertinet ad statum præsentis vitæ, sed ad fœlicitatem vitæ æternæ. (3 Reg. 8. 46.) Nam in hac vita si dixerimus quia peccatum non habemus nos ipsos seducimus, & veritas in nobis non est: Et sicut alia scriptura ait: Non est homo iustus super terram, qui faciat bonum & non peccet. Vnde & Psalmista ad Dominum

A dicit: Non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens. Et quotidie in Dominica oratione dicere iubemur: dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Cauendum est igitur vt iam diximus, ne sub tali prædicatione gratiæ Christi qui eam quam in Adam perdidimus, iam recepisse dicimur libertatem arbitrij impietas subrepat erroris Pelagiani, vt sicut ille asseruit, sola virtute liberi arbitrij credatur homo esse posse absque peccato: maximè cum & in primo capitulo istarum definitionum, ita in primo illo homine liberũ arbitrium definiatur, vt omnino Dei gratia taceatur. Quod si simpliciter tantummodo dictum est, vt propter inchoationem gratiæ, quam in regeneratione percipimus, iam libertatem arbitrij quam in Adam perdidisse
B dicimur, recepisse videamur: cùm tamen eius plenitudo atq; perfectio in futura vita fideliter expectãda credatur; Quid necesse fuit tanta ambiguitate & confusione verborũ, clarissimã obscurare veritatẽ: cum possent ex præfatorum patrũ definitionibus, vel vnum vel aliqua capitula assumi & poni quibus & arbitrij libertas & Dei gratia plenius ac manifestius commendaretur. Iam quanta absurditas est in eo quod sequitur, vt postquã dictum est libertatem arbitrij in primo homine perdidimus, quam per Christũ Dominum nostrum recepimus, statim subiungeretur: Et habemus liberum arbitriũ ad bonũ præuentũ & adiutũ gratia; Et habemus liberũ arbitrium ad malum desertũ gratia: quasi postquã per gratiam Christi Domini regenerati sumus tunc cœperimus habere: sicut liberũ arbitriũ ad bonũ, ita liberũ arbitriũ ad malum, de-
C sertũ gratia; quasi ex illa regeneratione, cũ gratia præuenimur & adiuuamur habeamus liberũ arbitriũ ad bonũ; Et cum eadẽ deserimur gratia, habeamus liberũ arbitriũ ad malum. Quæ hic ratio & consequẽtia sensus inueniri potest? Nũquid ante illã regenerationẽ nullum omnino liberum habeamus arbitrium nec ad bonum nec ad malum? Numquid illius regenerationis gratia hoc egit in nobis vt exinde acciperemus sicut ad bonum, ita etiã ad malum liberũ arbitrium? Iam illud quod in eadẽ definitione ponitur, liberũ arbitrium ad bonum pręuẽtum & adiutũ gratia, & liberum arbitrium ad malum desertum gratia, quomodo intelligi potest? si enim quãdo regenerati sumus in baptismo tunç libertatẽ arbitrij in Adã perditã, in Christo recepimus, numquid tunc tantum præ-
D uenit & adiuuit nos Dei gratia, aut eadẽ Dei gratia sicut semel nos adiuuit vt efficeremur liberi ad bonum ita semel nos deserit, vt efficiamur liberi ad malũ? Quę est ista tã obscura & ambigua ac penè nulla gratiæ prędicatio? Nonne melius erat vt præfatorũ patrum sententiæ quæ de hac re plenissimè & clarissimè definiunt, assumerẽtur, vel eorum verbis ista eorum definitio cõtexeretur: Et apertè ibi esset positum, qualiter nos pręueniat & adiuuet hęc Dei gratia, id est, vtrum semel nobis in baptismate tanta tribuatur, quæ ad totũ tẽpus vitæ nostræ sufficiat, an quotidie imploranda & accipienda sit: & vtrum ea ad aliqua bona, an ad omnia indigemus. Certè nihil horum in hac definitione apparet; & ideo melius fuerat tacere,
E quã de re tanta tam ineptè & inutiliter loqui. Indigemus namque gratia Dei, non solum ad opus bonum, sicut in hoc capitulo definitur, sed etiam ad ipsum initium fidei, sine qua nõ possumus accedere ad regenerationis sacramentum; sicut Apostolus dicit de se ipso: Misericordiam consecutus sum, vt fidelis essem. Et fidelibus loquitur: 1. Cor. 7. 2.
Quia vobis donatum est pro Christo, non solum in eum credatis, &c. Et alibi ait: Aspiciẽtes in auctorem fidei, & cõsummatorem Iesum, indigemus gratia Dei in ipso regenerationis lauacro: quia sine illa nec indulgentiã peccatorum cõsequi, nec filij Dei fieri valemus; dicente eodem Apostolo: Non ex operibus iustitiæ quæ fecimus nos, sed secundũ suã misericordiam saluos nos fecit per lauacrũ regenerationis, & renouationis Spiritus sancti. Tit. 3. 5.
Indigemus gratia Dei ad omnia & singula bona per singulos dies. dicente Psalmista: In quacumq; die inuocauero te, exaudi me. Et iterum: In quacumq; die tribulor,

inclina ad me autem tuā. Quam gratiam quotidianam & assiduam Dominus noster Ecclesiæ suæ promittere dignatus est dicens: Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem sæculi, indigemus ea ad excitandam in nobis bonam voluntatem, sicut Apostolus dicit: Gratias autem Deo, qui dedit eandem sollicitudinem in corde Titi. Et B. Dauid orat pro populo, quē deuotè & alacriter Deo dona offerentem videbat, vt eandem bonam volūtatem quam dederat, in eis Deus conseruaret dicens: Dominus Deus Abraham & Isaac & Israel patris nostri custodi in sempiternum hanc voluntatem cordis eorum, & semper in venerationem tui mens ista permaneat; indigemus gratia Dei ad bona & salubria loquenda, sicut ipse Dominus in Euangelio: Non enim vos estis qui loquimini, sed spiritus patris vestri qui loquitur in vobis. Qui etiam alibi promittit: aperi os tuū, & ego adimplebo illud: indigemus Dei gratia ad omnes vias operum bonorum: Paulus Apostolus optare se dicit, vbi ait: Nam & qui sumus in tabernaculo ingemiscimus grauati in eo quod nolumus expoliari sed superuestiri, vt absorbeatur quod est mortale à vita. Cū ergo hæ duæ opiniones in præfato libello de hac re propositę & expositæ fuissent subiunctum est pronnus valde vtiliter. & dictum: quolibet quis acquiescat modo, non est hæreticum nisi contentione hæreticum fiat. Similem quoque sententiam B. Papa Cœlestinus de quibusdam profundioribus quæstionibus in decretis suis posuit dicens de eis: quę sicut non audemus contemnere, ita non necesse habemus astruere. Sit ergo inter nos etiā de hac re istiusmodi pia cautela & moderatio, quatenus & sanctis patribus debitus seruetur honor, & quolibet quis adquiescat modo ex illis sensibus qui de hac sentētia ab eis positi sunt, non iudicemus esse hæreticum: sed potius vitemus contentionis malum, per quod etiam de pacificis & Ecclesiasticis sensibus potest qui contentiosus esse voluerit, hæreticum efficere quod sentit. Itaque in rebus talibus cohibeamus nos ipsos salubri moderatione, vt nec contemnere audeamus, nec quasi necessariò affirmare conemur, memores semper illius Apostolicæ sententiæ: Si quis autem videtur contentiosus esse, nos talem consuetudinem non habemus, neque Ecclesia Dei. Legamus ergo pacifice, & quantum Dominus donat intelligamus dogmata ecclesiasticorum virorum, nec pro aliis doctorib. aduersus alios litigemus: quia & ipsi inter se pacifici vnusquisq; in suo sēsu abūdauerūt, alius quidem sic, alius verò sic, expectātes fideliter atq; humiliter quod Apostolus promittit dicens: Et si quid aliter sapitis hoc vobis Deus reuelabit. Nam qui non trāquille & pacifice moderatur quod sentit, sed statim paratus est ad contentiones, dissensiones & scandala, etiā si non habeat hæreticum sensum certissimè habet hæreticum animum. Quā pietatis moderationē si etiam isti boni viri qui hāc definitionem statuerunt, seruare voluissent, melius hanc rem silentio prętèriissent, & vnicuiq; de ea secundum fidem suā & auctoritatem, cui magis acquiescendum putaret, sentiendū permitterēt, finitóq; inter eos tam lōgæ & perniciosæ contentionis iurgio, pax & vnitas Christi Ecclesiæ reformaretur. Ecce. n. aliquis sentiat & dicat, sicut etiam antiquitus & sensum est & dictū: Non dixit Apostolus vniuersaliter & generaliter, &, vt isti addiderūt sine exceptione, qui vult omnes homines saluos fieri: sed specialiter ad eos retulit de quibus supra dixerat, pro omnibus hominibus, pro regibus, & his qui in sublimitate sunt: vt quod dixit, omnes, omnia genera hominum intelligi voluerit, omniū scilicet generum, sexuū, conditionum, ordinum, dignitatū. Quid habet hæc intelligentia in consequens aut contrarium veritati? Item alius dicat, & sentiat, sicut etiam à quibusdam maiorib. dictū & sensum reperitur. Apostolus cum superius orari iussisset pro omnibus hominibus, pro regibus, & his qui in sublimitate sunt, post illa omnia generaliter de vniuerso genere humano subiūxit, qui vult omnes homines saluos fieri. Quid habet mali aut periculi etiam ista intelligentia? Neque enim qui ita sentit putat voluntati Dei qua vult omnes homines saluos fieri, aliquē resistere & contraire, vt non possit implere quod velit; Et ambo sibi & iste videlicet & ille, licet diuersa sentientes fideliter atque vnanimiter concordant. Quod quolibet modo dixerit Apostolus de Deo, qui vult omnes homines saluos fieri, tamen nullus hominū, nisi gratuita eius misericordia saluetur, nullus nisi iusto eius iudicio perire permittatur. Certè illud in hac quæstione manifestum est, quod etiā si generaliter & indifferēter omnes homines Deus vult saluos fieri, in aliorum tamen cordibus benignitate misericordiæ suæ ipse operatur eandem bonam voluntatē suam, vt & ipsi saluari velint atq; saluētur, qualibus & Apostolus dicit, cum timore & tremore vestrā ipsorum salutem operamini. Deus est enim qui operatur in vobis & velle & perficere pro bona voluntate. In aliorū autem cordibus seueritate iusti & occulti iudicij sui nō operatur hanc salutarē voluntatem, sed dimittit eos suo arbitrio: vt quia noluerunt credere, iusta vl'tione damnentur. Et hoc quidem de illis dici potest, qui verbum Euangelij audierunt, sed duritia incredulitatis suæ recipere noluerunt. Quid verò dicendum est de tanta multitudine impiorum qui fuerūt ab exordio mundi, vsque ad aduentum Christi; Et adhuc non negandi sunt esse in extremis partibus orbis terræ ad quos nullus vnquam prædicator accessit, nullum vnquam verbum Dei audierunt, qui vtique nullatenus potuerunt credere ei quem non audierunt, neque audire sine prædicante, nec prædicatorem recipere qui nullus ad eos missus est; Nūquid & tales propterea damnabuntur, quia non crediderunt, quod nunquam audire potuerunt: Et tamen omnino damnabuntur pro aliis peccatis suis, & principaliter pro illo primo & originali peccato, in quo omnes peccauerunt: quia non frustra scriptum est; Effunde iram tuam in gentes quę te non nouerunt; & in regna quæ nomen tuum non inuocauerunt. Et Apostolus dicit, dantis vindictam in flammam ignis his qui non nouerunt Dominum. Si quis & de talibus interroget, quid in eis egerit voluntas Dei, qui omnes homines vult saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, quid respōdebitur? Nonne homo cautus & pius magis eliget tacere, aut certè cum Propheta & Apostolo exclamare, Iudicia tua abyssus multa: Et, O profundum diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei, quam incomprehensibilia sunt iudicia eius & inuestigabiles vię eius. De hoc ergo capitulo iste sit finis.

2 Par. 29. 18.

Matt. 10. 20.

Infideles qui nihil de Euangelio audire potuerunt non damnabuntur propter incredulitatem, sed propter alia peccata & propter originale. Psal. 78.

SEQVITVR DEFINITIO QVARTA & vltima quæ ita se habet.

CHristus Iesus Dominus noster sicut nullus homo est, fuit, vel erit cuius natura in illo assumpta non fuerit, ita nullus est, fuit, vel erit homo pro quo passus non fuerit, licet non omnes passionis eius mysterio redimantur. Quod autem non omnes passionis eius mysterio redimantur, non respicit ad magnitudinem & pretij copiositatem, sed ad infidelium & ad non credentium ea fide, quæ per dilectionem operatur, respicit partem: quia poculum humanæ salutis, quod confectum est infirmitate nostra & virtute diuina, habet quidem in se vt omnibus prosit, sed si non bibitur, non medetur.

Et in hac noua & inusitata quæstione tres nobis quęstiones proponuntur: Prima, quod dicitur, quia nullus homo est, fuit, vel erit, cuius natura in Christo assumpta non fuerit.

Secunda, quod affirmatur quod nullum est fuit, vel erit homo pro quo Christus passus non fuerit, licet non omnes passionis eius mysterio redimantur.

Tertia, quod adiungitur, quia eiusdem passionis eius mysterio non redimantur non solum infideles, sed neque ipsi fideles, nisi illi soli qui eam fidem habent quæ per dilectionem operatur.

De prima ergo quæstione hoc nobis credendum & tenendum videtur: quia susceptio illa naturæ humanæ

iu

in Christo non fuit ex necessitate originis, sed ex potestate & gratia & misericordia & dignatione suscipientis. Cæteri namque homines non ex sua voluntate & potestate, sed ex Dei iudicio & dispositione originali necessitate & conditione nascuntur. Dominus autem Iesus Christus, qui propter nos homines & propter nostram salutem descendit de cœlis, & incarnatus est de Spiritu sancto ex Maria virgine, non necessitate & conditione humanæ originis, sed potestate & misericordiæ suæ voluntatis homo factus est. Vnde & B. Euangelista Matthæus cum seriem genealogiæ eius ab Abraham vsque ad Dauid, & a Dauid vsque ad transmigrationē Babyloniæ, & à transmigratione Babylonis vsque ad ipsius Natiuitatem describeret, cæteras omnes generationes naturali cursu & conditione humanæ procreationis ac **B** propagationis digessit dicens: Abraham genuit Isaac. Isaac genuit Iacob, Iacob genuit Iudā & fratres eius: & cætera similiter. Cùm venisset autem ad vnicam & singularem natiuitatem Christi, discreuit eam admirabiliter à cæteris omnibus, & ait: Christi autem generatio sic erat, hoc est, non sicut priores generationes naturali cursu & conditione currentes, ac sibi inuicem succedentes, sed singulari potestate & virtute & gratia excellens: Et statim eiusdem generationis specialem modum qualiter sit facta subiunxit dicens; Cùm esset desponsata mater eius Maria Ioseph antequam conuenirent, inuenta est in vtero habens de Spiritu sancto, Quod & Angelus postea ad Ioseph loquens, commendat & dicit: Quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est: Et adhibito prophetico testimonio docens cum **C** cuius potestatis & virtutis esset qui nascebatur, videlicet; quod verus Emmanuel Deus in homine adueniret, ait; Hoc autem factum est vt adimpleretur quod dictum est per Isaiam Prophetam: Ecce virgo in vtero habebit, & pariet filium, & vocabunt nomen eius Emmanuel, quod est interpretatum nobiscum Deus. Quia ergo ista tam diuina & tā singularis generatio hominis Christi non aliqua naturali necessitate, sed sola eius potestate & gratia & misericordia facta est, sic per omnes illas generationes veraciter caro eius descendit, sic ex eis veraciter natus verus homo factus est, vt quod ei placuit miserando & sanando ac redimendo inde assumeret, quod autem non placuit reprobaret. Sicut admirabili potentia & veritate naturæ humanæ assum**D**psit, & eiusdem naturæ vitium non assumpsit: vt illam suscipiendo saluaret, & illud non suscipiendo damnaret. Ita in illo ineffabili incarnationis suæ mysterio electos suos propter quos redimēdos & iustificādos ac saluādos aduenerat, misericorditer suscepit; Quos autē indignos illa misericordia & redemptione iudicauit, alienos ab illa mirabili susceptione reliquit. Denique in illis generationibus vnde caro eius exorta est, & Abraham & Dauid ponuntur: Et Achaz & Manasses pariter annumerantur: Et tamen speciali gratia semen Abrahæ dicitur; Domino ei promittente, quia in semine tuo benedicentur omnes gentes terræ. Similiter & semen Da**E**uid, dicente Apostolo, qui factus est ex semine Dauid secundum carnem. Dicitur etiam filius Dauid & filius Abraham testante Euangelista: Liber generationis Iesu Christi filij Dauid filij Abraham. Aliquorum autem impiorum, & in sua impietate perditorum filius nequaquam legitur; Licet caro eius non solum ex iustis, sed etiam ex peccatoribus veraciter fuerit assumpta. De quo Apostolus dicit, quia Christus Iesus venit in hunc mundum peccatores saluos facere. Manifestè ergo constat, quia susceptio illa redemptio fuit, vt qui suscepti sunt, sint & redempti, & qui redempti ipsi suscepti. Vnde & fideles in Christo sunt, & Christus in illis. Infideles non sunt in Christo, nec in eis Christus. Solis fidelibus dicit, quos sibi per sacramentum veræ incarnationis, & gratiam redemptionis vniuit. Manete in me, & ego in vobis. Sicut palmes non potest ferre fructum, nisi manserit in vite, sicut nec vos nisi in me manseritis. Ego sum

A vitis, vos palmites. Qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum. Item de solis fidelibus dicit: Qui manducat carnem meam & bibit sanguinem meum in me manet, & ego in eo. Apostolus quoque de Christo & fidelibus, de eo qui sanctificat, & qui sanctificantur, & de veræ incarnationis eius mysterio, quam ex Adam veraciter traxit, & per quam credentibus naturaliter vniri dignatus est, dicit; Qui enim sanctificat, & qui sanctificantur ex vno omnes. Propter quam causam non confunditur fratres vocare dicens: Narrabo nomen tuum fratribus meis, &c. Quos ergo suscepit, ipsos & sanctificauit, ipsos & fratres suos fecit, vt sit ipse primogenitus in multis fratribus. Nam si diligenter consideretur, nescimus si etiam de quolibet homine conue**B**nienter dici possit, quod omnium hominum naturam nascēdo assumpserit. Cùm enim natus est, assumpsit vtique naturam parentum de quibus est genitus. Assumpsit naturam progenitorum de quorum stirpe est propagatus. Assumpsit naturam primi hominis, vnde totius humani generis origo processit. Secundum hoc ergo vtcumque dici potest, quilibet homo nascens, omnium hominum suscepisse naturam, quia ex illo originem trahit, ex quo omnium natura principium sumpsit. De quo primo homine Adam etiam Dominus noster Iesus Christus verissimè carnis substantiam traxit. Vnde & ab Apostolo secundus Adam dicitur. Et seipsum filium Adam, hoc est filium hominis assiduè commendat. Et Lucas Euangelista per septuaginta & septem generationes ab ipso Christo vsque Adam ascendens, veram ex **C** illo incarnationem eius fideliter demonstrat. Quia ergo mysterij & redemptionis & pietatis fuit illa in Christo naturæ humanæ susceptio, idcirco in illo sacratissimo die natalis eius ex virgine inter ipsa sacræ oblationis mysteria orat Ecclesia dicens: vt tua gratia largiente per hæc sacrosancta commercia in illius inueniamur forma, in quo tecum est nostra substantia. Et præcedenti die cum sacræ vigiliæ celebrātur, ita incipit oratio. Deus qui nos redemptionis nostræ annua expectatione lætificas. Itemque ipso Dominicæ Natiuitatis die; Concede quæsumus omnipotens Deus, vt nos vnigeniti tui noua per carnem natiuitas liberet, quos sub peccati iugo vetusta seruitus tenet. Et supra oblationem. Oblata tibi munera noua vnigeniti tui natiuitate sanctifica, nosque à pecca**D**torum nostrorum maculis emunda. Et in conclusione missarum. Huius Domine sacramenti semper nouitas natalis instauret, cuius natiuitas singularis humanam depulit vetustatem. Hanc gratiam Dominicæ incarnationis, quod est verè mysterium nostræ redemptionis B. Gregorius piè commendans ait quodam loco in expositione libri beati Iob: Interpellat autem pro nobis Dominus non voce sed miseratione: Quia quod damnari in electis noluit, suscipiendo seruauit. Similiter & B. Hilarius exponens illa verba Domini quibus ait: Qui manducat meam carnem & bibit sanguinem meum in me manet & ego in eo: idipsum diligenter commendat dicens: Non enim quis in eo erit, nisi in quo ipse fue**E**rit; Eius tantum in se assumptam habens carnem qui suam sumpserit. Sed & B. Leo mirabiliter hoc mysterium exponit atque commendat ita dicens: Nascens itaque Dominus Iesus Christus homo verus, qui nunquam esse destitit Deus verus nouæ creaturæ in se fecit exordium: & In ortus sui forma dedit humano generi speciale principiū; Et ita se nobis, nosq; inseruit sibi, vt Dei ad humana descensio, fieret hominis ad diuina prouectio. Et alibi: Terra enim carnis humanæ, quæ in primo fuerat præuaricatore maledicta, in hoc solo B. Virginis partu germen edidit benedictum, & à vitio suæ stirpis alienum, cuius specialē originem in regeneratione consequimur. Et omni homini renascenti aqua baptismatis instar est vteri virginalis, eodem S. Spiritu replente fontem qui repleuit & virginē: vt peccatum quod ibi vacuauit sacra conceptio, hic mystica tollat ablutio. Item alio loco; Renouat nobis hodierna festiuitas nati Iesu ex Maria vir-

gine sacra primordia, & dum Saluatoris nostri adoramos A ortum, inuenimus nos nostrum celebrare principium. Generatio enim Christi origo est populi Christiani; Et natalis capitis natalis est corporis: habeant licet singuli quiq; vocationum ordinem suum: Et omnes Ecclesiæ filij temporum successione distincti, vniuersa tamen summa fideliũ fonte orta baptismatis sicut cum Christo in passione crucifixi, in Resurrectione suscitati, in Ascensione ad patris dexteram collocati: Nam cum ipso sumus in hac natiuitate congeniti. Quicquid enim hominum in quacumq; mundi parte credẽtium regeneratur in Christo, interciso originalis tramite vetustatis, trãsit in nouũ hominem renascendo. Nec iam in propagine habetur carnalis patris, sed in germine Saluatoris: Qui ideo filius B hominis factus, vt nos filij Dei esse possimus: vt susceptus à Christo Christúmque suscipiens, non idem sit post lauacrum qui ante baptismum fuit, sed corpus regenerati corpus fiat crucifixi. Hæc commutatio dexteræ est Excelsi. Et alio loco: Non enim aliud agit participatio corporis & sanguinis Christi, quam vt in id quod sumimus, transeamus: Et in quo cõmortui & consepulti & consuscitati sumus, ipsum per omnia & spiritu & carne gestemus. Item alibi: Nihil enim redẽptor noster non ad nostram salutem aut egit aut pertulit: vt virtus quæ inerat capiti, inesset & corpori. Nam primum ipsa illa substantiæ nostræ in deitate susceptio qua verbum caro factum est, & habitauit in nobis, quem hominum misericordiæ suæ nisi infidelem reliquit exsortem? C Et cui non communis natura cum Christo est, si assumentem recipit, & eo spiritu est regeneratus quo ille primogenitus. Audiamus hæc verba fidelissimorum & beatissimorum Patrum, & adiuuãte Domino diligenter intelligamus & teneamus; Agnoscentes veraciter, quod illa humanæ naturæ in Christo susceptio infideles huius misericordiæ reliquit exsortes. Et eis solis præstitit vt habeant cõmunem naturam cum Christo, qui assumẽtem recipiũt, & eo spiritu sunt regenerati quo est ille progenitus. Cesséto; ista superuacuitas qua dicitur & definitur, quod nullus hominum fuit, est, vel erit, cuius non naturam ille non susceperit, quia sicut Apostolus docet, magnum est pietatis sacramentum quod manifestatum est (1. Tim 3.16) in carne, iustificatum est in spiritu. &c. vsque assumptum D est in gloria. Hæc de prima quæstione dicta sunt.

De secunda verò qua in illis capitulis definitum est: Quod nullus hominum fuit, est, vel erit, pro quo Christus passus non fuerit; Quid aliud respondere possumus, nisi vt primum ipsos qui hoc definierunt sedulo interrogemus & admoneamus vt vigilanter & fideliter pensare studeant ne fortè minus considerando quod dicendum erat, contra fidem & conscientiam suam talia dixerint & scripserint. Nam vt taceamus de his qui nunc sunt, vel adhuc vsque ad finem sæculi futuri sunt, in quibus vtique & Antichristus erit, certè de illa innumerabili multitudine impiorum qui fuerunt ab initio mundi vsque ad aduentum Christi, & in sua impietate mortui in æternis pœnis sunt condemnati; Nec ipsos qui hæc dixerunt credere putamus, quod pro iis in sua impietate mor- E tuis, & æterno iam iudicio condemnatis Dominus passus esse credendus sit. Si enim pro eis passus esse creditur; cur non etiam pro diabolo & Angelis eius similiter passus esse credatur? Quia sicut de eisdem refugis & immundis spiritibus scriptum est, quod Deus Angelis peccantibus non pepercit, sed rudentibus inferi detractos sub caligine tradidit in iudicium cruciandos reseruari. Et idcirco verissimè creduntur irreuocabili diuino iudicio ad pœnas & interitum perpetuum prædestinati. Ita & illi homines impij in sua impietate mortui eodem irreuocabili diuino iudicio iam erant pœnis perpetuis condemnati. Sicut ergo pro illis impiis & damnatis Angelis nullatenus Dominus Iesus Christus dicendus est passus. Ita pro impiis & damnatis hominibus absit omnino vt passus esse credatur. Quia hoc nimis est contrarium diuinæ veritati, nimis aduersum

A Catholicæ fidei, qui indubitanter credit & docet quod Dominus noster suam passionem & mortem atque ad inferos descensionem illis solis iam defunctis, & quamuis apud inferos, tamen in locis tranquillitatis & locis constitutis exhibuit, qui in fide futuri aduentus eius ac redemptionis suæ per passionem & descensionem ad eos Domini, pro desiderio expectabant. De quibus & B. Ioannes Baptista imminente iam sua passione & morte, quia & ipse vnus erat ex talibus, sollicitè eundem Dominum interrogabat per discipulos dicens: Tu es qui venturus es, an alium expectamus? De talibus namque piis & beatis defunctis, quales fuerunt ab initio mundi vsque ad aduentum Domini sancti Patriarchæ & Prophe- B tæ & cæteri antiqui iusti, qui ita crediderunt & prænuntiauerunt venturum, & humanum genus suo sanguine redempturum, sicut nunc omnis Ecclesia eum iam venisse credit & confitetur. Etiam in libro Ecclesiastico ipsa Dei sapientia, qui est vtique Dominus noster Iesus Christus promittit dicens: Penetrabo in inferiores partes terræ & inspiciam omnes dormientes & illuminabo omnes sperantes in Deo: (Eccl 24.45) Itémque alio loco de eiusdem descensione ad inferos, & eorum liberatione à quibus expectabatur illic, scriptura dicit: Recordatus est Dominus sanctus Israel mortuorum suorum olim dormientium in puluere terræ: Et descendam ad eos ostendere illis salutare suum. Vnde & per Oseæ Prophetam ipsi morti & inferno ita minabatur dicens, (Osee 13.14) De manu C mortis liberabo eos, de morte redimam eos: Ero mors tua ô mors, morsus tuus ero inferne. Quod totum quomodo fideliter & Catholice intelligendum sit, exponit mirifice B. Gregorius ita dicens: quod ante passionem dixit in resurrectione sua Dominus impleuit. Si exaltatus fuero à terra omnia traham ad me. Omnia enim traxit, qui de electis suis apud inferos nullum reliquit. Omnia abstulit vtique electa. Neque etenim infideles quosque & pro suis criminibus æternis suppliciis deditos, ad veniam Dominus resurgendo reparauit, sed illos ex inferni claustris rapuit, quos suos in fide & actibus recognouit. Vnde rectè etiam per Osee dicit: Ero mors tua, ô mors; Ero morsus tuus, inferne. Id namque quod occidimus agimus vt penitus non sit. D Ex eo enim quod mordemus partem abstrahimus, partémque relinquimus. Quia ergo in electis suis funditus occidit mortem, mors mortis extitit: Quia verò ex inferuis partem abstulit, & partem reliquit, non occidit funditus, sed momordit infernum. Ait ergo; Ero mors tua ô mors: Ac si apertè dicat. quia in electis meis te funditus perimo. Ero morsus tuus, inferne, quia sublatis eis te ex parte transfigo. Hæc fidelissimus doctor iuxta fidei Catholicæ regulam firmissimè tenenda & sequenda proposuit. Vnde cesset hæc noua & inaudita definitio, imò noua & inaudita præsumptio, vt nullus hominum, etiam impiorum, & apud inferos irreuocabiliter damnatorum fuerit, pro quo Christus passus non fuerit; cum pro solis illis defunctis, vt iam dictũm est, passionem sustinuerit. Qui enim dum in E corpore viuerent, fideliter venturum, & mundum sua passione redempturum crediderunt. Hoc itaque est Catholicum; Hoc fidei Ecclesiæ ab initio commendatum; Hoc diuina & paterna auctoritate firmatum: Et ideo abiiciatur procul fallax & inane commentum: De cæteris verò hominibus qui ab eius passione vsque nunc fuerunt, aut sunt, aut vsque in finem sæculi futuri sunt, Catholica fides tenet, & scripturæ sanctæ veritas docet, quod pro omnibus credentibus, & per gratiam baptismi ex aqua & sancto Spiritu regeneratis & Ecclesiæ incorporatis verè Dominus & Saluator noster sit passus: Neque enim verè aliter baptizati potuerunt, nisi in morte eius: Nec verè peccatis suis ablui, nisi in sanguine eius: Docente B. Paulo Apostolo: quia quicunque in Christo baptizati sumus, in morte ipsius baptizati sumus Et attestante B. Ioanne in Apocalypsi: qui (Ap. 1) dilexit nos & lauit nos à peccatis nostris in sãguine suo.

De

De his etiam, id est fidelibus suis in morte sua baptizatis, & in sanguine suo peccatorum ablutionem consecutis dicit ipse Dominus & Saluator: Sicut nouit me pater & ego agnosco patrem, & animam meam pono pro ouibus

Ioan. 10. 5. meis. Pro istis dicit: Et sicut Moyses exaltauit serpentem in deserto; ita exaltari oportet filium hominis, vt omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam æternam.

Ephes. 5. 26. De istis dicit Apostolus: Christus dilexit Ecclesiam, & seipsum tradidit pro ea, vt illam sanctificaret, mundans eam lauacro aquæ in verbo Et quia sicut idem Apostolus testatur: non omnium est fides: & non omnes obediunt Euangelio: Dicit iterum ipse Dominus, filius hominis non venit ministrari, sed ministrare, & dare animā suam redemptionem pro multis. Vnde etiam cum sacramentum corporis & sanguinis sui discipulis traderet, ait; Accipite & comedite: Hoc est enim corpus meum quod pro vobis traditur. Et iterum: Hic est sanguis meus noui testamenti qui pro vobis & pro multis effunditur in remissionem peccatorum: Hos multos Apostolus dicit, omnes, vbi ait: Vnus enim Deus, vnus & Mediator Dei & hominum homo Christus (Dominus) Iesus qui dedit semetipsum redemptionem pro omnibus. Et hos omnes iterum dicit multos, vbi ait: Et quemadmodum statutum est hominibus semel mori, post hoc autem iudicium, sic

1. Tim. 2. 5. & Christus semel oblatus est ad multorum exhaurienda peccata: &c. Iuxta quē locutionis modum etiam in epistola ad Romanos dicit: Igitur sicut per vnius hominis delictum in omnes homines in condemnationem: sic per vnius iustitiā in omnes homines in iustificationem vitæ. sicut enim per inobedientiam vnius hominis peccatores constituti sunt multi: ita & per obedientiam vnius hominis, iusti constituentur multi. Manifestè enim quos in priori sententia dixit omnes & omnes, hos in sequenti multos & multos. Sed in condemnatione quę per vnum hominem ingressa est in omne genus humanū ita rectè intelliguntur multi, vt verè accipiantur omnes: quia nemo hominū ab illa alienus est nisi per Christi (Dei) gratiam liberetur, in iustificatione autem vitæ ita rectè accipiuntur omnes, vt ipsi omnes multi intelligantur: Quia per obedientiam Christi qua factus est obediens vsq; ad mortem, mortem autem crucis; Non omnes vtiq; indifferenter, sed multi iustificantur. Hanc itaque iustificationem per obediētiam mortis Christi, effusionem pretiosi sanguinis eius etiam illi adipiscuntur, cum ad lauacrum regenerationis veniunt, qui eam postea suo vitio in se irritam faciunt; Testante Apostolo ac dicente: Quantò

Hebr. 10. 28. magis putatis deteriora mereri supplicia, qui filium Dei conculcauerit, & sanguinem testamenti in quo sanctificatus est, pollutum dixerit, & spiritui gratiæ cōtumeliam fecerit. Et iterum: impossibile est enim eos qui semel sunt illuminati, gustauerunt etiam donum cœleste, & participes sunt facti Spiritu sancti, gustauerunt nihilominus bonum Dei verbum, virtutésque sæculi venturi, & prolapsi sunt renouari rursus ad pœnitentiam. Quapropter de omnibus credētibus in Christum, & in Christo regeneratis, rectè & veraciter creditur, quod pro eis Dominus Christus sit passus. Hoc namque tota series scripturæ sanctæ veteris ac noui testamenti si diligenter inspiciatur & fideliter consideretur, manifestè atque indubitanter attestatur. Quod etiam magnificè & nimis granditer vniuersalis & celeberrima ab ipso Domino & Apostolis tradita Ecclesiæ commendat auctoritas: Quæ oblationem corporis & sanguinis Christi, id est, mysterium passionis & mortis eius, tantummodo pro Ecclesia

Sacrificium Missæ cōtra hæreticos oblatum pro defunctis. Catholica toto orbe diffusa videlicet pro omnium fidelium societate atque vnitate; Et pro illis solis defunctis qui nos præcesserunt cum signo fidei, & dormiunt in somno pacis fideliter offert. vnde confidenter ac veraciter in ipsa mysteriorum frequentatione pro fidelibus supplicans ad Deum dicit; Respice Domine super hanc familiam tuam pro qua Dominus noster Iesus Christus non dubitauit manibus tradi nocentium, & crucis subire

A tormentum Et hunc ritum Dominicæ oblationis tantæ pietatis & religionis attentione custodit. vt cum illa mysteria offeruntur nullum omnino infidelem, nullū etiam Cathecumenum, nullum nisi gratia baptismatis regeneratum interesse patiatur. Tanquam verè ostendens atq; contestans pro illis Dominum in ara crucis oblatū, passum ac mortuum & pretiosum eius sanguinem fusum, pro quibus & in altari Ecclesiæ illa sacrosancta & cœlestis oblatio in mysterio passionis eius ac mortis offertur. Vnde & quosdam qui illam sacratissimam oblationem vel pro Cathecumenis vel quibusq; innocentibus paruulis viuentibus siue defunctis faciēdam dixerunt, velut hæreticos Ecclesia detestata est. Sicut B. Augustinus in libro quem ad Innocentium victorem scripsit, manife-

Vitum pro Cathecumenis siue viuentibus, siue defunctis nec non paruulis non baptizatis offerebatur sacrificium.

B stissimè ostendit dicens: Noli credere, nec dicere, nec docere sacrificium Christianorū pro his qui non baptizati de corpore exierint, offerendum si vis esse Catholicus, quia nec illud quod de Machabæorum libris commemorasti sacrificium Iudæorum pro his qui nō circuncisi de corpore exierant, ostendit oblatum. In qua tua sententia tam noua & contra Ecclesiæ totius auctoritatem disciplinámque prolata, verbo etiam insolentissimo vsus est dicens: Pro his itaque oblationes assiduas, & offerenda iugiter Sanctorum sacrificia Sacerdotum censeo. In libro quoque quem scribit ad Petrum Presbyterum contra scripta eiusdem Vincentij Victoris, ita eum redarguit: Tantum enim salutis & fœlicitatis non baptizatis paruulis tribuit, quantum nec Pelagiana hære-

C sis potuit. Et post paululum de eisdem non baptizatis paruulis: Ne quisquam, inquit, pro eis obtulit vel oblaturus est sacrificium, quod iste etiam pro non baptizatis censuit offerendum. Et post pauca, de eodem Vincentio: Aut omnino, inquit, hærebit, aut simul pro omnibus paruulis qui toto orbe terrarum sine Christi baptismo moriuntur, etiam eorum nominibus tacitis quoniā nesciuntur, in Ecclesia Christi non incorporatis, corpus Christi offerendo, corpus Christi esse censebit. Post hæc subiungit ad iam dictum Petrum Presbyterum loquens: Absit à te frater, vt hæc tibi placeant. Absit vt ista vel didicisse te gaudeas, vel docere præsumas. Ex his verbis sancti Doctoris manifestissimè docemur, vt pro his tantum qui baptismo Christi regenerati incorporantur Ecclesiæ quę est corpus Christi, corpus Christi debeat of-

D ferri. Et quisquis pro eis qui minimè sunt regenerati, nec corpus Christi effecti, dicit illud sacrificium offerēdum, censet eos esse corpus Christi, qui nunquam incorporati sunt mēbris Christi. Vnde piè hoc obseruat sancta mater Ecclesia quæ pro Cathecumenis, siue paruulis, siue maioris ętatis, nisi postquā fuerint regenerati in Christo, nō offert sacrificium Christi, Et tunc primū cum regenerantur in oblatione Dominica, etiam specialiter eorum memoriā frequentare incipit dicens: Hanc igitur oblationem seruitutis nostræ, sed & cunctæ familiæ tuæ, quā tibi offerimus pro his quoq; quos regenerare dignatus es ex aqua & Spiritu S. quæsumus Domine vt placatus accipias &c. Gratia namq; redemptionis Christi, & ante baptismum nullatenus accipitur, neque his qui sine baptismo de corpore exeunt vllatenus dari potest. Sicut &

E tota obseruat Ecclesia. Et B. Gregorius ad consulta Augustini respondens, breuiter ostendit dicens: Sancti mysterij gratia, sicut viuentibus atque discernentibus cum magna discretione prouidentia est: ita his quibus mors imminet sine vlla dilatione offerenda, ne dū adhuc tēpus ad præbēdum redemptionis mysterium quæritur interueniēte paululum mora inueniri non valeat qui redimatur: Pro illis tamen omnibus qui ex aqua & spiritu regenerati, ac per hoc Ecclesiæ incorporati cum pietate dormitionem acceperunt solemniter & generaliter vniuersalis seruat & prorsus seruare debet Ecclesia, vt inter illa sacrosanctæ immolationis mysteria suo loco atq; ordine siue nominatim, siue tacitis nominibus fideliter cōmemorentur; verè namq; ad plenitudinem & vnitatem Ec-

clesiæ pertinent, nec ab illa vel morte separari possunt. De quibus in Domino mortuis, & cum Domino viuentibus B. Ioannes in Apocalypsi scribit: Beati mortui qui in Domino moriuntur: Amodo dicit spiritus vt requiescant à laboribus suis: Opera enim ipsorum sequuntur illos. Et B. Paulus Apostolus sub nomine vigilantium viuentes, sub nomine autem dormientium defunctos fideles volens intelligi ad Thessalonicenses dicit: Quoniam non posuit Deus in iram, sed in adquisitionem salutis per Dominum nostrum Iesum qui mortuus est pro nobis: vt siue vigilemus, siue dormiamus, simul cum illo viuamus. Et iterum alibi: Nemo enim nostrum sibi viuit, & nemo sibi moritur: siue enim viuimus, Domino viuimus: siue morimur, Domino morimur: siue ergo viuimus siue morimur Domini sumus. In hoc enim Christus mortuus est & resurrexit, vt & mortuorum & viuorum dominetur. Hinc est quod in illa beati actione mysterij, ex auctoritate vtique diuina & traditione Apostolica à sanctis Patribus oratio pro defunctis fidelibus specialiter posita est, quæ ita se habet: Memento etiam Domine famulorum famularumque tuarum qui nos præcesserunt cum signo fidei & dormiunt in somno pacis, &c. Quod totum ita ab initio in Ecclesia & ab Ecclesia vniformiter ac legitimè obseruatum esse commendat diligentissimè beatissimus pater Augustinus in libro de cura pro mortuis agenda, ita dicens: Non sunt prætermittendæ supplicationes pro spiritibus mortuorum, quas faciendas pro omnibus in Christiana & Catholica societate defunctis etiam tacitis nominibus eorum sub generali commemoratione suscepit Ecclesia; vt quibus ad ista desunt parentes aut filij, aut quicumque cognati vel amici, ab vna eis exhibeatur pia matre communi. Et post aliqua; Quæ cum ita sint, inquit, non existimemus ad mortuos pro quibus curam gerimus peruenire, nisi quod pro eis siue altaris, siue orationum, siue eleemosynarum sacrificiis solemniter supplicamus. Quamuis non pro quibus fiunt omnibus prosint: sed eis tantum pro quibus dum viuunt cōparatur vt prosint: sed eis tantum pro quibus dum viuunt comparatur vt prosint. Sed quia non discernimus qui sint, oportet ea pro regeneratis omnibus facere, vt nullus eorum prætermittatur ad quos hæc beneficia possint & debeant peruenire. Melius enim supererunt ista eis quibus nec obsunt nec prosunt, quam eis deerunt quibus prosunt. Ex his igitur omnibus diligenter ac fideliter consideratis certissimè & clarissimè ostenditur pro omnibus fidelibus Christi, qui fuerunt, aut sunt, vel erunt, factam esse passionem Christi. Pro fidelibus Christi factam esse passionem Christi, pro corpore Christi immolari corpus Christi. De his verò qui adhuc in infidelitate atque impietate detinentur, manifestum est ex hac regula fidei, quod quicomque ex ipsis per Dei gratiam fuerint ad fidem conuersi, & in Christo regenerati, etiam pro ipsis confitendum sit factum esse quod pro omnibus fidelibus factum constat. De cæteris vero qui in ipsa infidelitate atque impietate sua perseuerantes sunt perituri, si de scripturæ sanctæ auctoritate quod etiam pro talibus Dominus passus sit, certissimis & clarissimis testimoniis nobis demonstrare potuerunt boni viri qui talia definierunt, dignum omnino est, vt credamus & nos. Si verò non potuerint, cessent contendere pro eo quod non legunt. Pudeat eos definire quod nesciunt. Timeant statuere quod nullum sanctorum Patrum concilium, nullum Apostolicæ sedis Pontificum, nullum Ecclesiasticorum dogmatum decretum hactenus inueniant statuisse. Quod & si quid à Sanctis & venerabilibus Ecclesiæ doctoribus vel scriptum vel dictum vnde huiuscemodi sensus occasio sumi posse videatur, inueniunt: salua eorum debita reuerentia, cohibeant se potius, & summittant se humiliter diuinæ auctoritati: & rem tam obscuram, tamque inusitatam diuinæ reseruent humiliter maiestati. Hoc namque & Paschalis agni sacra illa epulatio mysticè nobis commendat cum dicitur: Si quid residuum fuerit, igni comburetis, sicut B. Gregorius exponit dicens: Quod ex agno remanet, cōburimus, quando hoc quod de mysterio Incarnationis eius intelligere vel penetrare non possumus, potestati Spiritus sancti humiliter reseruamus, vt non superbè quis audeat vel contemnere, vel denuntiare quod intelligit, sed hoc igni tradat, cum sancto Spiritui reseruat. Iam de tertia quæstione, qua definitum est; quia sicut infideles non redimuntur mysterio sanguinis Christi: ita nec fideles redempti sunt, qui non habuerint eam fidem quæ per dilectionem operatur. Quid necesse est aliquid dicere. Cum ex his quæ supra iam dicta sunt manifestissime ostendatur, & omnibus infidelibus nullam esse redemptionem in Christo, & omnes fideles qui fideliter accedunt ad fidem & gratiam regenerationis, ibi accipiant veram redemptionem, vel veram regenerationem. Quia nec verè possunt regenerari, nisi eos & à potestate diaboli, & à seruitute peccati verè constet redimi. Nec verè possunt redimi, nisi lauacro indulgentiæ expiati, & à reatu delicti, & à dominatu principis mundi efficiantur absoluti. Nisi quod hoc in ista definitione absurdissimum est, quod Dominus Iesus Christus etiam pro impiis in sua impietate pereuntibus dicatur passus: Et fidelis quisque fideliter baptismo eius regeneratus mysterio passionis eius affirmetur non esse redemptus. Nec illud aliquis contra hanc veritatem Euangelicam & Apostolicam obiiciendum putet, quod inter cæteras maledictiones populi Iudaici, in Deuteronomio continetur ad eundem incredulum populum dictum: Et erit vita tua pendens ante oculos tuos, & non credes vitæ tuæ. *Deut. 28. 66.* Vel illud quod in Esaia de eodem infideli populo, ex persona ipsius Domini Iesu Christi de passione & cruce eius dictum solet intelligi. *Esa. 65.* Expandi manus meas quotidie ad populum non credentem & contradicentem: Qui ambulat via non bona, post cogitationes suas: vt quasi ita quis velit accipere, quod illi incredulo populo dictum est; Et erit vita tua pendens ante oculos tuos, & non credes vitæ vitæ. Tanquam ipsi incredulo & infideli populo in sua incredulitate & infidelitate permanenti, Dominus Iesus Christus qui ante eorum oculos in cruce pependit dicatur vita cum vtique eis non dederit vitam: Et dicantur ipsi non credituri vitæ suæ: quasi Dominus etiam eorum qui non credunt, nec vnquam eius fide viuificantur, possit dici vita. Et illud de Esaia testimonium sic conetur intelligere vt dicat, quod Dominus propterea dixerit: Expandi manus meas quotidie ad populum non credentem & contradicētem: quasi propter eundem populum in sua incredulitate & contradictione perdurantem, & eius causa crucis sustinuerit passionem. Vt quasi ex hoc affirmare videatur, quod Dominus etiā pro impiis in sua iniquitate pereūtibus in scripturis passus esse dicatur: Quia diuinæ Scripturæ nullatenus possunt inter se esse contrariæ: sed quod in earum planioribus locis manifestius declaratur, hoc etiam in obscurioribus occultatur, vt ex his quæ in illis clara sunt illuminantur obscura, non ex his quæ obscura sunt, clara obscurentur. Itaque iuxta manifestam, quam superius ostendimus, de passione & redemptione Christi Euangelicam & Apostolicam veritatem, etiam illud quod in Deuteronomio inter cætera maledicta illi populo infideli dictum est: Et erit vita tua pendens ante oculos tuos, & non credes vitæ tuæ, ita fideliter accipiamus dictum, vt agnoscamus maximum maledictum fuisse illius populi, vt merito malitiæ suæ excæcati, venientem ad se Dominum Iesum Christum tantis signis & miraculis cognoscere non potuerint. Sicut de eorum tanta cæcitate ante fuerat prophetatum. *Esa. 6.* Excæca cor populi huius & aures eius aggraua, & oculos eius claude, &c. Et hanc cæcitatem iusto iudicio Dei permansisse in illis vsque dum Dominum comprehenderent, condemnarent, & morti adiudicatum crucifigerent: sed non

eatlia

ea illo resurgente & ad cœlos ascendente, misso Spiritu sancto & prædicantibus Apostolis per inspirationem diuinæ gratiæ subito ad eorum prædicationem compunctos dixisse: Viri fratres quid faciemus. Et continuo accepto salutis consilio baptizatos, ac vitæ suæ quam in cruce ante oculos suos positam agnoscere non potuerant, nec crediderant, reconciliatos. Et ideo mirabiliter per beatum Moysem vtrumque propheta-
Habac 24 tum, vtrumque significatum est, vt & in passione Domini haberent vitam ante oculos, sed nec crederent, nec agnoscerent. Et hæc tamen vita esset etiam ipsorum tam infidelium, & tam excæcatorum: quia eos postea fide sua viuificauit: sicut scriptum est: iustus autem ex fide viuit. Ita in passione sua Dominus & vita erat ipsorum, & non erat vita ipsorum, vita namque erat ipsorum, quia erat eos viuificaturus: non erat vita ipsorum, quia necdum eos viuificabat, quando mortui vitam transfigebant. Vnde vt ista cæcitas ab illis auferretur, & fidei illuminatio eis donaretur, in ipsa crucis passione patrem precabatur dicens: Pater ignosce illis, non enim sciunt quid faciunt. similiter & illud quod in Esaia ex ipsius Domini persona intelligitur dictum: Expandi manus meas quotidie ad populum non credentem & contradicentem eodem sensu accipiendum est: quod perpessus sit ac sustinuerit illum populum semper sibi non credentem & contradicentem: ita vt clamaret, Crucifige crucifige eum: Et dicente Pilato, Regem vestrum crucifigam, responderunt: non habemus regem nisi Cæsarem: Donec in cruce exaltatus expanderet manus, tanquam virtute passionis suæ omnia tracturus ad se, etiam ipsum populum non credentem & contradicentem: in reliquiis videlicet quæ ex illo per electionem gratiæ saluæ factæ sunt. Hoc ita futurum ipse prædixerat, quando ad eos ante passionem suam, tanquam ad populum non credentem & contradicentem dicebat: Cum exaltaueritis filium hominis, tunc cognoscetis quia ego sum. Non credendo namque & contradicendo ad hoc peruenerunt vt exaltarent filium hominis in ligno crucis: Et tunc virtute passionis & gratia orationis eius illuminati cognouerunt eum quem antea non cognoscentes crucifixerant: Si enim cognouissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent. Hunc nobis verum & Catholicum sensum beatissimus martyr Cyprianus in libro, quod idola dij non sint, diligenter insinuat, dicens de eisdem Iudæis. Non intelligendo primum Christi aduentum, qui in passione præcessit occultus, vnum tantum credunt qui erit in potestate manifestus. Quod autem hoc Iudæorum populus intelligere non potuit delictorum meritum fuit. Sic erant sapientiæ & intelligentiæ cæcitate multati, vt qui vita indigni essent, haberent vitam ante oculos nec viderent. Similiter & beatus Augustinus in explanationibus Ioannis Euangelistæ docet dicens: Ecce Dominus Iesus Christus venit, prædicauit; sed quid putamus? Nunquid qui audierunt oues erant? Ecce audiuit Iudas, & lupus erat, sequebatur, sed pelle ouina tectus pastori insidiabatur. Aliqui vero eorum qui Christum crucifixerunt non audiebant & oues erant: Ipsos enim videbat in turba quando dicebat: Cum exaltaueritis filium hominis tunc cognoscetis quia ego sum. Quomodo ergo ista soluitur quæstio? Audiunt non oues, & non audiunt, oues, sequuntur vocem pastoris quidam lupi, & ei quædam contradicunt oues: Postremo pastorem occidunt oues. Sed quando non audiebant oues nondum erant, vox audita eos mutauit, & ex lupis oues fecit. Libet in fine Sanctorum Patrum pauca verba subiungere quam mirabiliter & dulciter prædicent de mysterio redemptionis Christi: De salute etiam illorum iustorum qui fuerunt ante aduentum Christi & deinceps omnium fidelium qui eius gratia quæ quotidie redimuntur atque saluantur; Beatus Ambrosius de ipso

A Domino Iesu Christo, qui est Agnus Dei & tollit peccata mundi, quomodo a certo & prædestinato numero qui possint ad eius esum sufficere comedatur, ita dicit; Sanguis Christi cuius ad gratiam nihil minuitur, nihil adiungitur. Et si parum sumas, & si plurimum haurias, eadem perfecta est omnibus mensura redemptionis. Pascha quoque Domini, hoc est Agnum, ita Patres epulari iubentur vt secundum numerum animarum epulentur suarum, neque plures, neque pauciores: Neque aliis plus dari, aliis minus secundum animas singulorum: Ne aut fortiores amplius sumant, aut infirmiores minus. Gratia enim æqualis singulis diuiditur, redemptio diuiditur, donum diuiditur. Neque plures o-
B portet esse, ne quis vacuus spei & redemptionis recedat. Plures sunt quando aliqui extra numerum sunt: sancti autem numerati sunt omnes & capilli eorum: Cognouit enim Dominus qui sunt ipsius. Neque pauciores, ne quis magnitudine gratiæ sit ad recipiendum infirmior. Et ideo omnes æqualitatem deuotionis & fidei deferre præcepit in Pascha. De hac re, id est, redemptione sanguinis Christi, etiam beatus Leo ita docet: Effusio enim pro iniustis sanguinis iusti tam potens fuit ad priuilegium, tam diues ad pretium, vt si vniuersitas captiuorum in redemptorem suum crederet, & nullum tyrannica vincula retinerent. Et iterum ita Dominus Iesus Christus humano generi sua morte consuluit, vt Sacramentum salutis etiam ipsius persecutoribus non nega-
C ret. Qui enim vniuerse venerat omnibus credentibus omnia peccata dimittere, à generali indulgentia nec Iudaicum voluit crimen excludere. Et iterum: Quid enim aliud egit crux Christi quam vt destructis inimicitiis reconcilietur mundus Deo, & per sacrificium immaculati agni in veram pacem cuncta reuocentur. itemque alibi: Offerebatur enim a Domino pro salute mundi hostia singularis, & occisio veri agni per tot sæcula prædicata promissionis filio in libertatem fidei transferebatur. Confirmabatur quoque testamentum nouum. & Christi sanguine æterni regni scribebantur hæredes. Ingrediebatur summus Pontifex sancta Sanctorum, & ad exorandum Dominum immaculatus sacerdos per velum suæ carnis intrabat. Et alio loco: Incarnatio quip-
D pe verbi, & occisio ac resurrectio Christi vniuersorum filiorum salus facta est: Et sanguis vnius iusti quod nobis donauit qui eum pro reconciliatione mundi credimus fusum hoc contulit patribus, qui similiter crediderunt fundendum. Beatus etiam Hieronymus in expositione Epistolæ ad Galatas, cum de eisdem Sanctis loqueretur antiquis: Nemo, inquit illorum de maledicto quempiam liberauit absque solo Domino Iesu Christo, qui pretioso sanguine suo. & nos omnes & ipsos, Moysem dico & Aaron prophetas cunctos & Patriarchas de maledicto legis redemit. Nec hoc meo sensu dictum putetis, scriptura testis est, quia Christus gratia Dei pro omnibus mortuus est. si autem pro omnibus, pro Moyse & pro vniuersis Prophetis: E quibus nullus potuit delere vetus chyrographum quod aduersum nos
E scriptum erat & affigere illud cruci. Omnes enim peccauerunt, & egent gloria Dei. Item idem doctor exponens illud quod per Prophetam de Domino dictum est: Iste asperget gentes multas, mundans, inquit, eas sanguine suo, & in baptismate Dei consecrans seruituti: Item in commentariis Euangelij secundum Matthæum cum verba Domini exponeret dicentis, sicut filius hominis non venit ministrari sed ministrare, & dare animam suam redemptionem pro multis. Non dixit, inquit, dare animam suam redemptionem pro omnibus, sed pro multis, id est pro his qui credere voluerint. Item beatus Augustinus in libro de natura & gratia. Et inquit fides iustos sanauit antiquos, quæ sanat & nos, id est mediatoris Dei & hominum hominis Christi Iesu. Fides sanguinis eius, fides crucis eius, fides mortis & resurrectionis eius. Habentes ergo eundem spiritum fidei, & Ps. 51. 15.

Quod paſſio Chriſti patribus antiquis gratiam & gloriam meruerit

nos credimus propter qnod & loquimur. Item in tractatibus in Ioannem Euangeliſtam: Eſtote, inquit, oues: Oues credendo ſunt oues, paſtorem ſequendo ſunt oues, Exeundo ſunt oues: Redemptorem non contemnendo ſunt oues, per oſtium intrando ſunt oues, Exeundo & paſcua inueniendo ſunt oues. Quomodo ergo iſtis dixit, non eſtis ex ouibus meis? quia videbat eos ad ſempiternum interitum prædeſtinatos, non ad vitam æternam ſui ſanguinis pretio comparatos. Item ibi tota illa eius paſſio, noſtra purgatio eſt, paſſurus igitur exitia, præmiſit obſequia, non ſolum eis pro quibus erat ſubiturus mortem, ſed etiam alioqui eum fuerat traditurus ad mortem. Et alio loco: quod facis, inquit, fac citius, non præcepit facinus, ſed prædixit Iudæ malum, nobis bonum. Quid enim Iudæ peius, & quid nobis melius quam traditus Chriſtus, ab illo contra illum, pro nobis præter illum. Et alio loco: quantum ſibi inquit, aſſumpſerat Petrus intuendo quid vellet, ignorando quid poſſet: Quantum ſibi aſſumpſerat, vt cum Dominus veniſſet animam ſuam ponere pro amicis ſuis, ac per hoc & pro ipſo, ille hoc Domino offerre conſideret, & non pro ſe poſita anima Chriſti animam ſuam polliceretur poſiturum pro Chriſto. Et alibi Chriſtus ſaluator qnod eſt nomen eius, fidelibus eius: Eſt quippe impiis & damnator, qui dignatur fidelibus eſſe ſaluator. Beatus antiſtes & martyr Cyprianus in libro de laude martyrij & martyrum oſtendens à mundi initio prædeſtinatos qui Chriſti ſanguine aſpergerentur & mundarentur: ô beati, inquit, quos à primordio mundi Domini ſanguis infecit, & quos merito ſplendor iſte niuei amictus induerit, & candor ſtolæ ambientis ornarit. Item in libro ad Demetrianum: Hanc, inquit, gratiam Chriſtus impertit, hoc munus miſericordiæ ſuæ tribuit, ſubigendo mortem trophæo crucis, redimendo credentem pretio ſui ſanguinis, reconciliando hominem Deo Patri, viuificando mortalem regeneratione cœleſti. Hunc, ſi fieri poteſt, ſequamur omnes, huius Sacramento & ſigno cenſeamur. Hic nobis viam vitæ aperit: hic ad paradiſum reduces facit hic ad cœlorum regua perducit. Cum ipſo ſemper viuemus facti per ipſum filij Dei: Cum ipſo exultabimus ſemper ipſius cruore reparati. Amen.



IN LIBRVM

IN LIBRVM ECCLESIÆ LVGDVNENSIS ADVERSVS IOANNEM SCOTVM.

NOTÆ ANDREÆ DVVALII DOCTORIS SORBONICI, & Regij in Academia Parisiensi Theologiæ Professoris.



A DVERTENDVM imprimis Ecclesiam Lugdunensem disputatione sua præcipue inuehi in modum loquendi Ioannis Erigenæ, qui Pelagianis fauere maximè videbatur, ita vt indoctiores quilibet, eo facilè decipi, & in hæresim labi possent. Quod illo in limine proponere operæpretium duxi, vt videant nostri sæculi nouatores quantum veteres non solum dogmatum, sed etiam nominum ipsorum nouitatem horruerint, scientes quod olim scripsit Hieron. apud Magistrum in 4. dist. 13. in fine, Ex verbis inordinatè prolatis incurri hæresim, itemq; lib. aduersus errores Ioannis Hierosolymitani, verborum ambiguitates non esse in Ecclesia admittendas, Qui pure, inquit, credit, pure loquatur.

Quis autẽ fuerit ille Erigena accipe ex Matthæo Vvestmonasteriensi ad annum 883. Eodem anno venit in Angliam Magister Ioannes natione Scotus, vir perspicacis ingenij & facũdiæ singularis: hic dudum relicta patria, ad partes Gallicanas transiens Carolum Caluum adiit, atq; in magna ab eo dignatione susceptus indiuiduus comes ei fuerat mensæ & cubiculi. & post aliqua de illius ingenij fœlicitate recẽsita subdit: Rogatu eiusdem regis Hierarchiam Dionysij Areopagitæ de Græco in Latinum transtulit, & alium librum edidit quẽ περὶ φύσεως μερισμοῦ id est, de naturæ diuisione intitulauit, quem esse vtilissimum ait ad varias quæstiones fere insolubiles enodãdas. Si tamen ei in quibusdam ignoscatur in quibus à Latinorum tramite deuiauit, cum in Græcos acriter oculos intendit: vnde & hæreticus à quibusdã putatus est; scripsit .n. contra eum Florus quidam (qualis ille fuerit ignoratur) qui & eius scripta deprauando damnauit. Sunt.n. re vera in prædicto libro perplurima quæ nisi diligẽter discutiãtur, aliena à fide Catholica iudicãtur, & statim subdit Epistolam Pontificis Romani ad Carolum Caluum: Relatum est Apostolatui nostro, quod opus Dionysij Areopagitæ quod de diuinis nominibus & cœlestibus ordinibus Græco descripsit eloquio, quidam vir Ioannes natione Scotus nuper transtulit in Latinum, quod iuxta morem Ecclesiæ nobis mitti & nostro iudicio debuit approbari; præsertim, cum idem Ioannes licet multæ scientiæ esse prædicetur olim, non sane sapere in quibusdã frequenti rumore dicatur. Propter hanc infamiã idem Ioannes Franciam relinquens venit in Angliam, vbi post aliquot annos à pueris quos docebat graphiis perforatus, animam exhalauit tormẽto graui & acerbo. Iacuit autem aliquandiu in humili sepultura in Beati Laurẽtij basilica: sed vbi diuinitus cecidit super eam sepulturam radius ignis cœlestis, monachi de talib. animati reuelationibus, in maiorẽ transtulerunt Ecclesiam, & ad sinistrã altaris partem honorabiliter locauerunt. Hæc Vvestmonasteriensis. His omnibus addit Epitaphiũ Guillelmus Malmesburiensis, cuius versus scabri quidem, & moderni tẽporis lima carentes, sed ab antiquo non adeo deformes.

vorno forte.

Lib. 1. 4

Clauditur hoc tumulo Sanctus Sophista Ioannes
Qui ditatus erat iam viuens dogmate miro
Martyrio tandem Christi conscendere regnum
Quo meruit sancti regnant per sæcula cuncti.

Baronius ad annum 884. dicit à nullo causam prodi cur ea passus sit, vt martyr dici possit: Genebrardus tamen in Liturgiam D. Dionysij Gallico idiomate, affirmat pueros propter sacramentariorum errorem in eum ita sæuiisse, Quæ si vera sint, cum martyribus magis caussa, quam pœna attendi debeat, in album martyrum non erit recẽsendus, maximè cum Lanfrancus, lib. de veritate corporis & sanguinis Christi, eum inter sacramentarios numeret eiusque libellum de Sacramento altaris in Concilio Vercellensi damnatum dicat. Lectoris prudentiæ omnia discutienda relinquimus: suspectum certe mihi est Genebrardi additamentum nullo authore & teste munitum.

Quod ad scripturæ versionem qua Ecclesia Lugdunensis vtitur, incertum est cuiusnã sit; certum tamen est multum à vulgata discrepare, cum nullum proferat testimonium quod ab ea non discrepet; fortè propriam sibi versionem fabricauerat illa Ecclesia, vt pote viris apprimè doctis refertissima, quia iuxta Augustinum * Græci traductores numerari possunt, Latini verò minimè, vt enim cuique veniebat in manus Græcus codex, & aliquantulum sibimet facultatis vtriusque linguæ habere visus est ausus est etiam interpretari.

** Lib. 1. de Doctrina Christiana c. 11. & Isidorum de Ecclesiast. Officiis lib. 1. cap. 12. pag. 1061. col. 1. C.D, pag. 1065. col. 1. D.*

Duas prædestinationes non esse.] contra Scotum contendit præcipue Ecclesia Lugdunensis, duas esse prædestinationes, vnam bonorum, alteram verò malorum, dummodo hæc non sit caussa malorum culpæ, sed tantum pœna aut præparatio malitiæ, sicuti illa bonorum est caussa & præparatio gratiæ.

Sicut] Ad certitudinem prophetiæ futurum tanquam præteritum narratur, & ad tollendam mali animi suspicionem in ipsis Prophetis, quæ futura ab iis prædicuntur & annuntiantur tanquam optata recensentur, non quod ipsi cuiquam peccatum aut æternam damnationem optauerint; hoc enim cum charitate qua ipsi pollebant, pugnat, sed tantum quod illud longè ante præmonstrauerint, vel quod cum decretum iustitiæ diuinæ pro eorum punitione viderent, eorum desiderium, non tam in illorum perditionem quam in decretum diuinæ iustitiæ ferebatur. & sic innumera apud Isaiam & Prophetam regium testimonia exponuntur.

Ecce doctor eximius.] Maluit August. Deum scientiam quam prouidentiam dicere: rationes Aug. non proferuntur, hæ tamen sunt; vel quia prouidentia respectum ad res gubernatas complectitur vbi scientia simplex est rerum omnium cognitio; vel quia prouidentia in actu spectata tantum est in tempore, scientia verò ab æterno; vel quia prouidentia quæ ad prædestinationem genus esse dicitur, est præparatio mediorum ad finem debitum siue naturalem siue supernaturalem obtinendum: quamuis absolutè loquendo propter maximam attributorum diuinorum simplicitatem & identitatem, non minus Deus dici possit prouidentia quam scientia; hinc est quod veteres Deum θεὸν πρόνοιαν cõmuniter appellarunt.

Ibid. col. 1.

Quæ tamen vt fierent] Legant & relegant Caluinistæ apertam sui condemnationem, dum impia & intolerabili blasphemia peccatorum omnium caussalitatem Deo audent affingere. Iniquitatem, quam rectissima veritas improbat, damnare potest, non facere. August. Epistola 105. ad Xistum.

Ibid. col. 2.

Prædestinatio gratiæ præparatio.] Omniũ ni fallor primũ ita prædestinationem definiuit August. vt videre licet de prædestinatione Sanctorum cap. 10 eodemq; recidit quod scribit lib. de bono perseuerantiæ. cap. 14. vt sit, Præparatio beneficiorum Dei, qua certissime liberantur quicunque liberantur, & de hac perpetuo loquitur Aug.

Ibid. col. 2.

quotes prædestinationem præuisis meritis factam negat. Ex quo liquidò cõstat eum ab alus patribus minime dissentire asserentibus nos ex operum præuisione prædestinatos, agunt enim de prædestinatiune ad gloriam, vbi Augustinus de prędestinatione ad gratiam loquitur, Vasquez in quæst. 23. 1. partis D, Thomæ, Suarez, upusculo de prædestinatiune.

pag. 1063 col. 1. A. *Quod autem dicit.*] Cum Pelagianis tollebat Erigena gratiam præuenientem & solam cooperantem gratiam statuere videbatur, quod acriter refellit August. vt docet Bellarminus, lib. 6. cap. 15. conclusione 4.

pag. 1074. col. 2. B. *Godescalcanam heresim.*] Quis fuerit Godescalcus accipe ex Pithœo in annalibus, & Tuthemio in Chronico Hirsaugiensi, & Flodoardo, lib. 3. cap. 13. seu potius Hincmaro Rhemensi Archiepiscopo. qui tunc viuebat & eũdem Godescalcum sępius vidit & audiuit, cuius hæc verba sunt, ad Nicolaũ I. Vobis, ait, pauca aperire desidero quomodo antequã Episcopus ordinatus fuissem iste Godescalcus monachus monasterij Ecclesię Metropolitanę Rhemensis dicti Orbei Diœcesis Suessionensis, vt huius Abbas & Monachi cum quibus versabatur, testãtur, humo animo elatus, quietis impatiens, nouorum verborũ cupidus, insatiabili honoris ambitione incensus, proteruus & tumultuosus; vt inani animi ostentatione famam adipisceretur, certos articulos omnium falsarum doctrinarum elegit & collegit. (& postea:) Idem Godescalcus ordini sacerdotali à decano Rhemensi initiatus (hæc autem promotio cõstitutionibus Ecclesiasticis reluctabatur) contra suam regulam monasterio egressus, disiunctissimas terras peragrauit vt virus suę falsæ doctrinæ euomeret. Narrat Ecclesia Lugdunẽsis quo pacto in vltimos fines Germaniæ se contulerit Euãgelicæ prædicationis gratia, & suarum cuncionum exordium sumpserit ab ineffabili prędestinationis mysterio, coactus redire in Galliam, ab Episcopis in Concilio Moguntinensi damnatus est, & ex illorum decreto flagellis violenter cæsus tandem in monasterio Rhemensis Diœcesis tanquam in carcere ex eiusdem Concilij decreto reclusus est.

Articuli in prædicto Concilio damnati recẽsentur ab Hincmaro. 1. quod sicut Deus quosdam prædestinauerat ad vitam ęternam, ita alios ad mortem æternam prædestinauerit (intellige absque vlla malorum operum præuisione,) quod Deus non vult omnes homines saluos fieri, sed eos dumtaxat qui saluantur, quod Iesus Christus Dominus non fuerit crucifixus, neque mortuus pro redemptione totius mundi, sed tantum pro his qui saluantur, quod nullum ad se diabolus possit rapere pro quo sanguinem suum Iesus Christus Dominus fudit. Hi sunt præcipui inter multos alius à Concilio Moguntinensi damnatos, legendus est Serrarius, lib. 1. cap. 33. historię Moguntinensis.

Pag. col. 2. *Nec potuit inuenire*] Affirmat nullos ducuisse nos per gratiam solam absque libero arbitrio saluari, quia si qui fuerint, ab Ecclesia tanquam hęretici perpetuo sunt habiti, itaut particula illa (nulli) excludat Catholicos, nun autem quos Ecclesia condemnauit, aut saltem, quia expresse nullus vnquam ita docuit, sed solum liberũm arbitrium de medio sustulerunt, vt Simon Magus ex Clemente, lib. 3. recognitionum, Bardesanes ex August. cap. 35. lib. de hæresibus, Manes centum annis post Bardesanem à quo Manichæi ex eodem cap. 7. vt videant nouatores nostri peruersum suum dogma de salute per solam gratiam absque liberi arbitrij concursu, & cooperatione omnibus retro sæculis inauditum fuisse.

pag. 1081. litera G. *Nam si talis voluntas.*] Nun assequitur mentẽ Ioannis Erigenæ Ecclesia Lugdunensis quantũ ipse possum coniicere. Nec enim dicit primò Erigena voluntatẽ & animã eiusdem esse naturę, sed solum voluntatẽ ipsius mẽtis & animę in dilectione suipsius agere vt naturam, non autem vt liberam. Secundu piè pariter & Catholice sentit Erigena cum dicit libertatem in homine post peccatum remãsisse, vigorem tamen & potestatem illius amisisse: arguit autem cum Ecclesia Lugdunensis, quod accipiat libertatem, vt seruitus peccati opponitur iuxta illud Ioan. 8. qui facit peccatum seruus est peccati. Erigena tamen eam pro facultate ad vtrumlibet, tam ad bonum quàm ad malum accipit, quam in homine post peccatum remanere ex Augustino certum est, itaut disputatio hoc loco videatur esse de nomine, Bellarminus lib. 5. de gratia, & lib. arb. variis capitibus.

Præsciuit Deus.] Cum ait voluntatem illud esse facturam quod Deus præsciuit, non vult præscientiam imponere voluntati necessitatem, cum hoc hæreticum sit, sed tantum infallibiliter esse facturam, & indubitanter euenturum, posito quod Deus ita præscierit cum eius præscientia minime fallatur. pa. 1013 B.

Liberum arbitrium.] Arguitur Erigena quod liberum arbitrium inter media Dei dona recenseat, inter naturã s. & gratiam. Sic enim viam ad Pelagianismum sternit; si enim libertas sit medium quoddam donum supra naturam, sequitur auxilia gratiæ ad resurgendum à peccato, aut ad piè operandum non esse necessaria; verum si per liberum arbitrium intelligat Erigena actiones liberas nonnihil potest excusari cum illæ a D. Thom 1. part, quæst. 57 art. 4. medij ordinis inter naturales & supernaturales esse dicantur, ac propterea ait ab Angelis naturaliter non posse cognosci. pa. 18 C.

Bonum rectum.] Accipitur in vniuersa disputatiune liberũ arbitrium. aut pro actuali cõuersione ad bonum, aut pro libertate à seruitute peccati, & sic vbiq; docetur illud esse bonum rectum & bona voluntate ad superna & diuina erectum; idenque non esse mirum si asserat esse dũtaxat gratię donũ, & omnino periisse in Adamo, cum tamẽ si vt potẽtia sumatur aut habito respectu ad actiones ciuiles & humanas donum naturæ debeat appellari. Ibid. E

Non posse non peccare.] Cum dicit optimos quosque in statu naturæ lapsæ, non posse non peccare, intelligendum est collectiue, non distributiue, id est, etiamsi nullum sit peccatum singulariter acceptũ quod vitare non possint, nihilominus propter carentiam gratiæ valde specialis & naturę corruptionem ex peccato profectam, non possint non incidere in aliquod peccatum, ita D. Thom. 1. 2. q 109. art. 8. pag. 1089.

Ecce quomodo.] Meminerunt huius erroris Hieronym. Epistola ad Marcellinum & Anapsichiam, & Augustin. Epist. 28. ad eundem Hieronymum, in quem inciderunt tum Philosophi, tum Gnostici ex August. hæres. 6. Cerdon ex Theodoreto li. 1. hæret. fabularum, & Manichæi ex August. contra Fortunatum, item que Priscillianus ex Concilio Bracearensi 1. Can. 5. hi enim omnes non aliam in homine ponebant animam præter eam totius mundi, aut saltem partem illius quomodo animam hominis esse Deum vel partem illius fateri cogebantur. refelluntur ab August. & Hieron. locis citatis, itemque à Thom. 1. part. quæst. 9. art. 1. p 1091. A

Ecce quare liberum.] Non est quod in hac re Erigena arguatur cum pręclari Theologi libertatẽ in voluntate & ratione posuerint, Duran. in 2. dist. 24. vbi facultatem voluntatis & rationis esse docet, magis tamen rationis. p 1095 G

Voluntatis possibilitate.] Hæc secundum potentiam ordinariam intelligenda sunt. Sic. n. Deus in pœnã peccati ipsorum damnatorum statuit se non amplius cum iis speciali auxilio cõcursurum: per extraordinariam autem certum est illa non esse priuatos; nec enim implicat Deum eos auxiliis sufficientibus & efficacibus per quæ infallibiliter à damnatione & peccato liberarentur præmunire posse. ita D. Thomas vt reliqui doctores ..... Et eo sensu pariter exponẽdum est quod inferius habet, nempe dęmones simulque damnatos omnes per peccatum perdidisse valle bonum. Quod quamuis ad omnes peccatores adhuc superstites in hac vita extendere videatur, diuersa tamen est ratio eorum & damnatorum, quia cum illis Deus vult adhuc concurrere & illos auxiliis sufficientibus iuuare, Ibid

Liberum arbitrium] Cum dicit voluntatem non remãsisse liberam post peccatum intelligẽdum non est de libertate fol. 1078

libertate quæ necessitati opponitur, vel de potentia ipsa libera: semper enim eam retinet, vt passim docet August. lib. de Sp. & litera, cap. 33. sed de libertate quæ seruituti peccati opponitur: hanc enim certum est per peccatum amitti cum serui fiamus ipsius peccati, itaut ab eo per se & ex propriis viribus non possimus resurgere, aut opera pietatis exercere, sed indigeamus gratia illius de quo dictum est: Si filius vos liberauerit verè liberi eritis, & in hunc sensum vulgatum illud Augustini elogium, cap. 30. Enchiridij, debet intelligi: Abutens homo libero arbitrio perdidit & ipsum non secundum essentiam, sed iuxta eã quam ante peccatum sortiebatur perfectionem, ita Bellarminus lib. 5. de gratia & libero arbitrio per totum.

Ibidem. *Mentem, scientiam & voluntatem.*] Hoc sensu dixerunt non ignobiles scholastici inter quos est Scotus in 2. dist. 18. qu. 5. & ibidem Maior: mentem .i. animam, scien. i. intellectum & voluntatem, realiter à se inuicem minimè distingui, quamuis contrarium sit probabilius ex D. Thoma quæst. 77. art. 1. & 3.

Ibid. col. *Elementa.*] Non consumentur elementa quoad substantiam & qualitates eis proprias. Sunt enim sic partes quædam præcipuæ ipsius mundi qui tunc potius perficietur, sed quoad qualitates eis permixtas, tunc enim pura omnino reddentur & futuro statui beatorum conuenientia. Sicque quando dicit D. Petrus 2. cap. 3. cælos transituros esse & elementa calore soluenda, non est primo illud intelligendum de corporibus illis cælestibus ad quæ certum est conflagrationis ignem non peruenturum, sed de cælo aëreo, hoc est toto spatio aëris. Deinde dicitur illud esse transiturum propter renouationem & perfectionem maiorem, sicut & elementa calore soluenda, id est repurganda. August. lib. 20. de ciuit. cap. 6. & 18.

pag. 1080. col. 2. *Voluntas seipsam.*] Affirmat voluntatem seipsam liberè non diligere, quod de libertate contrarietatis vt vocant, itaut seipsam odisse non possit est intelligendum. Nemo enim carnem suam, id est, seipsum odio vnquam habuit, libertate tamen contradictionis certum est seipsam liberè diligere, cum actum dilectionis erga se possit suspendere, vt cuiuis facile constat; & eo sensu dixit Augustinus voluntatem sui comparatione non se habere vt liberam, sed vt naturam.

pag. 1096. *Nono capitulo*] Integro illo capite sugillat Erigenam quod pestilentissimum errorem introducat qui effrena licentia omnibus vitiis & sceleribus habenas laxet. Quem latius multo hocce miserrimo sæculo introducunt sectarij nostri qui quamlibet legis obligationem à fidelium ceruicibus arcent, quæ libertas est carnis non spiritus, filiorum diaboli non Dei, ἀσωτία denique quauis seruitute miserior.

pag. 1097. *Peccatum mortem æternam nihil esse.*] Hanc hæresim nostro sæculo ab inferis denuò suscitarunt Quintinus & Copinus Sutores Flandri à Catholicis propterea Libertini dicti, 1. quod peccatum nihil esse dicerent præter inanem & falsam opinionem: deinde non debere reprehendi eos qui occidunt, mœchantur, furantur: Tertio Christum nihil esse nisi aliquid compositum ex spiritu Dei & opinione: 4. angelos, dæmones & animas nihil esse: quos etiamsi detestari se dicat Caluinus, editis libellis aduersus eos, ex eius tamen schola tanquam ex equo Troiano certum est produsse. Bellar. lib. 2. de amissione gratiæ, cap. 1.

pag. 1105. *Æternaliter damnati.*] Grauis est quæstio à paucis exagitata & à paucioribus soluta. Negãtem partem suadet locus, 1. Petri 3. Christus semel pro peccatis nostris mortuus est, iustus pro iniustis vt nos offerret Deo mortificatus quidem carne, viuificatus autem spiritu. In quo his qui in carcere erant spiritibus veniens prædicauit qui increduli fuerant aliquando expectabant Dei patientiam in diebus Noë. Cui alius subiungitur cap. 4. Ideo & mortuis prædicatum est Euangelium vt iudicentur quidem secundum hominem in carne, viuant autem secundum Deum. Ex quibus colligitur non omnes qui in diluuio perierunt esse in æternum damnatos. Accedit quod saltem infantes quibus per remedium legis naturæ peccatum originale remissum fuit in æternum minimè perierint. Affirmantem tamen hoc loco tuetur Ecclesia Lugdunensis, fortè quia cum omnis caro viam suam corrupisset, vt habetur Genesis 9. & monitionibus Noë autem præbere nollet; quinimo videbatur ei quasi ludens loqui: repente super eos venit diluuium cum ad pœnitentiam eos centum & viginti annis Deus expectasset. Rem totam optimè meo iudicio explicat Bellarm. lib. 4. de Christo cap. 13. Dico, inquit, Christum prædicasse in inferno omnibus bonis spiritibus, sed nominatim fuisse expressos illos qui fuerant in diebus Noë increduli, quia de illis magis erat dubium an essent salui nec ne, cum puniti fuerunt à Deo, & submersi aquis diluuij. Indicat ergo hic Petrus etiã ex illis incredulis fuisse aliquos qui etiam in fine vitæ pœnitentiam egerunt: & licet quantũ ad corpus perierint, tamen quantum ad animam salui fuerunt. Quod etiam Hieronymus docet quæstionibus Hebraicis in Genesim tractans illud cap. 6. Non permanebit spiritus meus in homine, vbi dicit Deum multos eorum temporaliter aquis diluuij puniuisse, nec deberet eos in gehenna in æternum punire. Et hunc etiam sensum videntur facere illa verba cap. 4. Ideo mortuis prædicatum est Euangeliũ vt iudicentur quidem secundum homines in carne; viuant autem secundum Deum spiritu, i. vt secundum homines exterius iudicentur, & existimentur damnati, quia corpora eorum necata sunt; viuant tamen spiritu secundum Deum .i. eorum animæ saluæ sint. Hactenus Bellarminus. Ex quibus sequitur malè Ecclesiam Lugdunensem omnes illos ita submersos æternaliter damnare, nisi velimus pro maiori tantum parte omnium denominationem fecisse, vel saltem conclusionem illã non esse de fide, vnde Augustinus epistola 99. ad Euodium maluit aliter locum D. Petri exponere, quam ipsorum hominum conuersionem & Christi in inferis prædicationem admittere, lege Bellar. loc. cit.

Filium fuisse.] Docet Iudam filium fuisse propter aliqualem fidem in Christum Dominum & eandem sacramentorum participationem, ex quo duæ Nouatorũ hæreses refellũtur prior qua dicunt Ecclesiam ex solis prædestinatis constare. posterior verò qua dicunt improbos non recipere corpus & sanguinem Christi Domini, contrarium enim eo loci apertè colligitur, eo quod sacramenti illius in cœna Iudas fuit particeps. *pag. 1024.*

Πρόθεσις.] Ait præfinitionem in sacris literis idem esse ac prędestinationem. quia cum Gręcè vocetur πρόθεσις quæ propositum significat, non ita potest ad præscientiam referri, vt ad decretum diuinæ voluntatis quod prędestinatio includit. *pag. 1113. col. 1. 2.*

Refellit quod Ioannes Erigena obiicere solebat. Si Deus malos ad pœnas prædestinauerit, debere prædestinationem cogere & inducere homines ad peccatum: quod attentè consulant nouatores nostri qui tam impiè & crudeliter Deo peccatorum caussalitatem affingunt. *Ibidem.*

Cum dicit Deum æquè certò nosse quid non esset facturus, ac quid esset facturus, & quæ euentura non erant ac quæ erant, satis superque arguit vbi de Dei cognitione sermo est, nullam illi coniecturalem esse attribuendam, qua licet sit vehemens, & vt dicunt Iurisconsulti, violentissima, incertitudinem tamen omni ex parte non potest excludere; quo fit vt respectu futurorum conditionatorum in Deo potius scientiam mediam & conditionatam debeamus admittere. Fonseca, Molina, Suares. Mascaregna disputationibus & opusculis de ipsa scientia *pag. 1120. col. 2.*

Liberum vero.] Liberum arbitrium affirmat in damnatis non esse eodem sensu quo antea docuit in peccato & in statu naturæ lapsæ reperiri. *pag. 1 19. col. 2*

Quid ibi proderit.] Insinuat sensum videndi nõ operaturum in damnatis, fortè quia inferni locus ita est tenebricosus vt species ad ipsorum oculos deferri nõ possint *Ibid.*

docet enim D. Basilius Deum ab igne inferni lucem abstulisse & solam vim vrendi in eo reliquisse: probabile tamen est damnatos conspecturos esse dæmones & alios pœnarum socios, eorum enim intuitu acerbius grauiusque percellentur. Ideoque cum eos videndi sensu destituit Ecclesia Lugdunensis, illud de visione grata & delectabili est intelligendum. A

Ibidem. *Per vnum & in vna.*] Confirmat sententiam illam doctorum qui animas damnatorum ita igne inferni cruciari asserũt vt non tantum per detentionem, sed etiam per veram & realem ipsius actionem crucientur; & obiter carpit Erigenam quod nullam aliam damnatorum pœnam quam priuationem visionis diuinæ statueret.

pag. 1125 col. 1 b. Attendant nouatores nostri sæculi ibi purgatorium, nec non suffragia pro mortuis in Ecclesia obfirmari & obsigillari. B

pag. 1125. col. 1 d. *Quia in corpore vtique.*] Peccatum originale in corpore videtur reponere, quod nonnulli inter Scholasticos fecerunt, Durandus & Magister in 2. dist. 30. & 31. vbi dicit per peccatum primi parentis, fuisse primo infectum corpus per semen, & à semine rursum infici corpus seminatum, & tunc animam ex corpore infici, sicut liquor pretiosus cum inquinato vasi infunditur. Quæ quamuis iam temeraria iudicentur, non pugnant tamen expressè contra fidem: ideoque malumus asserere Ecclesiam Lugdunensem duntaxat voluisse horum sententiam damnare, qui animam ante vnionem cum corpore maculam originalem contrahere contendebant.

pag. 1126 col. 2 d. *Fuerit aliqua fides.*] Docet fidem aliqualem in damnatis remansuram, quod non de fide Theologica, sed de humana & acquisita deberi intelligi, & sic qui ex Christianis damnantur multorum mysteriorũ fidem retinent, iuxta illud Iacobi, dæmones credunt & contremiscunt. C

pag. 1127. a. *Quomodo ergo.*] Ait damnatos non ferri desiderio in beatitudinem, sed seipsum postea exponit: Non habent, inquit, desiderium .i. pietatem desiderij, quia ex amore sui inordinato nullo habito respectu ad Deum ipsam desiderant.

Ibid. m. *Cesseritaque.*] Accedebat Erigena ad hæresim Pelagij volens damnatos frui beatitudine naturali. Imò peius multo quam Pelagius sentiebat, quia quod tantum de paruulis decedentibus absque baptismo statuerat, ipse de peccatoribus adultis contendebat Bellar. lib. 1. de purgatorio cap. 9.

pag. 1128. b. *Quicquid ergo*] Agit contra Erigenam ad hominem qui voluntatem solam peccasse & non naturam tenebat, quasi voluntas agat aliquid quod non agat homo, & in hoc Erigenam declarare, & insanire merito asserit. D

Damnatur liber hypognosticon, seu de Ecclesiasticis
pag. 1149. dogmatibus, qui certè non est Augustini, sed alterius, eiusdemque Pelagiani, & ita à Cælestino Papa epistola ad Episcopos Galliæ est definitum.

pag. 1149. col. 1 c. d. Aduertant nouatores Deum in templis locisque consecratis speciali modo inhabitare, vt contra Anomeos luculenter ostendit Chrysost.

Sedem.] Reprehensio ista solum est in nomine. Nam nolebat Erigena ignem inferni fore quietem & sedem tranquillam atque placidissimam ipsorum damnatorum. E

Ibidem. *Sedem.*] Perfectius Deus vnitur cum damnatis quàm cum templis, si actionum vitæ ratio habeatur, si vero beneficiorum singularium quæ hominibus in templo orantibus conferuntur, magis est in templis, quàm in inferis seu cum damnatis.

Ibidem. Non negat Trinitatem esse in damnatis, quia Deus vbique est per essentiam, præsentiam, & potentiam, ideoque tantum vult non esse in illis per gratiam inhabitantem, sed tantum per ostensionem suæ iustitiæ.

NOTÆ IN LIBRVM
de tribus Epistolis.

VGDVNENSIS Ecclesia hacce disputatione patrocinium Gotescalchi videtur suscipere, licet eum præsumptuosum, insolentẽ & miserabilem monachum appellet. Præsumptuosum, [illegible] quod vltro .i. renitente Abbate prædicationis officium ad infideles susceperit, contra quod dicit Apostolus: Nemo assumat sibi honorem nisi vocetur à Deo tanquam Aaron. &: Quomodo prædicabunt nisi mittantur: & hæc prima mali illius labes, imò lerna omnium suorum malorum. Insolentem vero fortè quod sua dogmata ab omnibus fere doctoribus eo tempore reprobata nimium iactaret, & in vulgus insolẽti quadam ambitione & cum maximo totius Ecclesiæ Gallicanæ detrimento disseminaret. Miserabilem demum quod flagellis tamdiu fuerit dilaceratus, donec accenso circa se igne libellum suum propriis manibus in flammas proiiceret & æterno velut incendio concremaret. In hoc supplicij genus inuehitur præcipuè Ecclesia Lugdunensis cum singulas eius propositiones vnica dempta quæ est de libero arbitrio, ad pium & Catholicum sensum benigna & suaui explicatione reduci posse affirmet. Vnde non simpliciter arguit quod in eum virgis fuerit animaduersum: Certum est .n. iure optimo puniri hæreticos & nouatores, siquidem non minus reipublicæ Christianæ perniciosi sunt quam alij quilibet scelerati: sed quod eius propositiones benigne potius debuissent explicare prælati illius temporis quàm in eum ita sæuire.

Pag. 1161. Rebelles & increduli] Affirmat omnes & illos Israëlitas qui increduli & rebelles Mosi in deserto fuerũt & quorum cadauera ibi in vindictam prostrata sunt, in æternum esse damnatos, & ad huius probationẽ profert illud Psal. 94. Quibus iuraui in ira mea, si introibunt in requiem meam: quibus verbis immobilitatem diuini consilij de illorum æterna damnatione indubitanter exprimi asserit: verũ hoc in opinione positum est. Quinimò contrariũ multo est probabilius, tum quia non est verisimile integram Israëlitarũ in deserto mortuorũ multitudinẽ fuisse incredulã & rebellem; nunquid enim Leuitæ, nunquid paruuli, nunquid pariter Aaron ab eiusmodi incredulitate excusari possunt & debent? Quamuis n. dicatur; Quadraginta annis proximus fui generationi huic, à maiori tamen parte fit illa totius denominatio: tum quia requies illa de qua loquitur Propheta de terra promissionis intelligitur, vt ait glossa in hunc locum: tum quia quis dicet eos qui ab igne deuorante consumebantur præ negligentia quæ non ita graue peccatum est & qua in extremis partibus versabantur, fuisse propterea in æternum damnatos, eorum tamen corpora in deserto prostrata sunt: tum quia exclusio à terra promissionis ad quã tanto ardore suspirabant cum morte quam ipsi tulerunt sufficiens delicti eorum fuit expiatio, non minus quam mors corporea Ananiæ & Saphiræ ex Hieronymo epist. 8. ad Demetriadem. Ad id autem quod ait Ecclesia Lugdunensis eorum damnationem figuram fuisse damnationis omnium reproborum, iuxta Apostolum prioris ad Cor. 10. Omnia in figura contingebant illis: respondetur solam eorum à terra promissa exclusionem optimè posse hanc damnationem figurare, cum figura veritate minorem esse semper oporteat. Quæ tamen non sic sunt intelligenda vt omnes illos Israëlitas ab inferis vindicemus: certum est .n. Chore, Datam & Abiron viuos ad inferos descendisse, sed generalem ipsius Ecclesiæ propositionem tantum coarctare voluimus.

Pag. 1161. Prædestinatio & præscientia] Docet prædestinationem & præscientiam tantumdem valere, quod tameo contra Ioannem Erigenam acerrimè arguit, cũ præscientia multo latius pateat, est enim bonorum & malorum, prædestinatio verò solummodo bonorum. Verum si attente

attentè legatur, liquido cuique constabit eam solum de præscientia diuinorum operum agere: quo sensu prædestinatio æque late patet; sic enim ait, In operibus omnipotentis Dei non sunt alia præscita & alia prædestinata: vel dicito velle tantum illa duo æqualia esse ratione immobilitatis diuini consilij; quod enim à Deo semel est præscitum non minus infallibiliter eueniet, quàm quod semel est prædestinatum. Et hæc posterior expositio magis est ad mentem Authoris.

Ibidem principaliter & veraciter.] Cautè legendũ est quod dicit bona opera esse omnino principaliter & veraciter ipsius creatoris: ista enim particula (omnino) non debet diuisim à (principaliter) accipi, sed coniunctim; quasi velit Deum omnium bonorum operum esse causam præcipuam seu primariam; non tamen propterea excludi creaturam humanam seu liberum arbitrium, quod suo modo est etiam causa præcipua, per virtutem sibi supernaturaliter infusam, actuum internorum fidei, spei, & charitatis. Idcoque dicendum est Lugdunensem Ecclesiam, per causam præcipuam, intelligere primariam seu independentem.

Pag. 1163. 2. regula.] Notent Caluinistæ horrendam blasphemiam, qua Deum authorem peccatorum faciunt hîc expressè condemnari: & prædestinationem tantum erga bona opera statui, aut saltem erga pœnas æternas, quibus vere dignum & iustum est impios in impietate morientes affici.

Pag. 1169. Quatuor explicationes profert propositionis Apostoli 1. ad Timoth. 2. vult Deus omnes homines saluos facere, & ad agnitionem veritatis peruenire. Tres priores commendat & quartam tanquam Pelagianam condemnat. Verùm licet prima sit Augustini in Enchiridio cap. 103. nihilominus propter huius temporis hæreticos parumper est periculosa; vt enim impiam suam de reprobatione opinionem astruat Caluinus. 3. Instit. cap. 24. illam dicit ita intelligendam de generibus, scilicet singulorum, & non de singulis generum: itavt Deus ex omni sexu, ætate, conditione & statu, aliquos duntaxat saluare voluerit; nos tamen omnes & singulos. Secunda pariter est Augustini loco cit. Enchiridij, Prosperi Epistola ad Ruffinum & in responsione octaua ad Episcopos Galliæ. Tertia eiusdem Augustini de correptione & gratia, cap. 14. & 22. de Ciuitat. cap. 1. & 2. necnon D. Thomę in locum illum Apostoli. Quarta eo modo quo explicatur ab Ecclesia Lugdunensi explodenda est: certum est enim Deum non expectare nostras voluntates vel cooperationem earumdem, vt simpliciter & absolutè nostrum omnium salutem velit. Si tamen ita exponatur vt Deus voluntate antecedente omnes saluare velit quia sufficientia omnibus & singulis media ad salutem confert; verum, pium, Catholicum, & nullo modo Pelagianum sensum habet: Hunc enim tenent Ambrosius 2. de vocatione gentium cap. 1. 6. & 10. Prosper ad 1. & 2. Gallorum obiectionem, omnesque Scholastici in 1. dist. 46. vnico excepto Ariminensi.

Pag. 1174. pro multis & non pro omnib.] Affirmat Christum non fuisse passum pro his qui in infidelitate moriuntur, & passionem eius fuisse duntaxat pro multis, & non pro omnibus. Hæc autem benigna indigent interpretatione, non minus quam concilium Valentinũ can. 4. vbi damnat asserẽtes Christum sua merita pro impiis & qui in peccato moriuntur statuisse, diffinitq; precium sanguinis Christi oblatum fuisse ad multorum exhaurienda peccata, eorum scilicet qui credendo in Christum non pereunt, sed vitam æternam consequuntur: loquitur enim illud concilium, sicut & Ecclesia Lugdunensis, de merito & satisfactione quoad efficaciam; non autem quoad sufficientiam; quo modo pro omnibus omnino hominibus passus est, qua quidem distinctione facile est omnibus Ecclesiæ Lugdunensis rationibus occurrere, vt legendo cuiuis facilè constabit.

Pag. 1175. Cautè legenda est expositio horum verborum Isaiæ: Ego autem in vacuum laboraui, frustra con-

A sumpsi fortitudinem meam. Dicit enim Christum hoc loco ex persona membrorũ sub illa passionis & mortis ignominia infirmantium ac pene desperantium esse loquutum; & hoc conformiter suo dogmati, quod nempe Christus solũ pro electis passus fuerit, vt ideo in vacuũ minime laborauerit, verum satius est ea de Christo ipso exponere, paucorum salutem præuidente quamuis sufficientissimum, imò superabundantissimum preciũ redemptionis omnium hominum in ara crucis exoluisset.

Ibidem notent Caluinistæ hunc Psalmistæ versiculum. (Quare me dereliquisti? longè à salute mea verba delictorum meorum) non de Christo ipso, sed de illius membris esse intelligenda, quorum omnium peccata tanquam sibi propria imputabat; itavt hæsitatio & desperatio, cuius ibi fit mentio; non Christo (qui de sua salute anceps & dubius nunquam fuit, nec esse potuit) sed B illius membris attribuenda sit.

Pag. 1176. per quatuor fere annorum millia.] Ita varij sunt Chronistæ in annorum supputatione à creatione vsque ad Christum, vt iure de illis dici possit; Tot capita tot sententię: Communior tamen & certior est eorum supputatio, qui ex 70. Interpretibus & peruetustis Hebręorum codicibus dicunt quinque millia centum & nonaginta nouem à creatione ad Christum effluxisse. Communior quidem, quia est tam Græcorum, quam Latinorum, vt notat Baronius in Martyrologio: certior verò, quia hunc annorum numerum Ecclesia in Martyrologiis perpetuo retinuit.

Pag. 1177. Sed quia in ipso infideli populo.] Non minus C cautè ista legenda sunt; dicit. n. Deũ non orasse pro omnib. suis persequutoribus, vtpotè pro illis qui in cordis sui duritia obfirmarè erant perseueraturi. Hoc ab Hincmaro ad Nicolaum I. inter errores Gotescalchi recensetur, simulque refellitur: tum quia, inquit, fuit vetus error Prædestinatianorum; tum quia de eius persequutoribus dixit Petrus 2. Petri secundo. negantes Dominum qui eos emit, verum hæc verba Lugdunensis Ecclesiæ intelligenda sunt secundum efficaciam, vt ante diximus, illudque infra apertè subiungit. Quod autem illa oratio pro omnibus emissa, non fuerit erga omnes sortita effectum, nihil de virtute orationis Christi detrahit; quia vt obfirmatos respiciebat, oriebatur à voluntate conditionata & antecedenti, quod scilicet eius efficaciam vellet E eos experiri, dummodo ab obfirmatione cessarent: vt vero electos & conuertendos, à voluntate absoluta. Nisi malueris dicere orationem illam fuisse pro omnibus absolutam quia licet de facto omnes non resipuerint: habuerunt tamen illius beneficio media ad salutem necessaria & sufficientia, quod ad absolutam & efficacem voluntatem satest. Lege D. Thomam qu. 21 1. partis.

Pag. 1181. Ita immunda & inquinata sunt omnia.] Docet hic Lugdunensis omnes infideliũ actiones malas, immundas, & inquinatas esse; quod affirmant similiter sectarij huius temporis. Lutherus art. 36. à Leone damnato, Melanchton apologia confessionis Augustanæ, Bucerus lib. de concordia controuers. & Cal. lib. 2. Institut. cap. 3. Nonnulli etiam inter Scholasticos idem tenuerunt, sed non cum ea qua sectarij præsumptione, & au- F dacia. Greg. Ariminẽsis in 2. sententiarum dist. 4. quæst. vnica art. 2. coroll. 3. & Capreolus in 2. dist. 41. quęst. vnica art. 3. licet in quibusdam nonnihil discrepet: ex quibus videre est, sententiam Lugdunensis Ecclesię hac in parte non aduersari fidei, licet temerarium sit illud affirmare: certum enim est & commune tum apud patres, tum apud Scholasticos, posse ab infidelibus fieri quædam opera moraliter bona, Exodi enim. 1. laudantur obstetrices Ægyptiorum quod paruulos Hebræorum ad regis mandatum occidere noluerint 1. Reg. 17. narratur & commendatur commiseratio Bercellai Galaaditis erga Dauidem eiusque exercitum, lege Valentiam in 2, 2, qu. 10. de infidelitate puncto 2.

Pag. 1182. In præsentia Dom. Veniloni.] Hic fuit Archiepiscopus Senonẽsis secũdum Democharem in tabulis

Y

Episcoporum Senonensium: ex quibus coniice in variis conuentibus condemnatum fuisse Gotescalchum; in Moguntinensi nempe & Senonensi concilio, & forte tantum in Senonensi vapulasse, quia Hincmarus in tota illa Epistola ad Nicolaum I. nihil de virgis mentionem facit, sed solum eum sub arcta custodia in monasterio fuisse reclusum ne alios suis erroribus inficeret.

Pag 114 Accenso coram se igne.] Vide Gretserum disputatione de iure & modo prohibendi libros hæreticos, vbi exemplis Atheniensium & Romanorum libros deprauatæ doctrinæ fuisse exustos docet, idque non tantum lumine fidei sed & naturæ constare; ne ita ægrescant nouatores nostri si quos in Ecclesiam libros euomunt, generali incendio deleat Ecclesia.

Pag. 1197. In his verbis.] Quando arguit Lugdunensis Gotescalchum quod dixeris liberum arbitrium per peccatum non emortuū sed vitiatum & à Christo nō fuisse suscitatum sed sanatum, accipit liberum arbitrium pro bona & recta voluntate qua Deo per charitatem adhæremus. Quo sensu certum est illud omnino fuisse emortuum nec tantum vitiatum: tamen quia remansit in eo natura conuersionis capax, ita vt eam per congruam & efficacem gratiam possit obtinere, ideo hac in parte verba Gotescalchi benigne possent explicari, licet merito à partibus tum concilij Moguntinensis, tum Senonensis damnatus sit, quod illius verba contrarium sonarent nempe bonam & rectam voluntatem in homine post peccatum remansisse: vel dicito liberum arbitrium à Lugdunensi accipi pro actu dilectionis Dei super omnia, quem certum est omnino per peccatum deperdi.

Pag. 1208. Amalarium.] Sugillat & arguit Amalariū Lugdunensis tanquam omnium hęreseon illius temporis authorem & promotorem. Quis autem fuerit magis ignoratur quam scitur. Solum accipe ex doctissimo viro Nicolao Fabro sedulo antiquitatis peruestigatore, Florum Magistrum, quem Trecensem illum Episcopum arbitramur, qui contra Ioannem Scotum & Gotescalchum scripsit quamplurima, sed in iis quædam animaduersione dignissima; hic inquam Florus in Psal. 80. aduersus Amalarium scribens: Vis, inquit, comedere ipsum Dominum Deum tuum? Audi quid dicat: Dilata os tuum & implebo illud. Dilatate ora vestra, ipse est Dominus & panis, ipse hortatur nos vt comedamus: At ipse noster est cibus: quantum dilataueris tantum accipies, hęc ille. Ex quo coniecturæ locus relinquitur Amalarium illum vnà cum Ioanne Scoto fuisse Berengarij præcursores, & veluti antesignanos; quorum errorem nostri Eucharistomastiges iamdudum sopitum & extinctum ab orco suscitarunt.

Ibidem S. Ioannes] Legendum est Scotus Ioannes hic enim est ille cognomento Erigena, aduersus quem manus primum conseruit Ecclesia Lugdunensis.

Pag. 1213. Iā non solum sua sed etiam iniquitas patrum redit.] Contra D. Thom. qu. 88. 3. partis art 5. & cum eo reliqui Scholastici in 4. dist. 22. peccata semel remissa nunquam redeunt eadem numero, nec similiter amplius imputantur à Deo eo modo ac si non essent dimissa, quia ad Rom. 11. sine pœnitētia sunt dona Dei. Nahum. 1. Deus non punit bis in idipsum: & Ezechielis 18 Si impius egerit pœnitentiam omnium iniquitatum eius non recordabor, redeunt tamen per subsequens peccatum ratione ingratitudinis quæ illud multò grauius & culpabilius reddit, & ita exponenda sunt verba Ecclesiæ Lugdunensis, quæ etiam reperiuntur apud Hugonem Victorinum lib. 2. de sanctis parte 14. cap. vltimo. & glossam Gratiani de pœnitentia dist. 4. canone qui recedit.

Pag. 1225. In lib. quippe Genesis.] Aduerte Iulianum illum contra quem tribus libris disseruit Augustinus, accusasse Moysem quasi existimaris Deum non esse creatorem Angelorum, quia scilicet creationis ipsorum non meminerat, huic respondit August. & postea D. Thomas quæst. 61. art. 5. 1. partis creationem Angelorum insinuatam fuisse nomine cæli aut etiam lucis. Quæ tamen responsio multis non placet, quia in scriptura nomine cæli & terræ intelligitur cælum istud sensibile, & nomine pariter lucis lumen illud visibile, ita vt ęa expositio Lugdunensis Ecclesiæ mystica potius est quam literalia.

Ibidem naturalem possibilitatem.] Hanc dicit nos per peccatum Adæ amisisse. Sicut & Cœlestinus Papa, ca. 4. Apologiæ pro Prospero & Hilario. Sed per eam intelligit sanctam cogitationem, pium consilium, omnemque bonæ & rectæ voluntatis motum, quæ ante peccatum per iustitiam originalem inerant homini, non quidem tanquam naturæ proprietates, sed solum ab instanti creationis ipsius naturæ, quo sensu ab Ecclesia Lugdunensi dicitur naturalis possibilitas: vel dicito nomine naturalis illius possibilitatis significari ipsam originalem quia omnes facultates naturales tam animi quam corporis in debito quodam officio continebat, & hominem in statu naturę integræ, & per peccatum minimè sauciæ constituebat.

Sub finem videtur admittere prędestinationem respectu peccatorum. Sed hoc vel intellige de peccatis subsequentibus quæ vt plurimum pœnæ sunt præcedentium, tunc enim non in ratione peccati, sed in ratione pœnæ decerni & prædestinari posse à Deo affirmat Lugdunensis: hoc enim modo aliquam ęquitatis & iustitiæ vindicatiuæ rationem participant, verum quia nunquam ad quodlibet peccatum, siue præcedens, siue subsequens nos Deus præordinat (sequeretur enim Deum esse saltem subsequentium peccatorum authorem) ideo satius est respondere Ecclesiam Lugdunensem accipere hoc loco prædestinationem pro prouidentia, tantumque velle Deum habere prouidentiam peccatorum, quia vt aliquid sub prouidentiā cadat satis est, si hęc tria concurrant: primum vt à Deo fuerit ex omni æternitate præuisum, 2. vt absque Dei voluntate saltem permissiua non eueniat, 3. vt cùm euenerit ordinet illud Deus ad finem aliquem bonum. Cum ergo peccata sint præuisa & permissa à Deo atque etiam ordinata ad bonum finem, nimirum vt per illa declaret Deus suam iustitiam dum in illa animaduertit; aut misericordiā dum quædam benigne relaxat: negari non potest quin peccata diuinæ prouidentiæ subiaceant seu prædestinationi August. in Enchir. c. 11. & l. 1. de Ciuit. cap. 17. 18. & 25. Ambros. 1. de officiis, cap. 14. & 16 Euseb. lib. 8. pręparationis Euangelicæ cap. 5. & D. Thom. q. 22. 1. part. art. 2. ad 2.

Pro Cathecumenis.] Affirmat pariter Ecclesia sacrificium pro Cathecumenis & paruulis non baptizatis non esse offerendum. Cui suffragari videtur quod habet August. 1. de origine animæ cap. 8. Quis offerat sacrificium corporis Christi, nisi pro his qui sunt membra Christi quod refertur à D. Thoma, quæst. 79. art. 7. ad 2. Verum certum est eos tantum agere de publica & solemni oblatione, nam priuatim nihil obstat quominus pro iis sacrificium offeratur, excipe tamen paruulos absque baptismo mortuos: cum enim sint ex genere valde malorum propter peccatum originale, de quibus agit August. in Enchiridio cap. 109. pro his non est offerendum sacrificium, ne quidem secreto & in mente sacerdotis. Adde etiam vt optime docet Soatius, in art. 1. qu. 83. 3. partis D. Thomæ, non posse pro Cathecumenis aut paruulis nondum baptizatis offerri sacrificium, quasi fructum aliquem ex eo reportent tanquam ex opere operato, quia opus operatum sacrificij supponit personam suscepisse baptismum, qui est omnium, tum sacramentorum, tum fructus ipsius sacrificij ianua, potest tamen pro illis in ratione impetrationis offerri, quia per illud possumus à Deo impetrare vt ad baptismum perueniant non minus quam pro peccatoribus & infidelibus, vt à peccato & infidelitate recedant.

ETHERII

ETHERII EPISCOPI VXAMENSIS,

ET BEATI PRESBYTERI, ADVERSVS

ELIPANDVM ARCHIEPISCOPVM TOLETANVM

Libri duo,

DE ADOPTIONE CHRISTI, FILII DEI,

Anno CIↃ IↃC XVI.

EX BIBLIOTHECA TOLETANA IN LVCEM DEPROMTI.

Studio.

PETRI STEVARTII, LEODII, SS. THEOLOGIAE Doct. & in Academia Ingolstadiana Professoris.

AD LECTOREM.



VI sunt duo isti Auctores, quos hic tibi damus, & vnde, & quibus annitentibus, ex tenebris educti, intelliges ex illis, quæ paulò post subiungentur, testimoniis. Etherius variè scribitur, Heterius, Icherius, Hiterius; *arbitratu nimirum librariorum, quibus huiusmodi nomina varie scribi apta, si non ludibrium, certè ludus esse solent; à quo ludo* Beati *nomen tutum erat.*

Opus quod aduersus Elipandum ediderunt, eruditum est; tametsi non vbique grammaticum. Solæca enim & barbara, & ἀνακόλουθα *seu inconsequentia passim occurrunt. Nec mirum, in tanta barbarie, qua tunc Hispania premebatur, partim à Mauris, partim ab aliis peregrinis nationibus infessa. Sed his offendetur, qui rerum potius, quàm verborum amator est; aut si & verba non impolita amat, vt sanè amanda sunt; ea alibi quærenda, & ab aliis expetenda nouit.*

Disputant Theologi, an Elipandus fuerit verè Nestorianus, duas personas in Christo cum Nestorio statuēs; an verò tantum docuerit, Christum in vna persona esse filium Dei naturalem & adoptiuum; naturalem, secundum diuinitatem; adoptiuum, secundum humanitatem. Et quidem Nestorianum non fuisse nec propter Nestorianismum, sed propter assertam adoptionem Christi in vna persona, damnatum, aliquot argumentis probare conatur Gabriel Vasquez, Tomo primo in tertiam partem S. Thomæ, Disp. 89. cap. 8. Aliis secus videtur nempe Elipandum cum suo Felice Vrgelitano in Nestorij iam pridem anathemate percussam hæresin incidisse; & vtrumque vt Nestorianismi reum, in Concilio Francofordiensi, reprobatum esse; de quo copiosè Franciscus Suarez Tom. 1. in 3. p. D. Thomæ q. 23. Disput. 49. sect. 3. Quibus multum fauere videtur Paulinus Aquileiensis Episcopus, Lib. 1. contra Felicem, statim initio, cuius hæc sunt verba: Nec sibi sufficiebat tantummodo Christum, qui de virgine natus est, negare proprium esse filium Dei; sed etiam hunc eundem non consentit verũ esse Deum: sed nouo & inaudito sanctæ Dei Ecclesiæ nomine, nuncupatiuum Deũ nominare illum non timet, diuidens Christum in duos filios, vnum vocans proprium; alterum adoptiuum: & in duos Deos, vnum verum Deum; alterum, nuncupatiuum Deum. *Plura de hoc genere Nestorianismi indicia inuenies in illis septem libris Paulini contra Felicem; qui libri non ita pridem euulgati sunt Tomo secundo Auctarij ad Bibliothecam SS. Patrum, quorum lectio multum lucis Etherio & Beato nostro accendet; vt & Synodus Francofordiensis contra Elipandum & Felicem, Anno Redemptoris 794. Temporibus Adriani I. & Caroli Magni celebrata; quæ tota, prout quidem hodie exstat, conficitur ex Epistola Adriani Papæ ad Episcopos Galliciæ & Hispaniarum; & ex Libro Sacrosyllabo, qui à Paulino Aquileiensi compositus est, sed iussu totius Concilij, & ad Hispaniæ Episcopos transmissus; & ex Epistola Synodi ad eosdem Episcopos; Denique ex Epistola Caroli Magni ad Elipandum.*

Contra eundem Elipandi & Felicis Vrgelitani errorem duo alia Concilia habita sunt, nempe Foroiuliense, & Reginense seu Ratisbonense, de quibus consule Tomum tertium Conciliorum.

Orthographiam Gothici Codicis scrupulosè retinere haud necessarium duxi: Num enim ideo doctior eris, si deserta hodierna scribendi ratione, scribas, adobtiuus, paruolus, profera, inluminantus, quam ammirabilis, proterbe, kareo, assumtio, cotidianus, ammoneo, intellego, Diabulus *& similia, quæ ad Criticorum tribunalia libenter ablegamus.*

DE ELIPANDO TOLETANORVM ARCHIEPISCOPO.

IOANNES MARIANA SOCIETATIS IESV, ANNAlium Hispaniæ Liber VII. Cap. VIII.



RANDE de Religione dissidium accessit. Mali auctores, præcipui Fœlix in Ilergetibus Vrgelitanus Præsul, atque Elipandus in Carpetanis Archiepiscopus Toletanus, non insulsi viri ingenia, neque eruditionis expertes, vt in tantis tenebris, tantaque malorum omniū colluuio: in qua non offendere, non fædari miraculi instar esset. Quis enim in grauissima seruitute litteris locus cum oppressi vectigalibus, vitæ necessaria subsidio comparare cogebantur. Silebant Ecclesiastica concilia, quibus disciplinam Ecclesiasticam astringere, & reipublicæ vulnera sanare, veteri instituto susceptum erat. Proceres & populus pro se quisq; vt collibitum erat, ita vitam instituebant, atque de rebus diuinis nullo prohibente pro voluntate, proque arbitratu singuli sentiebant, quæ magna pernicies est. Ex impiæ gentis vsu prauas sæpe opiniones in Christianorum gentem redundare propemodum erat necesse. Nestorij placita Concilij pridem Ephesini diligentia sopita, quasi veteris incendij scintillæ in Hispania iis auctoribus suscitatæ sunt, Christum affirmantibus qua parte certè homo est, Dei filium adoptione esse, contra fas, contra auspicia, contra omnes diuinas & humanas litteras, & religiones. Quis enim natura & adoptione filius simul idem esse possit? cum adoptione filius patris tantum benignitate, nulla necessitudine sit quasi ad alieni iuris hæreditatem admissus, quod qui asserat, Christi geminam hypostasim fateatur opus est.

Felicem propter locorum vicinitatem, & quoniam in eam Hispaniæ partem, Gallorum arma annis superioribus penetrarunt, Gallum natione fuisse vulgò nonnulli suspicantur. Elipandus ex antiqua Gotthorum gente prognotus erat. Pugnabat pro illis pontificia ipsorum auctoritas, & celebrati nominis fama. Erroris auctores laudabant Eugenium Illefonsum, Iulianum, multis præterea diuinarum Scripturarū locis ad patrocinium abutebantur: quibus Christum qua homo est, minorem patre dici satis constat. Et vt erant ardenti ingenio, missis in omnes partes litteris ac libris, cæteris omnibus susceptas opiniones instillare, fucata oratione, atque persuadere satagunt: Ad Asturum & Calæcorum Episcopos Elipandus, pro ea auctoritate, quam in alias Ecclesias obtinebat præcipuam & maximam, litteras dat: ac nominatim Adosindam Silonis Regis viduam, in fraudem impellere conatur. Illa vti erat necesse, sui iudicij esse negat, de controuersia pronunciare: remque integram ad Episcopos defert & sacerdotes, sanctissima & prudentissima fæmina: in quo numero erat Beatus Presbyter, & Heterius Vxamensis Episcopus, quorum extat aduersus Elipandum disputatio non inelegans, opusque spissum, operosum & vastum: sed quoniam validis argumentis mendacium arguit, bene esse operam collocatam Lectores iudicabunt. Controuersia agitata, & quoniam conatibus par successus non erat, Elipandus quidem Toleto profectus, Astures & Calæcos obiuit, iisque in locis multos praua opinione infecit pestifero oris afflatu. Felix Vaccæos primùm in Hispania, & Septimaniam in Galliæ aditu aggressus est: deinde reliquam Galliam atque Germaniam nullo operæpretio: cum passim summi, medij, infimi, ad insolentiam nouæ vocis exhorrescerent, & errorem cum auctoribus palam detestarentur. Concilia Episcoporum iis in regionibus habere promptum erat.

In visum Marianæ, quia opus Beati & Etherij in spisso & vasto Codice scriptum erat, Ratisbonam.

Itaque inuenio apud Reginum Baioariæ ciuitatem, coram Carolo Magno Francorum Rege, in Episcoporum conuentu Felicem damnatum salutis anno septingentesimo nonagesimo secundo. Inde Romam missum, coram Hadriano Pontifice abdicasse, simulato certe animo. Qua de causa nouum Episcoporum conuentum haberi Francofurti in Germania necesse fuit anno septingentesimo nonagesimo quarto, præsente Carolo Magno. Missi Roma Legati Theophylactus & Stephanus Episcopi: ex Hispania Beatus, & Hetherius Vxamensis Episcopus pro Catholicis Legati. Neque se mali auctores deserunt in periculo: Carolo ipsi libellum supplicem afferunt, postulantes, vt præsens in ea controuersia disceptaret: & multorum potius iudicium sequeretur, quàm se paucorum dolis circumueniri sineret. Re discussa, praua opinio cum auctoribus reprobata est: ac nisi mutarent Felix & Elipandus, sacrificiis interdicti. Felix, vt Ado Viennensis est auctor, Patrum sententia relegatus est, & Lugduni, nunquam errore deposito, extremum vitæ diem clausit. Sic opinio hominum fuit, vsque adeo difficile est fixam perperam de Religione sententiam mutare, imbutamque praua persuasione mentem traduci ad sanitatem.

Vide Gabrielē Valquez Tom. 1 in 3. p. D. p. 80 cap. 12.

Quid Elipando contigerit, clam est: ac credam potius sententia Patrum obtemperasse, prauaque opinione deposita mutasse, neque ex Hispania extulisse pedem, neque Reginum, Romam, aut Francofurtum adisse, persuasum habeo. Veteres Eugenium, Illefonsum, Iulianum Carolus quidem accusat iis litteris, quas ad Elipandum & cæteras sacerdotes Hispaniæ scripsit: neque mirari se ait, filios patribus similes existere. Heterius negat in eorum scriptis simile quippiam extare. Ex Felicis sanè Schola aliquanto interuallo Claudius Taurinensis Episcopus, homo Hispanus, versatusque aliquandiu cum nonnulla ingenij laude in Ludouici

Augusti

Augusti cognomento Pij aula, ad priorum commenta, tum alia, tum imagines diuorum è templis Christianis exturbandas esse affirmauit. quem Ionas Aurelianensis æqualis, de Scripto diligenter atque accurate impugnauit.

GABRIEL VASQVEZ TOM. I. IN III. PARTEM D. THOMÆ DISPVT. 89. CAP. I.



ODEM *tempore, quo Elipandus apud Toletanos hanc sententiam* (de adoptione Christi) *tanquam veram, & Catholicæ Ecclesiæ doctrinæ minime contrariam docebat, (neque enim ad ea vsque tempora quidquam de hac re aperte definitum, aut in Scripturis expressum habebatur) Beatus Presbyter apud Astures, vir in sacris litteris eruditus, Elipando se opposuit, & illius doctrinam tanquam de errore suspectam notare cœpit: cui adhæsit Heterius Episcopus Vxamensis, qui tunc fugiens Maurorum tyrannidem, apud Astures cum multis aliis Episcopis exulabat. At Elipandus pro ea auctoritate, quam in alias Ecclesias obtinebat maximam, indigne ferens à Beato, & Heterio suam doctrinam, quam ipse Catholicam putabat, erroris insimulari, ad Fidelem Abbatem, qui etiam apud Astures commorabatur, litteras dat mense Octobri anni 783. quo mortuus est Rex Silo, & Mauregatus regnum primum occupauit. Hac Epistola habetur in principio libri, quem contra ipsum Elipandum Beatus & Heterius conscripserunt. In ea autem conqueritur Elipandus, quod ipse Archiepiscopus Toletanus cum esset, quem cæteri in Hispania, vtpote supremum Præsulem, de fide consulere deberent, à Presbytero Beato, & Heterio Episcopo erroris argueretur. Scripsit etiam se eo animo esse, vt speraret, hæresin Beatianam (sic enim vocat sententiam Beati & Heterij) breui ab ipso extinguendam: quemadmodum ante paucos annos hæresim Megetianorum de celebratione Paschatis, Hispali conuocato Concilio, ipse damnauerat. Fidelis Abbas nihil de hac re ad Beatum, & Heterium scripsit: sed cum illi mense Nouembri anni sequentis ad eum casu venissent, litteras Elipandi ipsis ostendit: quibus perlectis Beatus & Heterius suam sententiam Elipando apertè exposuerunt, & libro de ea composito, multis Scripturæ testimoniis confirmarunt. Huius antiquissimum exemplar manu Gothica scriptum, in Bibliotheca Toletana seruatur: in cuius initio prædicta Epistola Elipandi continetur. Ex qua Ambrosius Morus, lib. 13. historiæ Hispaniæ, cap. 26. totam hanc historiam texuit. Idem Vasquez Disp. 80. cap. 10. Beatum & Heterium non possum non admirari, quod tam calamitoso tempore, quo dira Maurorum tyrannide Hispania nostra opprimebatur, rem vsque adeo obscuram sui ingenij acumine, & eruditione illustrauerint.*

PAVLINVS AQVILEIENSIS EPISCOPVS, LIB. I. CONTRA FELICEM VRGELITANVM, TOM. II. AVCTARII ad Bibliothecam SS. Patrum.



VOD *verò quendam Beatum Abbatem, & discipulum eius Hetherium dicitis huic vestræ Sectæ primum contraire, laudamus eos in eo, quod veritatem defendere conati sunt. Sed verum est, quod dixistis, eos duas naturas Christi in vnum confundere, sicut vinum & aquam, hoc nullatenus consentimus, sed in eo, si verum est, valde eos esse reprehensibiles iudicamus.*

ANNOTATIO.



Elix iniuriam fecit Etherio & Beato. nihilminus senserunt, aut docuerunt. Sed solenne est hæreticis, veritatis doctores calumniis onerare; Nam & hac ætate Vbiquetarij Catholicos Nestorianismi mendacissimè insimulant; eo quod nonnum Eutychianismum, quem isti cum sua Vbiquitate procuderunt, totis viribus oppugnent.

R. P. IACOBO GRETSERO AND.

SCHOTTVS S. D.



ITTO, vt postularas, tandem aliquando Apologeticon Eterij, & Beati aduersus Elipandum Toletanæ sedis Archiepisc. dum à veritate de filio Dei aberraret, descriptum è Toletana Bibliotheca, curante nobis R. P. Io. Mariana, nostro; qui cum olim pie se suauiter in Carpetanis si vximus, vt tametsi loci interuallo maximè disiuncti simus, amemus tamen inter nos charitate singulari: amisso iam P. Ribadeneyra, Toletano: vt ipse Elborensis est, quæ vrbs in iisdem Carpetanis Talauera vulgo indigitatur, vt in Annalib. Hispaniæ disseruit, senex admodum plenusque dierum, octogenario maior, sed qui ætatem bene portet, etsi aduersis conflictatus, sed qua patientia, constantiaque sua iam superarit. Equidem σύνταγμα, dum longius fieret, vt ad te perferri commodo posset, recensui ipse, & S. Scripturæ adscriptis locis nonnihil illustraui, vt si quos fortè offendat, aut argumentum, sacram rem tractari videant; aut styli molesta sit humilitas, ad aurem sibi illud accini patiantur, meminerint, & etiam atque etiam considerent, quibus hæc conscripta agitataque temporibus, cùm mutæ tacerent litteræ atque iacerent, & Gothica barbaries omnia vi teneret, neque doctorum, librorumne bonorum suppeteret copia. Legere tamen atq; illustrare graue ne sit, & publici esse iuris permittas, qui tam multa hodie pro Ecclesiæ in terris militantis bono euulgas, vt πανηγύρει audias, faueantque pij, laboribus ab athleta CHRISTI *quotidie susceptis. Adicies & coronidis vicem fasciculolo,* Andronici *cum Iudæis dissertationem Græcè conscriptam, è Ioan. Leuinij Gandensis Bibliotheca. Si fortè qui Cantacuzenos euulgasti, extrudere vna placeret, Latina ciuitate vtcunque ab illo donatam, limatamque acri tuo iudicio. Vale, nosque precibus mutuis sacrisque iuua. Antuerpiæ, 15. Martij, 1615.*

EMINEN-



EMINENTISSIMO, NOBIS ET DEO AMABILI ELIPANDO, TOLETANÆ SEDIS ARCHIEPISCOPO,

ETERIVS ET BEATVS.

In Domino salutem.



LEGIMVS litteras Prudentiæ tuæ anno præsenti: & non nobis, sed Fideli Abbati mense Octobri in Era. DCCC. XXIII. clam sigillo directas: quas ex relatu aduenisse audiuimus, sed eas vsque sexto Kalendas Decembris minime vidimus. Cumque nos ad Fratrem Fidelem, non literarum illatum compulsio, sed recens religiosæ Dominæ Adosindæ perduceret deuotio, audiuimus ipsum libellum aduersum nos & fidem nostram cuncta Asturia publicè diuulgatum. Et cum fides nostra vna esset indissoluta, cœpit inter scopulos fluctuare nauicula; & duæ factæ erant. Postea cum tranquillitate, non bipertita, sed tantùm videretur vna, tunc conloquentes ab inuicem diximus: Dormit Iesus in naui. & hinc inde fluctibus quatimur, & tempestate molestias sustinemus, quia importabilis excitatus est ventus nulla salus in nobis esse videtur, nisi IESVS excitetur: & corde (Matt. 8. 25) & voce clamãdum est, vt ei dicamus: *Domine, salua nos, perimus. Tunc surrexit Iesus*, qui in nostra dormiebat naui, qui cum Petro eramus. Tunc *imperauit vento & mari & facta est tranquillitas magna.* Ex tunc, Deo miserante, non turbatur ista, quæ Petrum habet: sed turbatur illa, quæ Iudam habet. Quomodo enim turbari poterat, cui præerat ipse, in quo Ecclesiæ firmamentum est?

Plerique tamen ex nostris, etiam remigatores fortissimi, nimis formidabant, quia longius à terra, id est, à corpore *Christi* in alto pelago nauicula fluctuabat: quia (Luc. 5. 4.) dixerat Dominus Petro: *Duc in altum retia*, hoc est, in profundum disputationum, & pelagus scripturarum. Quid enim tam altum, quàm altitudinem diuitiarum videre? Quid etiam tam profundum, quàm * scire Dei filium, & diuinæ generationis professionem assumere? (* ingressio-nDei filium, & illo professum, alienũ mea est ab aliis sequitur) Quia licet humana mens non possit plenè rationis inuestigatione comprehendere, fidei tamen plenitudo complectitur. Nam etsi nõ licet nobis scire, quomodo natus est Dei filius, scire tamen nobis licet & credere, quòd verè natus sit. Fortes estote, nun formideris: nobiscũ est (Matt. 28. 20.) ille, pro quo hæc intẽtio vertitur. *Ecce ego*, inquit, *vobiscum sum omnibus diebus, vsque ad consummationem sæculi*. Neque enim nobis tam dura intentio esset, nisi Virgo peperisset, & quia Virgo peperit intentio est: & quia Virgo peperit Emmanuel, hoc est, nobiscum Deus, ipsum credimus, & adoramus, quia nullus alter Deus est. Denique in persecutione quid quæritur, nisi vt Deum *Christum* negemus? Itaque, qui non confitetur *Christum* Deum verum, *Mariæ* Virginis filium, natum ex Deo vero, veniam non merebitur. *Sed & quicumq; spiritus non confitetur Christum in carne venisse, ex Deo non est, & ipse est Antichristus*. (1 Ioan. 4. 2.) Qui enim hominem negauerit, Deum negauit quia Deus homo est: & homo Deus est: & Deus & homo vnigenitus *Christus* filius Dei est. Petrus enim, qui hanc nauiculam regit, hominem negauit. Sic enim ait: *Non noui hominem*. Non enim dixit: Nõn oui Deum, aut filium Dei: Sed cum hominem negauit, filium Dei (Matt. 16. 13) Deũ negauit. Et cum ab homine interrogaretur. *Quem me dicunt filium hominis?* tunc homo homini respondit, & ait: *Tu es Christus filius Dei viui*. Ipsum Christum filium Dei viui negauit, cũ̃ dixit: *Non noui hominem*. (Matth. 27. 72.)

Sed vbi negauit, Christus ligatus tenebatur: Ante præsidẽ stabat: Alapis & colaphis cædebatur: Conspuebatur. Nox erat, tenebræ erant, frigus erat: in prætorio erat: ancilla ostiaria ostium clausum tenebat. Adhuc (Ioan. 7. 39) Spiritus S. plenius Petro non fuerat *datus, quia adhuc Iesus non fuerat glorificatus*. Vbi vero confessus est *Christũ* filium Dei, non erat ligatus *Iesus*, neque solus: sed multitudo sequebatur eum quorum mortuos suscitabat. cæcus inluminabat, leprosos mundabat, Dæmones effugabat, & diuersas infirmitates curabat: quærit ab hominibus, quis habeatur in populis egregius ille. Cum illi diuersas opiniones proferrent, & alij dicerent. Tu es *Elias*, alij *Ieremias*, alij, *Tu es Ioannes Baptista*. alij, *Tu es Propheta*; tunc Petrus inter omnes, sine aliqua dubitatione (Matt. 16. 16) dixit: *Tu es Christus filius Dei viui*. Exclamat Dominus beatum, cui non caro istud & sanguis reuelasset: sed Pater eius, qui esset in cælis. Tunc & petra vocatus, postquam angularem petram illum primus agnouit. Hęc est Petra, de qua Pater dixerat per Esaiam Prophetam: *Ecce, mittã in fundamentis Sion Lapidem probatum, electũ, angularem, preciosum: & omnis qui crediderit in eo, non confundetur*. (Esa. 28. 16 & c. 8. 4.) Et vtique in Lapidem, in quem credere mãdat, Deus est. De qua petra Paulus Apostolus dixit: *Petra autem erat Christus*. (1. Cor. 10. 4) Et † quia omnes sancti, qui in Christo fundati sunt, lapides, & petræ scribuntur: sed cum in sacro eloquio singulari numero petra vel lapis nominatur, solus Christus accipitur. Cum vero *petra* pluraliter appellantur, membra videlicet sancti viri, qui illius robore solidati sunt, † experiuntur. (†P quodẽ.) Quos nimirum Petrus Apostolus *lapides* vocat, dicens: *Vos tãquam lapides viui coædificamini domus spiritualis*. (1. Pet. 2. 5. † Exprimuntur) Qui omnes non à Petro, & quod Petro dixit, *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*, non soli Petro, sed nobis omnibus dixit. Et quod Petro dixit: *Non reuelauit tibi istud caro, & sanguis, sed Pater meus, qui in cælis est*; nun solum Petru, sed (forè intel-) & nobis, qui sic credimus vt Petrus, & hodie dicit. Nam cum nos hodie dicimus corde, & ore coram omni Ecclesia, *Tu es Christus filius Dei viui*; protinus ille respondet: Non reuelauit vobis istud caro, & sanguis, sed Pater meus, qui in cælis est: hoc veritas dixit vni, quod omnibus sufficit. Hoc nos omnes credimus, quod ille solus confessus est.

Cui caro, & sanguis reuelauit, dicat: Tu es adoptiuus humanitate, & filius Dei viui secũdum diuinitatem, non enim Petro caro, & sanguis reuelauerat hoc, quod dixit: *Tu es Christus filius Dei viui*. Cuius caro, & sanguis? Nunquid nam Petri, † ipsius caro obstaret. & sanguis, vt *Christus* Dei filius diceretur? Nõ planè, sed ipsius Domini caro, & sanguis. In qua carne, & sanguine, dum homo videtur, quod assumpserat Deus, non credebatur esse quod erat. Impossibile enim omnibus videbatur, vt Deum crederent, quem hominem viderent. Et tamen illam maiestatem, in qua habitat omnis plenitudo Diuinitatis corporaliter, quam ipse non capit mundus, in corpusculo despectę etiam imaginis inclusam ait: Non hæc caro mea tibi esse me Dei filium reuelauerunt; quia

°F. mea ista · me, id est, caro mea, & sanguis non promittunt Dei filium credi. Denique & Propheta iam dixerat: *Et homo* An Isa 35.5. *est, & quis agnoscit eum?* Apertè ergo illi secundum oculum iudicantes, me autem Eliam aut Prophetam, aut vnum aliquem de Prophetis loquuntur, quia me hominem omni habitu carnis agnoscunt. Sed tibi reuelauit Pater meus, qui in cœlis est.

A

Quando reuelauit? Quo tempore Deus cum Petro locutus est? Reuelauit tibi, inquit, Pater meus, qui in cœlis est. Ac si apertè diceret: Operibus credidisti, quæ me loquuntur filium Dei. Vidisti me mortuos suscitare, cæcos illuminare, surdos facere audire, & mutos loqui, super aquas sicco vestigio ambulare, ventis imperare, infirmos verbo sanare. His operibus credidisti, quæ me loquuntur filium Dei. Nam & illi me ista facere viderunt, qui me vnum ex Prophetis nuncupauerunt: quia omnes mendacium dixerunt, quia de suo dixerunt, non de Patre reuelatum habuerunt. Qui enim *de suo loquitur mē-* Ioan 8.44. *dacium loquitur:* quia qualem me videt, talem me putat esse. Qui enim de Patre audit, veritatem dicit, quia de veritate haurit, & de veritate certificat.

B

Quid est veritas? Tu es Christus filius Dei viui. Ipse enim Christus hoc dixit: *Ego sum via, veritas, & vita:* Nō Ioan 14.16 enim nos interfuimus, cum ex Patre filius nasceretur: sed interfuimus, cum à Patre Dei filius diceretur. Solus Pater dixit: *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene* Matt 17.5. *cōplacui: ipsum audite* omnis anima. Nā cum omnis anima dixit, nobis omnibus dixit. Omnis enim anima omnis homo dicitur: sicut est illud in Genesi: *Septuaginta* Gen. 46.27 *animæ ingressæ sunt in Ægyptum cum* Iacob. Per tot homines Pater clamat de cęlo nobis in terra hominibus, vt filiū suum audiamus. Credamus ei, & prædicemus eum coram hominibus, proprium esse filium Dei. Quid primò dubitamus? Si Deo non credimus, cui credimus? Omnia enim, quæ credimus, vel visu credimus, vel auditu. Visus aliquando fallitur: auditus *tamen* in fide est. F. tantùm. Fuerunt tunc qui Christum viderunt, & crediderunt. Fuerunt qui viderunt, & non crediderunt. Sunt nunc qui Euangelium audiunt, & Christum coram hominibus Dei filium crucifixum confitentur; & sunt qui eum Dei filium coram *omnibus* non esse contendunt. Into- Forte, hominibus nant Prophetæ. Euangelium clamat, & idem filius per Ioan 17.1 Euangelium suum dicit: *Pater, clarifica filium tuum, vt* Ioan 12.28 *filius tuus clarificet te.* Pater ei dicit: *Clarificaui, & iterum clarificabo* Pater veritas, quia testificatur veritatem; Clamat veritas veritati, de quo est ipsa veritas. Respondit veritas veritati, quia in hunc mundum non sibi: sed nobis misit hanc veritatem. Venit veritas ad mendaces; & putamus, quod eam possumus facere, non credendo mendacem?

C

D

Veritas dicit per os carnis suæ: *Filius Dei sum.* Et, *qui* Mar. 14.62 Luc 10.16. *negat me, negat eum, qui me misit.* Et præsumet aliquis *hoc* Euangelium dissoluere? An ex parte oportet credere Euangelio, & ex parte non credere? Qui non credit Euāgelio, non credit filio, cuius est Euangelium. Et qui non credit filio, non credit Patri, qui misit illum. Neq; enim regem diligimus, si eius leges odio habemus. Qui Patri, & Filio ista dicenti non credit, mendax est, quia Deum putat esse mentitum. Si viri boni dicerent, nefas putaremus esse, non credere. Deus asserit probat Filius: tremēs terra testatur: infernacaptiuos absoluunt: maria obediunt: elementa seruiunt: petræ scinduntur: Sol obscuratur; & hæreticus, cum esset rationalis, filium Virginis non esse Dei filium causatur.

E

Quis est Dei filius, nisi Iesus, quē virgo peperit Maria? Ipsum nobis promisit per Prophetam Pater, dicens: *Reuelabitur enim vobis filius meus Iesus.* Hoc nomen & An- Luc. 1.35. gelus Virgini nunciauit: *Vocabis*, inquit, *nomen eius Iesum, hic erit magnus, & filius Altissimi vocabitur.* Poterat dicere tunc, si verum esset, quod dicitis: Vocetur Iesus adoptiuus filius Altissimi humanitate, & nequaquā Ioan 3.16 adoptiuus diuinitate. Poterat & filius dicere: *Sic dilexit Deus mundum,* vt filium suum adoptiuum daret in mūdo, vt omnis, qui crediderit in eum, non pereat. Et vtiq; missio eius homo est: & nihil aliud potuerunt in eo videre increduli, qui eum crucifixerunt, nisi tantum hominem. Et eum hominem crucifixerunt, filium Dei crucifixerunt, Deum crucifixerunt. Pro me passus est Deus meus: Pro me crucifixus est Deus meus. Et quid dico pro me? Pro omnibus passus est Deus noster. Dicamus ergo: *Surge Deus, iudica terram.* Cui Deo dicitur, surge, nisi ei, qui mortuus est? Cui Deo dicitur: Iudica terram; nisi ei, qui à Iudæis iudicatus est? Surge Deus, iudica terram, Psal. 81.8 qui iudicatus es à terra. Vnde & in Psal. 81. dicitur: Deus stetit in synagoga Deorum, in medio autem Deos discernit. Et vtique qui Deos discernit, Deus est. Et non est Deus inter Deos, vt hæretici asserunt, sed Deus deorum est: Ille, qui dixit: *Ego dixi Dij estis, & filij excelsi,* ipse est Psal. 81.6 Deus excelsus filius Virginis: de quo Propheta iam dixerat: *Ecce Deus excelsus in fortitudine sua veniet, & nullus* Isa. 40.10 *est similis. Quis poterit scrutari vias tuas?* Cuncta considerans: & nomen eius supra terminos terræ. Ipse est Dominus dominorum, qui est Deus deorum. Et sicut non de dijs multis est: itaque de dominis multis: sed vnus Dominus Deus, Apostolo attestante, qui ait: *Nullus* 1. Cor 8.5 *Deus, nisi vnus. Nam si sunt qui dicantur dij, siue in cælo, siue in terra, si quidem sunt dij multi, & Domini multi: nobis autem vnus Deus Pater, ex quo omnia, & nos per illum, & vnus Dominus Iesus Christus, per quem omnia,* & nos per ipsum. *Sed non in omnibus est scientia.* Ipse est Christus Christorum, qui Dominus dominorum, & Deus deorum.

Sed non est de illis Christis, de quibus dictum est: *Nolite tangere Christos meos.* Sed neq; de illis, de quibus Ps. 104.15 hæretici dicunt: Et ille Christus, & nos Christi. Et quamquam & Sancti Christi sint, & domini sint, & dij sint: sed nullus ex illis absolutè dicitur vno sermone Christus Iesus Deus noster. Nullus ex illis dictus est, *Christus Dei* 1. Cor 1.24 *virtus & Dei sapientia.* Nullus ex illis mortuus est pro mundo. Solus iste. Nullus ex illis propria voluntate natus, aut propria voluntate creuit, aut propria voluntate mortuus, aut quando voluisset, posuisset animam, aut quando voluisset, resumeret; sed solus iste. Sic enim ait Iudæis *Soluite templum hoc, & triduo suscitabo illud.* Nō Ioan 2.19 dixit: Soluite templum hoc, quem Pater suscitet: sed ego suscitabo illud. Et in Psalmo tertio ait: *Ego dormiui, &* Psal. 3.6. *exsurrexi* Hoc totum libera Christi potestas eius, qui potestate sua mortuus est, potestate sua resurrexit Et qui potestatem habet, Deus est: & non quislibet Deus, sed omnipotens, qui omnia potest. Et nullus potest facere, quod fecit, & facit omnipotens Deus. Nam quia & Pater eum suscitauit, dicit in eodem Psalmo: *Dominus suscitauit me.* Dominum dicit, quem Patrem habet. Nā si eum Patrem non haberet, Petrus Apostolus de eo non diceret Iudæis: *Dominus Deus Patrum nostrorū suscitauit filium suum Iesum, quem vos interemistis.* Seruus dictus est Act. 3.13. Patris, quia semetipsum exinaniuit, id est, semetipsum mundo visibilem ostendit. Quia *formam serui accipiens,* Philip. 2.7. inquit Apostolus, *in similitudinem hominum factus est, habitu inuentus vt homo.* Et ideo Patris est seruus, qui cum Patre est vnus Dominus, & vnus Deus. Veruntamen ipse sibi nec Dominus, nec seruus est. Solius Patris est seruus, quia facit voluntatem Patris, vt ipse de semetipso ait: *Non veni voluntatem meam facere, sed voluntatē eius,* Ioan. 6.38. *qui misit me Patris.* Non hoc loco dixit voluntatem Dei facere, sed Patris. Quamuis enim Deum suum Patrem dixerit, cum Deus sit, etiam ipsa natura, & de illius essentia: tamen nullatenus ignoramus, quod manens, homo quoque factus sit, qui sub Deo iuxta debitam legem naturæ † humanitatis existeret. Ipse verò sibi quomodo Fort. humanæ Vel Deus poterit esse, vel Dominus? Ergo solius Patris est seruus, non sibi seruus: non suus seruus. Non sibi Dominus, non suus Dominus. Sicut solus Patris est filius, non suus filius, non sibi filius; sicut ipso maior & minor. Et ideo in quo maior sibi ipsi, æqualis est Patri: in quo minor sibi ipsi, minor est Patre. In quo minor Patri,

Domi-

Dominus omni creaturæ. In quo seruus Patri, Dominus cæli, & terræ, id est, Angelorum, & hominum, Paulo Apostolo attestante, qui ait: *Humiliauit semetipsum vsq; ad mortem. mortem autem crucis. Propter quod & Deus Pater exaltauit illum, & donauit illi nomen, quod est super omne nomen, vt in nomine Iesu.* filij Matris Virginis, *omne genu flectatur Cælestium, terrestrium, & infernorum: & omnis lingua confiteatur, quia Iesus in gloria est Dei Patris.*

Phil. 2. 8.

Nulli enim Angelorum dixit Pater; Filius meus es tu, ego hodie genui te. Peto à me, & dabo tibi gentes hæreditatē tuā, & possessionē tuā terminos terræ. Reges eos in virga ferrea, & tanquam vas figuli confringes eos. Ad Angelos quidem dicit: Adorent illum omnes Angeli Dei. Ad filium autē dicit: Thronus tuus Deus in sæculum sæculi: virga æquitatis, virga regni tui. Dilexisti iustitiā, & odisti iniquitatē, propterea vnxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis. Et, tu Domine initio fundasti terram; & opera manuū tuarum sunt cæli. Ipsi peribunt, tu autem permanes: & omnes, sicut vestimentum veterascent, & sicut opertorium mutabis ea, & mutabuntur: Tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient. Filij seruorum tuorum inhabitabunt, & semē eorum in sæculum sæculi dirigetur. Hoc Ecclesia de Christo dicit. Et quia in hoc mūdo minoratus venit paulò minus ab Angelis, & non solum Angelis, sed etiam hominibus, quia minor erat parentibus suis, † & ante possessionem, ante mortem, ante resurrectionem. Nam postquā resurrexit à mortuis, dixit discipulis suis: *Data est mihi potestas omnis in cælo, & in terra. Sicut me misit Pater, & ego mitto vos. Hoc cum dixisset, insufflauit, & dixit eis: Accipite Spiritum sanctū: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: & quorū retinueritis, retēta sunt.* Et quia Spiritus sanctus de Patre, filioque procedit, ipsum Spiritum sanctū insufflans Apostolis vt manifestius ostenderetur, quod † præesset filius Dei, à quo procedit Spiritus sanctus, & ipsa est tertia in Trinitate persona: qui donum Patris, & filij dicitur; quem tunc dedit, & postea de cælo misit, vt ostenderet dilectionem Dei, & proximi, secundum illa præcepta, *in quibus tota lex pendet, & Prophetæ.*

Hebr. 1. 5. 8. — † F sed. — Matt. 28. 18. — Ioan. 20. 22. — † F. quod ipse esset. — Matt. 22. 40.

Semel in terra dedit Spiritum sanctum propter dilectionem proximi: & secundò dedit de cælo propter dilectionem Dei. Nam cùm insufflauit, & illi accepissent Spiritum sanctum, dixit eis: *Ite baptizate omnes gentes, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.* Vbi maximè cōmendatur hæc Trinitas, † dubitare non debemus. Ipse est igitur Spiritus sanctus, qui etiam de cælo datus est die Pentecostes post dies decem quando Dominus ascēdit in cælum. Quomodo non est Iesus Christus Deus Dei filius, qui de Virgine natus est Deus verus, qui dat Spiritum sanctum? Imo quantus Deus est, qui dat Deū? Neque enim aliquis discipulorum eius dedit Spiritum sanctum. Orabant quippe, vt veniret in eos, quibus manus imponebant: non ipsi eum dabant. Quam consuetudinem in Episcopis etiam nunc seruat Ecclesia.

Matt. 28. 19. — † Videtur aliquid deesse. — Act. 8. 15.

Denique & Simon Magus offerens Apostolis pecuniam, non ait: Date, & mihi hanc potestatem, vt dem Spiritum sanctum: sed, *cuicunq; imposuero manus accipiat Spiritum sanctum* Quia neq; scriptura superius dixerat: *Videns autē Simon quod Apostoli darent* Spiritū sanctū: sed dixerat: *Videns autē Simon, quod per impositionem manuum Apostolorū daretur Spiritus sanctus.* Propter hoc & Dominus ipse Iesus Spiritum sanctum non solùm dedit, vt Deus; sed & accepit vt homo. Propterea dictum est; *Plenus gratia.* Et manifestius de illo scriptum est in actibus Apostolorum: *quia vnxit eum Deus de Spiritu sācto.* Non vtique oleo visibili: sed dono gratiæ, quod visibili significatur vnguento, quo baptizatos vngit Ecclesia. Nec sanè tunc vnctus est Christus Spiritu sancto, quando super eum baptizatum, vt columba descendit: Tunc enim corpus suum, id est, Ecclesiam suam præfigurare dignatus est: In quo præcipuè baptizati accipimus Spiritum sanctum, Sed ista mystica, & inuisibili vnctione tunc intelligendus est vnctus, quando verbum Dei caro factum est, id est, quando humana natura, sine vllis præcedentibus bonorum operum meritis, Deo verbo est in vtero Virginis copulata, ita, vt cum illo fieret vna persona. Ob hoc eum confitemur natum de Spiritu sancto, & Virgine Maria. Absurdissimum est enim, vt credamus eum, cum iam triginta esset annorum ætatis & à Ioanne Baptizatus est, accepisse Spiritum sanctum. Sed venit ad baptisma Ioannis sicut sine peccato, ita plenus Spiritu sancto. Si enim de seruo suo, & præcursore ipsius Ioanne scriptum est: *Spiritu sancto replebitur adhuc in vtero matris suæ:* quia quamuis seminatus à Patre, tamen Spiritum sanctum in vtero formatus accepit: quid de homine Christo intelligendum est, vel credendum, cuius carnis ipsa conceptio non carnalis, sed spiritualis fuit?

Act. 8. 19. — Ioan. 1. 14. — Act. 10. 38. — Luc. 1. 15.

Hoc totum quare diximus? nisi, vt Iesum Christum, qui de Virgine natus est, verum Deum, & verum filium Dei esse proprium firmaremus: & Deum inter Deos, & adoptiuum cum adoptiuis, & paruulum cum paruulis, & seruum cum seruis, vt hæretici blasphemant, aperta frōte negaremus? Vlulant isti, scripturam non tractant. Et quia vlulant, lupi sunt, in tenebris ambulant, id est, inter ignaros prædicant: obscuras, & distortuosas disputationes proferunt, quibus ignaros decipiunt. Pastores Ecclesiarum auferre conantur, vt oues Domini facilius strangulent. Videte fratres, non credatis eis, expellite eos à vobis, & fugite eos, si oues estis, quia non habent † voces pastoris. Bonus pastor noster nobis dixit: *Cauete à Pseudoprophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ouium, intrinsecus autē sunt lupi rapaces.* Nonne lupi sunt, qui vobis dicunt: Adoptiuum credite Iesum Christum: & qui ita non crediderit, exterminetur? Et Episcopos Metropolitanus, & princeps terræ, pari certamine hæreticorum schismata, vnius verbi gladio, alter virga regiminis vlciscens, de terra vestra funditus auferant: certe iam tumor est iam fama est, & non solum per Asturiam, sed per totam Hispaniam, & vsque ad Franciam diuulgatum est, quod duæ quæstiones in Asturiensi Ecclesia ortæ sunt. Et sicut duæ quæstiones; ita duo populi, & duæ Ecclesiæ, vna pars cum altera pro vno Christo contendunt. Cuius fides vera, an falsa sit grandis intentio est: & hoc non in minuta plebe; sed inter Episcopos est. Vna pars Episcoporum dicit, quod Iesus Christus adoptiuus est humanitate, & nequaquam adoptiuus Diuinitate. Altera pars dicit: nisi ex vtraque natura vnicus est Dei Patris filius proprius, non adoptiuus: in tantum proprius, vt ipse sit Dei filius Deus verus; & ipse adoretur, & colatur, qui sub Pontio Pilato est crucifixus. Hæc pars nos sumus, id est Eterius, & Beatus, cum cæteris ita credentibus. Credimos certè non solum in Deum Patrem omnipotentem, sed in Iesum Christum filium eius vnicum Deum, & Dominum nostrum, qui natus est de Spiritu sancto, & Maria Virgine, passus sub Pontio Pilato.

† vocem — Matt. 7. 15.

Ecce vtraque fides patet: sed nos pro hac fide, quam vindicamus, non solum † exilium, sed etiam mori parati sumus. Tempestat mare, & fluctuat, sed nauicula non mergitur, quia fides non dubitatur. Descendunt hæreticorum pluuiæ, flant persecutionum venti, aduenīunt flumina, id est, minæ, & terrores hæreticorum: sed domus à fundamento non dissoluitur, quæ diu supra firmissimam petram, quadratis lapidibus artificis manu construitur. *Et licet Angelus de cælo* veniat, qui nobis vestram fidem peregrinam inserere disponat, anathema nobis *maranata* reputabitur. Et quia (vt diximus) iā venti, & flumina imminent, ipsa domus radicitùs subuertetur, quæ supra arenam fundata esse non dubitatur. Quid est arena, nisi hæreses? Et cum multi hæretici sint, multa etiam mendacia confingunt, quia aduersus Catholicam fidem diuersa sentiunt, & tamen inter se minimè concordare possunt. Ecce campum scripturarum, & vnum Christum, & tamen inter vtrasq; partes diuisum. Pars, quæ rectè credit in Christo, sicut ipse ait, *Flumina de ventre eius fluēt aquæ viuæ.* Et eum habuerit Christum, tunc habebit Legem & Euangelium. Et pars, quæ non habuerit Christum, non poterit illa aqua ex eo fluere, & ei in flumina non

† F. exulare. — Matt. 7. 25. — Galat. 1. 8. — 1. Cor. 16. 22. — Ioan. 7. 38.

valebit deriuare, quæ Spiritus sanctus non dictauerit.
Sed proculdubio illa aqua, quæ apud Salomonem praua
scientia nuncupatur, per mulierem, quæ typum hære-
seos tenet, & callidis suasionibus blanditur dicens: *A-*
Prou. 9. *qua furtiua dulciores sunt.* Es non philosophando scri-
57. bamus obscuris sermonibus; sed simpliciter; vt omnes,
qui audiarunt, alterum interrogare non indigeant, sed
omnes intelligant.

Et quia pro fide recta est, non ornato polito'q; sermo-
Isa. 52.3. ne, sed rebus manifestis conuincenda est. *Hauriat* vnus-
quisq; nostrum *aquas de fontibus Saluatoris*, id est, de Pro-
phetarum, & Apostulorum doctrinis. Non sibi fodiat
cisternas nouas: de quibus Dominus per Propbetam di-
Ier. 2.53. cit: *Me dereliquerunt fontem aquæ viuæ: & effoderunt
sibi cisternas dissipatas, quæ non solet continere aquas*: quia
Isa. 11 9. *repleta est terra scientia Domini, sicut aqua maris.* Cisternã
nouam fodisse est, noua verba de Christo confingere, quæ
in Lege, & Euangelio scripta non sunt. De qua cisterna
in Euangelio Dominus commemorat de villico iniqui-
Luc. 16.3 tatis, qui ait: *Fodere non valeo: mendicare erubesco.* Iste vil-
licus iniquitatis Saulus erat, qui postea Paulus Aposto-
lus factus est. Quando Saulus erat elatus erat, & super-
bus; & gloriabatur de lege, & sapientia scripturarum: &
Act. 22.3. *ad pedes Gamalielis*, qui eo tempore peritissimus erat in
lege, gloriabatur se literas didicisse: & ob hoc persequé-
batur Apostolos Christi, dicens, nescire eos legem & ru-
* spirans sticos esse. Quamobrem adhuc * *suspirans minas, & ho-
micidia in discipulos Domini, accessit ad sacerdotem & pe-
tiit ab eo epistolas in Damascum ad Synagogas, vt si quos
Act. 9.2. inuenisset, qui essent de hac via viros, ac mulieres, vinctos
perduceret in Ierusalem.* Qui cum cœpisset credentes in
Christum persequi; ligare, occidere, & omnem Dei sui
Act. 9. 5. dissipare substantiã, correptus à Domino est *Saule Sau-
6. le, quid me persequeris? Durũ est tibi contra stimulum cal-
citrare.* Dixitq; in corde suo: quid faciã, quia magister fui,
& villicus, cogor esse discipulus, & operarius? Fodere nõ
valeo. Quid dixit, fodere non valeo? Ac si apertè dice-
ret: Non possum suprà Prophetare, quam Prophetatum
est. Non possum nouum dogma componere; quia ea,
quæ Prophetæ dixerant, iam omnia in Christo completa
erant. Iam cessauerant *Lex & Prophetæ vsque ad Ioan-
Matt. 11. nem* Baptistam. Sed non erat Ioannes Prophetarum fi-
53. nis, & legis, sed Christus: sicut ipse Apostolus ait: *Finis
autem legis Christus, ad iustitiam omni credenti.*

Rom. 10. Fodere, inquit, non valeo, mendicare erubesco. Ac si
4. diceret: Vt qui doctor fueram Iudæorum, cogor ab Apo-
stolis rusticis, & egentibus, & à discipulo Anania, salutis,
& fidei mendicare doctrinam. Aperiamus oculos, & vi-
deamus Saulum lupum Ananiæ oui summittere caput.
Videamus eruditum in Lege, à rusticis accipere doctri-
nam salutis. Nihil sciebat Saulus in lege, quam dederat
Deus, qui Christum persequebatur, qui dederat ipsam
Legem. Omnem legem sciebant Apostuli rustici, qui
Christum Deum sciebant qui compleueras iam Legem,
quam dederat: quia nullus hominum poterat adimple-
re Legem, nisi solus Christus, qui eam dederat, sicut ipse
Matt. 5. ait: *Non veni legem soluere: sed adimplere.* Quod si quæ-
17. sieris, quare vocetur Villicus iniquitatis in Lege, quæ
Dei est? Dicamus: Rectè credebat in Patrem, villicus
erat: Filium persequebatur, iniquus erat. Villicus autem
dicitur propriæ villæ gubernator: vnde & à villa villicus
nomen accepit. Qui de Saulo elato, & superbo factus est
humilis Paulus, *vas electionis* Christi *ad omne opus bonum
1. Tim. 2 paratus*: Qui non esset discipulus, nisi discipulo rustico
21. submitteres collum. Qui etiam non valuis cisternam
fodere nouam, id est, legem componere nouam: sed il-
lam, quæ fodita erat, aperuit, & in flumine deriuauit, id
est, illam legem, quæ de Christo eras, aperuit, & explana-
uit: & totum mundum in gentibus aridum satiauit,
quando Christum illis Dei filium cognoscere fecit.

Hæc exempla nos sequi oportet. Non confingamus
de nostro, sed illa explanemus, quæ in Lege, & Euangelio
scripta sunt. Et quia Christus noster, & panis est in diui-
nitate fortibus, & lac in humanitate paruulis, quid cui
debeatur, aptum cibum ministrare, vtrorumque filiis nõ
negemus: vt illud in nobis compleatur, quod Dominus
in Euangelio dicit: *Quis putas est fidelis seruus & prudẽs,
quẽ constituit Dominus super familiam suã, vt det illis ci- Matt. 24.
bum in tẽpore?* Dispensator prudens, pastor Ecclesiæ, vni- 45.
cuiq; cibum suo tempore dat, cum verbum prædicatio-
nis sic dispensat singulis, vt libenter accipiens animas ca-
pere, & portare possit, quod dederit: ne (quod absit)
mente paruulo dum panis durus in os, id est, in loquutio-
ne, quod est diuinitas, mittitur, sine trituratione dentiũ,
suffocetur: Lacte ergo alendi sunt, id est, credant eum esse
filium Dei proprium, non adoptiuum. Deum verum,
quem Iudæi crucifixerunt. Ipse est verus Deus, & vita
æterna, Ioanne Apostolo attestante, qui ait: *Scimus, quo-
niam filius Dei venit, & dedit nobis intellectum, vt cognos- 1. Io. 5 20
camus verũ Deum; & simus in vero filio eius Christo. Hic
est verus Deus, & vita æterna.* Paulus Apostolus ad Ro-
manos ait: *Si Deus pro nobis, quis contra nos?* Qui etiam
*proprio filio suo non pepercit: sed pro nobis omnibus tradidit Rom. 8. 32
illum. Quomodo non etiam cum illo omnia nobis donabit?*
Item ibi. *Quorum Patres, ex quibus Christus secundum Rom. 9. 5.
carnẽ qui est super omnia Deus benedictus in sæcula.* Et ipse
Dominus in Euangelio Cæco illuminato dixit: *Tu credis
in filium Dei?* Et dixit: *Quis est Domine, vt credam in eũ?
Respondit ei Iesus: Et vidisti eum, & qui loquitur tecũ, ipse Ioan. 9.
est.* Item in Euangelio secundum Ioannem, quando La- 35.
zarũ suscitaturus venit, *dixit Martha ad Iesum: Domine si
fuisses hic, frater meus non fuisset mortuus. Dixit illi Iesus:
Resurget frater tuus: Dicit ei Martha: Scio, quia resurget
in resurrectione, in nouissimo die. Dicit illi Iesus: Ego sũ re- Ioan. 11.
surrectio, & vita. Qui credit in me, & si mortuus fuerit, vi- 52.
uet: Et omnis, qui viuit, & credit in me, nõ morietur in æter-
nũ. Credis hoc? Et ait illi Martha: Vtiq; Domine. Ego cre-
didi, quia tu es Christus filius Dei, qui in hunc mũdũ venisti.*

Non debemus ergo dubitare de eo, quem Iudæi cru-
cifixerunt, quod ipse sit verus filius Dei proprius, non
adoptiuus: sed vnicus Dei Patris filius, Deus verus, &
vita æterna. Credamus in eum tam paruuli, quàm senes,
tam rustici, quàm sapientes, tam pauperes, quàm diuites;
tam viri, quam fœminæ; tã *omnes omnisoq;* sexus moria-
mur pro eo, vt viuamus in eo. Adoremus eum sine du-
bitatione, quia non est alter Deus præter eum, Propheta
Ieremia testante, qui ait: *Hic Deus noster, & non est alius
Deus præter eum: qui adinuenit omnem viam prudentiæ: Baruch.
& dedit eam Iacob puero suo, & Israël dilecto. Post hæc in 3. 36
terris visus est, & cum hominibus conuersatus est.*

Non ergo separamus Patrem, & Spiritum sanctum
à filio, cum solum filium dicimus Deum. Pater & Filius
ambo simul vnus Deus. Non Pater ambo simul sunt:
non filius ambo simul sunt. Solus in illa summa Trini-
tate Pater tantum, Pater est in sua persona: solus Filius in
sua persona tantùm filius est: solus in sua persona Spi-
ritus sanctus, tantùm Spiritus sanctus est. Et ideo nec
Patrem filium nominamus: nec Patris nomen Filio im-
ponimus: nec Spiritui sancto nomen Patris, aut Filij di-
cimus. Et inde verè Trinitas est: quia nec Pater natus
est, nec Spiritus sanctus: sed solus Filius. Nec Filius ge-
nuit, nec Spiritus sanctus: sed solus Pater. Neque Pater à
duobus processit, aut Filius; sed tantùm Spiritus sanctus.
Ac per hoc solus Pater Deus à nullo Deo est, sed à se. Fi-
lius Deus est, sicut Pater, sed à Patre est Deus, non à se.
Spiritus quoque sanctus Deus est, sicut Pater, & Filius:
sed à Patre, & Filio Deus est, non à se. Solus Pater à se
Deus: hi verò duo ab vno sunt Deus, id est, à Patre: ac per
hoc & Pater Deus, & Filius Deus, & Spiritus sanctus
Deus: & non tres Dij, sed vnus Deus, Pater, & Filius, &
Spiritus sanctus. Et ideo cum dicimus in scripturis: solus
Christus Filius Dei natus de Virgine, & ipsum crucifixe-
runt Iudæi, & ipse est verus, & non est alter Deus præter
eum, verum dicimus: quia non est alter Deus præter eũ.
Quia Pater Deus est omnipotens: & solus sibi sufficit in
sua persona. Et Filius Deus est omnipotens, & solus sibi
sufficit

sufficit in sua persona. Et Spiritus sanctus Deus est omnipotens; & solos sibi sufficiens in sua persona. Et hi tres non sunt tres Dij omnipotentes: sed vnus Deus omnipotens, Pater, & Filius, & Spiritus sanctus. Et ideo solus sufficit Pater Deus, quia separari à Filio, & Spiritu sancto non potest. Et solus *sufficit* Christus Filius Dei Deus, quia separari à Patre, & Spiritu sancto non potest. Solus etiam *sufficit* Spiritus sanctus, quia separari à Patre, & Filio non potest, quia simul tres vnus Deus.

Quamobrem nos debemus dubitare Christum Filium Dei, quem Iudæi crucifixerunt, esse verum Deum, & non esse alterum Deum præter eum. Credamus in eum, & adoremus eum, quia non est alter adorandus præter eũ. Ecce panem, & lac protulimus, accipiat quis quantum valet. Et hoc Domini est, quod dicimus: nam qui dicimus, nihil sumus: sed de quo dicimus, magnus est, & magna virtus eius: & sapientiæ eius non est numerus. Tantus, ac talis est, vt nec de eo possimus dicere, nec de eo omnino tacere. Sed tamen cum sit inenarrabilis, non debet esse ignorabilis. Dicit enim scriptura, *Generationem*
Isa. 53.8. *eius quis enarrabit?* Non dicit, ignorabit. Et ideo oportet primum, vt credamus in eum: & tunc intelligere possumus *qua* scripta de eo legimus. Quid enim prodest, vt cum periculo quæratur, quæ sine periculo nescitur? Ergo melius est non intellecta credere, quàm credenda verbis mendacibus perdocere. Multum enim præcedit fides intellectum. Si enim fides habet meritum, & per ipsam etiam rusticis Christus daturus est præmium, præcedit vtique intellectum. Quamobrem omnis rusticus idiota, qui rectè credit in Christum, simpliciter viuit, & rece-
C dit à malo, superat intellectum. Intellectus tamen, quamuis bona opera videatur habere, præcedit eum rusticus, si fidem rectam habet. Nihil ergo intelligit, qui non credit, dicente Propheta: *Nisi credideritis, non intelligetis.* Ergò in diuinis rebus Fides tantummodo adsit, & nulla
Isa. 7.9. quæstio remanebit. Quid si discutere volueris, & rationem de Deo, & homine facere præsumpseris, continuò in laqueo perditionis immergeris.

Nos ergo debemus dicere illum Deum, & iustum hominem vnum habemus, & adoremus Deum cum Patre, & Spiritu sancto vnum Deum, non hominem, quartam introducentes personam: sed cum ipsa carne propria vnum adoremus Christum Filium Dei Deum, iuxta
D Ephesini Concilij veræ fidei documentum, quæ ait: Caueamus autem de Christo dicere: Propter assumentem veneror assumptum: & propter inuisibilem adoro visibilem. Horrendum vero super hoc etiam illud dicere: Is, qui susceptus est, cum eo, qui suscepit, non nuncupatur Deus. Qui enim hæc dicit, diuidit iterum in duos Christos eum, qui vnus est: & hominem seorsum in partem, & Deum similiter in partem constituens. Euidenter enim denegat vnitatem, secundùm quam non alter cum altero *coadoratur, aut connuncupatur:* sed vnus intelligitur Christus Iesus, Filius Dei vnigenitus, vna seruitute cum propria carne venerandus. Hæc fides primi Ephesini Concilij est, quod & textus Symboli probat. Quid ergo possum facere mente paruulis, si ab ista vnitate fidei, vos audientes, recesserint, & vnum Christum
E & secundùm diuinitatem proprium, & secundùm humanitatem adoptiuum confessi fuerint. Quid ergo nos faciemus, qui eos Apostolicam fidem tenere docuimus, cum & ipsi à puro lacte matris Ecclesiæ, Legis & Euangelij sugentes vbera, Deo miserante, ad solidum diuinæ Trinitatis cibum peruenimus. Sugamus ergo cum ipsis Apostolis, & fidei nostræ Symbolum, *quem* tradiderunt nobis, breui compendio recitemus, quicunque vnum Dominum, vnam Fidem, vnum Baptisma habemus: & fidem, in qua baptizati sumus, in hac peruersitate, & duplicitate hæreticorum non negemus. Sed sicut corde credimus, ore proprio proferamus publice, & dicamus.

Credo in Deum Patrem omnipotentem: Et in Iesum Christum filium eius vnicum Deum, & Dominum nostrũ, qui natus est de Spiritu sancto, & Maria Virgine. Passus
A *sub Pontio Pilato, Crucifixus, & sepultus. Descendit ad inferna. Tertia die resurrexit viuus à mortuis. Ascendit in cœlos Sedet ad dexterã Dei Patris omnipotentis. Inde venturus iudicare viuos, & mortuos Credo in Spiritũ sanctũ. Sanctã Ecclesiã Catholicã. Remissionem omnium peccatorum. Carnis resurrectionem, & vitam æternam, Amen.*

Ecce fidem Apostolicam, in qua baptizati sumus, quã credimus, & tenemus. Et qui ad nos venerint de aliis regionibus, aut certe de nostris finibus, & hanc fidem, & hanc doctrinam Apostolicam adduxerint, recipiamus eum in sancta Ecclesia. Manducemus, & bibamus cum eo, quia pacem annunciat, & filius charitatis est. Et quia *Deus charitas est*, Filius Deus est. Et quia *Christus caput* 1. Io. 4. 16.
corporis Ecclesiæ est, membrum corporis est. Et qui hanc Eph. 1. 22.
B fidem nobis non adduxerit, & nostram fidem dissoluere *tentauerit*, & fermentum insolitæ prauitatis in azyma massæ Ecclesiæ miscere voluerit, & nos scandalizauerit, quid de eo faciamus? Ioannem Apostolum cubicularium regis interrogemus: ipsum, qui supra pectus Domini recubuit: ipsum qui de sacratissimo ore intimo diuinitatis archiuo hausit. Quem etiam primus Apostolorum Petrus quis esset, qui Dominum traderet, interrogauit. Dic sancte Ioannes, quid faciemus de isto, qui nobis doctrinam vestram turbat? Respondet nobis, & dicit: *Si quis venit ad vos, & hanc doctrinam non affert, nolite recipere* 2 Io. 1 10.
eum in domum, nec Aue ei dixeritis. Qui enim dixerit illi aue, communicat operibus illius malignis. Quoniam multi seductores exierunt in mundum, qui non confitentur Iesum 1. Io 4. 1. 3.
Christum venisse in carnem, hic talis seductor est. & Anti- 2. Io 1 7. 8.
C *christus. Videte vosmetipsos, ne perdatis, quod operati estis, sed vt mercedem plenam recipiatis. Omnis, qui recedit, & non manet in doctrina Christi, Deum non habet. Qui permanet in doctrina Christi, hic & Filium, & Patrem habet. Quod fuit ab initio, quod audiuimus, quod vidimus oculis* 1. Ioan. 1. 1.
nostris, quod perspeximus, & manus nostræ tractauerunt de verbo vitæ: & vita manifestata est, & vidimus, & tractauimus, & annunciamus vobis vitam æternam, quæ erat apud Patrem, & apparuit nobis: Quod vidimus, & audiuimus, annunciamus vobis, vt & vos societatem habeatis nobiscum: & societas vestra sit cum Patre, & filio eius Iesu Christo. Filioli, nouissima hora est. Et sicut audistis, quia 1 Io. 2. 18.
Antichristus venit, & nunc Antichristi multi facti sunt: Vnde scimus, quia nouissima hora est: quia multi Antichri-
D sti sunt, qui nobiscum erant, iam contra nos sunt, iam foris sunt. *Ex nobis exierunt. sed non erant ex nobis. Nam si fuissent ex nobis, permansissent vtiq; nobiscum. Sed vt manifesti sint, quia non sunt omnes ex nobis. Sed vos vnctionẽ habetis à sãcto, & nostis omnia. Nõ scripsi vobis quasi ignorantibus veritatem: sed quasi scientibus eã Et quoniã omne mendaciũ ex veritate nõ est. Quis est mẽdax? Qui negat, quoniam Iesus non est Christus.* Hic est Antichristus, qui negat Patrem, & Filium. *Omnis, qui negat Filium, nec Patrem habet. Qui confitetur Filium, & Patrem habet.* 1. Io 2. 23.

Hæc scribo vobis de his, qui seducũt vos. Et vos vnctionẽ, quã accepistis ab eo, maneat in vobis. Et non necesse habetis, vt aliquis doceat vos: sed sicut vnctio eius docet vos de om- 1. Io 2. 26.
nibus: & verum est, & non est mẽdaciũ. Et sicut docuit vos, manete in eo Et nunc filioli manete in eo, vt cũ apparuerit,
E *habeamus fiduciam, & non confundamur ab eo in aduentu eius: sed si scitis, quoniam iustus est: scitote, quoniam & omnis, qui facit iustitiam, ex ipso natus est. Videte qualẽ Cha-* 1. Io 3 1.
ritatem dedit vobis Pater, vt filij Dei nominemur, & simus. Propter hoc mundus non nouit nos, quia non nouit eũ. Charissimi, nunc filij Dei sumus, & nondum apparuit, quid erimus. Scimus, quoniam cum apparuerit, similes ei erimus: quoniam videbimus eũ, sicuti est. Et omnis, qui habet hanc spẽ in eo, sanctificat se, sicut & ille sanctus est. Omnis, qui facit peccatum, & iniquitatem facit, & peccatum est iniquitas. Et scitis, quoniam ille apparuit, vt peccata tolleret: & peccatum in eo non est. Omnis, qui in eo manet, non peccat. Omnis qui peccat, non vidit eum, nec cognouit eum.

Filioli nemo vos seducat. Qui facit iustitiã, iustus est, sicut & ille iustus est. Qui facit peccatũ, ex diabolo est: quo-

niam ab initio peccat. In hoc apparuit filius Dei, vt dissoluat opera diaboli. Omnis, qui natus est ex Deo, peccatū nō facit, sed semē ipsius in eo manet, & non potest peccare, quoniā ex Deo natus est. Et in hoc manifesti sunt filij Dei, & filij diaboli. Omnis, qui nō est iustus, non est de eo, & qui non diligit fratrē suum. Quoniam hæc est annūciatio, quā audistis ab initio, vt diligamus alterutrum. Charissimi, diligamus nos
1.Io.4.7. *inuicē, quoniā charitas ex Deo est. Et omnis, qui diligit fratrem suū, ex Deo natus est, & cognoscit Deū. Qui autē non diligit fratrē suum, nō habet charitatem, & non nouit Deū: quoniam Deus charitas est. Ex hoc apparuit charitas Dei in nobis, cū filium suum vnigenitū misit Deus in mundum, vt viuamus per eum. In hoc est charitas, non quasi nos dilexerimus Deum: sed quoniam ipse dilexit nos, & misit filium suum propitiationem pro peccatis nostris. Charissimi, si Deus dilexit nos & nos debemus alterutrum diligere: Deū nemo vidit vnquā. Si diligimus inuicem, Deus in nobis manet, & charitas eius in nobis perfecta est. In hoc intelligimus, quoniā in eo manemus, & ipse in nobis, quoniā de spiritu suo dedit nobis: & nos vidimus, & testificamur, quoniā Pater misit filiū suum Saluatorem mūdi. Omnis, qui cōfessus fuerit, quoniā Iesus est filius Dei, Deus in eo manet, & ipse in Deo. Et nos cognouimus, & credidimus charitati, quā habet D[eus] in nobis. Deus charitas est; & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo est. In hoc perfecta est charitas Dei nobiscum, vt fiduciam habeamus in diem iudicij: quia sicut ille est, & nos sumus in hoc mundo. Timor non est in charitate: sed perfecta charitas foras mittit timorē: quoniam timor pœnā habet. Qui autē timet, non est perfectus in charitate. Nos ergo diligamus Deū, quoniam Deus prior dilexit nos.*

Si quis dixerit, quoniā diligo Deum, & fratrem suū odit, mendax est. Qui enim nō diligit fratrem suum, quem videt; Deum, quē non videt, quomodo poterit diligere? Et hoc mandatum habemus ab eo, vt qui diligit Deum, diligat & fratrem suum: Omnis, qui credit, quoniā Iesus est Christus,
1.Io.5.1. *ex Deo natus est. Et omnis, qui diligit eum, qui genuit, diligit eum, qui natus est ex eo. In hoc cognoscimus, quoniā diligimus filium Dei, cū Deum diligamus, & mādata eius faciamus. Hæc est enim charitas Dei, vt mādata eius custodiamus: & mādata eius grauia non sunt. Quoniam omne, quod natum est ex Deo, vincit mundū. Et hæc est victoria, quæ vincit mundū fides nostra. Quis est, qui vicit mundū, nisi qui credit, quoniā Iesus est filius Dei. Hic est, qui venit per aquā, & sanguinē Iesus Christus. Nō in aqua solùm, sed in aqua, & sanguine, & carne. Et spiritus est, qui testificatur, quoniam Christus est veritas. Quia tres sunt, qui testimoniū dant in terris: aqua, & sanguis, & caro. Et tria hæc vnum sunt. Et tres sunt, qui testimonium dant in Cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus. Et hæc tria vnum sunt* in Christo Iesu. *Si testimonium hominum accipimus, testimonium Dei maius est. Quoniam hoc est testimonium Dei, quod maius est, qui testificatus est de filio suo,* quem misit Saluatorem super terram. Et filius testimonium perhibuit inter scripturas proficiens: & nos testimonium perhibemus, quoniam vidimus eum, & annunciamus vobis vt credatis.

Et ideo, *qui credit in filiū Dei, habet testimonium Dei in se. Qui non credit filio, mendacem facit eum, quoniam non credit in testimonio, quod testificatus est Deus de filio suo. Et hoc in testimoniū, quoniā vitam æternam dedit nobis Deus. Et hæc vita in filio eius est. Qui habet filium Dei, habet vitā. Qui nō habet filium Dei, vitā non habet. Hæc scribo vobis, vt sciatis, quoniā vitam habetis æternā, qui creditis in nomine filij Dei. Et hæc est fiducia, quam habemus ad eum. Quia quodcumq; petierimus secundùm voluntatem eius, audit nos. Et scimus, quoniā audit nos, quicquid petierim[us]: scimus, quoniā habemus postulationes, quas postulamus ab eo,* si credimus in eo, & diligimus fratres. Non sic diligamus *sicut Cain, qui ex maligno erat, & occidit fratrē suum,*
1.Io.3.12. *Et propter quod occidit eum? Quoniam opera eius mala erant, fratris autem eius iusta. Nolite mirari fratres, si odit vos hic mundus. Nos scim[us], quoniā translati sumus de morte in vitā, quoniā diligimus fratres. Qui non diligit, manet in morte. Omnis, qui odit fratrē suū, homicida est. Et scitis,*

A *quoniā omnis homicida non habet vitam æternam in se manentem. In hoc cognoscimus Charitatem Dei, quoniam ille pro nobis animam suam posuit: & nos debemus pro fratribus animas ponere. Qui habuerit substantiā huius mundi, & viderit fratrem suum necessitatem habere, & clauserit viscera sua ab eo, quomodo charitas Dei manet in eo?*

Filioli mei non diligamus verbo tantùm & lingua, sed opere, & veritate. In hoc scimus, quoniā ex veritate sumus, & in conspectu eius suademus corda nostra. Si reprehenderit nos cor nostrum, maior est Deus corde nostro, & nouit omnia. Charissimi, si cor nostrum nos nō reprehenderit, fiduciā habemus ad Deum; & quicquid petierimus, accipiemus ab eo, quoniā mādata eius custodimus; & ea, quæ sunt placita corā eo facimus. Et hoc est mādatum eius, vt credamus
B *in nomine filij eius Iesu Christi, & diligamus alterutrum, sicut dedit mādatum nobis. Et qui seruat mādatum eius, in illo manet, & ipse in eo. Et in hoc scimus, quoniam manet in nobis, de spiritu, quē dedit nobis. Charissimi, nolite omni spiritui credere: sed probate spiritus si ex Deo sunt. Quoniam multi Pseudoprophetæ exierunt in hunc mundum, & eo cognoscitur Spiritus Dei. Omnis spiritus, qui cōfitetur Iesum* 1.Io.4.1.
Christum in carne venisse, ex Deo est. Et omnis spiritus, qui soluit Iesum, ex Deo nō est: Et hic est illius Antichristi, quē audistis quoniā venit: & nunc iā in mundo est. Vos ex Deo estis filioli, & vicistis eos, quoniam maior est, qui in nobis est, quam qui in mundo. Ipsi de mundo sunt, ideo de mundo loquuntur; & mundus eos audit: Nos ex Deo sumus. Qui nouit Deum, audit nos: qui autē non est ex Deo, nō audit nos. In hoc cognoscimus spiritum veritatis, & spiritum erroris.

C Hāc Epistolā, quam legimus charitati vestræ, Ioannis Apostoli & Euangelistę est, directa ad gentes. Et quia nos ex gentibus sumus, nobis directa est. Et quia Virgo Maria peperit Iesū, de Iesu est: & quia de Iesu interio nostra est, & Ecclesia pro ipso solo in duas partes diuisa est, requiramus hos duos Christos, & inueniamus per spiritū, Iesus cuius filius est. Istud nomen accepit à Patre per Prophetā, antequam nasceretur ex Virgine, mundo annunciatū: *Reuelabitur,* inquit, *vobis filius meus Iesus.* Istud nomen Angelus Gabriel nunciauit Virgini, dicens: *Ecce concipies & pariet filium; & vocabis nomē eius Iesum. Hic erit magnus, & filius Altissimi vocabitur. Et dabit illi Dominus* Luc.1.31.
Deus sedem David Patris eius; & regnabit in domo Iacob in æternum: & regni eius non erit finis. Dixit autem Ma-
D *ria ad Angelum. Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? Et respondens Angelus, dixit ei: Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi. Ideoque, & quod nascetur ex te sanctum, vocabitur filius Dei.* Ecce Virgo non dubitauit de numine, sed quomodo fieret illud, bis nominauit. Ecce cuius filius est Iesus. Videamus nunc, si ipse est Dominus cæli, & terræ. *Et ait Maria: Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuū.* Luc.1.38.
Ancillam se dicit, quæ mater eligitur. Non est consuetudo, vt matres filios suos dominos dicant: sed sola Virgo, quæ Dominum cæli, & terræ peperit.

Exurgens autem Maria in diebus illis, abiit in montana cum festinatione in ciuitatē Iuda: & intrauit in domū Zachariæ, & salutauit Elisabeth. Et factum est, vt audiuit salutationē Mariæ Elisabeth, exultauit infās in vtero ei[us]: &
E *repleta est Spiritu sancto Elisabeth; & exclamauit voce magna, & dixit: Et vnde hoc mihi, vt veniat mater Domini mei ad me?* Ecce duæ testes, Virgo dixit: Ecce ancilla Domini. Elisabeth dixit: Matrē Domini. Et Virgo, & Mulier, cæli, & terræ Dominum confessæ sunt. Decursis † decem mēsibus, *Peperit Virgo filium suum primogenitum, & pānis eum inuoluit, & reclinauit eum in præsepio: quia non erat ei locus in diuersorio. Angelus autem Domini apparuit pastoribus dicens: Nolite timere. Ecce enim Euāgelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo: quia natus est hodie vobis Saluator, qui est Christus Dominus in ciuitate David.* Iesus. i. in lingua latina, Saluator dicitur, Hebraïce verò Iesus. *Et subitò facta est cū Angelo multitudo militiæ cælestis, laudantium Deum, & dicentium: Gloria in Altissimis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* † Fort. nouem. Luc.2.7.

Requi-

Requiramus nunc, quæ est ista terra, quam pacificauit Oremus cum, & aperiat nobis os ille, qui veritas est, vt veritatem de eo dicamus: & aperiat aures cordis, vt intelligant omnes, qui audierint, quæ dixerimus. Si interrogamus omnes: Adam vnde factus est? Si vnus inter multos loquatur, dicat quia de terra factus est: tam in Iudæis: quam in gentibus, siue Christianis, nulla dobitatio est, quod verè de terra sit, & ipsi in transgressione dictũ est à Domino, *Terra es, & in terram ibis.* [Gen. 3. 19.] Veniamus per seriem generationis Christi vsque ad diluuium, vbi solus Noe in illa generatione iustus inuentus est. Cui pro sua iustitia donatæ sunt septem animæ, quæ per eum euaserunt diluuium. Sicut solus iustus in hoc mundo Iesus Christus inuentus est: cui donatæ sunt septem Ecclesiæ, quæ euaserunt secundum ignis diluuium. Veniamus de Noe vsque ad Abraham, cui prima repromissio facta est, [Gen. 22. 18] *quod in semine eius*, quod est Christus Iesus, *benedicentur omnes gentes.* Veniamus de Abraham vsque ad David, [Ps. 131. 11.] cui dictum est: *De fructu ventris tui ponam super sedem tuam.* Et, [Isa. 11. 1.] *Egredietur virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet.* Virga de radice Iesse virgo Maria est. Flos de Virga. Iesus Christus filius Dei est. [Cant. 2. 1.] Quia *ego*, inquit, *flos campi, & lilium conuallium.* Ecce Adam de terra, Noe de Adam. Abraham de Noe, Dauid de Abraham. Virgo Maria de Dauid. Iesus Christus filius Dei de Maria. Hoc est, Gloria in excelsis Deo & in terra pax ipsa terra sublimata est quando verbo coniuncta est. Sic est verbum * carne factum vnus Iesus Christus, Vna persona, Deus, & homo, quemadmodũ tua anima & caro vnus est homo. [* caro.] Sicut est natus de Virgine Iesus Christus filius Dei Deus homo, eo pacto, quo cum corpore nasci docetur anima. Non quia vtriusque est vna substantia: sed quia in vtroque sit vna persona.

C

Prius quippe, quam redemptor noster per carnem nasceretur, discordiam cum angelis habuimus: à quorum claritate atque munditia per primæ culpæ meritum per quotidiana delicta longè distabamus. Quia enim peccando extranei eramus à Deo, extraneos nos à suo consortio deputabant angeli, ciues Dei. Sed quia nos cognouimus Regem nostrum, recognouerunt angeli ciues suos. Quia enim cæli rex terram nostræ carnis assumpsit, infirmitatem nostram illa iam angelica celsitudo non despicit. Ad pacem nostram angeli redeunt: Intentionem prioris discordiæ postponunt. Et quos infirmos prius, abiectosq; despexerunt, iam socios venerantur: cum naturam nostram in sede dominica, immortali fulgentẽ gloria peruiderunt, plane illa natura, quæ audiuit: *Terra es, & in terram ibis.* Quoniam naturæ humanæ gratulandum est: eò quòd sic assumpta est à verbo vnigenito terra mortalitatis nostræ, vt immortalis constitueretur in cælo, vtque ita fieret terra sublimis, vt incorruptibilis puluis sederet ad dexteram Patris. Et hoc est, quod clamant angeli, & omnis Ecclesia: [Luc. 2. 14.] *Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Bonæ voluntatis. i. qui bene volunt: non qui male volunt. Qui bene credunt, vt cum angelis socientur: non qui malè credunt, vt cum diabolo damnentur.

[Luc. 2. 21.] *Et postquam consummati sunt dies octo, vt circumcideretur Dominus, vocatum est nomen eius Iesus: quod vocatum est ab angelo, priusquam in vtero conciperetur.* Si requiramus consuetudinem mulierum, de nulla dictum est in vtero concepit: quia extrinsecus à viris acceperunt, vnde conceperunt. Si requiramus scripturas, tunc promissa est ista conceptio, quando serpenti dictum est in paradiso: [Gen. 3. 15.] *Inimicitias ponam inter te, & mulierem: & semen tuum, & semen eius.* Et rectè cognoscimus, quia mulieres semina non habent: nec sine virili semine concipere possunt. [Ioan. 8. 23.] Semen ergo mulieris, verbum caro factum est: quod nõ de terra, sed de excelsis est, sicut ipse Iesus ait: *Ego de supernis sum, vos de inferno estis.* Et Paulus Apostolus ait [1. Cor. 15. 47.] *Primus homo, de terra terrenus: Secundus homo, de cælo, cælestis.* [Luc. 2. 22.] *Et postquam impleti sunt dies purgationis eius secundum legem Moysi, tulerunt illum in Ierusalem, vt sisterent eum Do-*

A

mino, sicut scriptum est in Lege Domini: quia omne masculinum adaperiens vuluam, sanctum Domino vocabitur. Requiramus, quis masculus vluam matris aperuit. Nam si tecta tractamus, omnes mulieres, qui primos filios masculos habuerunt, viri eius aperiunt vuluam, quæ sola in vtero concepit. [Locus obscurus, & vt videtur, mutilus.]

[Luc. 2. 27.] *Et cum inducerent puerum Iesum parentes eius in templum, vt facerent secundum consuetudinem legis pro eo, accepit eum Simeon in manus suas, & benedixit Deum, & dixit: Nunc dimittis, seruum tuum Domine, secundum verbum tuum in pace: Quia viderunt oculi mei salutare tuum: Quod præparasti ante faciem omnium populorum.* Iam suprà diximus, quia *salutaris.* nomen Iesus est, id est, Saluator. Et ipse datus *est lumẽ ad reuelationem gentium, & gloriam plebis suæ Israel. Et dixit* [Luc. 2. 34.] *Simeon ad Mariam matrem eius. Ecce positus est hic in ruinam,* B *& in resurrectionem multorum in Israel.* In ruinam positus est plane non credentibus, & lapis offensionis, & petra scandali. Resurrectio verò, & vita est credentibus. *Et in signum, cui contradicetur.* Videtis quia in signum est, cui contradicetur. Quid est hoc signum, cui contradicetur, nisi crux, nisi passio, sputa, probra, vincula, colaphi, alapæ, claui, amaritudo fellis, mors, lancea, sepultura? Sicut & ipse Dominus signum mortis suæ annuncians: [Mat. 12. 39.] *Generatio mala, & adultera, signum quærit, & signum non dabitur, nisi signum Ionæ prophetæ. Sicut enim Ionas fuit in vẽtre ceti tribus diebus, & tribus noctibus.* † Hæc est in signo cui contradicetur. [† Hoc est signum.] Ista faciunt scandalum incredulis non solum Iudæis, sed & hæreticis. nolunt ista applicare Deo filio Dei. Et proinde dicunt: Homo Christus, qui de Virgine natus est, Iesus Christus illi nomen est. Et qui hunc negat filium Dei esse, secundum Ioannem ipse est Antichristus. [1. Ioan. 4. 3.]

Hoc totum quare diximus? Quia Ioannes, qui istam doctrinam nobis dedit, ipse nobis dixit: [1. Ioan. 5. 5.] *Ipse vicit mundum, qui credit, quia Iesus est filius Dei. Ipsum* nomen habet proprium Iesus & *ipsum* personat Euangelium sicut ait: [Matt. 26. 26.] *Accepit Iesus panem & benedixit, fregit, & dedit discipulis suis, &c.* Et cum comprehenderunt eum Iudæi, interrogauit eos, quem quærerent. [Ioan. 18. 5.] *Responderunt: Iesum Nazarenum. Tunc dixit eis Iesus: Ego sum.* Et vnus de illudentibus [22. 33.] *dedit alapam Iesu, Et interrogauit Pilatus Iesum.* Et Barrabam dimisit: Iesum verò flagellis cæsum tradidit eis, vt crucifigerent eum. Et *clamauit in cruce voce magna Iesus.* [Matt. 27. 46.] Et mortuus est Iesus. *Et Iesus, quem quæritis Nazarenum,* [Mar. 16. 6.] D *surrexit à mortuis, & venit Iesus ianuis clausis. Et stetit in medio discipulorum, & dixit eis: Pax vobis.* [Io. 20. 19.] *Et eleuatis manibus suis benedixit eos, & recessit ab eis, & ferebatur in cælum.* [Luc. 24. 50] *Et omnis lingua confiteatur, quia Iesus in gloria est Dei Patris,* [Phil. 2. 11.] cui cũ Patre, & Spiritu sancto vna, & æqualis est gloria. In cuius fide iam supra confessi sumus doctrinam, quam ab Apostolis accepimus.

Credo in Deum Patrem omnipotentem. Et in Iesum Christum filium eius vnicum, Deum & Dominum nostrum, qui natus de Spiritu sancto & Maria Virgine. Quibus tribus sententiis omnium ferè hæreticorum * .... destruuntur. [* F. machinationes.] Quam doctrinam nobis Ioannes Apostolus confirmauit: & qualiter hæreticos à nobis expellamus, instigauit, dicens: [2. Io. 1. 10.] *Si quis venit ad vos, & hanc doctrinam non affert, nolite recipere eum in domum, nec Aue ei dixeritis. Qui enim dicit, Aue, communicat operibus illius malignis.* Nemo dicat illi aue, id est, nemo dicat illi gaude: aut certe E aliud, quod consuetudo est salutandi. Fides vera, quæ ab Apostolis tradita est, in breui est. Sine philosophia sæculi est, simplex est, & omnibus rusticis manifesta; & omnibus captiosis, & peregrinis cognita. Et vt plenius dicamus, omni Ecclesiæ, quæ per vniuersum orbem terrarũ est constituta, publice constituta est. Et vnusquisq; qualiter credat, breui symbolo complexa est. Et qualiter oret, & ipsa breuis oratio Dominica est, quæ septem petitionibus constat, quæ ab ipso Domino, qualiter omnes creduli debeamus orare, tradita est. Quamobrem nec extra symbolum habemus quod credere nec quod extra Dominicam orationem orare. Nec nihil nouum, ex

Iere.31.22. cepto hoc nouo, quod virgo Deum hominem peperit: *quia creauit Dominus nouum super terram: fœmina viri undabit virum*

Cæterum qualiter viuere debeamus, sufficit nobis illud
Tob.4.16. *vulgare* prouerbium: *Quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris: & habebis vitam æternam.* Vulgare est, quis hoc vulgus
Mat.7.12. dicere potest. Cæterum Dominus in Euangelio ait: *Omnia quæcunque vultis, vt faciant vobis homines, & vos similiter facite eis.* Et hoc est Ecclesia, & Christus. Credit rectè rusticus, quia symbolum semper recitat. Orat rectè, quia
Mat 6.10. semper orationem Dominicam recitat, & dicit: *Pater noster qui es in cælis.* Et verè filius Dei est, si vt sibi nō volt fieri, alteri non fecerit. Quæ & in illa epistola sanctissimi Ioannis nihil aliud recitauimus, quàm hoc, quod rustico sermone, & breui vobis diximus. Nam si secun-
2.Cor.11.6. dum Apostolum, *imperiti sumus lingua scientia*, tamen, Deo miserante, *non sumus imperiti*: nec de imperitia erubescimus, quod lectione non docemur: * nec simplicitas in-
* Locus corruptus. ter philosophos à fide vera dubitamus, cum Apostolos simplices, & rusticos magistros habemus. Nullus philo-
Matt 16.16. sophorum potuit dicere primus: *Tu es Christus filius Dei viui*, nisi Petrus piscator, homo rusticanus & pauper, qui ab opere callosam habebat manum. Iste piscator & rusticanus de Ierosolyma perrexit Romam. Et rusticanus cepit Romam, quam eloquentes capere non potuerunt.
Ioan.1. Nullus sapiens mundi primus potuit dicere: *In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum. Hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil. Et vidimus gloriam eius, gloriam Vnigeniti à Patre, plenum gratiæ, & veritatis. Et verbum caro factum est, & habitauit in nobis*, id est, Deus homo factus est: & habitauit in nobis, hoc est, habitauit in carne, quæ nos sumus. Nisi Ioannes hoc dixit, piscator, & rusticus, cuius epistolam vobis legimus, & qualiter in Iesu Christo filio Dei credamus, & cum illo vna persona simus, si dilectionem Dei, & proximi habuerimus. Hæc
1.Ioan 4. est Ecclesia in charitate per charitatem, quæ Deus est; vt maneamus in Deo, & Deus in nobis, si hoc fecerimus
1.Io.3.15. proximo, quod fieri volumus & nobis. *Nam qui odit fratrem suum homicida est: & talis homicida non habet vitam æter-*
Ioan.17.3. *nam*, quod est Iesus Christus, sicut Apostolus ait: *Vt cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti Iesum Christũ.*
1.Io.5.20. *Hic est verus Deus, & vita æterna.* Ecce fidem nostram, qualiter credimus & oramus, breui compendiolo rustici homines sapientibus pendimus: docete, si nostis amplius. Nam, sicut diximus, fides in breui est. Hoc ipsum
Isa 10.23. Esaias attestatur, qui ait: Consummatas quidem, & bre-
Rom 9.28. uiatas res audiui, *quia verbum breuiatum faciet Dominus in terra.* De quo verbo idem prophetauit. *Ecce verbum Domini factum est illis in maledictum, & noluerunt illud.* Qui sũt qui *noluerunt illud*, nisi Iudæi, & hæretici, qui verbum abbreuiatum, id est, hominem factum, non credunt esse filium Dei, ipsum, qui pro nobis vulneratus est, vt vulnu-
Psal 106.20. ra nostra sanaret. De quo in Psal. 106. dicit *Misit verbum*
*Rom 10.8. *suum, & sanauit eos: & eripuit eos de interitu eorum. Et hoc*
Isa 9.6. *est verbum fidei, quod prædicamus* in breui: quia *paruulus natus est nobis: filius datus est nobis.* Cuius est iste filius, nisi filius Dei Deus verus: *Nobis natus* est de Virgine, non sibi. *Nobis datus* est pro redemptione, non sibi. *Et factus est principatus eius super humeros eius.* Quia pro nobis pependit in Cruce, non pro se. Et pro nobis est iudicatus, non
Heb.2.14. pro se. Quis tunc vicit principem mortis diabolum, cum iudicatus est, & morti condemnatus, *vt per mortem de-*
Psal 50.6. *strueret eum, qui habebat mortis imperium*: Propheta attestante Dauid: *Et vincas dum iudicaris.* Et hoc est, principatus eius semper humeros eius. Et quis ipse est Deus verus, & non est alter Deus præter eum; audite quod sequitur:
Isa 9.6. *Et vocabitur nomen eius Admirabilis, Consiliarius, Deus, fortis, Pater futuri sæculi, Princeps pacis.* Ecce sex nomina eius diximus, in quibus nominibus nullum esse alterum Deum, præter eum secundum fidem nostram, quam credimus.
.Videtur deesse vo- .. Et si aliquis dicit, quod non sunt nomina, quæ diximus de Christo; audiat, quid sequitur: *Multiplicabitur eius im-*
A *perium: & pacis eius non erit finis. Super solium Dauid sedebit,* [cuius, constat, liquet, vel similia] *& super regnum eius, vt confirmet illud, & corroboret in iudicio, iustitia à modo, & vsque in sempiternum.*

Protulimus fidem nostram Ecclesiæ nostræ, proferat nunc dominus Elipandus fidem suam Ecclesiæ suæ, in qua fide nos redarguit, vt audita credamus: aut, si noluerimus, à diœcesi sua caules habeamur. Tunc lecta est ipsa epistola, & multum fidei nostræ contraria: quæ nec in veteri testamento, nec in nouo erant scripta: * quam ipsa [* quo] verba fidei suæ nobis incognita in vnum copulauimus: & quò facilius agnoscerentur, more symboli breui compendio in paginis compegimus. Et quantum discordaret de fide nostra symbolum Ephesini Concilii, ei contrarium posuimus.

Primus ego Eterius Oxoniæ sedis indignus * nominatus [* nuncupatus] Episcopus, qui ab Archiepiscopo Toletano nuncupor esse hæreticus, profero fidem meam cunctis au-
B dientibus. Quam fidem à sanctis Patribus accepi, credidi; & omni Ecclesiæ recitandam prædicaui. Et sicut cum omni Ecclesia Catholica corde retineo, ore palam dico. CREDIMVS *in vnum Deum Patrem omnipotentem. Factorem cæli, & terræ, visibilium omnium, & inuisibilium conditorem. Et in vnum Dominum Iesum filium Dei vnigenitum, ex Patre natum ante omnia sæcula. Deum ex Deo. Lumen ex lumine. Deum verum ex Deo vero, natum, non factum, homousion Patri, hoc est eiusdem cum Patre substantia. Per quem omnia facta sunt, quæ in cælo, & quæ in terra. Qui propter nos, & propter nostram salutem descendit. Et incarnatus est de Spiritu sancto, ex Maria Virgine, & homo factus. Passus sub Pontio Pilato. Sepultus. Tertia die resurrexit. Ascendit in cælos: sedet à dexteram Patris. Iterũ venturus est in gloria iudicare viuos, & mortuos. Cuius regni non erit finis. Credimus & in Spiritum san-*
C *ctum Dominum, & viuificatorem ex Patre, & filio procedentem. Cum Patre, & Filio adorandum, & glorificandum. Qui locutus est per Prophetas. In vnam Catholicam, atque Apostolicam Ecclesiam. Confitemur vnum Baptisma in remissionẽ peccatorum. Expectamus resurrectionem mortuorum. Vitam futurã sæculi, Amen.*

Explicit * Symbolus fidei Ephesinæ.

*. Etiam Latini Scriptores hoc vocabulum masculino genere aliquando vsurpant.

Incipit Symbolum fidei Elipandianæ.

D EGO *Elipandus Toletanæ sedis Archiepiscopus cum omnibus mihi consentientibus: Credo Trinitatem Patris, & Filii, & Spiritus sancti, in vna Deitatis essentia atque natura, hoc est, Deum, & Principium, & Spiritum* [Gabriel Vasquez 3.p.d.89. c.2.] *sanctum, in vna natura Deitatis Trinitatẽ personarũ. Quia sicut* [Gen.2.24.] *homo derelinquendo patrem, & matrem, & adhærendo vxori, cum sint duæ personæ, iam non sunt * duæ, sed vna vocatur caro,* [* duo.] *& sicut multorum animæ in dilectione Dei vnum est cor, & vna* [Act.4.32.] *efficitur anima: ita Pater, & Filius, & Spiritus sanctus, opifex vnius totius conditæ creaturæ, vnius glomeratio charitatis, vnius ambitus dilectionis in æterna substantia. Ipse quoque Pater per semetipsum descendit ad turrem, quam ædificabant filii Adam: & dixit Filio, & Spiritui sancto:* Venite descẽdamus, [Gen.11.7.] & confundamus ibi linguas eorum. *Per semetipsum quoque veniens de iudicio Sodomorum, Loth eripuit. Per semetipsum etiam in montem Sina descendens, Moysi legem dedit. Nam si* [Gen.19.16.]
E *intelligere vultis personas, quomodo sit vnus Deus trinitas, cognoscite comparatiue. Lapidem, & ignem, qui in eo est, & frigore in lapide manente vnam esse substantiam. Attendite huius* [Exod.20.1.] *lapidis comparationem, indiuisam personarum Trinitatem: etsi præualetis, considerate de ineffabili diuinitate: & videte vnius Deitatis inuisibilem Trinitatem. Et sicut alia est persona frigoris manentis in lapide, atque alia ignis manentis in parente: & tamen procedens non desinit esse cum generante: ita filii persona alia est, & non desinit in vna substantia Deitatis esse cum Patre. Et sicut lapis præcedit ignem illum in se manentem inuisione, ita Pater præcedit Filium, non tempore, sed origine. Ipse quo-*

quę

Hebr. 1.3. *que Dei filius*, cum sit splendor gloriæ, & figura substantiæ eius, *Deitatem inuisibilem exinaniens apparuit subiecta creaturæ specie cum Patre, & spiritu sancto Abrahæ in ipso* Gen. 18. 1. *feruore diei. Quia sicut absentia lucis tenebræ sunt: absentia tenebræ lux esse creditur, tertium inter vtrosque non obsistit: sic in vno verbo Dei, id est, vnico filio eius, fortitudinem, & honorem, & gloriam esse credimus. Et sicut spiritus pars animæ est per quam imagines rerum corporalium imprimuntur: sicut mens pars eiusdem animæ est perquam omnis ratio, intelligentiaque percipitur: sicut memoria, qua meditari memoratur: sic in verbo Dei profusis officiis diuersa meruerunt vocabula, quæ nequaquam diuiduntur in substantiam. Quem sacra scriptura testatur pro salute humani generis, Deitate exinanita, hominem factum, circumcisum,* Philip. 2.7 *baptizatum flagellatum, crucifixum, mortuum, sepultum, seruum, captiuum, peregrinum, leprosum despectum, & quod est deterius, non solum ab angelis, sed etiam ab hominibus minoratum vermem esse dictum, ex persona scripturæ eius dicente*: Ego sunt vermis, & non homo opprobrium hominum, & abiectio plebis. Psal. 21.7 *Cuius gloriam secundum diuinitatem stupent cælestia & magnitudinem contremiscunt terrena. Et qui dicit, gloriam meam alteri non dabo, Homo* * *interior* (∴ inter nos.) *in vna, eademque Dei, & hominis persona adglomeratur, atque carnis vestimento indutus. Quia non per illum, qui natus est de virgine visibilia & inuisibilia condidit: sed per illum, qui non est adoptione, sed genere: neque gratia, sed natura.*

Et per ipsum Dei simul, & hominis filium, adoptiuum humanitate, & nequaquam adoptiuum diuinitate, mundum redemit. Quis est Deus inter Deos qui vtrum comedisset, an bibisset ei cognitum manet, cui nonnulla actionis suæ mysteria nescire * *voluit.* (∴ soluit.) Rom. 8.29 *Quasi* conformes sunt *omnes sancti huic filio Dei secundum gratiam, profecto & cum adoptiuo adoptiui, & cum aduocato aduocati, & cum Christo Christi, & cum paruulo paruuli & cum seruo serui. Credo etiam inter ipsa sancti Spiritus charismata gratiarum, Spiritum sanctum esse adoptiuum,* in quo clamamus, Abba pater: *in quo spiritu non nego hominem Christum esse adoptiuum. Credimus enim quia in resurrectione similes ei erimus, non diuinitate, sed carnis humanitate, videlicet carnis assumptione, quam accepit de Virgine.*

Ecce duos Symbolos nimis inter se contrarios, & valde sibi dissimiles. Et hi duo, qui ex his diuisit, Ecclesiam Christi tractate Et secundum quod Ioannes Apostolus 1. Ioan. 4.1. in sua nos epistola instigauit, dicens: *Charissimi, nolite omni spiritui credere sed probate spiritus, si ex Deo sint. Quoniam multi Pseudoprophetæ exierunt in hunc mundum. Et ex hoc cognoscitur Dei spiritus, omnis spiritus qui confitetur Iesum in carne venisse, ex Deo est. Et omnis spiritus, qui soluit Iesum, ex Deo non est. Et hic est illius Antichristi, quem audistis quoniam venit: & nunc iam in mundo est.* Quid est soluere Iesum, nisi seorsum Deum, & seorsum hominem prædicare? Ipse sine dubio soluit Iesum, qui prædicat populo: dicens: Numquid per illum, qui natus est de Virgine, per ipsum visibilia, & inuisibilia condidit, an per illum, qui non est adoptione, sed genere, sed gratia, sed natura, cuncta creauit? Et ideo absque dubio per illum, quem sibi coæqualem, & sine adoptione genuit, cuncta creauit Et per ipsum Dei simul & hominis filium verbum carnem factum adoptiuum humanitate, & nequaquam adoptiuum diuinitate, mundum redemit. Videtis spiritum, qui soluit Iesum, A perite oculos: Aperta materia est. Spiritus erroris hoc dictauit. Illius Antichristi spiritus in hoc inspirauit. * Si certe mentior, qui discordant Symboli, qui discordant epistolæ: legite epistolam Ioannis hoc non dicit. (∴ Locus obscurus.) Sed quid dicit; 1. Ioan. 4.3. *Antichristus est, qui Iesum soluit Spiritus erroris est qui negauit Iesum in carne venisse.* Apostolus clamat aperte, & dicit: 1. Io. 4.14. *Nos vidimus & testificamur, quoniam pater misit filium suum saluatorem mundi. Quisquis confessus fuerit, quoniam Iesus est filius Dei, Deus in eo manet, & ipse in* Deo. Et adhuc dubitamus credere? Et adhuc dubitamus confiteri? Apostolus dicit: *Qui negat, quod Iesus est filius* Dei, 1. Io. 4.2.3 *negat eum in carne venisse*: & ipse est Antichristus.

Elipandus dicit.

(Epistola Elipandi.) *QVI non fuerit confessus Iesum Christum adoptiuum humanitate, & nequaquam adoptiuum diuinitate, & hæreticus est, & exterminetur. Auferte malum de terra vestra. Non me interrogant sed docere quærunt, quia serui sunt Antichristi: Hanc epistolam domini Ascarici Episcopi ideo fraternitati tuæ direxi Karissime fidelis, vt cognoscat, quanta in Christi seruis regnet humilitas quanta in Antic. discipulis regnet superbia.*

Cum Dominus Ascaricus mihi non docentis imperio sed interrogantis voto ea scribere voluit, sicut illum vera humilitas B *docuit. Isti vero modo & contraria dicendo modo, & quasi ignorantem me, quid rectum sit, noluerunt interrogare, sed docere. Vnde Deus nouit, quia licet proterue scripsissent. ∴ nam si vera dixissent, gratus obedire, debui, reminiscendo quod scriptum est* (∴ Locus mutilus.) Si iuniori reuelatum fuerit, senior tacet. *Et iterum*: Proximus ille Deo est, qui scit ratione tacere. (1. Cor. 14. 30. Est Catonis) *Nam nunquam est auditum,, vt Libanenses Toletanos docuissent. Notum est plebi vniuersæ, hanc sedem sanctis doctrinis ab ipso exordio fidei claruisse: & nunquam schismaticum aliquid emanasse. Et nunc vna ouis morbida, doctor nobis appetis esse. Et tamen nolui ea ad aures ceterorum fratrum nostrorum perducere, antequam illic vbi exortum est huiuscemodi malum, sit radicitus amputatum.* (Los de Liebana en las Asturias.) C *quia ignominia erit, mihi, si ∴ in traditione Toletana hoc malum fuerit auditum. Vt quod ego, & cæteri fratres mei in Ispalitanis tanto tempore diiudicauimus, & Deo auxiliante, tam in festis paschalium, quam in cæteris erroribus Megitianorum hæresim emendauimus; Nunc illi è contrario inueniunt, vnde nos arguant. Et tamen si tepide fuerit actum, & non fuerit à vobis emendatum: tunc illud ad notionem reducam fratrum: & erit vobis ignominiosum, si ab illis in vobis reprehensum fuerit.* (∴ F. intra ditionem Toletanam.)

Adolescentiam sane fratris nostri Eterii lacte adhuc alitam & nondum ad robur perfectæ intelligentiæ perductam, vestra fraternitas erudiat: quia non cum magistris optimis, sed cum ignaris, & schismaticis, videlicet Felice, & beato. Atiphrasio æquales in virtute, & pares in errore, habuit collationem. Bonosus, & Beatus pari errore condemnati sunt. ille credidit de matre adoptiuum, & non de patre ante sæcula propriè genitum, & D *non de matre temporaliter adoptiuum. Cui similem existimabo illum, nisi Fausto Manichæo? Faustus condemnauit Patriarchas & prophetas: iste condemnat doctores priscos, & modernos, Obsecro, vt calore fidei accensi tanta sitis intentione præcalidi, vt errorem prædictum de medio vestri auferatis: vt sicut per seruos suos Dominus de finibus Beticæ eradicauit hæresim Megetianam, ita per vos de finibus Asturiensium funditus euellat hæresim Beatianam, sed quia audiui quod præcursor Antichristi in medio vestri apparuit, qui illum iam natum annunciat: quæso, vt perquiras ab eo, vbi, aut quomodo, aut quando natus est spiritus ille mendax prophetarum, qui in eo loquitur; & nos sollicitos reddat.* (∴ Antiphrasio: quia dicebat Elipandus Beatum hoc nomine per antiphrasin appellari: vt liquet etiam ex epistola Caroli Magni ad Elipandum.)

Hæc epistola tua est. Hæc verba tua sunt. Hæc fides tua est. Hæc doctrina tua est. Hæc sapientia tua est. Et ad ipsa nos inclinare iubes. Et quia non inclinamus, clamas quia hæretici sumus, & præcursores Antichristi. Et ipse E spiritus mendax: qui *in ore Achab prophetarum ingressus est*, ipse loquitur in nobis. Et dicas Fideli tuo: Perquire, vbi est natus: & nos sollicitos reddo. (3. Reg. 22. 22.) Hæc iniuria non nostra, sed ipsius, quem adoramus. Et tamen si recte credimus filium Dei sicut veritatem sine dubitatione credimus, illius iniuria est, cum nostra est. Et cum illius iniuria est nostra est: quia caput, & corpus vna persona est. Neque enim cum pes premitur, caput glorificatur.

Denique iam caput ad cælos ascenderat, quando Saulus discipulos Christi trucidabat. Et dictum est ei: *Saule Saule quid me persequeris?* Non dixit quid persequeris seruos meos: sed quid me *persequeris*? (Actor. 9.5) Petrus quoque Apostolorum primus compatiens discipulis lachrymantibus, vt eos non relinqueret: sed abscederet à ciuitate: sed fugeret ante Neronem, victus fletibus discipulorum, cessit, & promisit se vrbem egressurum. Proxima nocte

Idem refert salutatis fratribus, & celebrata oratione, proficisci solus
Ambros. cœpit. Vbi ventum est ad portam, videt sibi Christum
in Auxent. occurrere. Et adorans eum dicit. *Domine quò venis?* Dicit
de Basil. nō ei Christus *Iterum venio crucifigi* Intellexit de sua dictum
trad. Hegi- passione, quod in eo Christus passurus videretur, qui
sipp. li.3.c. patitur in singulis. Non vtique corporis dolore, sed qua-
2. Greg. in dam misericordiæ compassione, aut gloriæ celebritate.
Psalm. 4. Et conuersus statim Petrus in ciuitatem redit: compre-
Panit. Ba- hensusque à persecutoribus, cruci adiudicatur. Paulus
ron. card. ipse vas electionis discipulis narrat: *Quotidie compleo ea,*
ad annum *quæ desunt passionis Christi in carne mea.* Et quia duo ge-
Christi 69. nera sunt martyrii, id est passio, & compassio: passus est
Annal. Dominus in Petro: & Iacobo compassus est in Ioanne.
Eccles. Deque Iacobo, & Ioanne dicit: *Potestis calicem bibere,*
Colos.1.24 *quem ego bibiturus sum:* Responderunt. *Possumus.* Dicit eis
Matt. 20 Iesus: *Calicem meum bibetis:* & vtiq; cum calix in scripturis
22. legitur, *passio* nominatur. Omnis enim seruus Dei, qui
Mar. 10.38 rectam fidem habet, quia *iustus ex fide viuit:* & omnem
Gala.3.11. hominem, sicut semetipsum diligit, calicem Christi bi-
bit, non est aperte sanguinis effusio, aut corporis pas-
sio sed animi compassio. Quia vterque vnius Christi
*F. vtique bibitur calix, vt Salomon in Cantico Canticorum ait:
Fortis est dilectio, sicut mors. Sicut. n. qui moritur, iam vl-
Cant. 8. 6. tra istum non videt mundum: ita & qui omnem homi-
nem diligit sicut se, non potest videre hunc mundum,
id est, amatores mundi. Et iste potest dicere cum Paulo
2. Cor. 11 Apostolo: *Quis infirmatur, & ego non infirmor: Quis scanda-*
29. *lizatur, & ego non vror?* Quia vbicunque tribulatio, aut
hæresis surrexit in Ecclesia, confestim tribulabatur: ita-
tim compatiebatur in singulis, sicut Christus, qui pati-
tur in singulis, non vtique corporis dolore, sed animi
compassione. Quæ passio, & compassio vna est passio:
quia vnus est calix qui bibitur: & vna persona est caput
& corpus, qui patitur.

Qui dicit se rectè credere in Christo, & membra eius
non recipit, quomodo Christum rectè credat, non vi-
deo. totum enim Christum non diligit, qui hominem
1. Ioan. 3.15 odit. Et omnis, qui odit fratrem suum, Cain est: fratrici-
da est, homicida est. Et talis homicida non habet Chri-
stum, qui est vita æterna. Non habet Christum, quia
non imitatur Christum: imitaretur, si omnem homi-
nem sicut semetipsum diligeret. Et non solum amicos,
sed etiam inimicos. Amicos diligere in Deum, & inimi-
cos propter Deum. Non enim Christus pro amicis, sed
pro inimicis mortuus est. In tantum dilexit inimicos, vt
se morti traderet pro iis. Quod si non faceret, nullus in-
ueniretur, qui eum laudaret. Sed cum inimici essemus,
1. Pet 2. 21 *pro nobis mortuus est, relinquens nobis exemplū, vt sequamur*
1. Ioa. 3. 15 *vestigia eius.* Ioannes Apostolus dicit: *Omnis, qui odit fra-*
trem suum, homicida est. Et scitis quoniam omnis homicida nō
habet vitam in se manentem. In hoc cognoscimus charitatem
Dei, quia pro nobis animā suam posuit: Et nos debemus pro fra-
tribus animas ponere. Hoc totū quare dicimus? nisi vt quid
esset Ecclesia firmaremus? Et cum ecclesia cognoscitur,
cognoscitur & Christus qui caput Ecclesiæ est. Et vbi
Ecclesiæ Christi est, pax est: quia pax nostra est *Christus*
qui se & nos fecit, vtraque vnum.

Proinde dilectionem prædicamus, & cum nemine
scandalum habere volumus, secundum prophetæ di-
Psal. 118. ctum: *Pax multa diligentibus legem tuam, & non est illis scā-*
dalum. Tu ergo, qui habes scandalum contra nos, dic
Mat. 18. 7. quare? Hic Dominus in Euangelio ait: *Non desinent, vt*
veniant scandala: væ homini per quem veniūt. Perquira-
mus principium eius scandali, vnde surrexit: & secun-
dum Domini dictum, *væ illi erit, per quē venit,* Scripsisti
nouam doctrinam: & illa quæ per totum mundum om-
nium baptizatorum voce depromitur, dimisisti. Et nos
incogniti de tua doctrina noluimus ea recipere, & illa
dimittere, quæ per totum mundum tenet Ecclesia. Ecce
scandalum vnde venit Ecclesia. Væ illi per quem venit.
Nam nostra fides symbolum est, in hoc stat Ecclesia
Catholica per vniuersum orbem terrarum constituta:
quæ diffusa esse creditur, non diuisa. Tu vero nouum

A symbolum composuisti, qui in scripturis sacris inuen-
tus non est: & direxisti in nostra ecclesia, vt credamus
Trinitatem personarum Patris & Filii, in vna natura
idem: Et hoc Sabellius dixit. Quia verbo tantum Pa-
trem, & Filium in vno Deo, & Spiritum sanctum dice-
bat: & tamen confundebat personas: vt vnam eos esse
personam diceret. Sicut vnus homo natura est, & in eo
imago Trinitatis, id est memoria, intelligentia, & vo-
luntas quę tria in vna natura sunt, & in vna persona sunt,
& in vno homine sunt: & ipsa tria homo non est. Hoc
dicis de Trinitate vno Deo vt credamus Trinitatem per-
sonarum Patris, & Filii, & spiritus sancti in vna natu-
ra, id est, in vno Deo. Et quia vnus homo imago Tri-
nitatis in anima est, idem in memoria, intelligentia, &
volontate. Et ipsa tria in vna persona hominis: & ipsa
B homo non sunt: sed hoc totum vna persona est: sic nos
cogis intelligere: & credere: vt dicamus Patrem, & Fi-
lium, & Spiritum sanctum in vno Deo, in vna natura, &
non sint ipsa tria deus sicut nec illa tria sint homo, quæ
supra diximus. Quod si verum non dicimus, tractent
spirituales viri, & aliud credimus inuenire non possunt
qui libros de Trinitate legunt. Sed quia grandis materia
est, & sigillatim discutienda sunt, ea proferre debemus,
vnde scandalum ortum est, pro quo schismatici hæretici
à te nomen habemus.

Iam dicimus tuam Trinitatem, quam nos non recipi-
mus: dicamus & tuum Christum, quem talem esse non
credimus. dicitis enim *Nunquid per illum, qui natus, est de*
C *Virgine per ipsum visibilia & inuisibilia condidit: an per illū*
qui non adoptione, sed genere: nec gratia, sed à natura cuncta
creauit. Et ideo absque dubio per illum, quem sibi coæqualē &
sine adoptione genuit, multa creauit. Et per istum Dei simul, &
hominis filium Verbum carnem factum adoptiuum humanita-
te & nequaquam adoptiuum diuinitate mundum redemit.

Ecce tuam fidem de Christo. Et hanc non recipi-
mus quia nec talem fidem habemus, nec talem doctri-
nam ab Apostolis accepimus: nec in Lege, & Euangelio
tale vnquam legimus: sed neque in libris doctorum,
aut manualibus: sed tantum in tuis dogmatibus. at ob
hoc à te Antichristi discipuli nomē habemus. nec vn-
de surrexit inter nos scandalum. Cætera multa dixisti,
quæ supra in symbolo tuo comprehendimus: sed mo-
D do discutienda non sunt, quia nec valemus: sed si Deus
voluerit, vixerimus, discutienda, & abiicienda sunt ab
ecclesia: quod, absit per illa *Christianum* nomen caream-
mus: & iam non Christiani, sed *Elipandiani* nomen habe-
bimus. Cuius fidem qui secutus fuerit, eius vocabulum
sumit: sicut Ariani ab Ario: Sabelliani à Sabellio, & cæ-
teri ex nomine auctorum suorum. Et ideo vnus Chri-
stus nobis sufficit filius Virginis qui nomen habet Iesus
Illos tuos, qui dicis, istum & illum, necesse non habemus
quia nec nomina illorum à te scripta cognouimus. Istum
& illum dixisti, *Iesum* vero nominare non potuisti: quia
nec eum in corde habuisti. Quod si habuisses, cum Pau-
lo Apostolo dicere potueras *An experimentum quæritis* 2. Cor. 13.
eius, qui in me loquitur Christus Et alio loco, dicit quod *ne-*
mo potest dicere Dominus Iesus, nisi in spiritu sancto. Siqui-
E dem & in suis epistolis non est ausus recom dicere, è dei-
tate exinanita *Et nos adoptiui, ille adoptiuus, & nos Chri-*
sti, & ille Christus: & nos paruuli, & ille paruulus: & cætera
∴ spurcitia, quæ tu Iesu Christo domino nostro ausus ∴ spurca.
es dicere, seruum cum seruis: sed sua epistola ad Roma- Rom. 1.
nos sic habet: *Paulus seruus Iesu Christi, vocatus Apostolus,*
segregatus in Euangeliū Dei, quod ante promiserat per prophe-
tas suos in scripturis sanctis de filio suo, qui factus est ex semine
Dauid secundum carnē, qui prædestinatus est filius Dei in vir-
tute secundum spiritum sanctificationis ex resurrectione mor-
tuorum Iesu Christi Domini nostri: per quem accepimus gratiā
& apostolatum ad obediēdum fidei in omnibus gētibus, in qui-
bus estis & vos vocati Iesu Christi omnibus sanctis, qui sunt
Romæ dilectis Dei vocatis sāctis, gratia vobis, & pax à Deo
patre nostro, & Domino Iesu Christo, primū quidē gratias ago Deo
meo per Iesum Christum pro omnibus vobis: quia fides vestra
annun-

annunciatur in vniuerso mūdo. Testis enim est mihi Deus, cui seruio in spiritu meo in euangelio eius. Cuius seruum se dixit Paulus Apostolus? aut in cuius filii Euangelio seruiebat? Aperite oculos, & videte venenum. Proiicite eitò foras, ne moriamini ex eo. Legite totas epistolas Pauli & inuenietis *seruum Iesu Christi* nuncupantem, & filium Dei coram omnibus confitentem. Nam non inuenietis vbi istum, & illum adoptiuum humanitate: & nequaquam adoptiuum diuinitate. Legite septem canonicas: Petri Apostoli duas, Ioannis Apostoli tres: Iudæ vel Iacobi singulas: hoc non inuenietur scriptum. Legite librum Euangeliorum quatuor, & Apocalypsim Ioannis, atque Actus Apostolorum, & hoc ibi non inuenietis: sed *seruum Iesu Christi* nominantes: & illum *Dei filium Deum verum* constituentes. Legite libros omnium doctorum vsq; ad libros manuales, & inuenietis quod nemo talia scripsit, quia nec talia credidit. Quia si certa talia inueneritis scripta, qualia nuper scripta sunt ab Elipando Toletanæ sedis episcopo, tunc credite ei, quod hæretici sumus, & Antichristi discipuli, & proiiciat nos à terra vestra: &, secundum illius præceptum, auferte malum de medio vestri. Si certè nos dicimus veritatem ille mendacium dicit, quia non habemus vnam fidem: & fides † versa non facit charitatem vnam, & ob hoc diuisa est in duas partes Ecclesia. Et iam in Scripturarum præcincti arma vnusquisque fidei suæ publice surreximus ad pugnam, et quia tres reges contra vnum surrexerunt, non timeamus. Fortes estote: *Plures enim sunt nobiscum, quam cum illis.*

† diuersa.

4.Reg.6.16.

1.Reg.17.14.

Nobiscum est Dauid ille manu fortis, qui paruo lapide Goliam blasphemum, qui exprobrabat exercitum Dei Israel, in fronte percussit, & vno ictu prostrauit: nobiscum est Moyses, qui Pharaonem cum suo exercitu in rubro mari demersit, & populum suum sicco pede transire fecit. Nobiscum est Iosue, qui quinq; reges in vna spelunca cōclusit, qui antea Amalec vicit. Nobiscum est pater Abraham, cum trecentis vernaculis, qui quinque reges superauit, & spoliis exuit. Nam isti tantùm tres reges sunt. Nobiscum est virorum fortissimus Gedeon, & trecenti electi cum eo, cum quibus percussit Madian, quasi vnum virum. Nobiscum est Samson leone fortior, saxo durior: qui solus sine armis mille prostrauit armatos. Nobiscum sunt duodecim patriarchæ. Nobiscum sunt sedecim prophetæ, apostoli, & Euangelistæ. Nobiscum sunt omnes Martyres, & Doctores. Nobiscum est IESVS filius virginis, cum omni Ecclesia suo proprio sanguine comparata, & per vniuersum orbem terrarum dilatata. Ista tantum hostis in vno angulo tenetur coarctata. *State* ergo, secundum Apostolum, *succincti lumbos vestros in veritate: & induti lorica iustitiæ, & calciati pedes in præparationem euangelii pacis, in omnibus sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere & galeam salutis assumite, & gladium spiritus, quod est verbum Dei.* Dicamus cum sanctissimo Dauid Propheta: *Adiutorium nostrum à Domino, qui fecit cælum, & terram.* Donauit certantibus victoriam, qui certandi dedit audaciam. Non nos hostium turba, non bellantium tenor et forma, non quasi fulgentia vitrea arma terreant. *Hi in curribus, & hi in equis, nos autem in nomine Dei nostri magnificabimur.* Nō timeamus. Nō sunt bellatores. Negotiatores sæculi sunt. Suum negotium portant, non nostrum, sua quærunt, non quæ Iesu Christi. Aurum se dicunt, & argentum portare: sed mixtum est: adulteratum est, falsum est. Veniant trapezitæ, & videant, quia mendacium est. Nemo ex his accipiat: nemo emat: ne postmodum pœniteat. Vinum nobis porrigūt nemo accipiat: nemo bibat, mixtum est aqua. Et hoc, quod videtis, plus aqua, quam vinum est.

Exod.14.28.

Genes.14.

Iudic.6.7.

Eph.6.14.

Psal.124.8.

Psal.19.8.

Iam & hoc aliquando factum est tempore Ieremiæ, erant pseudoprophetę, hoc est, hæretici, qui falsa, & adultera verba populo prædicabant, & dicebant: *Hæc dicit Dominus.* quod Dominus omnino non miserat. Vnde & per Esaiam caupones eos teterrimos appellabat dicens: *Caupones tui miscent vinum aqua*, eò quod sapienti, & sincero mero, id est, verbo Dei, incipiendum, & aquatum, id est terrenam, & humanam doctrinam, quasi aquam miscentes vino populo intimabant. Ideo caupones aquam vino miscentes audire meruerunt. Et quanquam vinum nominetur hoc loco, tamen bonum est: quia doctrina prophetarum: & Apostolorum est. Sed quia mixta est, id est, hæreticæ prauitatis infecta: hæc aqua non de vero fonte est, id est, non de Christi doctrina: sed de hæreticorum collecta lacuna, & de mundi opinione falsa scientia. Obscura verba, quæ à paucis intelligantur, qualiter possint, quo pacto vero dogmati mixta sapientia colorari. * Quæ nos Spiritu sancto docente illum spiritum erroris, qui sibi ista confingit, pro quo possit nomen doctoris assumi: & suā doctrinā mixta cū Ecclesiæ doctrina copulari. Quam aquam Moyses vertit in sanguinem, quæ est prima plaga Ægypti. Et licet illa in Ægypto corporaliter gesta sint, spiritualiter tamen nunc geruntur in nobis. Ægyptus namque sæculi forma est: in cuius prima plaga aquæ vertuntur in sanguinem. Et quia omnes hæretici Philosophi sunt: quia rusticus hęreticus dici non potest, ob inde aquæ Ægypti erunt, id est hæreticorum lubrica, & obscura philosophantes doctrina. Quæ merito in sanguinem vertuntur: quia scripturas sanctas carnaliter sentiunt. Sed mox vbi crux Christi fuerit, his veritatis lumen ostendit, & eos acrius redarguit, vt ex qualitate personarum proprios agnoscant errores. Et tunc probatur, qui est Spiritus Dei; & qui erroris.

Isa.1.22.

Vulg. Vinum tuum mistum est aqua.

* Locus obscurus.

Exod.7.20.

Origenes.

De quo spiritu erroris in Apocalypsi dicitur; *Et vidi ex ore draconis, & ex ore bestiæ, & ex ore Pseudoprophetæ spiritus tres immundos in modum ranarum.* Draco quis alius, nisi Diabolus est? Bestia à vastādo nomen accepit, quia nō herbas mandit sed sanguinem effundit, & carnem lacerat, vnde viuit. Hæc bestia, quid aliud nisi homo est, qui hominem * primit. Pseudo autem propheta hæreticus est. Tres spiritus se vidisse testatur, sed vnus spiritus est. Quia sicut homo adhærens Deo, fit vnus spiritus: homo malus adhærendo hęretico fit vnus spiritus cum diabolo: sicut ipse & ipse diabolus de semetipso ait: *Sedebo in monte testamenti, & in lateribus Aquilonis.* † Mōtem testamenti diabolus præsidet, cum corda hęreticorum tenet. Latera huius montis sunt omnes qui eis consentiunt, & eorum defensores assistunt. His spiritus verba ipsorum sunt: quia quod diabolus eis inspirat, hoc loquuntur: quem spiritus dicit esse quasi ranæ. Rana, est loquacissima vanitas, Nihil enim cibo aptum est animal illud quoniam immundum est. Nihil aliud animal istud vtile est, nisi quod sonum vocis, improbis & importunis clamoribus reddit: Nam in lacunis, & in cœno, atque collectis aquarum sordibus volutatur: Sic hæretici, non in aqua limpidissima, aqua viua, quę de fontibus saluatoris; id est, doctrina Apostolorum est: sed in ipso populo ignaro, & lubrico indignis clamoribus, quasi ranę è cœno voces emittunt: qui inaoi quadam, & inflata modulatione superbiæ, velut ranarum sonis, & cantibus noxia deceptionis fabulas scribunt.

Apoc.16.13.

* F. perimit.

Esa.14.13.

† In mōte, aut monti.

Ranæ sunt hæretici.

Sic aurum, & argentum purum simulantes nos includere quęrunt in negotio, quę & istud æramento, & stannum miscuerunt. Nos tamen efficiamur, secundum præceptum Domini probabiles trapezitæ, quia peritiæ disciplina est probare quid sit aurum purissimum, quod vulgo dicitur obrizum, vel quid sit manus purgationis igneis * terreo, vilique denario. Si pretiosum nomisma fulgore auri fulgentis mutetur, prudentissima discretione prouidendum est, ne decipiamur: & non solum consideremus, si aurum purum est: sed etiam acutè cernentes cuius imagine sculptum habet: si veri Regis, si Latronis. Nam latro quia aurum furatur, hoc publicè negotiare non præsumit: sed denuo in conflatorium mittit: & vultum Imperatoris, atque imaginem sub falsitate exprimit. Et hoc habemus sapienter agnoscere & illa, quæ sit veri regis moneta, an falsi negotiatoris non

* arte.

legitime figurata, prudentia velociori discernere, & dũ viderimus, quod purum aurum est, & ebsque mixtura, & veri regis imaginem habet, adhuc dubitandum est, & comparandum non est, nisi trutinæ imponatur: ne forte minus de pondere habeat, diligenter inquiratur.

Quæ omnia nos quoque spiritualiter obseruare debere, Euangelicus sermo sub huius nomine demonstrat exemplo. Primum, vt quidquid in cordibus nostris irrepserit, vel quidquid nouæ doctrinæ fuerit intromissum, probare debemus [spiritum] vtrum sit diuino illo & cælesti Spiritus sancti igne purgatum, an spiritu erroris irreptum, quod de hæretica prauitate veniens: seu de sæculari philosophiæ tumore descendens sub nomine sanctitatis hypocrisin præferens in superficie tantum ostendat pietatem, diligentissimè perscrutari debemus. Quod ita poterimus implere, si illud Apostolicum fecerimus, *Nolite omni spiritui credere: sed probate spiritus, si ex Deo sunt*. (1. Ioan. 4. 1.) Quo genere illi quoque decepti, sunt qui se Deo seruire promiserunt: & post professionem monachi nitore sermonis, & quibusdam sunt Philosophorum dogmatibus inlecti: & per hoc ascendentes ad primas cathedras vt publicè ab hominibus ignaris viderentur esse magistri, sacerdotium sunt adepti qui in prima fronte ordinis humanitatem, & sanctitatem simulantes, pus quibusdam * hæc religio mentis consone suadentes, velut auri fulgore fallentia, quos semel in superficie simulationis inlexerunt, velut numismatibus æreis falsis, & mendacibus deceptos, nudos, ac miseros in perpetuum reddiderant vel ad sæculi eos strepitum reuocantes, vel ad hæreticos errores hac præsumptione tumidos pertrahentes. Quod etiam Acham in libro Iesu Naue fuisse perpessum, qui de Iherico * linguam auream concupiscens, pro quo, irascente Domino, multi perierunt manu hostili ex populo: atque postea ille pro furato anathemate ab omni populo lapidari meruit, & à Domino æterna morte damnari. Hoc significauit, qui in Ecclesia hæreticorum inferrent dogma, vel superstitiosa secularium literarum studia. Hæc est enim *lingua aurea* in loculento sermone aptata. Hanc fraudati sunt Arius, Sabelius, Bonosus, Marcio, Basilides, elipendus Toletanæ sedis Archiepiscopus. Furati sunt enim isti regulas auras de Iberico, id est, de schola sæculari, & philosophorum sectam non rectam in Ecclesiam conati sunt introducere, & maculare omnẽ Ecclesiam Domini ita, vt disperderentur multi per eos. Ideoque abiecti anathemate, quasi aceruo lapidum, id est, multitudine peccatorum oppressi, atque extincti sunt, sicut Acham aceruo lapidum oppressus ab Israel extinctus est. Cuius errore perempto rex Hay, hoc est diabolus, qui per illorum impietatem fidelium quosdam abiecerat, iterum superatus deuincitur, atque à populo Dei suspensus ligni Crucis virtute occiditur.

F. hortamentis cõsona suadentes.

Iosue VII. cap.

* *regulam auream est in Vulgata Ios. 7. v. 21.*

Primum diximus de aureo mixto, id est, hæreticorum mixta doctrina, & puro auro de Iherico furato, hoc est hæreticos de mundi Philosophia eruditos, in sacerdotio electos. Nunc secundo sollicitè nos inuestigare conueniat, ne auro purissimo scripturarum praua intentio coaptata metalli pretiositate nos fallat. In quo etiam Domino saluatori astutissimus diabolus, velut homini puro & simplici tentauit imponere, æstimans eum vnum esse de cæteris sanctis. Et illa, quæ generaliter sunt super omnium iustorum intelligenda personis, maliuola interpretatione corrumpens, specialiter Domino nostro *Iesu Christo*, qui angelorum custodia non egebat conatur aptare, dicens: *Quoniam angelis suis mandauit de te, vt in manibus tollant te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum.* (Ps. 90. 11.) pretiosa scilicet eloquia scripturarum callide assumptione conuertens, & Christum Dei filium vnum ex ceteris hominibus existimat, quem hominem videt: & ea, quæ pro sanctis intelligenda sunt, ad contrarium sensum, noxiumque detorquens, vt imaginem tyranni vultus sub colore auri fallentis nobis objiciat. Nullus ergo Christo comparetur, quamuis sanctitate præfulgeet, cum audit, quod *Filius hominis* dicitur: nec illo sẽsu diaboli eum vnum de filijs hominum æstimet: de quibus scriptum est: *Filij hominum in protectione alarum tuarum sperabunt.* (Ps. 36. 8.)

Sed multi heretici in Ecclesie prodierunt, qui mediatorem Dei & hominum, hominem *Christum Iesum*, purum hominem creatum dicerent, sed ex gratia Deificatum tantumque ei sanctitatis tribuerint, quantum de sanctis cæteris, eius videlicet famulis, agnouissent. Quod beatus Iob prophetiæ spiritu afflatus sententię suæ definitione redarguit, dicens, *Non adæquabitur ei Topadium de Æthiopia.* (Iob. 28. 19.) Quid Æthiopia, nisi præsentem mundum accipimus, quæ coloris nigredine designat peccatorum populum fœditate meritorum. De quo Propheta dicit: *Æthiopia præueniet dare manus Deo.* (Ps. 68. 32.) Id est, priusquam Iudæa credat saluandam se, offeret omnipotenti Domino se peccatis nigra gentilitas. *Topadium* verò preciosus lapis est. [at quia Græca lingua, *pan*, omne dicitur, pro eo quod est omni loco resplendet, *topadium*, quasi *topazium* vocatur.) Dum vero in Deum conuersa Gentilitas credidit ex ea: ita multi sunt dono spiritus locupletati: vt qui sicut multis coloribus: sic multis virtutibus luceant. Sed non acceptis quisquam virtutibus extollatur, à sancto viro nunc dicitur: *non adæquabitur ei topadium de Æthiopia.* Ac si aperte diceretur: Nullus sanctorum, quibuslibet virtutibus plenus, tamen de nigredine mundi collectus, æquari potest ei, de quo dictum est: Quia ipsa naturæ corruptibilis conditione constringimur, vt cum Propheta dicamus: *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in delictis peperit me mater mea.* (Ps. 50. 7.) ille autem solus veraciter sanctus est, qui vt ipsam conditionem naturę corruptibilis vinceret, ex commixtione carnalis copulæ conceptus non est. Huic se sapientiæ quasi quoddam topadion de Æthiophia æquari voluit, cum quidam hæresiarcha, dixit; *Christo Deo facto: si volo, & ipse possum fieri.* Et ille se ęquari voluit, qui simili sensu de eo dixit: *at ille Christus, & nos Christi, & ille adoptiuus, & nos adoptiui: ac ille paruul⁹, & nos paruuli. Et ille seru⁹, & nos serui.* Qui Iesum Dominum nostrum, non per mysterium conceptionis: sed per profectum gratiæ Deum putauit peruersa alligatione adstruens eum purum hominem natum: sed vt Deus esset per meritum profecisse, vtque ob hoc existimans & se, & quoslibet alios, ei posse coæquari, qui filii Dei per gratiam fiant, non adhuc intelligens, non attendens, quod *non adæquabitur ei topadium de Æthiopia* (Iob. 28. 19.) Aliud est enim natos homines per gratiam adoptionis accipere, aliud vnum singulariter per diuinitatis potentiam Deum ex ipso conceptu processisse. Neque æquari potest gloria vnigeniti habita per naturam, alijs accepta per gratiam. Mediator quippe Dei, atque hominum homo Christus Iesus, non sicut iste hæreticus decipit: aliter in humanitate, aliter in Deitate est. Non purus homo conceptus, atque editus post meritum, vt Deus esset, accepit; sed nunciante angelo, & adueniente spiritu, mox verbum in vtero, mox intra vterum Verbum caro. Et manenti incommutabili essentia, quæ ei est cum Patre & spiritu sancto coæterna, assumpsit intra virginea viscera: vbi & impassibilitas pati, & immortalis mori: & æternus ante sęcula temporalis posset in fine sęculorum ostendi. Vt per ineffabile sacramentum conceptus, sancto partu inuiolabili, secundum veritatem vtriusque naturæ eadem virgo, & ancilla Domini esset, & mater. Sic quippe ei ab Elisabeth dicitur: *Vnde hoc mihi, vt veniat mater Domini mei ad me?* & ipsa virgo concipiẽs dicit: *Ecce ancilla Domini: fiat mihi secundum verbum tuum;* (Luc. 1. v. 38. 43.) & quamuis ipse aliud ex Patre aliud ex Virgine: non tamen alius ex Patre, alius ex Virgine: sed ipse est æternus ex Patre, ipse temporalis ex matre. Ipse qui fecit ipse qui factus est. Ipse *speciosus forma præ filiis hominum* per diuinitatem, & ipse est, de quo dictum est: *Vidimus eum, & non erat aspectus: & non est species ei nec decor.* (Ps. 44. 3.) Per diuinitatem ipse ante sæcula de Patre sine matre: ipse in fine sæculorum de matre sine Patre, ipse conditor templi,

ipse

ipsa conditor templi, ipse auctor operi, ipsa opus auctoris manens vnus ex vtraque, & in vtraque natura. Nec naturarum copulatione confusus, nec naturarum distinctione geminatus.

Sed quia non hæc tractanda suscepimus, ad ea quæ supra diximus, exponendi ordine redeamus: quod nullus ei hominum, in quo homo est, similis habeatur. Notandum nobis est quod sanctus Iob, vt longè distare à Christo angelos demonstraret dixit: *Non dabitur aurum*
Iob. 28. 15. *obrizum pro ea*, id est pro ea sapientia, quæ Christus est. Quia vt & antiquos etiam patres sacri eloquii tractatores inferiores Christi ostenderet, adiunxit: *Nec appendetur argentum in commutatione eius*: & vt philosophorum
Ibidem. quoque sapientiam Christo monstraret, longe subesse, intulit dicendo: *Non conferetur tinctis Indiæ coloribus*. Atque subiunxit: *Nec lapidi Sardonicho pretiosissimo, vel Sapphiro*. at vt in illa quoque superna ciuitate Hierusalem B nullum peruenire ad æqualitatem vnigeniti demonstraret, addidit: *Nec adæquabitur ei aurum, vel vitrum*. Et vt Prophetas Christo subesse ostenderet, adiunxit: *Nec*
Ibidem. *commutabuntur pro ea vasa auri, excelsa eminentia: nec commemorabuntur comparatione eius. Trahitur enim sapientia de occultis*.

Ad extremum verò vt ipsos quoque in Ecclesia hæreticos increparet, qui fidem, quam percipiunt, per superbiam scindunt: addidit: *Non adæquabitur ei topazium de Æthiopia*. Ac si patenter insinuet, dicens: Hi, qui in peccatis concepti, & in peccatis nati ad conuersioné veniunt, æquari homini Deo non possunt, quamuis multis colorum virtutibus resplendere videantur. Quorum vt superbia refutetur, aptè subiungitur: *Nec tinctura mundissima componitur*. Tincturæ enim mundissimæ vocantur hi, qui veraciter sunt humiles, & veraciter sancti. Qui sunt quidem, quia ex semetipsis virtutum speciem non habent: sed hanc ex dono gratiæ superuenientia tenent. Tincti enim non essent, si sanctitatem naturaliter habuissent. Sed mundissimæ tincturæ sunt quia humiliter custodiunt superuenientem in se virtutum gratiam, quam acceperunt. Hinc est enim,
Cant. 5. vide desert. in Vulg. quod Sponsi voce de sancta Ecclesia dicitur: *quæ est ista, quæ ascendit dealbata?* Quia enim sancta ecclesia cælestem vitam naturaliter non habet: sed superueniente spiritu pulchritudine donorum componitur, non alba, sed dealbata memoratur: & notandum, quod superius, cùm dixisset: non confertur tinctis Indiæ coloribus, eosdem colores non intulit mundos. Hoc verò in loco, vt tincturam veracium virtutum seruorum Dei ab illa hæreticorum philosophorum factione segregaret, *tincturas, & mundissimas* dicens: Tincturæ enim rectè nominantur mundissimæ, hi qui prius per praua opera fœdi fuerunt: superuenienta spiritu more gratiæ vestiuntur. Vt longè aliud appareant esse, quam erant. Vnde etiam Baptisma tinctio dicitur, id est, ipsa nostra in aquam descensio. Tingitur quippe, vt qui prius indecori eramus deformitate vitiorũ, accepta fide reddamur pulchri gratia, & ornamento virtutum.

Hoc totum quare dicimus? Nisi vt nemo se præsumat Christianorum Christo comparari, vt Elipandus facit, qui dicit: *Et ille Christus, & nos Christi: & ille seruus, & nos serui*: Quem audit in Scripturis eum hominem nominare; qui propter dispensationem redemptionis nostræ factus est Deus homo, ex semine Dauid secundum carnem: nullam differentiam ponit inter Deum hominem, qui est Deus essentialis super omnia, & Deos nuncupatiuos non essentiales Deos super omnia, sed tantum intra omnia. Certe dictos, *ille homo, & nos homines. Ille Deus, & nos Dij. Ille filius, & nos filij. Ille Christus, & nos Christi. Ille seruus, & nos serui. Ille paruulus, & nos paruuli*. Sed non secundum eamdem rationem vnus ex nobis intelligendus est: quia ille singulariter dictus, & nos pluraliter. Nam cum ille in scripturis legitur, nos consequenter intelligimus ipsum esse Deũ

A verum, & solum *ex semine Dauid secundum carnem, qui* Rom. 1. 3. *est super omnia Deus benedictus in secula*. Cum verò in Scripturis Deus dicitur, singulariter dicitur, non pluraliter: sicut multi dii, aut multi Domini. quia Deus essentiale nomen est. Sed nos cum Deum legimus in scripturis consequenter hominem intelligimus ipsum Deum esse natum de Virgine, qui sub Pontio Pilato est crucifixus. Quia Deus est genitus de ingenito Patre Deo: ac per hoc segregamus eũ de cæteris multis hominibus, qui dii dicuntur pluraliter, & homines pluraliter. Nam iste homo singulariter Deus est. Si nominas hominem, Deus est verus. Quemadmodum si ponas ante oculos quemlibet hominem, & nominas eum carnem, ipse tamen, & anima est. Si nominas animam, ipsa vero & caro est: & ex vtroque, id est, anima, & carne, qua constat homo, B vna persona est: & vnum illi nomen est, carnis & animæ, vt puta Petrus. Et cum sapienter loquitur ipse, caro eius videtur: sapientia eius tantum auditur, & non videtur. Et tamen ipsa sapientia in anima est, quæ per carnem foris auditur: sic & Christus: caro eius videbatur, & diuinitas eius non videbatur. at sapientia eius, quæ per carnem foris videbatur, de diuinitatis eius erat apparatu.

Homo ex duabus substantiis vna persona est, & habet nomen Petrus. Et Christus ex tribus substantiis duabus naturis vna persona est, & habet nomen. *Christus*. Mortuus est Petrus in sola carne, non anima. Anima ascendit ad cælum, corpus Romæ quiescit in tumulo & tamen. Petrus quiescit in tumulo mortuus, & C ipse Petrus in cælo cum Christo est viuus. Et sola caro mortua Petri, & sola anima viua Petrus. Et ex vtroque non duo Petrus, sed vnus est Petrus. Sic & Christus tres habet substantias: Vna æterna quæ cum Patre est illi æqualis, id est, immortalis sicut pater: Incommutabilis: sicut pater: Inuisibilis, sicut pater. Inlocalis, sicut Pater. Impassibilis, sicut Pater. Duas verò substantias habet temporales, quæ de nostro sunt, id est, animam rationalem, & carnem. De nostro habet æternus: vnde temporalis est. De nostro habet Deus, vnde homo est. De nostro inuisibilis, vnde visibilis est. De nostro inlocalis, vnde localis est. De nostro immortalis, vnde mortalis est. Ac per hoc agit æternus temporaliter. Crescit, perpetuus. Videtur, inlocalis. Patitur impassibilis. Moritur immortalis: qui totus absque mendacio vnicus est Dei Patris. Quamobrem & sola caro mortua, quæ in sepulchro iacuit, Christus fi- D lius Dei est. Et sola anima, quæ ad inferna descendit, Christus filius Dei est. Et verbum patris, qui semper æqualis extitit Patri, Christus filius Dei est. Hæc tria nõ tres Christi filii Dei sunt; sed vnus Christus filius Dei est. Sicut illa duo, quæ supradiximus, non duo Petri, sed vnus Petrus est: Ita hæc tria vnus Christus. Agit persona quæque substantia totum vna persona. Naturale est illi venire in hoc mondo solus *minoratus paulominus ab angelis*. Naturale est illi vbique esse cum Patre. Psal. 8. 6. Naturale est illi localis esse solus filius: naturale est illi inuisibilis esse cum Patre. Naturale est illi inuisibiliter esse solus filius. Naturale est illi impassibilis esse cum Patre. naturale est illi solus filius subditus passioni. Na- E turale est ille immortalis esse sub patre. Naturale est illi solus filius mori. Solum filium dico mori quia solus filius se exinaniuit. Exinanitio eius, aduentus eius est. Aduentus eius humanitas eius est: quę humanitas caro eius est, & anima, id est, totus homo perfectus est. Et ipse homo filius Dei Deus est. Et solus filius est homo, qui cum Patre & Spiritu sancto est vnus est Deus. Non cum Patre, & Spiritu sancto vnus est homo, sed cum tota Ecclesia vnus est homo: quia caput, & corpus vna persona est Christus.

Ergo nemo dicat: *Et ille Christus, & nos Christi* Et nos vnde dicimur Christi nisi à Christo? A Christo Christiani: sicut ab Hebre Hebræi. Sicut à Iacob, qui dictus

est Israel, Israëlitæ. Sicut à Iuda Iudæi. Quia omnis qui nocuum nomen accipit,* *à malo* se nomen accipit. Vt puta. *Vnitiza* Rex fuit: sed multi hodie ab ipso nomen sumont. *Vnitizam* etiam pauperes, vt per nomen agnoscatur, quod de stirpe regia est, qui & ipse Rex potuerat esse, si nomen fecisset regem. Sic Christianus, non est inde Christus, vnde nomen sibi imponit Christianum: Quod si nomen Christianum fecisset Christum, tam boni Christiani, quam etiam mali Christi dicerentur. Non est Christiacus, qui recte non credit Christum. Non est Christus, id est vnctus, qui Christi non accipit Spiritum, qui doceat eum, quod Iesus est filius Dei. Non est ecclesia vbi non est fides vera. *Iustus autem ex fide viuit*. Ergo qui fidem veram non habet, non viuet: sed mortuus est. Et qui mortuus est non poterat stare, quia mortuus iacet. Et qui mortuus est, Deo viuo seruire non potest. Nec de illis seruis est, de quibus propheta dicit: *Ecce nunc benedicite Dominum omnes serui Domini. Qui statis in domo Domini, in atriis domus* Dei *nostri*. Vt, recordom quod ait Apostolus: *donec* inquit, *venimus: vt scias, quomodo disponas domum Dei, quæ est Ecclesia.*

† F. à menta. liotí se.
Psal. 133.1
1.Tim.3.15

Ecclesia non parietibus, non lapidibus consistit: sed dógmatū veritate. Sed quia & ipsa visibilis domus, quæ *Basilica* dicitur, quæ Latino sermone *regis domus* nuncupatur, non ædificatur, nisi lapidibus quadratis: & lapis portando lapidem, in alto erigitur, quousque perficiatur domus: deforis ponuntur lapides maiores dolati: & intus lapilli qualescumque minutissimi. Quid significant hi lapides maiores, qui vnus alterum portat, nisi hoc qui in vna fide sectantur, & vnos alteri onera portando, crescit in altum in charitate vna, domus Ecclesiæ. Et sic perficitur Lex Christi. Lapilli vero minutissimi sunt, qui ab ipsis fouentur fragiles, & mente paruuli. Hoc totum per fidem, & charitatem fit. Nam siue charitate fides nihil prodest. Nā si prodesset, vt sola fides sine charitate saluaret, poterant & dæmones salui esse quia secundum Iacobum: *Dæmones credunt, & contremiscunt*: sed tamen non diligunt. Qui habet Charitatem, & fidem, discipulus est Christi. Et qui non habet Charitatem, & fidem discipulus est Antichristi, & persequitur Ecclesiam, id est, seruos Christi. Quia vnde Christum nescit, inde membra eius non cognoscit: & semper Discipulus Antichristi fuit. Quia qualiter manifestaretur, occasionem prædicationis non habuit. Quia catholici, & hæretici in prædicatione manifestantur. Catholici semper catholici sunt: quia semper simplices, & recti corde sunt: & bona sua semper celare quærunt, & mala publicare: vt tales ab hominibus esse credantur intus, quales foris videntur. Sed non manifestatur in pace nisi postquam surrexit pugna perfidiæ, vt Propheta: *In die mandabit Dominus misericordiam suam, * & in nocte declarabit. Dies* aliquando de scripturis sacris pro prosperitate ponitur: *nox* verò pro tribulatione persecutionis. Tunc serui Dei declarantur per fidem, cum hæretici cœperint hæreses prædicare. Et inde Apostolus ait *Oportet hæreses* intra Ecclesiam *esse, vt probati manifesti fiant*. Tunc catholici manifesti probantur, cum ab eis vera fides defenditur.

Iac. 2.19.
Ps. 41.9
* Velg. & nocte cā-ticū eius.
1.Cor.11.19.

Catholicus. Hæreticus quis.

Quid est Catholicus? Qui nonquam fuit Hereticus. Hæreticus tamen à parua infantia, nunquam fuit Catholicus, quia nunquam fuit purus: sed sub nomine sanctitatis erat hypocrita religiosus. Desiderabat enim corā hominibus sanctus videri, non esse. Non tunc dicebatur hæreticus; sed hypocrita, quia adhuc intus videbatur in Ecclesia. Cum vero cœperit discipulis prædicare, & eos ad suam peruersam fidem instituere, apparet hæreticus: Tunc folium cognoscitur in superficie, quod diu in terra cordis latuerat in semine. Et quia, vt diximus, semper hypocrita vixit, & laus humana eū pauit: cum à catholicis fuerit reprehensus, surgit in superbia, despectui habet petiisse veniam: requirit laudatores suos plusquam maxime sæculares, vt cum eis suam vindicet peruersam doctrinam. Et postquam maximam turbam imperitorum deceperit, dirigit per diuersas prouincias epistolas suas, vt quos potuerit inopinatos primos ad suam fidem inflectere, videatur quasi cum omni ecclesia recta sentire. Qui omnes decepti, filii eius sunt non legitimi, sed adulterini: quia adulterino verbo eos generauit. Quod si adulterinum non fuisset, Apostolus Paulus ad Corinthios non scripsisset: *Non enim sumus, sicut plurimi, adulterantes verbum Dei: sed ex sinceritate: sed, (sicut) ex Deo coram Deo in Christo loquimur*. Adulter quippe in carnali coitu non accipit vxorem, vnde filios habeat, sed per diuersas fœminas adulterando, non filios, sed voluptatem quærit: ita & hæreticus, & peruersus quisque † *aquam, Ecclesiæ seruiens*, rectè adulterare verbum Dei dicitur, quia per sacrum eloquium non Deo filios generare, sed suam scientiam desiderat ostendere. Cum enim libido gloriæ ad loquendum trahit, voluptati magis quam generationi operam impendit. *Adulterare* namque est *verbum Dei*, aut aliter de illo sentire quam est, aut non spiritualis fructus, sed adulterinos quærere laudis humanæ, quia sinceriter non loquitur. *Ex sinceritate* vero *loqui* est nihil plus in eloquium, quam oporteat quærere: sed hoc tantum quod à Deo institutum est. Sicut ex Deo autem loquitur, qui scit non se à se habere, sed ex Deo accepisse quod dicit. Coram Deo verè loquitur, qui in omne, quod dicit non humanos fauores appetit, sed omnipotentis Dei præscientia intendit: non suam, sed auctoris gloriam requirit.

2.Cor. 2.17.
* F. ac vanæ gloriæ seruiens.

Qui autem scit quidem ex Deo se accepisse, quod dicit, & tamen dicendo propriam gloriam acquirit, sicut ex Deo loquitur, & nó coram Deo: quia eum, quem cordi suo non proponit, cum præcedat, quasi absentem putat. Sed sancti viri & Deo loquuntur, & coram Deo: quia & ab eo sese sciunt habere quod dicunt: & ipsum suis sermonibus adesse iudicem, auctoremque considerant. Vnde fit, vt cum se à proximis despici agnoscunt, suaque vita dicta audientium vitæ nō prodesse, abscondunt quantæ virtutis sunt, ne si secretum cordis inutiliter sermo probatus aperiat, ad inanem gloriam prorumpat: Ab his nūc detrahitur Ecclesia, quia non cognoscit. De quibus Dominus in Euangelio dixit *Si me persecuti sunt, & vos persequentur*. Et alio loco: *Si in viridi hoc fiet quid in arido*? Sed quia hoc fumus est, non adhuc ipso ignis ostenditur; veniet tempus, quando Catholicam Ecclesiam non solum iniustis vocibus, sed etiam crudalibus plagis persequentur. Ad aduersariis namque suis duobus modis Ecclesia persecutionem patitur. Scilicet, aut verbis, aut gladiis. Sed cum verbis persecutionem sustinet, ostenditur seruorum Dei sapientia. Cum verò gladiis, ostenditur eorum patientia. Sed verborum persecutiones ab hæreticis nunc etiam quotidie toleramus, cum ipsi hæretici nobis subdola, falsa humanitate blandiuntur. Persecutiones vero gladiorum iuxta finem mundi securæ sunt: Grana cœlestibus horreis recondenda tanto verius à peccatorum paleis exuuntur, quāto arctius affliguntur. Tunc cœlestes omnes, qui in illa fuerint tribulatione comprehensi, recordabuntur istum tempus, in quo nunc ecclesia fidei pacem tenet: & superba hæreticorum colla calcat, non potentatu culminis sed rigo rationis

Ioa.15.20.
Luc.23.31.
Hæretica persecutio.

Hæreticus tamen scripturarum * non facit rationem: sed cum potentibus sæculi Ecclesiam vincere quærit. Sed veritas fatigari potest, vinci non potest. In mentem habebunt serui Dei tunc in illo igne persecutionis Antichristi, qui nunc in fumo ipsius ignis, quod sunt hæretici, in fide patrum fuerint plantati. De quo fumo, & igne in Apocalypsi dicitur: *Et quintus angelus tuba cecinit. Et vidi stellam de cælo cecidisse in terram, & datu est ei clauis putei abyssi. Et aperuit puteum abyssi. Et ascendit fumus de puteo quasi fumus magnæ fornacis, & obscuratus est sol, & aer de fumo putei. Et ex fumo putei exierunt locustæ in terram: & data est eis potestas, sicut habent potestatem scorpii terræ.* Stellam, quam dicit de cœlo cecidisse in terram, Prædicatores sunt hæretici, qui exeunt de Ecclesia. Cœlum hoc

a Pro, non habetur.
Apoc. 9.1.

hoc loco Ecclesia dicitur. Et quia hypocritæ erunt & sanctitatem simulabunt, *Stella* nominantur. Et quia inter se in prædicatione vnum sensum habere non possunt, sed omnes contra vnam Ecclesiam Dei conspirant, vna stella dicitur, quæ multæ sunt. De quibus stellis per Iob

Iob. 3.9. dicitur: *Obscurentur stellæ caligine eius.* Id est, hæretici, qui erunt hypocritæ; & ante humanos oculos quasi bonis operibus splendent, malitia antiqui hostis obscura præualeat: & hoc, *quod* ante humana iudicia fulgebat, lumen laudis deponant: caligine quippe noctis obscurantur: cum eorum praua doctrina aperto errore confunditur: vt sine dubio tales etiam foris in actione appa-

Apoc. 9.2. reant, quales apud semetipsos intus diuino patere iudicio non formidant. *Et data est ei clauis putei abyssi.*

Abyssum dicimus puteum, vbi solis lumen non spargitur. Abyssus est secreta cordis eorum, vt quidquid intus lateat minime cognoscatur, nisi per ianuam linguæ manifestetur, vt ab omnibus catholicis cognoscatur. Claues putei abyssi est ipsa manifestatio. *Et aperuit puteum abyssi*, id est, manifestauit cor suum, & sine vlla verecundia contra Ecclesiam in superbiam surgit: & prædicationem Ecclesiæ contemnit, & obscurat ita, vt dicatur: Non est sic sicut isti dicunt: sed sicut nos. *Et obscuratus est sol. & aer de fumo putei.* Sol & aër Ecclesia est, de qua

Cant. 6.9. dictum est: *Electa, vt sol, terribilis vt castrorum acies ordinata.* Obscuratur sol de fumo putei, quando hi, qui de Ecclesia recedunt, hæreticos defendunt. *Sicut fumus*, inquit, *magnæ fornacis.* Fumus enim ignē præit. Et quid est ignis, nisi homo peccati, filius perditionis, Antichristus? Et quid fumus, nisi hi ministri? hæretici? Quia antequam ignis appareat, fumus tenebrarum eorum mentes infumo-

Apoc. 9.3. rum hominum cæcat. Sed nunc ex ipso fumo iam apertè foris aliquid videmus exire, cum dicit: *Et ex fumo putei exierunt locustæ in terra.* Locustæ quid sunt, nisi mul-

Locustæ quid significent. titudo populi? Ipsi dicuntur locustæ, ipsi & terra. Locustæ pro mobilitate leuitatis accipiendæ sunt, tanquam vagæ, & salientes animæ in huius sæculi voluptates. *In terram exierunt*, quia terrena sapiunt, non cælestia. Semper enim hæretici sæculi securitatem promittunt, & inde terrena sapiunt. Ecclesia verò nulli securitatem promittit, cui caput viam amaritudinis ostendit, qui præcessit. Proinde cœlum dicitur, quia cœlestia sapit, non quæ terrena sunt, secundum Apostolum, qui dicit: Si

Colos. 3.1. *consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram. Mortui enim estis, & vita vestra abscondita est*

Genes. 3.9. *cum Christo in Deo.* Non sicut peccatori dictum est: *Terra es, & in terram ibis.* Quòd cœlum Ecclesia est, Pro-

Psal. 118.89 pheta attestante, qui ait: *In æternum Domine permanet Verbum tuum in cælo*, id est, in Ecclesia: in qua permanet Verbum Patris: quia non perambulat, non pertransit: sed permanet, & habitat, Quia verbum *caro* factum Iesus Christus filius Dei vnicus, & Virginis Mariæ est: Vnde nunc intentio est. Et quia ex vtraque substantia vnicus Dei Patris est. *Et Lex, & Euangelium*, duo eius testamenta sunt, cum legitur, & ab omnibus penè auditur, & ab omnibus Christus laudatur, & diuersè de Christo sentitur. Et hoc dicunt esse de Christo, quod

Ioan. 6.57 Christus non est. Ipse enim se sequentibus dixit: *Qui manducauerit carnem meam, & biberit sanguinem meum,*

Ioan. 6.51. *in me manet, & ego in illo.* Et alio loco dicit: *Ego sum panis viuus, qui de cœlo descendi. Si quis ex ipso manduca-*

Ioan. 12.24. *uerit, non morietur in æternum; sed habebit vitam æternam.* Et cum dicit: *Nisi granum tritici ceciderit in terra, ipsum solum manet: Si autem ipse ceciderit, multos saluos faciet.* Hoc totum, id est, caro, & sanguis, & panis de cœlo, & granum tritici vnum est, & vnus panis est. Et hunc panem manducat Ecclesia. Sed quia diuersi diuersa sapiunt, diuersos sapores habet, cum comeditur. Dominus noster Iesus Christus granum tritici in terram concedit, & nos multiplicauit. Sed istud granum frumenti pinguissimum est, medullam habet: adipem habet, pinguedinem habet, habet intus, quod quæras. Medullam quære quæ pinguis est: & adipe frumenti satiat te.

A Fœlix est, qui in frumento isto adipem intelligit, medullam intuetur. Legamus sanctas Scripturas. Quid est aliud, nisi corpus? Quod lingua legitur, quod syllabis comprehenditur, quod auribus insonat, auditur ab hominibus, hoc totum corpus est, hoc totum liber est. Intellectus verò huius lectionis medulla est, pinguedo est, adeps est: Et nisi intellexeris, quid sit in litera, adipem frumenti non manducas. Literam in superficie legis, & adipem frumenti non intelligis. Rodis corticem, & folium, sicut Iudæus mandis. Quid est hoc litera, quam in Euangelio legis, vel in cæteris scripturis sanctis, nisi corpus Christi, nisi caro Christi, quæ ab omnibus Christianis comeditur? & tunc comeditur, quando legitur, & quando auditur. Et omnes vno nomine Christiani di-

B cuntur, qui Euangelium recipiunt, & vno ore Christum laudant, & Crucis eius signum in fronte portant: & tamen cibo, vel poto, in sella, lecto, ingressu, regressu, & cetera omnia signo crucis muniunt: & se à Christo custodiri, & saluari petunt, & dicunt: Salua nos Iesu Christe, fili Dei. Et ipsi in Ecclesia sacerdotes, & Leuitæ, si cuilibet transeunti viam, ingredienti in Ecclesiam, orationem, vel benedictionem dederint, cum compleuerint orationem, absoluunt, & dicunt: In nomine Domini nostri Iesu Christi, *Eamus cum pace.* Et si in domo orauerit, ita dicit: Si in via, similiter. Si in vespertinis Incensarium ante altare obtulerit, non potest aliter offerri, nisi dixerit: In nomine Domini nostri Ie-

C su Christi, *Lumen cum pace.* Si etiam completo officio non potest egredi sine hac solutione, nisi prius dixerit: In nomine Domini nostri Iesu Christi eamus cum pace. Sic in vespertinis. Sic in matutinis. Sic omnibus horis, quibus necessaria officia, vel Canonica in Ecclesia peraguntur. Sic in Missa non solum dominicis diebus: sed etiam quibuscumque festiuitatibus. *Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus*, conclamamus. Sic cum Euangelium à Leuita super altare leuatur, à Leuita primùm dicitur: *Laus tibi*: & ab omnibus respondetur: *Laus tibi Domine Iesu Christe Rex æternæ gloriæ.* Præcedente Euangelium cereorum lumine in signu gaudii, & lætitiæ, eo quod tale nuncium diaconus, id est, Euangelium Domini nostri Iesu Christi clara voce populo habet intona-

D re. Tunc silentium omnibus imperat, & dicit: *Lectio sancti Euangelii secundum Matthæum*, aut quemlibet ex tribus. Respondetur ab omni populo: *Gloria tibi Domine. In illo tempore* Dominus noster Iesus Christus ambulauit, aut dixit, aut fecit illud, & illud, quod sequitur. Quo peracto offertur sacrificium super altare: quæ totum Iesus Christus filius Dei est. Ipso cum Patre, & Spiritu sancto creator omnium Deus. Ipse solus secundum formam serui sua, & Patris, & Spiritus sancti operatione formatus. Quod creator est, commune habens naturaliter cum Patre, & Spiritu sancto. Quod autem creatus est, solus habens personaliter in seipso, cuius & natiuitatem futuram secundum carnem, & mortem, & resurrectionem, atque in cœlos ascensionem Lex, & Prophetæ pronunciare nunquam cessauerunt, prout ipse * præsciebat & verbis, & factis. Nam & in

E sacrificiis carnalium victimarum, quæ sibi ipsa sancta Trinitas, quæ vnus est Deus, noui & veteris Testamenti à Patribus nostris * præcipiebat offerri sacrificiis, Iesu Christi filii sui significabatur gratissimum munus, quo pro nobis seipsum solus Dei filius secundum carnem esset misericorditer oblaturus. Ipse enim, secundum Apostoli dictum, *obtulit semetipsum pro nobis oblationem, & hostiam Deo in odorem suauitatis.* Ipse verus Deus, & verus Pontifex, qui pro nobis, non in sanguine taurorum, & hircorum, sed in sanguine suo semel introiuit *in sancta*: Quod tunc Pontifex ille significabat: qui semel Sancta sanctorum per annos singulos introibat. Iste igitur est, qui in se vno totum exhibuit, quod sciebat necessarium esse ad redemptionis nostræ effectum. Ipse, scilicet, sacerdos, & sacrificium. Ipse Deus, & templum. Sacerdos est ipse Christus, per quem sumus reconciliati,

Margin notes (right column): Tertul. — Missæ sacrificis ritus. — Luc. 2.14. — ∴ præcipiebat aut præscribebat. — ∴ præcipiebat.

Deus est ipse Christus, qui nos reconciliat sibi, & patri, & spiritui sancto: Solus tamen sacerdos sacrificium, & templum: qui hæc omnia Deus est secundum formam serui non autem solus Deus: quia hoc cum Patre, & Spiritu sancto secundum formam Dei.

Reconciliati igitur sumus per solū filium secundum carnem: sed non soli filio secundum diuinitatem. Neque potest hoc sacrificium offerri per quemlibet sacerdotem, nisi per sacerdotem sanctum & iustum. Neque potest hoc sacrificium, quod offertur, à quibuscunque * comedera, & bibare, nisi tantum ab ipsis, pro quibus offertur: vt sacerdos, qui offert, sine vitio sit: & vt pro vitiosis mundandis possit offerri. Hoc certo omnes desiderant, & cupiunt, qui pro se offarre sacrificium Deo volunt, quis ergo tam iustus, & sanctus sacerdos, quam vnicus filius? Non quia opus vita, adducuntur. Et quid tam amabiliter, & acceptabiliter ab omnibus sumetur, quod pro eis offertur, quam Christi humana caro: & quid tam acceptum, & aptum immolationi quam caro Christi mortalis? Et quid tam mundum pro mundandis vitiis, & peccatis mortaliū, quam sine vlla contagione carnalis concupiscentiæ, caro nata in vtero ex vtero virginali? Et quid tam gratè offerri, & suscipi possit, quam caro sacrificii nostri, corpus Christi perfectum sacerdotis nostri?

∴ comed & bibi.

Et quoniam quatuor considerantur in omni sacrificio, id est, *cui offeratur: à quo offeratur: quid offeratur: pro quibus offeratur*, hoc totum ipse vnus, verúsque mediator Christus per sacrificium pacis reconcilians nos Deo: & fecit vnum cum illo manere, cui offerebat. Vnum in se facere, pro quibus offerebat. Panis hic, qui offertur super altare, vt suprà iam diximus, corpus Christi de illo grano tritici, quod cecidit in terram, & mortuum est. Et de illo grano multa nata sunt grana, quod est Ecclesia, & nos, Deo miserante, inde sumus: tamen si seminemus spirituales, & renascamur de Deo Patre, & Ecclesia matre. De quibus Euangelista dixit: *Qui non ex sanguinibus, neque ex * voluntate carnis, neque ex * voluntate viri, sed ex Deo nati sunt.* Illum panem, quod corpus est Christi, lignum crucis coxit, erimus cum eo vnus panis. Si & nos ipsa crux coxerit, erimus eius corpus. Qui non manducat hunc panem, quod est corpus Christi, viuere non potest. Sicut nec illo viuere potest in carne, qui hunc panem corporalem non prandet? sicut ipsa ait: *Ego sum panis viuus, qui de cælo descendi, si quis ex ipso manducauerit, viuet in æternum.* Vinum, quod offertur super altare, sanguis Christi est, de illa vite vera, quæ dicit: *Ego sum vitis vera, & Pater meus agricola.* Apostolus dicit: *Vos vero palmites.* Palmites vero * potantur, & purgantur, ex ipsis gignuntur acini, id est, sancti, qui de doctrina nascuntur Apostolorum. Vnusquisque acinus pendens de palmite, Vnusquisque seruus Dei est, tam monachus, quàm laicus. Grana acini virtutes eius sunt, id est, charitas, castitas, humilitas, veritas, obedientia, ieiunium, eleemosyna, oratio, vigilia, lingua beniuola, mansuetudo, patientia: & cætera, quæ ad virtutum opera pertinent: & multorum granorum maiorem facit acinum, cum multa habuerit in se dona virtutum.

Ioan. 1. 13.
** Vulg. voluntate.*
Ioan. 6. 51.
Ioan. 15. 1. & 5.
∴ propagantur hispanismo.

Vitis verò, vt diximus, Christus est: & Pater agricola. Solus Christus vitis est. Solus Pater agricola non est, quia communis est operatio Patris, & Filii, & Spiritus sancti. Christus, in quo æqualis est Patri, agricola est cum Patre. In quo minor Patre, vitis est vera. Et quare dixit *vitem veram*, Quia sunt vitas syluaticæ: sunt vites agrestes: quorum non est Pater agricola: quos nemo claudit, nemo putat, nemo purgat. De quibus ipse Dominus ait: *Et Pater meus purgabit eum, vt plus fructus afferat.* Non est de ipsis vitibus, sed illius vitis est quam expectauit, vt *faceret vuas, fecit autem labruscas.* De qua Propheta dicit: *Vua eorum, vua fellis.* Et de qua Dominus loquitur ad Hierusalem: *Ego te plantaui * vineam veram: quomodo mutata es in amaritudine vitis aliena?* Amara vitis amarum vinum facit, quæ propinat Dominum nostrum Iesum Christum. Vt impleatur quod scriptum est: *Et dederunt in escam meam fel: & in siti mea potauerunt me aceto.* De quo vino, *dum gustasset, noluit bibere.*

Ioan. 15. 2.
Deut. 32. 32
Hiere. 2. 21
Ps. 68. 22.
Matth. 27. 34

Hoc totum quid est? Nisi tunc Iudæa in Lege, qui non cognouit filium Dei per legem: sed negauit, & crucifixit. Nunc in Ecclesia hæretica prauitas, quæ non cognoscit filium Dei per Euangelium: sed cum hominem similem dicit esse hominibus, & membra eius, quod est Ecclesia, non cognoscit: sed quotidie crucifixit. Sed quia de vite falsa tractanda à vera vite sententiam elongauimus, ad nostram vitem veram, & ad nostrum granum tritici, sine quo viuere non possumus, redeamus.

Et hunc panem viuum, qui in Christi frangitur mensa, manducemus, & sorbendo paruuli deglutiamus, dum ad solidum cibum quandoque veniamus: vt Patrem, cuius filii per gratiam sumus, ipso fouente cognoscere valeamus. Hic panis, & vinum cùm comeditur, & bibitur, fit corpus, & sanguis Verbi. Ita enim Dominus, qui *in principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum*; propter misericordiam suam: qui non contempsit, quod creauit, in transformationem suam caro factus est, *& habitauit in nobis*: sicut scitis, quia ipsum Verbum assumpsit hominem, id est, animam rationalem, & carnem hominis, & homo factus est manendo Deus. Propter hoc, quia factus est homo pro nobis, commendauit nobis isto sacramento corpus, & sanguinem suum, quod etiam fecit, & nos ipsos. Et nos corpus ipsius facti sumus per misericordiam ipsius, quod accepimus, nostrumque Corpus Christi accipimus, & audi, quid dicit: *quia ipsum corpus nos sumus.* Et Verum est, quia vnum triticum est: & vnum semen grani multa grana molita, vna farina est. Et vna farina conspersa, & cocta vnus panis est. Recordamini, quid fuit creatura ista in agro. Quomodo eam terra peperit, pluuia nutriuit, ad spicam perduxit, deinde labor humanus ad aream portauit, triturauit, ventilauit & recondidit, portauit, moluit, & coxit, & vix aliquando ad panem perduxit. Hoc totum vos estis. Recordamini & vos, quia non fuistis, & creati estis, & aream Dominicam composuistis laboribus boum, id est, nunciantes Euangelium triturati, quando catechumeni dicebamini, in horreo seruabamini, nomina vestra dedistis, cœpistis moli ieiuniis, & exorcismis. Postea ad aquam venistis, conspersi estis, & vnus panis facti estis.

Ioan. 1. 1.

Accendente verò fauore Spiritus sancti in vna dilectione charitatis, in vna fide, & in spe cocti estis, panis dominicus facti estis: sicut & iste panis, qui super altare sacratus est, qui corpus Christi est: & ex multis granis vnus panis, & vnus cibus noster est, & in mēbris nostris traicitur: sic & nos cum in vna spe, fide, & charitate fuerimus, cibus Domini sumus, & in membris eius transformamur. Ecce Eucharistiam, id est, bonam gratiam, quam accepistis, oculis vestris vidistis. Quomodo de multis granis factum est vnum, sic vnum estote & vos diligendo, gemendo vnam fidem, vnam spem, indiuisam charitatem: quia illi, qui mali sunt, non quærunt, nisi diuisionem: hæreticus non quærit, nisi separationem, & hoc elaborat, vt scindat, & non sarciat: vt rumpat, non iungat. Separat Verbum à carne: & seorsum prædicat Deum, & seorsum hominem. Separat caput à corpore: seorsum prædicat caput, & seorsum corpus: & nescit infelix, quia Deus, & homo vnus est Christus, & caput Ecclesiæ suæ, in quo homo & Christus: & Caput Christi Deus est, id est, tota diuinitas caput est homini, quem solus suscepit filius. Et homo filius est caput Ecclesiæ suæ, quæ illi capiti coniungitur, & fit totus Christus, id est, caput, & corpus vna persona. Non sunt hæretici cibus Domini. Non enim de illis dixit Dominus: *Meus cibus est, vt faciam voluntatem eius, qui misit me: & perficiam opus eius.* Opus eius est, ex multis granis vnum panem, id est, ex multis animabus vnam animam in vna charitate,

Ioan. 4. 34

in

† Videtur deesse – cet, aut simile quid.

Ioan.4.32.

Ioan.4.42.

in vna fide, & in vna spe. † Nam si animæ, quas in vna fide congregat, cibus Dei non esset, non diceret discipulis suis: *Ego cibum habeo manducare, quem vos nescitis*. Quod tunc completum est, quia multi in eum crediderunt Samaritani: & mulieri dicebant: *Quia non propter tuam loquelam credimus: ipsi enim vidimus, & scimus: quare hic est vere Saluator mundi*. Sicut enim panis iste ex multis granis indicat vnitatem: sic & vinum ex multis acinis, queis effluxit eodem, & in vnum est totum, & vnum efficit potum, & in sua vite, & de vno calice sumitur: sed tamen post pressuram torcularis. Nam ante torcular, vinum dici non potest, nec bibi: quia adhuc diuisum videtur in acinis: sicut nec grana, nisi excutiantur à paleis. Nam persecutores nostri ipsi excutiunt paleam, cum ab ipsis trituramur. Ipsi faecem vuæ, cum ab ipsis torquemur. Genu flexo debemus pro eis orare, à quibus efficimur cibus Dei. Sicut vinum post torcular mittitur in calicem, sic & nos post illa ieiunia, post laborem, & humilitatem, & contritionem iam in nomine Christi tanquam in calicem Domini venistis. Et panis ibi vos estis in mensam, & vinum ibi vos estis in calicem. Nobiscum hoc estis, quod sumus. Simul enim hoc sumus, quod estis. Et vnus calix est, in quo sumus, quia vna passio est Christi, & vna mors, qua omnes redempti sumus. Simul bibimus, cum simul non viuimus.

Ex lib. de offic. Eccl. D. Isidori. Missæ ritus.

Ordo autem Missæ, vel orationum, quibus oblata Deo sacrificia consecrantur, primo à sancto Petro est institutus: cuius celebrationem vno, eodemque modo vniuersus peragit orbis. Quę prima oratio eiusdem Missæ ammonitionis erga populum est; vt omnes excitentur ad exorandum Deum. Secunda inuocationis ad Deum est, vt clementer suscipiat preces fidelium, oblationemque eorum. Tertia autem effunditur pro offerentibus, siue pro defunctis fidelibus, vt per ipsum sacrificium veniam consequantur. Quarta post hæc infertur pro osculo pacis, & charitatis, vt reconciliati omnes inuicem consocientur dignè per sacramentum corporis, & sanguinis Christi: quia non recipit dissensionem, nec diuisionem alicuius, Christi indiuisibile corpus. Quinta deinde infertur inlatio in sanctificatione oblationis, in qua etiam ad Dei laudem terrestrium creaturarum, virtutumque cœlestium Angelorum vniuersitas prouocatur, & Osana in excelsis cantatur, quod Saluatore filio Dei Domino nostro Iesu Christo de genere Dauid nascente, salus mundi vsque ad excelsa peruenerit. Porro sexta proinde succedit confirmatio sacramenti, vt oblatio, quæ Deo offertur sanctificata per Spiritum sanctum Christi corpori, & sanguini confirmetur. Vltima vero oratio Dominica est, quam Dominus noster Iesus Christus discipulos suos orare docuit, dicens: *Cum oratis, dicite: Pater noster qui es in cœlis*. In qua oratione, vt Patres scripserunt, septem petitiones continentur: sed in tribus primis æterna poscuntur: in sequentibus quatuor temporalia, quæ tamen propter æterna adquirenda petuntur. Nam cum dicimus: *Sanctificetur nomen tuū. Fiat voluntas tua, sicut in cœlo & in terra*: Hic inchoantur, sed in vita † sperantur: vbi sanctificatio Dei, & voluntas, & regnum in sanctis suis immortaliter permanebit. Iam verò panis cotidianus, qui vel animæ, vel carni tribuitur, in hoc sæculo exposcitur; hic etiam post subsidium cibi, venia de exemplo fraternæ indulgentiæ postulatur. Hic ne in peccati tentationem incidamus, exposcimus. Hic post omnia, vt à malis liberemur, Dei auxilium imploramus. In illo autem sæculo nihil istorum est. Hanc itaque orationem Saluator docuit; in qua & spes continetur fidelium, & confessio peccatorum: De qua Propheta prædicans ait: *Et erit, omnis, qui inuocauerit, nomen Domini, saluus erit*. Hæ sunt autem septem sacrificii orationes commendatæ Euangelica doctrina. Cuius numeratio instituta videtur, vel propter septenariam sanctæ Ecclesiæ vniuersitatem, vel propter septiformem gratiæ spiritum, cuius dono ea, quæ inferuntur, sanctificantur.

Luc.11.2.

Matt.6.9.

† F. perficiuntur.

Symbolum autem, quod tempore sacrificii ab omni populo prædicatur. 318. sanctorum Patrum collatione apud synodum Nicænam est editum: cuius veræ fidei regula tantis doctrinæ fidei mysteriis præcellit, & de omni parte fidei loquitur, vt nulla penè sit hæresis, cuius per singula verba, vel sententias, non responderit. Omnes enim errores, impietatemque fidei, atque blasphemias calcat. Et ob hoc in vniuersis Ecclesiis pari confessione populo proclamatur. Benedictionem autem dari à sacerdotibus populo, antiqua per Moysen benedictio pandit, & comprobat. Quia benedicere populo sub sacramento trinæ inuocationis iubetur. Ait enim ad Moysen Dominus: *Sic benedices populum meum, & ego benedicā illos. Benedicat te Dominus, & custodiat te, illuminet, Dominus faciē suam super te, & misereatur tui, & tollat Dominus faciem suam super te, & det tibi pacem.*

S. Isidorus. Symbolum Concilii Nicæni.

Num. 6. 24.

Eccl. 36.19

Sacrificium autem, quod à Christianis Deo offertur, vt supra diximus, primus Christus Dominus noster instituit, quando cōmendauit Apostolis corpus, & sanguinē suum priusquam traderetur, sicut & legitur in Euāgelio, *Accepit Iesus*, inquit, *panē, & calicem, & benedixit, dedit eis*. Quod quidem sacramentum Melchisedech Rex Salem figuraliter in typū corporis, & sanguinis Christi primus obtulit: primusque mysterium tanti sacrificii imaginarie ipse expressit, præferens similitudinem Domini, & Saluatoris nostri Iesu Christi, Sacerdotis æterni: ad quem dicitur: *Tu es Sacerdos in æternum secundum ordinē Melchisedech*. Hoc ergo sacrificium Christianis celebrare præceptum est, relictis, ac finitis Iudaicis victimis, quæ in seruitute veteris populi celebrari imperata sunt. Hoc itaque fit in nobis, quod Dominus nobis ipse fecit: quod † manere ab cœna in vesperum obtulit. Sic enim Christum oportebat hoc implere circa vesperum diei, vt hora ipsa sacrificii ostenderet vesperum mundi. Proinde autem non communicauerunt ieiuni Apostoli: quia necesse erat, vt Pascha illud typicum ante impleretur, & sic demū ad verum Paschæ sacramentum transiret. Hoc enim in mysterio factum, quod primum discipuli corpus, & sanguinem Domini non acceperunt ieiuni. Ab vniuersa autem Ecclesia nunc à ieiunis semper accipitur. Sic enim placuit Spiritui sancto per Apostolos, vt in honore tanti sacramenti, in os Christiani prius Dominicum corpus intraret, quam cæteri cibi. Et ideo per vniuersum orbem mos iste seruatur. *Panis enim, quē frangimus, corpus Christi est*, quia dixit: *Ego sum panis viuus qui de cœlo descendi*. Vinum autem sāguis eius est. Et hoc est, quod scriptum est. *Ego sum vitis*. Sed panis, quia corpus confirmat; ideo corpus Christi nuncupatur. Vinum autem, quia sanguinem operatur in carne: ideo ad sanguinem Christi refertur. Hæc autem dum sunt visibilia sanctificata, tamen per Spiritum sanctum in sacramentum diuini corporis transeunt.

Matth. 26. 26.

Mar. 14. 22.

Psal. 109. 4.

† Videtur locus mēdosus.

1. Cor. 10. 16.

Ioan. 6. 41. & 51.

Proinde autem, vt sanctissimus Cyprianus ait: Calix Dominicus ideo vino mixtus aqua offertur, quia videmus in aqua populum intelligi. In vino vero ostendit sanguinem Christi. Quando autem in calice aqua miscetur, Christo populus adunatur; & credentium plebs ei, in quem credidit, copulatur, & iungitur. Quæ copulatio, & coniunctio aquæ & vini, sic miscetur in calice Domini, vt commixtio illa ad inuicem non possit separari: sicut nec Ecclesia potest à Christo diuidi. Sic autem in sacrificando calicem Domini, offerri aqua sola non potest, quomodo nec vinum solum. Nam si vinum tantùm quis offerat, sanguis Christi incipit esse sine nobis. Si verò aqua sit sola, plebs incipit esse sine Christo. Quando autem vtrumque sic miscetur, & adunatione confusa sibi inuicem copulatur, tunc sacramentum spirituale, & cœleste perficitur. Sic vero non potest calix Domini nostri Iesu Christi esse aqua sola, aut vinum solum, nisi vtrumque sibi misceatur: quomodo nec corpus Domini, nec potest esse vinum solum, aut aqua sola, nisi vtrumque ad inuicem fuerit copulatum, & panis huius compage solidatus: quo & ipso sacramento populus noster ostenditur adunatus: vt quemadmodum grana mul-

ta in vnum collecta, & commolita, & commixta panem vnum faciunt: sic in Christum, qui est panis cælestis, vnum sciamus esse corpus, cui coniunctus sit noster numerus, & adunatus.

Ex Isid. lib. de offic.

Dogma Patrum. Nō Semper communicare debere Christianum.

Dicunt aliqui, semper communicare debet Christianus, nisi aliquo intercedente peccato, corpus Domini quotidie accipiendum. Hunc enim panem dari quotidie nobis, iubente Domino, postulamus, dicentes: *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.* Quod quidem bene dicunt, si hoc cum religione, & deuotione, & humilitate suscipiant: nec confidendo de iustitiæ præsumptione superbiendo faciant. Cæterum si talia fuerint peccata, quæ quasi mortuum ad altari remoueant, prius agenda pœnitentia est: ac sic deinde hoc salutiferum medicamentum suscipiendum. *Qui enim manducauerit indignè, iudicium sibi manducat, & bibit* (*1. Cor. 11. 29.*) Hoc est enim indignè accipere, si eo tempore quis accipiat, quo debet agere pœnitentiam. Cæterum si tanta non sunt peccata vt excommunicandus quisque iudicetur, non se debet à medicina dominici corporis separare: ne dum fortè diu abstinens prohibetur, à Christi corpore separetur. Ipse enim viuit, qui corpus Domini semper comederit. Et manifestum est enim eos viuere, qui corpus Domini nostri Iesu Christi attingunt. Vnde timendum est, ne dum satis quisque separatur à Christi corpore, alienus maneat à salute, ipso Domino dicente: *Nisi comederitis carnem filij hominis & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* (*Ioan. 6. 54*) Qui enim iam peccare quieuit, communicare non desinat.

Coniungatis autem abstinendum est à coïtu plurimis diebus, atque orationi vacare, & sic dein ad Christi corpus accedere. Relegamus Regnorum librum, & inueniemus sacerdotem Abimelec de panibus propositionis noluisse comedere prius Dauid, & pueros eius, nisi ante interrogaret, vtrum mundi essent pueri à mulieribus: non vtique ab aliena, sed à coniuge. Et nisi eos audisset ab heri, & nudiustertius vacasse ab opere coniugali, nunquam panes, quos prius negauerat, concessisset.

Hieronym. Quantum inter propositionis panes, & corpus Christi, quanta differentia est inter vmbram, & corpus, inter imaginem & veritatem, inter exemplaria futurorum, & ipsa, quæ exemplari præfigurabantur. Quapropter eligendi sunt aliqui de his, quibus prius homo continentius viuat, per quem ad tantum sacramentum dignus accedere possit.

Sacrificium pro defunctorum fidelium requie offerre, vel pro eis orare, ab Apostolis traditum est. Hoc enim vbique Catholica tenet Ecclesia, per totum orbem terrarum constituta: sicut & à sancto Augustino, in libro Enchiridii scribitur: Defunctorum animas sine dubio pietate suorum viuentium reuelari, cum pro illis sacrificium offertur, vel eleemosynæ fiunt: si tamen aliquid sibi quisque meritum præparauit, dum adhuc in corpore viueret, ista prosint, quæcunque per illos fiunt: nam non omnibus prosunt, nisi propter differentiam vitæ, quam quisque gessit in corpore. Nam pro valde bonis, gratiarum actiones sunt. Pro non valde malis, propiciationes sunt. Pro valde malis, etiam si nulla sunt adiumenta mortuorum, qualescumque viuorum consolationes sunt. Quibus autem prosunt, aut ad hoc prosunt, vt sit plena remissio: aut certè, vt tolerabilior fiat ipsa damnatio.

Hoc totum quare diximus, nisi quia omnes in vno sacrificio mediatoris reconciliamur? Quia *ipse est mediator Dei & hominum homo, Christus Iesus* (*1. Tim. 2. 5*) Ipse est caput corporis Ecclesiæ, vna persona. Obinde manducamus corpus eius, & sanguinem eius bibimus: vt sicut illud in nos inuisceratur, & traiicitur visibiliter, sic nos in illo transformamur & inuisceramur: quia sacramentum est, mysterium est. Quid mysterium, nisi secretam, & reconditam habens dispositionem? Sed quis sapiens, & quis prudens, hæc sine spiritu Dei potest liquido comprehensa tenere, nisi ipse rerum omnium dominus mysteriorum suorum illuminator petentibus nobis & quærentibus, cuncta reuelare voluerit, sicut per Esaiam Prophetam ait: *Aperiā thesauros occultos & obscuros.* (*Esa. 45. 3. Vulg. dabo tibi thesauros absconditos, & arcana secretorum.*) Et iterum Euangelico ore ammonet, dicēs: *Petite, & accipietis: pulsate, & aperietur vobis, quærite, & inuenietis.* Quo dicto cōpellit obliuiscentes: & stimulat longa pigritia torpentes? vt nec pigri sint ad requirendum: nec desperati ad inueniendū. *Nihil enim est,* inquit, *occultum, quod non manifestetur: aut absconditū, quod non reueletur aut sciatur. Omnis enim petēti dabitur & pulsanti aperietur: & qui quærit, inueniet.* (*Ioan. 6. 24 Luc. 18. 11. Matt. 10. 26. Matt. 7. 8.*) Christus est panis, & lac: & nos filii, qui ex ipso pascimur. Nam cùm dicimus: *Pater noster, qui es in cælis*, nec soli Patri dicimus, nec soli Filio, nec soli Spiritui sancto: sed toti Trinitati, vni Deo. Et cùm dicimus: *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie*, petimus ab vno Patre, vt det nobis illum panem, id est, cognoscamus filium suum, (*Matth. 6. 10.*) Dominum nostrum Iesum Christum: qui dixit: *Ego sum panis viuus, qui de cælo descēdi, si quis ex ipso mānducauerit, viuet in æternum* (*Ioan. 6. 51.*) Et vtique ipse cum Patre, & Spiritu sancto panis est fortibus, qui dentes habent. Filius verò Dominus noster Iesus Christus, & panis est cum Patre in diuinitate fortibus: & ipse solus lac, & in carne paruulis. Et hanc carnem manducando paruuli, & hunc sanguinem bibendo, veniunt ad solidum cibum, quod est ipsa Trinitas vnus Deus. De hoc lacte Paulus Apostolus ad Corinthios scribēs ait: *Non potui vobis loqui, quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus. Quasi paruulis † in fide lac vobis potum dedi, non escam. Nondum enim poteratis, sed nec adhuc quidem potestis: adhuc enim estis carnales.* (*1. Cor. 3. 1.* † in Christo *Vulg.*)

Primum ergo scire debet Christianus, quod ipse Christus crucifixus, quo velut lacte, paruulos aluisse dicit Apostolus; ipsa vero caro eius, in qua facta est vera mors eius, & vulnera confixi, & sanguis percussi, non eo modo à carnalibus, quo à spiritualibus cogitantur. Carnalibus enim, vt diximus, lac est: spiritualibus cibus. Quia etsi † spiritualibus non audiunt amplius, quam † communiter audiunt Christum, intelligunt amplius de Christo. Non æqualiter mente percipitur, etiam quod in fide pariter ab vtrisque percipitur. Ita fit, vt prædicatus ab Apostolis Christus crucifixus: & Iudæis † esse scandalum, & Gentibus † stultitiam: & ipsis vocatis Iudæis, & Græcis Dei virtus, & Dei sapientia. Sed carnalibus paruulis id tantum credendo † perientibus spiritualibus autem capacioribus id etiam intelligendo videntibus. (*† F. spirituales. † F. quàm qui. † sit. † stultitia. † F. Experientibus.*) Illis etiam tanquam lacteus potus; istis tanquam solidus cibus. Non quia illi carnales aliter in populis cognouerunt Christum: & isti aliter in cubiculis. Sed à modo vtrique eum palam Christus nominabatur, & audiebant omnes vno modo Christum: sed non omnes vno modo credebant: sed alij credebant, alij despectum habebant talem Deum credere: alij irridebant, talem Deum esse.

Sicut & hodie increduli Pagani faciunt: quia Deus factus est homo: Ipsa humilitas, quæ displicet paganis, vnde nobis insultant dicentes: Qualem Deum colitis, qui natus ex muliere est? Qualem Deum colitis, qui ab hominibus comprehensus est, & crucifixus est, & mortuus, & sepultus est? Hoc facit scandalum paganis: Hoc Iudæis. Quia *in sapientia Dei non cognouit mundus per sapientiam Deum, placuit Deo per stultitiā prædicationis saluos facere credentes.* (*1. Cor. 1. 21.*) Quid est *sapientia*, nisi verbum Patris? nisi Diuinitas? nisi Deus? Quid est *stultitia*, nisi caro ipsius Verbi? nisi humanitas ipsius Diuinitatis, nisi homo Christus ab ipsa sapientia susceptus? sed stultitia dicta est, vt per ipsam stultitiam veniant ad sapientiam, quod est diuinitas, Deus. Sed credentes, quia placuit Deo per stultitiam prædicationis saluos facere: Qui sunt credentes, qui salui fiunt? Qui credunt, quod ipse est verus Dei filius, & verus Deus, & ipse solus est adorandus, quem Iudæi comprehenderunt, & crucifixerunt, & occiderunt, & mortuus est. Quia reconciliati sumus Deo per mortem filii eius: & nunc salui erimus in vita ipsius.

Et

A Et ideo gloriemur in Deum per Iesum Christum, per quem reconciliationem accepimus. Per mortem filij sumus reconciliati: & tamen nihil in illo aliud potuit mori, nisi sola caro. Et hoc solùm in illo viderũt Iudæi, quod crucifixerunt, quod occiderent, quod mortuum est. Sed cùm caro mortua est sola, Dei filius solus mortuus est: quia solus, in hoc mũdo venit: & aduẽtus eius ipsa caro est. Et ipsa caro exanimis iacebat mortua: sed Verbum *caro* factum, non fuerat mortuum: quia cum carne ipsum verbũ immortale, & inseparabile erat carni suæ in sepulchro, sicut & verbum *caro* factũ in vtero. Et Patri semper æqualis permansit, cum in sepulchro carne mortuus iacuit: & in anima ad inferna descẽdit. Per carnem venit, & ipsa via eius caro est: & ipse eduentus eius homo est: pro quo & laborauit ex itinere: Deus autem sempiternus, id est, diuinitas ipsius hominis, qui

B creauit terminos terræ, nõ deficiet, neq; laborabit, nec est inuestigatio viæ eius. Attamen tanta vnitate personæ, vt sine dubitatione, & homo, qui mortuus est, credatur Dei filius Deus verus, & verus Deus, Verbũ Patris filius, credetur homo verus, qui sub Pontio Pilato crucifixus, hoc ipsum Paulo Apostolo attestãte, qui ait: [1 Cor. 2. 8.] *Si enim cognouissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent.* Et tamen hoc, quod despectum ideo viderunt, crucifixerunt: nõ hoc, quod Dominus gloriæ est. Nam quod homo dicitur filius Dei verus, & Deus verus, ipse Dominus de se dicit: [Ioan. 3. 13.] *Nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo filius hominis, qui est in cœlo.* Et tamen illum hominem, quem Deus Verbum solus assumpserat, non eum adhuc in cœlo imposuerat, sicut nec de cœlo eũ secum

C adduxeret: sicut & de illo legitur: *Filius hominis descẽdit de cœlo*, & filius Dei crucifixus est in terra. Sed hoc totũ verum est, quia ex vtroq; vnus Christus filius Dei est: quia ipse descendit de cœlo, & ipse est fili' Dei, qui sub Pontio Pilato crucifixus est in terra. Nam & diabolus, [Mat. 4. 3.] cum eum tentaret, dixit: *Si filius Dei es, dic, vt lapides isti panes fiãt.* Et alio loco dixit: *Scimus, quia sis filius Dei. Quid venisti ante tempus torquere nos?*

Antiquus itaque hostis redemptorem humani generis Deum debellatorem suum, in mundum venisse cognouit: qui tamen priusquam eum passibilem videret, [† f. eum.] † cum posse mortalia pati, quem hominem videbat, omne, quod de eius diuinitate credidit, elatione suæ superbiæ in dubium venit. Nihil quippe humile sapiens, nisi tantum quod superbum erat. Dum hominem esse

D humilem conspicit, Deum esse dubitauit. Vnde ad tẽ- [Mat. 4. 3.] tationum argumenta se conuertit, dicens: *Si filius Dei es, dic, vt lapides isti panes fiãt.* Quia igitur passibilem vidit, non Deum natum, sed Dei gratia custoditum credidit, quid de hominibus dicere possumus, quãta humilitate [Superius ...] habuit filius Dei? cùm & ipse diabolus, qui omnes tẽtabat ad peccandum, & aliquid suum in illis cognoscebat, & in Christo, vbi nihil suum cognouit, cũ diceret: *Scimus enim, quia sis sanctus*: Et eum Deum esse dubitauit. Et hoc humilitas faciebat, id est, humanitas, quam assumpserat. Et ipsa humanitas omnes superbos, & elatos scãdalizabat, sicut & hodie scandalizat. Nã cum nunc omnes audiunt Christum, non omnes vno modo capiunt Christum. Nam si omnes interroges Christianos & dicas: Creditis Christum? omnes vno ore respõ-

E debunt tam Catholici, quàm hæretici, tam boni, quam mali, & dicent, Credimus. Et hoc tantum ore profitẽtur hæretici: sed in corde aliud suspicãtur esse Christũ, quod non est Christus. Et tamen in toto mundo bona fama resonat Christi: quia vbique est Ecclesia Christi, quæ legit scripturam de Christo, & laudat Christũ. Et cum omnes laudãt, & bona se putẽt dicere de Christo: & tamen falluntur: quia dicunt aliquid de Christo, quod non est Christus.

Non potest verum dicere de Christo, de cuius ore nõ [Matth. 10. 20.] loquitur Spiritus sanctus: sicut ipse Dominus ait: *Non enim vos estis, qui loquimini: sed spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis.* Deum credunt esse Deum, & bonum est:

A sed cum Christũ hominem crucifixum nõ credunt esse Deum, malũ est: & dicunt se Deum laudare, & ei gloriam dare: sed nõ est vera gloria: quia fallũtur. Nam & bonum putãt esse, quod bonum non est. Et Christum putãt esse, quod Christus non est. Vnigenitum filium æqualem non esse Patri, non est bonum. Filiũ Virginis Mariæ non esse Dei filiũ, non est bonum. Veritatis carnem non esse verã carnem non est bonum. Nam inæqualem Patri esse filium, Arij fides est. *Quẽ Virgo peperit non esse filium Dei, Elipandi fides est.* Veritatis carnem non esse veram carnẽ, Manichæorũ fides est. Sed quia hoc totũ nihil est bonũ, quia hoc non est Christus, in vtroque falluntur, nec dant veram gloriã Christo, quamuis apud eos esse videatur cũ laude bona fama de Christo.

Et omnes plane hæretici, quos commemorare nimis longum est, qui de Christo non rectè sentiunt, ideo er-

B rant, quia eum nõ laudant ore, cum de corde vera non sentiunt. Sed cum eos Catholicus reprehẽderit, † victi [† victos.] se reddere nolunt: sed vnde cõuincant, nouum dogma excogitant. Sic fecerunt Arius, vel cæteri, qui aliud putauerunt esse, quã erat Christus filius Dei. Nam sicut nos sumus filij eorum, qui sic credimus in Ecclesiæ Catholica, vt illi crediderũt Christum: sic nũc sunt filij hæreticorum, qui negant hominem Deum esse Christum. Noua proferunt, quia sapiẽtes videri volunt. De ipsis Propheta dicit: *Hi sunt filij sicut nouella plantationum in iuuentute sua.* [Psal. 143.] Plantatio eorum non est vetus: sed nouella est. Non enim de veteri lege: nõ est de Prophetis, non est de Apostolis, sed de nouis magistris est. Noui sunt, quia noua, & semper de Christo excogitant. Sem-

C per iuuenes sunt. Licet multæ sint hæreses, tamẽ quotidie mutantur, & noue quotidie inueniunt. Nouæ sũt ipsæ hæreses, licet veteres sint, tamen cum quotidie doctrinã suam innouant, noui sunt. Noui enim veterum sunt magistrorũ errores, sed quotidie ipsa noua inueniunt: quod Ecclesiæ non facit. Hæretici verò & † hæ- [† hæreticos.] reticos detrahunt, quorum filij sunt per doctrinam, & fidem: & ipsorum verba reprehẽdunt: & tamen in altero sensu ipsa dicunt: quia nouis verbis nihil aliud, quàm ipsa sunt, & semper mutãt, & multa sunt. Ecclesiæ tamen verba non sunt multa, & ipsa non mutantur, quia firma sunt: & noue nõ sunt, quia ipsa tota in Symbolo sunt. Et quidquid foras Symbolum est, hæreticorum verba sunt.

Nam multi non intelligunt hunc sermonem, quare [Symbolum quid.]

D dicatur Symbolũ. *Symbolum* enim Græcè, quod Latinè dicitur *indicium, & conlatio.* Indiciũ est, quia indicat, cui credere debeamus, id est, vni Deo Patri, & Filio, & Spiritui sancto. Super Symbolum quid de Deo quæramus, tam in veteri, quàm in nouo Testamento scriptum non inuenimus. Et *conlatio* dicitur Symbolum, hoc est, quod plures in vnũ conferunt. Nam hæretici singillatim sibi adueniunt, venenum, quod melle linitum afferunt, & paruulos occidunt. Hæc per Spiritum sanctũ videntes Apostoli, conlatione facta in vnũ, composuerũt symbolum: vt per ipsum falsos Apostolos cõuinceret Ecclesia. Nam dicunt maiores nostri, quod post Ascensionem Domini, & Saluatoris nostri Iesu Christi hoc symbolum, breue sibi prædicationis iudicium cõscren-

E do in vnum, quod sentiebant, componunt: ne localiter ab inuicem discedentes, diuersũ aliquid vel dissonum prædicaretur his, qui ad fidem Christi inuitabantur. Et hac fide proficit Ecclesia: de qua dictũ est per Prophetam: *Filij tui sicut nouella oliuarum, in circuitu mensæ tuæ:* [Ps. 127. 3.] Hæc *mensa*, scriptura sacra est. Panis, qui comeditur, Christi corpus est. Et corpus Christi, quod manducamus, non solum panẽ & vinum, qui super altare offertur, corpus Christi est: sed & ipsum Euangeliũ corpus Christi est. Et cùm Euangelium legimus, & intelligimus, filij in circuitu mensæ, in vna conlatione sedemus, & panem cælestem manducamus. Non longe sunt à mensa Christi, qui omni hora dicunt: *Panem nostrum* [Matt. 6.] *quotidianum da nobis hodie.*

A Hæretici dicuntur filiæ, id est, molles, & in fide vacillantes: De quibus dicitur: *Filiæ eorum compositæ, vt similitudo templi.* Compositæ dicũtur, quia sermo hæreticorum compositus est, & sensus sordidus. Ornata habent verba de sapientia seculari. Inde dicuntur *filiæ eorum ornatæ, vt similitudo templi.* Similitudo templi, non est templum: similitudinem habet Ecclesiç. Sapientes se dicũt esse: quia vix vt rusticus, hæreticus dici potest. *Cellaria* hæreticorum *plena, eructantia ex hoc in illud,* quia semper paratç sunt ad contendẽdum: vt si illos tenueris in vno testimonio, ad illud transeũt. Si in Scripturis eos tenueris, maiores proponũt, qui in diuersis prouinciis habitant, & ab ipsis hoc didicisse pronunciant. Nã cum dicimus illis, quia *Pater misit filium,* sicut ipse ait, *Pater, qui me misit, maior me est:* Respondent illi contra nos. Deus

Psal. 143. 12.
Psal. 143. 13.
Hæreticorũ ingenium, moresque.
Ioan. 14. 28.

B non mittitur: Deus non subijcitur. Non seruit: sed dispensatiò mittitur. Si Deus vbique est, omnia in Deo sunt. Quomodo Deus ad aliquid mittitur, cùm Dei sint omnia? Difficile inuenies hęreticos imperitos. Omnes enim magistri instructi sunt scientia sæculi. Nolunt in Scripturarũ latitudine laboráre: sed somniant, & *stertunt* in alto sopore, & eructant, quod somniauerint: & insoper cum audacia in libris inserunt, & cũ se veritate defendũt. Et hoc faciunt, vt ab auditoribus suis bonorentur; & ab eis non solum laudis munera, sed etiam tẽporale subsidium accipiant, vnde viuant, dicentes eis: *Si nos vobis spiritualia seminamus, dignum est, vt vestra carnalia metamus.* Obliuiscentes illud Apostoli: *Manibus nostris operabamur, ne quemquam vestrum grauaremus.* Multi

1. Cor. 9. 11.
2. Thes. 2. 9.

C nescientes beatos tales putãt. Sed si beati sunt: qui non habẽt cum Apostolis callosas ex opere manus? Qui nõ ingrediuntur nudi cum reti mare istius sęculi, & sũt piscatores hominum? Qui non habẽt lutosos pedes? Non planè, quia sua quærunt: non quæ Iesu Christi. Et vbi deprehenditur in Ecclesia ipse hæretic⁹, qui sanctitatẽ ostendere religionis videtur, vitia emendat, bonũ vult, malũ non recipit, eleemosynas facit, captiuos redimit, hospites suscipit, humanitatem habet, nudos vestit, infirmos, & incarceratos visitat, & aliquoties semetipsũ in pœnitentia mactat, & cætera huiusmodi similia, quç numerare lõgum est, quæ videtur facere, & tamen hæreticus potest esse.

Sed dices: In quo potest deprehẽdi, qui sit hæreticus? Multa sunt: sed ex multis tria proponam, ex quibus de-

Tribus deprehenditur hæreticus.

D prehendatur à Catholicis in Ecclesia. Primũ in fide vera. Per fidẽ enim vitæ largitas ad homines venit. Quod per Prophetam Deus ipse testatus est, dicens: *Iustus autem meus ex fide viuit.* Apostolus Paulus ad Hebræos dicit: *Nos autem fratres, nõ sumus subtractionis in perditionem: sed fides in acquisitionem animç. Est autem fides sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium. Per fidem enim testimonium consecuti sunt seniores. Fide intelligimus aptata esse secula verbo Dei, vt ex inuisibilibus visibilia fierent. Fide plurimam hostiã Abel, quam Cain obtulit Deo: per quam testimonium consecutus est esse iustus, testimonium perhibentibus muneribus eius: & per illam defunctus adhuc loquitur. Fide Enoch translatus est, ne videret mortem: & non inueniebatur, quia*

Gal. 3. 11.
Hebr. 10. 38.
Hebr. 10. 39.
Hebr. 11. 1.
* Vulg. aliter.

E *transtulit illum Deus. Ante translationem enim testimonium habebat placuisse Deo: sed tamen per fidem. Sine fide enim impossibile est placere Deo. Credere enim oportet accedentẽ ad Deũ, quia verè est Deus vnus: & inquirentibus se remunerator fit. Fide, Noë responso accepto de his, quæ adhuc non videbantur, metuens habitauit arcam in salutem domus suç: per quam damnauit mundum, & iustitiç, quæ per fidem, hæres est institutus. Fide quoque vocatus Abrãham obediuit in locum exire, quem accepturus erat in hæreditatem. Et exiens, nesciens quo iret. Fide moratus est in terra repromissionis, tanquam in aliena, in casulis habitando cum Isaac, & Iacob, cohæredibus repromissionis eiusdem. Expectabat enim fundamenta habentem ciuitatem, cuius artifex & conditor Deus. Fide & ipsa Sara sterilis virtutem in cõceptionem seminis accepit, etiam præter tempus ætatis: quoniam fidelem credidit esse, qui promiserat. Propter quod & ab vno orti sunt omnes. Et hoc emortuo tanquam sidera cœli in*

A *multitudinem: & sicut arena, quç est ad oram maris innumerabilis. Iuxta fidem defuncti sunt omnes isti non adeptis repromissionibus: sed à longe eas aspicientes, & salutantes: & confitentes, quia peregrini, & hospites sunt super terram. Qui enim hęc dicunt, significant se patriam inquirere:* [& non terrenam patriam, sed cælestem.] *Et si quidẽ illius meminissent regionis, de qua exierunt, habebant vtique tempus reuertendi. Nũc autem meliorem appetunt, id est, cælestem* [Ierusalem.] *Ideo non confunditur Deus, vocari Deus eorum. Parauit enim illis ciuitatem* [sanctam Ierusalẽ cælestem.] *Fide obtulit Abraham Isaac, cum tentaretur. Et vnigenitum offerebat, qui susceperat repromissiones, ad quam dictum est: Quia in Isaac vocabitur tibi semen, arbitrãs, quia & à mortuis suscitare potens est Deus. Vnde eum & in parabola accepit. Fide & de futuris be-*

Heb. 11. 13.

B *nedixit Isaac, Iacob, & Esau. Fide Iacob moriens, singulos filios Ioseph benedixit; & adorauit fastigium virgæ eius. Fide Ioseph moriens, de profectione filiorum Israel memoratus est, & de ossibus suis mandauit. Fide Moyses natus, occultatus est mensibus tribus à parentibus suis, eò quod vidissent elegantem infantem, & non timuerunt Regis edictum. Fide Moyses grandis factus, negauit se esse filium filiæ Pharaonis: magis eligens affligi cum populo Dei, quàm temporalis peccati habere iocunditatem: maiores diuitias æstimans thesauris Ægyptiorũ improperium Christi. Aspiciebat enim in remunerationem. Fide reliquit Ægyptum, non veritus animositatem Regis. Inuisibilem enim tanquam videns sustinuit. Fide celebrauit pascha ex sanguinis effusione: ne qui vastabat primitiua, tangeret eos. Fide transierunt mare rubrum, tanquam per aridam terrã. Quod experti Ægyptij deuo-*

C *rati sunt. Fide muri Iericho corruerunt circuitu dierum septem. Fide Raab meretrix non periit cum incredulis, excipiens exploratores cum pace. Et quid adhuc dicam? D sicut enim tempus narrantem de Gedeon, Baruch, Samson, Iepte, David, Samuel, & Prophetis, qui per fidẽ vicerunt regna, operati sunt iustitiam, adepti sunt repromissiones. Obturauerunt ora leonum, extinxerunt impetum ignis, effugerunt aciem gladij, cõualuerunt de infirmitate, fortes facti sunt in bello, castra subuerterunt exterorũ, acceperunt mulieres de resurrectione mortuos suos. Alij autem distenti sunt, non suscipientes redemptionem, vt meliorem inuenirent resurrectionem. Alij verò ludibria, & verbera experti, insuper & vincula, & carceres. Lapidati sũt. Secti sũt. Tẽtati sũt. In occisione gladij mortui sunt. Circuierunt in melotis, & in pellibus caprinis: egentes, angustiati, afflicti, quibus dignus nõ erat mundus. In solitudinibus errantes, & in montibus, & in*

D *speluncis, & in cauernis terræ. Et hi omnes testimonio fidei probati, non acceperunt repromissionem, Deo pro nobis melius aliquid prouidente, ne sine nobis consummarentur.*

Ecce hi Patres, qui adhuc sub vmbra fuerunt, quos Apostolus nominauit, per fidem salui facti sunt: & pro ipsorum descendit animabus ad inferna, & eas secũ adduxit ad cœlos: & adhuc hodie illam repromissionem nõ acceperunt isti maiores. † Et vbi sunt illi, qui dicũt, quòd hi, qui cum Christo resurrexerunt, cum carne, & animabus in cœlos cum Christo ascenderunt? Non cõcordant Apostolo, qui hoc loco dixit: *Non acceperunt repromissionem, Deo pro nobis aliquid melius prouidente, vt non sine nobis consummarentur.* Quomodo sunt cum carne in cœlo, si † adhuc illorum repromissione sine nobis cõ-

† quoad corpus scilicet.
Hebr. 11.
† Locus mendosus.

E summarentur? Aut quomodo pars corporis Ecclesiæ, quæ caput habet in cœlo, pars ascendit, & pars patitur adhuc, & pars iacet sepulta? Et vbi erit illud, quod Ioãnes in Apocalypsi dicit: *Vidi subter altare animas interemptorum propter verbum Dei, & testimonium, quod habebant?* Non propter aliud occisi sunt; sed propter verbũ Dei, propter Verbum incarnatum, propter testimonium, quod habebant Iesu Christi, quem prædicauerunt, expectauerunt, & viderunt: cui & clamabũt voce magna, dicentes: *Vsquequo Domine sanctus, & verus non iudicas, & vindicas sanguinem nostrum de his, qui habitant in terra?* Vbi illic adiungitur: *Datæ sunt illis singulæ stolæ albæ.* Quæ sũt singulæ *stolæ albæ,* nisi tãtum animæ, quæ adhuc desiderant corpora, vt adhuc in terram suam duplicia possideant, cùm omnium hominum fuerit resurrectio? Sicut scriptum est: Non prima iustorum, & secunda peccatorum,

Apoc. 6. 9.
Ibid. 10.
Ibid. 11.

catorum, vt hæretici deierant: sed vna resurrectio omnium, & in semel.

Vt supra. Quod vt verius probem, audi quid sequitur: *Data sunt illis singula stola alba*, id est, lætitia animarum tantùm: *& Ibid. 10. dictum est illis, vt requiescerent: tempus adhuc modicum, donec compleatur numerus conseruorum, & fratrum eorum.* Sed quia non hæc tractanda suscepimus, ad promissum ordinem redeamus; & quid sit vera fides, tractemus: *Heb. 11. 6. Quia sine fide nullus placere Deo potest.*

Sed quia de veteri testamento iam cum Apostolo diximus, & vna fides est, & vnum Dominum credimus; ad nouum Testamentum, ipso Domino præcedente, veniamus. *Luc. 1. 38* Fide ipsa Virgo Angelo credidit, dicés: *Ecce ancilla Domini: fiat mihi secundum verbum tuum.* Fide Elisabeth *Ibid. 43.* *matrem Domini* prædicauit. Fide Simeon cognouit Dominum. Fide Anna Dominum laudauit. Fide Centurio dixit: *Domine tantùm dic verbo, & sanabitur puer meus.* Et *Matt. 8. 8.* Dominus miratus se sequentibus dixit: *Non inueni tantam fidem in Israël. Et ait ei: Vade; sicut credidisti fiat tibi.* *Matt. 8. 10.* Aut quid dicam? Fide Apostoli crediderunt. Fide cæci illuminantur. Fide diuersæ valetudines curantur. Fide *Ibid. 13.* mulier fimbriam vestimenti tangens, salua facta est. Ad quam Iesus dixit: *Confide filia: fides tua te saluam fecit.* Fide *Matt. 9. 22.* mulier Cananæa importunè clamabat, dicens: *Domine, adiuua me.* Respondens Iesus ait: *Non est bonum sumere* *Matt. 15. 25.* *panem filiorum, & mittere canibus. Et illa dixit: Domine, nā & catelli edunt de micis, quæ cadunt de mensa dominorū suorum. Tunc respondens Iesus, ait illi: O mulier, magna est fides tua: fiat tibi sicut credidisti.* Fide Gentilis populus credidit. Fide & hodie creditur. Sed multis modis fides variatur, & fides vera putatur, quæ fides vera non est. Sicut multis modis Christus vobis prædicatur, & Christus putatur, qui Christus non est. Sic fides putatur vera, quæ vera non est. Fides falsa est, quæ sine charitate est. Deniq; postquam Apostoli Domino crediderunt, dixit Iesus: *Pacem meam do vobis: pacem relinquo vobis.* *Ioan. 14. 27.* Pacem meam, *nō sicut mundus habet pacem.* Siquidem mundi pax nostrum bellum est. *Meam pacem do vobis.* Bellum habet cum mūdo, & meam pacem habebitis. *Et in hoc cognoscent omnes* *Ioan. 13.* *homines, quia mei discipuli estis, si dilectionem ad inuicem habueritis.* Tunc illi omnes hoc præceptum acceperunt à magistro, facta conlatione, tantam habuerunt dilectionē, *Act. 4. 32.* vt in duodecim illis corporibus *animam facerent vnam, vnum cor*, & voluntatem vnam. Et qualiter crederet Ecclesia, non vnus composuit Symbolum fidei: sed omnes singula verba posuerunt. Et quod corde crediderunt, dilectione demonstrauerunt. Quod hæretici non faciunt: sed vnusquisque sibi sapiens esse videtur: & non requirit membra, nec conlationem necesse habet: sed ad suam nouam doctrinam omnes vult inclinare. Et cum Catholicus noluerit eum audire, excitatur in discordiam. In hoc deprehenditur primùm, quia non habet fidem rectam. Secundò, quia non habet charitatem.

Tertiò, quia qualis ille, tales & discipuli eius. Quia omnis magister in discipulis agnoscitur: sicut & Christus in Apostolis. Nam omnis magister, qui de doctrina Christi est, primum à domesticis cognoscitur, qualis sit. *1. Tim. 3. 4.* Sicut Apostolus docuit, *Domum suam bene regentem filios habere subditos, cum omni castitate. Quia qui domum suā bene non regit, in domo Dei diligentiam habere non potest.* Nam omnis, qui discipulos nutrit, in tantū eos instruit in fide vera, donec Christus formetur in illis: secundū Apostolum Paulū, qui dicebat discipulis: *Filioli mei, quos ad-* *Gal. 4. 19.* *huc parturio, donec Christus formetur in vobis.* Itē ipse: *Imi-* *1. Cor. 11.* *tatores mei estote, sicut & ego Christi.* Poterat Dominus noster Iesus Christus vno die docere discipulos suos, si voluisset. Quia ipse erat Deus, qui illis inspirare poterat vna hora, quod multo tempore inspirauit. Sed pro hoc factum est, vt qui magistri Ecclesiarum esse deberent, multo tempore per hæc crescerent, & cum labore ad solidum cibum peruenirent: qui etsi multum laborauerunt, quia errauerunt, & dubitauerunt: Sed illorum erratio, nostra est correptio. Illorum dubietas, nostra est firmi-

A tas. Errauit Petrus, quia negauit. Dubitauit Thomas de resurrectione, quia dixit: *Nisi videro, non credam.* Dubi- *Ioan. 20. 25.* tauit Cleophas, & Lucas Euangelista, quia dixerunt: *Nos putabamus eum, quòd ipse esset redempturus Israël.* Et cum non cognoscerent Christum, & interrogarentur ab eo, *Luc. 24. 19.* *quare essent tristes*, responderunt ei: *Tu solus peregrinus factus es in Ierusalem, & non cognouisti, quæ facta sunt in illa his diebus? Dixit eis Iesus: Quæ? Responderunt, dicen-* *Luc. 24. 17.* *tes: De Iesu Nazareno, qui fuit Propheta maior in opere, & sermone.* Vides, quia non extimabant eum Deum esse, sed Prophetam? Dubitauit Philippus, qui dixit: *Domine ostende nobis Patrem, & sufficit nobis.* Protinus audi- *Ioan. 14. 8.* uit: *Tanto tempore vobiscum sum, & non cognouistis me, Philippe? Qui videt me, videt & Patrem meum. Non credis, quia ego in Patre, & Pater in me est?* Hoc totum quare dico, quòd Apostoli errauerunt? Propter hæreticos, qui B discipuli non fuerunt, & magistri sunt. Quod si in disciplina multo tempore in conlatione laborassent, ibi audissent, quid dicerent. Ibi reprehenderentur, vt emendarent. Ibi corrigerentur, quo errarent: donec Christus firmaretur in eis: & sic cum grandi labore orando, & humiliando, quandoque ad solidum cibum peruenirēt. Et cùm peruenissent, iam dentes habentes solidum panem manducarent: *& paruulis frangerent, & darent*, id *Thre. 4. 4.* est, sententias, quas mente paruuli non intelligunt, ipsi ea responderent. Sed quia sibi sapientes videntur, & pro despectu hoc facere nolunt, ideo magistri erroris fiunt; quia veritatis discipuli esse noluerunt. Discipuli quidem fuerunt: sed de disciplina sæculari. Et ideo fures, & latrones in conlatione Ecclesiæ apparuerunt: quia *non per* *Ioan. 10. 8.* *ostium*, quod est Christus, sed aliunde primam cathedram C ascenderunt. Et inde cognoscimus eos non esse veros pastores; *quia* vocem illorum, id est, eos oues Dominicæ fugerunt.

In his tribus plene deprehenduntur in Ecclesia hæretici, id est in fide, & dilectione, & disciplina. Qui enim rectè credit, & non diligit, Dæmon est. Dæmon credit, & non diligit. Nec iste discipulus Christi est. Nam omnis, qui diligit, credit. Dilectio enim tantum in bonis rebus accipitur: amor verò, & in bonis, & in malis esse potest: quia & mali se amant, & non diligunt. Quia dilectio à duorum ligatione nomen accepit, quia sic diligit alterum, sicut seipsum. *Et est men-* *Matt. 22. 40.* *sura dilectionis, in qua tota lex pendet, & Propheta. Dili-* *Ibid. 39.* *ges Deum ex toto corde: & proximum tuum, sicut teipsum.* Restat ergo, vt qui diligit, rectè credat, quia symbolum recitat. Pro fide tamen solus non contendit, sicut hære- D ticus: sed cum omni Ecclesia clamat. Hæreticus tamen solus errans discurrit per terras, vt nouæ suæ doctrinæ consentientes inueniat. Catholicus autem nihil nouum dicit: quia totam suam fidem in symbolo comprehendit. Confirmat eam, quia habet dilectionem proximi. Tunc habet & spem, cùm habuerit fidem, & charitatem. Fides dicta est, quia fit illud, quod inter vtrosque placitum est. Id est, sicut inter hominem, & hominem fiat, vt nemo nemini mentiatur. Iam si mentitur quis, non est fides. Sic inter Deum, & hominem: si non facit homo, quæ promittit Deo, iam non est fides. Iam & Deus non facit, quæ promisit homini: quia homo primus violauit fidem. Spes vocata, quasi pes ad progrediendum. Qui promittit Deo, & non pergit ad E eum, non habet spem, quia non vadit. Non est ibi pes, sed depes, id est, desperatio. Charitas autem Græcus sermo est, quòd latine dicitur dilectio. Hæc tria sunt, quæ in religionis cultu ad colendum Deum in omnibus perquiruntur, id est, fides, spes & charitas. *His tri-* *1. Cor. 13. 13.* *bus maior charitas.* Quia hic inchoatur, & finem non habet. Proinde Deus charitas nuncupatur, qui finem non habet. Fides tamen, & spes finem habebunt. Quia cum videmus Deum, quem credimus, vltra quod credamus non habemus. Fides dicitur in hoc sæculo, quia veraciter credimus: id quod nequaquam videre valemus. Nam credere iam non possumus, quod videmus.

Sic spes tantum in hoc sæculo. Cùm autem viderimus maiestatem Dei, quam nobis promisit videre, vltra quod speremus non habemus: quia quod sperabamus iam habemus. Et cum habet homo, quod sperabat, quod speret non habet.

Charitas verò hic inchoat proximo. Et cum viderit Deum, tunc fit maior. Quia hic dilexit proximum, minor est. Sed quantum plus dilexit proximum, tantum & ille plus videbit maiestatem Dei. Et quantum minus dilexit proximum, tantum & ille minus videbit maiestatem Dei. Et qui non dilexit, licet ieiunet, oret, res suas pauperibus eroget, ita vt nudus pro Christi nomine remaneat, virginitatem custodiat,

Ps. 1. 2. *die, & nocte in lege Domini meditetur*, omnes scripturas memoriter teneat, omni die communicet, infirmos, & incarceratos visitet, nudos vestiat, hospitibus pedes lauet, rectè credat Christū

B

1. Cor. 13. filium Dei, omnia secreta eius sciat, *& Angelorum linguis loquatur*, & pro Christi nomine crucem ascendat, & pro Christo sanguinem fundat; maiestatem Dei videre non potest. Sine charitate, Deum nullus Catholicorum videbit vnquam. Ipsi dicturi sunt, qui ista omnia faciunt,

Matt. 7. 22. & non diligunt: *Domine in nomine tuo prophetauimus, dæmones eiecimus, & virtutes multas fecimus. Tunc respondebit illis: Discedite à me operarij iniquitatis. Nunquam noui vos in domo Patris mei.* Require nunc, quid est in domo Patris. In domo Patris non fuit, id est, Ecclesiæ vnitatem non tenuit. Fides autem illa vera appellanda est, quæ est vera, non ficta, quam sanctus commendat

Ti. 1. 5. Apostolus, dicens: *Finis autem præcepti est charitas de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta.* Nam quia

C

Eph. 2. 8. idem beatus Apostolus, *gratia nos dixit saluos factos esse per fidem: quam non ex nobis, sed Dei asserit donum.* Et vtique vera salus non erit, vbi fides vera non fuerit. Quæ cum diuinitus infunditur, sine dubio gratuita largitate donatur. Et vbi per veram fidē veritas fuerit credulitatis, veritas vtique comitabitur & salutis. Quisquis autem à vera fide deuiauerit, veræ salutis gratiam non habebit.

Proinde torpere non debet fidelis animus ad quærendum, si quid in sacramento fidei sibi videtur ambiguum, maximè in mysterio Dominicæ incarnationis; per quam iustitia impiis, vita mortuis, salus infirmis, & veræ liber-

Ioan. 6. 33 & 52. tatis, & gratia donata captiuis. *Ipse est panis noster, qui de cœlo descendit, & dat vitam mundo. Si quis*, inquit, *ex ipso*

Ps. 77. 25 *manducauerit, viuet in æternum. Panem cæli dedit eis*, vt Propheta ait: *panem Angelorum manducauit homo.*

D

Sed fortè dicet aliquis: Vbi inuenire possumus hunc panem, qui de cœlo descendit, & manducare? Iam Dominus ad cœlos ascendit, quomodo manducabo hunc panem, & viuam in æternum? Quia desidero hunc panem manducare. Et credo, *quod vita æterna est ipse panis*, id est, corpus eius. Et dico: Domine semper da nobis panem hunc. Et in oratione, quam edocuit, oro, & peto:

Matt. 6. 11. *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.* Quid est ipse panis, quē quotidie petimus? Et noster panis est; & tamen eum nisi petierimus, non accipimus. Et verè corpus est. Audi ipsum panem nostrū quotidianum. Pete. Accipe. Manduca quotidie. Legamus sanctas scripturas, & inueniemus hunc panem. Ego corpus Iesu Euangelium esse puto. Scripturas puto doctrinam eius: & quando dicit

E

Iesus: Qui non comederit carnem meam, & sanguinem meū non biberit; licet spiritualiter, & cū mysterio possit intelligi; tamen corporaliter panem, quem petimus quotidianum, verè corpus Christi, & sanguis eius, sermo scripturarum est, doctrina diuina est. Et cū legimus eam, carnem Christi manducamus, & sanguinem eius bibimus. Et cùm oramus, vt intelligamus ea spiritualiter, & cognoscamus diuinitatem incarnatam. Et cum cognoscimus, quòd verè filius Dei sit, & verus Deus, & non est alter Deus præter illum, qui de Virgine natus est, & adoramus eum cum Angelis, sicuti est vnus cum Patre, & Spiritu sancto Deus, panem Angelorum manducamus. Qui scripturam frequentat legere, ipsa litera corpus est. Sed spiritus in litera est. Habet ipsa litera spiritum, id est,

A

intellectum. Sed tamen ipsū intellectum sine litera, quæ corpus est, nemo intelligere potest quia intel[illegible] nos est corpus. Sed cum cœperit aliquis legere, ipsa literam, quæ corpus est, & eam intelligere non poterit, oret, & dicat: *Pater noster, qui es in cælis: panem nostrum quotidianum da nobis hodie:* quousque pe[illegible]at, quousque intelligat. Et postquam intellexerit, interroget seniores, interroget Patres, sicut scriptum est, & ipsi [illegible] annunciet: & tune videbit spiritum, si ex Deo est an non. [illegible] se præsumat ante prædicare, nisi prius probauerit spiritum literæ, si ex Deo est. Pensa quantum periculosus est sermo diuinus, quem manducas: in ipsa communione cognosce, quam communicas. Si micula ceciderit in terram de manu sacerdotis, omnes contremiscunt, & elongant se ab ipso loco, vbi Eucharistia ceciderit, & quæritur [illegible]

Matt. 6. 10. (margin)

B

gentes, vt in patena reponatur: quia corpus Christi est ipsa Eucharistia, quæ latinè dicitur *bona gratia*. Sic & Euangelium *bona gratia* dicitur. Quod si totum Euangelium quis intellexerit, & miracula crediderit, quæ non intelligit, quærat, timeat, contremiscat: non habeat despectui ipsam miculam quærere, & inuenire, & in patena, id est, in anima fideli ponere; quia corpus Christi est. Et animæ fidelium, si vasa non essent, non diceret Propheta

Isai. 52. 11 ex voce Domini: *Mundamini, qui fertis vasa Domini.* Et

Act. 9. 15 de Paulo Apostolo ipse Dominus dicit: *Vas electionis mihi est*. In ipsa vasa corpus Christi mittitur, quod est Eucharistia, siue verbum Dei. Quòd si ipsa micula, quam Eucharistiam diximus, de manu sacerdotis ceciderit, & eam conculcauerit, conculcat & omne corpus Christi.

C

Tunc non debet corpus Christi tradere, & nomen Patris habere: sed inter cæteros filios accipere, quia filij sciunt sanctum esse. Sed si de sacramento interrogētur, rationem facere nesciunt. Sic etiam de Euangelio intelligendum est. Qui pater est, & Euangelium annunciat, ad quem corpus Christi diximus, & totum Euangelium bene annunciauerit, & micula ceciderit ei, quam intellexerit, & male intellecta non quæsierit: sed conculcauerit, id est, cum temeritate defenderit, conculcat totum corpus Christi, id est, totum Euangelium. Tunc non debet corpus Christi more paterno dare: sed more filiorum accipere, id est, non debet, vt doctor prædicare, sed vt discipulus accipere.

Qui enim rectè credit de Patre: & de Filio, & de Spiritu sancto non rectè credit, iam nec de Patre rectè credit.

D

Qui rectè credit de Filio, & de Patre, & Spiritu sancto non rectè credit, iam nec de filio rectè credit. Qui rectè credit de Spiritu sancto, & de Patre, & Filio non rectè credit, iam nec de Spiritusancto rectè credit. Qui rectè credit de tota Trinitate, & de sola incarnatione filij Dei non rectè credit, iam non rectè credit de tota Trinitate. Sic & cum totam legem Christi obseruauerit, & in vno offenderit, iam totam legem offendit. Si cognoueris legem, cognosces & Euangelium. Quia Euangelium sic est de Lege, sicut granum tritici de palea. Et nullum granum potest ad maturitatem venire, nisi intra paleam latitauerit. Hoc est granum tritici, quod in terram cecidit, & non multiplicauit. Ipse est Christus, Ipse est panis, quem nunc comedimus. Sed & ipsum granum medullam habet: Pinguedinem habet.

E

Adipem habet; vnde satiamur, secundum Prophetæ dictum: *Et adipe frumenti satiat te.* Pinguedo in grano est,

Ps. 147. 14 diuinitas in carne. Granum in palea est, Euangelium in Lege. Est occultatum Euangelium in Lege, & occultus Christus in litera. Est & occultata diuinitas in carne. Legunt carnales Iudæi Legem, & non intelligunt Euangelium. Legunt carnales Christiani literam, & non intelligunt spiritum. Clamant Christiani Christum, & non intelligunt diuinitatem. Ac per hoc glorificant se Iudæi de Lege, sed eam non habent: cum Euangelium non habent; quia panem non habent. Glorificant se, & carnale[illegible] de litera in Ecclesia, sed eas non habēt, quando [illegible] non habent. Glorificant se Christiani de fide, sed Christum non habent, qui diuinitatem non

habent

1.Cor.3.6 habent. Quamobrem nihil habet ex parte, qui totum nõ habet. Nam cum *litera occidat, spiritus autem viuificet*, necesse est illa spiritualium interiora sermonum, spiritu viuificante, penetrare. Vniuersam porrò scripturam tam veteris Testamenti, quam noui, ad intellectum allegoricum esse sumendum.

Allegoria Nam ipsa allegoria quatuor modis in scripturis diuinis est requirenda. Primus est secundum translationem, vt est illud: *Iratus est Dominus, & descendit*. Et similia, quæ ad insinuandas causas, & hominum motus transferuntur ad Deum. Alia est secundum imaginationem, vel hypotyposeos, vt est illud: *Homo quidam descendebat ab* Luc. 10. 30. *Ierusalem in Iericho*. Et parabola vineæ, atque agricolarum. Ordo enim eorum, quæ agebantur à Christo, velut imaginem personæ, & negotij alterius refertur impetũ. Tertia est secundum comparationem, vel similitudinem, vt est illud: Matt.13. 31. *Simile est regnum cœlorum grano sinapis*, & cætera. Non enim narratio, sicut in superiori exemplo contexitur: sed causarum solummodo comparatur effe- Luc.13.19 ctus. Quartus est secundum Prouerbialem modum, vt est illud Salomonis: Prou.5.15 *Bibe aquam de tuis vasis, & de tuis puteis*. Vult scriptura carnalem concupiscentiam monere refrenandam esse intra iugalem licentiam. Has nostras Allegorias Iudæi non recipiunt: Carnales Christiani non intelligunt, & inde Christum hominem, esse Deum non confitentur. Denique velauit Moyses faciem suam, & sic est populo locutus: Velata fuit Moysi vsque ad Christum Bibliothecæ facies: & in fine huius Bibliothecæ reuelata est. Et inde sic incipitur reuelatio Christi, quam dedit illi Deus palam facere seruis suis, Apoc.22.6 *quæ oportet fieri cito*. Hæc Ioanni reuelata est: quæ tota Bibliotheca vnus liber est, in capite velatus, in fine manifestus. Qui liber duo testamenta dicuntur, vetus, & nouum. Et vnum est tanquam vnus gladius ex vtraque parte acutus. Et hinc inde, id est, in Lege, & Euangelio acuitur, vt fideles armet, & interficiat infideles: sicut idem in Apocalypsi, de ore Domini gladium ex vtraque Apoc.19. 15. parte acutum egredi testatur, id est, verbum eius. Qualibet Bibliotheca totus sic est intelligendus, tanquam vnus homo.

Denique homo perfectus ex tribus constat; id est anima, corpore, & spiritu: sicut Apostolus dicit: *Deus pacis* 1. Thess. 5. *sanctificet vos ad perfectum: & integer spiritus vester*, anima, & corpus *sine querela in aduentum Domini nostri Iesu Christi iudiciumque, reseruetur*. Non quod altera sit anima in substantia, & alter spiritus, sicut altera substantia est anima, & altera caro; sed ipsa anima vnus est idem spiritus. Sed dũ exteriorẽ carnem affligit homo per pœ- 2.Cor. 4. nitentiam, secundum Apostolum, *interior anima renouatur de die in diem in cognitione Dei*. Et postquam cognouerit Deum, dicitur spiritus, id est, contemplatiuus seruus Dei; quia Deum contemplatur: per vitam contemplatiuam videt Deum, non in corpore, sed mente. Quæ mens sic est in actione animæ, sicut caput in corpore. Qui spiritus sic est in actione mentis, sicut oculi in capite. Et sicut homo videt per oculos, & discernit lucem à tenebris, & in die ambulat, aut operatur, quia participat lumen oculorum suorum, cùm lumen solis, & vtrumque vnum lumen est. Sic ille spiritus, qui lumen est, participat cum Christo, qui sol est, & fit vnum lumen vtrorumque, id est, vnus spiritus: sed non est ipse spiritus, quem dicimus, cum Dei spiritu vna natura.

Cùm dicimus lumen & lumen, quia aliud est lumen inluminans, aliud lumen inluminatum. Sicut aliud est sol inluminans, aliud oculi inluminati. Qui oculi in tenebris non vident, nisi participentur lumini, aut soli, aut lucernis, qui sol Christus intelligitur. Lucernæ verò Patres sancti, id est, Prophetæ, Apostoli, atque Doctores. Tenebræ verò sunt, in quibus homo non participat luci, diabolus, & Angeli eius, homines mali, & peccata, quæ facimus, pro quibus cæcamur, & Deum videre non possumus. Et tamen ille semper in lumine est, & nos videt. Et omnes sancti, qui in lumine cum eo sunt, & nos putamus, quod nemo nos videt, cum malum cogitamus, aut facimus. Et tunc non sumus cum Deo: sed Deus nobiscum est, qui vbique lumen est, licet nos in tenebris sumus, qui tunc cum diabolo, & hominibus malis vnà tenebræ sumus, cum operibus illorum participamus. Sic tunc non sumus cum Deo, & ille nobiscum est: sicut cæcus non videt lumen solis: & tamen lumen solis totum corpus eius inluminat, sed sol se non mutauit: sed cæcus, qui lumen sui corporis perdidit. Sic Deus se nunquam mutat, sed nos, qui lumen animæ perdimus per peccatum.

Hoc totum quare diximus? Quia vnum hominem anima, corpore, & spiritu, id exemplo Bibliothecæ instruare voluimus. Qui homo tantum ex duabus substantiis constat, id est, corpore, & anima. Corpus habet partem mundi, vnde ducit originem. Anima vero non habet originem, quia spiritus est, & ad imaginem Dei factus est: Quæ ex vtroque vnus homo compositus est. Et ipsa anima rationalis est, sicut Angelus, & intelligit cum Angelis: & ipse spiritus, quem supra diximus, ipse intellectus animæ, hoc est superior intellectus, quod Græcè dicitur, *Anagoge*, id est, intellectus Angelicus, per quem Deum videt. Et cum supra tendit, fit cum Deo, & Angelis vnus spiritus. Et cum ad corporalia flectitur, & omnis pro corpore cogit, fit mundi amator.

Et dicitur iste Mundus, quia Christum odio habet. Si fuisset cum Deo, erat Deus, non natura, sed gratia. Sed quia seruit mundo, id est, corpori, tunc non dicitur imago Dei, sed homo, Propheta attestante, qui ait: *Et homo in* Psal. 48. 13. *honore cum esset, non intellexit, Comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis*. In honore est, quando in superiori intellectu cum Angelis intelligit; & pro hoc laborat, vt ad Angelorum æqualitatem perueniat: & panem quotidianum in nomine Iesu Patrem dare sibi postulat, vt in æternum cum illo viuat æternus. Cum verò pro † ea laborat quæ æterna non sunt, & terrena sunt, & corporalia sunt, & videntur, perdit imaginem, & similitudinem Dei, & *comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis*. † Quæ totum vna anima agit, & ipsa est, quæ cælestia concupiscit, æterna, & obliuiscitur temporalia. Et ipsa est, quæ terrena lucra temporalia conquirit, & cælestia obliuiscitur: & non potest cælum & terram simul lucrari, nisi vnum dimiserit. Et habet ipsa anima multa nomina per actiones, quas discurrit, cum sit substantia vna: quæ dum contemplatur Deum, spiritus est, Dum sentit, sensus est, Dum sapit, animus est. Dum intelligit, mens est. Dum discernit, ratio est. Dum consentit, voluntas est. Dum recordatur, memoria est. Dum membra vegetat, anima est. Et hæc quidem dum multiplici constent appellatione, non tamen ita diuiduntur in substantia, sicut in nomine: quia ista omnia vna est anima. Et in parte, qua se flexerit, ipsius partis nomen accipit, quia partes eius sunt ista, quæ dixi. Hoc totum pro spiritu ista diximus, vt hæreticis calumniandi assertionem tolleremus. Quia vnum hominem integrum, atque perfectum spiritu, anima, & corpore, secundum Apostolum constare firmamus.

† ijt, nisi legas, propter.

Psal. 48. 13.

† F. Quod.

Quo firmato, ad Bibliothecam nostram, Deo illuminante redeamus. Et sicut vnum hominem integrum ex tribus constare diximus: & à Bibliotheca nostra vnum librum integrum ex tribus constare explanemus, id est, litera, Tropologia, & mystica intelligentia. Litera est, sicut corpus hominis. Quæ litera ipsa est historia. Tropologia sic est, sicut anima hominis. Mystica intelligentia sic est, sicut spiritus hominis. Corpus ergo sacræ scripturæ, sicut diximus, litera est. Et anima in morali sensu qui Tropicus dicitur; spiritus verò in superiore intellectu Angelico, qui Anagoge appellatur. Corpus est literæ, cũ dicimus: *Ambulabat Dominus. Descendit Dominus. Caput Domini*, capillos, oculos, aures: *Iurauit Dominus per animã suam*: & tota historia, quæ legitur, & auditur, & syllabis comprehenditur; & literis † emendatur: & cætera huiusmodi similia, quæ ad exteriorem auditum pertinent,

† F. mandat.

tam legentibus, quam audientibus communiter, totum A corpus est literæ exterioris, sicut corpus est hominis exterioris. † Quæ si omnia, quæ leguntur, secundum literam, id est, corpus literæ exterioris, sicut ad aures publicas sunat, sic ea voluerimus intelligere, tales erimus, sicut & ille, qui cælestia obliuiscitur, & terrena lucra sectatur, & tantum corpus suum, non animam diligit. Et tamen vtrique *comparati sumus iumentis insipientibus*. Vnam comparationem habemus, & vita sumus dissimiles: quia ille est sæcularis, qui mundum amat, & ego religiosus, qui literas. Sed ab vna comparatione, id est, ab vna lancea occidimur, quia vtrique corpora amamus, & vtrique corpora videmus. Quæ & in ipsa historia est aliquid, quod sicut audiuimus, & tenemus, & sic intelligantur, sicut audiuntur. Et sic diligimus ea, & obseruamus. Quod si & illa ad Allegoriam reduxerimus, & volumus ea mutare, tale est, tanquam si corpus nostrum omnino occidimus, & non damus ei, quæ necessaria sunt, sine queis corpus viuere non potest, id est, cibo, potu, somno, & vestimento. Si hæc facimus, non erit corpus, quod currat pro anima. Iam non erit anima salua, quæ corpus suum occidit contra naturam.

† Quod.
Psal. 48. 13.

Quæ sunt ista, quæ diximus? Sunt hæretici, nomine Circumcelliones, qui amore martyrum semetipsos interficiunt. Tales sunt & illi lectores, qui omnino animam literæ à corpore nudare quærunt. Nam sicut corpus stat pro se, & recipit actionis suæ vicem: sic & historia aliquando per se, vt aliud non intelligatur per significationes, similitudines, & figuras, nisi tantum secundum corpus literæ sicut auditur. Historia est Christus Dei filius, natus de Virgine Maria, crucifixus sub Pontio Pilato, Mortuus, & sepultus. Descendit ad inferos. Tertia die C resurrexit viuus à mortuis. Ascendit ad cœlos. Sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis. Hæc pro se stat, sicut auditur. Non est Allegoria. Non significauit alterum Christum, sicut Patriarchæ, & Prophetæ. Hunc significauerunt, & prædicauerunt esse venturum. Illi prædicauerunt, non se, sed Christum. Christus prædicauit semetipsum missum à Patre dicens: *Sic dilexit Deus mundum, vt filium suum vnigenitum daret in mundo; vt omnis, qui credit in eum, non pereat: sed habeat vitam æternam.* Nos verò cum Apostolis, & doctoribus prædicamus eum iam venisse humilem, vt nos qualiter viueremus doceret. Et secundò eum expectamus in gloria maiestatis suæ redire: & regulam, quam posuit requirere: & vnicuique secundum opera sua reddere. Hæc historia, sicut auditur, ita ab omni Ecclesia creditur, & tenetur. Sic etiam decem præcepta Legis, quæ in duas tabulas scripta sunt, siue D decimæ; sicut audiuntur, ita intelliguntur, & tenentur. Hoc totum corpus literæ est, tanquam corpus hominis.

Ioan. 3. 16

Veniamus ad interioris literæ moralem sensum, quem Tropicum diximus: quem etiam in exemplo animæ posuimus, qualiter de exterioris literæ corpore, ad interiorem intellectum, tanquam ad interiorem animam rationalem ascendere valeamus. Omnis enim lector, qui de historia ad moralem scientiam ascendit, & non peruenit ad spiritum literæ, talis est, sicut quodlibet animal: tantum constans ex corpore. Moralis scientia dicitur, id est, secundum mores: Vt cum nominat scriptura, vt puta hominem, intelliguntur eius mores, quia sensum habet, & rationalis est. Cum nominat animal, vt puta E bouem, intelligitur: quia vngulam diuidit, & ruminat, & sub iugo est. Cum verò nominat asinum, vel quodlibet iumentum, intelliguntur eorum mores, quia ruminant, nec vngulam diuidunt. Cum nominatur camelus, intelligitur ruminare, & vngulas non diuidit. Cum nominatur porcus, intelligitur vngula diuidi, & non ruminare. Cum nominatur leo, intelligitur omnium fortissimũ esse bestiarum. Sic & vrsus, lupus, aut vulpecula, secundum suæ naturæ actiones vniuscuiusque, intelliguntur mores. Sic etiam de cæteris animalibus reptilibus, siue volatilibus, quæ scriptura sacra commemorare solet. Quę A omnia mores hominem sunt intelligendi, vt per ipsa lector agnoscat vitam, vel mores hominum intra Ecclesiam. *Sed* istos mores non potest discernere, nisi integer homo, id est, spiritus, anima, & corpus. *Spiritualis homo omnia iudicat; ipse autem à nemine iudicatur.* Nam sicut spiritualis nomen trahit à spiritu: sic animalis ab anima. Et *animalis homo non percipit ea, quæ sunt spiritus Dei*, vt ait Apostolus. Sic etiam carnalis nomen trahit à carne, secundum Apostoli dictum: *Cum audio rixas inter vos, nonne carnales estis, & secundum hominem ambulatis?* Nihil prodest lectori, si totam Bibliothecam memoriter recitet, & moraliter interpretetur; si non peruenerit ad spiritum. Quare? Quia non est integer homo, id est, spiritualis: sed tantum animalis, & carnalis est. Ad hunc spiritum nemo potest venire, nisi ab actione exteriori vacauerit: & vitam contemplatiuam tota mentis B suæ intentione secutus fuerit. Nam quilibet carnalis potest omnem Bibliothecā legere, & recitare; potest etiam eam & moraliter interpretari, & dicere: Ecce quid significauit Noë, qui arcam in diluuio erexit. Quid Abraham, Isaac, & Iacob. Quid Ioseph venditus in Ægypto. Quid Moyses, qui eduxit populum de terra Ægypti. Quid Iosue, qui eis terram repromissionis diuisit. Quid Dauid rex, & Propheta. Quid Prophetæ significauerunt, nisi hi omnes *Christum*? Potest & dicere: Ecce quid significant sol, luna, & stellæ. Quid mare & pisces. Quid flumina, & fontes. Quid montes, & colles. Quid herbæ, & arbusta?

1. Cor. 2. 15.
1. Cor. 2. 14.
1. Cor. 3. 4.

Et quia pleraque, siue in bonam partem, siue in malam, duobus modis intelligenda sunt, secundum scripturas potest facere rationem. Attamen cum venerit, & de C animalibus disputare cœperit, quid significent volatilia, quid reptilia, quid quadrupedia, quid animalia munda, quid immunda; quid bestiæ, id est, leones, vrsi, lupi, vel vulpeculæ, quid greges ouium, vel vaccarum, aut columbæ, vel gallinæ? Iam hic non discernit, quid sit lupus, aut quid ouis, cum fortasse & ipse lupus est, & solus in tenebris ambulat, vlulando, & oues, quæ ingressæ sunt sub pastore, † deuorat, & spargit. Nam lupus, aut vrsus, aut quælibet bestia, quæ carne vescitur, non est sub pastore, nec in domo creatur; nec in lege ambulant, nec munda sunt, nec cibo hominum apta sunt. Animalia verò quælibet munda in grege ambulant, & sub pastore sunt. Includuntur, & à bestiis defenduntur, & ad cibos hominum apta sunt. In hoc cognoscimus hunc interpretem, si lupus, an ouis sit. Nam si ouis est, in grege est, in multitudine est, in simplicitate est, sub pastore est. Inclu- D ditur in ouile, herbas scripturarum manducat, non carnem fratris sui. Cibus Domini sui est, à quo regitur, & custoditur. Illius, qui dixit: *Meus cibus est, vt faciam voluntatem eius, qui misit me, vt perficiam opus eius.* Nā si in grege non ambulat ouium, id est, in multitudine monachorum; licet totam Bibliothecam recitet, & secundum mores interpretetur, non est ouis; sed lupus solitarius. Bestia est. Foras domum est. Oues Dominicas inuenit. Non interpretatur scripturas, quod auditis: sed vlulat, quia non tractat. Quid facit? Non eum videmus aliquid mali facere? Non credatis. Hypocrita est. Pellem ouinam in superficie gestat. Nam sub pelle lupus est, id est, sub litera. Hæreticus est. Homo integer non est. Anima tantum, & corpus est. Spiritus non est: ab spiritu separatus E est. Omnes ita separare vult, diuidere vult, sicut ille diuisus est. Scindere vult, sicut ille scissus est. Spargere vult, sicut ille sparsus est. Et ideo deforis venit, & de domo vult rapere, quia non est ouis, sed lupus. Nam cum leguntur in scripturis animalia siue munda, siue immunda. Allegoricè mores hominum intelligendæ sunt, non secundum corpus literæ, vt audiuntur. Nam si oues non essent & lupi in Ecclesia, non diceret Dominus discipulis suis: *Ecce ego mitto vos sicut oues in medio luporum. Estote ergo prudentes, sicut serpentes, & simplices, sicut columbæ.* Præcepit nobis Dominus, vt habeamus simplicitatem columbæ: & in vna ambulemus classe: ne cuiusquam

† deuorat
Ioan. 4. 34.
Matt. 10. 16.
Ibid.

fraudi

F. machinemur pro, decipiamur. fraudibus macinemus. Habeamus & serpentis astutiam, ne alicuius supplantemur insidiis.

Huc totum quare diximus? Quia vnum hominem integrum, tanquam vnam Bibliothecam exponere inchoauimus: & in ipsam Bibliothecam, quæ sicut vnus homo, ita est: quo facilius intelligatur, more hominis exponenda est. Nam illa integra est; & homo sine illa integer non est. Et nemo ad Christum sine illa peruenire potest, qui a ipse liber perfectus est. Diximus de corpore literæ, tanquam de corpore hominis. Diximus de morali scientia, id est, rationes morum, de interiori ratione literæ, per quod cognoscuntur mores hominum.

Dicamus de spiritu literæ, vbi inuenitur Deus, sicut & de spiritu hominis diximus qui videt Deum. Hæc omnia, quæ supra diximus, siue quæ dicere habemus, tam veteris, quàm noui scriptura testamenti, ad intellectum Allegoricum accipiendum admonet nos: vel illud, quod in veteri testamento legimus : *Aperiam in parabolis os meum : Loquar ænigmata antiqua.* Vel illud, quod in nouo Testamento scribitur, cùm dicit: *Hæc omnia locutus est Iesus in Parabolis ad turbas : & sine Parabolis non loquebatur eis.* In parabolis enim & credentes discipulos docebat: & incredulos aduersarios conuincebat. Nam sermo diuinus, id est, Prophetarum, & Apostolorum talem habet consuetudinem, vt illa, quæ vilia sunt, & carnalia, deforis ostendat, vt omnes, tam carnales, quàm spirituales, qui legerint, vel audierint, in plano habeant. Illa vero, quæ spiritualia sunt, & speciosa, intus lateant, ne illa cælestium Archangelorum dignitas, omnibus indiscretè pateret: & sanctum canibus, & margaritas porcis exponeret. Et quia exterior litera, id est, historia, quod est eloquentia, argenti nomen interpretatur: & intelligentia spiritualis auri nomine intelligitur, & vnus spiritus sanctus vtrasque dictauit: vt verè ad illius columbæ deargentatæ modum, cuius posteriora specie auri splendentis irradiant: Ita scripturæ diuinæ, quæ planæ sunt in litera, argento fulgerent, & occultiora sub litera auro rutilarent. Rectè itaque diuina dispensatione prouisum est, vt illa eloquiorum argenti castitas, à promiscuis omnium oculis abscunsa, quasi aliquo velamine pudicitiæ, ipsa scriptura contegeretur, cælestibus obumbrata mysteriis, sicut secreto suo ipsa diuinitas occultabatur. Nam tunc manifestata est illa angelica scientia, quæ abscunsa latebat sub litera, quando ipsa diuinitas per carnem est manifestata. Hic enim in interiori litera, id est, spiritu, inueniuntur illa *Domini* interiora templa: hic illa sancta sanctorum, vt iam qui ibi ingreditur, cum Domino loquatur : sicut in Canticis Canticorum ex voce sponsæ, quæ est anima, dicitur: *Surgam, & circuibo ciuitatem per vicos, & plateas, quæram, quem diligit anima mea. Quæsiui illum, & non inueni.* Ac si apertè dicat. Considerau omnem gloriam præsentis sæculi; inspexi congregationes infidelium, & diuersas sectas Philosophorum, sed neque illic inueni, quem diligit anima mea. Id est, cùm pertransissem huiusmodi homines, qui apud sæculum varia scientia clari putantur, & cum eorum superstitiosis adinuentionibus restitissem, eorumque stultam sapientiam reprehenderem; inueni, quem diligit anima mea. Ipse est enim Apostolus ille, qui de talibus dicit: *Sapientiam loquimur inter perfectos. Sapientiam autem, non huius sæculi, neque principum sæculi, qui destruuntur: sed loquimur Dei sapientiam in mysterio, quæ abscondita est, quam prædestinauit Deus ante sæcula in gloriam nostram.* Et quia ipsa sapientia, quæ Christus est, apud tales non inuenitur, quid sequitur audi : *Quam nemo principum huius sæculi cognouit. Si enim cognouissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent : sicut scriptum est: Quod nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quod præparauit Deus his, qui diligunt eum.* Et quia dimissis, & expulsis talibus, inuenit anima, quem diligit; audi quid sequitur: Nobis autem reuelauit Deus per spiritum suum: Spiritus enim omnia scrutatur, etiam profunda Dei. Omnis autem disciplina religionis ex I o

Psal. 77. 2. Vulgat. Loquar propositiones ab initio.
Matt. 24. 34.
Cant. 3. 2.
1. Cor. 2. 6
1. Cor. 2. 9
Esa. 64. 4
1. Cor. 2. 9

A duplici scientiæ fonte emanat: Id est, quæ actiua, & contemplatiua vita dicitur. Actiua, in qua mores suos emendat. Contemplatiua verò in contemplatione cælestium & diuinarum scripturarum disputatione versatur. Quæ non potest venire ad spiritum, nisi per historiam, quæ est corpus literæ, tanquam corpus hominis: deinde ascenderit ad moralem scientiam: quæ sic est in historia, tamquam anima hominis in corpore : deinde ascenderit ad spiritum, qui sic est morali scientia, vbi Deus inuenitur, sicut spiritus est in anima, vbi Deus videtur.

Vita actiua & contemplatiua.

Ecce hominem integrum, corpore, anima, & spiritu. Ecce & librum integrum, historia, tropologia, & mystica intelligentia. Ecce & Christum integrum, Verbum, anima, & caro. Si ex tribus vnum subtraxeris B homini, aut carnem, aut animam, aut spiritum, homo integer non est. Et cum integer non fuerit, pecus erit: quia in sola anima, & carne remansit. Sic & huic libro, si ex tribus vnum subtraxeris, aut historiam, aut tropologiam, aut spiritualem intelligentiam; vnde viuas non habes: quia Christum non habes. Hæc scriptura corpus Christi est. Et ipse corpus panis noster est. Hic est liber in ore dulcis & in ventre amarus. Quia cùm prædicatur est dulcis, & cum facere cœperimus quod ibi scriptum est, sine amaritudine pœnitentiæ facere non possumus. Et cum hanc scripturam obseruamus, & rectè intelligimus, & rectè toto corde laboramus, & oramus panem nostrum quotidianum, petimus, accipimus, & manducamus. Tunc & nos integri, & librum inte- C grum manducamus: & corpus nostrum, quod est corpus Christi, cum Christo capite iungimur, qui integer, & perfectus, & cum illo vna persona sumus. Nam si de tribus substantiis Christi vnam subtraxeris, id est, non eam esse Christum dicis, totum Christum negas. Et cum totum Christum negas, negas Patrem, & Spiritum sanctum. Et cum in vnam substantiam Christi offendis, offendis in Deo, quia Deus est Christus. Et cum in Deo offendis, amplius quod offendas non habes. Sed tunc offendis Deum, quando hunc librum non manducas. Quod si in Euangelio non offenderis, quod corpus est Christi, nec in Christo offendis, quia corpus eius manducas.

Si quando audimus sermonem Dei, & sermo Dei, & caro Christi, & sanguis eius in auribus nostris infundi- D tur: Et nos aliud cogitantes, in quantum periculum incurrimus? & saporem illum dulcedinis, quam gustamus, perdimus: & non sapit, sicut est. Et actione, qua fuerit mens nostra occupata, vtputa in cibo lautiore, aut in potu, aut in vestimento, aut in qualibet re corporali, quod æternum est, talem saporem nobis facit in palato cordis nostri ipse sermo diuinus, qui est panis noster, qualis & ipsa actio est mentis nostræ. Sic enim tradunt Iudæi, quoniam Manna quando comedebant, secúdum voluntatem vniuscuiusque, sic sapiebat in ore. Verbi causa. Qui Manna comedebant, si desiderabant poma, si vuam, si cucumeres, si cepas, si allia, si panem, si carnes, secundum qualitatem, & voluntatem comedentis, ita sapor in Manna erat: sic & in carne Christi, qui est sermo doctrinæ, hoc est, scripturarum sanctarum interpreta- E tio: sicut volumus, ita & cibum accipimus. Si spiritus es, inuenies refrigerium: quia manducas adipem pinguissimum, quod est diuinitas: & impinguas temetipsum. Si peccator es, aut superbus, & cætera, quæ non pertinent ad spiritum, inuenies tormenta. Hic liber ipse Christus est intus, & foris scriptus: de quo Apocalypsis Ioannis dicit : *Et vidi super dexteram sedentis in throno librum scriptum intus, & foris, signatum sigillis septem. Et vidi angelum fortem prædicantem voce magna : Quis est dignus aperire librum, & soluere signa eius : Et nemo poterat, neque in cælo, neque in terra, neque subtus terram, aperire librum, neque respicere illum. Et ego,* inquit, *flebam multum, quòd nemo dignus inuentus est aperire librum, neque videre illum. Et vnus de senioribus dixit mihi: Ne fleueris*

Exod. 16.
De sapore Mannæ.
Apoc. 5. 1

Ioannes. Ecce vicit Leo de tribu Iuda radix Dauid, aperire librum, & septem sigilla eius. A

Angelus fortis, qui clamabat in Apocalypsi quis sit.

Angelus fortis, qui clamabat, omnis scriptura sacra erat. Vnus de senioribus, qui Ioanni, *noli flere*, dicebat, totum *corpus Prophetarum* erat, qui consolabantur Ecclesiam, quam Ioannes in sua persona præfigurabat: quod solus Christus, de tribu Iuda, radix Dauid, redimeret eam. Nam nullus alter inuentus est, neque angelus in cælo, neque homo viuens in terra, neque sepultus subtus terram, qui possit soluere hunc librum signatum sigillis septem; & aperire scripturas bibliothecæ. Vbi est Elipandus, qui Christum sibi similem fingit, & dicit: *Et Christus adoptiuus, & nos adoptiui. Et ille Christus, & nos Christi. Et ille paruulus, & nos paruuli. Et ille seruus, & nos serui.* Hic dicit: Nullus est inuentus, qui dignus sit aperire librum, & soluere septem signacula eius. B *Apoc. 5.* Quo modo est adoptiuus cum adoptiuis, qui vnus liber est? An fortè duos libros credis, vnus, qui literas contineat, alter, qui in intellectum? Sed hîc nos non poteris illudere, quia vnus liber sine litera est: & nulla litera sine intellectu. Et litera in libro aperto legitur, vt quod legitur intelligatur. Et cum intellexerit, iam gaudet; quia quod foris legebat, intus inuenit. Et qui conciderit ipsum librum, paginam, & literam concidit: intellectum literæ concidere non potuit. Et tamen & litera exterius, & intellectus interius vnus liber est, & sine vtroque esse non potest. Tunc si præuales, separa. Sed plane hoc facere non poteris. Sic est Christus liber noster exterius pagina: & litera quod est homo, corpus & anima. Intus diuinitas, tanquam intellectus in litera. Quem *librum* C Iudæi concidere potuerunt, intellectum tamen, quod est diuinitas eius, nec concidere, nec separare potuerunt.

Septem signacula libri in Apocalypsi, quæ sint.

Septem signacula huius libri hæc erunt. Primum, corporatio in vtero virginis. Secundum, natiuitas. Tertium, passio. Quartum, mors. Quintum, resurrectio. Sextum, gloria. Septimum, regnum. Hæc ergo signacula Christus, dum pro homine cuncta complet, omnia quæ in scripturis erant clausa, atque signata, aperuit: atque designauit. Hic est ille: *Liber intus, & foris scriptus.* Hic secretus, & publicus. Hic apertus, & occultus. Hic superioribus paginis videndus, interioribus non videndus. Foris comprehensibilis; intus incomprehensibilis.

Liber in Apocalypsi intus & foris scriptus quid sit.

Foris scriptus est, cum Propheta dicit: *Vidimus eum, & non erat aspectus.* Intus scriptus est, cum ipse Propheta dicit: *Generationem autem eius quis enarrabit?* Foris scriptus est, D cum Pater dicit: *Filius meus es tu: ego hodie genui te.* Intus scriptus est, cum Propheta dicit: *Speciosus forma præ filiis hominum.* Foris scriptus est, cum Pater dicit: *Pete à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ.* Intus scriptus est, cum Pater dicit: *Eructauit cor meum verbum bonum.* Foris scriptus est, cũ filius dicit: *Deus Deus meus, quare me dereliquisti.* Intus scriptus est, cum ipse filius dicit: *Longe à salute mea verba delictorum meorum*, id est, longe à diuinitate iniuria humanitatis. Foris scriptus est, cum Euangelista ait: *Liber generationis Iesu Christi, filij Dauid, filij Abraham.* Intus scriptus est, cum Pater dicit: *Ex vtero ante luciferum genuite.* Foris scriptus est, cum Propheta dicit: *Iurauit Dominus, & non pœnitebit eum; tu es sacerdos in æternum, secundum ordinem Melchisedech.* Intus scriptus est, cũ Euãgelista dicit: *In principio erat verbum.* Foris scriptus est, cum Esaias dicit: *Ecce virgo accipiet in vtero, & pariet Filiũ, & vocabunt nomen eius Emmanuel.* Intus scriptus est, cum filius dicit: *Qui me videt, videt & Patrem meũ.* Foris scriptus est, cum Mattheus dicit: *Christi autem generatio sic erat. Cum desponsata esset mater eius Maria Ioseph.* Intus scriptus est: *Inuenta est in vtero habens de Spiritu sancto.* Quid vtique habens, nisi Verbum Deum? Verbum *carnem* factum, in muliere *factum sub lege.*

Apoc. 5. — Esai 53. 2 — Psal. 2. 7. — Psal 44. 3. — Locus psal. 21. declaratus v. 2. — Matt. 1. 1 — Psal. 109. 3 — Ibid. 4. — Ioan 1. — Esa. 7. 14 — Ioa 14. 9 — Mat. 1. 18

Foris scriptus est, cum Apostoli interrogati, quis esset Dominus, dicerent; *Prophetam: alij Esaiam; alij Ieremiam; alij Ioannem Baptistam; alij autem vnum ex Prophetis.* Intus scriptus est, cùm Petrus exclamat: *Tu es Christus filius Dei viui.* Foris scriptus est, cum ad Lazarum lacrymatur, & vbi posuissent eum interrogat. Intus scriptus est, cum voce magna clamat: *Lazare veni foras.* *Ioã. 11. 44* Foris scriptus est, cum Martha dicit: *Domine, si fuisses hic, frater meus non fuisset mortuus.* Intus scriptus est, cũ Dominus dicit: *Resurget frater tuus.* Foris scriptus est, cum *Ibid.* Martha hæc dubitat credere, cum dicit: *Scio, quia resurget in resurrectione in nouissimo die.* Intus scriptus est, cum Dominus dicit: *Ego sum resurrectio, & vita. Qui credit in me, etsi mortuus fuerit, viuet.* Tunc cognouit mulier sapientiam, quæ latebat in libro. Exclamauit, vt Petrus, & dixit: *Credo Domine, quia tu es Christus filius Dei, qui in hunc mundum venisti.* *Ioã. 11. 27* Foris scriptus est, cum cæcus transeuntem clamat, vt videat. Intus scriptus est, cum stat. Foris scriptus est, cum ex sputo lutum facit, & linit oculos eius. Intus scriptus est, cum lauit, & vidit. Foris scriptus est, cum ipse cæcus eum Prophetam esse dicit. *Ioã. 9. 14* Intus scriptus est, cum eum filium Dei credidit, & adorauit. Foris scriptus est, cum Ioannes dicit: *Ecce agnus Dei.* Intus scriptus est: *Ecce qui tollit peccata mundi.* *Ioa. 1. 29.* Foris scriptus est: *Cuius non sum dignus corrigiam calciamenti soluere.* *Ibid. 17.* Intus scriptus est: *Ego testimoniũ perhibeo quia hic est filius Dei.* *Ioa. 8. 43.* Foris scriptus est, cum Ieremias dicit: *Quasi agnus mansuetus portatus ad victimam.* Intus scriptus est, cum idem *Isa. 53. 7.* dicit: *Hic est Deus noster, & non æstimabitur alius præter eum.* *Baruch. 3. 36.* Foris scriptus est, cum ipse dicit: *Post hæc in terris visus est, & cum hominibus conuersatus est.* *Baruc. 3. 38.* Intus scriptus est, cum ipse de se dicit: *Ego sum Alpha, & Omega, principium & finis.* *Apoc. 1. 8 & 21. 6.* Foris scriptus cum idem dicit: *O Domine, ego seruus tuus, & filius ancillæ tuæ.* Intus scriptus est, cum *Psal. 115. 16.* ipse dicit: *Sicut Pater suscitat mortuos, & viuificat; sic & filius, quos vult viuificat.* Foris scriptus est, cum Pater *Ioan. 5. 21* dicit: *Ecce seruus meus, suscipiam eum.* Intus scriptus est, cum filius dicit: *Omnia, quæ habet Pater, mea sunt.* Foris scriptus est, cum Filius ad Patrem dicit: *De ventre matris meæ Deus meus es tu.* *Ioa. 16. 15 & 17. 10.* Intus scriptus est, cum per Zachariam ipse de se Filius dicit: *Ecce ego mittam manum meam super vos, & deprædabuntur, qui deprædauerũt vos. Et scietis, quia ego sum Dominus Deus omnipotens. Et qui misit me Dominus omnipotens est.* *Ps. 21. 11. Zac. 2. 9.*

Foris scriptus est, cum ipse Patri dicit: *Salua me de ore leonis.* *Ps. 21. 22.* Intus scriptus est, cum ipse in Euangelio pro discipulis dicit: *Pater, volo, vt vbi sum ego, & ipsi sint mecum.* *Io. 17. 24.* Non dixit; Peto. Foris scriptus est, cum in naui dormit. Intus scriptus est, cum ventis imperat. Foris scriptus est, cum ieiunat, & esurit: Intus scriptus est: cum de paucissimis panibus multa millia hominum satiat. *Matt. 14. 20.* Foris scriptus est, cum à Iudæis potator vini dicitur: Intus scriptus est, cum de aqua vinum facit. *Ioan. 2.* Foris scriptus est, cum dicit: *Pater maior me est.* Intus scriptus est, cum dicit: *Ego, & Pater vnum sumus.* *Io. 10. 28.* Foris scriptus est, cum Pater dicit: *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui: ipsum audite.* *Io. 10. 30* *Mat. 1. 17* Intus scriptus est, cum Filius dicit: *Nemo nouit filium, nisi Pater: Neque Patrem quis nouit nisi filius; & cui Filius voluerit reuelare.* *Matt. 11.* Foris scriptus est, cum Esaias dicit: *Dicite filiæ Sion: Ecce rex tuus veniet tibi iustus, & Saluator, pauper, sedens super asinum indomitum.* *Esa. 62. 11.* Intus scriptus est, cum idem Propheta dicit: E *Tunc aperientur oculi cæcorum; & aures surdorum audiẽt. Tunc saliet claudus, quasi ceruus, & clausa erit lingua balborum.* *Esa. 35. 5.* Foris scriptus est, cum ipse per Ieremiam dicit: *Præuaricatione præuaricata est in me domus Iuda; negauerunt me, & dixerunt. Non est ipse.* *Hier. 5. 11* Intus scriptus est, cum dicit: *Si cognouissetis me, vtique & Patrem meũ cognouissetis.* *Ioan. 14. 7* Foris scriptus est, cum per Esaiam dicit: *Cognouit bos possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui: sed Israel me non cognouit: & populus meus me non intellexit.* *Esa. 1. 3.* Intus scriptus est, cum per Salomonem dicit: *Ante omnem creaturã ego ex ore Altissimi processi.* *Ecc. 24. 5* Foris scriptus est, cum Esaias dicit: *Et nos putauimus eum, quasi leprosum, & percussum à Deo, & humiliatum.* *Esa. 53. 4* Intus scriptus est, cũ idem Propheta dicit: *Oblatus est, quia ipse voluit. Generationem autem eius quis enarrauit?* *Ibid. 7.* Foris scriptus est, cum

Matt. 16. 14.

Propheta

Propheta dicit: *Radix Iesse, qui stat in signum populorum.* A
Esa.11.10 Intus scriptus est, cum dicit: *Ipsum gentes deprecabuntur.*
Ibid. Foris scriptus est, cum Esaias dicit: *Egredietur virga de*
Esa.11.1. *radice Iesse: & flos de radice ascendet.* Intus scriptus est,
cum angelus Virgini dicit: *Quod nascetur ex te sanctũ, vo-*
Luc.1. *cabitur filius Dei.* Foris scriptus est, cum idem angelus
dicit: *Vocabitur nomen eius Iesus.* Intus scriptus est, cum
Luc.1.32 dicit: *Filius Altissimi vocabitur.* Foris scriptus est: *Et da-*
bit illi Dominus Deus sedem David Patris eius. Intus scri-
ptus est. *Et regnabit in domo Iacob in aeternum: & regni eius*
non erit finis. Foris scriptus est, cum Esaias dicit: *Paruu-*
Esa.9.6. *lus natus est nobis.* Intus scriptus est, cum ipse dicit: *Filius*
datus est nobis. Foris scriptus est, cum dicit: *Et factus est*
principatus eius super humerum eius. Intus scriptus est, cũ
idem dicit: *Et vocabitur nomen eius admirabilis, consilia-*
rius, Deus, fortis. Foris scriptus est cum Propheta dicit: B
Esa.11.2 *Et requiescet super eum Spiritus Domini. Spiritus sapien-*
tiae, & intellectus, Spiritus consilij, & fortitudinis, Spiritus
scientiae, & pietatis. Et replebit eum spiritu timoris Domi-
ni. Intus scriptus est, cum Filius de ipso Spiritu sancto di-
Io.20.22. cit ad Apostolos: *Accipe Spiritum sanctum.* Foris scriptus
Io.15.22. est cum ipse filius dicit Iudaeis: *Si non venissem, & locutus*
vobis non fuissem, peccatum non haberetis. Intus scriptus
est: *Qui me odit, odit & Patrem meum.* Foris scriptus est,
Io.15.23. cum idem dicit Filius: *Expedit vobis, vt ego vadam ad*
Ioan.15.7 *Patrem. Si enim non abiero, paraclitus non veniet ad vos.*
Intus scriptus est, cùm dicit: *Mittam eum ad vos.* Foris
Io.16.14. scriptus est: *Ille me clarificabit.* Intus scriptus est, cum
dicit: *Ille de meo accipiet, & annunciabit vobis.* Foris scri-
Ioan.17.1 ptus est, cum dicit: *Pater venit hora, clarifica filium tuum,* C
vt filius tuus clarificet te: sicut dedisti ei potestatem eius car-
Ibid.3. *nis: vt omnes, quos dedisti ei det eis vitam aeternam.* Intus
scriptus est, cũ dicit: *Haec est autem vita aeterna, vt cognos-*
cant te solum, & verum Deum, & quem misisti Iesum Chri-
stum. Foris scriptus est, cum angelis, & parentibus mi-
noratur. Intus scriptus est, cum angelorum, & hominum
Matt 4. Dominus inuenitur. Foris scriptus est, cum à diabolo
tentaretur. Intus scriptus est, cum ei angeli ministrant.
Foris scriptus est cum eũ mater eius, & fratres foris stan-
tes videre quaerunt. Intus scriptus est, cum extendens
Matt.12.5 manum super Apostolos, dicit: *Ecce mater mea, & hi fra-*
tres mei, qui faciunt voluntatẽ Patris mei, qui in caelis est.
Marci13 Foris scriptus est, cum dicit: *De die autem, & hora illa ne-*
32. *mo scit, neque angeli caelorum, neque filius, nisi solus Pater.*
Intus scriptus est, cum dicit: *Dies vltionis in corde meo.* D
Marc 10 Foris scriptus est, cum filijs Zebedaei dicit: *Sedere autem*
40. *ad dexteram meam, non est meum dare vobis: sed quibus*
paratum est à Patre meo. Intus scriptus est, cum dicit: *Se-*
Mat.19. *debitis super thronos, iudicantes duodecim tribus Israel.*
28. Foris scriptus est, cum dicit pro discipulis. *Pater, sanctifi-*
Ioan. 17. *ca eos in veritate.* Intus scriptus est, cum dicit: *Et ego pro*
19. *eis sanctifico meipsum: vt sint & ipsi sanctificati in veritate.*
Foris scriptus est, cum dicit: *Si quis sitit, veniat ad me, &*
Io.7.37 *bibat. Qui credit in me, flumina de ventre eius fluent a-*
quae viuae. Foris scriptus est, cum dicit: *Qui credit in me, non in*
Io.12.44 *me credit: sed in eum, qui misit me.* Intus scriptus est, cum
dixit: *Ego sum lux mundi: Qui sequitur me non ambulat in*
Io.8.12. *tenebris: sed habebit lumen vitae.* Foris scriptus est, cũ di-
cit: *Ego non iudico quemquam. Est qui quaerat, & iudicet.* E
Io.5.21. Intus scriptus est, cũ dicit: *Neque enim Pater iudicat quẽ-*
quam: sed omne iudicium dedit filio: vt omnes honorificent
Mat.10. *filium, sicut honorificant Patrem. Qui non honorificat filiũ,*
33. *non honorificat Patrem, qui misit illum.* Foris scriptus est,
Luc.12.8 cum dicit: *Omnis, qui me negauerit coram hominibus, ne-*
gabo ego & eum corã Patre meo, qui in caelis est. Intus scri-
ptus est, cum dicit: *Qui autem me confessus fuerit corã ho-*
[illegible].7. *minibus, confitebor & ego eum coram Patre meo, qui est in*
caelis. Foris scriptus est, cum Daniel dicit: *Aspiciebam: &*
ecce cum nubibus caeli, quasi filius hominis veniebat. Intus
Ibid. 14. scriptus est, cum dicit: *Omnis populus, tribus, ac lingua ipsi*
seruient. Potestas eius potestas aeterna, quod nõ auferetur, &
Esa.52.13 *regnum eius, quod non corrumpetur.* Foris scriptus est, cũ
Ps.88.7. Esaias dicit: *Ecce intelliget seruus meus.* Intus scriptus est,

cum David dicit: *Quis in nubibus aequabitur Domino? aut* Prou.8.
quis similis erit Deo inter filios Dei. Foris scriptus est, cum 22.
ipse per Salomonem dicit: *Dominus creauit me in initio* F.ante o-
viarum suarum in opera sua. Intus scriptus est, cum dicit: pera sua.
Ante colles ego parturiebar. Foris scriptus est, cum Apo- Pro.8.25
stolus Paulus dicit: *Vt sit ipse primogenitus in multis fratri-* Ro.8.29.
bus. Intus scriptus est cum ipse Filius de se dicit: *Sic dile-* Ioan.3.16
xit Deus mundum, vt filium suum vnigenitum daret; vt
omnis, qui credit in eum, non pereat: sed habeat vitam aeter-
nam. Foris scriptus est, cum Paulus dicit: *Quia Deus filio* Rom.8 32
suo proprio non pepercit: sed pro nobis omnibus tradidit illũ.
Intus scriptus est, cum idem Apostolus de ipso filio dicit: Gal.2.20
Quod autem nunc viuo in carne, in fide viuo filij Dei, qui
dilexit me, & semetipsum tradidit pro me. Foris scriptus
est, cum Filius de se dicit: *Non enim misit Deus filiũ suum* Ioan.3.17
in mundum, vt iudicet mundum; sed vt saluetur mundus
per ipsum. Intus scriptus est, cum Paulus dicit: *Gratia vo-*
bis, & pax à Deo Patre nostro, & Domino Iesu Christo, qui Gal. 1. 4.
dedit semetipsum pro peccatis nostris, vt nos eriperet de prae-
senti saeculo nequam, secundum voluntatem Dei, & Patris
nostri, cui est gloria in saecula saeculorum.

Et quia vna voluntas, & vna potestas est Patris, & Filij,
& Spiritus sancti, & Pater misit Filium, secundum quod
minor est: & Filius ipse se misit, secundum quod aequalis
est: & Pater tradidit, & dedit Filium, secũdum quod mi-
nor est. & Filius tradidit, & dedit semetipsum, secundum
quod Patri aequalis est. Sed, vt loquebamur, foris scri-
ptus est liber iste, cum flagellatur & caeditur. Intus scri-
ptus est, cũ infirmis sanitatẽ praestat. Foris scriptus est, cũ
affigitur cruci. Intus scriptus est cum paradisum latroni
promittit in cruce. Foris scriptus est, cum spiritum mo-
riens secundum rationem humanae carnis emittit. Intus
scriptus est cũ in passione sol fugit, dies absconditur, ter-
ra concutitur. Foris scriptus est cum sepelitur. Intus scri-
ptus est cum tertia die sepulchri liminibus remotis erũ-
pit in lucem. Foris scriptus est, cum Apostolis clauorum,
& lanceae vulneribus ostensis, escam etiam postulat. Intus
scriptus est, cum inter eosdem Apostolos clausis ostijs ap-
paret, qui intra se visus non fuisset.

Sed miro modo, cum interior scriptura libri magis
obscura sit, amplius hominum mentes turbat exterior.
Et videmus illa, quae videri per hominem non possunt:
ista, quae possunt per hominem videri, noua ratione non
vident. Nam & ipsi Manichaei in diuinitatem credunt:
aequalem Deo Patri Filium, & eum veram carnem ha-
bere non confitentur: & mira peruersitate, quod vident
negant: & quod non vident, confitentur. Inuisibilem in
virtutibus recognoscunt: visibilem in homine, quod
plus possibile esse debuit, non agnoscunt. Sic Elipandus
cum sua doctrina, aequalem Deo Patri Filium confite-
tur in Diuinitate, & cum Dei filium negat in humanita-
te: & sibi eum similem deputat, & insaniendo in tantam
prorupit peruersitatem, vt nullam inter se, & hominem
Dei filium, Deum verum, differentiae faceret distinctio-
nem, cũ diceret: *Et ille Christus, & nos Christi. Et ille ado-*
ptiuus, & nos adoptiui. Et ille paruulus, & nos paruuli. Et
ille seruus, & nos serui: quia non per illum visibilia & inui-
sibilia facta sunt. Mira peruersitate incredulitatis eius in-
teriorem partem libri confitetur: & exteriorem partem
libri negare nõ erubescit, cũ ex vtroque vnus sit liber. Et
cum exteriorem partem libri negat, & interiorem non
habet. Quia nullus lector sine libro, intellectum inte-
rioris libri inuenire potest. Nam qui dicit, solùm inte-
rior pars est liber, exterior non est: quid iste vult dicere,
cum illa, quae videt negat; & illa quae non videt, confin-
gat; & aperta fronte Ecclesiam illudat? Sed non potest
nos inludere, quia libri exteriorem partem nobis relin-
quit, & ille vacuus abscedit. Ipsi & interiorem partem
libri habemus, qui exteriorem partem tenemus: cum
beatus Ioannes & inuisibilem, & visibilem librum in-
tus, & foris scriptum, id est, Deum, & hominem breui
quasi charactere signauerit. Sic enim ait: *Quod fuit ab*
initio, fratres, quod audiuimus. Ecce li[illegible]

pattem. Aperi nunc oenlos,& vide quid sequitur: *Et vidimus oculis nostris, & manus nostra palpauerunt de Verbo vita.* Ecce libri pars exterior, quæ oculis,& manibus subiecta hominum & videri, & tractari potest. Hanc partem libri exterioris Elipandus ignotat. Ille apertus liber est in tantum, vt etiamsi totus mũdus in eo voluisset cre- dere, etsi literas ignorasset, solummodo qui eum imitatus fuisset, nullus perire poterat. Quod si mendacium dicimus, qui Apostoli rustici, qui in eo crediderunt, & eum imitati sunt, nullus ex eis periit, nisi vnus filius perditionis Iudas; qui eum non Deum, sed hominem credidit. Nã cùm Dominus diceret, & crimen in numeros † mitteret, *vnus vestrum me tradet*, vt quem remorderet conscientia, pœnitentiam ageret, omnes tremefacti dixerunt: *Nunquid ego sum Domine?* Et hoc Petrus dixit: *Nunquid ego sum Domine?* Iacobus dixit: *Nunquid ego sum Domine?* Ioãnes dixit: *Nunquid ego sum Domine?* Sic & cæteri dixerunt. Iudas verò quantum erat superbus,& elatus, despectũ habuit Dominũ nostrum Iesum Christum. Noluit dicere, *Domine*: sed dixit: *Nunquid ego sũ, rabbi? Nunquid ego sum magister?* Apertè apparet, quod non Christus in eo habitabat: sed ille, qui dixit: *In cælum ascendam, super altitudinem nubium ponam thronũ meum ab Aquilone; & ero similis Altissimo.* Cum despectum habuit dicere Domino Deo, *Domine*, sicut cæteri dixerunt: sed dixit: *Nunquid ego sum magister?* Videtat oculis suis misellus virtutes, & mirabilia, quæ fecerat Dominus, & eum Dominum negabat ad faciem.

† F. inmitteret: vel innuens in os mitteret.

Mat. 26. 22.

Mat. 26. 24.

Esa. 14. 14.

A

B

Videat Ecclesia, ne forte & Elipandus de ipsa doctrina sit, qui despectum habet hominem dicere Deum. Si Deus seruus est, ergo totius Trinitatis seruus est: quia Trinitatis ipse est Deus. Si Trinitatis seruus est, vbi habet filium Dei, qui natus est de Virgine, quem angelus annuntiauit Virgini dicens: *Ecce concipies, & paries filium, & vocabis nomen eius Iesum. Hic erit magnus, & filius Altissimi vocabitur.* Ecce Iesum filium altissimi Patris, non filium Spiritus sancti, non filium filij, quomodo est tecum seruus? Tu si seruus Dei es, totius Trinitatis seruus es, id est, *vni* Deo, quia tota Trinitas vnus Deus. Et Pater Deus est, & Iesus filius eius, qui de Virgine natus Deus est,& ipsa tertia in Trinitate persona, Spiritus sanctus Deus est. Ecce Trinitatem expressam, & tres personas propriè sibi subsistentes. Iesus Christus, qui de Virgine natus est, non ipse Pater, nec Spiritus sanctus. Solus ipse dicit: *Pater, clarifica filium tuum.* Hoc non dixit Pater, neque Spiritus sanctus. Solus Pater respondit Filio: *Et clarificaui, & clarificabo.* Hoc non respondit Filius, nec Spiritus sanctus. Solus Spiritus sanctus super Iesum baptizatum apparuit, non Pater, neque Filius. Et hi tres verè tres, quia vnum sunt, natura scilicet, non persona. Et ille Deus,& ille Deus,& ille Deus. Et ille omnipotens,& ille omnipotens. Quomodo nunc & ille seruus Dei,& tu seruus Dei,& ambo vnum Deum habetis? Si ita credis, vt dicis, non Deum omnipotentem, sed conseruum tuum Iesum confiteris; aut certè te exaltas, vt quartus omnipotens sis: aut certè eum humilias, vt similis tui sit.

C

Luc. 1. 31.

D

Ioan. 17. 1.

Sed licet humilis tibi æstimetur, non potest sibi esse similis, quia & ipsa conceptione humana, multum dissimilis tibi est. Ille conceptus de Spiritu sancto, non de virili semine, solus sine peccato. Tu vero de virili semine, de massa perditionis, & concupiscentia vtrorumque parentum. Et natus de muliere in peccatis conceptus,& in peccatis natus. Ille inter homines solus natus de Virgine,& solus sine peccato conceptus, & solus sine peccato natus. Ille solus plenus Spiritu sancto: tu fortasse, aut ego, aut quilibet, si accepimus, de ipso accepimus. Quia sic ille accepit, vt nos omnes de illo accipiamus: Ille ad plenitudinem, nobis vero, quantum dari iubet.

E

Sed tu dicis: Ego quod dico, tantum de homine dico. Et ego nunc quod dixi, tantum de homine dixi. Sed neque in quo homo est, nullus angelorum similis ei est; sed neque homo, qui de muliere natus est. Dictum est de Ioanne, quòd *magnus erit coram Domino.* Dictum est de Christo: *Hic erit magnus*, sed non coram Domino, quia ipse Iesus est magnus Dominus noster, & magna virtus eius: & *sapientiæ eius non est numerus.* Quomodo poterit esse Iesus Christus cum Christis; & adoptiuus cum adoptiuis; paruulus cum paruulis, & seruus cum seruis? Tanta controuersia, interiorem partem libri vnius, quod est incomprehensibile, & inuisibile comprehendere: & quod est visibile, & comprehensibile, non videre: sed publicè negare. O cæcitas! O ignoratio vaeitatis! O nimiam elationem, & sui damnandam præsumptionem! Isti sunt, qui Deo ipsi se præferunt sic credendo. Et si isti in carne constituti, adhuc expectant resurrectionem, & spiritualiter se viuere profitentur, qui tantum homines sunt, & à Deo facti sunt: & ista possint habere, post mortem à Deo acceperunt: & Deum se hominem facere potuisse, non credunt. Minor enim sine dubio ab istis Deus est, si quod isti possunt, ille non potuit. Nam si isti possunt in carne constituti alienam capere naturam, cur ille in carne positus suam seruare non posset? videlicet, vt semper Deus sit, nec corruptelæ admixtus carnis humanæ incipiat esse corruptus. Mira disputatio veritatis, dum vult Deum honorare, diiudicat. Maioris enim virtutis est obtinere interna substantia Deitatem, quàm Deum spiritualiter in Deitate dutare. Quid ergo mirabor in Deo, nisi quod cum homo esse dignatus sit, tamen in homine, quòd Deus esset, apparuit. Hoc est mirabile: Hoc est singulare. Nam hominem tantum credere, nihil est admirandum: quia omnes homines tantum homines sunt. Et ideo mirabile non est, quia vnus alterum de se intelligit, quòd tantum homo sit. Sed hoc est Christianis mirabile, quòd homo Deus verus est Iesus, secundum Prophetæ dictum, qui ait: *Lapidem, quem reprobauerunt ædificantes, hic factus est in caput anguli. A Domino factum est istud, & est mirabile in oculis nostris.* Non quod iste destitit esse, quod fuerat: sed quod carnem fecit esse quod Deus est,& verè homo, qui de Virgine natus est, ipse est Iesus Dei filius, qui sub Pontio Pilato est crucifixus,& sepultus, ex vtraque natura; non duo, sed vnigenitus est Dei filius. Et ipse, qui est vnigenitus Dei filius, ipse est *primogenitus in multis fratribus.* Et quia vnigenitus, & primogenitus duæ naturæ sunt; sed propter susceptorem suum vnigenitum Deum, & ipse homo vnigenitus dicitur, quia in eo est vnigenitus.

Luc. 1.

Ps. 117. 21.

Ro. 8. 29.

Denique diuersitas diuersarum naturarum in locutione Euangeliorum ostenditur. Fidei igitur nostræ non conuenit, vt credamus, quòd Iesus mentiatur: quia sine dubio est veritas. Et ex vtraque natura ipse confitetur: & ab ipsius ore didicimus, quod dicimus. Et vtrasque naturas ipse sibi proprio ore manifestauit. Dicit pro Diuina: *Ego sum.* Dicit pro humana: *Ego sum.* Nonnunquam dicit: *Ego & Pater vnum sumus*, diuina est. Cum vero dicit: *Ego sum via. Ego in nomine Patris mei veni, & non me recepistis*, humana est. Et in illa de se dixit. Sic & cum dixit: *Qui me misit, mecum est, neque me dereliquit.* Et in alio loco: *Deus Deus meus, quare dereliquisti me?* Et in illa dicit: *Qui me misit.* Et in illa dicit: *Quare me dereliquisti.* In ambas naturas *me*, & *me* Nam cum dicit: *Nec me dereliquit*, diuina est. Cum autem dicit: *Me dereliquisti*, humana est. Quia Deus hominem susceperat: & ipse homo mori habebat. Et Diuinitas, quæ vita erat, exul erat à morte. Ideo per mortem crucis relinquendus erat vsque ad resurrectionem ipsius. Non quòd diuinitas relinqueret carnem suam, sed quòd non moritura erat cum carne sua. Quia sic in sepulchro carnem suam commanendo † deseruit, sicut in vtero Virginis connascendo formauit. Fidei ergo nostræ sic conuenit, vt homo filius dicat: *Quare me dereliquisti.* Et Deus filius, qui cum Patre æqualis est, dicat: *Qui me misit, mecum est: nec me dereliquit.*

Exod. 3. 6.
Io. 10. 30.
Ioan. 14. 6.
Ioan. 5. 43.
Io. 8. 29.
Psal. 21. 2.
Io. 8. 29.
Mat. 27. 46.

† Videtur deesse negatio Nõ

Mat. 27. 46.
Io. 8. 29.

Et cum ex vtroque vnus sit filius, cauendum est, nec aliquis

aliquis dicat: *homo mortuus*, & Deus eum excitauit. Hoc illi dicunt, qui secundum carnem eum prædicant adoptiuum: & secundum diuinitatem, proprium. Sed ipse Dominus mendaces eos redarguit, cùm Iudæis dixit: *Ioann. 2.19.* *Soluite templum hoc, & in triduo suscitabo illud*. Non dixit: Soluite templum, quod Pater suscitet: sed *ego suscitabo illud*: quia non est alius, qui moritur: & alius per quem mortuus resurgit: sed ipse vnus mortu⁹ est Christus. Et ipse mortuus, & ipse semper viuus: quia ex vtroque vnus est liber, intus & foris scriptus.

Foris scriptus est, cum ipse per Dauid dicit: *Psalm. 3.6.* *Ego dormiui, & quieui*. Intus scriptus est, cũ ipse dicit: *Ibidem* *Et ego resurrexi*. Foris scriptus est, cum ipse de Patre dicit: *Act. 13.30.* *Quoniam Dominus suscitauit me*. Quia & Pater eum suscitauit; in quo minor est Patre. Et Filius ipse se suscitauit; in quo æqualis est Patri. Sicut & ipse se misit, in quo æqualis est Patri. Et *Pater eum misit* in hunc mundum, in *Ioan 17.18.* quo minoratus venit *paulò minus ab angelis*. *Psalm. 8.6.* Sic & cætera huiusmodi similia debet scrutator sanctarum Scripturarum interpretari testimonia; vt ex vtraq; substantia nunquam diuidat personam. In Domino igitur Iesu Christo Deo, & homine auctore, ac redéptore nostro sicut vnam absq; dubitatione personam: ita duplicem constat esse substantiã: quam sermo Dominus singulariter in Lege distinguens, ita loquitur ad Iudæos, cum ritum carnalium sacrificiorum cum mysticis, ac spiritualibus traderet sacramẽtis: *Exod. 12.9.* *De agno cum capite, & pedibus comedetis, & intestina eius vorabitis*. Ad hæc si exteriorem literæ sonum interroges, aut intelligas, indignum tãtæ maiestatis præcepto fuit, vt vilissimos edacis populi cibos caput cũ pedibus coniungi, & intestina purgari Spiritus sanct⁹ ordinaret. Et ideo nũc intestina ipsa, id est latentia interrogemus. Sub literæ carne mysteria: Agnus ille est absque dubio, de quo Ioannes Baptista *Ioan. 1.29.* pronunciat: *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi*. In quo agno per caput diuinitatem, per pedes humanitatẽ oportet intelligi. Da in symbolo capitis eminẽtiam. *Credo*, inquit, *in filium eius Iesum Christum Dominũ nostrum*. Da terrenam in pedibus humilitatem: *Qui conceptus est de Spiritu sancto. Natus ex Maria Virgine. Passus sub Pontio Pilato. Crucifixus, & sepultus*.

De quibus absque dubio pedibus, sapientia Salomonis insinuat: *Sap. 15.7.* *Et figulus*, inquit, *pedibus vertens rotam*. Et quid est *figulus*, nisi ille, qui nos de terræ plasmator limo esse iussit ex nihilo? Quid *pedibus*, nisi assumpti hominis disciplinis, orbem totũ ad salutaria instituta conuertit? De qua *rota* in Psalmo legimus: *Psal. 76.19.* *Vox tonitrui tui in rota*, id est, per rotam mundi vox Euangelij procurrit. De qua humana substantia in sexagesimo septimo Psalmo: *Psal. 67.24.* *Vt intingatur pes tuus in sanguine: lingua canum tuorum ex inimicis ab ipso. Vt intingatur*, inquit, *pes tuus*, id est, homo assumptus in sãguine. Non enim natura cælestis crucis sensit iniuriã: sed per conditionis humanæ in sãguine passionis intinctus est. In illo enim patibulo nihil pertulit Deus patientis sensu; sed pertulit cõpatientis affectu. Nihil pertulit pro diuersitate, sed pro vnitate personæ. Nihil Deus pro infirmitate passus est: sed pro dignatione compassus est: Qui tibi esurienti alimoniam porrigens, per Euangelium clamat de cælo: *Matt. 25.35.* *Esuriui, & dedistis mihi manducare, sitiui, & dedistis mihi bibere*. Qua caput se in membris suis pasci, atque vestiri pro personæ, vt diximus, vnitate pronuntiat. *Psal. 67.24.* *Vt intingatur*, inquit, *pes tuus in sanguine: lingua canum tuorum ex inimicis ab ipso*.

Quando, vel quomodo lingua canum Christi tincta sit sanguine, scire debemus. Canes itaq; Iudæi sũt, qui contra veritatem blasphema voce latrahãt. Quorum lingua canum tunc absq; dubio sanguine tincta est Saluatoris, quando furẽte in se diabolo clamauerunt: *Matt. 26.25.* *Sanguis eius super nos, & super filios nostros*. De quo Dei sanguine sub certo Dei hominisq; discrimine, in Apostolorum Actibus legimus: *Act. 20.28.* *Attendite vobis, & vniuerso gregi vestro, in quo vos Spiritus sanctus posuit Apostolos regere Ecclesiam Dei*. Et cuius Dei Ecclesiã subsequens sermo *Ibidem.* demonstrat, ita dicens: *Quam acquisiuit sanguine suo*. Apertè hic sub nomine Deitatis & sanguinis, cœlestia, & humana sociauit. Ecce agnum figuraliter Christum pronuntiat Scriptura sacra. Et in *capite* agni diuinitatẽ Christi, & in *pedibus* agni humanitatem Christi intelligere Spiritus sanctus præordinauit. Et vnus agnus, qua temeritate diuiditur à te? Si secundum caput est alter agnus, & secundum pedes alter, quomodo est vnus *agnus, qui tollit peccata mundi*? *Ioan. 1.29.* Nam si diuidis eum, iam nec duo agni sunt, nec vnus. Iam in hoc agno non poteris illudere Ecclesiam Dei. Aperte lupus apparuisti, quia agnus te superauit. Agnus iste vires tuas cõfregit. Agnus iste prædam, quam tenebas, excussit: & argumentationes Philosophiæ tuæ, simplicitatis suæ innocentia omnino deleuit. Iste est agnus immaculatus, qui quotidie, vt beatus *Andreas* ait, in altare crucis sanctificatur. Cuius carnes posteaquam omnis populus credentium manducauerit, & eius sanguinem biberit, agnus, qui sacrificatus est, integer perseuerat, & viuus. Et cum verè sacrificatus sit, & verè carnes eius sint manducatæ à populo, & verè sanguis eius sit haustus: tamen, vt dixi, integer manet, & immaculatus, & viuus. Tu verò, supra quam fecisti, non diuidas agnum.

Sed si vis dicere, quomodo quotidie occiditur, aut quomodo caro ei⁹ quotidie comeditur, & sanguis eius bibitur, & quotidie viuit occisus; assume formã discipuli, vt possis doceri, quod quæris. Quod si hoc abusiuè, vt consuetus es, tuleris; non agnũ, sed temetipsũ diuidis. Nam cũ hunc agnum Ecclesia in medium protulerit; & tu dixeris, adoptiuus est secundum pedes, & nequaquam secundum caput, iam hîc illusio tua non valebit. Quare? Quia vna persona, & vnus agnus non poterit ex parte esse proprius filius, & ex parte adoptiuus: Id est, ex parte filius, & ex parte nõ filius: Et ex parte Deus, & ex parte non Deus. Non diuidas: Non rũpas: Non scindas. Omnibus integer abũdat. Omnibus solus sufficit. Et tamen licet diuidere coneris, eũ diuidere nõ poteris. Inseparabilis vnitio est. Talis facta est illa susceptio, quæ Deum hominem fecit, & hominem Deum, & ex vtroque vnum Christum. In his duobus substantijs venturum ad terram Deum, Esaias Propheta eximius protestatur: *Esai. 45.8.* *Rorate cœli desuper, & nubes pluant iustum*. De homine verò mox subdidit: *Ibid.* *Aperiatur terra & germinet Saluatorem*. Quia vtique in Mariæ Virginis corpore, mundissimam terram cælesti germine fœcũdauit. Beatus quoq; Iob, qui non solum adesse præsentiam Redemptoris, sed etiam Passionis præsignauit, ita dicit: *Iob. 19.26.* *Rursum circumdabor pelle mea, & in carne mea videbo Dominum*. *Locus Iob in cap. 19. de Christo declaratus.* Quæ sententia duplicis intelligentiæ luce præfulget, id est, in Christo, & Ecclesia Iob præfigurauit Ecclesiam: & in carne sua repromittit resurgere: & Deum hominẽ factum in carne sua, qua ipse erat, cognoscere. Quia sicut caro Iob, nullus alter erat, nisi Iob: ita caro Dei verbi, nullus alter erat nisi Deus. *Iob 19.26.* *In carne mea videbo Dominum*: Id est, in carne, in qua sum, in ea resurrecturus sum. Hoc enim sequẽs sermo confirmat, dicens: *Iob. 19.27.* *Quem videbo ego ipse, & non alius, & oculi mei conspecturi sunt*. Hoc in sua persona de tota Ecclesia dixit; quod futurum adhuc post resurrectionem erit. De Christo verò, quòd suam carnem in eo recognosceret, & carnem & diuinitatem vnum Christum Deum agnosceret, superior intellectus hoc continet, quod *Iob. 19.26.* *in carne sua*, id est, in fragilitate conditionis suæ, hominem Deum videret.

Hanc ergo diuersitatem ex hoc quoque intelligere *Duæ Christi natiuitates.* apertum est. Alia est enim illa natiuitas, vel natura, in qua iuxta Apostolum, *Gal. 4.4.* *factus ex muliere, factus sub lege*. *Ioan. 1.1.* Alia, qua *in principio erat Verbum*, Deus apud Deũ. Alia, qua creatus ex Maria humiliatur in terris. Alia, in qua sine initio manens, creauit cœlũ, & terram, secundum quam regulariter intelligitur *Christus*; quæ omnia qui-

dem ipse est per similitudinem: sed non omnia ipse est A per proprietatem. Trahit enim nominum species de inferioribus reb⁹, vt facilius intelligatur. Dicitur enim modo *Leo*, modo *agnus*, modo *panis*, modo *vitis*. Sic & cætera, id est, *flos, via, ostiũ, petra, mons, lapis angularis, lapis offensionis, fundamentum, ouis, aries, hædus, vitulus, serpens, vermis, aquila*. Hæc omnia Christus secundum similitudinem intelligendus est, non per proprietatem. Si quæras à me, quid sit Christus, Deus, & homo, est vna persona. Quia *in principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum*. Ecce suam proprietatem.

Christus in sacris literis variis nominibus appellatus.

Ioan. 1. 1.

Si quæras à me de eius incarnatione, dicimus suam proprietatem. Filius vnicus est de Patre in æternum ab B æterno genitus, æqualis gignenti, per quem facta sunt omnia: cum Patre incommutabilis: & accepta forma hominis non mutatus. Ex incarnatione *filius hominis*, & *filius Dei*. Hoc totum, quod dixi, non similitudo, sed res est. Id est, per proprietatẽ Christus Dei filius est. Nam illa, quæ supra nominauimus, similitudines Christi sunt nõ ipse Christus est. Per similitudinem Christus multa est, quæ per proprietatem non est. Si autem proprietates discutias rerum, quas videre consueuisti, nec leo est Christus, quia fera non est. Nec agnus est, quia pecus non est. Nec panis, quia de herba natus non est. Nec vitis, quia arbor non est. Nec flos, quia semẽ herbæ non est. Nec via, quia animalia bruta per eum non ambulant. Nec ostium, quia non eum faber fecit. Nec mons est, quia sylua non est. Nec petra est, quia durus, C & sine sensu non est Nec lapis angularis est, quia non ab instructore compositus est. Nec lapis offẽsionis est, quia non viam occupauit. Nec ouis est, nec aries, quia pecus cornutum non est. Nec hœdus est, quia de capra non est. Nec vitulus, quia de vacca non est. Nec serpẽs nec vermis est, quia reptile nõ est. Nec aquila est, quia volatile non est. Dicitur & pastor per similitudinem, & liber: sed pastor non est, quia custos ouium quadrupedum non est. Nec liber est, quia non ex pellibus ouium ab scriptore compositus est. Sic & cætera huiusmodi similia, quę per ista parua prudẽs lector intelligere* quęrat, quid sit Christus per proprietatem, aut quid intelligatur per similitudinem.

Christus per similitudinem multipliciter appellatur.

*F. queat.

Nam leo dicitur pro regno, & fortitudine. Agnus, propter innocentiam, quia mansuetus venit. Dicitur D enim panis, quia caro est. Vitis, quia sãguine ipsius redempti sumus. Flos, quia electus est. Via, quia per ipsũ ad Deum imus. Ostium, quia per ipsum ad Deum ingredimur. Mons, quia fortis. Petra, quia firmitas est credentium. Lapis angularis, vel quia duos parietes † *ediocise*, id est, Iudaicum populum, & Gentilem ad idem venientes, in vnam fabricam Ecclesiæ iungit: vel quòd pacem in se angelis, & hominibus facit. Lapis offensionis dicitur, quia veniens humilis, offenderunt in eum Iudæi, vel increduli homines, & factus est *petra scandali*, sicut dixit Apostolus: *Iudæis quidem scandalum*. Fundamentum autem ideo vocatur, quia fides in eo firmissima est, vel quia per eum Ecclesia Catholica constituta est. Ouis propter patientiam. Aries propter principatum. Hœdus propter similitudinẽ carnis peccati. Vitulus pro eo, quod pro nobis est immolatus. E Serpens pro morte, & sapientia. Vermis, quia resurrexit. Aquila, quia post resurrectionem ad astra remeauit. Pastor, quia custos hominũ. Liber, quia in eo sunt *omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ absconditi*. In sapientia intelligitur omnis *plenitudo diuinitatis*, id est, sua & Patris, & Spiritus sancti. In sciẽtia intelligitur omnis plenitudo humanitatis nostræ, quam ipse solus Filius suscepit ex Virgine, in quo habitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter Nam cum plerique legunt hunc librum, & omnes audiunt, multi multa de eo suspicantur, & diuersa intentio est. Et porrò pauci intelligũt, nec intelligẽt omnes impij. Porrò docti intelligent, quia clausus liber est, & signatus, & publicè, &

Christi appellationes mysticè declaratæ.

Ephes. 2.

† Videtur ἀ στοιχέω, quòd est a ministro, rego, ordino, dispono, deriuasse ἰδιώχνητα, & latinis characteribus. ediocise.

1. Cor. 1. 23.

Colos. 2. 3.

Colos. 2. 9.

manifestè apertus. Et nisi seipse exposuerit, null⁹ eum potest intelligere incredulus. Credentibus enim aperitur; & non credentibus clauditur. Hinc per Danielẽ dicitur: *Claude sermonem, & signa librum*. Per Ioannem quoq; in Apocalypsi, in prima parte libri dicitur: *Signa quæ locuta sunt septem tonitrua*. Et ne ea scripseris. In fine vero libri ait: *Ne signaueris verba prophetiæ libri huius*. Quid hoc est, nisi quod appropinquante mundi fine, superna scientia aperitur, & proficit, & latius cum corpore excrescit?

Dan. 12. 4.
Apoc. 10. 4.
Apoc. 22. 10.

Hinc namque per Danielem dicitur: *Pertransibunt plurimi, & multiplex erit scientia*. Iam & sicut supra diximus, Ioannis in propria parte reuelationis angelus dicit: *Signa, quæ locuta sunt septem tonitrua*. Cui tamẽ reuelationis eiusdem fine pręcipit, dicẽs: *Ne signaueris verba prophetiæ libri huius*. Ecce librum, & signatum, & clausum, & reuelatum, manifestum, atque apertum, & non signatum. Pars quippe reuelationis in capite lib. i signari præcipitur; finis verò libri signari prohibetur. Quia quidquid in sanctæ Ecclesię prædicatione in primordio latuit, finis quotidie ostendit. Quia sicut vniuscuiusq; hominis ab infantia vsque ad senectutem ætas describitur. Patuula quippe tunc erat, cum à natiuitate recens, verbum vitę prædicare nõ poterat. Hinc enim de illa dicitur: *Soror nostra paruula est, & vbera non habet*, quia nimirum sanctæ Ecclesiæ, priusquam proficeret per incremẽta virtutis, infirmis quibusque auditorib⁹ præberi nõ potuere vbera prædicationis. Adulta vero Ecclesia dicitur, quando Dei verbo copulata, repleta sancto Spiritu, prædicationis mysterium in filiorum conceptione fœtatur: quia quos exhortando concipit, in conuertendo parit. De hac eius ætate Domino dicitur: *Adolescentulæ dilexerunt te*. Vniuersæ quippe Ecclesiæ, quæ vnam Catholicam faciunt, adolescentulæ vocantur. Non iã vetustæ per culpam: sed neuellæ per gratiam: Non senio steriles, sed ætate mentis, ad spiritualem cõgtuæ fœcunditatem. Tunc ergo eum in diebus illis Ecclesia quasi quodam senio debilitata, per prædicationẽ filios parare non vult. Reminiscitur fœcunditatis antiquæ dicens illum Iob versiculum: *Sicut fui in diebus adolescentiæ meæ, quando secretò Deus erat in tabernaculo meo*. Quamuis post eosdem dies, quibus deprimitur, iam tamen circa ipsum finem temporum grãdi prædicationis virtute roboratur. Nam susceptis ad plenum Gentibus, omnem Israeliticum populum, qui tunc inuentus fuerit, in fidei sinum trahet. Scriptum quippe est: *Donec plenitudo Gentium intraret: & sic omnis Israel saluus fieret*.

Dan. 12. 4.
Apoc. 10. 4.
Apoc. 22. 10
Cant. 8. 8.
Cant. 1. 3.
Iob. 29. 4.
Rom. 11. 25.

Sed ante illa tempora erũt dies, in quibus ab aduersariis paululum videtur oppressa, cùm & dies adolescentiæ reminiscitur, dicens: *Sicut fui in diebus adolescentiæ meæ, quando secretò Deus erat in tabernaculo meo*. Quid in hoc loco *tabernaculum*, nisi secretũ mentis, nisi quietudo animi, nisi vita contẽplatiua sine persecutione aliqua? Attamen cum in fine sæculi cœperit Ecclesia persecutionibus fluctuare, quietudinem mentis habere non poterit. Tunc reminiscitur illud, quod per semetipsum veritas in Euangelio dicit? *Surgẽt Pseudo christi, & Pseudo prophetæ, & dabunt signa magna, & prodigia, ita vt in errorem mittantur si fieri potest, etiam electi*. Nunc autem fideles nostri mira faciunt, cum peruersa patiuntur: tunc autem & peruersa patiuntur sancti, & miracula non faciunt. Tunc verò prædicatores Antichristi, id est, hæretici, etiam cum peruersa inferunt, mira facturi sunt. Proinde nos admonet, dicens: *Si ergo dixerint vobis: Ecce in deserto est Christus, nolite exire. Ecce in penetralibus, nolite credere*. Ac si apertè diceret. Si quis promiserit vobis, quod in deserto Gentilium, & in Philosophorum dogmate Christus moretur, aut in hæreticorum penetralibus, qui Dei pollicentur secreta, *nolite exire: nolite credere*: siue quia persecutionis, & angustiarum tempore, semper Pseudoprophetæ decipiendi inueniũt locum. Si quis sub nomine Christi se iactare voluerit, non statim

Iob. 29. 4.
Mat. 24. 24
Antichristus.
Mat. 24. 26
Ibidem

Matt. 14. 27. tim accommodetis fidem. *Sicut enim fulgor exit ab Oriente, & paret vſque in occidente, ita erit & aduentus filij hominis. Nolite exire, nolite credere,* quod filius hominis, vel in deſerto Gentium ſit; vel in penetralibus hæreticorum: ſed quod ab Oriente vſque ad Occidentem fides eius, quæ ab Apoſtolis tradita eſt, in Catholicis Eccleſiis fulgeat.

Nam & hoc prætermittendum non eſt, ſed coram omni Eccleſia tam ſapientibus, quàm ruſticis prædicandum, quod ſecundus aduentus Saluatoris, non in humilitate, vt prius; ſed in gloria demonſtrandus ſit. Sultum eſt itaque eum in paruo loco, vel in abſcondim quærete, qui totius mundi lumen eſt. De ipſo enim legimus: *Pſal. 49. 3.* *Deus manifeſtè veniet, Deus noſter, & non ſilebit. Ignis ante ipſum ardebit, & in circuitu eius tempeſtas valida.* Intellige & hic vtriuſque ſubſtantiæ proprietatem; in ve- *Pſal. 96. 3.* A titate aſſumpti corporis venturus creditur, & Deus vocabitur. Adfuit infirmitate abſconditus; aderit in virtute manifeſtus. *Ignis,* inquit, *ante eum ardebit; & inflammabit in circuitu inimicos eius.* *Pſal. 96. 3.* Cum talis reuerentia præſentis erit futura, putas qualis erit forma ſententiæ? Ille quidem redditurus eſt quod promiſit: ſed exacturus eſt, quod redemit.

Et ideo totis per adiutorium ſuum viribus enitamur, vt quidquid contulit iudicatus, integrum in nobis inueniat iudicaturus. Et ideo ſi cum fide, cum iuſtitia, cum miſericordia, cum charitate, & cum caſtitate viuentes, in eius timore manſerimus, magnum iam munerum ſuorum pignus tenemus. Dabit abſque dubio regnum ſuum. Dabit quæ ſua ſunt nobis, qui ſeipſum dignatus eſt offerre pro nobis, Amen.

FINIS LIBRI PRIMI.

LIBER SECVNDVS,
DE CHRISTO, ET EIVS CORPORE,
QVOD EST ECCLESIA.
Et de Diabolo, & eius corpore,
Quod eſt Antichriſtus.

† Alias deeſt, ab, vel propter. SCRIPSIMVS † crimina tua, quibus nos hæreticos, & ignaros fidei, atque Antichriſti diſcipulos pronunciare non ceſſas, hunc apologeticum; non Panegyrico more adlocutionis mendacij, nec obſcuritatibus fumoſorum eloquentiæ ſermonum; ſed puris ſẽſibus; vt omnes, qui audierint, intelligere poſſint. Apologeticum eſt excuſatio, in quo accuſantibus reſpondetur in defenſionem ſui. Et ideo criminantibus reſpõdimus; & nos ab hæreſi purgatos, Deo inluminante, inuenimus. Panegyricum, & licentioſum, & laſciuioſum genus dicendi, in laudibus Regum: In cuius compoſitione multis mendacijs adulantur. Non enim nos mendacium in apologeticis noſtris, in laudem cuiuſlibet Regis terreni, compoſuimus; ſed fidem veram, quam ab ipſis diſcipulis veritatis hauſimus.

Sed quia libelli tui, in quibus nos hæreticos eſſe fateris iam per publicum in diuerſis terrarum vulgati ſunt partibus; vt omnes, qui eos legerint ſecundum fidem tuam, te Catholicum Toletanæ ſedis doctorem, nouellum Archiepiſcopũ, & nos Libanenſes indoctos, & hæreticos, atq; Antichriſti diſcipulos *Etheriũ & Beatũ* prę dicent: Et quia ex vtraque parte contentio exorta eſt, & fides diuerſa profertur, non ſolum fama, ſed etiam ignominia nobis à te intogatur. *Ignominia vnde dicta.* Fama enim tam in bonam, quam in malã partem intelligitur. Ignominia vero nunquam, niſi ſemper in malam partem vertitur. Ignominiã dictam, eò quod deſinat habere honeſtatis nomen, is, qui in aliquo crimine deprehenditur. Dicta eſt autem ignominia quaſi ſine nomine, ſicut ignarus ſine ſcientia; ſicut ignobilis, ſine nobilitate. Hoc quoque infamia dicitur, quaſi ſine bona fama. Et ideo ignominiã nobis cum mala fama prædicas, vt ſine differentia, ſolus in videatis in Eccleſia habere bonam famam. Certe tua iam, & noſtra talis eſt bona fama: & non ab alio, ſed à te ſolo additum eſt, & infamiam .i. ignominiam, vt qui nomen non habuerunt, ad meam comparationẽ, nomen habere

A non poſſunt. Hæc fama eſt per publicum; & certè ſine *Fama.* cauſa, nulla fama potuit eſſe. Fama autem dicta à *fando*, id eſt, à loquendo: quia loquendo peruagatur per traduces linguarum perſtrepens auribus audientium.

Eſt autem nomen & bonarum rerum, vt diximus, & malarum. Cum & iſta ſit vtraque fama, ſiue tua, ſiue noſtra, incerta eſt. Et ideo famæ nomen locum non habet, quia fortaſſe mendax fama eſt, adiiciens multa, vel minuens de veritate. Veritas enim inter vtraque ſibi ſola ſufficit; quia nec addi, ne minui poteſt. Quæ tamdiu fatigatur, quouſque comprobetur. Et cum probata fuerit, ceſſat eſſe: vt exinde res nominetur, non fama. Semper mendax cum mendacio deficit. B Non enim mendax facit mendacium: ſed mendacium facit mendacem. Non poterit mendax eſſe abſque mendacio, quouſque finxerit mendacium. Nam cum dimiſerit mendacium, deſinit eſſe mendax. Mendacium nihil aliud eſt, niſi abſentia veritatis Mendax verò ſubſtantia eſt: mendacium autem non eſt ſubſtantia, ſed qualitas in ſubſtantia. Omnis ergo ſubſtantia, quæ à Deo bono creata eſt, bona eſt. Vitium vero non eſt à Deo creatum, ſed à diabolo inuentum. Nam Deus Pater genuit veritatem Filium: & *Chriſtus Veritas.* nata eſt veritas de veritate, id eſt, ſubſtantia de ſubſtantia. Et ambo ſimul vna ſubſtantia, ſicut ambo ſimul vna C veritas. Diabolus verò ſubſtantia eſt bona creata: quia *omnia, quæ fecit Deus, bona sũt valde.* Arbitrio ſuo factus eſt diabolus, non Dei conditione. *Gene. 1. 31* Ipſe eſt auctor mendacij, quia genuit mendacium. Et quia mendacium genuit, pater mendacij eſt. Non enim, vt ſupra diximus, *Mendacij pater diabolus.* mendacium ſubſtantia eſt, ſed tantùm qualitas. Solus tamen diabolus ſubſtantia eſt, quia pater qualitatis eſt, non ſubſtantiæ.

Et quid eſt qualitas? Quia facit vnumquemque qualis ſit. Etenim in corporibus qualitas, & quantitas. Qualitas eſt corporis, quæ facit eum album, aut nigrum. Quantitas vero longum, aut breuem. Ac per hoc in corporibus eſt qualitas, quæ refertur ad colorem: quantitas

Z

ad mensuram. In spiritualibus vero rebus qualitas est sine quantitate; vt cum dicimus Angelus est. Et quia angelorum bonorum & malorum substantia est: discernimus eum in qualitate, cum dicimus, Angelum bonum, & angelum malum. Angelus bonus non à se est bonus, sicut Deus sed adhærendo bono Deo, fit bonus. Angelus autẽ malus non à bono Deo, sed à se est malus. Quod substantia est, à bono Deo est. Quod autem malus est à se tantum malus, non à bono Deo malus. Et vnde effectus est malus, nisi non adhærendo Deo effectus est malus: sicut è contrario, angelus bonus adhærendo Deo est bonus. *Ioan. 8. 44.* Vnde ergo non adhæsit Deo diabolus, vt esset bonus. nisi quia mendax est? Ab initio enim *mendax fuit* secundum Domini dictum, & in veritate numquam stetit. Veritas enim Deus est, vt supra diximus: In qua veritate stare contempsit. Mendacium finxit: quia quod Deus possidebat per naturam, voluit ille hoc apprehendere per rapinam, dicẽs: *Isa. 14. 14.* *Ero similis altissimo.* Et ideo mẽdax quia de suo dixit: de suo composuit: de suo finxit; à semetipso didicit, quod dixit. Et quia à semetipso didicit, ideo propriam gloriam quæsiuit, quia à semetipso locutus est. Proinde Dominus in Euangelio ait: *Qui loquitur mendaciũ de suo. Et qui à semetipso loquitur propriã gloriam quærit. Ego non quæro gloriam meam, sed eius qui me misit.* *Ioan. 8. 44. & 50* Iam diabolus, qui pater mendacij apparuit, ex ipso mendacio primum in paradiso hominem decepit dicendo cõtra præceptum Domini *Eritis, sicut Dij, si comederitis de ligno illicito.* *Genes. 3.* Hoc mendacium non ab homine inuentum est, sed à diabolo. Iam homo quod fecit, non à se didicit, sed à diabolo instigatus accepit. Iam filius diaboli factus est per mendacium, quia ipsum mendacium patrem habet diabolum. Ex hoc mendacio propinatus est genus humanum. Et nunc in Ecclesia omnes qui sunt mendaces ex ipso spiritu errores accipiunt, vt sint mendaces. Et qui veritatem proferunt in Ecclesia non à se sunt veridici, sed à veritate accipiunt, vnde veritatem proferant.

Iam supra diximus quia veritas Pater genuit filium veritatem & hoc, quod est substantia Pater genuit substantiæ suæ filium, per quem omnia condidit. Et ideo non est à semetipso filius Deus sicut pater à semetipso est Deus sed hoc quod est ab alio, id est à Patre, non à se est. Diabolus vero cum à Deo bono bonus esset factus, genuit mendacium, non naturæ suæ filium: quod erat substantia, sed qualitatem in substantia: vt ipsa qualitas non possit alibi accedi, nisi in substantia quod est bonum. Ac per hoc bonum potest esse sine malo: malum sine bono esse non potest: quia nullum malum substantia est, nisi tantum priuatio boni. Sicut tenebræ nullæ substantia est, sed tantum absentia lucis. Sicut mors nulla substantia est, sed tantum absentia vitæ. Sicut fames nulla substantia, sed est tantum absentia cibi. Sicut nuditas nulla substantia est, sed tantum absentia vestimenti: Sic superbia nulla substantia est, sed absentia humilitatis. Sic discordia nulla substantia est, sed absentia charitatis. Sic iracundia nulla substantia est, sed absentia patientiæ. Sic quoque mendacium nulla substantia est, sed absentia veritatis.

Dicis certè, quod ego sum spiritus ille mendax erroris. Cum hæc dicis, patulè datur intelligi, quòd te veracem esse profiteris, cum me mendacem dicis. Dicis enim Fideli tuo, quod puto ille tibi iam notuerat; *Sed quia audiui, quod præcursor Antichristi in medio nostri apparuit quia illum iam natum annunciat:* quæso, vt perquiras ab eo, vbi aut quomodo, aut quando natus est spiritus ille mendax Prophetarum, qui in eo loquitur, non † sollicitos reddas. *† certos.* Multi enim intelligunt, qui legunt nebulam verborum tuorum, quæ sub allegoria scribis, vt fiat quæstio inter interpretes, & te, tanquam nouum prophetam, ænigmatice locutum explanent. Quod si inueneris laudatores tuos qui possint multa opinatiue confingere, vt confingis, & adulanter, more panegyrico, tibi respondeant solum quia contra nos, vt agis, agant, doctores peritissimi à te comprobentur licet mendacium loquantur: Et vnde hoc scis, quod præcursor Antichristi sũ, qui specialiter à te denotor. Iam dicis: *in medio nostri apparuit* Et quid est *medio vestri*, aut quanti estis, in cuius medio sum? Debes nominare, & speciem partis tuæ, sicut speciem partis Antichristi. Hoc nomen Antichristi vnum sonat, sed multi sunt, & in Ecclesia fuerunt, & de Ecclesia exierunt. Nihil enim aliud est nomen Antichristi, nisi contrarius Christo. *Antichristus.* Et cum contrarius inuenitur Christo, apparet esse mendax. Et cum mendax apparuit, apparet esse filius diaboli. Et omnis mendax filius diaboli, quia diabolus, vt supra diximus, pater est mendacij.

Requiramus nunc, quis est mendax. Ioannes Apostolus dicat. Sic enim ait: *Omnis, qui confitetur, quod Iesus non est filius Dei, mendax est, & ipse est Antichristus* *1. Ioan. 2. 22. & 23* Tu dicis, quia Iesus non est filius Dei. Et quis est Iesus, nisi homo ille, qui de Virgine natus est? Ecce qui hunc Iesum negat esse filium Dei, Antichristus est, & mendacium loquitur: quia omnes credimus, quod Iesus filius Dei est. Vide tu nunc, quis est præcursor Antichristi, qui in medio vestri apparuit. Quomodo apparuit, qui natus fuit? Antequam nasceretur, præcursor erat Antichristi. Postquam verò natus fuit, iam non est præcursor, sed ipse est Antichristus. Quid est natiuitas eius, nisi apparitio eius? Et quid apparitio eius, nisi manifestatio eius? Et quid est manifestatio eius, nisi prædicatio eius? Antequam prædicaret, præcursor erat Antichristi, quia noluit Christum *intelligere, vt bene ageret: sed iniquitatem meditatus est in cubili suo, & astitit omni viæ non bonæ.* *Psal. 35. 5.* Cum omni viæ non bonæ adstitit, sine dubio Antichristi præcursor fuit. Et cum iniquitatem publicè prædicat, quam tanto tempore in cubiculi suo, id est, in secreto cordis sui, meditatur, sine dubio Antichristus est, quia Iesum negat, quod filius Dei est.

Sed fortè dicis; vnde hoc affirmas, quod Antichristus est? Vnde hoc affirmo, audi, quia malitiam non audiuit. Propheta hoc dixit, non ego. *Noluit*, inquit, *intelligere, vt bene ageret. Iniquitatem meditatus est in cubili suo, astitit omni viæ non bonæ, malitiam autẽ non audiuit* *Ibidem.* Ista tria in mẽdacio sunt, non veritate. Iam Antichristus habet Antichristos. Nunquid Antichristus aliud facturus est, cum venerit nisi hoc tantùm, quod contra Christum dimicaturus sit, & Euangelium eius non recipiat, & dicat: Ego sum Christus? Iam & tu dicis: *Et nos Christi sumus, sicut Christus.* Et Dominus nos admonet dicens: *Exurgent Pseudochristi, & Pseudoprophetæ; & dabunt signa, & prodigia, ita vt in errorem mittantur, si fieri potest, etiã electi.* *Matt. 24. & Marc. 13. 21.* Iã & hoc experimento cognouimus, quia ad hanc vestram veritatis fidei contrariam † plerique etiam electi, licet ad modicum, turbati sunt. *† prædicationẽ vel simile quid* Qui & omnes, cum primitus audiuimus, turbati sumus. Et ideo Antichristi præcursores non sumus. Quia etsi cum Petro errauimus, iam cum eo errata plangimus: & Iesum esse Christum filium Dei publicè confitemur. Et qui ita non crediderit, vt credimus, ipsum esse Antichristum non dubitamus. Nõ ipsum per speciem, qui venturus est: sed ipsos, quos Apostolus Ioannes dixit. *Nunc in Ecclesia Antichristi multi sunt. Ex nobis exierunt, sed non erant ex nobis*, *1. Ioan. 2. 18.* id est, in fide nostra non erant. Quod si fuissent ex fide nostra, permansissent vtique nobiscum. Et ideo Antichristi appellantur ab Antichristo, id est, contrarij Christi vocantur, quia contra Christum pugnant. Nam sicut habuit mediatores suos Christus Dauid, vel cæteros, qui Christi dicebantur, & eum præfigurabant; sic ille filius perditionis Antichristus qui eum præfigurant, & nomen habent Antichristi, Antichristus appellatur, quia contra Christum venturus est. *Antichristus quid.* Non quomodo quidam simplices intelligunt, Antichristum ideò dictum, quòd ante Christum venturus sit, id est, post eum veniet Christus. Non sic, sed Antichristus Græcè dicitur, quod est Latino, contrarius Christo. *Anti* enim Græcè, Latinum *contra* significat. Christum se enim mentietur, dum ven[illegible]

contra

contra eum dimicabit, & aduersabitur sacramentis Christi, vt veritatis Euangelium soluat, & non recipiat, nisi tantum Legem Mosaicam, & populum ad circumcisionem prouocet. Nam & templum Hierosolymis reparare, & omnis legis veteris ceremonias restaurare tentauit.

Sed & ille Antichristus est, qui negat Deum esse Iesum Christum. Contrarius enim, vt diximus, Christi est. Sed & ille Antichristus est, † *qui non credit* Iesum Christum esse Deum, operibus autem dissentit à Christo. Christum credit fide, sed negat opere. De quibus Apostolus dicit: *Confitentur autem se nosse Deum, factis autẽ negant.* Nam vnusquisq; à conditore suo, aut fide secedit, aut opere: sicut qui fide secedit, Antichristus est: ita & qui opere secedit ab omnipotente Deo; apostata nominatur, etiam si in Ecclesia fidẽ tenere videatur. Omnes enim qui exeunt de Ecclesia, & ab vnitate fidei, & operis præciduntur, sine dubitatione Antichristi esse creduntur. Nos autem quantum ad rationem fidei nostræ pertinet, ab Ecclesia non exiuimus. Quia illa, quæ per totum mundum ab Apostolis tradita vniuersitas credentium tenet (vnde nomen habet catholica) hanc fidem tenemus. † Et vbi essemus, non habemus. Quando Catholicam fidem diximus, id est, vniuersalem. Græcè enim vniuersitas, siue generalitas Catholicon vocatur. Et ideo non potest esse hæreticus, qui est Catholicus: Id est, non poterit exire ab Ecclesia, qui habet fidem Apostolicam, quam generalis per totum mundum tenet Ecclesia. Credere se in Deum Patrem omnipotentem, & Iesum Christum filium eius vnicum Deum, & Dominum nostrum, qui natus est de Spiritu sancto, & Maria Virgine. Hanc fidem, quam Deo illuminante, à suis Apostolis traditam accepimus, in Ecclesia Catholica tenemus.

† qui non negat.

Tit. 1. 16.

† Locus obscurus Catholicus quis.

Nam non didicit Ecclesia hanc fidem tuam per totum mundum: nec consueuit credere in eum, qui de Virgine natus est, non per illum facta esse visibilia, & inuisibilia: sed tantum per illum, qui non est adoptione, sed genere. Nec habet consuetudinem dicere: *Credo in Deum Patrem omnipotentem*, & in filium eius, qui Deitatem suam exinaniuit, apparuit in mundo per subiectæ creaturæ speciem cum Patre & Spiritu sancto, Abrahæ in ipso feruore diei: qui est adoptiuus humanitate, & nequaquam adoptiuus diuinitate. Hæc fides tua est. Nam in toto mundo non est. Quòd si verum non dicimus, interrogemus omnem Ecclesiam Catholicam, si generaliter per totum mundum talis fides est. Requiratur ordo Baptismi, & symbolum à duodecim Apostolis compositum, quem habet Ecclesia traditum, pro quo baptizat filios suos, sine quo non poterit esse Baptismũ. Requirant & symbolum trecentorum Patrum aduersus tuam fidem compositum: & si inuenerint de tuis sermonibus, vel vnum ibi insertum, non exiuimus ab Ecclesia. Si certe nouam habuerint hanc tuam doctrinam, sicut & nobis nouella est, tu existi cum tuis ab Ecclesia Catholica, quæ generaliter per totum mundum est constituta. Nam tua fides sola apertè cognoscitur in te esse coarctata, & in antro tuæ perfidiæ teneri ligata. Et hæc hæresis te facit esse hæreticum, cum illa non credis, quæ credit cuncta Ecclesia per vniuersum mundum. Hæresis enim non substantia, sed qualitas est in substantia. Et non hæreticus facit hæresim: sed hæresis facit hæreticũ: Sicut non superbus facit superbiam, sed superbia facit superbum. Et cum dimiserit quam habet superbiam, desinit esse superbus: quia non est ipsa superbia substantia, sed qualitas in substantia. Deus bonus fecit hominem bonam substantiam. Superbia vero qualitas est in substantia de diabolo nata. Quæ dum in homine accesserit, efficitur filius diaboli: quia de diabolo nata est superbia, Et tunc vnusquisque deprehenditur esse superbus, cum plus vnus alteri maior vult esse, quam quod est. Et cum maior se æstimauerit alteri, perdidit ipsum, quod erat: & tunc Deum perdit, à quo est. Et cũ perdiderit Deum, efficitur diaboli membrum, cuius & filius est, non na-

A tura, sed imitatione. Sic enim auctor suus diabolus bonus erat à Deo bono creatus: Ex inde extitit superbus, quia super voluit esse, quàm quod erat. Et dum super voluit esse, quàm quod erat, non solum hoc, quod erat, perdidit: sed etiam tartari inferna promeruit. Et quia caput est omnium superborum, omnes superbos sibi in vno corpore, tanquam capiti copulauit, & secum in gehennam demersit. Sicut è contrario Christus humilis humili Ecclesiæ, quod est caput, & corpus, secum ad cœlestia traxit. Nam sicut superbia facit superbum: sic hæresis facit hæreticum. Desinit esse superbus, cum dimiserit, quam habet in se superbiam. Desinit etiam esse hæreticus, cum dimiserit, quam habet in se, hæresim. Semper erit hæreticus, qui semper in se habet hæresim. B Sicut semper erit superbus, qui semper habet in se superbiam. Nam hæresis à diabolo inuenta est, & de diabolo nata est, sicut & superbia. Et qui est, & substantia non est, & mala est, non à Deo, sed à diabolo est. Omne enim quidquid est, & malum est, & substantia non est, ex diabolo est. Omnis tamen substantia à Deo bono creata, bona est. Et tandiu bona est, quousque illa non habuerit, quod ex diabolo est.

Nam omnia, quæ facta sunt à Deo, duo sunt tantum, id est, corpus, & spiritus, Angelus est spiritus: mundus vero corpus: homo tamen solus ex vtraque componitur, id est, corpore, & spiritu. Tertia est qualitas angeli, & hominis; quæ nec corpus est, nec spiritus, & tamen est, quia nihil non est. Quæ & ipsa qualitas non in se est, sed in substantia est, & sine substantia esse non po- C test: vt bonus, & malus. Hæc qualitas in substantia. Dicimus angelum bonum, & hominem bonum. Dicimus angelum malum, & hominem malum. Aliud est, quod sunt, & aliud quod habent. Nam quod sunt, substantia sunt: quod vero habent, qualitas eorum est, per quam discernuntur, qui sunt boni, qui mali. Nam angelus bonus dicitur, sed non est ipsa bonitas ipse angelus. Non enim apostata angelus diabolus factus esset, si per se bonitas esset. Angelus enim, vt sit bonus, non à se, sed à Deo habet, vt sit bonus. Et aliud est quod substantia est: aliud quod habet bonitatem in se. Sic & homo bonus. Aliud est, quod substantia est, aliud est bonitas, quam habet in se. Deus tamen per se bonus est, quia ipsa bonitas Deus ipse est. Et non est aliud substantia eius, & aliud D bonitas eius, sicut hominis, & angeli: sed ipsa bonitas eius substantia est. Omnia opera, quæ fecit bonus Deus, bona sunt. Et cum in hoc sunt, in quo facta sunt, semper bona sunt. Bonitas illa, quam ex Deo acceperunt, si non perdiderunt, facit, vt semper bona sint. Et contra angelus malus, & homo malus inde dicuntur, quia perdiderunt bonum. Angelus substantia est, & homo substantia est. Malum verò non est substantia, sed priuatio boni, & à diabolo natum, id est, inuentum: per quod efficiuntur filij diaboli, qui fuerint mali. Quia non, vt diximus, malus facit malitiam; sed malitia facit malum, quia non est in se malitia: siue angelus, siue homo, qui substantia sunt, sed eam habent in se qualitatem suam, per quam viden- E tur esse mali. Et tam angelus malus, quàm homo malus vtrique homini faciunt malum. Diabolus semper malus est, quia semper homini facit malum. Homo diabolus est, cum homini facit malum.

Nam quod homo malus, qui homini facit malum, dicatur malus, Dominus de Iuda in Euangelio Apostolis dicit: *Nonne ego vos duodecim elegi? sed vnus ex vobis diabolus est.* In scriptura sacra & homo dicitur diabolus, & diabolus homo. Nam quod diabolus dicitur homo, in Euangelio Dominus dicit: *Inimicus homo hoc fecit.* Cum dormiente patre familias inimicus homo diabolus zizania superseminauit in agro, vbi Dominus bonum semen seminauerat. Quæ est ergo causa, quæ hominem facit diabolum, & diabolum hominem. nisi quia vnum corpus sunt angelus malus, & homo malus? quia vtrique homini facit malum. Corpus diaboli homo. Corporis caput diabolus est. Nam sæpe eius videntur dicta mem-

Ioan. 6. 7

Matt. 13. 28.

brorum, quæ capiti congruunt: & ex nomine corporis intelligitur caput: & ex nomine capitis significatur corpus. Sicut è contrario Christus, & Ecclesia est caput, & corpus vna persona. Et cum loquitur scriptura de capite, refertur ad corpus. Et cum loquitur de corpore, refertur ad caput. Sicut Esaias ait: *Induit me vestimento salutis, quasi sponsam decoratam corona, & quasi sponsam ornatam monilibus suis.* (*Esa. 61. 10.*) In vna enim persona duplici vocabulo nominata & caput, id est, sponsum: & Ecclesiam, id est, sponsam manifestauit. Istæ autem sunt duæ personæ, quæ in omni scriptura leguntur in Ecclesia, id est, Christus & corpus eius: & diabolus & caput eius.

Tertia est qualitas, id est, vnus bonus, & alter malus. Bonus Christus, & bonum corpus eius adhærendo bono. Malus diabolus, qui factus fuit bonus, adhærendo mendacio. Malus homo, qui factus fuit bonus, adhærendo mendacio. Hæc qualitas inter vtrosque iungit vtrosque, id est, duas substantias, angelum & hominem, ipsum mendacium facit in se vnum. Proinde opposuit veritas Christus contra mendacium. † Humilitas contra superbiam. Charitas contra discordiam. Patientia contra iracundiam: Bonitas contra maliciam. Despectio contra elationem. Parcitas contra auaritiam. Abstinentia contra Gastrimargiam. Sobrietas contra ebrietatem. (*† Ita M. C. pro humilitate, charitatem, &c.*) Sic egit bonus medicus, vt calida frigidis, & frigida calidis temperaret infirmis: & ipsis promitteret vitam, qui obseruarent diætam. Et ipsi citius ad sanitatem redirent, qui potiones amaras biberent. Nam & in medicorum carnalium actibus, prius ipsi medici gustant, quod ad sanitatem confecerint hominum, & sic ægrotis bibendum offerunt. Sicut & ipse misericors medicus fecit, qui corpus & sanguinem suum, medicinam nostram, quam pro nobis aptauit, prius ipse amaritudinis calicem gustauit, & nobis bibendum ordinauit, & diætæ obseruationes reliquit, quos secum viuere præuidit.

Videamus nunc, qui sunt ipsi. Non omnes ægroti salui per curam fiunt, nisi tantum ipsi, qui morituri non sunt. Nam morituris dicit medicus: Manducent, & bibant, quod volunt, quia viuere non possunt. Ipsi sunt, qui peccare possunt, & pœnitere non possunt. Quòd si delicati non essent ad pœnitendum, cito redirent ad sanitatem, si biberent amaritudinis poculum. Et viuerent sine dubio, & essent sani cum medico, si quantùm fuerat in peccando abruptæ mentis intentio, tantùm fuisset in lamentatione plena deuotio; & insuper medici obseruaret diætam illam, quam supra eius proposuimus exemplo, id est, cum omnibus discordantibus pacem; omnibus superbis humilitatem, omnibus iracundis patientiam: & cætera, quæ supra memorauimus. Ista contraria, quæ ex diabolo sunt nata, pro quo possit diaboli mortem euadere: & Christi obseruare dicta, & cum suo medico semper viuere, qui est vita. Nam sicut diabolus est substantia, & homo substantia; & mala, quæ ex diabolo est, id est, hæresis, superbia, elatio, & cætera, quæ sunt inter hominem, & diabolum media: & tenentes ea, fiunt cum diabolo caput & corpus vna persona. Sic è contrario Christus substantia est; & homo substantia est: & illa qualitas, cum qua Christus in hunc mundum venit, id est, humilitas, patientia, obedientia; & cætera, quæ de eius exemplo suos, qui eam tenuerint, iungit hæc obseruatio caput, & corpus, & fit Ecclesia cum capite vnus Christus. Et hoc est in omni scriptura lectoris intellectus: vt tantum duo sint inter se contrarij, Christus, & diabolus. Et sunt duæ ciuitates: vna Dei, & altera diaboli: vna terrena, altera cœlestis. Cœlestis est Christi; terrena verò Antichristi. Habuit Christus suos prophetas, qui eum prædicauerunt venturum. Habuit, & Antichristus suos prophetas, sacerdotes falsos in lege, qui eum crucifixerunt, dicentes: Non est ipse. Habet nunc Christus discipulos suos in Euangelio, qui dicunt: Ipse est, & non alter. Habet & Antichristus prædicatores suos in Euangelio, qui dicunt: Non est ipse. Qui dicunt ipse est, & non alter, corpus capitis est, quia cognoscit caput,

A id est, corpus Christi est, quia cognoscit Christum. Et qui dicit, Non est ipse, corpus diaboli est, quia cognoscit caput, qui separauit corpus suum à corpore Christi, sicut ipse caput separatus est.

Sacerdotes Iudæorum in Lege non cognoscentes Christum, quod ipse esset Deus redemptor mundi caput Ecclesiæ, occiderunt caput. Nunc sacerdotes Christianorum in Euangelio non cognoscunt corpus, quod sit summi capitis corpus, occidunt Christi corpus. Et tam illi sacerdotes in Lege, qui occiderūt caput, quam etiam isti in Euangelio sacerdotes, qui occidunt capitis corpus, vtrique prædicatores Antichristi sunt: quia vtrique de vna schola sunt: vtrique de vna doctrina sunt. vtrique de vno spiritu loquuntur. Vnus spiritus est caput eorum

B mendax, cuius & ille corpus est. Iam supra diximus, quia quod facit caput diabolus, refertur ad corpus ministrorum suorum: Et quod facit corpus ministrorum diaboli refertur ad caput. Et cum patitur caput Ecclesiæ refertur ad corpus. Et cum patitur corpus, quod est Ecclesia, refertur ad caput. Ecclesia certa est de Christo capite, cuius est corpus, quia mediator est Christus. Et ideo non dubitat de Christo, etiam si necesse sit sanguinem fundere pro Christo. Diabolus verò non est mediator corpori suo: quia adhuc non ingressus est hominem illum, damnatum, pro quo fit visibilis mediator ipse filius perditionis inter diabolum, & genus humanum: sed habet falsos prædicatores suos hæreticos, qui fingunt sub nomine Christi Christum, qualem sibi inspirante diabolo finxit, non qualem veritas dicit. Est corpus diaboli. &

C tamē sub nomine falsitatis Christum prædicat: & Christum se colere mentitur. Et quia de sapientia se glorificat, contra Christum agit, quia corpus Christi detrahit. Et cum detrahit, crucifigit. Et cum crucifigit, non cognoscit. Et cum non cognoscit corpus, non cognoscit caput, cuius est corpus. Et cum occidit corpus, occidit caput. Non adhuc occidit corporaliter corpus, sed spiritualiter. Et tunc occidit corpus Christi, quando per philosophiam suam mentes fidelium conturbat, & fidei suæ associat. Et hoc maximè mente paruulis, qui adhuc lacte vtuntur, id est, carne, & sanguine Christi pascuntur; & necdum ad solidum cibum fidei peruenerunt. Aufert tunc lac, id est, carnem, & sanguinem Christi, & præbet suum lac, id est, carnem, & sanguinem, quam sibi ipsi fin-

D xit. Aufert mammas Ecclesiæ, id est, duo testamenta Legis, & Euangelij, & præbet mammas suas, id est, ad fidem suam peruersam, & Legem, & Euangelium exponit: & ad ipsam fidem ipsas scripturas dirigit in peruersitate, quam sentit. Et tunc Ecclesia peruersitate premitur, cum prauis quibusq; prædicatoribus licētia locutionis datur.

Quod longe ante Hieremias intuens, ait: *Sed & lamiæ nudauerūt mammam lactauerunt catulos suos.* (*Thren. 4. 1.*) Quid namque *Lamiæ*, nisi hæreticos appellat? humanam quidem faciem, sed belluinam per impietatem caudam gestantes: (*Hæretici Lamiæ sunt.*) Qui tunc mammam nudant, quando errorem suum publicè prædicant. Tunc catulos lactant, quando malè sequaces paruulorum animæ, dum peruersa insinuant, ad impietatem nutriendo confirmant. Huic sensui Ioannes in libro Apocalypsis concordat, dicens. *Et*

E *vidi aliam bestiam ascendentem de terra, & habebat cornua duo Agni similia, & loquebatur, quasi draco: & omnem* (*Apoc. 13. 11.*) *potestatem prioris bestiæ faciebat in conspectu eius: & facit terram; & eos, qui inhabitant eam, adorare bestiam illam priorem, cuius curata est plaga mortis eius: & facit signa magna, vt ignem faciat de cælo descendere in terram in conspectu hominum, & seducit eos, qui in terra inhabitant per hæc signa, quæ data sunt ei facere simulacrum bestiæ, vt occidantur. Et facit omnes minimos & magnos, & diuites & pauperes, & liberos, & seruos, vt dent eis notam super manum eorum dexteram, aut super frontē eorum: vt ne quis possit vendere, aut emere, nisi qui habuerit notam aut nomen bestiæ, aut numerum nominis eius.*

Hoc totum quamquam corporaliter Antichristi tempore factum erit, tamen in Ecclesia spiritualiter ho-

die

Apoc. 13. 11. *Beſtia.* dicſit. Nam quod dixit: *Vidi aliam beſtiam aſcendentem de terra*, duas inſinuat beſtias eſſe. Beſtia enim à *baſtando* nomen habet. Non enim herbis, ſed carne paſcitur. Aliam beſtiam dixit: ſed pro officio; pro actione: ſed tamen vna beſtia eſt: quia totum corpus diaboli vnum corpus eſt. Beſtia enim omnis omnino populus eſt, tam pagani, quam mali Chriſtiani, qui Chriſti Eccleſiæ aduerſantur. Nam pagani aperta fronte recedunt à Chriſto: Chriſtiani vero ſiue boni, ſiue mali, vna Eccleſia nuncupantur. Sed ipſa, quæ vna videtur Eccleſia, tres partes ſunt, id eſt, vna pars ipſa Eccleſia, quę imitatur Chriſtum: Cæteræ duæ partes ſunt, quæ contra ipſam Eccleſiam pugnant: Id eſt, hæretici, & Chriſtiani mali. Diabolus enim, qui draco dicitur, caput eſt his tribus partibus, id eſt, incredulis, & paganis, & Chriſtianis malis atque hæreticis. Nam ſicut incredulus, paganus, ſiue Iudæus, fide recedit à Chriſto: ſic Chriſtianus malus opere à Chriſto. Quia ſicut ille publicè negat Chriſtum eſſe Deum: ſic iſte publicè facit opera mala, quæ non placent Chriſto. Et cum vna pars fide recedit, altera opere, vtraque ab vero Chriſto ſeparatur. Et quia à Chriſto ſeparantur, vnum corpus capitis diaboli efficiuntur: & cum vnum corpus efficitur, vna beſtia dicitur.

Tertia pars eſt de Antichriſti corpore, id eſt, hæretici, quæ longe ab illa beſtia diſtant in religione. Illi adulteri ſunt: iſti virginitatem, & caſtitatem ſimulant. Illi rapaces ſunt, iſti ſua propria largiri ſimulant. Illi in comeſſatione & ebrietate publicè vitam ducunt: iſti ieiuniis, & orationibus ſemetipſos affligunt. Illi intus, & foris lupi ſunt: iſti de foris agni, & intus lupi ſunt. Hos habet diabolus prophetas ſuos, quos conſtituit in Eccleſia de corpore ſuo: hos habet ſub nomine Chriſti, qui Chriſtũ prædicari ſimulent, & corpus diaboli fiant: qui mediatorem non habet diabolus, quibus modis de Eccleſia decipere poſſit: niſi tantum iſtos prophetas ſuos falſos, qui Chriſtum publicè laudant, & publicè prædicant, & eum ſub nomine Chriſtianitatis Deum eſſe negãt. Quos Dominus in Euangelio *Pſeudochriſtos, & Pſeudoprophetas* appellat. *Pſeudo* dicuntur, quia à ſe ſurgunt in doctrina, *Matt. 24. 24.* & prædicatorum ſibi nomen aſſumunt, & ea fingunt de Chriſto, quæ à ſe didicerunt, non à Chriſto. *Marc. 13. 22.* Ipſi ſe præferunt Apoſtolis Chriſti, quos non approbauit Eccleſia, & elegit in Apoſtolatum, ſed tantum ipſi ſe, & fauor temporalis humanus. Quia cum audiunt ſe laudari à carnalibus hominibus, æſtimant ſe, quod eos tales habeat intus Deus. Pro quibus Dominus in Apocalypſi Eccleſiam ſuam ammonet, dicens: *Apoc. 2. 2.* *Scio opera tua, & laborem, & patientiam, & quia non potes portare malos, & tentaſti eos, qui ſe dicunt Apoſtolos eſſe, & non ſunt, & inueniſti eos mendaces, & patientiam habes, & ſuſtinuiſti propter nomen meum, & non defeciſti.* Hoc de ipſis hæreticis, falſis Apoſtolis, *Pſeudochriſtis* dictis dictum accepimus ſine dubio. Quia ipſi ſe doctores aſſeruerunt veritatis, & ſunt auctores praui mendacij. Bonos ſe proteſtantur: ſed ipſi deteriores dæmoniis comprobantur. Sed mendaciũ eorum, & peruerſitatem Catholica fides inuenit: & per tolerantiam multa ſibimet inlata ab ipſis ſuſtinuit. *Tentaſti*, inquit, *eos*. Non tentantur, niſi qui intus ſunt in Eccleſia. Qui.n. foris ſunt, ſine vllo tentamento foris eſſe manifeſti ſunt, nec eos tentare opus eſt. Intus tentatur Eccleſia, quia intus Eccleſia eſt hæretica prauitas, à qua vaſtatur Eccleſia: ſicut de ea Dominus in hoc libro dicit: *Apoc. 2. 13.* *Scio vbi habitas, vbi ſedes eſt Satanæ*. Sedes Satanæ ipſi Pſeudoapoſtoli ſunt, in quibus ſedet in Eccleſia Chriſti. & Chriſtus per ora illorum prædicatur, & tamen Chriſtus de eis non loquitur: & Apoſtolos Chriſti ſe dicunt eſſe & Apoſtoli non ſunt, ſed deceptores Eccleſiæ ſunt, quia non imitantur Apoſtolos Chriſti, quorum ſibi nomen falſitatis impoſuerunt.

2. Cor. 11. 3. Proinde Apoſtolus ad Corinthios dicit: *Timeo autem, ne ſicut ſerpens Euam decepit aſtutia ſua: ita corrumpantur ſenſus veſtri, vt excidant à ſimplicitate, & caſtitate, quæ eſt in Chriſto Ieſu. Nam ſi is, qui venit ad vos, & alium Chriſtum prædicat, quem non prædicauimus vobis: aut ſi alium Chriſtum accepiſtis, quem non accepimus: aut † aliud Euangelium, † quem non recepiſtis, rectè pateremini. Exiſtimo.n. nihil minus feciſſe me in vobis à magnis Apoſtolis. Etſi imperitus ſermone, non tamen ſcientia.* († aliud. † quod.) Item ibi contra ipſos falſos Apoſtolos dicit: *Ibidem. verſ. 12.* *Quod autem facio, & faciam, vt amputem occaſionem eorum, qui volunt occaſionem: vt qui gloriantur, tales inueniantur, ſicut & nos. Nam eiuſmodi Pſeudoapoſtoli operarij ſubdoli transfigurantes ſe in Apoſtolos Chriſti, & non miſſos. Ipſe enim ſatanas transfigurat ſe in angelum lucis. Non eſt ergo magnum, ſi miniſtri eius transfigurentur velut miniſtri iuſtitiæ: quorum finis eſt ſecundum opera ipſorum.*

Rectè ergo hi Pſeudochriſti tertia pars corporis eſt Antichriſti, quæ alia dicitur beſtia. Quæ alia non diceretur, ſi apertè mala fuiſſent, aut intra Eccleſiam non fuiſſent, aut ſanctitatem religionis ſimulaſſent. Proinde dixit: *Apoc. 13. 11.* *Et vidi aliã beſtiã aſcendentem de terra: & habebat cornua duo agni ſimilia: & loquebatur, quaſi draco: & omnẽ poteſtatẽ prioris beſtiæ faciebat.* Id eſt, prioris populi, & diaboli, quem ſupra diximus, quia totum in corpore vna beſtia eſt: ſed in actionis officio bipartita. *Et illam vidit aſcendere de mari: iſtam verò de terra.* *Apoc. 13. & 13. 11.* Sed aliud agit mare, aliud terra. Nam mare fluctuat: terra veró quieta eſt. Mare.n. intelligitur populus iſtius ſæculi apertè malus. Terra vero religio eſt falſa, & hæretica prauitas, qui ſub nomine ſanctitatis non videntur in ſæculo fluctuare: ſed quaſi quietẽ ſe agere, pro quo poſſint Eccleſiam ſimulare. Illam vidit aſcendere beſtiam de mare. Id eſt, populũ naſci de populo: quia ſemper fuit malus populus. Et ſẽper naſcitur malus, qui ſemper dicitur beſtia. Sic & aliam beſtiam vidit aſcendere de terra: non deſcendere de cœlo. Nam Hieruſalem cœleſtis ſemper de cœlo in terram deſcendet: quia filij ſui ſemper in humilitate naſcuntur. Pſeudo vero propheta de terra aſcendet, quia ſemper de terreno genere gloriatur. De terra quippe aſcendere eſt, de terrena gloria eleuari & ſanctitate fulciri. Proinde & beſtia eſt, *& duo cornua Agni ſimilia habet*: Id eſt, duo teſtamenta Legis & Euangelij, per quæ prophetare ſe ſimulat, vt inter ſuos Agnum ſe proferat. *Ibidem. verſ. 11.*

Et loquebatur quaſi draco. *Ibidem.* Hæc eſt illa ſeductio ad Deum Agnum ſe profert, quod draconis venena latenter inferat. Agni enim ſimilis non eſſet, ſi apertè, vt draco loqueretur. Nunc agnum ſe fingit, quo agnum ſecurum † deuoret. († F. deuoret.) Ad Deum loquitur, ſed mendacium, quem ſibi fingit, non ea ratione, ſicut ſcriptura dicit. Ad Deum loquitur, per quod eum quærentes, à veritate auertat. *Hic facturus eſt ſigna in conſpectu hominum*, vt & mortui videantur ſurgere. *Apoc. 13. 13.* Id eſt, per eius prædicationem, quaſi multi videantur conuertere, & à mortis opere reſurgere: ſed tantum in conſpectu hominum illa reſurrectio videtur. Nam nullus hæreticorum filius ad fructum boni operis perducitur, qui eos fuerit imitatus. Terrena enim ſapientia illorum eſt, non cœleſtis; & terræ filios generat: cum ſemen cœleſte Euangelij in ſenſu carnali, terreno ſenſu aſpergunt. Propterea Dominus admonet Eccleſiam ſuam, dicens: *Matt. 7. 15.* *Cauete à Pſeudoprophetis, qui veniunt ad vos in veſtitu ouium, intrinſecus autem ſunt lupi rapaces.* Lupi quid ſignificare videantur, debemus aduertere. Beſtiæ namque ſunt, qui inſidiantur ouibus, quæ circa paſtorales verſantur caulas, habitacula domorum intrare non audent. Somnium canum, abſentiam aut pigritiam paſtoris explorant. Ouium guttur inuadunt, vt cito ſtrangulent. Feri, rapaces, item que natura corporis rigidioris, vt ſe facile non poſſint inflectere impetu quodam ſuo ferantur; & ideo ſepalliantur. Tunc præterea, ſi quem priores hominem viderint, vocem eius quadam naturæ vi feruntur eripere. Si autem homo prius eos viderit, exagitaſſe memorantur. Et ideo cauendum mihi eſt, ne ſi in hodierno tractatu, ſpiritualium myſteriorum gratia non potuerit refulgere, lupi me prios vidiſſe credantur: & ſolemne vocis extorſiſſe auxilium.

Nonne lupi estis isti, qui insidiantur ouibus Christi? Fremunt circa caulas nocturno magis tempore, quàm diurno. Nocturno, quia inter ignorantes prædicant: quod per diem facere non possunt: quia à sapientibus deprehenduntur. Nox ignorantia est: † dies sapientia. Semper enim perfidis nox est, qui lucem Christi, suis nebulosis interpretationibus obducere, & quantum in ipsis est fuscare conantur. Versantur ergo circa caulas, id est, circa septem Ecclesias. Stabula tamen Christi intrare non audent, id est, in Ecclesiam, quæ lux est, intrare non præsumunt. Et ideo non sanantur, quia in stabulum suum non vult Christus eos inducere, in quo curatus est ille, qui *de Hierusalē descendens, incidit in latrones,*
Luc. 10. 30. *quem vulneribus alligatis infuso oleo, & vino, imponens in iumentum suum Samaritanus ille*, id est, Christus in corpore suo, *duxit in stabulum*: & sanandum stabulario, id est, Episcopo sancto, dereliquit. Non accipiunt ergo medicinam, qui medicum non requirunt. Si enim requirerent, non aperte detraherent. Explorant pastoris absentiam: & ideo pastores Ecclesiarum vel occidere, vel in exilium mittere contendunt: quia præsantibus pastoribus, oues Christi † desosare non possunt. Spoliare ergo gregem Domini rapto pastore conantur: qui corporea,
† deuorare. atque carnea, † quia non spiritualia mentis intentione:
† F. deest; sapiunt. vel quid simile. sed duri, ac rigidi nequaquam solent à suo errore deflectere. Et ideo Apostolus ait: *Hæreticum hominem post vnam correptionem deuita, sciens, quia subuersus est*, qui eiusmodi est. Hos scripturarum verus interpres includit,
Tit. 3. 10. vt inanes suos in vanum effundant impetus, & nocere non possint. Quod si quempiam versuta disputationis suæ circumscriptione præuenerint, faciunt obmutescere. Mutus est enim, qui verbum Dei non eadem, qua est gloria confitetur. Caue ergo ne tibi vocem tollat hæreticus, si prior eum non ipse deprehenderis. † Scripsit e-
† F. serpsit vel serpit. nim, dum latet eius perfidia. Si autem fraudem eius impietatis agnoueris, iacturam piæ vocis timere non poteris. Caue igitur versuta disputationis venena. Animam petunt, guttur inuadunt, vitalibus vulnus infligunt. Graues sunt morsus hæreticorum. Qui etiam ipsis bestiis grauiores, & rapaciores nullum auaritiæ finem, impietatisque nouerunt.

Nec vos moueat, quòd formam videntur prætendere humanam. Etsi foris homo videtur, intus bestia fremit.
Matt. 7. 20. *Ex fructibus enim eorum cognoscetis eos.* Si quis ergo specie mouetur, fructum interroget. Vlulat iste, scripturas non tractat: quia vocis auctorem negat. Iste est, qui cum discipulus cupiebat esse, & non simpliciter, sed fraudulenter Domino ait: *Magister, sequar te quocumque ieris.*
Matt. 8. 20. Luc. 9. 58. *Ad quem Dominus dixit: Vulpes foueas habent, & aues cæli nidos, vbi requiescant: filius autem hominis non habet, vbi caput suum reclinet.* Videbat enim mētem eius more vulpium tortuosam, & volucres, id est, dæmones in eo demorantes: sed Dominus non obsequiorum speciem, sed puritatem requirit mentis. Denique sic ait, cum paruulum in medio statuit: *Quicumque receperit puerum istum*
Luc. 9. 48. *in nomine meo me recipit. Et qui me recipit, recipit eū, qui me misit.* Qui enim imitatorem Christi recipit, Christum recipit. Et qui imaginem Dei recipit, recipit Deum. Caput enim Christi Deus est, id est, Diuinitas eius, qui in tortuosa mente non habitat. Proinde quantum potest homo sinceram exhibeat fidem: & obseruantiam mandatorum religiosa mente custodiat: ne dicatur ei: *Vulpes*
Matt. 8. 20. Luc. 9. 58. *foueas habent & volucres cæli nidos, filius autem hominis non habet vbi caput suū reclinet.* Vulpecula enim fallax est, & insidiis semper intenta, vt rapinā fraudis exerceat: nihil tutum, nihil ociosum, nihil patitur esse secutū, quod inter ipsa hospitia hominum prædam requirat, in fouea semper latere desiderans. Ita sunt hæretici, qui domum sibi parare non sciunt: sed circumscriptionibus suis alios decipere conantur. Qui simplicitatem habet, semper domum habitat, quia semper in charitate est. Hæreticus verò in fouea est, tanquam fraudulenta vulpes: quia

A nunquam est in puritate mentis, & ideo fraudulenta vulpes est, gallinæ illi Euangelicæ dolum semper intendens. Nam de ea Dominus dicit: *Quoties volui cōgregare filios* Luc. 13. 34.
tuos, sicut gallina pullos suos, & noluisti. Ecce relinquetur domus vestra deserta. Vult Dominus hæreticorum filios cōgregare si ad vnitatem fidei venirent, sed non congregat, quia inter se dissidentes diuersa sentiendo non concordant. De quibus per Psalmistam dicitur: *Effusa est cō-* Psal. 106. 40.
tentio super principes eorum, & reduxit eos in inuio & non in via. Ipsi etenim dum dispensationem Domini peruersè interpretari non metuunt, profecto plebes subditas non ea via, quæ Christus est, sed in inuium trahunt. Super quos rectè quoque effusa contentio dicitur, quia suis sibi vicissim allegationibus contradicunt.

B Arius quippe tres personas in diuinitate suscipiens, tres etiam Deos credidit. Quem contra Sabellius vnum Deum suscipiens, vnam credidit esse personam. Inter quos sancta Ecclesia rectum prædicationis suæ tramitem indeclinabiliter tenens, & vnum Deum prædicans, tres personas contra Sabellium asserit. Et tres personas asserens, vnum Deum contra Arium confitetur.

Elipandus Toletanæ sedis Episcopus, nescio qua commixtionis vertigine, tres personas in vna natura Deitatis confundit: & Christum de Virgine natum, non Deum, sed tantum hominem credit.

Manichæus autem, qui in sacro eloquio virginitatem laudari cognouit, coniugium damnauit.

At contra Iouinianus, qui concedi coniugia comperit virginitatis mundinam despexit. Vnde fit, vt semper
C hæreticis peruersa intelligentia confusis, vicissim sibi eorum nequitia & in culpa concordet, & in sententiā discrepet.

At contrà sancta Ecclesia per medias vtrarumque partium lites ordinata pace graditur. Et sicut superiora suscipere, ita nouerit etiam & inferiora venerari: Quatenus nec summa æqualem ponat infimis: nec iterum infima despiciat, cum summa veneratur. Non possunt ergo hæretici in vnum copulari, qui more vulpium inter se dissentientes, diuersas sibi fodiunt foueas, qui vnam domum Ecclesiam, quam habuerunt, perdiderunt. Hoc enim animal nec mansuescit aliquando, neque vllo vsui, aut cibo vtile est. Sic hæretici, nec mansuescunt aliquan-
D do, nec cibo Domini connectuntur. Non enim de his dicit Christus: *Meus cibus est, vt faciam voluntatē Patris mei,* Ioan. 4. 34.
qui in cælis est. Quas vulpes in Canticis Canticorum fratribus suis Dominus ligare mandat, cum dicit: *Capite* Cāt. 2. 15.
nobis vulpes paruulas, quæ demoliuntur vineas: nam vinea nostra floruit. Dicit per parabolā in Euangelio Dominus, *cū creuissent herba, & fructum fecissent: tunc apparuerunt* Matt. 13. 26.
zizania, id est, proficiente Ecclesia, numerosæ etiam hæreses surrexerunt: sed Ecclesia in fide permanente, quam praua sentirent inuestigatæ sunt hæreses. Sic ille Samson, qui interpretatur sol, captis trecentis vulpibus, eo- Iud. 15. 5.
rum caudis ignem apposuit, & fructum inimicorum incendit. Semper enim hæretici in primordio conuersio-
E nis suæ, velut falsa religione conspiciuntur: in extremis suis cum cœperint prædicare, tanquam in cauda ignem trahunt gehennæ incendio deputati. Et ideo cum Dominus dicit: *Capite nobis vulpes*: ac si dicat: conuincite hæ- Cāt. 2. 15.
reticos, eorumque versutiam, sanctarum scripturarum concludite testimoniis. Quas *vulpes paruulas* dicit: quia nihil magni, secundum rectam fidem intelligendo, omne quod sapiunt minimum est. *Demoliuntur vineas*, quia subuertunt plebes, prauis eas traditionibus corrumpentes. *Nam vinea nostra floruit*; id est, Ecclesia Catholica indeclinabili augmento profecit.

Bene ergo scriptura sancta hæreticos homines in vno corpore bestiam dicit: quia hoc, quod legendo profert imperitis, quasi ab obtentu rationis incipit. Sed quia hoc, quod legit, non intelligit, semper tamen ad irrationabilem sensum tendit: & quasi homo in bestiam

desinit,

desioit, dom sensut ipsios scripturæ ad intellectum malæ credulitatis exponit. Quod bene hæc bestia duo cornua agni similia habere dicitur: quia simplicitatem agni in exteriore demonstrat homine; & duo testamenta Legis, & Euangelij vnum se nobiscum Christum simulaut prædicare. Sed audi quid de eo Ioannes dicat: (Apoc. 13. 11.) *Et loquebatur, vt draco: & omnem potestatē prioris bestiæ faciebat in conspectu eius: & facit terram, & eos, qui in ea habitant adorare bestiam illam priorem, cuius curata erat plaga mortis eius.* Draco enim, vt diximus, diabolus dicitur. Sic enim draco diabolus, loquendo, & noua falsa promittendo decepit hominem in paradiso: sic & hæreticus, qui bestia dicitur, loquitur quasi draco; id est, quasi diabolus in paradiso. Nam paradisus nuoc Ecclesia est. B Sedocitur aotem verbis huius serpentis carnalis nostra concopiscentia, & per illam seducitur Adam, oon Christus, sed Christianus. Dicit ergo draco ille diabolus ad mulierem: (Gen. 3. 1.) *Cur pracepit vobis Dominus, vt non comederetis ex omni ligno paradisi?* Sic hæreticorum curiosa cupiditas: sic parui prædicatores ad diligendam erroris falladiam, auditorum corda succendunt, quæ io typo mulieris ponuotur, dicentes eis: Quare fugiis scientiā n habere latentem, & absconsam? Nouam superexquirite, & mali scientiam penetrate.

Vnde apud Salomonem mulier illa hæreticorū speciem tenens dicit: (Prou. 9. 17.) *Aqua furtiua dulciores sunt, & panis abscōditus suauis.* Subiecit deinde idem draco: (Gen. 3. 5.) *Quocunque die comedoritis statim aperientur oculi vestri, & eritis sicut dij scientes bonum, & malum.* C Sic & omnes generaliter hæretici loqoūtur quasi draco, cum diuinitatis meritum profitentur, atque scientiæ promissione decipiūt: & reprehenderunt eos, quos simpliciter credentes inuenerūt. Et quia omnino carnalia persuadent, quasi ad carnaliū oculorum adapertionem conantur abducere, vt interior oculus excæcetur. Hæc est illa locutio hæretici, (Apoc. 13.) *qui loquitur, quasi draco: & omnem potestatem prioris bestiæ facit*, id est, totius corporis diaboli, hoc est, malorū hominū, quem priorem bestiā dicit sicut ait: (Ibid. 1. 12.) *Et facit terrā, & eos, qui inhabitant in ea, adorare bestiam illam priorē, cuius curata est plaga mortis eius.* D Et quia ipsa bestia, quā priorem dixi habere eam capita septem, & cornua decom: *Vnum ex capitib. eius vidit quasi occisum in mortem: & plaga mortis eius curata est.* Ipsum caput bestiæ velot occisum, ipsum est omne corpos hæreticorū, qoi prædicāt Christum crucifixum; & similant se cum duob. cornib. agnum: sed tamen vt draco loquuntur: quia omnē potestatem prioris bestiæ faciunt. Decē cornua, quod dicit, bestiæ, decem reges esse futuros in fine mundi scriptura commemorat: in quos Antichristus vndecimus, tribus regibos occisis, cum septem erit regnaturus: quos nunc septem capita nominat. Septimum ergo caput bestiæ quasi occisum in morte hæretici sunt, qui Christum quasi agnom occisum cum Ioanne prædicant: & eum filium Dei Deum esse negant, dicentes: Non per istū agnum facta sunt visibilia, & inuisibilia: quem Ioannes digito ostendit: (Ioan. 1. 29.) *Ecce agnus Dei. Ecce qui tollit peccata mundi.* E Qui enim hæc dicit, bestia est vnum ex capitibus bestiæ, & non occisum, vt agnus noster Christus, sed tanquam occisus de furto imitationis Christi, & loquitur. quasi draco: & omnem potestatem prioris bestiæ facit. (hoc.) Quia † hunc simulacrom diabolus sibi adinuenit, vt sub nomine religionis non solum carnales, sed etiam religiosos decipiat. Ideo *hoc caput* dicit: (Apoc. 5. 6.) *quasi occisum in morte & plaga mortis eius curata*, id est, quasi Christum crucifixum sequātur. Simulacrum diaboli, ideo dicitur, quia cum intus sit bestia, foris se agnum esse mentitur, ad similitudinem agni, quod est Christus. Nam Ecclesia dicit de Christo: *Vidi agnum quasi occisum* Et propter sepsiformem gratiæ spiritum, ex quo septem Ecclesiæ fiūt per dona gratiarum, quę vna Ecclesia, est quæ integrum corpus est Christi, dicit: (Ibid.) *Habentem cornua septem & oculos septem qui sunt septem spiritus Dei, missi per orbem terrarum.* Quia Ecclesia, quę Spiritus sancti accepit gratiā,

A in vniuersum orbem terrarum est constituta.

De eopore vero diaboli longè aliter dicit Ecclesia: Nec agnum nominat eorpus diaboli, nec cornua septem: sed dicit; (Apoc. 13. 1.) *capita septem & cornua decem.* Nam agnus noster vnum caput habet: quia vnus est Deus. Capur enim Christi Deus. De diaboli verò corpore dicit: *Et vidi descendentem bestiam de mari habentem cornua decem, & capita septem: & super capita eius decem diademata: & super capita eius nomen blasphemia.* (Ibid) *Et bestia, quam vidi, similis erat pardo: & pedes eius sicut vrsi: & os eius, sicut Leonis Et dedit ei draco virtutem suam, & sedem suam. Et vidi vnum ex capitibus eius, quasi occisum in morte: & plaga mortis eius cura est, &* B *mirata est omnis terra secuta bestiam: & adorauerunt draconem, quoniam dedit potestatem bestia. Et adorauerunt bestiam dicentes: Quis similis bestiæ? aut quis poterit pugnare cum ea? Et datum est ei loqui magnam blasphemiam.* Hoc totum figuraliter intelligendum est in Ecclesia: non sicut auditur. Nam Agnus, & bestia, sicut inuicem sibi contrarij sunt per naturam: ita allegoricè intelligendi sunt per figuram. Hic tantum duæ partes intelligendæ, id est, Christus, & corpus eius: & diabolus, & corpus eius. Quæ totum corpus diaboli, quo facilius possit spiritualiter ab Ecclesia deprehendi, omnia membra diaboli in vna bestia conclusit. *Hac bestia in Daniele terribilis dicitur esse cateris bestiis, id est*, Leoni, pardo, (Dan. 7. 19.) & vrso dissimilis dicitur: & cuius nomine bestiæ non- C cupetur, non habet. Sed tantum dissimilis cæteris bestiis, & terribilis oominatur. Sed vide qoantum est fortis, terribilis in terrenis, cum dicat terra, id est, terreni. *Quis similis bestia, & quis poterit pugnare cum ea? Terribilis cateris bestiis dicitur, & dissimilis:* (Apoc. 13. 4.) Sed agnus adueniens aduersus eam in certamine surrexit, & moriens prædam excussit. (Dan. 7. 6.) Excutiunt & hudie agni pretioso sanguine redempti, agni incontaminati, & immaculati Christi: per illum agnum, quem Deus suscitauit à mortuis. Et hic agnus, & bestia contrarij sibi sunt in Ecclesia. Bestiæ autem, quæ contraria est agno, non speciale, sed generale nomen est, & quod multas habeat D partes, quæ septem capitibus distinctis scribitur: Sed in narratione pro locis intelligendom est, qualem partem bestiæ dicat, quæ septem capitibus ex vno corpore constat. Aliquando enim diabolum dicit bestiam: aliquando infideles, id est, sine Baptismo. Aliqoando Christianoos malos, id est, vulgarem plebem intra Ecclesiam, qui tantum nomine Christiani sunt, operibus verò bestiæ sunt. Aliquando principes malos. Aliquando hæreticos, quia malè sentiunt, & malè prædicant de Christo, Aliquando hypocritas, qui simulant sanctitatem, & nec dicunt de Christo, nec scire volunt, quid dicant, vel credere debeant. Aliquando enim schismaticos dicit, qui rectè credunt, & rectè prædicaot Christum: sed scissi sunt ab vnitate Ecclesiæ, non corpore sed animo. Schisma enim à scissura animarum vocatū est. Eodem enim cultu, eodem ritu credit, vt cæteri religiosi, sed solo con- E gregationis delectator dissidio, vt eom cęteris communi nullo fulciatur coosilio: & totum quod sibi agere videtur sanctum in soo corde esse putatur. Fit autem schisma, cum dicunt homines; Iusti sumus: nos sanctificamus in mundo, & cætera his similia. Hoc totum per singula officia vnius bestiæ describuntur capita. Capita dicuntur, quia vnusquisque seqoitor suæ voluntatis arbitrium. Sola Ecclesia agit com coosilio, oe pœniteat, post factum.

Ouod vt testimoniis approbemus, ex multis vnom Pauli Apostoli proferamus exemplum. Qoi ne fortè in vacuum curreret, aut cucurrisset, primum Apostolorum requisiuit Petrum. Per hoc exemplum proficit Ecclesia, quæ est summi capitis membrum. Quæ omnis Christianitas vna videtur Ecclesia. Et multi toto mentis ardore bene se laborare putant: sed incertum est vtrum Deo placeant. Vnus ager est, sed dormiente Patrefamilias *inimicus homo zizania superseminauit.* (Math. 13. 25.) Ad quā eradi-

candam, cum discipuli ite se proponerent, Dominos noster prohibuit, sibi reseruans palearum, & frumenti separationē. *Hæc sunt vasa iræ, & vasa misericordiæ*, quę in domo Dei ab Apostolo prædicantur. Veniet ergo dies, quādo thesauro Ecclesiæ aperto proferet Dominus vasa iræ suæ, quibus exeuntibus sancti dicent. *Ex nobis exierunt: sed non fuerunt ex nobis. Si enim fuissent ex nobis permansissent vtique nobiscum.* Nemo potest Christi victoriam sibi assumere, nemo ante iudicij diē de hominib. iudicare. Si iam mundata est Ecclesia, quid Domino, reseruamus? *Est via, quæ videtur esse apud homines recta: nouissima autem eius veniūt in profundum inferni.* In hoc errore iudicij, quæ potest esse certa sententia? Proinde, quia nō est certa sentētia, debet† charitas vna. Sed ea ipsa charitas non poterit esse certa, si fides fuerit incerta. Proinde communiter omnis Ecclesia perquirere debet fidem veram, & omnibus modis euitare hæreticorum venena. Non enim sine ratione caput huius bestiæ velut occisum scribitur. Bestia itaque, quam dicit, intelligit diabolum, & Christum personā non habet: quia in solo est vocabulo, quod dicunt se adorare Christū, qui mortuus est, & resurrexit. Hæc bestia cum duobus cornib. ipsa est hæreticorum pars cum omnibus sibi consentientibus, tam fide, quam opere: Quę caput dicitur velut occisum, id est, fallaciter Christianum. In quo vocabulo diabolum adorant, qui hoc simulacrum suis adiungunt, vt sub nomine Christianitatis maximam partem ab Ecclesia excludat, & capiti suo diabolo coniungat. Et ille habeat corpus, cum quo se, & illud ad inferorū tartara * tradat. Nus adoramus agnum, qui occisus est, & resurrexit. Ille adorant bestiam, quæ se habet in huiusmodi similitudinem. Tres itaque sunt. i. diabolus, & populus, & bestia velut occisa, quæ est mediator, in quibus Christus resonat. Et quia ex parte Christum adorant, & ex parte bestiam, quando mediam bestiam dicit adorari, in diabolum res cadit, qui suum, & hæreticorum locum implet, per quorum os loquitur in Ecclesia.

Dicit *super decem cornua decē diademata*, hoc est, quod reges suos tam viuos, quam mortuos laudant, & veluti in cælum, atque inter Sanctos translatos esse existimār. Numen verò blasphemiæ, quod super septem capita vidit, hoc est, quod se Ecclesiam dicunt, & Ecclesiam persequuntur. Draco est serpentis operatio. Rursus, carnis habitaculum, quia draco ipse carnis habitatio est. Decem cornua draconis, virtutes legis alienæ. Draco verò ille magnus serpens antiquus, qui vocatur diabolus, & satanas. Ideo dicitur draco, quia terret Magnus, quia potens videtur, & exaltat in spiritu Serpens, quia non deprehenditur: Sed inreprehensibiliter serpit, & fallit. Antiquus ideo vocatur, quia & à principio cæpit, & veteris hominis accepit potestatem.

Diabolus ideo vocatur, quia cōsiliator sibi videtur, & sapit. Et postquam persuasefit hominem tanquam non suæ persuasionis, sed nostri potius admissi criminator apparet. Pardus, quia varietatem & fallaciam deceptionis ostendit. Vrsus, quia rapina sensuum & operum malignorum est. Leo verò, quia superbiæ, atque erroris est forma. *Dedit draco bestiæ virtutem suam, & sedem suam:* quia totra Ecclesia sunt hæretici, qui Ecclesia videntur esse, & Ecclesia non sunt. Et per eos diabolus loquitur, quos in ecclesia decipere vult. *Et adorauerunt bestiā dicētes: Quis similis bestiæ? aut quis poterit pugnare cum ea?* illi hoc taliter non dicūt. Sed dicūt: Quis similis Christo? aut quis illum poterit vincere? Lingua Christū profitentur, sed factis bestiā sequuntur. *Et facit signa magna: vt & ignem faciat de cælo descendere in terrā in conspectu hominum.* Ignis Spiritus S. est: cælū Ecclesia est: terra ipsi sunt, quos baptizant, & cæteros Ecclesiasticos ordines dicit, quæ per ipsos fiant in Ecclesia, per quę Sacramēta ab illis tenetur Ecclesia captiua. Sacramentū Baptismatis nō solū intra ecclesiam Catholicā, sed etiam apud hæreticos, qui in nomine Patris, & Filij & Spiritus sancti baptizaut, esse quidem baptisma posse, sed extra Ecclesiam

Catholicam prodesse non posse: Immo sicut intra Ecclesiam rectè credentibus per sacramentum Baptismi confert salutem: sic extra Ecclesiam baptizati, si ad Ecclesiam non redierint, eodem Baptismate cumulantur sibi perniciem & confusionem. Tantū enim valet Ecclesiasticæ societatis vnitas ad salutem baptismi, vt non saluetur, cui non intra Ecclesiam datur. vbi oportet, vt detur. Inesse tamen homini Baptismum etiam extra Ecclesiam baptizato, sed maxime ad dānationem ab Ecclesia separato. Sed quia manifestum est, vbicumq; datū fuerit hoc baptisma, semel esse dandum, ideo etsi ab hæreticis in nomine Patris, & Filij & Spiritus sancti datum fuerit, venerabiliter agnoscendum, & ab hoc nullatenus iterandum, † et quia omnis Christianitas Ecclesiæ nomē ha- *est.* bet, & infideles, qui non sunt baptizati, extra Ecclesiā dicuntur, putant se cum audiunt extra Ecclesiam dici baptizatos, quod pro infidelib dicatur. Non. n. ita intelligendū est, vt tantum duas partes credamus hominum. Id est, vnam partē baptizatorum, quæ sit Ecclesia: & alterā infidelium, quæ sit extra Ecclesiā: non enim infideles Baptismum habent, qui non credunt Christum esse filium Dei: sed tantum Christiani habent Baptismum. Et ipsa Christianitas, quæ baptizata est, altera pars est, quæ intra ecclesiam est, et illa, quæ foris ecclesia est, in duas partes diuisa est; Id est, in sacerdotes hereticos, & in laicos apertè malos. Illa pars, quæ ecclesia dicitur, sancti & fideles sunt, qui pro Christo omnia sua reliquerunt: cui dictum est in die iudicij: *Vos qui dimisistis omnia vestra & secuti estis me, in regeneratione cum sederit filius hominis in sede maiestatis suæ, sedebitis & vos super sedes duodecim, iudicātes duodecim tribus Israel.* Duodecim sedes dicit, quia omnino ecclesia, quæ est Christi sanguine passioni tincta, in duodenario Apostolorū numero est constructa. Nā sic sunt duodecim Apostoli in Christo, sicut duodecim horæ diei in sole. Sol Christus intelligitur, secundū Prophetæ dictum: *Vobis, qui timetis Dominum, orietur sol iustitiæ.* et tantum ipsis Christianis oritur, qui timēt Christum. i. qui credunt in Christum, & imitātur vestigia eius. In tantū vt in isto die possint ambulare. et sicut sol facit duodecim horas diei, & non faciunt solē: sic Christus fecit, & elegit duodecim Apostolos: & duodecim Apostoli non fecerunt, nec elegerunt Christum. Sicut ipse Dominus ait: *Non vos me elegistis: sed ego elegi vos.* Nunc verò ipsi sunt filij adoptiui, qui electi sunt, nō ille, qui elegit. et tamē qui elegit, & qui electi sunt. vnus dies est, vnum lumen est. Sol illuminator, & duodecim horæ illominatæ à sole. Sic Christus illuminator, & duodecim Apostoli illuminati à Christo. Christus est caput, & duodecim Apostoli corpus Christi, quod est omnis omnino ecclesia in duodenario numerō Apostolorum constituta. Hic est vnus dies i. vna persona Christus, & ecclesia: qui in hoc die ambulat, ipse ambulat intra ecclesiam. Hos tantum duodecim Apostolos, tanquā duodecim horas diei per vniuersum mūdum misit Christus, vt omnis multitudo credentium in isto solo ambularet die. i. in ista sola ecclesia. Sed nemo credentium ibi potest ingredi, nisi imitatus fuerit Apostolos Christi: et dum imitatus fuerit, fit ipse Apostolus Christi: sicut & Paulus Apostolus dicebat discipulis suis: *Imitatores mei estote, sicut & ego Christi.*

Iam nunc episcopi cathedras tenent duodecim Apostolorum. Similantur Apostolos in fide, & opere, & prædicatione: & ipsi ecclesia sunt, quia in doctrina Apostolorum sunt: & Baptismata, quæ per manus illorum fiunt: ipsi dicuntur baptizati intra ecclesiam, quia meminem baptizant, nisi tantum eos, qui nomen suum dant. Quos etiam instruunt in fide & opere. qualiter credant, & qualiter viuant: ita vt ore proprio profiteātur apostolicum fidei symbolum. *Credere in Deum Patrem omnipotentem. Et in Iesum Christum filium eius vnicum Dnm, & dominum nostrum: qui natus est de Spiritu sancto ex Maria Virgine. Et in Spiritum S. In qua fide baptizati sunt:* & abrenuntiant diabolo, & angelis eius, operibus eius, &

Margin notes (left column): Rom. 9. 22. — 1.Io.2.19. — Prou. 14. 12. — †F. deest. esse. — trahat. — Apoc. 13. — Apoc. 13. 1. — Ibid. — Ap. 13. 4. — Ibi. & 13. — Videtur addēdū: Spiritu S. No. sacris.

Margin notes (right column): Matth. 19. 28. — Mal. 4. — Io. 15. 16. — 1. Cor. 11.

Section letters: A B C D E

& imperiis eius.

Ea ipsis baptizatis alii traduntur scholæ, & offeruntur à parētib. Christo, vt possint futuri esse sacerdotes, & seruiāt Christo. Alij tantū doctrinæ traduntur, vt legant, & cognoscant Christum; & accipiāt cum benedictione intra Ecclesiā vxores, vt seruiant coniugio: quia hoc bonū est, & intra Ecclesiam eius. Sed illud melius est, quod Sacerdotiū est: quod intra Ecclesiā est: & per se Ecclesia est. Sed & ista bona est, quæ nobis martyres & sacerdotes, virgines, & confessores generat, & viuunt coniugati, se-

1. Cor. 7. 25. cundū Apost. Paulū, qui dicit: *De virginib. præceptū Domini non habeo, consilium autem do, tanquam misericordiā consequutus à Domino, vt sim fidelis. Existimo enim hoc bonum esse propter instantem necessitatem: quoniam bonum est homini sic esse. Alligatus es vxori? noli quærere solutionē. Solutus es ab vxore? noli quærere vxorem. Si autem acceperis vxorem, non peccasti. Et si nupsit virgo, non peccauit. Tribulationem autem carnis habebūt huiusmodi. Ego autem vobis parco. Hoc itaque fratres tempus breue est. Reliquum est, vt qui habent vxores sint tāquam non habentes. Et qui flent, tanquam non flentes. Et qui gaudent, tanquā non gaudentes. Et qui vtuntur hoc mundo, tanquam non vtantur. Præterit enim figura huius mundi. Volo autē vos sine sollicitudine esse.* Coniugati, qui hoc præceptum seruant Apostoli, intra Ecclesiam sunt, quia sub disciplina Apostolorum sunt. Si aliquis inter eos deliquerit, sicut ab Ecclesia excommunicatur, ita & ab eis non recipitur. Decimas suas rectè dant Deo. Hospitibus pedes lauant. Pauperibus ministrant, sacerdotibus honorem impendunt: & facultatulam suam cum ipsis communicant: quia eos futuros hæredes habere expectant. Coniugibus suis non propter libidinem, sed propter procreationem filiorum vtuntur: Et cum omnibus hominibus in tanta charitate viuunt, vt monachi esse putentur. Hi intra Ecclesiam sunt. Hi in die iudicij à Domino audituri sunt:

Matth. 25. 34. *Venite benedicti Patris mei, percipite regnum, quod vobis præparatum est ab origine mundi. Esuriui enim, & dedistis mihi manducare, Sitiui, & dedistis mihi bibere. Hospes erā & collegistis me. Nudus & operuistis me. Infirmus & visitastis me. In carcere erā, & venistis ad me. Quia quod vni de his fratrib. meis minimis fecistis, mihi fecistis.* Hi sunt

Matth. 12. 50. fratres Domini, de quib. dicit: *Qui facit voluntatē patris mei qui in cælis est, ille mihi mater, & frater, & soror est.*

Nā si scire vultis, quid est voluntas Patris, nihil aliud

Ioan. 6. 29. inuenire possumus, nisi, *vt credamus in eum, quem misit ille*: Id est, credamus filiū eius Iesum Christum verū esse Deū. Timeamus, adoremus, imitemur, & amemus, quia ipse est verus Deus, & vita æterna: sicut ipse in Euangelio

Ioan. 17. 3. dicit: *Hæc est autem vita æterna, vt cognoscant te verum Deū: & quem misisti Iesum Christum.* Hic est verus Deus, & vita æterna. Ecce Ecclesia quem credit, ad eum tēdit: & quidquid agit, per Ecclesiasticam doctrinam agit: & quidquid petit, in nomine Iesu petit, vt cum Iesu æterni sint, & intra Ecclesiam baptizentur, in cuius pace perseuerant: per quam & salui fiunt. Nam qui cōtra hanc Ecclesiam agit, saluus esse nō potest, nisi ad eam redierit, vt per ipsam saluetur. Omnes intra eā, per eam saluari credo; extra illam, licet quanta bona quis videatur agere, etiamsi pro Christi nomine sanguinem fundat, saluos esse non posent, nisi ad Ecclesiam Catholicam redierit: quæ sola rectè credit Deū: & sola diligit proximum: Sola patitur pro Christo. Sola moritur pro eo. Dominari semper vult vitiis, non fratribus. Quotidie legem Dei adimplet, quia quotidie in charitate est. Et quantum plus intelligit, tātum plus laborat. Cum omnibus patitur, quia cum omnibus tristatur. Hæc illa pars non agit, quam supra diximus, quæ extra Ecclesiam est. Id est, hæretici, & populus eius malus; qui ab eis sacramenta Ecclesiæ accipiunt: & doctrinam salutis, nec ipsi habēt, nec illis proferunt. Corpora sunt, sed non se inuicem diligunt, quia auersionem habēt ab iis, quorum membra sunt. De quibus Paulus Apostolus Thessalonicensibus narrat, cum putarent, quod tempore Pauli esset dies iudicij, eò quod

A eis scripserit: *Nos, qui viuimus, qui relinquimur in aduen-*

1. Thess. 4. 14. *tum Domini, non præueniemus eos, qui antea dormierunt.* Ad hæc illi conturbati, scripsit eis postea, dicēs: *Rogamus*

2. Thess. 2. 1. *autem vos fratres per aduentum Domini N. I. Christi, & nostræ congregationis in ipsum, vt non citò moueamini à vestro sensu, neque terreamini neque per spiritum, neque per sermonem, neque per epistolam tanquam per nos missam quasi instet dies Domini, ne quis vos seducat vllo modo. Quia nisi venerit primum discessio, & reuelatus fuerit homo peccati, filius perditionis, qui aduersatur, & extollitur super omne, quod dicitur Deus, aut colitur: ita vt in templo Dei sedeat, ostendens se tanquam sit Deus. Meminisse debetis, quia ego adhuc, cum apud vos essem, hæc dicebam vobis: & nunc quid detineat scitis, vt reueletur in suo tēpore. Nam mysterium operatur iniquitatis.* Ac si aperte diceret: Tunc Antichristus manifestè videbitur. Nam in cordib. iniquorum, secreta sua iam nunc occultus operatur. Vt

B enim de apertioribus criminibus taceam, illa, quæ sub specie fiunt, dicam: Ecce alius fratri tacitus inuidet: & si occasionem inueniat, eum supplantare contendit: cuius alterius membrum est, nisi eius, de quo scriptum est: *In-*

Sap. 2. 24. *uidia diaboli mors introiuit in orbem terrarum.*

Alius se magni meriti esse existimans, per tumorem cordis cunctis se præferens, omnes sibi inferiores credit, cuius alterius membrum est, nisi eius, de quo scriptum est: *Omne sublime videt: & ipse est rex super omnes filios*

Iob. 41. 25. *superbiæ.* Alius honorē quærit, vt cæteris præsit: nō quòd aliis prosit, sed quod ipse alteri subditus non sit. Cuius alterius mēbrum est, nisi eius, de quo scriptū est, qui dixit: *Sedebo in monte testamenti in lateribus aquilonis, ascendā*

Esa. 14. 14. *super altitudinem nubium, & ero similis Altissimo.* Hanc

C ergo regulam diabolus instituit mēbris suis, quod simulachrum sub nomine Christianitatis in Ecclesia finxit: quæ tamen pars foras Ecclesiam est. Ecclesia dominari non vult, sed seruire. Solus quippe Altissimus ita dominatur super omnia, vt alteri † *sub se* nō possit: quem diabolus imitari peruersè voluit, cum suum † *dominū* quærens ei subesse recusauit. Adipisci voluit omnipoten- [subesse. dominium.] tiam per rapinam, quā Dominus habebat per naturam.

Philip. 2. 6. Proinde *Dominus noster I. Christus, cum esset in forma Dei, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo: sed semetipsum exinaniuit formam serui accipiens, in similitudinem hominum factus: & habitu inuentus, vt homo.* Et vt nobis humilitatis, & charitatis præberet exemplum, non alteros humiliauit, sed semetipsum. Nam cum esset vnigenitus secundum diuinitatis excellentiam, & sine

D fratribus pro nobis etiā factus est primogenitus secundum susceptionē hominis, in qua per adoptionem gratiæ fratres habere dignatus est, quibus esset primogenitus: de quibus ipse per Prophetam dicit: *Ecce quàm bonum, &*

Psal. 132. 1. *quàm iucundum, habitare fratres in vnū.* Fratres hic non corporales dicit, sed fratres spirituales. Fratres, de quibus idem Dominus Patri dicit: *Narrabo nomen tuum fratri-*

Psal. 21. 23. *bus meis.* Fratres, de quibus loquebatur mulieribus: *Ite,*

Matth. 28. 10. *nunciate fratribus meis.* Vere bonū, & vere iucūdum habitare fratres in vnum. Vnum fratrem dimisimus in sæculo: Ecce quantos inuenimus in monasterio. Frater meus sæcularis non tantum me amabat quantum substātiam meam. Cæterum fratres spirituales, qui sua vnque negligunt, aliena non quærunt. Sic & in Actib. Apostolo-

Act. 4. 32. E rum legimus, *quoniam multitudinis credentium erat cor vnum, & anima vna. Et erant*, inquit, *illi omnia communia*, quia communem Christum possidebant.

Colloss. 2. 19. Hanc regulam, quam tenet nunc Ecclesia, ab ipso descendit capite, cuius & corpus est, secundum Apostolum qui dicit: *Ex quo totum corpus per nexus, & coniunctiones subministratum, & constructum crescit in augmentum Dei.* Corpus illius summi capitis Christi, nos omnes fideles eius sumus. Per nexus verò, & coniunctiones corpus ligatur: quia dum capiti pectus, dum pectori brachia, dum brachiis manus, dum manibus digiti sunt coniuncti ac membra cætera membris inhærent, corpus omne perficitur: Sic sancti Apostoli, quia redemptori nostros pro-

pinqui exn terũt, quaſi pectus capiti ioerunt. Quos quia A
martyres ſunt ſecuti, quaſi cõiuncta brachia pecton fue-
runt Qu bus dum paſtores, & doctores ſubiũcti ſunt per
iunxe- bona opera, manus brachiis † iniuerunt. Hoc vero omne
runt. corpus redemptoris noſtri quotidie per nexus, & coniũ-
ctiones ſuhminiſtratur in cælo: quia cum ad eum illuc e-
lectæ animę docuntur, ei ſua mẽbra colligautur. De quo
Coloſſ. 2. bene dicitor: *Submiuiſtratum, & constructum creſcit in*
9. *augmentum Dei.* Quia Deus omnipotens redẽptor no-
ſter, qui in ſe, quo proficiat non habet, adhuc per mẽbra
ſua quotidie augmentũ habet. Vnde rurſus ſcriptum eſt:
Ephcſ. 4. *Donec occurramus omnes in virum perfectum, in menſurã*
ætatis plenitudinis Christi. Hoc totũ per paſſionẽ carnis,
& cõpaſſionẽ mentis cõplet Eccleſia. Et cum hic patitur
corpus, patitur caput, cuius eſt corpus. Paulo Apoſt. at-
Coloſſ. 1. teſtante qui ait: *Quotidie adimpleo ea, quæ deſunt paſſio-* B
24. *num Christi in carne mea, pro corpore eius, quod eſt* Eccleſia.

Dominus, ac redemptor noſter cum ſancta Eccleſia,
quam redemit ſecundum carnem vna ſubſtantia. Illios
capitis corpus Eccleſia eſt: & huius corporis caput eſt
Chriſtus, De quo ſuo capite exaltat corpus, id eſt, ſancta
Pſal. 26. Eccleſia, eum per Pſalmiſtã dicit: *Nunc autem exaltauit*
6. *caput meum ſuper inimicos meos.* Quia enim quandoque
ipſa etiã exaltanda eſt, iam nunc caput ſuũ ſuper inimi-
cos exaltatũ gaudet in cœlis. Cum ergo electi, quique ad
vitam perueniunt, quia membra eius, per eum intrãt ad
eum; Ipſe per ſe intrat ad ſe. Ipſe enim in mẽbris ſuis eſt,
qui intrat. Ipſe caput, ad quod intrantia membra perue-
niunt. Accipite ergo, deſcendit regula, quã tenent mem-
bra eius Eccleſia, quod eſt in charitate vnum corpus
ſummi capitis, a quo accipit Spiritũ ſanctum, ſecundum C
Pſalmiſtæ vocem dicẽns: *Sicut vnguentum à capite, quod*
Pſ. 132. 2. *deſcendit in barbam, barbam Aaron.* Vide ergo quid di-
cat vnguentum. Vnguentum gratia eſt: benedictio eſt
Diuinitatis. Sicut benedictio vnguenti de capite, hoc eſt
de diuinitate in Chriſto. Caput Chriſti Deus: Caput Ec-
cleſiæ Chriſtus. Deſcendit vngoentum in homine Chri-
ſto. Deſcendit de Chriſto in oram veſtimenti eiu, quod
eſt Eccleſia. Vnguentum de capite, quæ deſcendit in bar-
bam. Barba enim virilitatis indicium eſt Caput ergo di-
uinitatis dicitur, ſicut diximus, ex quo deſcẽdit vnguen-
tum in barbam Aaron, id eſt, in Chriſto qui eſt caput Ec-
cleſiæ. Barba verò, vt diximus, virum indicat, in quo per-
ueniamus in virum perfectum. qui eſt Chriſtus. Et poſt
quam in illam barbam *deſcendit*, ipſum vnguentum *in* E
Pſ. 132. 3. *oram veſtimenti eius*; Sic benedictio, *& ros in Hermon,*
ibid. *deſcendit in montẽ Sion.* Hermon in lingua noſtra inter-
pretatur *anathema*, quod eſt Iudæorũ populus. Ros er-
go, id eſt, benedictio Domini ante fuit in populo Iudęo-
rum, qui poſtea anathemanzati ſunt. Et benedictio illa,
quæ antea deſcendebat in populo anathematizato, po-
ſtea deſcendit in montem Sion, hoc eſt. Eccleſiam, quæ
corpus eſt Chriſti. In quo capite Eccleſię deſcendit vn-
Pſ. 44. 8 guentum, vt Pſalmiſta ait de eo: *Dilexiſti iuſtitiam, &*
odiſti iniquitatem, propterea vnxit te Deus Deus tuus oleo
exultationis præ participibus tuis. Participes ſunt Apoſto-
li Chriſto: ſed Apoſtoli ad menſuram acceperunt Spiri-
tum ſanctum In Chriſto vero omnis plenitudo Spiritus
ſancti deſcendit, quia ſolus ſine peccato: & de ipſa pleni- F
tudine illius acceperunt Apoſtoli.

Pſ. 44. 8. Audiſtis, quid dixit. *Dilexiſti iuſtitiã.* Sed & contrariũ
videre, quid dicat? Et odiſti iniquitatem. Pro his virtuti-
Ibid. bus quid accepit, audite: *Propterea,* inquit, *vnxit te Domi-*
nus Deus tuus oleo exultationis præ participib. tuis Hoc ad
Chriſtũ dicitur. Ieſu Chriſte tu vnctus es, vt cæteros vn-
Pſ. 132. 3. gẽres vnguento, *quod deſcendit in barbam, in barbam,* in-
quit, *Aaron.* Quod vnguẽtum in capite eſt, deſcendit in
barbam: id eſt, à vero Deo deſcendit ad hominem, quem
dignatus eſt aſſumere. Et de homine, quẽ aſſumpſit, deſ-
cendit in oram veſtimẽn eius, quod ſumus nos. Et quan-
tum nobis prodeſt barba iſta ſancta, & vir iſte perfectus,
videamus. Et qui ſunt illi qui proficiunt, in quos deſcen-
dit in oram veſtimenti eius, qui poſſunt eſſe veſtimẽtum

A Chriſti Et cum fuerint veſtimentum Chriſti, tunc & ip-
ſe Chriſtus verum eſt illorum veſtimentum, & induunt
Chriſtum. Nos, ſi veſtimentum Chriſti ſumus, nudita-
tem eius noſtra veſtimus fide. Ecce nudus pendet in cru-
ce *ſcandalum Iudæis, Gentibus ſtultitiam.* Et tamen noſtra *1. Cor. 1.*
fide, & ſermone, & confeſſione vel veſtimos nuditatem *23.*
eius, & dicimus. Dominus Deus noſter eſt qui nudus
pendet in cruce. Filius Dei verus eſt, qui illuſiones. & de-
riſiones patitur nudus in cruce, vt nos veſtiti ſimus eius
nuditate.

Quum audiunt nos Iudæi iſta dicere, continent aures
ſuas, & deridẽnt nos, qui talem Deum habemus, qui nu-
dus pependit in cruce. Recedimus ab inuicem in tãtum,
vt nec illi recipiant nos, nec nos illos. Vnum hoſtem fu-
gimus Iudæos, & multos hoſtes inuenimus intra domũ.
B hæreticos peiores, quam Iudæos. Iudæi ſemel negant, &
dicunt: Iſte, quẽ dicitis, qui nudus pependit in cruce, non
eſt Deus. Cum nos eis dicimus, quis eſt? Reſpondent, &
dicũt, homo eſt: nam ſi Deus eſſet, nõ diceret: *Deus Deus*
meus quare me dereliquiſti. Et ideo non debetis tã abſur- *Matth.*
dè dicere Deum; ſed tantum filium adoptiuum, ſicut & *27. 46.*
nos ſumus adoptiui: quia nec vnus Deus eſt, qui nudus *Mar. 15.*
pendet in cruce, nec verus filius Dei. Iniuriã facitis Deo *34.*
de tali fide. Nam nos honoramus Deum, qui rectè dici-
mus, quod Deus ad tantã iniuriam non deſcendit. * Ser- *Seruus*
mo eſt, qui patitur. Seruus Dei eſt, qui patitur; ipſo de ſe *Pſ. 115. 16*
dicente: *O Domine ego ſeruus tuus: Ego ſeruus tuus, & fi-* *Eſa. 42. 1*
lius ancillæ tuæ. Et Dominus ei dicit: *Ecce ſeruus meus, ſuſ-*
cipiam eum. Cum hoc verum dicat ſcriptura, quomodo
vos poteſtis firmare, cum homo nudus, qui pẽdet in cru-
C ce, à Deo ſe derelictum clamitet, & Deus ſit. Ecce & iſtos
inuenimos ſimiles Iudæorum: quia illi nudauerũt Chri-
ſtum, & nudum eum impoſuerunt in crucem & ibi mor-
tuus pependit. Et ipſa nuditas, crux & mors facit ſcanda-
lum Iudæis, & dicunt: Non eſt Deus. Hoc dicont & iſti
hæretici Non eſt Deus. Nudauerunt illi Chriſtum veſti-
mentis, nudant & iſti fide. Illis fecit ſcandalum Chriſti
nuditas; iſtis facit ſcandalum Chriſti humilitas. Non ſunt
ergo iſti veſtimentum Chriſti, qui nõ veſtiunt Chriſtũ
ſua fide: Sed eum cum Iudæis nudant ſua infidelitate. Illi
Deum Iſraël laudabant, & ipſum Deum Iſrael negabãt,
quem nudum cruci affigebant. Et iſti Chriſtum laudant:
& ipſum Chriſtum, qui nudus pependit in cruce, Deum
Iſrael eſſe negant & vtrique populum Domini ſe exiſti-
E mant eſſe: & vtrique meliores ſe nobis profitentur in fi-
de: & vtrique dicunt: Nos ſumus Iſraël, qui Deum rectè
credimus. Nam vos bruta, & inſenſati, qui hominẽ, qui
mortuus eſt, habetis Deum, Et quia Iſrael, *videns Deum*
dicitur, vtriq; ſe Iſraël profitentur: vtriq; ſe filios Dei aſ-
ſerunt. Sed Dominus eos per Eſaiam prophetam redar-
guit dicens: *Filios enutriui, & exaltaui: ipſi autem ſpreue-* *Iſa. 1.*
runt me. Cognouit bos poſſeſſorem ſuum, & aſinus præſepe
domini ſui: Iſrael autem non me cognouit populus meus me
non intellexit. Et meum populum dicit, & me non intel-
lexit, neque cognouit. Non intelligit Deum, qui non in-
telligit Chriſtũ, quia Chriſtus eſt Deus. Non cognoſcit
Deus Iſrael, qui non cognoſcit Chriſtum, quia Chriſtus
eſt Deus Iſrael. Non eſt mundus corde, qui non videt
F Deum factorem cœli & terræ: qui non credit Chriſtum,
quia Chriſtus eſt Deus factor cœli, & terræ. Et inde non
vident Deum, quia mundum non habent cor. *Beati,* in- *Matt.*
quit, *mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt.* *8.*

Reſtat ergo, vt qui non intelligunt, non videãt: & qui
non vident, in tenebris ambulent. Vnde & Pſalm. dicit:
Neſcierunt, neq; intellexerunt quia in tenebris ambulãt Et *Pſ. 81.*
qui in tenebris ambulant, in die non ambulãt, quod eſt
Chriſtus, & Eccleſia: nec dicere poſſũt illum verſiculũ
Pſ. *Hic eſt dies quẽ fecit Dom. exultemus & lætemur in eo.* *Pſal. 11*
Et quia dies, & nox vna dies dicitur, quia de ſole vſq; ad *24.*
alterũ orientẽ ſolẽ, diem & noctẽ includit, & vnus dies
dicitur: ſic Eccleſia, & hæreticorũ prauitas lux, & tene-
bræ eſt, & vna Eccleſia nuncupatur. Vtriq; vnũ Euangeliũ
legunt: Sed vtriq; veſtimentum Chriſti eſſe non poſſunt.

Cum

Cum vnus fide tegit nuditatem Christi, alter infidelitate nudum prædicat Christū, cum dicit, *Homo est: nō est Deus. Non est ipse qui fecit cælum & terrā.* Alter non nudū: sed veste indutū eum prædicat, quia dicit: Deus est homo: & ipse fecit cælum & terrā, qui in cruce pendet inter cælū, & terrā. Hoc tantū Ecclesia potest dicere de Christo capite, cuius ipsa est corpus: quia ipsā suo sanguine preciosо redemit, vt eā sibi copularet per sanguinē; & Christus indueret eā: & illa Christū: sicut Paulus Apostolus de ipso

Ephes. 5. 27. loquitus ad Ephes. *Vt exhiberet sibi gloriosam Ecclesiam, non habentē maculam, aut rugam.* Maculā quippe, & rugā non habet: quia & turpitudine operis, & duplicitatis sermonis caret. Non habentē, ait, maculā aut rugam. Id est, nec per peccatū habentē maculam, nec per duplicitatē rugam. Quia & per iustitiam munda est, & per simplicem intētionem extensa. Quæ ergo ablota est, ne maculam habeat, extensa est, ne habeat rugā: Vtrique vestis Christi est. Sicut. n. indumentum Christi tota generaliter Ecclesia dicitur: sic indumentum sunt Ecclesiæ singulorum animæ, quæ ab errore conuersæ eandem Ecclesiam credendo, eiq; fideliter inhærendo, circumdant: De quibus eidem Ecclesiæ per prophetam Dominus dicit:

Esa. 49. 18. *Viuo ego, quia omnibus his, velut ornamento vestieris.*

Ecce quomodo est Ecclesia per fidē & conuersionē, & opera bona vestimentum Christi. Ecce quomodo singulorum animæ, quę per prædicationem Ecclesiæ conuertūtur & credunt, quod tantum in ea sit remissio peccatorum, & inhærent ei fideliter, vestimētum sunt ipsius Ecclesiæ. Vestimentum sunt Ecclesiæ animæ in vnū collectæ. Vestimentum est Christi tota Ecclesia: & vestimētum est Christus totius Ecclesiæ. Rem vobis dico nouā: immo non nouam, sed de scripturis, quia vestimentum Christi sumus. Et cum illū nostra confessione, & fide vestimus, tunc iterum nos ipsum Christū induimus. Dicit enim & Apostolus, quòd vestimentum nostrū Christus

Gal. 4. 27 sit. *Quicunq;*, ait, *baptizati estis in Christo, Christum induistis.* Quādo enim baptizamur, induimur, & vestimur.

Hoc totum quare dixi? Vt ostenderem credentes vestimentum esse Christi, quod descendit in oram vestimenti eius: quod descēdit in barbam, in barbam Aaron. Sic enim Aaron sacerdos hunc sacerdotem nostrum præfigurauit Christum: & octo eius vestimenta omnis omnino Ecclesia. Figura illa vestimentorum nos sumus secundum Apostolū. *in quos finis sæculorum* decurrit: *quia*

1. Cor. 10 11. *ista illis in figura contingebat*: quæ nobis in veritate completa sunt. Siquidem Pontifex octo habet, vt diximus, species vestimentorum. Longum est dicere de Ephod: de

Exod. 28. 4. tunica, de zona, de catenulis, de femoralibus, de fimbriis, de soccis, de tinonnabulis: quibus virtutib. sacerdos debeat ingredi templum Domini, & in sancta sanctorum. Et nos ergo si voluerimus de vestimento esse isto sacerdotali, aut super humerale sumus, quod interpretatur Ephod, vt habeamus bona opera: & in humeris nostris Christi mandata portemus, aut certè tunica debemus esse interior: quæ tunica stricta est, & adhæret corpori. Non est laxa; non funditur. sed adhæret tota ad corpus. Vides ergo, quia quicumque interior est, & interiora tunica, vicinius iungitur corpori.

·Longum est dicere de rationalibus, & de manifestationibus. Si quis verò rationale est, quod dicitur. Logiō, non est alibi, nisi in pectore. Quod ratione dictum vel factum est, rationale dicitur. Quod verò sine ratione dictum, vel factum, rationale dici non potest. Intelliges scripturæ ordinem? Quicumque rationabilis est, Ephod est; id est. vestimentum superhumerale: & in pectore. quod est prudentia. Cæterum fieri potest. vt aliquis habeat prudentiam, vt habeat † augoo, hoc est, logion, quod latinè dicitur rationabilitas, & non habeat † Ermo-

† λογ... † Sermonum. nem, hoc est, manifestationem. Quicumque ergo verus sacerdos est, debet esse rationabilis; debet habere manifestationes hoc est, quodcumque manifestum proferat: & omnes doceat.

Et hæc omnia forsitan faciat, si castitas cauta & or-

A nata non fuerit, & omnes fluxus carnis non mortificauerit, vt cingat lumbos suos & mortificet. Deinde femoralia debet habere; vt quodcumque in nate ignominiosum est, & sordidum, quasi hoc cingulo mundetur, & mortificetur. Deinde dicitur, quoniam debemus habere phodere: Id est, vestimentum tunicæ vsque ad pedes. Phodere quod ordinet, quasi pedes nostros. Et ποδήρη. in ipso Phodere diuersi flores sunt. Sunt ibi malogranata. Sunt etiam fimbriæ. Ego puto, quod & illa mulier sanguinem fluens, ideo sanata est, eo quod statim fimbriam tetigerit. Hoc totum quare dico? vt bonum opus, quod inchoamus, vsque ad finem perseueremus: quod est vsque ad pedes, si Christi vestimentum esse desideramus.

Deinde considerate, quoniam ad extremos pedes inter malogranata erant & tintinnabula & nō ingrediebatur pontifex in sancta sanctorum, nisi illa tintinnabula B personarent. Et quid sancta sanctorum ingredi, nisi ille interior spiritualis intellectus, vbi cum Domino loquitur.

Et illa tintinnabula. & illa malogranata diuersitates virtutum sunt: & sacerdos, id est, pontifex, qui omnem Ecclesiam in typo Christi tanquam vestimentum in se portat, debet prius diuersarum virtutum eius opera, tanquā tintinnabula per omnem Ecclesiam resonare; & tunc ad eius omnes congregentur imitationem: & sic in sancta sanctorum ingrediatur, vt quod intus de Domino audierit, foris populo loquatur, secundum Domini dictum in Euangelio: *Vt videant opera vestra bona, & glorificent patrem vestrum, qui in cælis est.* Et cum hæc fuerit, Ecclesia erit: mons Sion erit: *quoniam illic mandauit Dominus be-* Matt. 5. 16.

C *nedictionem.* Id est, vnguentum illud quod descendit de capite diuinitatis *in barbam, in barbam Aaron: quod des-* Psal. 132.

cendit in oram vestimenti eius, quod est Christus: & peruenit ad montem Sion illa benedictio roris, quæ descenderat in Hermon, hoc est, in populo Iudæorum peruenit ad Ecclesiam, quod est mons Sion: quoniam in ea mandauit Dominus hanc benedictionem & vitam vsque in æternum. Vita Christus est. Qui confitetur Christum habebit vitam vsque in sæculum sæculi. Nos tamen si de Ecclesia sumus, Ecclesiam defendimus, & in dogmatum veritate stamus, in ædificio Christi sumus. Illi verò, qui non sunt in Ecclesia, aduersantur Christi Ecclesiæ. Si ergo sumus in Ecclesia, si habemus fidem Ecclesię, fidem Apostolorum, fidem Christi, dogmatum, veritatis, montes sumus Sion. Ibid.

D Dominus noster Iesus Christus mons montium est; non vnus de montibus, vt hæreticos asseris Elipande. Nam cum singulariter mons dicitur, aut singulariter Dominus, aut singulariter Deus, aut singulariter Christus, aut singulariter pontifex, aut singulariter sacerdos, aut singulariter hostia, aut singulariter agnus, aut singulariter lapis, aut singulariter petra, & cætera huiusmodi similia, aut certè singulariter seruus. aut singulariter pauper, solus ipse in sua persona intelligendus est; vt & in ipsa humilitate, qua à nobis figuraliter prædicatur, nullus ei similis prædicetur. Nam & homines sancti multi sunt, qui ei credendo efficiuntur sancti. Ab eo dicuntur dij, ab eo domini, ab eo Christi, ab eo pontifices, ab eo sacerdotes, ab eo hostiæ. ab eo agni, ab eo lapides E viui, ab eo fortes petræ. Propter hoc ille factus est Patris seruus, vt nos de multis dominis liberaret: Id est, de multis idolis, & ipsum solum haberemus dominum, qui propter nos factus est seruus: & essemus liberi per ipsum, qui solus inter mortuos est liber: & nos ad hāc ingenuitatem perduxit. Et sine dubio summa ingenuitas creditur, in quo Christi seruitus comprobatur. Propter nos factus est pauper, vt nos eius paupertate efficeremur diuites. Et quid est eius paupertas, nisi eius humanitas? Et quid sunt nostræ diuitiæ, nisi eius humanitas? Quod infirmum est Dei, fortius est hominibus. Vbi ille descendit, illic nos ascendimus. Vbi se ille inclinauit, ibi nos erexit. Vbi illa pœnā perpessus est, ibi nos à pœna libera-

uit. Vbi ille mortuus est, ibi nos viuificauit. Vbi ille re- A
surrexit, ibi nos suscitauit. Vbi ille ascēdit, ibi nos secum
leuauit. Vbi pater eum exaltauit, & donauit illi nomen,
Rom. 8. 32. & nos cum illo exaltauit, *& cum illo nobis omnia donauit:*
quia & ipsum nobis Pater dedit, & nos illi donauit: & il-
lum a parte dexteræ suæ collocauit: & nos corpus eius
cum capite sedere fecit.

Et cum sit caput & corpus vna substantia, tamen
multum distat inter caput, & corpus, cum tantùm vnū
sensum habeat communem, & cæteros quatuor solum
sibi vindicat caput. Multum ergo distat inter Christum
hominem, & omnem omnino sanctorum multitudi-
nem, qui de Adam ducit originem, cum omnibus vir-
tutibus soli homini Christo non poterit comparari, aut
æquari totus ille exercitus. Solus Christus sine illis po-
terat esse: toti illi sine Christo nec viuere possunt, nec B
esse.

Hoc totum quare diximus? Quia montem Sion fi-
guraliter Ecclesiam nuncupauimus: Possumus singula-
riter dicere montem Sion vnam Ecclesiam, quod est v-
num corpus Christi. Possumus dicere, & ipsam montes,
& Ecclesias. Christum verò solum, non possumus dice-
re Christum, & Christos: montem, & montes: Domi-
num, & Dominos: Deum, & Deos: seruum, & seruos:
pauperem, & pauperes: paruulum, & paruulos: circum-
cisum, & circumcisos: baptizatum, & baptizatos: flagel-
latum, & flagellatos: mortuum, & mortuos. Solus ille
pro omnibus mortuus. Solus ille pro omnibus ista per-
pessus. Nullus sanctorum pro altero mortuus est. Nam
1. Io. 3. 16 cum Ioānes Apostolus dicat: *Sicut Christus pro nobis ani-*
mam posuit, & nos debemus pro fratribus animam ponere. C
Potest quidem quilibet facere compatiendo: nam nul-
lus potuit hoc facere moriendo, & resurgendo, nisi solus
Psal. 50. 7. Christus: Solus sine peccato. Nam omnes sancti possunt
dicere illud Dauidicum: *Ecce enim in iniquitatibus con-*
ceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea. Christus
Io. 14. 30 hunc versiculum nunquam dixit. Sed quid dixit: *Venit*
princeps huius mundi, & in me nihil inuenit, id est, nihil
peccati in me inuenit. Et ideo qui solus homo sine pec-
cato est, nullus ei hominum similis inuenitur. Qui solus
caput est super omne corpus est. Qui singulariter mons
Mich. 4 est, super omnes mōtes est, Propheta Michea attestante,
Esa. 2. 2 qui ait: *In nouissimo dierum erit mons domus Domini præ-*
paratus in vertice montium: & sublimis erit super colles, &
confluent ad eum populi: & properabunt gentes multæ, & E
dicent: Venite ascendamus ad montem Domini, & ad do-
mum Dei Iacob, & docebit nos de viis suis, & ibimus in se-
Psal. 97. *mitis eius.* Psal. quoq; de eo mōte, & de cæteris montib.
37. in 67. Psal. dicit: *Vt quid suspicamini montes incaseatos.*
* dicit, Eum montē, * *in quo beneplacuit Deo habitare in eo.* Sicut
vidcte, ille dicitur mōs: sic mōtes illi. Sed longe alius mons di-
vel ap- stat à montib. præparatis in cacumine montium. Mon-
perite. tes itaq; isti, illū montem portando, gloriosi sunt, *vt qui*
gloriatur, in Domino glorietur, non in se. Paulus archite-
2. Cor. 10. 17. ctus dicit: *Mihi absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri*
Gal. 6. 14. *I. Christi, per quē mihi mūdus crucifixus est, & ego mundo.*

Vt quid ergo suspicamini hos montes? Eum mon-
tem, in quo placuit Deo habitare in eo. Non quia in ip-
sis montibus non habitat Deus. Habitat planè. Sed per
istū montem habitat in ipsis montib. Deus. In ipso quip- F
pe solo habitat omnis plenitudo diuinitatis corporali-
ter. Non habitat vmbraliter in illo diuinitas, tanquā in
tēplo à rege Salomone facto: sed corporaliter. Non sicut
in cœlo, aut in terra, aut in angelis, vel cæteris sanctis: sed
corporaliter in eo habitat omnis plenitudo diuinitatis,
id est, Patris, & Spiritus sancti. Qui & ipse Christus per
naturam diuinitas est. Et quanquam in angelis, & in cę-
teris sanctis habitet diuinitas, tamen nullus eorum natu-
raliter diuinitas est, sicut Christus. Et quia Christus, &
Pater, & Spiritus sanctus vna diuinitas est, & ipse in Pa-
tre est, & Pater in illo est, & Spiritus sanctus ab vtroque
procedit, ideo in ipso habitat omnis plenitudo diuini-
tatis corporaliter, id est, solidè, atque veraciter, secun-

dum Pauli Apostoli dictum, qui ait: *Quoniam Deus erat* 2. Cor. 5. 18.
in Christo mundum reconcilians sibi. Quod siue de Pa-
tre dictum accipiamus, quoniam ipse ait: *Pater au-*
tem in me manens ipse facit opera. Et ego in Patre, & Pa- Io. 14. 10.
ter in me: siue ita intelligatur, Deus erat in Christo; id est,
Verbum erat in homine, hoc est, Deus erat homo; Sic e-
rat vtiq; Verbum in carne, vt Verbum caro factum solus
propriè diceretur, id est, homo Verbum in vna Christi
persona copularetur. Vt quid ergo suspicamini cæteros
montes? Eum montem, in quo placuit Deo habitare in
eo? Longe aliter habitat in illis montibus pluraliter, ali-
ter in isto singulariter. Quem ergo illorum montium
hunc montem suspicamini? Nam quia & illi per ado-
ptionis gratiam filij Dei sunt: sed nullus ex illis est vnige-
nitus, cui Pater diceret: *Sede ad dexteram meam. Donec*
ponam inimicos tuos sub pedibus tuis. Nullus eorum ab- Ps. 109. 1.
stulit peccata mundi. De nullo eorum dictū est: *Verbum*
caro factum est, & habitauit in nobis. De nullo eorum di- Ioan. 1. 14
ctum est: *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene com-* Matth.
placui, ipsum audite. De nullo eorum legimus, quod sit 17. 5.
Dominus maiestatis: sed de Christo Apostolus dixit,
quia Dominum maiestatis crucifixerunt, quia neque ap- 1. Cor. 2.
paruit Pater in mundo: sed neque Spiritus sanctus: sed
solum filium crucifixerunt vnicum Dei Patris verbum.

Cauendum ergo est, ne cum Verbum audis, multa
cogites verba. Nam si multa verba cogites Patris, iam
non vnum filium, sed multos filios intelliges. Caue er-
go, ne te sonus capiat vocis humanæ, similitudoque ser-
monis. Aliud est Verbum, quod tempora habet, quod
syllabis colligitur, quod literis colligatur, quod sonat,
quod auribus auditur, quod tempora habet, & vnum
verbum sonat, pertransit, & fit interuallum silentij, & a-
liud formatur verbum, & sequitur, vt audiatur, & intel-
ligatur, quo explicito tertium sequatur: & vnum ver-
bum alterum sequendo, multa verba efficiantur. Non
tale verbum Patris filius vnicus: Non tale verbum vni-
genitus Deus. Incorporeus Deus Pater. Vocem vtique
incorporeus, corporalem non habet. Si vox corporalis
non est in Patre, nec filius verbum est corporale. Et ideo
non multa verba, nec multi filij: sed vnum verbum est
æquale Patri, quod & gradum excludit, & numerum.
Et hoc dico, quod lego. Et hoc credo, quod profero.
Nam quæ sit huius natura Verbi, nescio. Et nescio mul-
to hoc melius, quam scio. Hoc solum bene scio, quando
hoc nescio, quod scire non possum. Neque enim Ioan-
nes, quem lego, aliud dicere potuit, quàm quod audiuit.
Quod vidimus, inquit, *& quod audiuimus.* Hoc solum
bene se scire dixit, quod audiuit, & vidit, qui in Christi 1. Ioan. 1.
pectore recumbebat. Ergo illi satis est audire: mihi non
est satis: sed quod ille audiuit, hoc mihi dixit. Et quod au-
diuit à Christo, hoc nec ego possum negare verum esse
de Christo. Ergo quod ille audiuit, hoc ego audiui. Quid
audiuit? Verbum. Quia dixit: *Quod fuit ab initio. Quod*
audiuimus. Deinde dicit. *Et vidimus* Hoc totum verum
est, quia quod audiuit, & vidit. Quid vidit? Non vtique
diuinitatem, quę secundum naturam suam videri non
potest. Vidit eum per naturam meam. Non enim ver-
bum alterum Filius est, & homo alter: sed ex vtroque
vnicus filius est.

Sed quia secundum naturam suam, nemo eum vi-
dere poterat, suscepit naturam visibilem meam, vt se-
cundum naturam corporis videretur. Denique & Spi-
ritus sanctus in specie visus est vt columba: quia videri
diuinitas in suæ claritatis veritate non poterat: Quæ v-
tique vna inuisibilitas Patris, & Filij, & Spiritus sancti,
qui vna diuinitas est, & vnus Deus: Pater & Filius, &
Spiritus sanctus. Sed quia tres sunt personæ Pater, & Fi-
lius, & Spiritus sanctus, hoc non habēt commune quòd
solus filius factus est homo propter homines redimen-
dos. Quòd solus Spiritus sanctus super hominem filium
descendit in specie columbæ, vt videretur: quòd solus
Patet clamauit: *Tu es filius meus dilectus:* vt audiretur. Matth.
Sed illa columba, in qua Spiritus sanctus apparuit, 17. 5.
non

non dicitur Spiritus sanctus, sicut iste homo à Verbo susceptus dicitur filius. Illa colũba non est Deus. Nam iste homo Deus est. Illa vox Patris, quæ sonuit corporaliter, non est Pater. Nam iste corporalis, qui visus est, filius Dei Patris vnicus est. Per subiectam creaturam locutus est Pater, non per suam substantiã, quia inuisibilis Deus est. Per subiectam creaturam apparuit Spiritus sanctus in specie columbæ, non per suam naturam, qua inuisibilis Deus est. Solus filius apparuit per semeipsum. Solus filius apparuit per substantiam suam hominibus. Non per illam apparuit, quæ æqualis est Patri: sed per illam, qua missus venit à Patre, & Spiritu sancto, solus Filius, qui semetipsum exinaniuit, id est solus formã serui accepit. Noli igitur & tu secundum naturam interpretari, quod præter diuinitatis naturam est. Quòd si credideris à Verbo carnem esse susceptam, & offeras transfigurandum corpus Christi altaribus, & non intellexeris, quod offertur, aut cui offertur: & non distinxeris naturam diuinitatis & corporis, statim tibi Dominus dicit: si rectè offeras, & rectè non diuidas, peccasti. Non dico, personam diuidas: sed dico vt nemo in precibus vel Patrem pro Filio, vel Filium pro Patre nominet. Et cum altario assistitur, semper ad Patrem dirigatur oratio. Et quicumq; sibi preces aliunde describit, non eis vtatur, nisi prius eas cum instructioribus contulerit fratribus: Id est, preces, quas suggerit, a Catholicis prius imbuatur.

Solus ergo Filius est homo, qui & æqualis Patri est, semper in forma Dei, cui cum Patre hostiam offerimus: & solus formam serui accipiens sacerdos factus est. Per quam hostiam viuam Deo placẽtem offerre possumus. Nec tamen à nobis offerri hostia potuisset, si Christus pro nobis hostia factus non fuisset. In quo ipsa natura nostri generis vera est hostia salutaris. Vt enim ipse vnigenitus, qui verus naturaliter Deus est, verus fieret, & sacerdos in persona diuinitatis suæ, non accepit hominis personam, sed naturam. Si enim naturam hominis cum persona simul accepisset; in illo incarnationis mysterio non esset vnus Christus in duabus naturis Deus, & homo: sed in duabus personis, alter esset Deus, alter homo. Sed ideo vnus est Christus, vnus Dei, & hominis filius: quia ille vnigenitus Dominus, qui personam propriam semper habuit, in ipsa persona sua veritatem naturæ seruilis accepit. Proinde Christus inseparabilis permanet. Quia cum altera sit in eo natura diuinitatis, altera vero natura seruilis; in vno tamen, eodemq; Christo illa persona diuinitatis erat, ipsa vna est etiam humanitatis assumptæ. Propterea vnus atque idem Christus: quem & paulo minorem ab angelis ostendit, accepit formam seruilem, æqualem Patri demonstrat vnitas naturalis.

In quo sacramento sic offendunt hæretici quàm maximè Ariani, vt attendentes in eo officium sacerdotis, nolint celsitudinem Deitatis suscipere. Quoniam ergo sunt hæretici, qui filium cum Patre vnius diuinitatis esse non credunt.

Item sunt alij, qui hominem natum Dei filium non confitentur: qui vtrique non Dei, sed hominis asserunt esse Virginem genitricem, quia non per illum, inquit, qui de Virgine natus est, visibilia, & inuisibilia facta sunt: sed per illum, quem sibi genuit æqualem.

Isti sunt hæretici, vt Manichæi, qui veritatem carnis in Dei filio negare non metuerunt. Hunc locum congruè, atq; vtiliter Patres sanctissimi posuerunt. Nam cum nos ostendimus per æternũ sacerdotem Dominum Christum in nostris orationibus offerre, veram in eo carnem nostri generis confitemur: secundum illud, quod Apostolus dicit: *Omnis enim Pótifex ex hominibus adsumptus, pro hominibus cõstituitur in his, quæ sunt ad Deũ: vt offerat dona, & sacrificia pro peccatis.* [Hebr. 5] Cum vero dicimus, *filiũ tuum*, & adiicimus: *Qui tecũ summe pater viuit, & regnat in vnitate Spiritus sancti*, illã vtiq; vnitatẽ commendamus, quã naturaliter habet Pater, & Filius, & Spiritus sanctus. Quoniã si quid huiusmodi, vt supra diximus, in scripturis legimus, ad vnitatem personæ referendum est. Quia

& ipse solus est sacerdos Christus, per quem hostiam offerimus: & vt per eum à Patre acceptetur, & interpellet Patrem pro nobis, supplicamus orantes. Et ipse est Deus cum Patre, cui offerimus. Et ipse est, qui interpellat Patrem pro nobis, non voce, sed miseratione. Et ipse est, qui exaudiuit cum Patre, qui solus pro nobis interpellat Patrem. Proinde nostra oratio semper per mediatorem dirigatur ad Patrem. Per ipsam personã, cuius sanguine sumus redempti, quem bibimus: & cuius carnem manducamus, per quã viuimus. Quia sicut anima, & corpus ex diuersa substantia vnus est homo: ita Deus & homo ex diuersa substantia vnus est Christus. Ac per hoc cum sit vnus ex diuersa substantia, ipse quodam modo interpellat pro nobis, ipse quodam modo pro nobis exaudit.

Diuide ergo quod meum; diuide quod suum. Ego enim, quod illius erat diuinitatis, non habebam. Et ille, quod meum est humanitatis non habebat. Suscepit, quod meum est, vt impertiret quod suum est. Suscepit, non vt confunderet, sed vt repleret. De nostro habuit pro nobis, vnde moreretur pro nobis, & viueremus in illo. Exemplum reliquit, qualiter moreremur pro illo: & vbi ille est, de morte transiremus ad regnum. Ad regnum quippe non potest transire, nisi interposita morte. Et idcirco & confitendo quasi dubitamus, & quasi dubitando confidimus. Et gaudentes, metuimus, & metuentes gaudemus, quia scimus, quod ad brauium quietis æternæ peruenire non possumus, nisi hoc, quod interiacet, cum labore transcenderimus. Sic etiam cum morbos temporales de corpore repellere cupimus, tristes quidem amarum purgationis poculum sumimus: certi autem de subsequenti salute gaudemus. Sicut enim corporalis morbus sine amara potione non curatur: ita spiritualis morbus animæ sine lamento lacrimarum non deletur. Quomodo ergo poterit ille nobiscum vnus esse ex nobis: qui peccata non sua, sed nostra omnium solus ipse deleuit. Et ob hoc per latitudinem scripturarum paginis currimus: sed ei similem, in quo formam serui assumpsit, non inuenimus.

Restat ergo, vt isti, qui eum sibi similẽ putant, virtutes à nobis cum incredulis extorqueant, & dicant: si verum dicitis, quód filius Dei est Iesus, aut verè vos eius estis Ecclesia facite in eius nomine nobis virtutes. Et cum feceritis, credimus vobis, quód verè Deus sit, quem creditis. Hoc restat hæreticis, quod paganis. Fides virtutes nõ quærit. Virtus, quę tẽporaliter videtur, futura nõ sperat. Virtutem præsentem requirere, non pars fidei, sed pars incredulitatis est. Deniq; Paulus Apostolus † Mitylenẽ [†Melitam.] veniens, & plenam infidelibus insulam sciens, patrem Publij dysenteria, febribusq; vexatum orando saluauit: & sanctæ prędicationis adiutorem suum Timotheum, ex infirmitate stomachi laborantem, non verbo curat, sed medicinali arte mederi parat dicens: *Modico vino vtere propter stomachum, & frequentes tuas infirmitates.* [1.Tim 5.23]

Qui ergo infirmum infidelem vna prece saluat, qui ægrotũ Timotheum prece non roborat. Quia nimirum ille foras per miraculum sanandus erat, qui intus in anima mortuus erat: vt per hoc, quod exterius in corpore potestas ostenderet, hunc ad vitam interior virtus animaret. Et tamen vtrique infirmi erant: sed ęqualiter infirmi non erant. Timotheus corpore erat infirmus, & animo saluus, qui cum magistro Christum vitam in gentibus prędicabat. Et Pater Publij corpore ægrotabat: sed anima mortuus erat; quia per fidem Christi nec dum suscitatus fuerat. Quia ipse dixit: *Ego sum resurrectio, & vita. Qui credit in me, etsi mortuus fuerit, viuet.* [Ioan. 11.25.] Quamobrẽ, qui non credit filium Virginis naturaliter esse filium Dei Deum verum, non viuit: sed mortuus est. Mortuus est, quia hoc non credit. Iam viuus esset, si crederet. Et ideo, qui intus viuit, iam non miracula, sed pœnitentiam requirit. Qui intus in anima viuit, corporis curam in desideriis non agit. Qui in anima mortuus est, corporis curam in desideriis facit. Et qui corporis curam agere contendit, Christum cognoscere non potest.

A Facilius ergo Deus videtur, cum, secundum Apostolum, 2. Cor 4. 16. *exterior homo corrumpitur.* Es quantum plus corrūpitur de die in diem, tantum plus in agnitione Dei de die in diem renouatur. Et quantum minus exterior homo corrumpitur, tantum minus interior anima renouatur: & tantùm minus Deus agnoscitur: Ipsa debet esse renouata, 1 Cor 3. 17 quæ *templum Dei* ab Apostolo dicta. Sic enim ait: *Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos.* Ipse interior homo factus est ad imaginem Dei. † F. Erigenam. † Exigamus itaque spiritum mentis nostræ, *qui renouatur in agnitione* Coloss 3 10 *Dei secundum imaginem eius, qui creauit eum;* quia ibi per fidem in nos habitat Christus. Vbi non est Iudæus, neq; Græcus Vbi non est seruus, neq; liber. Vbi non est masculus, aut fœmina. Vbi mori nō poterimus, cum solui corpore cœperimus. Vbi non senescimus, si etiam in B corpore ad decrepitam ætatem peruenerimus. Cum hoc ita verum sit, & loca apta requirimus, & inuenire nō valemus, interiora animæ mundemus: & omni inde mala cupiditate depulsa, in corde nostro locum pacis secretum præparemus, & ita semper agamus, vt templum Dei sanctum simus. Et si volumus in templo orare, in nobismetipsis oremus. Ibi enim habitat ille, quem oramus. Ibi enim Christus, cum clamatur, exaudit, vbi & habitat. Credimus videre Deum: non quia videmus per oculos corporis, sicut videmus hunc solem: vel mentis obtutu, corporis, sicut se quisque interius videt viuentem, videt volentem, videt quærentem, videt scientem.

Quid ergo dicimus? Numquid hoc est videre, quod sedere? Planè multum distat inter vtraque, quia præsentia videntur, absentia creduntur. Et Dominus in Euangelio C ait: *Beati qui non viderunt, & sic crediderunt.* Et tamē illi Ioan 20. 29 hoc dixit, qui videbat, qui cicatrices palpauerat. Ibidem. *Quia vidisti me, inquit, & credidisti. Beati qui non viderunt, & crediderunt.* Cum beatum dicat, qui vidit, & credit Christū, quomodo in alio loco ipse Dominus in Euangelio Ioan 1 18. dixit: *Deum nemo vidit vnquā* Et Apostolus Paulus 1. Tim 6. 16. ad Timotheum dicit: *Quem vidit nullus hominum: sed neque videre potest.* Hoc totum de hominibus dictum est, non de aliis Non est de illis dictū, de quibus supra diximus: In quorum anima vis Christus habitat per fidem, qui templum sanctū Dei sunt: in quibus Deus habitat; Propheta attestāte, qui ait. Psal. 10. 4 *Dominus in templo sancto suo, Dominus in cælo sedes eius.* Ipsi, & cęli dicūtur, secundum D illud 18. Psalmi testimonium: *Cæli enarrant gloriam Dei* Psal 18. 7. Et in quotidiana prece dicimus: *Pater noster, qui es cælis.* Ac si apertè dicamus: Qui es in sanctis angelis, & in sanctis animabus. Philip 3 19 Cælum ipsi sunt *quia non terrena, sed cælestia sapiunt*, Coloss 3 2 secundum Pauli Apostoli dictum: *Si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt sapite, vbi Christus est in dextera Dei Patris.* Qui enim cum Christo resurrexit: & vbi Christus in dextera Dei Patris sedet, sapit; iam non homo, sed Deus scripturis sacris nuncupatur. Quia & Deus est: in quo Deus habitat: & semper eum videt, quia semper in ipso est. Nam Deum nullus hominum videre potest. Sicut & ipse Dominus interrogabat discipulos suos dicens: *Quem dicunt homines esse filium* Matt. 16. 13. E *hominis?* Non dixit, quem me dicunt esse homines, sed filium hominis: ne iactanter de se quærere videretur. Ibidem. Pulchrè autem interrogat: *Quem me dicunt esse homines filium hominis:* Quia qui de filio hominis loquuntur, nō dij, sed tantum homines sunt. Qui vero diuinitatem eius rectè intelligunt: *& tu es Christus filius Dei vivi*, eum Ibid. v. 16. Porro dicunt; non homines, sed dij appellantur.

1. Tim. 6. 16. Proinde Apostolos dicebat: *Quē vidit nullus hominū sed nec videre potest.* Mores hominū vocans homines humana sapientes. Quia qui diuina sapit, sine dubio supra homines sunt. Videbimus igitur Deum, si per cælestem 1 Cor 13. 12. conuersationem supra homines esse meteamur. *Videmus* & nunc, secundū Apostolum, *per speculū in ænigmate* per fidem. *Videbimus & tunc facie ad faciem.* Nec tamen ita videbimus, sicut ipse seipsum. Longe quippe dispariliter videt creator se, quam videt creatura creatorem. Nam quantum ad immensitatem Dei, quidam nobis modus A figitur contemplationis, quia eo ipso pondere circumscribimur, quo creatura sumus. Sic profectò non ita conspicimus Deum, quemadmodum ipse requiescit in se. Nam visio nostra vel requies erit vtcumque similis visioni, vel requiei illius, sed æqualis non erit. Nec enim iaccamus in nobis, vt ita dicam, contemplationis * pinna nos subleuat, vtq; à nobis ad illum erigamur intuendum, raptisque intentione cordis, & dulcedine contemplationis, aliquo modo à nobis imus in ipsum. * penna. Etiam hoc ipsum ire nostrum minus est requiescere. Et tamen sic ire, perfectè quiescere est. Et perfecta ergo requies est, quia Deus cernitur: & tamen æquanda non est requiei illius, qui non à se in alium transit, vt quiescat.

Est itaque requies, vt ita dicam, similis, atq; dissimilis. B Quia quod illius requies est, hoc nostra imitatur. Namq; vt beati atque æterni simus in æternum, imitamur æternum: & magna nobis est æternitas imitatio æternitatis. Nec exortes sumus eius, quem imitari possumus. Quia & videntes participamus; & participatores imitamur. Quæ sine dubio visio nunc per fidem inchoatur, sed tunc in specie perficitur, quādo coæternam Deo sapientiam, quam modo per ora prædicantium, quasi per decurrentia flumina sumimus, in ipso fonte Christo bibemus, cuius corpus sumus. Sed grandis hic labor erit, qui ad illa pertingere voluerit. Nō enim parua corporis violentia est, cum caro cupit esse, quod Deus est. Deus enim, vt supra diximus, caput corporis Christi est, Apostolo attestante, qui ait: 1 Cor 11 3. Ephes 1 22 Ibidem *Volo autē vos scire, quòd omnis viri caput Christus est. Caput autem mulieris vir. Caput Chri-* C *sti Deus.*

Quid itaq; est caput nostrum nisi diuinitas, per quam existendi principium, vt creatura simus, sumimus. *Nam vir est caput mulieris: Caput viri Christus: & Caput Christi Deus.* Hoc totum in Christo est: qui mediator Dei, & hominum est. Nam hoc loco mulierem dicit plebem intra Ecclesiam, sensu paruulam, & carnalē: quæ sub tegimine pastorali est. Vir vero huius mulieris, doctores eorum sunt; qui more Apostolico Christi vestigia imitantes, eam tanta intentione educando regunt, vt non eis sufficiat in prædicatione & exemplo eam instruere: sed etiam sui capitis exempla sequentes, moriendo pro ipsa animam ponere: qualiter possit illi caput esse; & suo capiti Christo, secundum Apostoli dictum inhærere.

D Per hominē enim Christus huius viri factus est caput. Cui homini Christo à Verbo assumpto tota diuinitas caput est. Et hoc totum in vno Christo est: quia & in eo est omnis plenitudo diuinitatis corporaliter: & ipse est caput totius Ecclesiæ. Vt quemadmodū vnus homo constans ex anima, & corpore, & in corpore sunt ista, id est, caro, ossa, & caput. Caro regitur per ossa: ossa per caput: caput per animā. Et carnē dicimus mulierē. Et ossa dicimus virū, caput huius mulieris, carnis. Et caput dicimus horū ossium ipsum caput humanum. Et mētem dicimus capitis caput. Et hoc totum in vno homine est. Sic dicimus caput mulieris, id est minutę plebis pastores, & doctores Ecclesiarū, tanquam ossa carnis Caput viri Chri- E stus tanquam ossis caput. Caput Christi Deus tanquam mens capitis. Et cum omnia in vno homine sint, & ipsa tota ipse homo sit, tamen inueniuntur ibi differentiæ, quibus vna alteri possit præcellere. Nō carni, quæ mollis est, præcellūt ossa, quæ dura sunt, & sine eis caro stare non potest. Sicut nec ipsa plebs minor intra Ecclesiam, quæ tanquam caro mollis est, sine magistro stare potest; qui solidi, tanquam ossa sunt. Hæc ossa iunguntur capiti, per quod vitam habent: quia nisi capiti iungantur, per quod vitam habent, viuere non possunt Sicut magistri Ecclesiarū iunguntur capiti Christo, qui nisi Christo per fidem, & opera iungantur, viuere non possunt. Iam verò mens in quātum præcellit capiti, quæ & altera substantia est spiritualis, in tantū caput est cui præcellit. Sic & diuinitas Christi caput, & corporis Christi, quæ totum ipse Christus in se habet: & omnem plenitudinem diuinitatis suæ: & omnem plenitudinem humanitatis nostræ.

Sed

Sed hoc per qualecumq; vestigium dicimus propter hæreticorum insipientiam, atque controuersiam: qui & Christum hominem non confitentur Dei filium, & cum Patre vnum Deum & non esse alterũ Deum præter eum, & cum tota Ecclesia vnum hominem, † & non esse altera persona Ecclesia, & altera persona Christus homo; & altera persona Verbum Patris, vt tres sint personæ. Verbum, homo, & Ecclesia: sicut tres sunt personæ Pater, & Filius, & Spiritus sanctus: Solus Filius factus est homo, id est, anima rationalis, & caro. Ac per hoc Verbum, anima, & caro. Tres quidem substantiæ sunt: sed vnus est Christus, vnicus est filius, vnus Dominus noster Iesus Christus, vnigenitus Dei patris filius, *qui natus est de Spiritu sancto, ex Maria Virgine, & sub Pontio Pilato est crucifixus* Qui & verè, & absq; mẽdacio patrẽ habet Deum naturaliter, à quo habet Deitatem, vt sit verus Deus, & non sit alter Deus præter eum: & verè. & absq; mẽdacio matrẽ habet naturaliter Virginem, Virginẽ Mariam, & non sit alter homo præter eum cum tota Ecclesia, quam redemit sanguine suo, vna persona ex tribus substantiis vnus Christus. Quæ persona neq; Patris est, neq; Spiritus sancti: sed vt diximus, Filij. Qui Filius cũ Patre, & Spiritu sancto est vna substãtia, & non vna persona, sed tres sunt personæ. Cum toto homine Adam, quem assumpsit, ipse solus est vna persona, & non vna substantia, sed tres sunt substantiæ, Verbum, anima, & caro, totum vnicus filius.

† Locus obscurus & mendosus.

Vide mediatorem. Tantum ipse solus descendit: quia nec Pater descendit, nec Spiritus sanctus. Et quia, vt diximus, cum Patre vna substantia est, sicut vna substantia est, & vnus Deus est cum Patre, & Spiritu sancto: & alter Deus præter eum non est, cum quo in vna substantia est. Quia non est alter Deus præter Patrem: nec alter Deus præter Filium: nec alter Deus præter Spiritum sanctum. Nec alter Deus præter Patrem & Filium & Spiritum sanctum. Attamen cum tres sint simul vnus Deus, & vnum lumen, non tamen vna persona est Pater & Filius & Spiritus sanctus. Lumen est Pater, quia genuit lumen. Lumen est Filius, quia natus est de lumine. Lumen est Spiritus sanctus, quia processit de lumine ingenito, & genito. Et tres simul vnum est lumen.

Aut fortè calumniaris, & dicis: Si vnum lumen, Vbi Trinitas? An fortè in vocabulo sunt tantum & Filius, & Spiritus sanctus, & non sunt expressæ personæ? Respondebo, Absit? Nisi expressæ personæ, & propriè subsistentes sibi. Nam hoc Sabelliana peruersitas adinuenit, vt cum vnum credidit inseparabile lumen, vnam crederet etiam personam, vt diceret: ipsum sibi esse Patrem, ipsum sibi esse Filium, ipsum sibi esse Spiritum sanctum.

Arius verò è contrario, cum tres credidit propriè sibi subsistentes personas, tria credidit & lumina. Et quia vnum est lumen, vnus commiscebat personas, alter separabat. Sed vtrique ab vno lumine cæcati, ab vno lumine confusi, id est, in vno dum non commixti, ab vno lumine separati sunt.

Vnum est, vt diximus, lumen sed tamen in gignente, genito, & procedente Trinitas est. Denique aliud est genuisse: aliud genitũ esse aliud procedere. Et ideo qui genuit, non est ipse in persona qui genitus est: quia altera persona est, quæ genuit, & altera persona est, quæ genita est. Alius genuit alium: sed non aliud genuit quam quod est. Id est, lumẽ est, & lumẽ genuit, quod ipse est. Et cum ipsum sit, quod genuit, non tamen ipse est, quem genuit. Ipsum quidem lumen natura quem genuit, non tamen ipse est, qui genuit genita lumen persona. Nec ipse est gignens, & genitus, tertia, quæ ab his procedit persona. Sed alter in persona gignens lumen: alter in persona genitum lumen: alter in persona procedens lumen. Et lumen, & lumen, & lumen, vnum lumẽ. Et gignentem, & genitum, & procedentem tres personæ, & vnum lumen. Ac si dicerem: Deum, & Deum, & Deum, vnum Deum. Et quia Deus genuit Deum, & Deus processit de Deo, in gignente, genito, & procedente, tres sunt subsistentes sibi personæ, & natura vnus Deus. Solus ergo filius factus

A est homo. non in vnitate naturæ, sed in vnitate personæ, id est, lumen sine initio genitus de Patre assumpsit naturam nostram. Et secundo lumen, & corpus natum est de Virgine, Et in patre semper mansit inseparabile, & æquale lumen, sicut angelus Mariæ dixit: *Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi* Quia enim vmbra non aliter exprimitur, nisi lumen & corpus, virtus ei Altissimi obumbrauit: quia in eius vtero lux incorporea corpus sumpsit. Ex qua videlicet obumbratione omnes credentes in Christo in se refrigerium mentis accipiunt. Vmbra enim, vt iam diximus, à lumine formatur, & corpore. Dominus autem per diuinitatem lumen est, qui mediante anima in eius vtero fieri dignatus est per humanitatem corpus. Quia ergo lumen incorporeum in eius erat vtero comparandum, eique corporeum concepit, ad corpus dicitur: Virtus Altissimi
B obumbrabit tibi. Id est, corpus humanitatis in te accipit incorporeum lumen diuinitatis. — Luc. 1. 35.

Vnde & in Canticis Canticorũ ex voce sponsi dicitur: *Osculetur me osculo oris sui. Quoniã bona vbera tua sunt super vinũ: Et odor vnguẽtorum super omnia aromata.* Audistis Epithalamiũ carmẽ, dilectissimi fratres, quod Spiritus sanctus per Salomonem ex voce Sponsi & Sponsæ, id est, Christi, & Ecclesiæ. pro cælestium nuptiarum allegorica decantatione prædixit. Quando Christus sponsus, & anima sponsa oppignerauerunt sibi castam inuicem coniugij voluntatem: & facti sunt duo in carne vna. Id est Deus, & homo. Duo hi. id est, verbum & anima vna persona, sponsus, & sponsa in vna carne Et illius sponsi
C thalamus fuit Vterus Virginis. Quia in illo vtero virginali coniuncta duo sponsus, & sponsa. Qui scriptum est: *Et erunt duo in carne vna.* Et Dominus dicit in Euangelio: *Igitur iam non sunt duo. sed vna caro.* Quia Christus & Ecclesia non sunt duæ carnes, & duo homines, sed vna caro, & vnius homo. Et Esaias optimè meminit, vnum esse sponsos duos. Loquitur enim ea persona Christi, & dicit: *Sicut sponso imposuit mihi mitram: & sicut sponsum ornauit me ornamento.* Vna persona videtur loqui, & sponsum se fecit, & sponsam. Quia non sunt duo, sed vna caro, id est, vna natura carnis: & vna substantia Christi, & nostra. Sicut vna substantia est Christi, & Patris. Quia & cum Patre perfectus Deus est: & nobiscum perfectus homo est. Et Deus, & homo ex duabus naturis vna persona est Christus. Quia Verbum caro factum est, & ha-
D bitauit in nobis, id est, in carne nostra habitauit. Quia in nobis habitat, quando in carne nostra habitat. Et ipsa caro nostra, in qua habitat, ipse est, qui habitat. Fecit sibi domum, in qua habitat, & ipsa domus ipse est. — Cant. 1. 1. — Gen. 2. 24. — Mar. 10. 8. — Esai. 61. 10.

Deniq; Carpentarius quislibet facit sibi domũ in qua habitat: Sed ipsa domus non est ipse, qui habitat. Et fortasse cum à persecutore ipsa domus dissipatur, aut incenditur, habitator surgit, ne simul pereat, & relinquit vacuam domum; quia ipsa domus, quam habitat, non erat ipse. Non sic Deus homo factus habitauit in nobis, id est, in carne nostra. Non sic Verbum Patris, vt alter sit habitator, & altera caro nostra, quam habitat. Vt quia a Iudæis carne occideretur, fugisset Verbum habitator.
E Absit hoc à fide Catholica. Sed sic est: Verbum, anima, & caro vna persona Christus filius Dei: sicut quilibet homo, anima, & caro est vna persona, Et cũ ipse homo occiditur, non anima, sed caro occiditur: & nullus alter quã ipse homo, moritur. Sic Christus filius Dei Deus, & homo tanta est vnitate personæ, vt ipse sit Deus, qui est homo. Et cum homo, id est, sola caro occiditur, nullus alter, quàm filius Dei moritur. Non diuinitate, nec anima, sed sola carne. In qua carne redemptio facta est humani generis. Vnde & redemptorem nostrum Dominum Iesum Christum, omnis Ecclesia confitetur.

Hoc totum quare diximus? nisi vt Verbum carnem factum vnum filium Dei probaremus. *Verbum caro factum est*, sed non est in carnem conuersum: sicut nec anima hominis conuertitur in carnem. Et cum in carne Christi habitat Verbum, in nostra natura habitat: quia — Ioan. 1. 14.

quia caro nostra est. Illi carni adiungitur Ecclesia, & fit Christus totus vna persona caput, & corpus. Et cum in sacris voluminibus aut homo, aut caro, aut corpus Christi nominatur; non solùm Christus: sed tota Ecclesia intelligitur. Sed habet consuetudinem sancta scriptura, vt de Domino, & eius corpore, quæ de vno, aut ad vnum loquitur, atque in vna persona modò caput, modò corpus ostenditur: Sicut Esaias, vt supra diximus, ait: *Induit*
Esa. 61. 10 *me vestimento salutis: quasi sponsum decoratum corona: & quasi sponsam ornatam monilibus suis.* In vna enim persona duplici vocabulo nominata; & caput, id est, Sponsum: & Ecclesiam, id est, sponsam manifestauit.

Proinde notandũ in scripturis, quãdo specialiter caput describitur, quando & caput, & corpus, aut quando ex vtroq; transeat ad vtrumque: aut ab altero ad alterum. B Sicq; quid capiti, quid corpori veniat, prudens lector intelliget. Sponsum autem Christum esse, & sponsam Ecclesiam, probat scriptura diuina, dicẽte Ioanne Baptista
Ioan. 3. 29. pro Christo in Euangelio: *Qui habet sponsam, sponsus est. Amicus autẽ sponsi stãs, & audiens vocem eius, præ gaudio*
Osea 2. 20. *exhilaratur.* Et alius Propheta dicit: *Desponsabo te mihi in fide, & charitate.* Denique hoc carni in Christo, & Ecclesia esse prędictũ, prætitulatio ipsa manifestat. Sic enim pronunciantur Cantica Canticorum: eo quod supra omnia Cãtica, quæ aut Moyses, aut Maria in exodo, aut Esaias, aut Abachuc, & cæteri cecinerũt, hæc meliora sunt Cantica: quia illi, aut pro liberatione prælij, aut pro conuersatione populi, aut pro admiratione diuinorum operum accenso animo, ac mẽte laudes dixerũt Deo: Hic tamen, quia Dei Ecclesiæ vox psallentis auditur, propter quod C diuina, & humana sibi inuicem copulantur, ideo Cantica Canticorum, id est, meliora meliorum nuncupantur.

Cant. 1. Cũ ergo dicit, *Osculetur me osculo oris sui. Quoniã meliora sunt vbera tua super vinũ*, nõ de hoc osculo carnali, sed de spirituali gratia loquebatur. Ecclesiæ etenim venerandæ immaculatæ virginis vox est ad Christum filium Dei tricenarium iuuenem, decorum, *speciosum for-*
Psal. 44. 3. *ma præ filiis hominum*, verba facientis. Quia alia sunt humana, alia diuina † oracola. Et ideo cum dicit Ecclesia:
† oscula
Cant. 1. 1. *Osculetur me osculo oris sui*, vult ipsa Ecclesia præsentem sponsum habere, & præsentis vocem audire. In præterito enim tempore, sermo Dei per prophetas ad synagogam loqui consueuerat: & quasi per alienum os pacis osculum dabat. Hæc ergo Ecclesia, quæ verè sponsa est D Christi, contenta non est, per Prophetas tantummodo Christi pacem accipere: sed magis ore proprio Euangelicæ traditionis præcepta suscipiens, à vero sponso velut osculum saociitans accepit. Et ideo osculetur me osculo oris sui. Quod quàm verè fuit adimpletum, hinc potest addisci. Nam ex eo, quod Christus filius Dei secundum hominem venire dignatus est, & carnem, animamque velut sponsam accipere, Lex & Prophetæ cessauerunt,
Matt. 11. 13. sicut Euangelista ait: *Lex & Prophetæ vsque ad Ioannem*
Ioan. 1. 17. *Baptistam.* Et iterũ: *Lex per Moysem data est, gratia autẽ, & veritas per Iesum Christum facta est.* Ecclesia enim, vt
Coloss. 1. 18. Apostolus definiuit, caro Christi est; qui ait: *Et ipse est caput corporis Ecclesiæ.* Cui tunc osculum ad osculum fide, & charitate impressum est, quando duo in vna carne cõ- E iuncti sunt: Id est, veritas & pax complexæ sunt se.

Psal. 84. 12. *Veritas*, inquit, *de terra orta est*, id est, caro Christi, qui de Virgine natus est; cuius origo æterna est. Pax de cælo prospexit, id est, verbum Dei, qui dixit: Ego sum pax. Et
Ioan. 14. 27. iterum: *Pacem meam do vobis.* Hoc est osculum verbum Patris Prophetarum ore annunciatum, quod à sæculis antiquis longa spe suspensa pependit. Quod quidem adueniente die sponsaliorum est adimpletum: per quod annulum fidei, & pronubum nuptiarum cælestium accepit Ecclesiam. Quid enim charius Christo, quam Ecclesia, pro qua suum sanguinem fudit? Aut quid Ecclesiæ amabilius Christo? cuius sancta, & immaculata coniunctione, magnam filiorum multitudinem per Baptismi regenerationem procreauit? Cuius fœtum copiosissimum sine dolore videmus profusum. Cuius effi-

A caciam; &, vt verius dixerim, artem nascendi, vel potius renascendi senties magis, quam narres: Intelligas potius, quam comprehendas: Nec virtutem ipsam videas, nec artem cognoscas, & tamen perfectum opus, quod magistra sapientiæ, & opifex ratio clausum dederit, cum debita veneratione laudabis. *Quoniam bona vbera tua*, inquit, *super vinum.* Habuit quidem prisca lex duo vbera, ex duabus tabulis lapideis, qui digito Dei impressa, candidum lac disciplinæ paruulo tunc populo præbuerunt: Sed nunc vbera Domini iam non duo, sed quatuor cognouimus. Quatuor enim Euangeliorum fontes, dulce lac sapientiæ credentibus tribuunt.

Deniq; Dominus ad Abraham, qui vtriusque populi pater est, secundum carnem scilicet, & noster ex fide, B cùm ei hæreditatem sæculi futuri promitteret, hoc inter cætera signum sacrificij postulauit: Capram trimam, & vaccam trimam: vt capra, quæ duo vbera habet, veteris testamenti figuram ostenderet. Et vacca, quæ quatuor, Euangelicæ disciplinæ. Hæc sunt bona vbera Domini, id est, Euangeliorum fontes aquæ: quæ meliora sunt super vinum propheticæ prædicationis, qua Lex vinum vetus intelligitur, Euangelium vinum nouum.

Duo enim genera vini in scripturis cælestibus legimus. Vnum, quod apud Chanaam Galileæ defecit ad nuptias: aliud, quod multò magis de verbo Dei aqua vinum est factũ. Vnde & Saluator dicebat: *Vinum nouum* Matt. 9. 17.
in vteres nouos mittere oportet. Quod quidem significabat nuptias Christi & Ecclesiæ: Id est, quando verbum Dei, animam hominis copulauit, cessaturum esset vinum, id C est, priscæ legis, & Prophetiæ: & aliud Euangelium ex Baptismatis aqua futurum. Vnde & credentes musto pleni sunt isto. Quid est enim de aqua vinum, nisi anima, quæ retro fuerat terrena, insipida, & aquata * in * quo
merum spiritus conuersa, præstantior sapore facta est?

Et odor vnguẽtorum tuorum super omnia aromata. Odor Cant. 4. 10.
vnguenti illius sacro-sancti chrismatis gratiam manifestauit, quæ super omnia synagogæ flagrat, & redolet. Illa enim habebat vnctionem de vnguentis factam odoriferis. Christi autẽ vnguentum ex septiformi sancti spiri- Cant. 1. 3.
tus suauitate descendit. Vnde & subiungit: *Vnguentum exinanitum nomen tuum*, Quare, itaq; *exinanitum*, breuiter indicabo. Priscæ legis reges, & sacerdotes, qui ex cornu chrismatis vngebantur, *Christi* dicebantur in lege, eo D quod similitudine vnctionis Chrismatis notam ipsam perfectiorem acciperent: & proinde vmbra potius, quam veritate *Christi* nomine vtebantur. Sed *vbi plenitudo di-* Coloss. 2. 9.
uinitatis, secundum Apostolum, *in Christo cõpleta est*, tũc exinanitum est nomen eorum regum, qui Christi dicebãtur: ne vlterius hoc censerentur vocabulo. Et verum permanet nomen Christi, quod ex vero vnguento, id est, sancti Spiritus plenitudine est effusum. Verum quod alibi ait: *Vnguentum effusum nomẽ tuum:* Eo quod ditissima veri Christi nominis gratia super omnes credẽtes dif- Cant. 1. 3.
fusa est, & omnem odorem notitiæ suæ fidelibus cunctis effuderit, Vnguentum effusum appellatum. * Vnde & orationes sanctorum in Apocalypsi * thymiamæ sunt cõ- * est
paratæ. Vnde & sequitur: *introduxit me rex in cubiculũ* Apoc. 5. 8. * Thymiamati
E *suum.* Hoc Ecclesia loquitur, quæ regem Christum Dei filium confitetur. Sed est cubiculum, vbi Christus rex Ecclesiam reginam introduxit, nisi in cælestis regni secretum. Quis etiam nesciat, illuc Christum Ecclesiam suam, id est, carnẽ suam introduxisse, vnde sine carne descenderat, id est, de * abdita cælorum. Carnẽ autem Chri- * f. ad abdita seu ab, de
sti Ecclesiam esse, Paulo Apostolo auctore didicimus, qui dicit: Caro Christi, quod est Ecclesia. Et cum per gratiarum dona multa membra sunt, corpus tamen vnum est. *Nam & corpus non est vnum membrum*, vt ait Apo- 1. Cor. 12. 14.
stolus, *sed multa. Si dixerit pes, quoniam non sum manus, non sum de corpore, non ideo non est de corpore. Et si dixerit auris, quoniam non sum de corpore, quia non sum oculus, non ideo non est de corpore. Si totum corpus oculus, vbi auditus. Si totum auditus, vbi odoratus? Quod si essent omnia vnum mẽbrum, vbi corpus? Nunc autẽ quidem multa membra, vnum*

*l. suptemi bra, vnum verò corpus. Quin ergo sancta Ecclesia, nisi * supremi sui capitis corpus est? In qua alius alta videt, oculus: alius recta operando, manus: alius ad iniuncta recurrendo, pes: alius præceptorum voce intelligendo, auris: alius malorum fætorem, bonorumque fragrantiam discernendo, nasus est: Qui corporalium more membrorum, dum vicissim sibi accepta officia impendũt, vnum de semetipsis omnibus corpus reddunt. Et cum diuersa in charitate peragunt, diuinum esse prohibēt, vbi continentur. Si autem vnum quid cuncti agerent, corpus vtique, quod ex multis continetur, non esset. Quia, videlicet, multipliciter compactum non existeret: si hanc concordiam membrorum diuersitas non teneret. Quia ergo sanctis membris Ecclesiæ virtutum dona Dominus diuidit, tanquam terræ mensuras ponit. Et cum vnus alteri gratiam à Domino datam inuidit, & eam nomini suo adscribere velit, alterius limitem transcendit, Limes enim à discernendo limitis nomen accepit. Qui gratię suæ mensuræ limitem transcendit, cadere vult: quia in præcipitio pedem ponit.

Vnumquemq; ergo reprimat metus diabolicæ ruinę, qui dum super voluit esse, quàm quod erat; & ipsum quod erat perdidit: & de alto præcipitatus profundi inferna promeruit.

Vnusquisq; ergo tanquam membrum corporis mensurā suam excedere non debet. Vnde iterum idem Paulus dicit: *Vnicuique sicut Deus diuisit mensuram fidei.* Rom. 12. 3.
Ephes. 4. 16. Item ipse dicit: *Ex quo totum corpus compactum & connexum per omnem iuncturam subministrationis secundum operationē in mensuram vniuscuiusque membri augmentum corporis facit in ædificationem sui in charitate.*

Sed cum miro consilio auctor, ac dispositor noster vni illa largitur, quæ alij denegat: quæ isti largitur, vnicuique mensuras ponit: mensuras positas egredi nititur quisquis plusquam acceperit, maior esse conatur: vt fortasse ille, cui tantummodo datum est præceptorum occulta disserēdo aperire, tentet etiā miraculis coruscare. Aut ille, quem supernæ virtutis donum ad sola miracula roborat, etiam diuinæ legis aperire occulta contendat. In præcipitio enim pedem porrigit, qui mēsurarum suarum limitem non attendit. Et plerumque perdit ea, quæ acceperat: quia audaciter præsumit ad ea, quæ pertingere non valet, arripere festinat. Nam & membrorum nostrorum tūc bene ministeriis vtimur, cum sua eis officia distinctè seruamus. Lucem quippe oculis videmus, vocem verò auribus audimus. Si quis autem mutato ordine, voci oculos, luci aures accommodet, huic vtraque in casum patent: Si quis autem odores velit ore discernere, sapores nare gustare, vtriusq; sensus sibi ministerium, quia peruertit, interimit. Dum enim prius hæc visibus non aptantur, & sua officia deserunt, & ad extranea non assurgunt. Alij namque datur sermo sapientiæ. Alij sermo scientiæ in eodem spiritu. Alij fides. Alij gratia sanitatum. Alij operatio virtutum. Alij prophetia. Alij discretio spiritus. Alij genera linguarū. Alij interpretatio sermonum tribuitur. Qualiter in vno, eodemque spiritu iste verbo sapientiæ polleat, nec tamen sermone scientiæ, id est, doctrinæ fulgeat. Quia sentire, atq; inuenire sufficit etiam, quod per discendi studium non apprehendit. Ille sermone scientiæ fulgeat, nec tamen in verbo sapientiæ cōualescat. Quia sufficit explere quantum dicit, & tamen ad sentiendum ex semetipso subtile aliquid non assurgit. Ille per fidem elementis imperat, nec tamen per sanitatis gratiam infirmitates corporum curat. Ille orationis ope morbos subtrahit, *nec tamen* verbo pluuias reddit. Iste operatione virtutum ad præsentem vitam etiam mortuos reuocat; & tamen Prophetiæ gratiam non habens, quæ ventura sunt ignorat. Ille ventura queq; velut præsentia attendit, & tamen in nulla signorum operatione se exerit. Iste, per discretionem spirituum, in factis subtiliter mentes conspicit: Illę diuersi generis linguas examinat; sed tamen in rebus similibus dissimilia corda non pensat. Alius in

A vna lingua, quam nouit, sermonum pondera interpretando, prudenter discurrit: & tamen bonis reliquis, quæ non habet, patienter caret.

Sic itaq; creator noster, ac dispositor cuncta moderatur: vt qui extolli poterat ex dono, quod habet, humilietur ex virtute quam non habet. Sic cuncta moderatur, vt cum impensā gratiā vnumquemque subleuat, etiam per disparem gratiam alteri alterū subdat: & meliorem quisque dono alio, eum qui sibi subiicitur, attendat. Ac licet reperire ex aliis sentiat, eidem tamen, quem superat, se in aliis postponat. Sic cuncta moderatur. Et dum singula, quę quærunt omnium interposita quadam charitatis necessitudine, fiant omnia singulorum Et vnusquisque sic quod non accepit, in altero possideat, vt

B ipse alteri possidendum quod accepit, humiliter impendat. Sic sunt diuersæ gratiæ, sicut & diuersa, vt diximus, corporum membra. Et quæ putamus ignobiliora esse membrorum corporis, his honorem abundantiorem circumdamus. Et quæ inhonesta sunt nostra, abundantiorem honestatem habent. Honesta autem nostra honestate nullius egent. Sicut iniqui dum increpatione feriri non possunt, quasi honoris tegmine velantur. Sed hæc de occultis potentum peccatis loquimur. Nam quando & aliis cognoscentibus peccant, aliis etiam cognoscentibus increpandi sunt: ne, si prædicator tacet, culpam approbasse videatur: atque hæc crescens in exemplum veniat, quam pastoris lingua non secat.

C Sancta ergo Ecclesia per prædicatores suos, qui dum facta mala sub dispectione increpationis increpant, labia, quasi parcens monet. Sed tamen parcendo non parcit, quia ab increpatione culpæ generaliter non tacet, quæ specialiter tacet.

Sanctā ergo Ecclesia, quod corpus est summi capitis Christi, in quantū se subleuat ad superna; in tantum amplius laborat, vt membra capiti conquirat, quæ corpus eius fiant, secūdum Apostolum, qui dicit: *Vos estis corpus Christi, & mēbra de membro*: Aliud est mēbrum corporis, 1 Cor. 12. 27.
aliud membrum membri. Membrum quippe corporis est pars ad totum membrum. Membrum verò membri est particula ad partem. Membrum namque membri est digitus ad manum, manus ad brachium Membrum vero est corporis, tam hoc simul, ad corpus diuersum. Sicut

D enim in spirituali Dominico corpore membra de membro dicimus eos, qui in eius Ecclesia ab aliis reguntur; ita in illa hæreticorum reproba congregatione, quæ totum corpus est diaboli, membra sunt carnium, qui iniquo opere quibusdam nequioribus coniunguntur.

Duę itaque partes sunt: vna quę est corpus Christi: Et altera, quæ est corpus diaboli, quę Antichristus dicitur. Quia dum bipertitus est vetus, & nouus, secundū Apostolum qui ait: *Primus Adā de terra terrenus: secundus de cælo cælestis.* Modò verò in Ecclesia duo Adā sunt. Terrenus, & cęlestis. Et qualis terrenus, tales & terreni. Et qualis cęlestis, tales & cælestes. Et ipse idem Apostolus dicit. *Primus homo de terra terrenus: Secundus de cælo cælestis*: Quæ vtraq; vnum est. Quia vbicunq; in scripturis 1. Cor. 15. 47. Ibid.

E sacris in veteri testamēto legitur homo, in Hebręo *Adā* dicitur. Nam cum nos dicimus in Latino illud quod in Psalmo octogesimo primo scriptum est: *Vos autem, sicut homines moriemini*: In Hebręo habet: Vos sicut Adā moriemini Et in octauo Psalmo: *Quid est homo, quod memor es eius? aut filius hominis; quoniā visitas eum?* Homo Psal. 81.
Adam accipiēdus est, filius hominis dominus noster Iesus Christus intelligēdus est: qui illius veteris Adam, qui per inobedientiā ceciderat, tunc memor visitauit, quando intra vterum virginis *Verbum caro factum est, vt habitaret in nobis.* Et cum Dominus dicebat: *Filius hominis tradetur in manus peccatorum*: ac si diceret: Filius Adam tradetur in manus peccatorum. Modo cum in scripturis legitur homo, tantum dem valet, ac si dicat, *Adam prior homo de terra terrenus. Secundus de cælo cælestis* Quarum vtraque & cum Adam Dominus exprimitur, & cum homo dicitur, de carne non exit, Ioan 1. 14. Matt. 26. 45. 1. Cor. 15. 47.

Sed fortè aliquis specialitatem quærit, vt dicat, qualiter dicitur Adam secundus, si Adam homo intelligitur: quia ante ipsum & post ipsum multi homines fuerunt?

Respondebo. Ante ipsum multi homines fuerunt: sed omnes veteres dicuntur, vnus Adam intelligitur vetus. Et quanquam Patriarchæ & Prophetæ Spiritu sancto repleti Christum expectabant: & si non habebant culpam suam, tamen pro ipso homine vetere in inferno tenebantur: Quia nullus eorum per se poterat egredi, nisi de cœlo secundus Adam nouus pro illis descenderet. Quia tàm homines illi, quos à potestate diaboli liberauit, quos secum ad cœlos, vnde sine homine descenderat, per nouum hominem reduxit, quam etiam & illi, qui post ascensionem eius ei iunguntur per fidem, cum omnibus his nouus Adam dicitur: & vnus homo dicitur. B Hoc non est carnaliter intelligendum, cum rationem quæris. Ratio hic non carnis, sed operationis est intuenda: quam Apostolus non humanis sensibus explicauit: Deum & Adamum veterem, & Dominum nostrum Iesum Christum ad primitias rerum malarum, bonarumque reuocat, ac reducit, duas formas vitales collocans in duobus: vt primus Adam habeatur, quisquis per vestigia eius erroris incesserit: Secundus Adam ille sit, qui Dominum fuerit imitatus. Hi sunt duo Adam, nouus, & vetus: sicut Apostolus ait: *In Christo enim Iesu neque circumcisio aliquid valet, neq; præputium, sed noua creatura.* (Gal. 5. 6) Non. n. magni est meriti, quid foris agatur in corpore hominis: sed pensandū est, quid agatur in mente. In mente efficitur noua creatura: per quod foris C deprehēditur in corpore, qualiter facta est noua in mente. Ad nouum hominem pertinet præsentem mundum despicere: transitoria non amare. Mentem medullitus in humilitate Deo, & proximo sternere. Contra illatas contumelias patientiam seruare. Et custodita patientia dolorem malitiæ à corde expellere. Egenis propria tribuere. Aliena non concupiscere. Amicum in Deo diligere propter Deum; & eos, qui inimici sunt, amare. De afflictione proximi lugere. De morte eius, qui inimicus est, non exultare. Hic est secundus Adam. Iste est nouus homo, quem Christus reduxit ad cœlos: sicut ipse discipulis suis ait: *Nemo ascendit in cœlum, nisi qui descēdit de cœlo filius hominis, qui est in cœlo.* (Ioan. 3. 13.) Cui sententiç statim cōcordat, quod ipsa veritas dicit: *Pater volo, vt vbi ego sum, & ipsi sint mecum.* (Ioan. 17. 24) D Qui sibi ipse Dominus in verbis suis non discrepat: Sed ad inquirenda hæc quasi discordantia, studium mentis nostræ inflammat. Omnes enim nos, qui in eius fide nati sumus, eius sine dubio corpus existimus. Quia igitur mira dispensatione pietatis membrorum suorum caput Dominus factus est, repulsa reproborum multitudine, solus est nobiscum. *Nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo.* (Ioan. 3. 13.) Quia dum nos vnū cum illo iam futuri sumus, vnde solus venit in se, illuc solus redit etiam in nobis, & ille, qui in cœlo semper est, ad cœlum quotidie ascendit. Quia qui diuinitate super omnia permanet, humanitatis suæ compage sese quotidie ad cœlos trahit. Non ergo se desperet humana fragilitas, Vnigeniti sanguini confidat: In pretium suum conspiciat, quam magnum est, quod tantum valet. Perpen- E dat solicitè, vbi caput præcessit. Et quæ ad viuendum præceptis adstringitur, ad sperandum exemplis roboretur. Confidat, cœlos speret, supernam patriam, angelorum se socium sciat: atque in suo capite prælatum se etiam angelis gaudeat. Amen.

Ad veterem quippe Adam pertinet præsentem mundum quærere: Transitoria ex concupiscentia amare: Mentem in superbiam erigere. Patientiam non habere: Et dolore malitiæ, de proximi læsione cogitare: Sua indigentibus non dare: Ad multiplicanda lucra terrena, aliena quærere: Nullum, præter se diligere. Inimicitias inimicis reddere: De afflictione proximi gaudere: De morte inimici exultare. Cuncta hæc vetusta sunt, hominisque, videlicet, de radice trahit corruptionem. Inter est vetus Adam, qui in scripturis sacris terre- A nus dicitur. Iste semper aduersatur Ecclesiæ Christi. Iste semper generat ad mortem. Hæc pars, quæ generat ad mortem, nox dicitur. Fiunt & hic Baptisma, & omnia Ecclesiastica Sacramenta: Sed quia & hæretici fidem, & subditi eorum, quos regunt, opere à se diuidunt Christum, & vnum videntur nobiscum commune habere altare. Et inde nomen paternitatis assumunt, per quam & sacramenta Ecclesiæ vsurpare præsumunt. Generant quidem filios: Sed quia Adam vetus est, non ad vitam generant, sed ad mortem: patres ab imperitis vocantur: sed pro eo quod recta non loquuntur, canes muti à propheta nuncupantur, qui ait: *Canes muti, non valentes latrare.* (Isa. 56. 10)

Patres verò hæreticorum dicimus eos, videlicet, quos hæresiarchas vocamus. De quorum peruersa prædicatione, id est, locutionis semine sequentes sunt populi B in errore generati. Sancta vero Ecclesia cum canibus gregis, qui sunt hæreticorum patres ponere dedignatur, quia inuentores errorum iudicando respuit: eosque inter veros patres numerare contemnit. Pro eo tamen, quod de Domino nostro Iesu Christo non recta sentiunt, eos cum canibus gregis sui non ponit: quia eos cum rectis prędicatoribus non adscribit. Liquido enim patet, quod Arius, Fotinus, Bonosus, Macedonius, Nestorius, Euticius, Dioscorus, Seuerus: & his nostris modo temporibus, Elipandus: multique horum similes, docendo, atque suadendo conati sunt Ecclesiam illudere, & Patres videri. Sancta vniuersalis Ecclesia districta ve- C ritate diiudicans, eos inter custodes gregis sui non numerat, quos eiusdem gregis vnitatem dissipantes damnat. De quibus voce Pauli Ephesiis dicitur: *Scio, quia post discessum meum ingredientur ad vos lupi graues non parcentes gregi.* (Act. 20. 29)

Et quia aliquando hæretici, quanto magis in perfidiæ errore blandiuntur, tanto magis sanctitatem simulant: & quasi tanta amplius in exterioris esse operatione: ita vt agere præ cęteris magna videātur: Sancta vniuersalis Ecclesia cuncta eorum opera despicit, quia ea ex auctoritate rectæ fidei non prodire cognoscit. Per hos Antichristus sibi filios generat, quos in aduentu suo fœdissimos testes in Ecclesia habeat.

Hi testiculi antichristi sunt, de quorum semine peruersa proles gignitur, quæ in Antichristi ore copulatur. D Vnde & per Iob ex voce antichristi dicitur: *Nerui testiculorum eius perplexi sunt.* (Iob 40. 12) Tantos iste Antichristus testes habet, quantos iniquitatis suæ prædicatores possidet. An eius testes non sunt, qui prauis persuasionibus corda hominum virulenta erroris semina fundendo corrumpunt. Aptè autem dicitur; *quod testiculorum eius nerui perplexi sunt*: (Ibid.) quia, videlicet, prædicatorum illius argumenta dolosis assertionibus innodantur, vt recta esse simulent, quæ peruersa persuadent: vt alligationum implicatio, quasi neruorum plexibus; vt si videri possit, solui non possit. De suo eius testiculi perplexos habēt quia acumine prædicatorum illius sub argumentis duplicibus latent. Plerumque autem, cùm verbis corda inficiunt, in opere innocentiam ostendunt. Neque enim ad E se bonos persuasione sua traherent, si se & in actionibus peruersos exhiberent.

Sed quia testes huius perplexi neruis illigantur, & rectos se ostentant, vel lateant, & peruersa corripiant, vt corrumpant, ipsum sine dubio suum caput imitantes, qui quasi Leo sedet in insidiis, & sæuit per potentiam terreni culminis, & blanditur per speciem sanctitatis. Sed Antichristus vtinam tunc solùm talia ageret suo tempore, & tunc quoque ad corrumpendam fidem & fidelium viscera hos hæreticos luxuriæ testiculos non haberet.

Neque enim malum sola lectione oris infunditur, sed peius; & à pluribus, operis exempla propinatur. Quam multi enim Antichristum non viderunt: Sed tamen testiculi eius sunt: quia corda innocentium actionis suæ exemplo corrumpunt. Quisquis namque in superbiam extollitur, quisquis auaritiæ desiderio cru-

ciatur

ciarit: quisquis luxuriæ voluptatibus soluitur: quisquis
iniustæ, & immoderatæ iræ flagris initiatur, quid aliud,
nisi Antichristi testis est? qui dum se libenter eius vsibus
implicat, exemplo suo aliis erroris fœtus ministrat. Ille
praua agit: ille praua agentibus adest, & adhæret. Et non
solum non increpat, sed etiam fauet. Quid ergo aliud,
quam Antichristi seruus est? qui perdidit authoritatem
promissæ Deo fidei testimonijs erroris. Quos tamen si
quis increpet, mox se sub quodam velamine defensionis
occultant. Quia videlicet eorum nerui perplexi sunt, &
male impliciti, qui per corruptionem solui nequaquam
possint: Et apparet quiddam in eis, quod doleat; sed la-
tet, quod pungat. Amaris dulcia, noxijs blanda permi-
scent: & potestate quidem admirandi videri appetunt:
Sed fallent arte, præmissa colloquia similiter subster-
nuntur: & per sermonem de se insinuant, quod per ex-
hibitionem negant. Vnde & rectè idem sanctissimus di-
Iob 40 13 cit: *Ossa eius, velut fistula æris*. Ossa eius æris fistulæ com-
parantur; quia nimirum more æramenti insensibilis so-
num bene loquendi habent, sed sensum intelligendi non
habent. Hoc namque, quasi humiliter asserunt, quod
clarè viuendo contemnunt. Vnde bene per Paulum di-
1. Cor. 13. 1. citur: *Si linguis hominum loquar, & Angelorum, charita-
tem autem non habeam, factus sum velut æramentum so-
nans, aut cymbalum tinniens*. Bona quippe loquens: sed
per amorem eadem bona non sequent. Velut æs, aut
cymbalum sonitum reddit, quia ipse non sentit verba,
quæ ipse dicit.

An non Elipandus more cymbali à Toleto sonitum
mittit, & insensatus est: quia ipse non sentit verba noua,
quæ dicit. Vt enim fides firma daretur Ecclesiæ, duode-
cim Apostoli sunt à Christo electi; quorum Petrus cum
esset eorum primus, solus non est ausus componere sym-
bolum sed duodenario numero Apostolorum cum ma-
gna est cautela collectum, & credentibus assignatum.
Ideoque qui in tali confessione permanserit, à superue-
niente ira timere non poterit. Duodecim fuerunt Christi
discipuli prædicatores fidei, & doctores gentium. Qui
cum omnes vnum essent, vnum etiam composuerunt
communiter symbolum; qui singuli singula verba dixe-
runt vnius fidei inuicem concordantia sibi. quæ tantum
duodecim sunt verba. Elipandus solum in sua fide vnde-
cim posuit: quia & denarij vnum numerum excessit, &
ad duplicatum vt tredecim esset, non peruenit. Quæ ver-
ba æqualiter diuisa, vndecim, & vndecim fiunt, vt apertè
Quod ipse primus Spaniæ se præfiguraret Antichristum. daretur intelligi † ipse primus † Spaniæ præfigurans se
Antichristum. Extulit solus totam gratiam habere A-
postolorum, qui solus sine collatione fratrum compo-
suit nouæ fidei documentum.

Nimis iste apparet elatione superbus, qui semetipsum
cum Christo prædicauit Christum. Sic enim de illo
quem præfigurauit, per Paulum dicitur: *Ita vt in templo
Col 2. 4. Dei sedeat ostendens se tanquam sit Deus*. Et rursum per eun-
Ibid. dem dicitur: *Qui versatur, & extollitur, & colitur supra
omne, quod dicitur Deus, aut colitur*. Etenim sancti dij di-
Colun se, lonna sen cornu. cuntur, sed non coluntur † Solus Christus dicitur Deus,
& colitur: super quem Antichristus se eleuauit: cuius
mysterium nunc videmus. Quia omnes, qui contra Ec-
clesiam sunt, in Antichristi corpore sunt, cuius supra in
vna bestia mentionem fecimus. De qua Daniel cum quar-
Dan 7 8. tam bestiam diceret decem cornibus fultam, protinus ad-
iunxit, dicens: *Considerabam cornua: Et ecce cornu aliud
paruulum ortum est de medio eorum. Et tria de cornibus
primis euulsa sunt à facie eius. Et oculi quasi oculi hominis
erant in circuitu, & os loquens ingentia*. Vndecimum quippe
huius bestiæ cornu esse describitur, quia regni eius po-
tentia in iniquitate roboratur. Siue quia inter decem re-
ges Romanorum ipse erit vndecimus. Omne enim pec-
catum vndenarium est dictum, quia dum diuersa agit,
præcepti decalogum transit. Et quia in cilicio peccatum
plangitur, hinc est, quod in tabernaculo velut cilicina
vndecim fiunt. Hinc per vndecimum Psalmum dicitur:
Psal. 11. 2. *Saluum me fac Domine, quoniam defecit Sanctus: quoniam*
A *diminutæ sunt veritates à filiis hominum. Vana loquuti sunt
vnusquisque ad proximum suum. Labia dolosa in corde, &
corde loquuti sunt mala. Disperdat Dominus vniuersa la-
bia dolosa, & linguam magniloquam*. Magniloqua lingua
est, cum se super omnes extollit, & sibi magnus videtur.
Hinc Petrus, ne in vndenario numero remaneret, Apo-
stolos metuens, Mathiam duodecimum sorte missa re-
quisiuit. Hic nisi enim signari culpam per vndenarium
videret, implere Apostolorum numerum tota festina-
tione duodenarium non curaret. Quia ergo per vnde-
narium numerum transgressio exprimitur, huius bestiæ
cornu vndecimum ipse auctor transgressionis indicator.
Quod videlicet paruulus nascitur, quia purus homo ge-
neratur Sed immaniter grandis crescit: quia vsque ad
coniunctam sibi virtutem Angeli fortitudinis profecit.
B Quod tria cornua, quæ ei ante faciem sunt, euellit, quia
ditionis suæ regna totidem, quæ sibi vicina erant, subij-
cit. Cuius oculi sunt, vt oculi hominis: Sed os ingentia
loquitur: quia in illo humana quidem forma videtur;
sed verbis suis vltra homines eleuatur.

Ecce nunc iam apertè vide purum hominem Elipan-
dum, & tanta elatione superbum super omnem se Ec-
clesiam eleuare, vt omnes tanquam bruta animalia putet
esse. Verba etiam fidei suæ, quæ in suis iolerunt epistolis
in tantum sunt fidei Apostolicæ contraria, quantum &
inter se discordantia.

Quæ verba dupliciter vndecim fiunt, vt dupliciter se
in tantum eleuaret, vt in tota Ecclesia solum super eum
descendisse Spiritus sanctus, † sicut finxit Montanus, & Videretur.
duæ prophetissæ ipsius. Prisca & Maximilla, qua aduen-
C tum Spiritus sancti promissum a Domino, in se potius
quam in Apostolis, fuisse credunt. Vt illi Ecclesiæ, quæ
adhuc in lacte est, cum talis surgit in prædicatione qualis
Elipandus surrexit. Moriuntur infantes. qui adhuc per
tempus poterant ad solidum peruenire cibum: Sed tunc
moriuntur, quando decipiuntur. De hoc Dominus præ-
scius futurorum, discipulos in Euangelio admonet, di-
cens: *Væ prægnantibus, & nutrientibus in illis diebus. Et* Matt 24. 19.
orate, ne fiat fuga vestra hieme, vel sabbato. Quod ex su- Marci 13
perioribus manifestum est pendere. *Cum enim Euangelium* Matt 24. 14.
*Christi cunctis gentibus fuerit prædicatum, & venerit con-
summatio, viderent abominationem desolationis, quæ dicta
est à Daniele Propheta, stantem in loco sancto, tunc præci-
pitur his, qui in Iudæa sunt, vt fugiant ad montes. Et qui in
E tecto non descendant tollere aliquid de domo sua*. Statimque
coniungitur: *Væ prægnantibus, & nutrientibus in illis die-
bus*. In quibus diebus? Quando abominatio desolationis
steterit in loco sancto. Et quid erit abominationis, nisi vt
integer Christus Iesus, quod non sit filius Dei, & verus
Deus, ille, qui de virgine natus est, quem Iudæi crucifixe-
runt. Abominatio erit desolationis, quando apertè pro
Christo suscipitur Antichristus, & adoratur: & Christus
Deus esse negatur. Iam longè Antichristus non est, quia
iam Christus Deus esse negatur. Quod quidem, iuxta li-
teram, de aduentu Antichristi, nulli dubium est, quam
persecutionis magnitudo compellit fugere: & graue est
ferre paruulos. qui lactentes fugam retardant. Licet qui-
dam Titi, & Vespasiani aduersus Iudæos, & præcipuè
Ierusalem obsidionem, pugnamque significari velint.
F Hyemem quoque & sabbatum sic interpretantur, ne eo
tempore fugere compellantur, quando duritia frigoris
in agris, & in desertis locis fugientes latere non patitur,
& obseruatio sabbati, aut præuaricatores facit, si fu-
giunt, aut hostium gladiis subiacere, si sabbati otium,
& præcepta obseruauerint. Sed non est tempore Vespa-
siani completum, & Titi; sed nunc in aduentu Antichri-
sti. Nos autem audientes Dominum Saluatorem, vt
qui in Iudæa sunt, ad montana confugiant, id est, qui
confessores sunt, ad fidem, & doctrinam Apostolicam
confugiant: Ipsi quoque oculos leuamus ad montes, de
quibus scriptum est; *Leuaui oculos meos ad montes, vnde* Psa 120 1.
veniet auxilium mihi. Et alio loco: *Fundamenta eius in* Psa 86. 1.
montibus sanctis. Et, *Montes in circuitu eius, & Dominus* Psa 124. 2.

Matt. 5.14 *in circuitu populi sui.* Et, *non potest ciuitas latere super* A
montem posita Et discalceati nos pedem literæ, nudis pe- Exod. 3.3
dibus cum Moyse ascendentes montem Sina, dicamus:
Transiens videbo visionem hanc magnam; vt possimus in-
telligere prægnantes animas, quæ de semine doctrina-
rum, & sermonibus Dei initia fidei conceperunt, & di-
Esa. 26.18. cunt cum Esaia: *A timore tuo Domine concepimus, & par-
turiuimus, spiritum salutis tuæ facimus super terram.*
Sicut enim semina paulatim formantur in vteris, &
tamdiu non reputantur homicidium, donec elementa
confusa suas imagines, membraque suscipiant: ita sensus
ratione conceptus, nisi in opera proruperit, adhuc vẽtre
retinetur, & cibo abortiuo petit, cum videt abominatio-
nem desolationis stantem in Ecclesia, & Satanam trans-
figurari in Angelum lucis, id est hæreticum. Et de istius- B
modi Paulus cum fletibus loquitur: *Filioli mei, quos iterũ
Gal. 4.19 parturio, donec Christus reformetur in vobis. Vellem antẽ
esse apud vos modo, & mutare vocem meam, quoniam con-
fundor à vobis.* Ecce Paulus mutare vult vocem in partu
suo, vt prædicationis sermo in rugitum vertatur doloris.
Mutare vult vocem, quia quos iam prædicando pepere-
rat, reformando gemens iterum parturiebat. Qualem
rugitum patiens emittebat quando eisdem *post se* redeũ-
tibus exclamare cogebatur, dicens: *O insensati Galatæ,
quis vos fascinauit? Et sic stulti estis, vt cum spiritu con-* C
ceperitis, nunc carne consummamini? vel certè *currebatis bo-
Gal. 5.7. ne, quis vos impediuit veritati non obedire?* Qualis in hu-
ius partu rugitus fuit, qui multo tẽpore conceptos filios
cum tantis laboribus peperit, & quandoque partos ad
malitiæ vterum reduxisse cognouit? Consideremus, quid
doloris habuerit? Quid laboris? Qui postquam potuit
concepta ex vtero edere, iterum compulsus est extincta
suscitare. Nisi enim prædicatores sancti ab illa immen-
sitate contemplationis internæ spiritualis conciperent,
& ad infirmitatem nostram humillimâ prædicatione,
quasi quadam incuruatione descẽderent, nunquam vti-

A que in fide filios procrearent. Nobis quippe prodesse
non poterit, si in suæ altitudinis erectione persisterent.
Moriuntur semina in partu, qui necdum formati fuerãt
in fide, dum hæretici cœperint hæreses prædicare. Ipsi
hæretici discipulos Pauli occiderant, quia Christum in
pectore illorum occiderant. Quos reuocat ad vnam fi-
dem dicens: *Filioli mei, quos adhuc parturio, donec Chri-* Gal. 4.19
stus formetur in vobis. Has ergo animas arbitror, iuxta
mysticorum intellectus, esse mulieres. De quibus ipse Apo-
stolus scripsit. *Mulier seducta in transgressione fuit. Sal-* 1. Tim. 2.
uabitur autem per filiorum generationem, si permanserit in 14.
fide, & charitate, & sanctitate cum pudicitia. Quæ si do
sermone diuino aliquando generarunt, necesse est, quæ
generata sunt, crescere, & primum accipere lac infan-
B tiæ, donec perueniat ad solidum cibum, & ad naturam
ætatem plenitudinis Christi. Omnis enim, qui lacte ali-
tur, imperitus est, & mente paruulus; in ratione iustitiæ
infantulus est. Hæ igitur animæ, quæ adhuc non pepe-
rerunt, siue quæ nondum potuerunt ea, quæ generata
sunt pascere; cum audierint sermonem hæreticum stan-
tem in Ecclesia, citò scandalizantur, & pereunt: & in
tempestate, atque in persecutionibus permanere non
possunt; præsertim, si otium habuerint bonorum ope-
rum, & non ambulauerint in via, quæ Christus est.
De hac abominatione hæretica, peruersaque doctrina
C dicebat Apostolus, quòd homo iniquitatis & aduersa-
tius *eleuet se contra omne, quod dicitur Deus*: & religio: 2. Thes. 2. 4.
*ita vt præsumat stare in templo Dei; & ostendere, quod ip-
se sit Deus.* Cuius aduentum secundum operationem
Satanæ, & ea, quæ concepta sunt, facit petire abortione,
& ea quæ nata sunt, ad pueritiam, & ad perfectam æta-
tem peruenire non posse. Quamobtem orandus est Do-
minus, ne in exordio fidei, & crescentis ætatis oriatur
hyems frigoris, id est. hæreticorum prædicatio nouella.
De qua hyeme scriptum est ex voce sponsi: *Iam hyems* Cant. 2. 11.
transiit, imber abiit, & recessit.

Cætera desiderantur in autographo.

FINIS.

LECTORI, PETRVS STEVARTIVS, &c.



CIRCA tempora Alexandri III. Pontificis Maximi, vixit in Franconia quidam Folmarus, Petræ Stillantis, seu Truffenstemij Præpositus, qui præter cæteros errores, quibus infectus erat, in hunc etiam Elipandi, vel Nestorij, de persona & adoptione Christi incidit: quem cum in Bauaria disseminare tentaret, occurrerunt duo ex Bauaria Monachi non indocti; alter Gerohus, seu Gerochus Monasterij Reichenspergensis Præpositus; alter eiusdem Monasterij Decanus, quorum iste proprium & vastum volumen aduersus Folmarum conscripsit; ille in opere, quod de inuestigatione Antichristi indigetauit, Folmarum quoque refellere haud omisit. Vtrumque opus exstat in Boicis Bibliothecis; vtrumque lucem mereretur, nisi dum scriptores isti ab vno extremo, hoc est, ab Elipandismo seu Nestorianismo, quàm longissimè recedere cupiunt, propius ad alterum extremum, nempe ad Eutychianismum seu hodiernam Lutheristarum Vbiquitatem accessissent. Quia in id, quod assumptum est, seu in humanam naturam assumptam, perfectiones diuinas realiter transfusas dogmatizant; ita vt id, quod assumptum est, propter huiusmodi communicationem diuinarum perfectionum, sit verè & per omnia æquale Deo seu diuinitati. Quæ sunt germana Vbiquistarum deliria.

Vt autem tibi, amice lector, gustum aliquem præbeam eius Apologetici, quod contra Folmarum, Decanus Reichenspergensis conscripsit; en tibi præfationem Auctoris; & principium Libri.

INCIPIT PROLOGVS SVBSEQVENTIS OPERIS.



DIVERSIS diuersa de Christi secundum carnem natalibus simul & gloria, qua nunc apud Patrem glorificatur, sentientibus; nonnullis verò ex eis etiam nostra dicta vel sensa super his lacerantibus; insuper vero etiam falsa quędam nobis impingentibus, subsequentis Operis necessitas mihi imposita est. Quod tamen Epistolari compendio terminari potuisse ad horā putaui. Sed dum vel nostra asserui, vel aduersantium calumniatorum dictis & obiectionibus obuiaui; dum mendaciter nobis imposita depuli, in longum idem opus protelatum est: quod sequestrata Epistola, Apologeticum dici volumus. Eo quod in ipso ea, quæ verè nostra dicta sunt, næuo prauitatis carere monstrantes, B etiam falsò nobis imposita depulimus.

Sic autem impulsionem hanc calumniantium accepi, tanquam per eos inter diuersas de Domino diuersorum opiniones, ipsum nobis dicentem audirem; *Vos autem quem me esse dicitis?* (Matth. 16.) Cuius & generationi secundū carnem quoque diuinissimæ, simul & gloriæ per meritum Passionis etiam homini in paternæ maiestatis consessu acquisitæ, ex deuotione simul & cautela testimonium perhibui, vt sperem me ab illa Petri testificatione, qua dixit; *Tu es Christus filius Dei viui;* (Ibid. 16.) simul & ab alijs Euāgelicis & Apostolicis testimonijs hominis assūpti diuinitati & gloriæ perhibitis non aberrasse. Quamuis autem liber ipse ad personam vnam in longinqua regione positam destinatus sit; omnes tamen, qui non capriosè, sed piè legere nostra curauerint: putent sibi eum destinatum, ad quorum etiam ammonitionem paratus ero corrigere, quęcunque vel rationi contraria, vel à sancta scriptura dissona, vel sanctorum Patrum assertionibus aduersa, nobis in nostris demonstrare potuerint.

Quod si vnum quempiam, vel duos ex Patribus citra ea, quę dicimus, remāsisse inuenerint; obsecro, ne nimis festini, nostri, nostrorumq; dictorum Iudices sint. Nam quod vnus, vel duo minus fortè vno in loco dixerūt ab alijs non minoris auctoritatis viris vel ab ijs ipsis alias suppleta, si quærent, inuenient. Ad hoc autem sanctorum Patrum dicta pro nobis facientia in eodem opere nostro, vel aceruum testimonij, locis opportunis congessimus, vt venientes eòusque aduersarij persequentes nos, vltrà progredi non præsumant.

A Sed nec illa, quæ nobis contraria putantur, omisimus, vt eadem determinando, cum sanctæ Canonicæ scripturæ sensibus, quoad potuimus, faceremus concordare. Nam vt Patres ea loquuntur; quæ cum sanctæ Canonicæ scripturæ apicibus concordant, ibi non determinatione, sed fide maiore opus est, etiam si ea, quæ dicūtur, humanæ intelligentiæ facultatē excedant. Sed nec vnā huius Opusculi nostri pagellā quis lectā, id, quod in ea, his quæ in scholis fortè audiuit, aut quæ sua sibi dictat opinio, contrariū inuenerit, in contradictionem vel sugillationem nostri rapiat, vel codicem. quasi amaricantibus ad insuetum cibum dētibus, detestetur, quin potius lectis cum præcedentibus & subsequentibus conferat; & vt spero, omnia salua erunt.

† Sententia Adam Decani, de hæresibus.

(*† Alia, recentiore manu, est Epigraphe ista in SS. apposita †*)

MAgistro P. † venerabili Herbipolensis Ecclesiæ Decano Fr. A dictus & ipse, diuina clementia, Reichersperge nsis Cœnobij Decanus; si quid valet, peccatoris oratio.

Scie & vestræ honestatis non latere personam, quantas & quales, vicinus vester Folmarus de Petra stillante dictis, † magistro nostro Reichenspergensi Præposito iniurias irrogauerit, in Epistola sua, domno nostro Tauauensi Archiepiscopo missa, non me temerariū apud vos iudicari arbitror, si me scutum opponere ient vero pro illo, cuius & germanitate secundum carnem frater & in Domino filius sum: Sed enim, vt verum fatear, C Epistola illa maledicta, & maledicenda, siquidē maledictis plena, mendacijs respersa, felle amaritudinis infusa: vt pote, iuxta nomen Auctoris, de *felle amaro*, & amaritudinis missa, nondum à magistro nostro perspecta est, hoc me ad vos scribere inchoante. † Quia iure inter cætera id bonum (est) contentionis huius, vt cum Epistola fortè ad eum, contra quem erat scripta, peruenisset, simul quoque & ea, quæ a iu sessent contrà dicta, acciperet; & quem in iniuriarum fortè acerbitas humanitus contristasset, iniuriarum depulsio, simul & mendaciorum exinanitio consolaretur.

(*† Gerobo seu Gerocho.*)

(*Non exstat hæc epistola Folmari. †*)

Quamuis ne id quidem contristare nos debeat, quasi noui nobis aliquid contingat. Nec enim nouū, virtuosis improbos inuidere, nonnunquam sibi eos, qui nullius nominis aut meriti sunt, ex detractione in Ecclesia virorum spectabilium comparare; infelices se, ac sine causa

natos arbitrã es, nisi nomen suum quoque, nacti occasionem, sparsent in populum, ne homines viuentes, morientesque fallant, si apud eos vel falsæ virtutis opinione, cum verè non possent, vel saltem in malum, cum non possent in bonum, memoriam non relinquant. Hęc namque intentio plerosque sicarios, latrones, piratas, & aliorum scelerum Principes ac Duces effecit; dum quęrebant magis & per malefacta, insuper & mendaciter apud homines celebrari, quàm feliciter in silentio vitã peregisse.

Hinc & noster Follis amarus non quiescit, scribit & rescribit: legendas circumfert Epistolas liberè increpationis plenas. Principes occultè scriptis infamat: quibus tamen in facie adulans, munuscula eorũ libenter Giezitico more, acceptat. Porrò doctrinæ peruersitate aërem ipsum maculat; natalibus Domini nostri Iesu Christi derogat: dicens cũ in eo quod homo est, vt auribus nostris audiuimus, non aliter esse filium Dei, quam vnum ex nobis. Resurrectionis quoq; gloria, & honores ascẽsionis glorificatum, negat paternæ æqualitatis gloriam introisse, aut introire potuisse. Resistentes verò sibi nos in hac pestiferà doctrinà, mendacijs commaculat; suũque mortuum filium nobis nocturnà fraudulentià, sed apertà coram Principibus & laicis procacià, oritur supponere: nostrum verò viuum sibi vendicare: Sed, iudicante Rege Salomone, non proficiet. Archiepiscopos & Episcopos in Epistolis suis imperitiæ vel negligentię arguit, & addicit, ducem se non iam cæcorum solum, sed & videntiũ constituens: quasi ipse melius de longè, quæ apud eos gerenda sunt, quàm ipsi sua de propè cognoscant. Hęc sanè impigrè ac temerariè satagit; non vt eos iniquitati; sed, magis nostræ innocentiæ infensos efficiat. Sustineant verò illi, quandiu volunt, eius insipientiam, cum sint ipsi sapientes, nam †noster, dulcem patientiam exsuperat; contra quos linguam serpentinã exacuit, virus euomit, os vipereum dilatat. non quidem vitam in nobis temporalem, sed id, quod Deo viuimus, quodque Christiani veri sumus, & esse ac dici cupimus, volens exstinguere.

Quæ & qualis hæresis Folmari.

† Gerochus

Sed agat, & satagat, quantum volet, quantumq; Deo permittente, à suo sessore Diabolo concitatur. Nã Deo nos protegente, quandiu superest halitus in nobis, non incidemus id, in quod nos præcipitare molitur, contra Deum negationis baratrum, vt cum ipso in Dominum Iesum dicamus blasphemiã, vt negemus hominem assumptum, in Deum, esse Deum, esse proprium Dei Patris filium, esse id, in quod assumptus, & in quod ex Spiritu sancto, & Maria Virgine natus est. Cuius peruersæ in faciem resistentem doctrinæ †Magistrum nostrũ draconi in occulto sibilanti comparat: quasi ipse Magister noster ea, quæ de hominis in Deum assumpti vera diuinitate loquatur, hactenus in occulto, & non in palàm locutus sit. Quasi non de verbo hoc contra nouos Paulianistas, Nestorianos, Photinianos loquẽs & scribens, aures etiam Romanæ Ecclesiæ impleuerit. Non est autem erubescendum, de Christi & hominis assumpti in Deum gloria, Euangelium, sicut Paulus quoque Apostolus non erubuit gloriæ beati Dei: haud dubium, quin Domini nostri Iesu Christi; quemadmodum ait; *Non enim erubesco Euangelium Christi. Oleũ enim effusũ nomen eius:* & iam olim per publicũ prædicatum est, manifesteq; magnum est illud pietatis sacramentum: *quod manifestatũ est in carne, iustificatũ est in spiritu, apparuit Angelis, prædicatũ est gentibus, creditũ est mundo assumptum est in gloria.* Nempe, *omnis lingua iam confitetur, quia Dominus Christus Iesus in gloria est Dei Patris.*

† Gerochum

Rom. 1. 16.

Cant. 1. 3.

1 Tim. 3. 16.

Phil. 2. 11.

Vnde prorsus elinguis, ac penitus in Ecclesia Christi non audiendus, quisquis paternæ gloriæ consessum homini à Verbo assumpto abrogauerit. Etenim in omniũ linguarũ eum iam in gloria Patris esse confitentium numero computandas intelligitur. Sibilare nos more draconum dicis, cum potius eius, qui ita fari gestit, sibilus antiqui serpentis sit, qui cum in cœlo fil. j Dei locũ, id est, Altissimi similitudinem appetens, id ipsumq; homini suadens, ab intentionis suæ cursu ceciderit, nunc alià vià tortuosos ac lubricus incedens, filioque prælationem glorię inuidens, eum à Patris cõsessu, ad hominum communem vsque similitudinẽ molitur deducere vt in fide hominum non aliter in humana natura filius Dei, quàm vnus ex nobis sit: nec aliter in gloria Dei sit credendus, quàm vnus quispiam magnorum Angelorum, vel hominum; quantulam tamen sanctis hominibus & Angelis potiorem gloriæ mensuram obtinens, ad ipsam verò immensam diuinitatis gloriam non pertingat.

Folmari Epistola.

Miranda nimis ac detestanda veternosi serpentis astutia: qui vt olim congruum suæ nequitiæ inuenit organũ; ita nunc sibi delegit Folmarum, *follem amarum*, per quem id hominibus suadeat, quod in Christum Iesum, tanquam in Deum credendum non sit: quod homo ille in Deum assumptus, Dei Patris naturalis & proprius filius non sit: quodque in plenitudinem paternæ gloriæ obedientià mortis consummatà, non transierit: ac proinde nec latria ei, quæ soli Deo debetur, sed potius dulia sit exhibenda. Ecce igitur plus quã Nestorius hic. Ille enim hominem coadorandum Verbo docuit: quemadmodũ ait; *separo naturas, vnio adorationem.* Itẽ; *Inconfusam igitur naturarum custodimus coniunctionẽ. Confitemur in homine Deũ; veneramur diuinæ coniunctionis omnipotenti Deo coadorandum hominem.* Iste verò, nec coadorandum quidem censet. Tanto igitur iste præ Nestorio damnatione dignior est: quanto ab adoratione Verbi, carnem Verbi longius excludit.

Principium libri.

Item; Nestorius B. MARIAM, Dei genitricem dici vetuit; dicens, eam non Deam, sed tantum hominem Deo coniunctũ genuisse. Iste, & amplius in errore pessimo procedit; dum & Deum Patrem esse assumpti à Verbo hominis negare præsumit; afferens pro argumento illud Philosophicũ, quo dicitur; *ex insensibili nil sensile nasci.* Hoc enim argumentum, si ex naturalibus in Theologiã admittitur: exinanita est fides, qua Ecclesia hactenus indubitanter confessa est Virginis filium, Dei quoque filium existere, quia sicut totus Deus, totusque homo est. ita vtriusque parentis totus est filius constẽdus. Sed ne in naturalibus quidem penitus constare videtur argumentum, quo ex insensibili nil dicitur sensile nasci; & è conuerso, cùm videamus ex vita grani, quæ sensibus non percipitur, herbam & spicam, simul & alia in spicà grana nasci. Pone enim grana frumenti alia ad solem, aut in furno desiccata; quorum alia, ea videlicet, quæ ad solem siccata sunt, seminibus adhuc apta erunt; alia verò minimè; eo quod vitalis in eis vigor exstinctus sit: sensu tamen in his, vel illis vigorem vel exstinctionem eiusmodi in nullo percipiente. Si verò dicitur insensibile id, quod sensu nõ percipitur nihilq; ex eo sentiens nasci; id esse falsum, quam plurimis argumentis edocetur; cùm videamus è terra vermes, & animantia quàm plurima nasci; sicut è fimo etiam equino bruchorum quædam species procreatur.

De insensibili & sensibili.

Verùm, nos sicut ad fidẽ, quæ in Deum nobis est, naturalium non ducimur argumentis: ita, vbi eadem deficiunt fidẽ infirmare non possunt. *Aufer argumenta,* ait quidã sapiens, *vbi fides quæritur.* Et Apostolus; *Fides,* inquit, *est sperandarũ substantia rerũ, argumentum non apparentium.* Et B. Papa Gregorius; *Fides,* ait, *non habet meritũ, cui humana ratio præbet experimentũ.* Igitur in his, quæ secundum Deum credenda sunt, quanto ratio deficit, tanto meritum fidei perficere perdocemur. Neque verò pater noster Abraham ideo infirmatus est in fide, quia videbat proprium corpus emortuum, & emortuã vuluam Saræ; cuius si vere filij sumus, exempla imitari debemus.

Hebr. 11. 1.

Videmus autem & in naturalibus quedã fieri naturæ adulteria, super quibus etiam illud legis præceptum est; ne coire faciat Iudæus iumenta sua cum alterius generis animalibus, ex quo videlicet coitu, animalia, quæ

De adulterio naturæ.

nascuntur, neutrius parentis speciem plenè retinent; sed biforme quiddam, & monstruosum, mistumque, vt ait Poëta, genus est. Super qualibus & nos quidam indisciplinatè arguere ausus est; quia Christum ex Deo & Virgine MARIA natum, biforme velimus genus facere. Sed absit a nobis horrisonum illud dictu vel cogitatu, vnquam vel mente concipere, vt supernaturalia Dei, adulterijs naturæ associemus: vel Dominum nostrum Iesum Christum, biforme quiddam, quod nec Deus plenè, nec homo sit, arbitremur. Etenim supernaturalia Dei naturalia humanæ naturæ ad imaginem suam facta, nec corrumpunt, nec excludunt: quin potius sua vnione super semetipsa in diuinam ambitur attollunt, in propria quidem natura & ipsa manentia, & humana conseruare potentia. Quod enim supernaturale est, in omnia natura in omnifariam potens est, suæ tamen sublimitatis & excellentiæ iure in omnibus conseruato; nec ad indigna se penitus inclinans. Vnde & Deus, more nostro, videre & audire in scripturis sanctis dicitur: cùm tamen, more nostro, nec aurem ipse, nec oculum habeat.

Supernaturalia in omnibus naturalia conseruasse.

Vnde & Dauid dicere nec voluit, nec debuit: qui plantauit aurem, nonne & ipse aurem habet: &. qui finxit oculum; nonne & ipse oculum habet? sed; *Qui plantauit aurem* ait, *non audiet?* aut, *qui finxit oculum, non considerat?* Sicut ergò audit & videt: ita quoque suæ diuinitatis modo tangit, quæ suo attactu digna iudicauerit: suæ, inquam, sublimitatis modo videt Deus, audit atque tangit & operatur, in nullo corporei membri vtens, vel indigens instrumento. Quomodo enim aure vel oculo, aut manu ad audiendum, videndum & tangendum vel operandũ indigeat, qui totus sibi auris, oculus & manus est? Videt autem, audit atque tangit Deus, non nostræ passibilitatis modo, sed suæ impassibilitatis & æternitatis virtute. Videt atque audit omnia, non quo visus eius in rem oppositam agat, vel auditus sonos offendentes & aduolantes excipiat; sed, quod eum nihil nostrorum motuum, vel cogitationum ne dicam dictorum, lateat: nihilque eorum, quæ fecit, aut quæ voluit, sibi eius contuitum atque scientiam celare valeat. *Omnia enim nuda & aperta sunt oculis eius.* Videt omnes & omnia, quæ fiunt, siue in cœlo, siue in terra, diuerso tamen, quod in effectis patet, contuitu; quosdam videlicet per gratiam, quosdam verò per iram. Vnde scriptum est; *Oculi Domini super iustos; & aures eius in preces eorum. Vultus autem Domini super facientes mala, vt perdat de terra memoriam eorum.*

Psal. 93. 9.
Hebr. 4. 13.
Psal. 33. 16 17.
De visu, auditu, atque tactu Dei.

Similiter autem & operatur Deus, manu propria ad agendum nec vtens, nec indigens: quippe cuius velle, fecisse est. Amat quoque & zelat Deus, non quod nostræ infirmitatis modo passibiliter, sed suæ virtutis priuilegio impassibiliter: Qui sicut totus oculus, ita & totus amor est. Tangit quoque animas suo attactu dignas, quas videlicet suo attactu ipse dignas effecerit. Eius verò tetigisse, est, præsentiæ suæ, & ingressus in animas sanctas sensibile eius signum dare: imo & miro, atque ineffabili modo, eas, cum voluerit, nunc intellectu, nũc & in affectu, interdum quoque in sensu, mira quadam, & huic sæculo penitus ignota suauitate afficere. Quippe qui totus ipse suauis & vera atque summa suauitas est. Quasdam verò in æmulationem, atque zelum cõtra vitia & vitiosos, spiritus sui igneo quodã afflatu suscitare. Sic autem hoc agit, vt vigilantes, seu dormientes interdum signa quædam diuinæ visitationis in semetipsis recognoscant: sanctis solummodò, quos Deus nouit, experta & vsitata maximè; tũc, cum eos in opus aliquod spirituale suscitare voluerit. Quorum nimirum Deum diligentium ac dilectarum Deo animarum pro experimento diuini attactus, in amoris Cantico hæc vox est: *Dilectus meus misit manum suam per foramen, & venter meus intremuit ad tactum eius.*

Experimentio & fructus diuini attactus.

De fructu quoque suscitationis operationis eius, addita dictum sub secuto, subsequenter subiecit dicens; surrexi vt aperirem dilecto meo. Nequaquam enim suscitatæ & fœcundatæ animæ ministerium suum Deo negare poterunt; quin surgant, & oris pessulo discluso Verbum Dei tractando, ipsum in corda auditorum vel legentiũ introducat. Et talis quidem animarum fœcundatio ex dilectione est.

Cant. 5. 4.

Aliæ verò & ex timore concipiuntur: quarum vox est *Domine à timore tuo concepimus, & peperimus spiritum salutis fecimus super terrã:* in omnibus tamen nihil indignum se, diuinitas agit cum hominibus, vel Angelis, habitans in eis, & in eis, ac per eos agens, quæ vel ipsorum, vel aliorum saluti conducunt. Imò vero, valdè decet Deum ista dignatio; vt ei de salute nostra, & de laude sua per nos amplianda, cura sit. Nos quippe sumus illa Sion, de quâ scriptum est; *Te decet hymnus Deus in Sion, & tibi reddetur votum in Hierusalem.* Neque verò innaturale est Deo habitare cum hominibus: quippe quos ad imaginem suam contemplandam condidit: sicut oculus noster solus, præ omnibus membris, ad solis lumen creatus est. Vnde & vniuersam Ecclesiam simul & singularem quamlibet sibi dilectam, seque diligentem animam, sponsam vocare dignatus est: seque ab ea sponsum vocari non dedignatur. Quin & inter hanc sponsam, & se, per spiritum suum decantari, & scribi procurauit Epithalamium, carmen videlicet nuptiale; Vnde totus ille tertius libellus Salomonis contextus est. Super cuius amoris experientiâ Paulus quoque Apostolus dicere non dubitauit: *Pax Dei, quæ exsuperat omnem sensum.* Item; *Nunc cognosco ex parte, tunc autem cognoscam sicut & cognitus sum.* Item; *Corpus non fornicationi, sed Domino, & Dominus corpori.* Et illud; *Qui adhæret meretrici, vnum corpus efficitur, qui autem adhæret Domino, vnus spiritus est.*

Alios à timore, alios ex amore diuino concipere.
Psal. 64. 2.
Phil. 4. 7.
1. Cor. 13. 12.
1. Cor. 6. 13.
Ibid. 16. 17.

Et hoc dicimus, vt nec inconsuetum, nec innaturalem inter Deum & rationalem creaturam demonstremus amorem. Nihil enim ferè magis naturale Deo, factori omnium, quam diligere facturam suam: præcipuè tamen eam, quam ad sui imaginem, & similitudinem condidit, quam ad se cognoscendum & diligendum creauit. Sicut item rationali creaturæ valdè naturale est, factorem suum, versa vice diligere. Nam, si qui rationales spiritus, Deum factorem suum non vident, ex vitio id potius naturæ, quàm ex eorũ natura est. Igitur omnes Angelici spiritus & homines, qui tamen ad annos discretionis venerunt, ex propriæ conditionis natura, Deum nosse ac diligere possunt, qui tamen in eo ipso, quòd naturaliter apti sunt, non proficiunt, nisi diuinitùs adiuti. Quod verò non omnes adiuuantur, non ex defectu potentiæ, vel bonitatis diuinæ est; *sed ex vitio ipsorum*, eius adiutorium non quærentium, quamuis ne ipsum quidem, sine ipso quærere vtiliter valeamus, vt totum bonum nostrum potius gratiæ ipsius, quàm meritis nostris imputetur: & ei soli sit gloria, cuius & gratia est, &c.

Naturale Deo, facturam suam diligere.

LVCÆ TVDENSIS EPISCOPI,

DE ALTERA-VITA, FIDEIQVE CONTROVERSIIS.

Aduerſus Albigenſium errores, Libri III.

Anno M. DC. XII.
INGOLSTADII IN LVCEM EDITI A P. IOANNE MARIANA, SOCIETATIS IESV THEOLOGO.

PETRO CARVAIALIO CAVRIENSI EPISCOPO, IOANNES MARIANA S.



VCÆ TVDENSIS diſputationem contra ſui temporis Hæreticos, hoc eſt, Albigenſes, *(ea enim ſecta Lucæ ætate viguit) in tuo nomine publicare conſtituo, mutui inter nos amoris, noſtræ que in te obſeruantiæ monimentum poſteritati. Quod fore officium gratum conſidebam nobilitate argumenti, fructus prouentu, quem copioſum ſperamus, tum ſinceritate offerentis; maiora daturi, ſi vires ſuppetant modo, continenti ſtudiorum labore & ætate præcipitante iam pene fracta. Alioqui animus erat conari, ſi qua alia re poſſim, Eccleſiæ* CHRISTI *iam pridem inteſtinis diſſidijs laboranti opem aliquam noſtris vigilijs afferre.* CHRISTO, *vnde omnia fluxerunt, vitam, ſalutem, ſtudia conſecrare æquum profecto eſt. Hunc quidem alieni laboris fœtum, noſtra diligentia expolitum è tenebriſque altiſſimis in lucem tandem productum, in eo per latus Albigenſium noſtros ſectarios iugulatos videre non erit ingratum. Tuum nomen in operis fronte legi ab ijs, qui in hæc inciderint, æquo, vt arbitror, feres animo, noſtroſque pro pietate conatus, tuo patrocinio iuuabis. Vale.*



R. P. IACOBO GRETSERO SOCIETATIS IESV THEOLOGO,

ANDREAS SCHOTTVS.



XEVNT tandem aliquando, perguntque ex Hiberia in Germaniam, mi Pater, pridem abs te exoptati atque efflagitati tres Lucæ Tudensis Episcopi libri; *aduersus Albigensium eius aui errores, quos nunc etiam tempestatis huius sectarios cupide amplecti, ac pertinaciter tueri video, doleoque.* Chronicon *eiusdem Tudensis, hoc est, ingens Isidoriani Chronici auctarium cum reliquis Chronologis lucem nuper aspicere cœpit: vtrumque opus, me hortante maxime, Mariana nostro acceptum est referendum; æternum alioqui latuisset, aut, vt alia plurima insignium Theologorum monumenta, hominum incuria funditus intercidisset. Chronica quidem illa Eusebiana tempora, vt Prosper Aquitanus, Victor Tunnunensis, ac Ioannes Gerundensis, deinceps pretexunt, temporum vt series longius queat perduci.*

De his autem Controuersiis Fidei, *quas à me recensitas mitto, sic habeto: Primum de ætate: Floruisse nimirum Gregorio IX. & Cælestino IV. Pont. Max. hoc est, ante annos pœnè CCCC. Illius in manibus Crucis Christi lignum vidisse se lib. 2. affirmat: meminitque non raro B. Francisci ac Dominici sodalium, quorum familia recens tum orta: & hac ipsa, quod recens natam in Gallia* Albigensium, seu Pauperum de Lugduno *hæresim concionando assiduè refelleret,* Prædicatorum *nomen merito induit. De argumentis autem, varia pertractari video: vt de futuro sæculo, quo de* Prognosticon Iulianus *quoque scripserat, Episcopus & ipse Toletanus, ac libro*, De statu animæ, Claudianus Mamercus *Viennensium Galliarum Episcopus: nostra vero memoria* Lucas Pinellus, *Societatis nostræ doctus iuxta ac pius;* De altera vita *disseruit. Et verò de* Nouissimis *ad populum concionari vltissimum idem illi Patriarchæ B. Dominicus; ac B. Franciscus rectè indicarunt, & hac quidem lib. 1.* Lucas *noster, auctoribus potissimum vsus* B. Gregorio *in Dialogis, &* S. Isidoro *Hispalensium Præsule in* Sententiis, *seu* De summo bono. *Altero autem volumine de* Sacramentis *agit: tum verò de* Cruce, *ac de triplici* Crucis *genere: tum de* Peregrinatione *sacra: in quam & Ministri stringere calamum cœperunt, sed qui facilè retundi atque hebetari queat. De Cruce tres tu quidem Tomos eruditos sane ac laboriosos, nihil vt addi posse videatur euulgasti:* Tudensi *tamen hæc argumenta legere non grauaberis. Tertio etenim lib. de Hæretica cancro prauitatis agit, quod in Sacros etiam libros grassari corrumpendos soleant vt vndique relinquere videantur, quod non Harpyiæ istæ inquinent vnguibus; idque linguarum, quibus potissimum se iactant, præsidio nixi, & superbiæ typho turgidi. Leges igitur hæc, libenterque accipies, vt profecta à Socius tui Studiosis tuorumque laborum in propugnanda Ecclesia Dei Catholica, scriptisque perpetuo duraturis Rob. Card. Bell. defendentis à calumniis oblatrantium Hæreticorum. Vale in Domino. Antuerp. Kal. Mart. 1609.*

IOANNIS MARIANAE PRAEFATIO IN LVCAM TVDENSEM.

DE OPERIS AVCTORE, SCRIPTIQVE CONSILIO: & de Albigensium Hæresi.

GRAVISSIMA Hæreses mala in Ecclesiam inuexerunt, magnisque incommoda rempoblicam implicarunt. Nec mirum; pestis enim in modum grassantur, serpuntque velut cancer: ac nisi nascenti malo tempestiue occurratur, multo profecto difficillima curatio sit. (*1. ad Tim. 2. v. 17.*) Veteres historiæ testantur, plurima exempla exstant, nostra & auorum ætate calamitatum, quas Reipub. Christianæ hæreses initio neglectæ, neque conuulsæ radicitus importarunt. *Capite*, inquit sponsa, *nobis vulpes paruulas, quæ demoliuntur vineas*, (*Cant. 2. 15.*) hoc est hæreticorum prauitatem, priusquam adolescat, extinguite, furorem & amentiam nascentem in ipsis incunabulis suffocate. Quo enim alio impietatis conatus spectant, quam vt vineam Domini Sabbaoth depascantur? actisque occultè cuniculis pietatis arcem (*Isa. 5. 14.*) Catholicam Ecclesiam euertant? Nocent illi quidem plurimum, multosque inficiunt pestilentiori afflatu, & per dulces sermones & benedictiones seducunt corda (*Ad Rom. 15. vers. 18.*) innocentum, eosque verborum suauitate deceptos in laqueum mortis inducunt, errantes ipsi & in errorem mittentes alios; multo tamen plures in fraudem aguntur iis libris, qui in omnes Christiani orbis partes hæreticorum diligentia, & incredibili audacia dissipantur, speciosis titulis more malorum Medicorum promittentes sanitatem, re vera venena lethalia curiosis, & incautis mentibus instillantes; quo maior cautio excitanda est. Nam his artibus quantum malorum inuectum sit commemorare non attinet, cum res ipsa loquatur, & propemodum necesse est sensibus placeant, quæ cum turpitudine coniuncta sunt, & Christianam libertatem (sic ipsi loquuntur) vitiorum licentia, & impuritate definiunt.

Verum hæreticorum audaciam frenare Pontificum est, Principum partes mature occurrere malo: & præterita accusare facilè est; opem aliquam, & remedium adhibere salutare. Quod alij quidem feliciori conatu, & maiori eruditione præstabunt: nos dum maiora non possumus efficere, vt animus erat, aliorum diligentiam votis prosequemur; &, ne nihil facere videamur in seditione populari motuque, dolium nostrum (vt quidam Philosophus faciebat) peruolutabimus, (*Diogenes Cynicus apud Lucianum.*) recentibus hæreticorum libris veterem disputationem opponemus, qua pleraque hæresum capita contra Albigenses iugulantur, quæ nostra tempestate Sectarij tanta animorum contentione tuentur. Iuuabit ex libello cognoscere, quid in simili caussa Hispania, ac vero vniuersa piorum natio ante quadringentos annos iudicarint; neque erit inutile omnium hæreticorum fraudes, & insidias in Albigensibus exploratas habere: iidem enim sunt solo discrepantes nomine, eiusdē certè instinctu & inflatu percelluntur cacodæmones in nostra ruina, atque Ecclesiæ dissidio exultantes: cui nihil magis est cordi, quam nostra calamitas. Verum quæ auctori occasio scribendi exstiterit, & quo pacto hic liber in nostras manus venerit, adhæc de origine erroris pauca dicenda sunt.

D. ISIDORI Hispalensis corpus, Benabeto Rege Mauro concedente, Hispali Legionem ante quingentos amplius annos translatum est, cura ac diligentia Ferdinandi Regis eo nomine Primi, pro Iustæ virginis & martyris sacris exuuiis, quas expetierat mutatum, atque in Diui Ioan[illegible] Baptistæ ea vrbe supra aram maximam in aurea theca, vincente materiam arte, collocatum, regiæ pietatis monimentum in vtroque præclarum, exemplumque quod posteri Hispanorum reges semper sunt colēdis sacris cineribus imitati. Alfonsus Imperator Biatia de Mauris capta, potissimum ISIDORI præsidio ac monitu, ad augendam templi religionem illud Canonicis regularibus attribuit; quorum erat celebris eo tempore opinio sanctitatis. Sic vetus ædis sacræ appellatio noua mutata, ac DIVI ISIDORI nomine dicta est, accessit multitudinis studium votaque frequentibus miraculis excitata, quæ ad Isidori sepulchrum, eiusque virtute innumera ea ætate contigere. Ea vt litteris commendata ab obliuione vindicarentur, multi cupiebant. LVCAS LEGIONENSIS patria (sic arbitror) vir ardenti ingenio, qui Romam, Constantinopolim, Cyprum, ipsumque caput sanctitatis Hierosolymam præsens lustrarat Gregorio nono Pontifice Maximo, ingenii, atque eruditionis specimen dederat. DIVI ISIDORI CHRONICO locupletato productoque ad suam ætatem, stylo magis graui quam nitido, sed studiosius veritatis sermonis elegantiam accipiat à Theologo, non requirat. Id opus à plerisque ISIDORI nomine per errorem citatur cum sit eius minima ex parte; multaque sint addita & commutata, vix vt antiqua dignosci possint, nisi cum germano ISIDORI CHRONICO conferantur: quod Braulio Cæsar Augustanus de ISIDORI CHRONICO ait. *Ergo Lucas multis hortantibus noua diligentia tum D. Isidori vitam, tum miracula iusto volumine scribere aggressus est, præsertim auctore Berengaria regina Ferdinandi Regis sancti matre sanctissima: cui vt obtemperaret in priori etiam opere laborarat.* Quo in opere DIACONVM se ipse vocat in præfatione his verbis. *Nos vero ad libros Chronicorum à Doctore Hispaniarum Isidoro editos manum misimus, secundo, quosdam alios Hispanorum Regum, & aliorum quorundam seriem prosequendo: præceptis gloriosissimæ Hispaniarum Reginæ Dominæ Berengariæ omni desiderio desiderantes fideliter satisfacere. Ipsa enim, cuius præceptis non licet, nec libet resistere, mihi LVCÆ indigno Diacono, vt hoc perficerem, imperauit* Hoc auctor.

Postea verò Episcopum Tudensem creatum in confesso est, atque in ea vrbe sepulchrum eius monstratur, Beati Petri Gonsalui ex ordine Dominicano, quem viuentem coluerat sepulchro olim coniunctum, vti ipse moriens testamento fieri mandauit. Fuit RODERICO SEMENO, TOLETANO ARCHIEPISCOPO ferme æqualis, Heliæ familiaris, vt ex hoc libro coniicimus, ei qui à D. Francisco institutum ordinem eo abdicante, concedenteque, gubernandum suscepit: nam quæ ab eo audierat, ipse commemorat, non absque honoris præfatione. De LVCA hæc dicta sunto.

De libris id constat neutrum hactenus formis expressum in manus hominum lucemque venisse: & prioris quidem manuscripta multa exemplaria exstant, posterioris vnum tantum & alterum. Seruabatur Legione in DIVI ISIDORI opus autographum, ab auctore in eo monasterio relictum. Ioannes

Castellæ

Castellæ Rex, eo nomine Secundus, pro eo studio, A quo litieras prosequebatur, inde commodatum accepit: filioque Henrico quarto cum reliquo regiæ cultu, thesaurisque reliquie; qui deinde Elisabethæ sorori cum regno cesserunt. Id nactus, regina mortua aut concedente, Franciscus Ximenius Cardinalis Hispaniæ in publica Bibliotheca Complutensis Academiæ collocauit, quam ipse ad Parisiensis exemplar, expressam sapientiæ arcem construxerat; vnde inumeri homines prodierunt vtriusque Philosophiæ congnitione eacellentes, diuinæ atque humanæ. DIVI ISIDORI sodales Legionenses re explorata codicem sibi restitui postularunt, maiorum socordiam, aut obliuionem, posteris oe fraudi esset excusantes. Æqua petere visi sunt, lite tamen contestata facultas modo permissa est nouom B ea veteri eaemplum describendi, sic duo ea vno sunt facta: neque plura exempla ijs duobus integra in Hispania extant. Compluiensem codicem nos superioribus annis nacti, cum iussu Philippi Secudi Hispaniarum regis Catholici castigandi DIVI ISIDORI opera quædam cura iniuncta est: eo excuso considerauimus posteriorem operis partem consumi hæreticis insectandis, quia ea tempestate vigabant, quoniam ij quia in cæteris procacitate sanctorum hominum, qui cum CHRISTO in cœlo regnant cultum, miracula, auctoritatem eleuant. Hanc nos partem describendam curauimua secretam ab alia: rudem indigestamque molem in libros, & capita distinximus, & ad marginem diuinarum Scripturarum locos omnes, qui citabantur atqua Pa- C trum plerosque notauimus, ea quibus liber ferme compactus est. Ad hæc disputationeoi inscripsimus CONTRA ALBIGENSES, quoniam ea pestia LVCÆ ætate grassabatur maximè, eosqoe proprie exagitandos sumpsisse multis præterea argumentis erat exploratum. Priorem operis partem in lucem edere nunc quidem consilium non erat, quæ DIVI ISIDORI miraculis vitaque propriè consumitur: tametsi non inanis opera futura erat tanti viri laudea celebrari eo libro publicato; nisi aliena diligentia occupati essemus eiua, qui priorem partem lingua vulgaci euulgauit: LVTHERANOS, CALVINIANOS, cæterasque pestes in Albigensibus impugnari, in quibus reuixisse videntur D maiori impudentia, pari libertate, neque ingratum, neque inutile forte iudicabam, vt spei prouentus respondeat, Deum, cœlitesque omnea precamur.

Locus admonet vt de Albigensium origine, & placitis pauca dicamus. In Aquitaniæ atque Tolosani principatus parte, vbi Cadurci sunt, ALBIS sita est, quæ vrbs veteribus ALBA AVGVSTA fuit Cæsari Iulio Commentarijs de bello Gallico, ad Tarnis fluminis ripam, cum primus in Gallia nobilis, ager omni fertilitate conspicuus, frumenti vinique feraa, homines minimè mali, innocentia, probitate, candore præ cæteris Galliæ populis insignes atque præclari, quæ virtutes in perniciem vertuntur facile, si E coeruptor adiit, fucata oratione fallaa. Ab ea *vrbe Albigenses. siue Albianses, siue Albices*, (ijdem enim sunt) nomen habent Hæreticorum secta eaitialis, Innocantij Tertij Romani Pontificis ætate in Gallia eaorta, quod plerique auctores testantur. Resistit vnus vir magni nominis, eruditionis opinione clatus nostra ætate, colluuiemque Albigensium ea Hispania in Galliam irrupisse confirmat, nescio quid secutus: nisi fortè Petrum Aragonium regem sugillare voluit, patrocinio eios nationis suscepto etiam inter Hispanos infamem, da cuius expeditione atque eaitu pauca dicenda sunt, atque ab ea ignominia certe geos nostra vindicanda. Ergo ab ALBI vrbe ALBIGENSES dicti sunt, siue vnde ortum habuit tabes, appellatione desumpta; siue cum vis mali in eam gentem maaimè incubuisset, ab ea factiosis cæteris Albigensium nomen est factum tetrum inoidiosumque..

Petrus Cisterciensis monachus, qui de Albigensibus visa explorataque in historiam tetulit, Innocentio Tertio Pontifici dicatam, hæreticos Tolosates, atque aliarum vrbium & oppidorum, eorum protectores communi nomine ALBIGENSES vocari consueuisse ait abusu loquentium: PROVINCIALES HÆRETICOS (hoc est in prouincia Phocæensi natos) eo nomine nuncupantium. Omnino nouus ille furor haud longissimo spatio, (vt est vulgus hominum in deteriora pronum) non modò Galliam vniuersam peruasit, sed etiam in Hispaniam intimam penetrauit; vti LVCAS ipse TVDENSIS in hoc opere auctor est Legionem, vrbem Pontifice vacuam, hæreticoa confluxisse: atque in sordidissimo loco, vbi duo homines nefarij sepulti erant, alter hæreticos, parricida alter, finxisse fieri miracula; fontemque eo loco, tabo de industria pollutū, manare sanguine, quo nimirum vera Sanctorum Miracula in ludibrium verterentur, quasi simili arte à quæstuosis, & astutis hominibus ad fallendam multitudinem excogitata. Nec mirum tam late eam labem fuisse diffusam, cum Albigensium secta à primo eaortu principum virorum (quæ magna pernicies est) fauore fuerit armata. Tolosatia primum Comitis, deinde Fuaensis Biteratom & Conuenarum. Accessit Petri Aragoniæ Regis patrocinium, quoniam hæ tres vrbes in eius fide erant. Tolosæ præterea Comes affinitate iunctus, nam tertijs nuptijs Eleonoram duaerat Aragoniæ Regis sororem, filios Raymundus patri cognominis, qui ex ea familia postremus Tolosæ Comes fuit, Sanctiam, alteram Aragonij Regis sororem, connubio iunctam habebat. Alioqui sententia Rea & appellatione Catholicus à factiosis opinionibos vehemētee abhorruit; cuios rei multa argumenta sunt, corona regia de manu Pontificis Innocentij Tertij Romæ in D. Pancratij; quo religionis ergo se contularat, accepta; regno etiam vectigali facto Pontificibua Romanis: quod insitæ pietatis certissimum indicium est. Deinde Iacobus filius, quem in spem regni susceperat, Simoni Monfortio, vt educaretur, instituereturque optimis præceptia à tenera ætate traditus mutui amoris, sinceræque pietatis pignus; preterea edictum à patre Alphonso promulgatum, ab ipsoqoe confirmatum salotis Anno M. C. XCIV. adoersus *VValdenses*, seu *pauperes de Lugduno*, qui ijdem *Albigenses* sunt, nomine alio: cum eadem fermè vtrorumque essent doctrinæ capita, neque multum discrepant ætate, qoæ caosa Aimerico extitit ea Prædicatorio ordine Inquisitori in Aragonia, quoioimus inter alias hæreses, atque hæreticos Albigēses numerarit, quod video alijs auctoritatibus per ea tempora haud dissimili caussa contigisse. Verum Regij diplomatis eaemplum hoc loco suhijciendum putauimus.

Aldefonsus Dei gratia Rex Aragonum, Comes Barcinone, Marchio Prouincie, vniuersis Archiepiscopis, Episcopis, & cæteris Ecclesiarū Regni Prelatis, Comitibus, Vicecomitibus, militibus, & vniuersis populis in regno & in potestate sua constitutis salutem, & integram Christiane religionis obseruantiam. Quoniam Deus populo suo nos praesse voluit, dignum est & iustum, vt de saluatione & defensione eiusdem populi continuam pro viribus nostris geramus sollicitudinem. Quapropter precedentium nostrorum imitatores, & iure canonibus obtemperantes, quia hereticos à conspectu Dei, & Catholicorum omnium abiectos vbique damnandos atque persequendos censuerunt, VValdenses *videlicet siue* Insabbatatos, *qui alio nomine se vocant* Pauperes de Lugduno, *& omnes alios hereticos quorum non est numerus, a sancta Ecclesia anathematizatos ab omni regno nostro & potestatue, tanquam inimicos Crucis* CHRISTI *Chri*-

ſtianæque religionis violatores, noſtro & regni publicos hoſtes, exire ac fugere præcipimus. Si quis igitur ab hac die, & deinceps prædicto V Valdenſes & Inſabbatatos, aliosve hæreticos, cuiuſcumque fuerit profeſſionis in domibus ſuis recipere, vel honorum funeſtam prædicationem aliquo loco audire, vel his cibum, vel aliquod beneficium largiri præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei & noſtram ſe nouerit incurriſſe, boniſque ſuis, abſque appellationis remedio confiſcandis, ſe tanquam reum criminis læſæ maieſtatis puniendum. Et hoc noſtrum edictum, & perpetuam conſtitutionem per omnes ciuitates, Caſtella, & villas regni, & dominationis, ac per per omnes terras poteſtatis noſtræ Dominicis diebus recitari ab Epiſcopis, ceteriſque Eccleſiarum rectoribus, atque a Vicariis, Baliuis, Iuſtitiis, Merinis, & Zafalmerinis, omnibuſque populis obſeruari, & prædictam pœnam tranſgreſſoribus inferendam, mandamus. Notandum etiam, quia ſi qua perſona nobilis aut ignobilis aliquos ſæpe dictorum nefandorum quibus iam per triduum edictum noſtrum innoteſcere conſtiterit, alecubi regionum noſtrarum inuenerit non prorſus aut cito tamen exeuntes, ſed potius contumaciter commorantes, aut deambulantes, omne malum, dedecus, & grauamen, quod his præter ſolummodo læſionem mortis, aut membrorum detruncationem intulerit, gratum, & acceptum erit in oculis noſtris, & nullam inde pœnam pertimeſcat quoquo modo incurrere, ſed potius gratiam noſtram ſe nouerit promereri. Damus autem nefandis illis inducias (quamuis quodammodo præter debitum, & contra rationem fieri videatur) vſque in craſtinum Sanctorum omnium, quo vel egreſſi fuerint de terra noſtra vel egredi inceperint, deinde ſpoliandis, cædendis, ac faſtigandis, & turpiter, male tractandis.

Ergo Rex Aragonius priuata neceſſitudine ductus Hæreticorum patrocinium ſuſcepit: ne Simon Monfortius, quod agi videbatur, multorumque perſuaſio habebat, ſpecie pietatis alieni iuris vrbes principatuſque occuparet, armatus penetrauit in Galliam. Verum eius noxæ iuſtiſſimas pœnas morte dedit cæſus in prælio ad Murellum arcem facto, victuſque à multo minore hoſtiũ numero; nam octingenti equites & mille pedites Simonem Monfortium ſequebantur (exigua manus pro hoſtium numero) ſed bonitas cauſæ animos faciebat, diræ Pontificis, cœleſtis vindicta, orbis Chriſtiani inuidia aduerſarios debilitauit, opportunoſque iniuriæ reddidit Aragonium maximè promiſcuæ libidini fœditate reliquas virtutes ſuggillantem, vſque eo vt vxorem innocentiſſimam repudiarit propinquitatis ſpecie: & quoniam ſuperioribus annis Conuenarum Comiti coniugio deuincta fuerat, illegitimo ſcilicet, & inauſpicato, vti dati Romæ in cauſa iudices pronunciarunt. Atque de Rege Aragoniæ hactenus.

Albigenſiũ errores qui fuerunt. ALBIGENSIVM placita multa fuerunt. Nullum enim erat fermè impietatis genus, quod ij homines non ſuſciperent, docerentque alios. *Duo, cum Manichæis, principia rerum inuexerunt: ea cauſa non ſemel à* LVCA *illis Manichæorum nomen affingitur, corporum reditum in vitam negabant, aſſerebant animorum, pari amentia, traſmigrationem, Sacerdotibus remittendi peccata poteſtatem detrahebant, & quod maioribus inauditum erat, neque aquam Baptiſmi ad expianda peccata vim habere putabant, neque in Euchariſtiæ Sacramento Chriſti corpus eſſe, preces pro mortuis, & vota fruſtra ſuſcipi.* Longum ſit ire per ſingula: & quis audeat omnẽ impiorum hominum væcordiam literis commendare? eo progreſſi ſunt, vt Dei matrem virginem voce impuriſſima *meretricem* vocarent, vti Guillelmus Nãgiacus ait proximi ſeculi ſcriptor. Pari procacitate Chriſtum Deum Mariæ Magdalenæ turpi amicitia iunctum dixerint. Sic Petrus Ciſtercienſis ait: Proh dedecus & amentiam omnibus ſuppliciis vindicandam.

Præcipua impiæ ac turbulentæ ſectæ capita, ac ferè quę illis cum noſtris Sectariis communia ſunt, tum alii

A auctores impugnarunt, tum noſter LVCAS, admixtis toto opere multis quæſtionibus, quas eo ſæculo diſceptatas, & noſtro non ingratas fore Lectori ſtudioſo cogitabam, Impugnant hereticos GREGORII potiſſimũ & ISIDORI teſtimoniis & auctoritate, qui eadem ætate in Italia, atque Hiſpania pari doctrina, atque ſanctitatis laude floruerunt. Admiſcet aliorum Patrum dicta nonnunquam, verum hæc frequẽtiora ſunt. Ad reuincẽdas hæreticorum fraudes ſatis fore iudicabat, ſi tantorum virorum teſtimoniis aduerſari illos oſtenderet. Nondũ enim ea tempeſtate eo temeritatis erãt progreſſum, vt Patrum eorum teſtimonia, vel ipſi hæretici flocci facerent: quod faciũt noſtræ ætatis hæretici mirabili imdentia, negantes Patrum antiquorum vllam rationem habendam: quod homines fuerint ſæpe hallucinati: fidei dogmata ad Dei verbum reuocanda contendentes, heroes ipſi maiores conditione mor-
B tali de cœlo dilapſi ad humani generis ſalutẽ ſcilicet, & non potius omnium turpitudinum maculis deformati. Ergo GREGORIVS, ISIDORVS, AVGVSTINVS, BASILIVS homines fuerunt, atque explicandis literis ſæpe prolapſi ſunt, illis fidendum eſſe negatis, vobis ſalutem noſtram tuto committamus, qui maiori perfuſi lumine ea è diuinis libris eruere potuiſtis Chriſtianæ religionis capita, quæ illis in mentem venire nunquam potuerint, ac vero mirabili conſenſione locis quamuis & tẽporibus ſæpe diſiuncti refutarunt. Non aliud de rebus diuinis Italia, aliud Africa, aliud Germania aut Hiſpania cenſuerunt, omnium prouinciarum vna erat mens, & oratio, quod diuinæ atque Apoſtolicæ doctrinæ certiſſimum indicium eſt. Et poſt tot ſæcula exurgant pauci homines, qui omnes prouincias, & ætates magnis inuolutas erroribus, & tenebris fuiſſe, ſibique credendum fidendumque con-
C tendant: qui maiori lumine veritatem tenebris obſitã, atque in altiſſimo puteo (vti ille dicebat) demerſam in lucem produxerint. Non ita nos Paulus docuit, cum ad Epheſios ſcribens capite 4. *Et ipſe*, inquit, *dedit quoſdam Apoſtolos, quoſdam autem Prophetas, alios vero Euangeliſtas, alios autem Paſtores, & Doctores ad conſummationem ſanctorum in opus miniſterij in ædificationem corporis Chriſti donec occurramus omnes in vnitatem fidei, & agnitionis filij Dei in virum perfectum, in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti, vt iam non ſimus paruuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ.* *Ad Epheſ. 4. 11.*

Verum quid poſt Prophetas, Apoſtolos, & Euangeliſtas, Paſtoribus & Doctoribus opus fuit? An non diuini libri ſatis eſſent nimirum ne circumferamur omni vento doctrinæ, habeamus ad quos confugiamus, atque vt Vincentius Lirinenſis ait, initio, & fi-
D ne libri, quem aduerſus hæreſes ſcripſit, diuinorum librorum dicta propter obſcuritatem & altitudinem, cum non vna ſententia omnes interpretentur, aliter Nouatus, aliter Sabellius, aliter Arius accipiant, ad vitandos varios errorũ anfractus præter Apoſtolos, & Prophetas, vt Doctores omni tempore eſſent in Eccleſia, neceſſe fuit, quorum doctrina eruditi ſalutis viã teneremus.

Eam rationem hæreticos reuincendi antiqui Patres tenuerunt, & Theodoſius Imperator à Siſinnio Lectore inſtitutus, hæreticis, quos ad concordiam reuocare ſatagebat altera conuocatione Synodi primæ Conſtantinopolitanæ, conditionem propoſuit, vtrum aliquam rationem ducerent illorum Doctorum, qui
E ante diuiſionem probè Eccleſiam temperaſſent, an eos tanquam à Religione Chriſtiana alienos reijcerent. Vt Socrates affirmat lib. 5. Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, capite 10. nimirum nulla expeditior via eſt, neque ad hæreſes confutandas, neque ad reuocandam concordiam in Eccleſiam, quàm ſi ſecundum Eccleſiæ iudicium in controuerſiis de Religione exortis ad teſtimonia antiquorum Patrum recurratur; qui numine pleni, pari conſenſu Eccleſiam, quid teneret docuerunt. Ad hæc

fortaſſis

fortassis hæreticus non neget Patrum antiquorum rationem aliquam habendam videri, quorum ipsi etiam Nouatores testimoniis libenter vtuntur, cum causæ fauere videntur. Verum eorum, qui eo tempore vixerunt, quo sincera doctrina viguit in Ecclesia, nullis superstitionibus fœdata, quod in Gregorij, atque ISIDORI ætatem conuenire negant, quo tempore magnam superstitionum partem inuectam contendunt, quibus vulgò in Ecclesia laboratur. Latissimus hoc loco campus se aperiebat ad disputandum, & multa necessario prætermittenda sunt, vltra modum præfatio crescat, sed certe quis Gregorij, ISIDORI Leandri, Bernardi, Benedicti, aliorum similis esse non malit, quam cuiusuis de hoc nouo grege hominum delicatorum? Neque enim ea sunt impudentia, vt negent ab eo tempore, quo corruptam Ecclesiam fuisse contendunt in eo genere vitæ homines fuisse eruditionis laude, & probitatis opinione excellentes, alioqui Augustinum, & Hieronymum, aliaque antiquiora Ecclesiæ lumina accusent necesse est, quos in plerisque capitibus ipsis aduersari negare non possunt. Dicant amplius, si Ecclesia aliquo tempore corrupta fuit, veraque esse desit, vbinam Christi Ecclesia delituit, ante hoc nouum Euangelium? num in angulos compacta, & ab oculis multitudinis subducta, inuisibilis est reddita? quod illi certe occinunt. Cum amplitudine Regni Christi dominaturi *a mari vsque ad mare, & a flumine vsque ad terminos orbis terrarum*, & eum eiusdem perpetuitate manifestè pugnant; cuius Regni finem non fore tum voce Angeli, tum aliorum Prophetarum vaticiniis inuenimus affirmatum.

Psal. 71. 8. Luc. 1. 33. Dan. 7. 14. Mich. 4. 7. 3. Reg. 19. 19.

Fuit tempus, cum pro magno Deus gloriaretur habere se reliqua septem millia virorum, qui se impio cultu non contaminassent, at Christi Regnum, Regnum sempiternum est, & omnes reges seruient ei, & obedient; lapisque abscissus sine manibus factus est mons magnus, & impleuit omnem terram. Quod Augustinus disputationibus contra Donatistas sæpe contendit, Ecclesiam CHRISTI, non modo ad paucos homines, & obscuros nunquam rediisse, sed ne Africæ quidem latissimæ prouinciæ finibus describi potuisse, quod Donatistæ contendebant; Idem antiquior Augustino Optatus ridet lib. 2. prolato illo testimonio, *dominabitur a mari vsque ad mare*: *Pater*, inquit, *dum donat, nihil excipit, vos vt concedatis vnciam, totam libram auferre conamini: & adhuc nitimini suadere hominibus apud vos solos esse Ecclesiam, negantes meritum Christi, auferentes præstitutum a Deo.* Dei Ecclesiam corruptam esse ais? esto, libenter autem ex te quæram, cuius id culpa contigerit? num Christi? At ipse omnia, quæ accepit à Patre, docuit Apostolos, misitque Spiritum sanctum, qui doceret eos omnem veritatem, num Apostolicam doctrinam inuiderunt Ecclesiæ? aut Ecclesiæ suo vitio aliter acceperunt quam Apostoli proferebant? (vt Tertulliani in Præscriptionibus verbis vtar) qui potuerunt tot ac tantæ in vnam fidem errare, atque pari consensu eadem vbique terrarum docere, nisi ab Apostolis accepissent, ab illis eorum successores, & est mendacium multiplex; simplex veritatis forma: quæ causa fuit ob quam antiqui Patres, hæreticos vt impugnarent ad Ecclesias eas recurrendum affirmarent, vbi perpetua Episcoporum series ab Apostolorum temporibus designatur, quæ præcipua inter Ecclesiæ notas obseruatur ab Irenæo, lib. 3. cap. 3. à Cypriano libro primo, epistola sexta, ab Optato Mileuitano, lib. contra Donatistas, S. Augustinus contra fundamentum Manichæi, capite quarto. *Tenet me*, inquit, *in Ecclesia ab ipsa Sede Apostoli Petri ad præsentem Episcopatum Sacerdotum successio.* Eadem sententia loquitur epistola 165. Ipseque Tertullianus antiquissimus cum cæteris Patribus consentiens, nihilque certius ad reuincendos hæreticos fore disputans, quam si ad Ecclesias, vbi perpetua Episcoporum successio est, recurratur, hæreticos illis verbis prouocat: *Edant ergo origines Ecclesiarum suarum, euoluant ordinem Episcoporum suorum ita per successiones ab initio decurrentem, vt primus ille Episcopus aliquem ex Apostolis, vel Apostolicis viris, qui tamen cum Apostolis perseuerauerit, habuerit auctorem & antecessorem.* Equidem non negabo habere hæreticos successionem, sed eorum quorum placita iam pridem orbis consensu explosa, quasi ab Orco reuocarunt.

Dan. 2. 34. Ioann. 5. 15. & cap. 16. 13.

Successit Lutherus VVicleffo; Caluinus Berengario, Seruetus Ario. Videas in Lutheranis personatos Albigenses, in Trinitariis Arianos; aliud initium Ecclesiarum suarum afferre non possunt. Iam vero si ex illis rogemus ad abstergendas tantas Ecclesiæ maculas à quo sint missi? quomodo enim prædicarent nisi mittantur, quomodo currerent, nullo ad cursum inuitante? qua auctoritate tantam prouinciam susceperunt? & est duplex missio, num ordinaria accesserunt? sed nullum ex Episcopis antecessoribus possunt designare à quo sint missi, reges & principes dare non potuerunt, vt maximè vellent, quod nunquam ipsi acceperunt. Cum Christus doctrinam, Ecclesiamque nullis regibus, sed Apostolis & eorum successoribus commendauerit, à quibus missos esse affirmare non potuerunt, alioqui indicent originem, texant stemma eorum: vnde ad ipsos antiqua doctrina manauit. Extraordinariam missionem satis scio sibi suisque arrogare solent; at quibus miraculis confirmatam? neque enim si quis in vestras Ecclesias irrumpat diuinis quamuis libris armatus, dicenti temere nullis præterea testimoniis se missum à Deo ad vestros mores castigandos, errores conuellendos, acquiescatis. Sed Ioannem Baptistam dicitis missum à Deo, nullum tamen signum fecisse, recte: nisi proxime à Christo haberet testimonium, vera esse quæ docebat; nisi ortus esset miraculis plenus, vaticiniaque extarent de eius ante Christum aduentu. Fortasse illud excusatis signa infidelibus esse non fidelibus comparata. Sed quid? an nos in infidelium numero non ponitis? nos erudiendi causa cur nulla editis miracula? cur Idolorum cultores, quorum se magnus numerus ad Ecclesiam adiunxit, ipso tempore, quo vos pacem Ecclesiæ turbastis, cur (inquam) aliquam eorum prouinciam diuinis miraculis non illustrastis, ad Christumque traduxistis, impio cultu repudiato? tentasse certo scio, successus qualis fuerit ne vos quidem ignorare potestis; Voluptatibus eneruati, qui sine vxoribus & liberis sustentare non potestis, tantis laboribus, quales in tam remotis regionibus sese offerunt tolerandis pares non fuistis. Multas quidem prouincias vestra opera turbatas esse sat scimus, quæ antea gaudebant nomine Christiano, aliquam recens Idolorum cultu spoliato per vos Christo conciliatam hactenus nunquam audiuimus. Verum hæc argumenta, quibus nullus hactenus hæreticorum satis fecit, dilatare pro dignitate, atque exequi maioris operæ est.

Ad Rom. 10. 15. Ierem. 23. 21. Luc. 1. Mala. 4. 6. 1. ad Cor. 6. 14. 22.

Vnde digressi sumus redeamus. *Gregorij*, & *Isidori* auctoritatem contemnitis, num Augustini, Ambrosij, Hieronymi antiquiorum testimoniis tribuitis aliquid? negaturos non arbitror omnino, si affirmatis, diiudicata causa est, nihilominus ab illis vestra placita iugulantur. Multa producere non est opus. Exempla nonnulla proferantur. Nos dicimus panem & vinum mysticis verbis mutari, quam *Transsubstantiationem* vocamus, quid aliud Ambrosius libr. 4 de sacramentis capite 4. *Tu forte* (inquit) *dicis, meus panis est vsitatus, sed panis iste panis est ante verba sacramentorum, vbi accesserit consecratio, de pane fit caro Christi.* Additque, ne hæc ad alienam sententiá detorqueas, *eiusdem verbis quibus facta sunt, quæ nouerant; cælum & terra, quæ erant hoc sacramento, in aliud commutari,*

Dicimus recte in Ecclesia pro mortuis preces fundi, & diuinas hostias sacrificari, num id ex nostro capite? Tertullianus certe lib. de monogamia agens de muliere, cuius vir defunctus est, addit: *pro anima eius oret, & refrigerium interim adpostulet ei, & in prima resurrectione consortium, & offerat annuis diebus dormitionis eius.* Ex Montani (inquis) schola hæc Tertullianus depromsit. Quo teste, cuius auctoritate confirmabis, Montanistarum ad dogma fuisse, & non potius morem in Ecclesia receptum passim? nec enim temerè dicenti fides habenda est. Quid Augustinus, num ex eadem schola hausit, vbi matris animam agentis verba *Tantum*, inquit lib. 9. Confess. cap. 11. *vos rogo, vt ad Domini altare memineritis mei, vbi fueritis.* Nũ anilia hæc verba fuisse & superstitiosa accusabis? quod filius Augustinus non modo non castigauit, sed in laudibus eius positum literis ad posteritatem commendauit? In Ecclesia Catholica virgines velamus, eisque coniugij facultate interdicimus. Vos hanc quasi iniquam legem repudiatis, & dictis Pauli contrariam: *Melius esse nubere quam vri* affirmantis. At

1. ad Cor. 7. 9.

Ambrosius aliter ad virginem lapsam, cap. 5. *Dicit aliquis*, inquiens, *melius est ergo nubere quam vri, hoc dictum ad non pollicitam pertinet, ad nondum velatam. Cæterum quæ se spopondit Christo, & sanctum velamen accepit, iam nupsit. Iam immortali iuncta est viro, etiam si voluerit nubere communi lege coniugij, adulterium perpetrat, ancilla mortis efficitur.* Et Optatus Mileuitanus, lib. 2. Donatistas accusat ex castimonialibus fecisse mulieres, & à quodam compressam esse puellam ait, cui mithram (hoc est velum) ipse imposuerat. Ecclesia Catholica martyres colit, & eorum nominibus templa, memoriasque construit, quorum se patrocinus apud Deum iuuari persuasum habet. Id dogma à vobis reiicitur. Augustinus tamen confirmat multis verbis, libt. 22. de Ciuitate Dei, cap. 8. cuius verba afferenda non sunt quod in promptu sint omnibus. Tametsi non ignoramus eius loci lectionem nonnullis ex vestro numero fuisse salutatem, considerantibus non facile credendum, cum vestrarum opinionum Augustinum testem laudatis, in hac certe de mendacio conuicta. Teodoretus profecto de curandis Græcanicis affectionibus, integrum sermonem octauum Martyrum cultu celebrando consumit, & eorum cineres quanto studio populi prosequerentur multis declarat. Et post multa hæc verba addit, hi sunt igitur veri hominum duces & custodes, per quos à nobis infortunia auertuntur, proculque arcentur quæ à dæmonibus inferuntur mala. Multo plura affert in historia sanctorum, ac nominatim cap. 21. quanto horrori dæmoni sint sanctorum reliquiæ, qua lætitia & apparatu à populis exciperentur vno & altero exemplo declarat. Superstitiosum diceris hominem, & humanis traditionibus obnoxium, quo id argumento, quo testimonio? nisi forte quod lubet id euulgare, affirmaréque non dubitatis. Quid alia? Augustinus de Cruce, tractatu 36. in Ioannem: *Nihil erat* (inquit) *tunc in cruce intolerabilius, nihil est nunc in fronte gloriosius.* Et libt. 2. de visitat. infirmorum cap. 3. *Habens* (inquit) *Christianorum arcana Crucis quasi quoddam venerabile monimentum: quod & nos omni veneratione dignissimum fatemur, & ad recordationem crucifixi veneramur.* Chrisma in Ecclesia conficimus olei vnguentique permixtione, eoque baptizatos inungimus, & à Chrismate *Christianos* dici, id est, innctos putamos. Hæretici hæc quasi Iudaicas fabulas abijciunt. Cuius tamen rei testem producimus Cyprianum sermone De vnctione Chrismatis dicentem. *Hodie in Ecclesia cum cæteris vnctionibus ad populum acquisitionis sanctificandum in participationem dignitatis & nominis sacrum Chrisma conficitur, in quo mixtum oleo balsamum, regia & sacerdotalis gloria exprimit vnitatem.* Atque his consona lib. 1. epist. 12. *Vngi quoque* (inquit) *necesse est, qui baptizatus sit, vt accepto Chrismate, id est, Vnctione, esse vnctus Dei, & habere in se Christi gratiam possit.* Et in Optati libt. 2. inuenio Chrismatis ampullam à Donatistis per fenestram proiectam, neque confractam tamen, quod vos fortasse prudentiores, nasutique rideatis; ille miraculi loco ponit. Multa cum sint dicta hactenus, plura supersunt. Neque enim in tam bona causa, aut res, aut verba deesse possunt, sed singula capita delibare satis fore duximus. Multis ea testimoniis locupletare superuacaneum, promptum adijcere alia de Sacramentis, de vsu sacrarum imaginum, de singulis Ecclesiæ ritibus, de libera hominum voluntate & iustitia.

Verum finem dicendi faciam, si de Romani Pontificis, quam eleuatis, auctoritate, nimirum vestris rationibus vel maxime repugnantem pauca protulero. Quo loco ratione commutata antiquiora non afferam testimonia, neq; dicam Romani Pontificis auctoritate generales Episcoporum conuentus cogi, apud Teodoretum lib. 5. Ecclesiacæ Historiæ cap. 9. neque commemorabo ab eo anathemate notatos Episcopos & Principes, magnis quamuis disiunctos terrarum spatijs, apud Eusebium Ecclesiasticæ Historiæ, lib. 5. cap. 24. & in Nicephori libt. 13. capite 34. extat epistola Innocentij primi, qua Arcadium Imperatorem, Atticum Constantinopolitanum & Theophilum Alexandrinũ à communione piorum exclusit, propter Chrysostomi exilium, crudelemque casum. Atque illud libens prætermittam ex toto orbe Christiano episcopos, aliosque è sacerdotum numero iniuria vexatos Romanum Pontificem appellasse, ex Cypriano epist. 3. & 4. in nouo ordine 55 & 69. & Concilio Carthaginensi 6. rumpantur quamuis Sectarij Romanos Pontifices falsi falso accusantes. Prætenbo etiam Episcopos Romam ad dicendum causam vocatos, Theodoretus libt. 2. capite 4. pulsos iniuria suis Ecclesijs restitutos, Soxomenus lib. 3. capite 7. Socrates lib. 2. cap. 11. Omitto etiam Romani Pontificis iussu varia negotia remotis Episcopis demandata. Augustinus epist. 157. Possidius de vita August. capite 14. Augustinum Cæsaream iuisse ait, quo eum venire cum alijs Episcopis sedis Apostolicæ litteræ compulerunt. Neque commemorabo sæpe Romanos Pontifices varijs toto orbe Epicopis suas partes & auctoritatem delegasse, quod ex multis D. Leonis epistolis manifestum est. Et certe nisi auctoritate superior eras, qua arrogantia ad orientales Episcopos Romanus Pontifex Damasus audet scribere apud Theodoretum lib. 5. capite 10. *Quod vestra charitas debitã Sedi Apostolicæ reuerentiam tribuit filij honoratissimi, vobis ipsis quoque maximo sane honori est. Nam tametsi sancta Ecclesia, in qua sanctus Apostolus sedens non docuit, quo pacto illius gubernacula, quæ suscepimus, tractanda sint, nobis prima partes deferuntur, tamen confitemur nos illo dignitatis gradu longe inferiores esse.* Hæc & plura alia libenter prætermius, quæ tamen si dilatare vellemus, manifeste conuincerent apertæ temeritatis eos qui Romani Pontificis iugum de ceruicibus excusserunt, Romanamque Ecclesiam de antiquissimo possessionis iure, quod sine manifestis probationibus faciendũ nunquam est, deturbare sunt aggressi, non secus ac immanes Gigãtes de cælo, vt est in fabulis, Iouem. Duo tantum nostratum scriptorum testimonia pro Romani Pontificis auctoritate afferenda sunt, finisque imponendus orationi, *Isidori* Epistola ad Eugenium Toletanum, quoniam eius fragmentum à *Luca* hoc opere affertur, & Rasis, quoniam Religione quamuis Maurus, in Historia de rebus Hispaniæ satis antiqua ea scripsit, quæ apud pios omnes vulgata certaque erant. Ergo *Isidori* literæ subijciatur. Lib. 31. c. 9.

Domino Charissimo, & virtutibus inclyto Eugenio Episcopo Isidorus. Vestræ sanctitatis litteras per nuncium suscipiens

cipiens Verecundum, rerum omnium conditori grates impendimus quod Ecclesiæ sanctæ suæ mentis & corporis vestræ valetudinem conseruare dignatur. Atque ad inquisita pro modulo parati satisfacere exoramus orationum vestrarum suffragiis ab ærumnis opprimentibus à Domino subleuari. Verum quod in quibusdam quæstionibus venerabilis vestra fraternitas, licet vos non ignoretis, me compulit respondere. Quod maioris sententiæ innodatio, nisi in mortis articulo à minori nequaquam valeat enodari, sed potius ab inferiori prolata à superiore iure mediante cassetur; Orthodoxi patres, quidem Spiritus sancti auctoritate praua sanxerunt, aliter autem quolibet astruente, sicut est vestræ prudentiæ
Isaie.18.16. *cognitum, prauum suborietur exemplum, scilicet gloriatio securis contra eum qui secat in ea. Quod vero de parilitate agitur Apostolorum. Petrus praeminet cæteris, qui à Domino*
Joann. 1. *audire meruit.* Tu autem vocaberis Cephas, Tu es Pe-
Matth. 16. trus, &c. *Et non ab alio aliquo, sed ab ipso Dei & Virginis filio honorem Pontificatus in Christi Ecclesia primus suscepit: cui etiam post resurrectionem filij Deo ab eodem dictum est.* Pasce agnos meos, *agnorum nomine Ecclesiarum prælatos notans. Cuius dignitas potestatis etsi ad omnes Catholicorum Episcopos est transfusa, specialius tamen Romanus Antistites singulari quodam priuilegio, velut caput cæteris membris celsior, permanet in æternum. Qui igitur debitam ei non exhibet reuerenter obedientiam, à capite seiunctus, Acephalismo se reddit obnoxium, quod sicut illud sancti Athanasij de fide sanctæ Trinitatis sancta Ecclesia approbat, & custodit quasi fidei Catholicæ articulum.* Quod nisi quisque firmiter fideliterque crediderit saluus esse non poterit. *Hæc vestræ dulcissimæ charitati breuiter prælibaui, considerans illud Philosophi, pauca sufficiunt sapienti. Vale.*

Rasis Arabs post diuisionem Episcopatuum in Hispania, quam à Constantino Imperatore factam fuisse, ait, hæc verba subdit: *Sic Hispania omnis à Constantino Augusto in sex Episcopatus tributa est. Quo maior esset auctoritas, religionique suum caput constaret, imperandique potestas, ipse quidem Constantinopolim concessit, seque vt priores Romæ eius vrbis Regem dixit, sanciens præterea vt Romæ domino cæteri Christi cultores obtemperarent, quem ipsi dominum Christianorum eorum, qui è sacrato ordine erant, & Sanctum vocare consuerant, ob acceptam à Petro Apostolo potestatem, quam illi Christus crediderat.* Hæc Maurus quamuis religionis nostræ & dogmatis expers, quę vulgata erant apud Christianos, ipse in suam historiam contulit.

Hæc præfari commodum fore putabam: Lectorem monere initio quis auctor operis, quæ occasio scribendi, & in quo argumento tota disputatio versetur, quantaque sint Catholicæ veritatis præsidia. Neque desperamus fore, vt si quis ex aduersariis in hæc inciderit, obstinatione reiecta atque erroribus repudiatis, ad veritatem traducatur. Neque enim tam perdita res est, vt desint in ea natione homines, quibus & veritas placeat, idoneis præsertim argumentis confirmata, & noua perfusi luce monstratum sibi salutis iter, & videant, & sequantur: quod si contigerit, vt futurum speramus, haud inutiliter operam positam iudicabimus.



LVCAE TVDENSIS EPISCOPI,

ADVERSVS ALBIGENSIVM ERRORES.

LIBRO PRIMO.

LIBRO SECVNDO.

XV. De

LIBRO TERTIO.

LVCÆ TVDENSIS EPISCOPI,

DE ALTERA VITA,

ADVERSVS ALBIGENSIVM ERRORES.

LIBER. I.

AVCTORIS PRÆFATIO.



REATOR & factor omnium Deus, sustentator & gubernator cunctorum, atque saluator fidelium, quam mirabilis & laudabilis es in omnibus operibus tuis; qui Sanctos tuos in praesenti reples dulcedine charitatis, in morte laetificas tuae beatitudine visionis; post mortem rectores orbis efficis; & eorum corpora stupendis facis miraculis coruscare: atque nos exiguos famulos tuos eorum patrociniis & praesentia, solatio, & laetitia induis salutari. Benedictus es Rex & Saluator mundi; & benedicant omnes Angeli & electi tui; quia tu es verè Deus solus, qui militibus tuis tam excellentis honoris stipendia contulisti. Sed vae veritatis inimicis haereticis, qui proteruis latratibus, ore rabido vineã hæreditatis Domini Sabaoth *dente canino & dolo vulpino dilacerare, ac demoliri non cessant: atque Sanctorum miracula, quae vident, vel audiunt, aut certè negant; aut si negare nequeant, deliramenta* Dæmonum *procaciter esse affirmant: & simplices quosque Sanctorum patrociniis & solatiis spoliare conantur. Audent enim contendere nos Sanctorum auxiliis in nullo penitus adiuuari.* Circumeunt mare & aridam: *id est, diuinas Scripturas, & fallacias humanae deceptionis, vt faciant vnum proselytum, flammis infernalibus atrocissimè perpetuò exurendum. Et nota quod* circumeunt. *Exterius enim sanctarum Scripturarum carpentes malè superficiem, ad veritatis medium nunquam veniunt: sed semper in dulcedine quaerunt amaritudinem, in vita mortem, in candore nigredinem, in Scripturis veritatis errorem, falsitatẽ in veritate. Quia in contrariis contraria inuenire nequeunt, ii semetipsis in suae perditionis cumulum adueniunt, vt infames infamatissimi inter homines malè viuant, atque praesentem vitam in miseriis omnino consumant. Et quia humanum corpus factum à diabolo mentiuntur, eorum corpora ipsis iubentibus sepeliuntur in sterquilinio, & eorum animae ipsis nolentibus retruduntur horribiliter in infernum. Haec sunt, diabole, quae praeparasti: in praesenti quidem vita illis mala; in mortis sepultura peiora, & post*

Isaiæ. 5. 7.
Cant. 2. 15.
Matt. 23. 15.

mortẽ, pessima inimicis Dei hæreticis pro tibi impenso seruitio recõpensas. Pessimus ipse magister hæreticos valde te deteriores discipulos pessimam horrendæ passionis doces cõparationẽ: cui illi in principio male accõmodãtes animũ de malo ad peius, & de peiori ad pessimum continue alterantur, quod illis vertitur in habitũ æternæ mortis inseparabilis accedentis: & mala argumenta pœnarum perpetuitatis claudit fine fine conclusio tormentorum.

His videntur in parte fauere temerario studio falsitatis quidam, qui gloriãtur nomine Christiano, regale nomẽ negantes, operibus & superstitionibus adhærentes, abbreuiantes manum Domini quantum in eis est, vt nequeat
Isaie 53.1. *liberare: asserentes Prælatos Ecclesiæ Christi animabus mortuorum fidelium remissionum indulgentiis non posse vllatenus subuenire: ac nullius Sancti animam ante diem Iudicii cœlũ ascendere, atque nusquã pati pœnas animas, nisi tantummodo in inferno. Neque habere notitiã etiam eorum, quos dum viuerent, in sæculo dilexerunt.*

Hæc & alia friuola secundũ motum sui cordis, quasi de ratione nituntur ostendere: atque nouis, vanisque opi-
Matt.13.24 *nionibus subinductis, corda simplicium euertere moliuntur; sicque fit, vt ipsi* cæci facti duces cæcorũ *cum eis in foueam dilabantur. Seminant. n. vana & falsas insanias in cordibus audientium, & superueniens inimicus hæ-*
Matt.13.25 *reticus, cum eos mendaciis deditos inuenit, & à via veritatis semotos, superseminas erroris hæretici Zizaniã, sic efficiuntur eo plus apti ad suscipiendũ semen erroris, qui ab Ecclesiæ tramite longius deuiarunt, facti præcursores hæreticorum. Gaudent videri scioli, & sanctarum Scripturarum spernentes sententias, nullatenus audire volunt vnde à suis erroribus compescãtur. Pascuntur adulationibus perditorum, & lethali vulnere sauciati, auditoribus suis vulnera æternæ mortis infligunt. Quia vero diligentes in eis bonum, quod à Domino factũ est, & persequẽtes pro modulo nostræ minimæ paruitatis malum quod faciunt, eos in visceribus* Iesu Christi *amplectimur, cupientes creaturam suam restituere Creatori, ne sæuissimus lupus hæreticus,* Christi *oues oberrantes venenato dente dilaniet, quibuscumque valeo latratibus minimus Ecclesiæ Catholicæ caniculus, illius præcauẽdo sententiã,*
Isaie 56.10 *quæ de torpentibus clericis dicitur per Prophetam:* Facti sunt quasi canes muti non valentes latrare; *easdem*
B. Gregorius Pont. *oues ad caulam veritatis reducere laborabo: in qua organum Spiritus sancti beatissimus Papa* Gregorius *Apostolorũ principis Petri successor, dignitate ac moribus filii Dei in plenitudine potestatis, Vicarius super solium excelsum & eleuatum inter pastores præsidet summus, de ipso filii Dei throno vel solio emittens fulgura sanctæ prædicationis corda fidelium desideriis cœlestibus inflãmantia & voces laudis Deo cantantes cantica salutaria atque tonitrua communicationibus districti Dei iudicii & asperis sententiis hæreticorum animos, & prauorum omniũ deterrentia. Cum igitur à sanctis Patribus & Doctoribus solium excelsum & eleuatum, vel thronus Dei excel-*
Isaie 6.1. *lenter Ecclesia Romana dicatur, quæ caput Ecclesiæ* Christi *& mater extat sanctissima: ad hunc ergo præcipuum*
Psal.88.30. Matt.18.16. *Patrem Gregorium sedentem super altissimum Dei solium, deuote & humiliter accedamus: & quidquid nobis protulerit super his, de quibus inter nos oritur altercatio, in cordis armario recondamus. Tanto enim pulchrius & verius nobis arcana cœlestia, & occulta secretorum reuelabit, quanto magis sanctitate, dignitate, ac scientia Domino propinquauit. In speculo namque æternitatis ipsum credimus omnia contemplari.*

Ad hæc autem fortassis respondet mihi cauillosè contrarius: Tu solus sic laudas Gregorium, vt testis vniens inueniaris in laude tua. Ad quem ego: Accedat, inquam, alius: gloriosissimus scilicet Hispaniarum Doctor Isidorus, *& quid de illo in libro* Virorum illustrium, *reuelante spiritu veritatis senserit, sollicitè audiamus, de tãto viro veritatis testimonium perhibendo dicit:* Gregorius Papa Romanæ sedis Apostolicæ Præsul, compunctione timoris Dei plenus, humilitate summus; tantoque per gratiam Spiritus sancti scientiæ lumine præditus, vt non modo illi in præsentibus temporibus quisquam Doctorum, sed nec in præteritis quidem par fuerit vnquam. *Et post pauca:* Vir excellentissimus, &c. *Hæc à B. Isidoro ita de illo excellenter sunt posita, vt si maius superlatiuo gradu vsualiter inuenisset, in eius laude, tanti Patris exigentibus meritis, summum celsissimo addidisset. Et quia* in ore duorum vel trium testium *voce diuinæ Legis* stat omne verbum, *sanctissimus ille Petrus sanctæ Romanæ Ecclesiæ matris Diaconus, eidem sanctissimo Patri Gregorio tempore diuturno, sanctitate, familiaritate continua & dulcissimis amicitiis tenerrimè copulatus accedat, & quid oculis corporis & mentis, de magistri & Patris sanctitatis excellentia viderit; & à quo eius sancta prædicatio fonte, & expositiones sacræ Legis explanata ab ipso mediante sancto Spiritu emanauerit, nobis proposito*
Ioan Diaconus in vita B. Gregorij li.4.cap.69. aliis verbis eadem sententia. *timore mortis referat: vt eius sancto testimonio adhibentes fidem lætemur: praui veritatis nimuli erubescant inniti:* Post mortem quidem B. Greg. (vt in gestis ipsius legitur) quidam ex maioribus eius sacra eloquia sollicite perlegentes, qualiter gesta fuerint, vel si ab homine, cum stupore nimio mirabantur, & sanctissimum Diaconum *Petrum* requirentes petebant, vt de his, sanctis suis verbis simpliciter illis faceret fidem. Qui retulit eis verba fidelia: scilicet B. Gregorij dictaminis tempore se vidisse in columbæ specie sæpius Spiritum sanctum super ipsum descendere, & Angelum Domini colloquentem illi. *Hoc etiam à B. Patre testabatur se accepisse responsum, quod non diu posset viuere, ex quo hæc alicui reuelaret. Vt responsum accepit, ita factum est, vt hoc esset cunctis euidens testimonium, beatissimum Patrem Gregorium inter cætera sancti Spiritus charismata, etiam Prophetiæ spiritu refulsisse: & ea quæ Petrus Dei famulus de illo retulerat, esse veritatis effectui mancipata. Quis ad hæc vel insanus phrenetico spiritu agitatus tantorum Sanctorum tam præclara testimonia respondeat? His ergo corroboratus in Domino, seponens ad tempus prosequi ea, quæ de miraculis sancti confessoris* Isidori *cœperam enarrare, ex Dialogorum beatissimi Patris Gregorii libro ad eruditionem fidelium contra temerarios proferam argumenta, mentibus dubiis rationabiliter faciens fidem. Non enim eos existimo resistere posse huius viri praclarissimi authenticis testimoniis. Interseram etiam quorundam Sanctorum auctoritates perpaucas, ne occasione comperta, calumnientur me quærere subterfugia, & auctoritatibus variis velle illos ducere per deuia.*

CONTRA

CONTRA ILLOS, QVI DICVNT DOMINVM CHRISTVM IESVM, VEL SANCTOS EIVS, IN hora mortis Sanctorum non adesse ad solatium animarum; & nullius animam exire de corpore sine graui dolore.

CAPVT I.

Lib. 4 Dial. cap. 14. GREGORIVS: *Nonnunquam in consolationem egredientis animæ, ipse apparere solet auctor, ac retributor vitæ.* Et in alio Cap. dicit idem. Sciendum est, inquit, quia sæpe animabus exeuntibus electorum, dulcedo solet laudis cœlestis erumpere, vt dum illam libenter audiunt, dissolutionem carnis ab anima, sentire minime permittantur.

Eodem lib. cap. 16. Vt autem præmissa probaret exemplis, addidit dicens. Hoc quod de Tarsilla amita mea in homilijs Euangelij dixisse me recolo, replicabo, quæ inter duas alias sorores suas virtute orationis, grauitate vitæ, singularitate abstinentiæ, habitu continentiæ ad culmen sanctitatis excreuerat. Huic per visionem atauus meus Fœlix huius Romanæ Ecclesiæ Antistes apparuit, eique mansionem perpetuæ claritatis ostendit, dicens. Veni, quia te in hac lucis mansione suscipio. Quæ subsequenti mox febre correpta ad idem peruenit extremum. Et sicut nobilibus fœminis virisque morientibus multi conueniunt, qui eorum proximos consolentur, eadem horâ exitus ipsius multi viri ac fœminæ circumsteterunt, cum subitò sursum illa respiciens Iesum venientem vidit & cum magna animaduersione cœpit circumstantibus clamare, dicens: *Recedite, recedite, Iesus venit*, cumque in eum intenderet, quem videbat, sancta illa anima corpore soluta est. Tantaque subitò fragantia miri odoris aspersa est, vt ipsa quoque suauitas cunctis ostenderet, illic auctorem suauitatis venisse.

Eodem lib. cap. 17. Item idem. Neque hoc sileo, quod probus Dei famulus de sorore sua, Musa nomine, puellaque parua narrare consueuit, dicens: quod quadam nocte C ei per visionem sancta Dei genitrix virgo Maria apparuit, atque coæuas & in albis vestibus puellas ostendit.

Quibus cum illa admisceri appeteret, sed sese eis adiungere non auderet, beatæ Mariæ semper Virginis est voce requisita, an vellet eum eis esse atque eius obsequio viuere. Cui cùm puella eadem diceret, *volo*: ab ea mandatum protinus accepit, vt nihil vltrà leue, & puellare a[illegible]ret, à risu & iocis abstineret, sciens pet omnia quod inter easdé virgines, quas viderat, ad eius obsequia die tricesimo veniret. Quibus iassis, in cunctis suis moribus puella mutata est, omnemque se leuitatem puellaris vitæ magistra grauitatis detersit manu. Cumque eam parentes eius mutatam esse miraren- D tur, requisita rem retulit, quid sibi beata Dei genitrix iussisset, vel quo die itura esset ad eius obsequium indicauit. Et post vicesimum & quintum diem febre correpta est. Die autem tricesimo cùm hora eius exitus propinquasset, eandem beatam Dei genitricem cum puellis, quas per visionem viderat, ad se venire conspexit. Cui etiam se vocanti respondere cœpit & reuerenter depressis oculis aperta voce clamare: *Ecce Domina ve io, ecce Domina venio.* In qua etiam spiritum reddidit, & ea virgineo corpore abitura eum sanctis virginibus exiuit.

Eodem lib. cap. 11. Item idem beatissimus pater Gregorius in alio capite de quodam reuerédo sanctitatis presbytero scripsit, quod cùm in hora mortis sanctos Apostolos Petrum & Paulum ad se venientes conspiceret, cum magna lætitia cœpit clamare, dicens: *Bene veniant Domini mei, bene veniant Domini mei. Quid ad tam illum seruulum vestrum estis conuenire dignati? Venio, venio, gratias ago, gratias ago.* Cum hoc iterata crebrò voce repeteret, quibus hoc diceret, noti sui, qui illum circumsteterant, requirebat. Quibus ille admirando respondit, dicens. *Nunquid conuenisse huc sanctos Apostolos non videtis? Beatissimos Petrum & Paulum primos Apostolorum non aspicitis?* Ad quos iterum conuersus, dicebat. *Ecce venio, ecce venio.* Atque inter hæc verba reddidit animam. Et quia veraciter sanctos Apostolos viderat, eos etiam sequendo testatus est. Quod plerumque contingit iustis, vt in morte sua sanctorum præcellentium visiones aspiciant, ne ipsam mortis suæ pœnalem sententiam pertimescant: sed cum eorum menti internorum ciuium societas ostéditur, à carnis suæ copula sine doloris & formidinis fatigatione soluantur. B

Isidorus. Egredietur de corpore cuiuslibet iusti anima cum formidine pœnæ, nisi visione cœlestium certa spe gloriæ subleuetur. Lib. 3. de summo bono, c. vlt.

Gregorius. Nonnunquam omnipotens Deus tepidantium mentes quibusdam primis reuelationibus roborat, vt in morte minimè pertimescant.

Isidorus. Quidam electi in ipso suo fine hilarescunt, æternorum contemplatione bonorum.

Ecce quomodo testes veritatis conueniunt in idipsum. Sed dum quorundam iustorum animas non solum sine dolore, verum etiam cum hilaritate exire à corporibus probatum est euidenter, summoperè caueamus necesse est, ne quorundam iustorum, quorum animę difficultate ac dolore egredi videntur à corpore, sanctitatem cordibus simplicium deleamus, & iustos C credamus omninò esse, quorum vitæ terminus clauditur cum dolore. Ne verò eos occasione huius rei periclitari aliquatenus permittamus, hunc peritissimum medicum animarum Gregorium ad medium reducamus.

Gregorius. Sciendum est, quià aliquando animæ meritum non ipso suo egressu ostenditur: post mortem verò certius declaratur. Vnde & sancti Martyres ab infidelibus crudelia multa perpessi sunt, qui tamen ad ossa sua mortua signis quotidiè clarescunt. Lib. 4 dialog. cap. 10.

Item idem. Quidam in Marsorum prouincia vitæ valde venerabilis Diaconus fuit, quem inuentum Longobardi tenuerunt: quorum vnus educto gladio caput eius amputauit. Sed cùm corpus eius in terram caderet, ipse qui hunc capite truncauerat, immundo spiritu correptus ad pedes eius corruit, vt quod amicum Dei occiderit, inimico Dei traditus ostenderetur. Ad hæc Petrus beatissimum magistrum intertogans, dicit Quid est hoc, quæso te, quod omnipotens Deus sic permittit mori, quos tamen post mortem, eius sanctitatis fuerint, non patiatur celari? Gregorius. Cum scriptum sit: *Iustus quacunque morte præoccupatus fuerit, iustitia eius non auferentur ab eo.* Electi qui procul dubio ad perpetuam vitam tendunt, quid eis obest, si ad modicum duré moriuntur? Et est fortasse nonnunquam eorum culpa, licet minima, quæ in eadem morte de- Eod. lib. c. 23. Sap. 4.

beat resecari. Vnde fit, vt reprobi potestatem quidem A contra viuentes accipiant, sed illis morientibus hoc in eis grauius vindicetur, quod contra bonos potestatem suæ crudelitatis acceperunt. Sicut idem carnifex, qui eundem venerabilem Diaconem viuentem ferire permissus est gaudere super mortuum permissus non est. Quod sacra quoque testantur eloquia. Nam via Dei contra Samariam missus, quia per inobedientiam in itinere comedit, hunc leo in eodem itinere occidit, sed statim illic scriptum: *Quia stetit leo iuxta asinum, & non comedit leo de cadauere.* Ex qua re ostenditur, quod peccatum inobedientiæ in ipsa fuerit morte laxatum. Qui enim occidenti ausum habuit, de occisi cadauere comedenti licentiam non accepit. Quia is, qui culpabilis in vita fuerat, punita inobedientia erat iam iustus ex morte. Leo igitur qui prius peccatoris vitam B necauerat, custodiuit post modum cadauer iusti. Huc vsque beatus Gregorius.

3. Reg. c. 13.

Ad quam etiam sententiam confirmandam dicit Hispaniarum Doctor Isidorus: Cum animæ fidelium acerbè aut immaturè cum labore nimio & molestia egrediuntur de corpore, de illorum salute non est ideò desperandum, quia amaritudine ipsius molestiæ deletur culpa alicuius excessus, vel negligentiæ.

Gregorius. Plerumque de culpis minimis ipse solus pauor egredientes animas iustorum purgat.

Contra illos qui dicunt animas Sanctorum ante diem Iudicij ad cœlum non euehi, nec animas iniquorum ad infernum deduci.

CAP. II.

Lib. 4 Dialog. cap. 24. & seq.

HAc quæstione Petrus beatissimum Patrem interrogat, dicens; Nosse velim si nunc ante restitutionem corporum in cœlum recipi valeant animæ iustorum.

Gregorius. Hoc nec de omnibus iustis fateri possumus, neque de omnibus negare. Nam sunt quorundam iustorum animæ quæ à cœlesti regno, quibusdam adhuc mansionibus differuntur. In quo dilationis dãno quid aliud innuitur, nisi quod de perfecta iustitia aliquid minus habuerint. Et tamen luce clarius constat, quia perfectorum iustorum animæ mox vt huius carnis D claustra exeunt, in cælestibus sedibus recipiuntur; Quod & ipsa veritas per se attestatur dicens: *Vbicumque fuerit corpus illuc congregabuntur & aquilæ.* Quia vbi Redemptor noster est corpore, illic proculdubio colliguntur & animæ iustorum. Et Paulus dissolui desiderat, & esse cum Christo. Qui ergo Christum in cœlo esse non dubitat, nec Pauli animam esse in cœlo negat. Qui etiam de dissolutione sui corporis, atque in habitatione patriæ cœlestis dicit. *Scimus quoniam si terrestris domus nostra huius habitationis dissoluatur, quod ædificationem habemus a Deo domum non manu factam æternam in cœlis.*

Lucæ 17. 37.

Philip. 1. 23.
2. Cor. 5. 1.

Petrus. Si igitur nunc in cœlo sunt animæ iustorum, quid est, quod in die iudicij pro iustitia sua retributionem accipient? E

Gregorius. Hoc eis nimirum crescit in iudicio quod nunc animarum sola, post modum verò etiam corporum beatitudine perfruantur, vt ipsa quoque carne gaudeant, in qua dolores pro Domino, cruciatusque pertulerunt. Quia modò animarum tantummodò, tunc autem animarum simul & corporum gloria lętabantur.

Petrus. Quia cum superius dictum sit esse iam sanctorum animas in cœlo, restat proculdubio, vt iniquorum quoque animas esse non nisi in inferno credatur, quid de hac re habeat veritas ignoro.

4. Dialog. c. 27. & 28.

Gregorius. Si esse Sanctorum animas in cœlo sacri eloquij satis factione credidisti, oportet vt per omnia credas esse iniquorum animas in ferno, quia ex retributione internæ iustitiæ, ex qua iam iusti gloriantur, ne- A cesse est per omnia, vt & iniusti crucientur. Nam sicut electos beatitudo lætificat, ita credi necesse est quod à die exitus sui ignis reprobos exurat.

Contra eos qui ignem infernalem dicunt incorporeum: & quod ignis corporeus rem incorpoream tenere non possit.

CAP. III.

Eod. lib. c. 29.

GRegorius. Si viuentis hominis incorporeus spiritus tenetur in corpore, cur non post mortem, cum incorporeus sit spiritus, etiam corporeo igne teneatur? In viuente quolibet, idcirco incorporeus spiritus tenetur in corpore, quia viuificat corpus. B Si spiritus incorporeus in hoc teneri potest, quod viuificat, quare non pœnaliter, & ibi teneatur vbi mortificatur? Teneri autem per ignem spiritum dicimus, vt in tormento ignis videndo atque sentiendo puniatur. Ignem namque eo ipso patitur, quod videt: & quia concremari se aspicit crematur: sicque fit vt res corporea incorpoream exurat, dum ex igne visibili ardor & dolor inuisibilis trahitur, vt per ignem corporeum mens in corporea etiã incorporea flamma crucietur, quamuis colligere ex dictis Euangelicis possumus, quia incenditium anima nõ solum videndo sed etiam experiendo patiatur. Veritatis etenim voce diues mortuus in infernũ dicitur sepultus, cuius anima, quia in igne teneatur, insinuat qui Abraham deprecatur di- C cens: *Mitte Lazarum, vt intingat extremum digiti sui in aqua & refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma.* Dum ego peccatorum diuitem damnatum veritas ignibus perhibet, quisnam sapiens reproborum animas teneri ignibus neget? vel quisnam sapiens, spiritus apostatas à cœlesti gloria deiectos esse corporeos dixerit? Et certe veritas reprobis in fine dictura est: *Ite in ignem æternum, qui præparatus est Diabolo, & Angelis eius.* Si igitur Diabolus, eiusque Angeli, cum sint incorporei, corporeo sunt igne cremandi, quid mirum, si animæ etiam antequam recipiant corpora, possunt corporea sentire tormenta? Petrus. Patet ratio: nec debet animus de hac vlterius quæstione dubitare.

Lucæ 16.

Matt 25. 41.

D *Contra eos qui dicunt infernum esse in superiori parte aeris: animas in eo & dæmones cruciari; eo quod sit ibi circulus & dominium maximè ignei elementi.*

CAPVT IV.

Lib. 4 Dialog. cap. 41. & 42.

PEtrus de hac quæstione beatissimum Patrem interrogat, dicens: Quæso te, te, quia paulò superius sermo de locis pœnalibus inferni versabatur, vbinam Infernum esse putamus; super terram hanc, aut sub terra esse credendus est?

Gregorius. Hac de re temerè definire nihil audeo. Nonnulli namque in quadam terrarũ parte infe nũ esse putauerunt. Alij verò hunc sub terra esse existimant. Sed E tamen hoc animum pulsat, quia si idcirco infernum dicimus, quia inferius iacet. Quod terra ad cœlum est, hoc esse infernus debet ad terram. Vnde & fortasse per Psalmistam dicitur. *Liberasti animam meam ex inferno inferiori.*

Psal. 85. 13.
Lib. 14. Etymol. c. vlt.

Item Hispaniarum Doctor Isidorus in libro Etymologiarum titulo de inferioribus: Gehenna est locus ignis & sulphuris què appellari putãt à valle idolis cõsecrata, quæ est iuxta murũ Hierusalẽ, repleta olim cadaueribus mortuorũ, Ibi enim Hebræi filios suos immolabant dæmonijs, & appellabatur locus ipse Gebenon. Æterni ergo suplicij locus vbi peccatores cruciandi sunt, huius loci vocabulo designatur. Duplex autem est gehenna, & ignis & frigoris. Infernus appellatur, eò quòd infra sit. Sicut autem secundum corpus, si ponderis sui ordinem teneant

teneant, inferiora sunt omnia tristiora. Vnde & in Græca lingua ᾅδης appellatur infernus, eò quòd nihil suaue habere, vel resonare perhibetur. Sicut autem cor animalis in medio eius est, ita infernus in medio esse terræ dicitur. Vnde & in Euangelico legimus, *In corde terræ.* (Matth. 12. 40.) Philosophi autem dicunt, quod inferi pro eo dicuntur, quod animæ hinc ibi inferantur.

Contra eos qui dicunt, animas peccatorum in inferno æqualiter cruciari, male intelligentes illud quod loquitur: In inferno nulla est redemptio. *Quia etsi nulla redemptio ibi est, tamen pro qualitate minorum criminum aliqua est remissio.*

Capvt V.

(Lib. 4. Dialog. c. 43.) GRegorius. Vnus quidem est gehennæ ignis, sed non vno modo omnes cruciantur. Vniuscuiusque etenim quantum exigit culpa, tantum illic sentiet pœnam. Nam sicut in hoc mundo sub vno sole multi consistunt, nec tamen eiusdem solis ardorem æqualiter sentiunt: quia alius plus æstuat, atque alius minus: ita & illic in vno igne non vnus est modus incendij. Quia quod hic diuersitas corporum, hoc illic agit diuersitas pœnarum, vt & ignem non dissimilem habeant, & tamen eosdem singulos dissimiliter exurat. Et in alio capitulo exponens illud Euangelij: *Colligite Zizania, & ligate ea per fasciculos ad comburendum*, dicit; (Lib. 9. in Iob c. 47. Matt. 13. 30.) Messores quippe Angeli Zizania ad comburendum in fasciculos ligant cum pares paribus in tormentis similibus sociant, vt superbi cum superbis, luxuriosi cum luxuriosis, auari cum auaris, fallaces cum fallacibus, inuidi cum inuidis, infideles cum infidelibus ardeant. Cùm ergo similes in culpa ad tormenta similia ducuntur, quia eos in locis pœnalibus Angeli deputant quasi Zizaniorum fasciculos ad comburendum ligant.

(Lib. 1 de sum. bono cap. 32.) Isidorus. Sicut fasculi lignorum ad combustionem de similibus colliguntur: ita in iudicij die similis culpæ reos suis similibus iunget, vt ex æquo pœna constringat quasi in fasciculum, quos actio similes fecit in malum. Sicut vnusquisque sanctus in futuro iudicio pro quantitate virtutum glorificabitur, ita & vnusquisque impius pro quantitate facinorum condemnabitur. Nec deerit in supplicio futuro damnationis, sed iuxta qualitatem criminum discretio erit pœnarum, Propheta testante. (Psal. 61. 13.) *Tibi Domine misericordia, quia reddes singulis secundum opera sua.*

Contra illos, qui Origenem sequentes dicunt animas impiorum perpetuo non puniri, sed misericordia Dei aliquando a pœna saluari, & eas cum Sanctis, inferni resolutis doloribus, perenniter gloriari.

Capvt VI.

(Lib. 4. Dialog. cap. 43. & deinceps. Matth. 25. 46.) GRegorius. Constat nimis & incunctanter verum est, quia sicut finis non est gaudiorum bonorum: ita finis non erit tormentorum malorum. Nam cum veritas dicat: Ibunt impij in supplicium æternum, Quia verum est quod promisit, falsum procul dubio non erit, quod minatus est Deus.

Petrus. Quid si quis dicat, ideirco peccantibus æternam pœnam minatus est, vt eos à peccatorum perpetratione compesceret? Gregorius. Si falsum est quod minatus est, vt ab iniustitia corrigeret, & iam falsa est pollicitus vt ad iustitiam prouocaret. Sed quis hoc dicere, vel insanus præsumat? quod si minatus est, quod non erat impleturus dum asserere eum callida minantem volumus, fallacem quod dici nefas est, prædicare compellimur. Petrus. Scire velim, quo modo iustum sit, vt culpa, quæ cum fine perpetrata est, sine fine puniatur. Gregorius. Hoc rectè diceretur, si districtus iudex non corda hominum, sed facta pensaret.

Iniqui enim ideo cum fine deliquerunt quia cum fine vixerunt; nam voluissent vtique si potuissent sine fine viuere vt potuissent sine fine peccare. Ostendunt enim quia in peccato semper viuere cupiunt, qui nunquam desinunt peccare dum viuunt. Ad magnam ergo iustitiam iudicantis pertinet, vt nunquam careat supplicio, qui in hac vita nunquam voluerunt carere peccato.

(Iob. 24. 19.) Isidorus. Æternus quidem erit iniquorum supplicium, quia de velle ipsorum est, vt si in æternum viuerent & peccare possent, in æternum peccarent. Et qui permutatione gaudent vitiorum permutatione patientur tormenta, vt modo flammis exurantur, & modo frigoribus niuis crucientur, vbi secundum sermonem Euangelicum, erit fletus & stridor dentium. Alternatio vero suppliciorum maiorem cruciationem illis augebit sine fine dolorum.

Contra illos qui dicunt; Ignem purgatorium non esse post mortem, nec aliquam peccati pœnam animabus dimitti.

Capvt VII.

(4. Dialog. cap. 39. Matth. 12. 32.) GRegorius. De quibusdam leuibus culpis esse ante iudicium purgatorius ignis credendus est pro eo quod veritas dicit: *Quia si quis in Spiritum sanctum blasphemiam dixerit; neque in hoc sæculo remittetur ei, neque in futuro.* In qua sententia datur intelligi, quasdam culpas in hoc sæculo, quasdam verò in futuro posse laxari. Quod enim de vno negatur, consequens intellectus patet, quia de quibusdam conceditur. Sed tamen vt prædixi, hoc de paruis minimisque peccatis fieri posse credendum est. Sicut est assiduus, ociosusque sermo, immoderatus risus, vel, peccatum curæ rei familiaris, quæ vix sine culpa, vel ab ipsis agitur, qui culpam qualiter declinare debeant, sciunt: aut in grauibus rebus error ignorantiæ: quæ cuncta etiam post mortem grauant, si adhuc in hac vita positis minimè fuerint relaxata.

(4. Dialog. cap. 55.) Et in alio capitulo idem. Si culpæ insolubiles non fuerint, ad absolutionem prodesse etiam mortuis victima sacræ oblationis potest. Sed sciendum est, quia illis sacræ victimæ prosunt, qui viuendo, obtinuerunt, vt eos etiam post mortem opera bona adiuuent, quæ hic pro ipsis ab alijs fiunt.

Isidorus. Est ignis purgatorius incendij locus, vbi post mortem fidelium quædam peccata leuia puniuntur, aut eorum qui post detestationem peccati & confessionem legitimam condignam pœnitentiæ satisfactionem plenarie minimè peregerunt.

(Lib. 1. de officijs Eccles. c. 18.) Item idem alibi Sacrificium pro defunctorum requie offerre, vel pro eis orare, quia per totum orbem hoc custoditur, credimus quod ipsis ab Apostolis traditum sit. Hoc enim vbique Catholica tenet Ecclesia, quæ nisi crederet fidelibus defunctis dimitti peccata, non pro eorum spiritibus, vel eleemosynam faceret, vel sacrificium offerret. Nam cum Dominus dicit: *Qui peccauerit in Spiritum sanctum, non remittetur ei, neque in hoc sæculo, neque in futuro;* (Matth. 12. 32.) demonstrat, quibusdam illic dimittenda peccata, & quodam purgatorio igne purganda. Ergo vt in quodam loco dictum est à sanctissimo Augustino, defunctorum animas sine dubio pietate suorum viuentium releuari, cum pro illis sacrificium offertur, vel eleemosynæ fiunt, si tamen aliquod sibi quisque meritum præparauit, dum adhuc in corpore viueret, per quod ista prosint, quæcunque pro illo fiunt. Nam non omnibus prosunt, nisi pro differentia vitæ quam quisque gessit in corpore. Nam pro valdè bonis, gratiarum actiones fiunt; pro non valdè malis propitiationes sunt pro valde malis, etsi nulla sunt adiumenta mortuorum, qualescunque tamen viuorum consolationes. Quibus autem prosunt, aut ad hoc prosunt, vt sit plena remissio, aut certè vt tolerabilior fiat ipsa

(Enchyrid. ad Laurent. c. 110. & 13. q. 2 cap. tempus. de ciuit. Dei. lib. 21. c. 24. & lib. de cura pro mortuis agenda.)

Cc

2.Machab.12. 46. damnatio. Et in libro Machabæorum legitur: *Sancta & salubris est cogitatio pro defunctis exorare, vt a peccatis soluantur.* A

Contra eos qui dicunt, indulgentiis Prælatorum in nullo subleuari animas defunctorum.

CAPVT. VIII.

GRegorius. Non longè à monasterio venerabilis patris Benedicti, duæ sanctimoniales fœminæ, nobiliori genere exortæ, in loco proprio conuersabantur. Quibus quidam religiosus vir ad exteriorís vitæ vsum præbebat obsequium. Sed sicut nonnullis solet nobilitas generis parare ignobilitatem mentis, vt minus se in hoc mundo despiciant, qui plus se cæteris aliquid fuisse meminerunt: needum prædictæ sanctimoniales fœminæ perfectè linguam sub habitus sui frœno restrinxerant, & eundem religiosum qui ad exteriora necessaria eis obsequium præbebat, incautis sermonibus ad iracundiam prouocabant. Qui cum diu ista tolerare non posset, perrexit ad Dei hominem, quantasque pateretur verborum contumelias, enarrauit. Vir autem Dei hæc de illis audiens, eis protinus mandauit, dicens: *Corrigite linguam vestram quia si non emendaueritis excommunico vos.* Quā videlicet excommunicationis sententiam non proferendo intulit, sed minando. Illæ autem à pristinis moribus nihil mutatæ intra paucos dies defunctæ sunt, atque in Ecclesie sepultæ; cumque in eadem Ecclesia Missarum solemnia celebrarentur, atque ex more Diaconus clamaret, *Si quis non communicat, det locum.* Nutrix earum, quæ pro eis oblationem Domino offerre consueuerat, eas de sepulchris suis progredi, & extra Ecclesiā videbat. Quod dum sæpius cerneret, quia ad vocem Diaconi clamantis exibant foras, atque intra Ecclesiam permanere nō poterant, ad memoriam rediit, quæ vir Dei illis adhuc viuētibus mandauit. Eas quippe se communione priuare dicebat, nisi mores suos & verba corrigerent. Tunc seruo Dei cum graui mœrore indicatū est. Qui manu sua protinus oblationem dedit, dicens: *Ite, & hanc oblationē pro eis offerri Domino facite, & vltra excommunicatæ non erunt.* Quę dum oblata pro eis fuisset immolata, & à Diacono iuxta morem clamatum esset, vt non cōmunicantes ab Ecclesia exirent, illæ ab Ecclesia exire vlterius visæ non sunt. Qua ex re indubitanter patuit, quia dum inter eos qui communione priuati sunt, minimè recederent, communionem à Domino per seruum Domini recepissent. C D

Petrus. Mirum valde quamuis venerabilem sanctissimum virum adhuc tamen in hac carne corruptibili degentem potuisse animas soluere in illo iam inuisibili iudicio constitutas.

Matth. 16. 19. Gregorius. Nunquidnam, Petre, in hac adhuc carne non erat, qui audiebat: *Quæcunq; ligaueris super terrā, erunt soluta & in cœlis, & quæ solueris super terrā, soluta erunt & in cœlis.* Cuius nunc vicem & ligando & soluēdo obtinēt, qui locum sancti regiminis fide & moribus tenent. Sed vt tanta valeat homo de terra, cœli & terræ conditor in terram venit de cœlo, atque vt iudicare caro etiam de spiritualibus possit, hoc ei largiri dignatus est factus pro hominibus Deus caro; quia inde surrexit vltra se infirmitas nostra, vnde sub se infirmata est firmitas Dei. E

Ioan. 1. 14.

Petrus. Cum virtute signorum concorditer loquitur ratio verborum.

Isidorus. Indulgentiæ dierum quæ à pastoribus Ecclesię in sanctorum [illegible] ...tibus, vel alias ob charitatis opera [illegible] ...am etiam mortuis s... [illegible] ...iltæ sol... ...us per... [illegible] ...ænarū

Contra illos qui dicunt, verba maledicta in ira non esse graue peccatum.

CAPVT IX.

PEtrus interrogatus beatissimum Patrem dicit. Nunquidnam valde graue esse credimus, si fortasse cuilibet exagitati iracundia maledicamus? 1. Dialog. cap. 15.

Gregorius. De hoc peccato, cui me percunctaris, an graue sit? cùm Paulus dicat: *Neque maledici regnum Dei possidebunt?* Pensa itaque quam grauis culpa est, quæ separat à regione vitæ. 1. Cor. 6. 10. Maledici regnum dei non possidebunt.

Petrus. Quid si homo non faciat ea malitia, sed ex linguæ incuria maledictionis in proximum iaculatur verbum. B Et Gratia. § Si fecerit.

Gregorius. Si apud districtum iudicem, Petre, ociosus sermo reprehēditur, quanto magis noxius? Pensa igitur quantum sit damnabilis qui à malitia non vacat, si & ille sermo pœnalis est, qui à bonitate vtilitatis vacat. Lib. 2. de sum. bono. cap. 29.

Isidorus. Cum quædam parua vitiorum verba non euitamus, in magno linguæ prolabimur crimine, & dū facta quædam non grauia liberè ac sine metu committimus, ad peiora scelera, & horrenda peccandi consuetudine labimur. Et post pauca.

Sicut falsitatis crimen à proficientibus pertimescitur: ita otiosa verba à perfectis viris vitantur. Nam, sicut ait quidam, vt pro ocioso verbo ratio ponitur, ita pro sermone iniusto pœna exsoluitur. Vani sermones in ore Christiani esse nō debent. Nam sicut malos mores bona colloquia corrigūt, ita praua colloquia bonos mores corrumpunt. Item idem. Qui manum continet, ne sanguinem proximi fundat, & maledictis iaculo mentē eius vulnerat, profectò se effusionis sanguinis apud Deū efficit reum: quia gladium venenatæ linguæ proximi mēti infixit. Cui sententiæ illud Apostoli Iacobi congruere videtur, qui dicit: *Lingua constituitur in mēbris nostris quæ totum corpus maculat & inflammat rotam natiuitatis nostræ inflammata à gehenna, inquietum malum plena veneno mortifero.* Quare hæc diceret, apertè videtur, cū subiungit: *Ipsa,* inquit, *maledicimus homines, qui ad similitudinem Dei facti sunt.* Et quia maledicto effrenatæ linguæ illud Deo odibile scilicet fratrum discordia seminatur, quæ mala consequantur insinuat, dicens: *Vbi zelus & contentio, ibi inconstantia & omne opus prauum.* Qui igitur omne vniuersaliter posuit, nihil prætermisit. Cauendum est igitur fidelibus à vitio maledicti, ne cum inde omnibus subiaceat malis, omnium malorum iusto Dei iudicio puniantur tormentis. 3

Contra illos qui dicunt, puerorum peccata apud Deum pertransire multa, & ineis aliquatenus minime requirenda post mortem.

CAPVT X.

PEtrus interrogans beatissimum Patrem dicit: Cum humanum genus multis atque innumeris vitiis sit subiectum, Hierusalem cælestis patriæ maximam partem ex paruulis vel infantibus arbitror posse compleri.

Gregorius. Etsi omnes infantes baptizatos, atq; in eadem infantia morientes ingredi regnum cælęste credēdum est, omnes tamē paruulos qui scilicet iā loqui possunt, regna cælestia ingredi credendū non est. Quia nōnullis paruulis eiusdē regni cælestis aditus à patētibus clauditur, si male nutriantur. Nam quidā vir cunctis in hac vrbe notissimus ante triēnium, filium habuit annorum, sicut arbitror, quinque, quē nimis carnaliter diligens, remissè nutriebat, atq; idem paruulus, quod dictu graue est, mox ei eius animo aliquid obstitisset, maiestatē Dei blasphemare consueuerat. Qui in hac an... ...mis veniat ad mortē; cum... 4. Dial. cap. 18.

ſuus pater in ſinu teneret, ſicut hi teſtati ſunt, qui præſentes fuerunt, malignos ad ſe ſpiritus veniſſe tremeribus oculis puer aſpexit & cœpit clamare: *Obſta pater, obſta pater*, qui clamans declinauit faciem, vt ſe ab eis in ſinu patris abſconderet. Quem cum ille trementem, quid videret, inquireret, puer adiunxit, dicens: Mauri homines veniunt, qui me tollere volunt. Qui cum hoc dixiſſet, maieſtatis nomen protinus blaſphemauit, & animam reddidit. Vt enim omnipotens Deus oſtenderet pro quo reato talibus fuiſſet executoribus traditus, vnde viuentem pater ſuus noluit corrigere, hoc morientem permiſit iterare: vt qui diu per diuinitatis patientiam blaſphemus vixerat, quandoque per diuinitatis iudicium blaſphemaret & moreretur? quatenus reatum ſum pater eius cognoſceret, qui paruuli filij animam negligens, non paruulom peccatorem gehennæ ignibus nutriſſet.

Martinus hic presbyter Legionenſis fuit: de quo Io. Mariana hiſt. lib. 11. cap. 16.

B Martinus presbyter ſpiritus ſapientiæ genere decoratus, omnes inquit, infantes baptizatos, & adhuc ab actualibus peccatis immunes cæleſte regnum ingredi poſſe dubium non eſt, ſed de omnibus qui iam loquuntur, & blaſphemiis, maledictis, conuitiis, opprobriiſque delectantur, affirmandum non eſt.

Item idem. Si à parentibus malè nutriantur pueri, & maledici fuerint, & blaſphemi, cæleſte regnom intrare non poſſunt. Triſtia ſunt valde quæ referuntur, ſed noo pueriliter aduertenda. Quia cum omnipotens Deus tãta diſtrictione ſe innoteſcit nobis punire blaſphemias puerorum, vt à maledicto linguæ debeamus quieſcere, quanta animaduerſione maledicta & blaſphemia feriat adultorum, qui acuentes vt gladium linguas ſuas animabus proximorum vulnera mortis infligunt, inſinuat.

Pſal. 63. 4.

Feſtinandum eſt igitur, vt à nobis opprobriis & conuiciis vulneratis mentibus proximorum ſtudeamus adhibere remedia ſanitatis, & ſicut dicit beatiſſimus Doctor Auguſtinus; non pigeat ex ipſo ore proferre medicamenta, vnde facta ſunt vulnera; ne poſtquam excreuerit ira in odium, trabem faciens de feſtuca, faciat animam homicidam & requiratur de manu veſtra ſanguis & anima proximi pro quo Chriſtus mortuus eſt. Solertes etiam hoc exemplo debent admoneri parentes, vt in Dei timore filios & alumnos ſtudeant educare, pertimeſcentes illam duriſſimam ſententiam, *quia faciens & conſentiens pari pœna puniuntur*: & qui deſinit obuiare, cum poteſt errorem corrigere, videtur conſentire: vt ſpeculator negligens, in cuſtodia ſibi credita torpens, quia inimicus occultè veniens, ſeu manifeſtè, ouem Chriſti rapuit, vel, etiam prauæ doctrinæ ſeminauit Zizaniam diſſimulante cuſtode rationem domino de propriis & ſubditorum exceſſibus reddere teneatur.

Epiſt. 109 ſerm. 16. de verb. Domin. & in lib. 50. homilia 40.

Rom. 1. 32. Alludit ad verba Innocentij d. 83. Ioan. 10. Matth. 13.

Contra illos qui dicunt animas poſt mortem eorum cognitione carere; quos in hoc ſæculo dilexerunt.

Cap. XI.

Petrus interrogans Beatiſſimum Patrem dicit: Noſſe velim, ſi vel boni bonos in regno, vel mali malos in ſupplicio agnoſcunt.

4 Dial. c. 23. Luc. 16. 19.

Gregorius. Huius rei ſententia eſt luce clarius in verbis Dominicis demonſtrata, in quibus dum dictũ eſſet: *Homo quidam erat diues & induebatur purpura & byſſo & epulabatur quotidiè ſplendidè, & erat quidam mendicus nomine Lazarus, qui iacebat ad ianuam eius vlceribus plenus, cupiens ſaturari de micis, quæ cadebant de menſa diuitis, & nemo illi dabat, ſed & canes veniebant & lingebant vlcera eius.* Subiunctum eſt, *quod mortuus Lazarus portatus eſt ab Angelis in ſinum Abrahæ, & mortuus diues ſepultus eſt in inferno, qui eleuans oculos ſuos cum eſſet in tormentis vidit Abraham è longe, & Lazarum in ſinu eius; & ipſe clamans dixit: Pater Abraham miſerere mei, & mitte Lazarum, vt intingat extremum digiti ſui in aquam, & refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma. Cui Abra-*

A *ham dixit: Filij recordare quia recepiſti bona in vita tua, & Lazarus ſimiliter mala. Diues autẽ de ſe ipſo iam ſpem ſalutis non habens ad promerendam ſuorum ſalutẽ conuertitur, dicens: Rogo ergo te pater vt mittas eum in domum patris mei. Habeo enim quinque fratres, vt teſtetur illis ne & ipſi veniant in hunc locum tormentorum.* Quibus verbis apertè declaratur, quia & boni bonos, & mali cognoſcunt malos. Si igitur Abraham Lazarum minimè recognouiſſet, nequaquam ad diuitem in tormentis poſitum de tranſacta eius contritione loqueretur, dicens: *Quod mala receperit in vita ſua*; & ſi mali malos non recognoſcerent, nequaquam diues in tormentis poſitus fratrum ſuorum etiam abſentium meminiſſet. Quomodo enim præſentes non poſſet agnoſcere, qui etiam pro abſentium memoria curauit exorare? Qua in re illud quoque oſtenditur quod nequaquam ipſe requiſiſti, quia & boni malos & mali cognoſcunt bonos. Nam & diues ab B Abraham cognoſcitur, cui dictum eſt, *Recepiſti bona in vita tua*. Et electus Lazarus à reprobo eſt diuite cognitus quem mitti precatur ex nomine, dicẽs: *Mitte Lazarum, vt intingat extremũ digiti ſui in aquam & refrigeret linguam meam.* In qua videlicet cognitione vtriuſque partis cumulus retributionis excreſcit, vt & boni amplius gaudeant, qui ſecum eis lætari conſpiciunt quos amauerunt, & mali dum cum eis torquentur, quos in hoc mundo deſpecto Deo dilexerunt, vt eos non ſolum ſua, ſed etiam eorum pœna conſumat. Fit autem in electis quiddam mirabilius, quia non ſolum eos agnoſcũt, quos in hoc mundo nouerunt, ſed velut viſos ac cognitos recognoſcunt bonos, quos nunquam viderunt. Nã cùm antiquos Patres in illa æterna hæreditate viderint, eis incogniti per viſionem non erunt, quos in opere ſemper nouerunt. Quia enim illic omnes communi claritate Deum conſpiciunt, quid eſt quod ibi neſciant, C vbi ſcientem omnia ſciunt? Nam quidam noſter religioſus vir, & vitæ valde laudabilis, cùm ante quadriennium moreretur, ſicut religioſi alij qui præſentes fuere teſtati ſunt, in hora ſui exitus Ionam Prophetam, Ezechielem quoque, & Danielem cœpit aſpicere, eoſque ex nomine ſuos Dominos clamare. Quos dum ad ſe veniſſe diceret, & depreſſis luminibus eis reuerentiæ obſequium præberet ex carne eductus eſt. Qua in re apertè datur intelligi, quæ erit in illa incorruptibili vita notitia, ſi vir iſte adhuc in carne poſitus corruptibili, Prophetas ſanctos, quos nimirum nunquam viderat, agnouit.

Iſidorus. Recognoſcunt boni bonos in patria: vt cum eis quibus mente inhæſerunt ad augmentum beatitudinis perpetuò glorientur. Recognoſcunt etiam malos in pœna, vt miſericordiam Dei ſemper attollant D dulcius, quia illorum miſeriam euaſerunt. Recognoſcent mali bonos, vt ſemper doleant de requie, quam amiſerunt: & malos recognoſcent, quos in hoc ſæculo dilexerunt, vt de charorum tormentis amplius crucientur. De charorum ſuorum ſuppliciis additur pœna defunctis, ſicut apud inferos diuiti ſermo prædicat Euangelicus. Sicut etiam pro augendo inde ſupplicio, dicit Pſalmus: *Commoti amoueantur filij eius, & mendicent.* Impij ex hoe durius in iudicio puniendi ſunt mentis dolore, ex quo viſuri ſunt iuſtos gloriæ beatitudinem meruiſſe. Ad hæc quæſtio videtur accedere, vtrum ſancti compatiantur iniquis æternis ſuppliciis deputatis, vel orent pro eis.

Iſidor li. 1. de ſummo bono c. 32. Luc. 16.

Pſ. 108. 10. ſequitur lectionẽ Pſalterij Gothico & Rom.

Gregorius. In libro Moralium beatiſſimi Iob. *In vaE ſtitate & fame iuſtus ridebit*: quia cum iniquos omnes extrema vltio percutit, ipſe de gloria æternæ retributionis hilareſcit. Nam damnatis non tunc ex humanitate compatitur, quia diuinæ iuſtitiæ per ſpeciem inhærens inconcuſſo diſtrictionis intimæ vigore ſolidatur. Erectas namque in claritate ſupernæ rectitudinis mentes electorum nulla miſeria afficit, quia has à miſeriis altitudo beatitudinis alienas reddit. Vnde etiam per Pſalmiſtam dicitur: *Videbunt iuſti, & timebunt: ſuper eum*

Lib. 6. c. 1. cap. 10. Iob. 5. 22. Pſal. 51. 8.

A ridebunt & dicent. *Ecce homo, qui non posuit Deum adiutorem suam.* Iniquos enim iusti nunc vident, & metuunt: & tunc visuri sunt & ridebunt. Quia verò modò ad eorum imitationem labi possunt, hic habent formidinem. Quia verò damnatis tunc prodesse nequeunt, illic non habent compassionem. Æterno itaque supplicio deditis non esse miserendum, in ipsa qua beati sunt iustitia iudicantis legunt. Qui, quod suspicari fas non est, qualitatem sibi perceptæ fœlicitatis imminuunt, si in regno positi volunt, quod nequaquam implere possunt. Item in libro Dialogorum. Petrus. Nullus iustus crudelitate pascitur, & delinquens seruus à iusto domino idcirco cædi præcipitur, vt à nequitia corrigatur. Ad hoc ergo vapulat, vt emendari debeat. Iniqui autem gehennæ ignibus traditi, si ad correctionem non perueniunt, quo fine semper ardebunt?

4 lib. c. 41.

B Gregorius. Omnipotens Deus, quia pius est, miserorum cruciatu non pascitur. Quia autem iustus est, ab iniquorũ vltione in perpetuum non sedatur. Sed iniqui homines, æterno supplicio deputati sua quidem iniquitate puniuntur, & tamen ad aliquid ardebũt, scilicet vt iusti homines & in Deo videant gaudia, quę percipiunt, & in illis respiciant supplicia, quæ euaserunt. Quatenus tanto magis se in æternum diuinæ gratiæ debitores esse cognoscant, quanto in æternũm mala puniri conspiciunt, quæ eius adiutorio vicerunt. Petrus. Et vbi est, quod sancti sunt, si pro inimicis suis, quos tunc ardere viderint non orabunt, quibus dictum est. Pro inimicis vestris orate.

C Gregorius. Orant pro inimicis suis eo tempore quo possunt ad fructuosam pœnitentiam eorum corda conuertere atque ipsa conuersatione saluare. Quid enim aliud pro inimicis orandum est, nisi hoc, quod ait Apostolus; *vt det illis pœnitentiam ad cognoscendam veritatem, & resipiscant a Diaboli laqueis, a quo capti tenentur ad ipsius voluntatem.* Et quo modo pro illis tunc orabitur, qui iam nullatenus possunt ad iustitiæ opera ab iniquitate commutari?

2. ad Tim. 2. 26.

Eadem itaque causa est, cur non oretur tunc pro omnibus æterno igne damnatis, quæ nunc etiam causa est, vt nõ oretur pro Diabolo, Angelisque eius æterno supplicio deputatis: quæ nunc etiam causa est, vt non orét sancti homines pro hominibus infidelibus, impiisque D defunctis; quia de iis vtique, quos æterno deputatos supplicio iam nouerunt, ante illũ iudicis iusti conspectũ orationis suæ meritum cassari refugiunt. Quod si nunc quoque viuentes iusti mortuis & damnatis iniustis minime compatiuntur, quanto districtius tunc iniquorum tormenta respicient quando ab omni vitio corruptionis exuti ipsi iam iustitiæ vicinius atque arctius inhærebunt? Sic quippe eorum mentes per hoc, quod iustissimo iudici inhærent, vis districtionis absorbet, vt omninò eis non libeat, quidquid ab illius internæ regulæ subtilitate discordat. Petrus. Non est iam quod responderi debeat apertæ rationi.

Isidorus. De perpetua damnatione malorum quorum damnationis latam à iusto iudice sententiam approbant, iusti nullatenus dolebunt. Quia iusti cùm sint, & E iustos vnicuique, quantum in ipso est, reddere tenentur, quod suum est: & impij æterna damnatione iustè puniantur, à rectitudine iustitiæ nulla affectione iusti poterunt declinare.

Item idem. Non faciet in futurum cor miserum iustorum compassio, neo damnatorum condolentis affectio, vbi tantum erit sanctorum de Dei contemplatione gaudium, vt tristitiæ nullus tribuatur introitus. Sicut comparatus color candidus nigro colori fit pulchrior: ita & sanctorum requies comparata damnationi malorum gloriosior erit; sic iustitia iniustitiæ, sic virtus vitio. Crescit ergo sanctorum gloria, dum debita damnantur impij pœna.

De sum. bon lib. 1. cap 33.

Contra Epicureos, qui negant esse alteram vitam, & inuisibilia esse non credunt.

CAP. XII.

Gregorius. Postquam de Paradisi gaudiis, culpa exigente pulsus est primus humani generis parens in huius exilij atque cæcitatis, quam patimur, ærumnam venit. Quia peccando extra semetipsum pulsus, iam illa cælestis patriæ gaudia, quæ prius contemplabatur, videre non potuit. In Paradiso quippe homo assueuerat verbis Dei perfrui: beatorum Angelorum spiritibus cordis munditia & celsitudine visionis interesse. Sed postquam huc cecidit, ab illo quo B implebatur mentis lumine recessit. Ex cuius videlicet carne, nos in huius exilij cæcitate nati, audiuimus quidem esse cælestem patriam: audiuimus eius ciues Angelos Dei: Audiuimus eorumdem Angelorum socios, spiritus iustorum & perfectorum. Sed carnales quique quia illa inuisibilia † sceroere non valent, per experimentum dubitant, vtrumne sit; quod corporalibus oculis non vident. Quæ nimirum dubietas in primo parente nostro esse non potuit. Quia exclusus à Paradisi gaudiis, hoc quod amiserat, quod viderat recolebat. Hi autem sentire vel recolere audita non possunt, quia eorum nullum, sicut & ille saltem de præterito experimentum tenent. Ac si enim prægnans mulier mittatur in carcerem ibique puerum pariat: qui natus puer C in carcere nutriatus & crescat. Cui si fortasse mater, quæ hunc genuit solem, lunam & stellas, montes & campos, volantes aues, currentes equos nominet: ille verò qui est in carcere natus, & nutritus, nihil aliud quam tenebras carceris sciat: & hæc quidem esse audiat: sed quia ea per experimentum non nouit, veraciter esse diffidat, ita in hac exilij sui cæcitate nati homines, dum esse summa & inuisibilia audiunt, diffidũt, an vera sint: quia sola hæc infima, in quibus nati sunt, visibilia nouerũt. Vnde factum est, vt ipse inuisibiliũ creator ad humani generis redemptionem vnigenitus Patris veniret: & Spiritum sanctum ad corda nostra mitteret quatenus per eũ viuificati crederemus, quæ adhuc scire experimento non possumus. Quotquot ergo hunc spiritum hæreditatis D nostræ pignus accepimus, de vita inuisibilium non dubitamus. Quisquis autem in hac credulitate adhuc solidus non est, debet proculdubio Maiorum dictis fidem præbere, eisque iam per Spiritum sanctum inuisibilium experimentum habentibus credere. Nam & stultus est puer, si matrem ideò existimat de luce mentiri, quia ipse nihil aliud quam tenebras carceris agnouit. Petrus. Placet quod dicis valde: sed qui esse inuisibilia non credit, profectò infidelis est, & in vero infidelis est, & quod dubitat, fidem non quærit, sed rationem.

4 Dialog. c. 1

† sciri.

Isidorus. Sæpe ad incorpoream creatoris magnitudinem creaturam corporea magnitudo componitur, vt magna considerentur ex paruis: & ex visibilibus inuisibilia æstimentur, atque ex pulchritudine factorum E effector operum cognoscatur, non tamen parilitate consimili, sed ex quadam subdita & creata specie boni, sicut ars in artificem retorquens laudem: ita rerum creator per creaturam suam laudatur: & quanto sit excellentior, ex ipsa operis conditione monstratur. Ex pulchritudine circumscriptæ creaturæ, pulchritudinem suam quæ circumscribi nequit, facit Deus intelligi, vt ipsis vestigiis reuertatur homo ad Deum, quibus auersus est; vt quia per amorem pulchritudinis creaturæ à creatoris forma se abstulit, rursus per creaturæ decorem, ad creatoris pulchritudinem reuertatur. Quibusdam gradibus intelligentiæ, per creaturam progreditur homo ad intelligendum Deum creatorem, id est, ab insensibilibus surgens ad sensibilia, à sensibilibus surgẽs ad rationabilia, à rationabilibus surgens ad creatorem, Intelligibilia per se conlaudant Deum. Irrationabilia

De sum. bon. lib. 1. cap. 4.

nabilia & insensibilia non per se, sed per nos dũ ea considerantes Deum laudamus. Sed ideò dicuntur laudare ipsa, quia eandem laudem eatum parturit causa. Dixerunt antiqui, qood nihil tam hebes sit, quod non sensum habeat in Deum. Hinc est illud, quod ex silice duro scintilla excutitur; &, si ignis in saxo, vtique ibi sensus sentitur, vbi se vita non sentit.

Item idem. Ipsa elementorum inter tot eorum contrarios motus in statu debito existẽtia testatur esse vnũ omnium gubernatorem inuisibilem, qui ne mutua se contrarietate destruant in proprio ordine facit persistere elementa: & secundum sacram scripturarum *circumdat mare terminis suis*, dicens: Huc vsque venies, & non procedes amplius: & hic confringes tumentes fluctus tuos. Habet hic inuisibilis gubernator inuisibiles ministros suos, quorum ministerio inuisibiliter cuncta gubernat: ne præter eius voluntatem alicui contraria possint nocere.

Iob.38.10. & 11. Psal.103 5. Ier.5.22.

Augustinus Doctor Ecclesiarum clarissimus, homines infideles, quibus cũ diuina præterita vel futura miracula prædicamus, quæ illis experienda non valemus ostendere, rationem à nobis earum flagitant rerum. Quam quoniam non possumus reddere (excedunt enim vires mentis humanæ) existimant falsa esse quæ dicimus. Ipsi de tot mirabilibus rebus, quas vel videre possumus, vel videmus, debent reddere rationem. Quod si fieri ab homine non posse peruiderint, fatendum est eis, non ideò aliquid non fuisse, vel non futurum esse, quia ratio inde non potest reddi: Quandoquidẽ sunt ista de quibus similiter non potest. Non itaque pergo per plurima, quæ mandata sont litteris non gesta, atque transacta, sed in locis quibusque manẽtia: qoo si quisque ire voluerit, verum vera sint explorabit, sed pauca commemoro. Agrigentinum Siciliæ salem perhibent cum fuerit admotus igni, velut in aqua fluescere: cùm verò ipsi aquæ, velut in igne crepitare. Apud Garamantas quendam fontem tam frigidum diebus, vt non bibatur: tam feruidum noctibus vt non tangatur.

Lib.21.de ciuit. Dei, cap.5.

In Epiro alium fontem, in quo faces, vt in cæteris extinguntur accensæ, sed non vt in cæteris accenduntur extinctæ.

Abeston Arcadiæ lapidem propterea sic vocari, quod accensus semel iam non possit extingui:

Lignum cuiusdam ficus Ægyptiæ non vt ligna cætera in aquis natare, sed mergi: &, quod mirabilius, cùm in imo aliquandio fuerit, inde ad aquæ superficiem rursus emergare quando madefactum debuit humoris pondus prægrauari.

Poma in terra Sodomorum gigni quidem & ad maturitatis faciem peruenire, sed morsu pressove tentata, in fumum ac fauillam corio fatiscẽte euanescere. Pyritem lapidem Persicum tenentis manom si vehementius prematur adurere, propter quob ab igne nomen accepit.

In eadem Perside gigni etiam lapidem Selenitem, cuius interiorem candorem cum luna crescere, atque deficere.

In Cappadocia etiam vento equas concipere: eos denique fœtus non amplius triennio viuere.

Tilon Indiæ insulam eò præferri cæteris terris, quod omnis arbor quæ in ea nascitur nunquam nudatus tegmine foliorum.

De his atque aliis innumerabilibus mirabilibus, qoæ historia non factorum & transactorum, sed manentium locorum tenet, mihi autem aliud agenti ea persequi nimis longum est, Reddant rationem si possunt infideles isti, qui nolunt diuinis scripturis credere, quid aliud qoã non putant eas esse diuinas, eo quod res habeant incredibiles, sicuti hoc est, vnde nunc agimus. Non enim admittit, inquiũt, vlla ratio, vt caro ardeat, neque absumatur, doleat, neque moriatur; ratiocinatores, videlicet magni, qui de omnibus rebus, quas esse mirabiles constat possunt reddere rationem. Reddant ergo de his quę pauca posuimus, quæ proculdubio si esse nescirent, & ea futura esse diceremus, multo minus crederent, quàm quod nunc dicentibus nobis nolunt credere aliquando esse venturum. Quis ergo nobis crederet, si quemadmodum dicimus, futura hominum viua corpora, quæ semper arsura atque dolitura, nec tamen aliquando moritura sint; ita diceremus in futuro sæculo futurum salem, qoam faceret ignis, velut in aqua fluescere, eundemque faceret aqoa velut in igne crepitare? Aut futurum fontem, cuius aqua in refrigerio noctis sic ardeat, vt non possit tangi; in æstibus vero diei sic algeat, vt nõ possit bibi; aut futurum lapidem, vel eum qui suo calore manum constrigentis adureret, vel eum qui vndecumq; accensus extingui omninò non possit: Et cætera, quæ prætermissis aliis innumeris commemoranda interim duxi. Hæc ergo in illo sæculo, quod futurũ est, si diceremus futura, no his increduli responderent: Vultis vt ea credamus, de singulis reddire rationem; nos non posse, confiteremur istis; eò quòd de similibus Dei miris operibus infirma mortalium ratiocinatio vinceretur. Fixam tamen apud nos esse rationem, non sine ratione Omnipotentem facere: vnde animus humanus infirmus rationem nõ potest reddere; & in multis quidem rebus incertum nobis esse quid velit: Illud tamen esse certissimum, nihil eorum illi esse impossibile quæcumque voluerit, eique nos credere prædicenti, quem neque impotentem, neque mentientem possumus credere. Hi tamẽ fidei reprehensores exactoresq; rationis quid ad ista respondent, de quibus ratio reddi ab homine nõ potest? & tamen sunt: & ipsi rationi naturæ videntur esse contraria? Quæ si futura esse diceremus, similiter à nobis sicut eorum quæ futura esse dicimus, ab infidelibus ratio posceretur. Ac per hoc cùm in talibus operibus Dei deficiat ratio cordis & sermonis humani, sicut ista non ideò non sunt: sic, non ideo etiam illa non erunt, quoniam ratio de vtrisque ab homine reddi non potest.

Quia verò infideles quiqoe dictis exemplis eò qoòd non videant ea, vel quia rara sunt, non accommodant fidem; de his quæ in quotidiano nobis veniunt exercitio, & ab eodem patre sanctissimo sunt posita Augustino, aliqua proponamus. Augustinus. Habent vt nos calcem miro modo aqua ferueſcentem qoa solet ignis extingui: & oleo non ferueſcentem qoo ignis solet accendi. Quia in promptu nobis est, non miramur. Sed si hoc miraculum de aliquo Indico lapide legeremus, siue audiremus & in nostrum experimentum venire non posset, profectò aut mendacium putaremus, aut certe granditer miraremur.

Eodem lib. cap.4.

De igne mira quis explicet quo quæque adusta nigrescunt, cum ipse sit lucidus: & pene omnia quæ ambit & lambit colore pulcberrimus decolorat: atque ex pruna fulgida carbonẽ te terrimum reddit. Neque id quasi regulariter definitum est: nam & è contrario lapides igne candẽte percocti, & ipsi fiunt candidi. quid in carbonibus? Nonne miranda est & tanta infirmitas, vt ictu leuissimo frangantur, pressu facillimo conterantur, & tãta firmitas vt nullo humore corrumpantur, nulla ætate vincantur. Et quis nisi Deus creator omnium dedit carnem pauonis mortui, ne putresceret? Quod cùm auditu incredibile videretur, euenit vt apud Carthaginem nobis cocta apponeretur hæc auis, de cuius pectore pulparum, quantum visum est, decerptum seruari iussimus: Quod post dierum tantum spacium, qoanto alia caro quæcumque cocta putresceret, prolatum atque oblatum nihil nostrum offendit olfactum. Itemq; repositum post dies amplius quam triginta id quod erat inuentum est. Itemque post annum, nisi quod aliqoantum corpulentiæ siccioris, & contractioris fuit. Qois paleæ dedit vel tam frigidam vim, vt obrutas niues seruet, vel tam feruidam, vt poma immatura maturet?

Sunt quidam notissimi montes in Sicilia, qui tantà tẽporis diuturnitate, ac vetustate vsqoe nunc ac deinceps flammis æstuant atq; integri perseuerãt, satis idonei testes sunt, nõ omne quod ardet absumi, & anima indicat

Ibid cap 4. initio.

non omne, qood dolere poteſt, poſſe etiam mori. Quid adhuc à nobis rerum poſcantur exempla, quibus doceamus non eſſe incredibile, vt hominũ corpora ſempiterno ſupplicio punitorũ, & in igne animam nõ amittant, & ſine detrimento ardeant, & ſine interitu doleant? Habebit enim tunc iſta carnis ſubſtantia qualitatem ab illo inditam, qui tam miras & varias tot rebus indidit, quas videmus, & eas, quia multæ ſunt, non miramur.

De ciuit. Dei, lib. 22. cap. 3. *Gen. 22. 18.* Item idem Auguſtinus. Vt cætera multa prætereeam, ſicut nunc in Chriſto videmus impleri quod promiſit Abrahæ, dicens: In ſemine tuo benedicentur omnes gentes, ita quod eidem ſemini eius promiſit, implebitur, vbi ait per Prophetam: reſurgent qui erant in monumentis. *Ioann. 5. 28* Et quod ait: Erit cœlum nouum, & terra noua: *Iſaia 65. 17.* & non erunt memores priorum, nec aſcendet in cor ipſorum, ſed lætitiam & exultationem inuenient in ea. Et ecce ego faciam Hieruſalem in exultationẽ & populum meum in lætitiã & exultabo in Hieruſalem, & lætabor in populo meo, & vltra nõ audietur in illa vox fletus. Et *Dan 12. 2.* per alium Prophetam quod prænunciauit dicens eidem Prophetæ: In tempore illo ſaluabitur populus tuus omnis qui inuentus fuerit ſcriptus in libro, & multi dormientium in terræ puluere, ſiue (vt quidam interpretati ſunt) aggere exſurgent: hi in vitam æternam, hi in opprobrium & confuſionem æternam. *Dan. 7. 18.* Et alio loco per eundem Prophetam: accipient regnum ſancti Altiſſimi, & obtinebunt illud vſque in ſæculum, & vſque in ſæcula ſæculorum.

Sanctorum hiſce Patrũ rationibus videtur ſufficienter eſſe probatum, quod ſit altera vita poſt hãc, & inuiſibilia, quæ in ſacris prædicantur ſcripturis firmiter eſſe credenda, quod voluptuoſi negant Epicurei. Dicuntur quidem Epicurei, vt ait Hiſpaniarum Doctor Iſidorus, *Lib. 8. Etymol. cap. 6.* ab Epicuro quodam philoſopho amatore vanitatis, nõ ſapientiæ, quem etiã ipſi philoſophi Porcum nominauerunt, quaſi volutans in cœno carnalem voluptatem corporis, ſummum bonum aſſereret. Qui etiam dixit nulla diuina prouidentia inſtructũ eſſe aut regi mundũ, ſed originem rerum atomis, id eſt, inſecabilibus ac ſolidis corporibus aſſignauit, quorum fortuitis concurſionibus vniuerſa naſcantur, & nata ſint. Aſſerunt autem, Deum nihil agere, omnia conſtare corporibus, animam nihil aliud eſſe quam corpus. Vnde & dixit: *Non ero poſtea cum mortuus fuero.* Quia verò plures in Eccleſia Dei corporaliter exiſtentes hanc vaniſſimam Sectam carnis voluptatibus approbant, ne fortaſſis mentaliter ſeducti labantur in illam & omnino pereant inuiſibilia Dei negantes, beatiſſimus accedat Gregorius, horum Dei ſecretorum nobis aperiens veritatem.

4. Dial. c. 3. & deinceps. Petrus. Qui infidelis eſt in eo quod dubitat, fidem non quærit, ſed rationem. Gregorius. Audacter dico, quia ſine fide neque infidelis viuit. Nam ſi eundem infidelem percunctari voluero, quem patrem, vel quam matrem habuerit, protinus reſpondebit, Illum, atque illam. Quem ſi ſtatim requiram, vtrumne nouerit, quãdo conceptus ſit, vel viderit, quando natus, nihil horum ſe vel noſſe, vel vidiſſe fatebitur: & tamen quod non vidit, credit; nam illum patrem, illamque habuiſſe ſe matrem abſque dubitatione teſtatur.

Petrus. Fateor, quia nunc vſque neſciui, quod & infidelis haberet fidem. Gregorius. Habent etiam infideles fidem, ſed vtinam in Deum: Quam vtique ſi haberent, infideles non eſſent. Sed hinc in ſua perfidia redarguendi ſunt, hinc ad fidei gratiam prouocandi: Quia ſi de ipſo ſuo viſibili corpore credunt, quod minimè viderunt, cur inuiſibilia non credunt, quæ corporaliter videri non poſſunt?

Idem c. 3. Gregorius. Nam quia poſt mortem carnis viuat anima, patet ratio, ſed fidei admixta. Tres quippe vitales ſpiritus creauit omnipotens Deus. Vnum, qui carne non tegitur; alium qui carne tegitur, ſed non cum carne moritur: tertium qui tegitur carne & cum carne moritur. Spiritus namque eſt, qui carne non tegitur, An-

A gelorum: ſpiritus, qui carne tegitur, ſed cum carne moritur, hominum: ſpiritus, qui carne tegitur, & cum carne moritur, iumentorum, omniumque animalium brutorum. Homo itaque ſicut in medio creatus eſt, vt eſſet inferior Angelo, ſuperior iumento: ita aliquid habet commune cum ſummo, aliquid cum infimo. Immortalitatem ſcilicet ſpiritus cum Angelo, mortalitatem verò carnis cum iumento: quouſque & ipſam mortalitatem carnis gloria reſurrectionis abſorbeat & inhærẽdo ſpiritui caro ſeruetur in perpetuum. Quia & ipſe ſpiritus inhærendo ſeruatur in Deum. Quæ tamen caro nec in reprobis inter ſupplicia deficit perfectè, quia ſemper deficiendo ſubſiſtit, vt qui ſpiritu & carne peccauerunt ſemper eſſentialiter viuentes & carne, & ſpiritu ſine fine moriantur.

B Petrus. Rationi fidelium placent cuncta quæ dicis. Sed quæſo te, dum ſpiritus hominum atque iumentorum tanta diſtinctione diſcernas, quid eſt, quod Salomon ait: *Dixi in corde meo de filijs hominum, vt probaret eos Deus, & oſtenderet ſimiles eſſe beſtijs. Idcirco vnus interitus eſt hominis & iumentorum, & aqua vtriuſque conditio.* *Eccl. 3. 18.* Qui adhuc eandem ſententiam ſuam ſubtiliter exequẽs adiungit: *Sicut moritur homo, ita & illa moriuntur. Similiter ſpirant omnia, & nihil habet homo iumentis amplius.* Quibus adhuc verbis generalem definitionem ſubinfert, dicens: *Cuncta ſubiacent vanitati, & omnia pergunt ad vnum locum. De terra facta ſunt, & in terram pariter reuertentur.*

Gregorius. Salomonis liber, in quo hæc ſcripta ſunt Eccleſiaſtes appellatus eſt. Eccleſiaſtes autem propriè C *Concionator* dicitur. In concione verò ſententia promitur, per quam tumultuoſæ turbæ ſeditio comprimatur. Et cum multi diuerſa ſentiunt, per concionantis rationem ad vnam ſententiam perducuntur. Hic igitur liber concionator dicitur, quia Salomonem in eo quaſi tumultuantis turbæ ſuſcepit ſenſum, vt ea per inquiſitionem dicat quæ fortaſſe per tentationem imperita mens ſentiat. Nam quot ſententias quaſi per inquiſitionem mouet, quaſi tot in ſe perſonas diuerſorum ſuſcipit. Sed concionator verax, velut extenſa manu omnium tumultus ſedat: eoſque ad vnam ſententiam reuocat cum in eiuſdem libri termino ait: *Finem loquendi omnes pariter audiamus. Deum time, & mandata eius obſerua: hoc eſt omnis homo.* Si enim in libro eodem per locutionem D ſuam multorum perſonas non ſuſceperat, cur ad audiẽdum loquendi finem ſecum pariter omnes admonebat? Qui igitur in fine libri dicit: omnes pariter audiamus, ipſe ſibi teſtis eſt, quia in ſe multorum perſonas ſuſcipiens, quaſi ſolus locutus non eſt. Vnde & alia ſunt quæ in libro eodem per Inquiſitionem mouentur, atque alia quæ per rationem ſatisfaciunt, alia quæ ex tentãtis profert animo, atque adeo huius mundi delectationibus dediti; alia vero in quibus ea quæ rationis ſunt, diſſerat, atque animam à delectatione compeſcat, ibi nãque ait: *Hoc itaque mihi viſum eſt bonum, vt comedat quis & bibat, & fruatur lætitia ex labore ſuo.* *Eccl. 5. 17. & 7. 3.* Et longe inferius ſubiungit. *Melius eſt ire ad domum luctus quam ad domum conuiuij.* Si enim bonum eſt manducare, & bibere, E melius fuiſſe videbatur ad domum conuiuij pergere, quam ad domum luctus. Ex qua re oſtenditur, quia illud ex infirmantium perſona intulit, hoc verò ex rationis diffinitione ſubiunxit. Nam & ipſas protinus rationis cauſas ediſſerit: & de domo luctus quæ ſit vtilitas oſtendit, dicens: *In illa enim finis cunctorum admonetur hominum, & viuens cogitat quid futurum ſit.* Rurſum illic ſcriptum eſt: *Lætare iuuenis in adoleſcentia tua.* Et paulo poſt ſubditur: *Adoleſcentia enim, & voluptas vana ſunt.* *Eccl. 11. 9.* Qui dum hoc pòſt vanum eſſe redarguit, quod prius admonuiſſe videbatur, pariter indicat: quia illa quaſi ex deſiderio carnali verba intulit. hæc verò ex iudicij veritate ſubiungit. Sicut ergo delectationem prius carnalium exprimens curis poſtpoſitis denuntiat, bonum eſſe manducare & bibere, quod tamen poſtmodum ex iudicij

iudicij ratione reprehendit cum esse melius dicit ire ad domum luctus, quam ad domum conuiuij, & sicut, ait, *Lætari iuuenē debere in adolescentia sua, quasi ex deliberatione carnalium proponit.* Et tamen postmodū per diffinitionem sententiæ adolescentiam & voluptatem, vana esse redarguit; ita etiam concionator noster, velut ex mente infirmantium humanæ suspicionis sententiam
Eccles. 3. proponit, dum dicit: *Vnus interitus est hominis & iumentorum: & æqua vtriusque conditio. Sicut moritur homo, sic & illa moriuntur. Similiter spirāt omnia, & nihil habet homo iumentis amplius.* Qui tamen ex definitione rationis
Eccles. 6. 8. suam postmodum sententiam profert, dicens: *Quid habet amplius sapiēs stulto? & quid pauper, nisi vt pergat illuc vbi est vita?* Qui igitur dixit, Nihil habet homo iumentis amplius, ipse rursum diffiniuit: quia habet sapiens aliquid, non solum amplius à iumēto, sed etiam ab homine stulto, videlicet vt pergat illuc vbi vita est. Quibus verbis primum indicat, quia hic hominum vita non est, quam esse alibi testatur. Habet ergo hoc homo amplius iumentis quod illa post mortem non viuunt: hic vero tunc viuere inchoat, cum per mortem carnis hanc visibilem vitam consummat. Qui etiam longè inferius
Eccles. 9. 10. dicit: *Quodcumque potest manus tua facere instanter operare, quia nec opus, nec ratio, nec scientia, nec sapientia erit apud inferos, quo tu properas.* Quomodo ergo vnus interitus est hominis & iumenti, & æqua vtriusque conditio; Aut quomodo nihil habet homo iumentis amplius, cum iumenta post mortem carnis non viuant? Hominum verò spiritus pro malis suis operibus post mortem carnis ad inferos deducti, nec ipsa morte moriantur. Sed in vtraque tamen dispari sententia demonstratur, quia concionator verax: & illud ex tentatione carnali intulit: & hoc postmodum ex spirituali veritate diffiniuit.

Petrus. Libet nescisse quod requisiui, dum me in tanta subtilitate contigit discere, quod nesciui. Sed quæso te, vt me æquanimiter feras, si ipse quoque apud te more Ecclesiastis nostri infirmantium in me personam suscepero, vt eisdem infirmantibus prodesse propinquius, quasi per eorum inquisitionem possim.

1. Cor. 9. 22. Gregorius. Cur condescendentem te infirmitati proximorum æquanimiter non feram cum Paulus dicat: *Omnibus omnia factus sum, vt omnes facerem saluos?* Quod ipse quoque dux ex condescensione charitatis egeris, in hac re amplius venerari debes, in qua morem egregij prædicatoris imitaris.

Ibid. cap. 5. Petrus. Quodam fratre moriente præsentem me fuisse contigit. Qui repente dum loquitur vitalem emisit flatum. Et quem prius mecum loquentem videbam subitò extinctum vidi: sed eius anima vtrum egressa sit, non vidi: & valde durum videtur, vt credatur idem esse, quam nullus valet videre.

Gregorius. Quid mirum Petre; si egredientem animam non vidisti, quam & manentem in corpore non vides? Numquid non modo cùm mecum loqueris, quia videre animam meam in me non vales, idcirco me esse exanimem credis; Natura quippe animæ inuisibilis est, atque ita ex corpore inuisibiliter egreditur, sicut in corpore inuisibiliter manet.

Petrus. Sed vitam animæ in corpore manentis pensare possum ex ipsis motibus corporis: quia nisi anima corpori adesset, eiusdem membra corporis moueri non possent; vitam verò animæ post carnem in quibus motibus, vel quibus operibus sit non video: vt ex rebus visis esse colligam, quod videre non possum.

Gregorius. Non quidem subtiliter sed solerter dico: quia sicut vis animæ viuificat, & mouet corpus: sic vis diuina implet, quæ creauit omnia: & alia inspirando viuificat, aliis tribuit, vt viuant: aliis verò hoc solummodo præstat vt sint. Quia verò esse non dubitas creantem & regentem, implentem & circumplectentem, transcendentem, & sustinentem, incircumscriptum atque inuisibilem Deum: ita dubitare non debes, hunc inuisibilia obsequia habere. Debent quippe ea, quæ ministrant, ad eius similitudinem tendere. cui ministrant: vt quæ inuisibili seruiunt, esse inuisibilia non dubitentur. Hæc autem quæ esse credimus, nisi sanctos Angelos, & spiritus iustorum? Sicut ergo motum considerans corporis vitam animæ in corpore manentis perpendis ab imo; ita vitam animæ exeuntis è corpore perpendere debes à summo, quia potest inuisibiliter viuere quam oportet in obsequio inuisibilis conditoris manere.

Petrus. Rectè totum dicitur: sed mens refugit credere quod coporis oculis non valet videre.

Gregorius. Cum Paulus dicat: *Est n. fides sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium:* hoc veraciter dicitur, credi quod nō valet videri: nam credi iam non potest quod videri potest, vt tamen te breuiter reducam ad te, nulla visibilia nisi per inuisibilia videntur. Ecce enim cuncta corporea oculus tui corporis aspicit, nec tamen ipse corporeus oculus aliquid corporeum videret, nisi hunc res incorporea ad videndum acueret. Nam tolle mentem, quæ non videtur, & incassum patet oculus qui videbat. Subtrahe animū corpori, remanēt proculdubio oculi in corpore aperti. Si igitur per se videbant, cur discedente animâ nihil vident? Hinc ergo collige, quia ipsa quoque visibilia, non nisi per inuisibilia videntur. Ponamus quoque ante oculos mentis ædificari domum, immensas moles leuari, pendere magnas in machinis columnas: Quis quæso te, hoc opus operatur? corpus visibile quod illas moles manibus trahit; an inuisibilis anima quæ viuificat corpus? Tolle enim quod non videtur in corpore, & mox immobilia remanent cuncta, quæ moueri videbantur sicut visibilia corpora metallorum. Qua ex re pensandum est, quia in hoc quoque mundo visibile nihil nisi per creaturam inuisibilem disponi potest. Nam sicut omnipotens Deus aspirando, vel implendo ea quæ ratione subsistunt, & viuificat & mouet inuisibilia: ita ipsa quoque inuisibilia implendo mouent, atque sensificant carnalia corpora quæ videntur.

Petrus. Istis fateor allegationibus libenter victus, prope nulla iam esse hæc visibilia æstimare compellor, qui prius in me infirmantium personam suscipiens, de inuisibilibus dubitabam. Itaque placent cuncta, quæ dicis. Sed tamen sicut vitam animæ in corpore manentis ex motu corporis agnosco: ita vitam animæ post corpus, apertis quibusdam rebus attestantibus agnoscere cupio.

Gregorius. Hac in re si cor paratum tuæ dilectionis inuenio, in allegatione minimè laboro. Numquidnam sancti Apostoli & Martyres Christi præsentem vitam despicerent, in mortē carnis animas ponerent, nisi certiorem animarum vitam subsequi scirent? Tu verò, inquies, vitam animæ in corpore manentis ex motibus corporis agnoscis. Et ecce hi, qui animas in morte posuerunt, atque animarum vitam post mortem carnis esse crediderunt, quotidianis miraculis coruscant; ad extincta namque eorum corpora viuentes ægri veniunt & sanantur. Periuri veniunt, & dæmonio vexantur, dæmoniaci veniunt & liberantur: leprosi veniunt, & mūdantur: deferuntur mortui, & suscitantur. Pensa itaque eorum animæ qualiter viuunt illic vbi viuunt, quorum hic mortua corpora in tot miraculis viuunt. Si igitur vitam animæ manentis in corpore deprehendis ex motu membrorum, cur non perpendis vitam animæ, post corpus etiam per ossa mortua in virtute miraculorum?

Petrus. Nulla, vt opinor huic allegationi ratio obsistit, in qua ex rebus visibilibus cogimur credere, quod non videmus.

Gregorius. Paulo superius questus es morientis cuiusdam egredientem te animam non vidisse: Sed hoc ipsum iam culpæ fuit, quod corporeis oculis rem videre

Ad Heb. 11. 1.
Ibidem. cap. 6.
Ibid. c. 7.

inuisibilem quæsisti. Nam multi nostrorum mentis oculum fide puta, & vberiori oratione mundantes, egredientes è carne animas frequenter viderunt. Vnde mihi nunc necesse est, vel qualiter egredientes animæ visæ sint, vel quanta ipsæ, dum egrederentur, viderint enarrare: quatenus fluctuanti animo, quod plenè ratio non valet, exemplo suadeant. In secundo namque huius operis libro iam præfatus sum, quod vir venerabilis Benedictus, sicut à fidelibus eius discipulis agnoui, longè à Capuana vrbe positus, Germani eiusdem vrbis Episcopi animam nocte media in globo igneo ad cœlum ferri ab angelis aspexit. Qui eandem quoque ascendentem animam intuens, mentis laxato sinu, quasi sub vno solis radio, cunctum in suis oculis mundum collectum vidit.

Nota charissime Lector, quam sedulò malleus hæreticorum Gregorius, quod hucusque manifestis probabit rationibus, iam veridicis incipit probare exemplis, esse alteram vitam bonorum atque malorum. Et præterea sanctorum Angelorum & perfectorum iustorum spiritus, adesse in hora mortis ad solatium iustis & corporea voce psalmodiæ vocibus Deus suauiter collaudare.

Contra illos etiam qui dicunt Sanctorum animas Deum non laudare, hæc exempla pro nobis ponere possumus.

CAP. XIII.

4 Dial. c. 15.

GRegorius. In homiliis rem narrasse me recolo, quam Speciosus Presbyter meus, qui hanc nouerat, me narrante attestatus est. Eo namque tempore, quo monasterium petij, anus quædam Redempta nomine, in sanctimoniali habitu constituta in vrbe hac, iuxta beatæ Mariæ semper Virginis Ecclesiam manebat. Hæc illius Hirundinis discipula fuerat, quæ magnis virtutibus pollens super Prænestinos mõtes vitam eremiticam duxisse ferebatur. Huic autem Redemptæ duæ in eodem habitu discipulæ aderant; vna nomine Romula: & alia, quæ nunc adhuc superest, quam quidem facie scio, sed nomine nescio. Tres itaque hæ in vno habitaculo commanentes, morum quidem diuitiis plenæ, sed tamen rebus pauperem vitam ducebant. Hæc autem, quam præfatus sum, Romula, aliam quam prædixi condiscipulam suam magnis vitæ meritis anteibat. Erat quippe miræ patientiæ, summa obedientiæ, custos oris sui ad silentium, studiosa valde ad continuæ orationis vsum. Sed quia plerumque hi, quos iam perfectos homines existimant, adhuc in oculis summi opificis aliquid imperfectionis habent. Sicut sæpe imperiti homines necdum perfectè sculpta sigilla conspicimus, etiam quasi perfecta laudamus, quæ tamen adhuc artifex considerat, & limat. Laudari iam audit, & tamen ea tundere meliorando non desinit. Hæc, quam prædiximus, Romula ea, quam Græco vocabulo Medici paralysin vocant, molestia corporali percussa est, multosque annos in lectulo decubans, pene omni iacebat membrorum officio destituta: nec tamen hæc eadem eius mentem ad impatientiam flagella perduxerant: nam ipsa detrimenta membrorum facta fuerant incrementa virtutum. Quia tanto sollicitius ad vsum orationis excreuerat, quanto & aliud quodlibet agere nequaquam valebat. Nocte igitur quadam eandem Redemptam, quam præfatus sum, quæ vtrasque discipulas suas filiarum loco nutriebat, vocauit dicens; Mater veni, mater veni. Quæ mox cum alia eius condiscipula surrexit, sicut vtrisque referentibus, & multis res eadem claruit: & ego quoque in eodem tempore agnoui. Cumque noctis medio lectulo iacentis adsisterent, subito cœlitus lux emissa, omne illius cellulæ spatium impleuit: & splendor tantæ claritatis emicuit, vt corda assistentium inæstimabilis pauor perstringeret; atque vt post ipsæ referebant, omne in eis corpus obrigesceret, & in subito stupore remanerent. Cœpit namque quasi cuiusdam magnæ multitudinis ingredientis sonitus audiri; ostiumque cellulæ concuti, ac si ingredientium turba premeretur, atque vt dicebant, intrantium multitudinem sentiebant, sed nimietate timoris & luminis videre non poterant, quia earum oculos, & pauor depresserat, & ipsa tanti luminis claritatis reuerberabat. Quam lucem protinus miri odoris est fragrantia subsecuta, ita vt earum animum, quas lux emissa terruerat, odoris suauitas† reficeret. Sed cum vim claritatis illius ferre non possent, cœpit eadem Romula assistentem & trementem Redemptam suorum morum magistram, blanda voce consolari, dicens: Noli timere, mater, non morior modò. Cumque hoc crebrò diceret, paulatim lux, quæ fuerat emissa, subtracta est. Sed is, qui subsecutus est odor, remansit: sicque dies secundus & tertius transiit, vt aspersa fragrantia maneret odoris. Nocte igitur quarta eandem magistram suam iterum vocauit; qua veniente viaticum petiit, & accepit. Necdum verò eadem Redempta vel alia eius discipula à lecto iacentis discesserant, & subitò in platea ante eiusdem cellulæ ostium, duo chori psallentium constiterunt: &, sicut ipsæ dicebant, sexus ex vocibus discreuisse: psalmodiæ cantus, dicebant viri, & fœminæ respondebant. Cumque ante fores cellulæ exhiberentur cœlestes exequiæ, sancta illa anima carne soluta est. Qua ad cœlum ducta, quanto chori psallentium altius ascendebant, tanto cœpit Psalmodia leuius audiri quousque & eiusdem Psalmodiæ sonitus, & odoris suauitas elongata finiretur.

† al. refoueret.

Eadem lib. cap. 21.

Item idem. Vitæ venerabilis Valentinus, qui post in hac Romana vrbe mihi, sicut nosti, in eodemque monasterio præfuit prius in Valeriæ Prouincia, suum monasterium rexit. In quo dum Longobardi sæuientes venissent, sicut eius narratione didici, duos eius monachos in ramis vnius arboris suspenderunt. Qui suspensi eodem die defuncti sunt. Facto autem vespere vtrorumque eorum spiritus claris illic apertisque vocibus psallere cœperunt, ita vt ipsi quoque qui occiderant, cum voces psallentium audirẽt, nimium mirati terrerentur. Quas videlicet voces captiui quoque omnes, qui illic aderant, audierunt: atque eorum Psalmodiæ postmodum testes extiterunt; sed has voces spirituum omnipotens Deus, idcirco pertingere voluit ad aures corporum, vt viuentes quique in carne discerent, quia si Deo seruire studeant, post carnem verius viuant. Luce clarius constat, esse probatum sufficienter esse veram vitam post mortem carnis: & sanctorum spiritus voce sonora nonnunquam laudare Deum.

Considerandum igitur est solerter, quanta sit dulcedo cantus Psalmorum, & laudum apud Deum: & quanto fiant viciniores homines his sanctis exercitiis se gerentes supernorum ciuibus: cum ipsi cœlestes spiritus per assumptam corporis speciem aliquando in psalmis & hymnis voce sonora harmonia dulcissima laudant Deum. Sed dicet aliquis: Spiritus cum sint incorporei, & sonus non nisi corpore habeat fieri, in illa regione spirituum, cum corpora ibi non sint, impossibile est aliquid ibi corporeum resonare. Ad quod respondemus à contrariis argumentum sumentes: Si damnatorum spiritus in inferno fœtore & igne corporeo cruciantur, profectò spiritus & animæ iustorum aliquibus corporalibus gaudiis iocundãtur in cœlo, maximè cùm nullus sani capitis negare possit Dominum nostrum Iesum Christum, & gloriosissimam genitricem eius Virginem Mariam in veris & glorificatis corporibus super omnem altitudinem cœli consistere, atque à sanctis Angelis & beatorum spiritibus suppliciter venerari. Quanta in illis beatissimis corporibus inenarrabilis est corporea claritas, vbi illi splendidi soles cuncta illuminant. Est namque *sol iustitiæ* Christus,

est

est *sol innocentiæ* gloriosissima mater eius : in quo sole A Dominus posuit tabernaculum suum , vt tanquam sponsus sol procederet de thalamo solis vteri virginalis. Psal. 18. 5. Quanta ibi dulcedo ? Quanta gloria ? Quot laudes cœlestium ciuium canentium organo suauissimo ; *Alleluia* ? In illa beatissima & gloriosissima regione resonant organa sanctorum, & Angeli decantant hymnum, *Alleluia* ante sedem Dei : in qua gloriosissima Regina cœli Virgo Maria in vero corpore est perenniter cum filio collocata. Ipsos etiam sanctos Angelos legimus apparuisse Patribus multoties in assumpto corpore : vt est Gen. 18. & 32. 24. Tob. 5. 5. illud Abrahæ, quando tres viros, Angelos Dei, ad se descendentes vidit, & vnum adorauit : & Iacob luctabatur cum Angelo vsque mane. Quod fieri non posse, nisi assumpta natura corporea mediante. Et B Raphael Angelus cum Tobia graditur in itinere ; qui hominis officio omnino videbatur perfungi. Vnde vero hæc corpora sumant , vt inuisibiles Dei ministros videre, vel audire possimus, & eorum beneficiis visibiliter perfrui, Hispaniarum Doctor nobis insinuat, dicens.

De sum bo no l. c. 12. Isidorus. Boni Angeli ad ministerium salutis humanæ deputati sunt, vt curas administrent mundi, & regant omnia iussu Dei. Angeli corpora, in quibus hominibus apparent de superno aëre sumunt solidamque speciem ex cœlesti elemento induunt, per quam humanis obtutibus manifestius demonstrentur. Quod etiam in cœlestibus Deum laudent, ibidem beatus Doctor Isidorus testatur dicens, Laudes, hoc est, *Alleluia* canere canticum est Hebræorum : cuius expositio duorum C verborum interpretatione consistit, hoc est, laus Dei. Ap. 19. 1. 3. & 4. & 6. De cuius mysterio Ioannes in Apocalypsi refert, Spiritu sancto reuelante, & vidisse & audisse vocem cœlestis exercitus Angelorum, tanquam vocem validorum tonitruorum, dicentium *Alleluia*. Ex quo nullus debet ambigere hoc laudis mysterium, si digna fide & deuotione celebretur Angelis esse coniunctum.

Item idem in epistola de interpretatione huius vocabuli sacratissimi, *Alleluia*, *laus Dei* interpretatur, & etiam incomprehensibile, siue lætum resonare videtur. Quia sancti Angeli & spiritus iustorum cum lætitia incomprehensibili laudant Deum. Animas ergo hominum & Angelos esse natura incorporeos, & nobis inuisibiles profitemur. Ministrare autem assumptis corporibus & Deum laudare sonora voce quo- D tiescunque diuinæ voluntatis est, non negamus : atque iterum illa deponere corpora, & in sua simplicitate persistere. Verumtamen post communem omnium hominum resurrectionem animæ aliæ ad gloriam, & aliæ ad pœnam in suis corporibus, in quibus, siue bonum, siue malum egerunt, dum viuerent, perpetuò perdurabunt.

An per alterum culpa etiam fœtore æternaliter puniantur. Petrus beatissimum Patrem interrogat dicens.

4. Dialog. c. 39. PVtamus ne hoc auctoritate sacri eloquij posse monstrari vt culpæ carnalium fœtoris pœna puniantur.

Gregorius. Potest : Namque libro Geneseos attestante dicimus , quia super Sodomitas Dominus ignem & sulphur pluit , vt eos & ignis incenderet, & fœtor sulphuris necaret. Quia enim amore illicito corruptibilis carnis arserant , simul incendio & fœtore perierunt, quatenus in pœna sua cognoscerent, quia æternæ mortis fœtoris sui se delectationi tradidissent.

Contra eos qui dicunt animas Sanctorum ad loca vbi eorum quiescunt corpora, vel ad Ecclesias Christi nunquam conuenire.

CAP. XIV.

GRegorius. Adhuc supersunt aliqui , qui Theo- 3. Dial. c. 24. dorum Ecclesiæ beati Petri Apostoli, vbi sacratissimum illius corpus est positum , in hac vrbe custodem nouerunt. Cuius narratione innotuit res , quæ ei contigit valde memorabilis. Quod quadam nocte, dum citius ad melioranda iuxta ianuam lumina surrexisset, ex more ligneis gradibus sub lampade positis stabat, & lampadis lumen refouebat; tunc repentè beatus B Petrus Apostolus in stola candida deorsum in pauimento constitit , atque dixit : Colliberte , quare citius surrexisti ? quo dicto ab oculis aspicientis euanuit. Sed tantus in eum pauor irruit , vt tota in illo corporis virtus deficeret : & per dies multos de stratu suo surgere non valeret. Qua in re quid idem beatus Apostolus seruientibus sibi voluit, nisi præsentia sui respectus ostendere ? Quia quidquid pro eius veneratione agerent, ipse hoc pro mercede retributionis, sine intermissione semper haberet.

Petrus. Mihi hoc non tam apparet mirum , quia visus est, sed quia is, qui eum vidit ,cùm sanus esset, ægrotauit.

Gregorius. Quid super hac re miraris, Petre ? Num- Dan. 8. 27. C quid nam mente excidit, quia cùm Daniel Propheta magnam illam ac terribilem visionem vidit , ex qua etiam visione contremuit , protinus adiunxit : Et ego elangui , & ægrotaui per dies plurimos ; caro enim ea , quæ sunt spiritus , capere non valet , & idcirco nonnunquam cum mens humana vltra se ad videndum ducitur , necesse est , vt hoc carneum vasculum quod ferre talenti pondus non valet , infirmetur.

Hoc quoque quod in quibusdam libris moralium beati Gregorij loco præfationis reperi, ad hanc quæstionem probandam inducere dignum duxi. Sindasuindus Gotthorum Rex in Toletanam vrbem Synodale decretum XXX. Episcoporum cum omni clero mirificè anno regni sui quinto indicit celebrandum. Hic Hæc præfatio eius ætatis barbariẽ præ se fert, vt neque vano grammatica constet. D Taionem Cæsar Augustanum Episcopum ordinis litteraturæ satis imbutum & amicum scripturarum Romam ad suam petitionem pro residuis libris Moralium nauauliter porrigit destinatum. Qui dum à Papa Romano de die in diem differretur in longum, quasi in archiuo Romanæ Ecclesiæ præ multitudine quæsitum facile nequaquam reperiret libellum, Domino pernoctans, & eius misericordiam ad vestigia B. Apostolorum principis deposcens, ei scrinium in quo tegebatur ab Angelo manet ostensum. Qui mox se Papa vt vidit reprehensum , cum nimia veneratione et adiutoria tribuit ad conscribendum, & Hispanis eum transmisit ad relegendum. quia hoc ex B. Iob libris expositum retentabant solum quod à B. Leandro Hispalensi Episcopo fuerat aduectum, & olim honorificè deportatum. Requisitus E vero & coniuratus Taio Episcopus à Papa Romano, quo modo ei tam veridicè fuisset librorum locus ostensus , hoc illi , post nimiam deprecationem cum nimia alacritate est fassus Quod quadam nocte se ab ostiariis B. Petri Apostoli expetiit esse excubium. At vbi reperit hoc impetratum in noctis medio , cum se lamentis nimis ante B. Petri Apostoli locum deprecando faceret cernuum , lux cœlitus emissa ita ab inenarrabili lumine tota Ecclesia extitit perlostrata , vt nec modicum quidem lucerent Ecclesiæ candelabra , & simul cum ipso lumine vna cum vocibus psallentium , & lampadibus relampantium introire sanctorum agmina. Denique vbi horrore nimio extitit territus , oratione ab eis completa, paulatim ex illa sanctorum curia duo dealbati senes

greſſum in ea parte, qua Epiſcopus orationi degebat, cœperunt dare perpendulum. At vbi repererunt penè eum iam mortuum, dulciter ſalutatum reduxerunt eum ad proprium ſenſum. Cumque ab eis interrogaretur quam ob cauſam tam grande excitaret faſtigium, vel cur ab occidente properans tam longum peteret nauigium, hoc & hoc ab eo quaſi inſcij relatum auſcultant operæpretium. Tunc illi multis eloquiis conſolatum ei opportunum, vbi ipſi libri tegebantur, oſtenderunt locum. Igitur ſancti illi requiſiti, quæ eſſet ſanctorum illa caterua eis tam claro cum lumine comitantium reſponderunt, dicentes: Petrum eſſe Chriſti Apoſtolum ſimulque inuicem ſe manu tenentium, cum omnibus ſucceſſoribus Eccleſiæ in loco illo requieſcentibus. Porrò & vbi & ipſi requiſiti fuerunt qui Domini eſſent, qui cum eo tam mirabile habebant colloquium. Vnus ex illis reſpondit, ſe eſſe Gregorium, cuius & ipſe deſiderabat cernere librum. Et ideo aduenere, vt eius remunerarent tam vaſtum faſtigium, & auctum redderent longiſſimum deſiderium. Tunc interrogatus ſi tandem in illa ſancta multitudine adeſſet ſapiẽs Auguſtinus, eo quod ita libros eius ſicut & ipſius S. Gregorij ſemper ab ipſis cunabulis amare legere, ſatis perauidus, hoc ſolummodò reſpondiſſe fertur: vir ille clariſſimus, & omni expectatione gratiſſimus Auguſtinus quem quæris, altior à nobis eum continet locus. Certe vbi ad pedes eorum cœpi proruere, vnius ab oculis eius hoſtiarius & ipſis territus ſimul cum lumine dicto euanuit vir ille ſanctiſſimus. Vnde & ab eo die cunctis in eadem Apoſtolorum Sede venerabilis Taio extitit glorioſus, qui ante deſpicabatur vt ignauus,

His duobus prædictis exemplis manifeſtè patet ſanctorum animas ad loca vbi eorum quieſcunt corpora frequenter accedere, vt vota Deo ſupplicantium ibi populi offerant: & ſibi fideliter ſeruientibus conferant poſtulata. Quod etiam in hora Dominici corporis & ſanguinis ſacrificij adſint ſpiritus beatorum, organum Spiritus ſancti beatiſſimus Gregorius ſuauiter ma-
4. Dial. c. 58. nifeſtat, dicens. Gregorius. Penſandum eſt quod tutior via ſit vt bonum quod quiſque poſt mortem ſuam ſperat agi per alios, agat dum viuit ipſe per ſe. Beatius quippe eſt liberum exire, quàm poſt vincula libertatem quærere. Debemus itaque præſens ſæculum, vel quia conſpicimus defluxiſſe, tota mente contemnere,
Rom. 6. 6. quotidiana Deo lachrymarum ſacrificia quotidianas carnis eius & ſanguinis hoſtias immolare. Hæc namque ſingulariter victima ab æterno interitu animam ſaluat, quæ illam nobis mortem vnigeniti per myſterium reparat: *qui licet reſurgens à mortuis iam non moritur*: & mors ei vltra non dominabitur, tamen in ſe ipſo immortaliter, atque incorruptibiliter viuens pro nobis iterum in hoc myſterio ſacræ oblationis immolatur, eius quippe ibi corpus ſumitur, eius caro in populi ſalutem partitur: Eius ſanguis non iam in manus infidelium, ſed in ora fidelium funditur. Hinc ergo penſemus quale ſit pro nobis hoc ſacrificium, quod pro abſolutione noſtra paſſionem vnigeniti filij ſemper imitatur. Quis enim fidelium habere dubium poſſit in ipſa immolationis hora ad Sacerdotis vocem cœlos aperiri? In illo Ieſu Chriſti myſterio Angelorum choros adeſſe, ſummis ima ſociari, terram cœleſtibus iungi, vnum quoque ex viſibilibus, atque inuiſibilibus fieri.

Iſidorus. Quando vnigenitus Dei filius ſub panis & vini ſpecie offertur Deo Patri à ſacerdote, firmiter credere debet quiſque fidelis ſupernorum adeſſe ſpiritus beatorum, quorum deuoto & humili miniſterio ſacroſanctum hoc perficitur Sacramentum: Et ſacerdos in ſacratiſſimo canone ſuppliciter petit, hoc ſacrificium per manus ſancti Angeli in ſublime ante conſpectum diuinæ maieſtatis deferri: alioqui preces & ſacrificium, minimè ſupplicaret. Quis autem eſt ille
l. 1. de ſum. bono. c. 12. *Angelus, niſi ille magni conſilij*, de quo dicit Hiſpaniarum doctor Iſidorus. Vbicumque in ſacris Scripturis pro

A Deo ponitur Angelus, non Pater, non Spiritus ſanctus, ſed pro incarnationis diſpenſatione ſolus filius intelligitur.

Item idem. Licet panis tranſubſtantietur in Chriſti corpus, & vinum in ſanguinem, eſt tamen in vtroq; totus & integer Deus & homo Chriſtus. Integer Chriſtus in calice panis viuus, qui de cœlo deſcendit, totus ſumitur in vtroque, qui totus eſt in ſumentibus ſingulis & in maieſtate ſua integer regnat in cœlis.

Cautè igitur cum timore & fide mentis & corporis munditia ad tantum Sacramentum debent accedere Chriſtiani, ſacerdotes etiam & altaris miniſtri ab omni crimine debent eſſe mundi, ſemper ante mentis oculos proponentes quod in conſpectu Dei & ſanctorum Angelorum huius ſanctiſſimi officium peragant Sacra-
B menti, vt ſecuri & læti dicant cum Propheta: *In conſpectu Angelorum pſallam tibi*. Pellant odium ab animo, & diſcordiam. Quia, vt ait Gregorius pater piiſſimus, Munus à Deo non accipitur, niſi ante diſcordia ab animo pellatur, (ſupplendum eſt) ad ſalutem; quia qui indignè ſumit, iudicium ſibi manducat & bibit. Pſal. 137. 2. 4. Dial. c. 60. Matt. 5. 26. 1. Cor. 11. 29. 4. Dial. c. 60.

Item Eccleſiæ magnum luminare Gregorius. Penſandum eſt, cùm omnis culpa munere ſoluatur; quàm grauis eſt culpa diſcordię, pro qua nec munus accipitur. Quia verò ſanctorum ſpiritus eſſe in Eccleſiis Dei frequenter luce clarius ſacris auctoritatibus demonſtrauimus, quod etiam per eos diuina prouidentia gubernet mundum proximorum gratia oſtendamus.

Iſidorus. Singulæ gentes præpoſitos Angelos habere creduntur. Quod oſtenditur teſtimonio Angeli De ſum. bono l. 1. c. 12.
C Danieli loquentis. *Ego, inquit, veni, vt nunciarem tibi. Sed Princeps regni Perſarum reſtitit mihi*. Et poſt alia. *Non eſt, qui me adiuuet, niſi Michael princeps veſter*. Boni Angeli ad miniſterium ſalutis humanæ deputati ſunt, vt curas adminiſtrent mundi, & regant omnia iuſſu Dei. Dan. 10. 13. & 21.

Item de malis Angelis. Quotiens Deus quocunque flagello huic mundo iraſcitur, ad miniſterium vindictæ, apoſtatæ Angeli mittuntur. Qui tamen diuina poteſtate coërcentur, ne tantum noceant quantum cupiunt. Iſidor. lib. 1. de ſum. bono, c. 12

Item ibidem. Omnes homines Angelos habere probantur, loquente Domino in Euangelio. Amen dico vobis, *quia Angeli eorum ſemper vident faciem Patris mei*
D *qui in cœlis eſt*. Vnde & Petrus in Actibus Apoſtolorum cum pulſaret ianuam dixerunt intus Apoſtoli: *Non eſt Petrus, ſed Angelus eius eſt*. Matt. 18. ver. 10. Actor. 12. ver. 15.

Contra illos qui ſine virtutum meritis præſumunt in Eccleſiis ſepeliri; vel dicunt animas, ad fidelium ſepulchra nunquam accedere; aut a viuentibus non expetere beneficia.

Cap. XV.

Gregorius. Quid in hac vrbe contigerit, tinctorum, qui hic habitant plurimi teſtantur. Quod quidem artis eorum primus cum defunctus fuiſſet in 4. Dial. c. 54.
E Eccleſia beati Ianuarij Martyris iuxta portam S. Laurentij Martyris à coniuge ſua ſepultus eſt. Sequenti autem nocte ex ſepultura eadem audiente cuſtode, eius ſpiritus cœpit clamare. Ardeo, ardeo, cum verò has duas voces diu emitteret, cuſtos hoc eius nunciauit vxori, vxor verò illius eos, qui diligenter inſpicerent, artis eiuſdem viros tranſmiſit ad Eccleſiam, volens cognoſcere qualiter eius corpus eſſet in ſepulchro, de quo talia clamaret. Qui aperientes ſepulchrum, veſtimenta quidem intacta repererunt (quæ nunc vſque in Eccleſia pro eiuſdem cauſæ teſtimonio ſeruantur,) corpus vero illius omnino non inuenerunt ac ſi in ſepulchro eodem poſitum non fuiſſet. Ex qua re colligendum eſt, qua vltione anima eius damnata ſit, cuius & caro eſt ab Eccleſia

ecclesia proiecta. Quid igitur sacra loca sepultis prosunt quando hi, qui indigni sunt, ab eisdem sacris locis diuinitus proiiciuntur.

12. Item idem. Adest quoq; in præsenti venerabilis frater, Venantius Lunensis Episcopus, & magnificus Liberius, vir nobilissimus, atque veracissimus, qui se scire suosq; homines interfuisse testantur ei rei; quam narrant nuper in Genuensi vrbe contigisse, ibi namque, vt dicunt Valentinus nomine Mediolanensis Ecclesiæ defensor defunctus est vir valde lubricus & cunctis leuitatibus occupatus. Cuius corpus in Ecclesia beati Martyris Syri sepultum est. Nocte autem media in eadem Ecclesia factæ sunt voces, ac si quis violenter ex ea repelleretur, atq; traheretur foras. Ad quas nimirum voces concurrerunt custodes, & viderunt duos quosdam teterrimos spiritus, qui eiusdem Valentini pedes quadam ligatura strinxerant, & eum ab Ecclesia clamentē, B & nimium vociferantem foras trahebāt. Qui videlicet custodes exterriti ad sua strata reuersi sunt. Mane autē facto aperientes sepulchrum, in quo idem Valentinus fuerat humatus, eius corpus non inuenerunt. Cumque extra Ecclesiam quærerent vbi proiectum esset, inuenerunt hoc in sepulchro alio positum, ligatis adhuc pedibus sicut de Ecclesia fuerat abstractum. Ex qua re Petre, collige, quia quos peccata grauia deprimunt, si in sacro loco sepeliri se faciant, restat vt etiam de sua præsumptione iudicentur, quatenus eos sacra loca non liberent, sed etiam culpa temeritatis accuset.

Lib. Ex his duobus exemplis colligitur animas defunctorum ad eorū sepulturas aliquando accedere, ad quod confirmandum tertium etiam inducatur. Gregorius. C Ante hoc triennium, cum quidam frater mortuus fuisset, atq; in eiusdē monasterij cœmeterio à nobis sepultus cunctis nobis ab eodem cœmeterio exeuntibus, Ioannes magnæ indolis adolescens qui ætatem suā intellectu & humilitate, dulcedine & grauitate transigebat, sibi ut postmodum pallens & tremens iudicauit, illinc nobis discedentibus, inuentus ab eodem fratre, qui mortuus fuerat, de sepulchro vocatus est. Quod mox etiam subsequentis finis docuit. Nam post dies decem inuasus febribus, carne solutus est.

25. Videtur etiam facere ad hanc nostram intentionem fundandam illud quod superius posuimus de secundo libro Dialogorum, scilicet, de duabus monialibus propter linguæ peruersitatem à venerabili patre Benedicto comminatorie excommunicatis, incorrectis & post mortem in Ecclesia sepultis. Quæ cùm in missarum solemnijs Diaconus clamaret ex more: *Si quis non communicat, exeat*: ex sepulchris & de Ecclesia progredi videbantur, donec à beatissimo patre Benedicto absolutionis gratiam percepissent. Hoc & sancta Ecclesia creditur approbare, dum cum aqua benedicta, cruce, incenso, & oratione egrediuntur fideles, super tumulos mortuorum, vt eis remissionem & solatium à domino valeant impetrare, aspergunt.

Quod etiam pœna subsequatur eos, qui sepeliunt indignos in Ecclesia.

CAPVT XVI.

4. c. 51. GREGORIVS. Ioannes vir magnificus in hac vrbe locum Præfectorum seruans cuius veritatis, atque grauitatis sit, nouimus: qui mihi testatus est, Valerianum Patricium in ciuitate quæ Brixa dicitur fuisse defunctum. Cui eiusdem ciuitatis Episcopus, accepto pretio, locum in Ecclesia præbuit, in quo sepeliri potuisset. Qui videlicet Valerianus vsque ad ætatem decrepitam leuis ac lubricus extitit, modumque suis prauitatibus ponere contempsit. Eadem verò nocte, qua sepultus est, beatus Faustinus martyr, in cuius Ecclesia corpus illius fuerat humatum, custodi suo apparuit dicens: Vade, & dic Episcopo:

A Proiiciat hinc fœtentes carnes, quas hic posuit: quod si non fecerit, die tricesimo Episcopus morietur. Quam visionem custos Episcopo timuit confiteri, & rursus admonitus declinauit. Die autem tricesimo eiusdem ciuitatis Episcopus cum vespertina hora sanus atque incolumis ad lectum reduisset, subita & inopinata morte defunctus est.

Si igitur omnipotens Deus tanta seueritate temeritatem tanti sacerdotis puniuit, quanta putas animaduersione maiora scelera vel consimilia in Christi Ecclesia perpetrantium audaciam vel cupiditatem minorum puniet sacerdotum?

Animæ fidelium sacrificia pro se offerri petunt.

CAP. XVII.

QVOD animæ fidelium auxilium sacrificij salutaris à viuentibus expetant, testatur B. Gregorius, dicens: Si culpæ post mortem insolubiles non sunt, multum solet animas etiam post mortem sacra oblatio hostiæ salutaris adiuuare: ita vt hoc nonnunquam ipsæ defunctorum animæ videantur expetere. Nam prædictus Felix Episcopus, à quodam venerabilis vitæ presbytero, qui vsque ante biennium vixit, & diœcesi Centumcellensis vrbis habitauit, atque Ecclesiæ B. Ioannis, quæ in loco, qui Tauriana dicitur, sita est, præerat, cognouisse se asserit in eodem loco in quo aquæ calidæ vapores nimios faciunt, quoties necessitas corporis exigebat, lauari consueuerat. Vbi dum die C quadam fuisset ingressus, inuenit quendam incognitum virum ad suum obsequium præparatum, qui sibi de pedibus calciamenta abstraheret, vestimenta susciperet, exeunti à caloribus sabanam præberet atque omne ministerium cum magno famulatu peragerer. Cumque hoc sæpius ageret, idem presbyter die quadam ad balneum iturus intra semetipsum cogitans dixit: Viro illi qui mihi solet tam deuotissimè ad lauandum obsequi, ingratus apparere non debeo, sed aliquid me necesse est ei pro munere portare. Tunc duas secum oblationum coronas detulit. Qui mox vt peruenit ad locū, hominem inuenit atq; ex more eius obsequio in omnibus vsus est. Lauit itaque: & cum iam vestitus voluisset egredi, hoc quod secum detulerat, obsequenti sibi viro pro benedictione obtulit, petens vt benignè susciperet quod ei charitatis gratia offerret. Cui ille mœrens afflictusque respondit: Mihi ista quare das pater? iste panis D sanctus est, ego hunc manducare non possum. Ego etenim quem vides aliquando loci huius dominus fui: sed pro culpis meis hic post mortem deputatus sum. Si autem mihi præstare via, omnipotenti Deo pro me offer hunc panem, vt pro peccatis meis interuenias. Et tunc exauditum esse cognosce, cum huc ad lauandum veneris & me minimè inueneris. In quibus verbis disparuit. Et is qui videbatur esse homo, euanescendo innotuit, quia spiritus fuit. Idem vero presbyter hebdomada continua se pro eo in lacrymis afflixit: salutarem hostiā quotidie obtulit, & reuersus post ad balneum, eum iam minimè inuenit. Qua ex re quantū prosit animabus defunctorū immolatio sacræ oblationis ostenditur: quando hanc & ipsi mortuorum spiritus à viuentibus petunt, & signa indicant, quibus per eam absoluti vi- E deantur.

Item idem. Cum adhuc essem iuuenculus, atque in laico habitu constitutus, narrari à maioribus, atq; scientibus audiui, quod Paschasius huius Apostolicæ sedis Diaconus, cuius apud nos rectissimi & luculenti de sancto Spiritu libri extant, miræ sanctitatis vir fuerit eleemosynarum maximè operibus vacans, cultor pauperum, & contemptor sui. Sed hic in ea contentione quæ inardescente zelo fidelium inter Symmachum que Laurentium facta est, ad pontificatus ordinē Laurentium elegit: & omnium post vnanimitate superat...

4. Dialog. cap. 55.

4. Dial.

in sua tamen sententia vsque ad diem sui exitus perstitit, A illum amando & præferendo, quem Episcoporum iudicio præesse sibi Ecclesia refutauit. Hic itaque cum temporibus Symmachi Apostolicæ sedis præsulis esset defunctus, eius dalmaticam feretro superpositam dæmoniacus tetigit, statimque sanatus est. Post multum vero temporis Germano Capuano Episcopo, cuius superius memoriam feci, medici pro corporis salute dictauerant, vt in Angulanis thermis lauari debuisset. Qui ingressus easdem thermas, prædictum Paschasium Diaconem stantem & obsequentem in caloribus inuenit. Quo viso vehementer extimuit; & quid illic tantus vir faceret, inquisiuit. Cui ille respondit: Pro nulla alia causa in hoc pœnali loco deputatus sum, nisi quia in parte Laurentij contra Symmachum sensi, sed quæso te, pro me Dominum deprecare. Atque in hoc cognosces, quod exauditus sis, si huc rediens me non inueneris. Qua de re vir Domini Germanus se in precibus strinxit & post paucos dies rediit, sed iam prædictum Paschasium in loco eodem minimè inuenit. Quia enim non malitia, sed ignorantiæ errore peccauerat, purgari post mortem potuit à peccato. Quod tamen credendum est, quia illa eleemosynarum suarum largitate hoc obtinuit, vt tunc potuisset promereri veniam, cum iam nihil posset operari.

Eodem lib. cap. 41. Petrus. De tanto viro Paschasio hoc animum ad quæstionem mouet, quod post mortem ad pœnalem locum ductus est, cuius feretri vestis tangi potuit & malignus spiritus ab obsesso homine fugari.

Gregorius. Hac in re magna debet omnipotentis Dei dispensatio, & quam sit multiplex, agnosci, cuius iudicio actum est, vt idem vir Paschasius, & ipse intus ad aliquantum temporis reciperet, quod peccauerat, & C tamen ante humanos oculos mira per corpus suum post mortem faceret, qui ante mortem eis quoque cognoscentibus pia opera fecisset, vt neque hi qui bona eius viderant de eleemosynarum illius æstimatione fallerentur: neque ipsi sine vltione laxaretur culpa, quam nec esse culpam crediderat: & idcirco hanc fletibus non cauerat.

Petrus. Perpendo quæ dicis. Veruntamen hac ratione constrictus non solum quæ intelligo, sed ipsa etiam, quæ in me non intelligo, cogor iam peccata formidare. Illud etiam cuiusdam monachi exemplum declarat, qui contra rigorem regulæ communis proprios solidos habens defunctus, & beatissimi Patris Gregorij pro tanto scelere exspiando in sterquilinio sepeliri iussus est prouidentia & eiusdem patris præcepto: nam cum pro eo triginta diebus continuis sacrificium corporis & sanguinis Domini nostri Iesu Christi obtulisset, is qui mortuus D fuerat fratri suo carnali apparuit. Quem ille cum vidisset, requisiuit dicens. *Quid est frater? quomodo est?* Cui ille respondit. Nunc vsque male fui, sed iam modò bene sum; quia hodie communionem recepi. Quod ijsdem frater eius nomine Copiosus pergens protinus indicauit in monasterio fratribus. Fratres vero sollicitè computauerunt dies; & ipse dies extiterat, qua pro eo tricesima oblatio fuerat impleta. Cumque & Copiosus nesciret quid pro eo fratres agerent, & fratres ignorassent quid de illo Copiosus vidisset, vno eodemque tempore dum cognoscit ille isti quid egerant, atque illi cognoscunt, ille quid viderat, concordati simul visione & sacrificio res apertè claruit, quia frater qui defunctus fuerat, per salutarem hostiam supplicium euasit. Non est iam quod possit obsistere manifestissimæ veritati: Ipsi namque fi- E deles defuncti personaliter à religiosis viris, vel amicis subuenire sibi operibus misericordiæ, cum gemitu pœnam ostendentes, quam patiuntur, humiliter petunt, sicut ex his, quæ beatissimi patris Gregorij dictis prælibauimus, nec non & multorum possumus probare sanctorum Patrum veridicis testimonijs, & hæc ipsa nostra tempora euidentius manifestant. Quicumque ergo pulchro nomine vis gaudere amici, post carnis dissolutio- A nem illis beatissimi Iob verbis, amicum in necessitate, etsi non aure corporis, aure tamen mentis, audi clamantem continuè atque dicentem: *Miseremini mei, miseremini mei, saltem vos amici mei, quia manus Domini tetigit me.* *Iob. 19. 21.* Miserere amici tui, vt verus amicus, à Deo & hominibus comproberis. Subueni percusso morte corporis & posito in aduersitate tribulationis, ne fictitius amicus in conspectu districti iudicis conuincaris. Audi B. Iob dicentem, Qui tollit ab amico suo misericordiam, timorem Domini derelinquit. *Iob 6. 14.* Et cum sit initium, sapientiæ timor Domini, profectò se fatuum, & insipientē ostendit qui sapientiæ initium, scilicet, Dei timorem abijcit. *Prou. 19. 10.* Qui non habet principium, nullatenus medium vel finem sapientiæ poterit obtinere: nec ad Dei vel dilectionem proximi peruenire; qua qui non fruitur, manet in B morte. Vtrum verò diligat opera probatur: sicut per B. Gregorium dicitur: Probatio dilectionis exhibitio est operis: *Hom. 30. in Euang.* Debemus ergo bonis probare operibus in salutē animarum fidelium, veram fuisse dilectionem, quam circa eosdem habuimus dum viuerent: & proximorum animas sacrificijs, orationibus, eleemosynis, & ieiunijs Domino commendata, vt in hac eorum necessitate permaxima illis igne purgatorio laborantibus subuenire possimus. Quia nobis pro illis bona agentibus non solum eorum amicos, verum etiam nos Dei esse probamus operarios, ad imperium diuinæ paginæ portantes onera proximorum, vt adimpleamus legem Christi, *Ad Galat. 6. 2.* & eundem beatæ immortalitatis denarium vna cum illis percipere mereamur. *Qui enim pro alijs orat, pro semetipso laborat*: & charitate qua extenditur vt oret pro alio, semetipsum Deo commendat. O sanctissima opera charitatis, quæ ad illos integrè perueniunt pro quibus C fiunt: & integra atque illibata sine diminutione aliqua permanent operanti. Vnde dicit Propheta; *Oratio mea in sinum meum conuertetur.* *Psal. 34. 13.* Et quia non cessat orare, qui non cessat bene agere, atque omne opus bonum oratio esse dicitur, vt est illud. *Abscondite eleemosynam in sinu pauperis & ipsa orabit pro vobis ad Dominum.* *Eccles. 29. 15.* Quicunque boni operis exercitium pro alio gesserit, ad illum proculdubio secundum vocem dominicam reuertetur pax eius.

Commendandi sunt itaque à nobis Deo omnibus omninò bonis operibus spiritus proximorum, vt mereamur & ipsi de veris amicitijs in conspectu Sanctorum omnium à Domino commendari, & fictitij amici opera declinare. *Matth. 10. ver. 13.* Vt etenim ait Ecclesiæ Christi lucerna, Gregorius, cùm quis in prosperitate diligitur, incertum valde est, vtrum prosperitas, an persona diligatur. *lib. 7 in Iob cap. 11.* Amissio autē felicitatis interrogat vim dilectionis. D Nimirum qui ex aduersitate proximum despicit, apertè conuincitur, quod hunc in prosperis non amauit. Vnde dicit Hispaniarum Doctor Isidorus: Tunc fit quisque magis pietati iustitiæque diuinæ contrarius, quando despicit amicum aliqua aduersitate percussum. *De sum bono l. 3. c. 29.* Qua in re & sibi occasionem & gratiam misericordiæ tollit, quando in percussione proximi crudelis existit, velut actum est inter *Lazarum vlcerosum, diuitemque* superbum. *Luc. 16.* Misereamur igitur amicorum nostrorum defunctorum necesse est, & viuentibus in eorum angustijs seruemus fidem veræ dilectionis, ac quilibet nostrûm caueat ne fit ille simulator amicus, de quo dicitur: *Est amicus socius mensæ, & non permanebit in die necessitatis.* *Eccl. 6. 10* Amicus vel socius mensæ idem bonorum temporalium est simulator amicus: qui etiam in hora mortis proximi fictæ amicitiæ fundit lacrymas, vt ad morientis bona tempo- E ralia valeat peruenire: Qui que non permanet in die necessitatis, quia cum post mortem alterius defuncto dies mortalitatis cœperit apparere, atque de his quæ in carne commisit, vel omisit, ab eo districtè ratio requiretur, & inuentus fuerit aliquo minus habens, vnde merito debeat vapulare ille qui fraudulenter eum in prosperitate vitæ ac rerum dilexerat, eum ad eius substantiam peruenerit vt optauit, & res amplectitur, *Dan. 5. 27.* quas

quas cupiuit, tunc paret virtutem minimè dilexisse, de A absolutione cuius animæ nullam piæ recordationis studio curam gerit, Immò verò quod deterius est, aut de maleuolentia, sicut de insipientia ei detrahere incipit, eo quod illi parum dimiserit: aut de auaritia, quia multam illi reliquit substantiam, cum potuit vtique dum viueret, bonis suis perfrui, vel certè Ecclesiis & pauperibus ea testamento vtilius erogare. Quem beatum prædicabat simulator dum prosperè viueret, fatuum vel auarum post obitum reprehendit.

Pro. 11.9. l. 3. de summo bono c. 29.

De huiusmodi amico fraudulento diuina sapientia dicit: *Simulator ore decipit amicum suum.* Et Hispaniarum Doctor Isidorus: sæpè per simulationem amicitia colitur, vt qui non potuit apertè decipere, decipiat fraudulenter. Item idem: Dum aduersa procedunt, amicus fraudulentus detegitur, statimque despicit, quem se diligere simulabat, latent sæpe venena circumlita melle verborum, & tamdiu deceptor veritatem simulat, quousque fallendo decipiat. B Raro inuenitur amicus, qui pauperi homini, vel mortuo seruet fidem. Amicitia certa nulla vi excluditur, nullo tempore aboletur, vbicumque enim se vertit tempus illa firma est. De hac vera amicitia, quæ aduersitate non scinditur, nec etiam morte diuiditur, eo quod immortalis esse probatur, in Ecclesiastico, dicitur. Amicus fidelis medicamentum vitæ & immortalitatis: & qui metuunt Dominum, inueniunt illum. Dicit fortasse aliquis, pauper sum, vel infirmus: non est mihi copia rerum vnde amico mortuo valeam subuenire. Ad quod dicit B. Gregorius. Non est vacua manus à munere, si arca cordis plena est bona voluntate. Et Propheta, In me sunt Deus vota tua. In te habes, ô homo vota Dei: in te geris desideria Domini, quibus reddas laudationes illi. In te habes thesaurum repropitiationis delictorum amici tui, quod petit à te sibi dari Dei C Patris sapientia dicens: Præbe fili cor tuum mihi. Et in libro Machabæorum: Sancta & salubris est cogitatio, pro defunctis exorare, vt à peccatis soluantur? Nota quod non solùm dixit: sancta est cogitatio, sed salubris, videlicet quia sanctum facit cogitantem: cor mouet ad beatam vitam desiderandam, & spem subleuat ad delictorum veniam sibi, & proximis obtinendam; vnde per Dei gratiam salus oritur viuentibus, fidelibus & defunctis. Isti namque tali cogitatione à corpore desidiæ ad bene agendum consurgunt; illi verò à pœna Purgatorii liberantur; si sancta & salubris est cogitatio, multò validior, sanctior & salubrior erit oratio, & plurimum sanctissima atque salubrrima operatio.

C. 6. v. 16.

Psal. 55. 13.

Psal. 23. 4. 18

2. Mach. 12. vlt.

Nullus itaque mentis compos, quantumcumque pauper vel debilis potest iustam excusationis rationem prætendere, cum ipsa cogitatio sancta sit & salubris, quin habeat sibi, & proximo subuenire. Potest etiam fructum D boni operis adipisci, qui & si non clamore vocis, tamen clamore cordis (quod sonat præcipuè in aure Dei) potest orare, quod rectè computatur inter eminentiora opera charitatis. Dicit enim gloriosissimus & sanctissimus ille Bernardus, legere, scribere & orare, opera sunt charitatis. Et inter ista orare semper eminet excellenter, vt ait B. Isidorus, melius orare quàm legere. Probatur etiam eleemosynam dare, si calicem aquæ frigidæ quis tribuit propter Deum. Quod si tanta est penuria, vt ad calicem aquæ frigidæ dandum non sufficiat, intingat saltem extremum digiti sui in aqua, vt refrigeret linguam proximi in flamma ignis Purgatorij patientis. Quid est extremum digiti ad refrigerationem linguæ in aqua intingere, nisi aliquod pietatis opus, quantumcumque minimum pro absolutione alicuius mortui operari? Sicut enim per manus opera & per digitos discretionem operum intelligimus: ita per extremum digiti minima operatio poterit designari, qua E refrigeratur lingua proximi patientis. Quia illud otiosi sermonis, quod corrigere, dum viueret, negligentia præmisit, illi dimittitur. Liquide clarere esse inexcusabilem quemlibet, qui spernit amico mortuo subuenire.

De summo bono l. 3. c. 8. Matth. 10. 9. 42. Luca 16.

Nos autem, fratres charissimi, misereamur defunctis amicis nostris, vt possimus à Domino misericordiam impetrare, simus misericordes in proximum, vt misericordiæ præmium tempore nostræ miseriæ cùm nostra virtus defecerit, mercamur. Quia, vt ait sapientissimus Augustinus, misericordia est peccatorum remedium. Misericordia ipsa est, quæ à morte liberat, & non patitur hominem intrare in interitum. Hæc patrocinatur in die iudicii, dicente Iacobo Apostolo, *Misericordia exaltat iudicium: Iudicium sine misericordia illi, qui non fecerit misericordiam.*

Tob. 4. 10 Iacob. 2. 13.

Isidorus, A compatiendo alienæ miseriæ misericordia vocabulum sumpsit. Qui hic misericordiam non impertitur, in die iudicii pietatis fructum non inueniet. Exemplo ardentis diuitis, qui in inferno ad petenda tenuissima compulsus est. Qui hic tenuissima negauit tenuissima non valuit obtinere, Quid ei strictius potest inueniri? Guttam aquæ ardens petit, nec obtinet qui micas panis negauit. Serò diues oculos aperuit; quando Lazarum pauperem requiescentem vidit, quem iacentem ante ianuas videre despexit. Non solùm qui esurienti, & sitienti & nudo beneficium largitatis impendit, vel si quid aliud indigenti largitur, sed & qui inimicum diligit, & qui lugenti affectum compassionis & benignitatis impertitur, aut in quibuslibet necessitatibus consilium adhibet, eleemosynam proculdubio facit. Nam & doctrina, vel disciplina bona eleemosyna est, & misericordia carnis eminentior est. Quia quantum excellit spiritus carnem, tantùm excellit misericordia spiritus (quæ est doctrina vel disciplina bona) misericordiã carnis quæ est ministrare corpori necessaria. Exhibeamus & nos amicorum nostrorum spiritus misericordiæ curam: vt amici nomine non fictè, sed verè merito fulgeamus. Cum. n. amicus dicitur animi custos, & animus ab anima vocabulum sortiatur, debet profectò amicus primo & principaliter de salute amici animæ curam gerere, & secundario illi vtilitati corporis prouidere. In vita corporis illi fidelis existere, & post dissolutionem carnis affectu, & effectu salutari de absolutione illius animæ assiduè cogitare. Nos etiam, qui alios monemus, ad nos dicta reflectamus: & vt cæteris simus exemplum vitæ studeamus viuentibus proximis in tribulationibus, & angustiis humiliter & fideliter subuenire: atq; defunctis exhibere studia charitatis, & sacrificiis, eleemosynis, orationibus, peregrinationibus, & omnibus bonis operibus, eorum pœnæ compatiendo diuino auxilio eorum temporalem miseriã misericorditer eleuare, vt cùm defecerimus morte corporis, & illi à malis liberi inter filios Dei fuerint computati, recipiant nos in æterna tabernacula, vbi claritate visionis Dei cum illis sine fine perfrui mereamur, Amen.

In li. Etymo. in dist. misericor. Luca 16.

Luc. 16. 9.

Contra eos qui dicunt sanctos Dei pro viuentibus, vel defunctis fidelibus non orare.

Capvt XVIII.

Isidorus Festiuitates Apostolorum, seu in honore Martyrum solennitates antiqui Patres in venerationis mysterio celebrare sanxerunt, vel ad imitationem, vel vt meritis eorum consociemur atque operationibus adiuuemur.

Lib. 1. de Ecclesia offi. cap. 4

Item idem. Sancti qui iam beata immortalitate regnant cum Christo pro nobis qui adhuc in incertis versamur periculis, assiduè Dominum deprecantur, & suis nos meritis protegunt, ne aduersis mundi periclitemur, vel maligni nobis spiritus noceant quantum cupiunt.

Gregorius. Orant pro inimicis suis sancti eo tempore quo possunt ad fructuosam pœnitentiam eorum corda conuertere, atque in ipsa conuersione saluare.

16. Moral. cap. 12.

Augustinus Isti iusti qui tanta sanctitate vixerunt, vt alios quoque recipiant in tabernacula æterna quibus amici facti sunt de mammona iniquitatis, vt tales essent, misericordia liberati sunt ab eo, qui iustificat impiũ,

De Ciuitate Dei l. 21 c. 27.

imputans mercedem secundum gratiam non secundum A debitum. In quorum quippe numero est Apostolus, Rom. 4. 4. qui dicit: *Misericordiam consecutus sum, vt fidelis essem.* 1 ad Cor. 7. 25. Illi autem, qui recipiuntur à talibus in tabernacula æterna, fatendum est, quod non sunt his moribus præditi, vt ais liberandis sine suffragio Sanctorum sua possit vita sufficere. Mirari solet etiam apud Virgilium reperiri Luc. 16. 9. istam Domini sententiam, vbi ait: *Facite vobis amicos de* Mat. 10. 41. *mammona iniquitatis, vt & ipsi recipiant vos in tabernacula æterna.* Cui est & illa simillima; qui recipit Prophetam in nomine Prophetæ, mercedem Prophetæ accipiet. Nā cum Elysios campos ille poëta describeret, vbi putant habitare animas beatorum, non solum ibi posuit eos, qui propriis meritis ad illas sedes peruenire potuerunt, sed adiecit atque ait.

Quique sui memores alios fecere merendo. B

Id est, qui promeruerunt alios, eosque sui memores, promerendo fecerunt. Prorsus tanquam eis diceret, quod frequenter ore Christiano cum se cuique sanctorum humilis quisque commendat, & dicit, Memor mei esto. Atque vt id esse possit, promerendo efficit.

Item idem. Ita liberatio, quæ fit siue suis quibusque orationibus, siue intercedentibus sanctis id agit, vt in ignem quisque non mittatur æternum, non vt cum fuerit missus post quantumcumque tempus inde eruatur. Ad hoc etiam probandum Machabæi visionem sicut sacra Scriptura verbotenus memorat de S. Onia, & de beatissimo Ieremia post mortem corporis pro viuis orātibus, inducamus. Dicit ita Scriptura sacra. Erat, in- 2. Machab. 15. 12. quit, huiuscemodi visus. Oniam, qui fuerat summus sacerdos, virum bonum & benignum, verecundum visu, modestum moribus, & eloquio decorum, & qui à C puero in virtutibus exercitatus sit, manus protendentē, orare pro omni populo Dei. Post hæc apparuisse & alium virum ætate & gloria mirabilem, magni decoris habitudine circa illum. Respondisse verò Oniam, & dixisse. Hic est fratrum amator, & populi Israēl. Hic est qui multum orat pro populo, & vniuersa sancta ciuitate Ieremias Propheta Domini. Cum igitur veteris Testamenti sancti, qui ante Passionem Domini nostri Iesu Christi erant in inferno, hoc est in sinu Abrahæ, pro populo Dei orare creduntur, multo magis dum liberati ab omni corruptione, modo tam illi, quam sancti nouæ gratiæ regnant cum Christo pro fidelibus orare viuentibus, & defunctis credendi sunt, & nos suis patrociniis tueri, & infirma nostra misericorditer releuare. D

Contra illos qui dicunt prædestinationem precibus minime adiuuari.

CAP. XIX.

1. Dialog. cap. 8. GRegorius. Venerandus vir Anastasius sanctæ Romanæ Ecclesiæ cui Deo auctore deseruio, notarius fuit. Qui soli Deo vacare desiderans, scrinium deseruit, monasterium elegit, atque in eo loco, quem præfatus sum, qui Suppentonia vocatur, per annos multos in sanctis actibus vitam duxit: eique monasterio solerti custodia præfuit. Quo videlicet in loco ingens desuper rupes eminebat, & profundum subter præ- E cipitium patebat. Quadam verò nocte, cum iam omnipotens Deus eius venerabilis viri Anastasij labores remunerare decreuisset, ab alta rupe vox facta est, quę producto sonitu clamaret, dicens: Anastasi, veni. Quo vocato, alij quoque septem fratres ex nomine sunt vocati. Paruo autem momento ea quæ fuerat omissa vox siluit, & octauum fratrem vocauit. Quas dum apertè voces congregatio audisset, dubium non fuit, quia eorum qui vocati fuerant, obitus propinquasset. Intra paucos igitur dies, primus venerandus vir Anastasius, cæteri autem in eo ordine ex carne educti sunt, qui de rupis vertice fue-

A rant vocati. Frater verò ille, ad quem vox parum siluit, atque eum nominauit morientibus aliis, paucis diebus vixit, & tunc vitam finiuit, vt aperte monstraretur, quia interiectum vocis silentium paruum spacium viuendi significauerit. Sed mira res contigit, quia dum venerabilis vir Anastasius de corpore exiret, erat quidam frater in monasterio qui superuiuere ei nolebat. Prouolutus verò eius pedibus, cœpit ab eo cum lachrymis postulare, dicens: Per illum ad quem vadis deprecor te, & adiuro, ne septem dies super te in hoc mundo viuam. Ante cuius septimum diem, etiam ipse defunctus est. Qui tamen in illa nocte inter cœteros non fuerat vocatus, vt apertè, claresceret, quia eius obitum sola venerabilis Anastasij intercessio obtinere potuisset.

Petrus. Dum idem frater & vocatus inter cæteros non est, & tamen sancti viri intercessionibus ex hac luce B subtractus est, quid aliud datur intelligi nisi quod hi, qui magni sunt apud Deum, merito obtinere aliquando possunt ea etiam quæ non sunt prædestinata?

Gregorius. Obtinere nequaquam possunt quæ prædestinata non fuerunt, sed ea quæ sancti viri orando efficiunt, ita prædestinata sunt, vt precibus obtineant. Nam ipsa quoque perennis regni prædestinatio est ab omnipotenti Deo disposita, vt ad hoc electi ex labore perueniant, quatenus postulando mereantur accipere, quod eis omnipotens Deus ante sæcula disposuit donare.

Petrus. Probari mihi apertius velim, si potest prædestinatio precibus adiuuari.

Gregorius. Hoc quod ego Petre intuli, concitè valet Gen. 21. 12 probari, certè etenim nosti, quia ad Abraham Domi- & 17. c. 4 nus dixit: In Isaac vocabitur tibi semen. Cui etiam di- & c. 22. 17. C xerat: Patrem multarum gentium constitui te. Cui rur- & c. 26. 9. sum promisit, dicens: Benedicam tibi, & multiplicabo semen tuum sicut stellas cœli, & velut arenam quæ est in littore maris. Ex qua re apertè constat, quia omnipotens Deus semen Abrahæ multiplicare per Isaac præ- Gen. 25. 21. destinauerat: & tamen scriptum est. Deprecatus est Isaac Dominum pro vxore sua, eo quod esset sterilis, qui exaudiuit eum, dedit conceptum Rebeccæ. Si ergo multiplicatio generis Abrahæ per Isaac prædestinata fuerat, cur coniugem sterilem accepit? Sed nimirum constat, quod prædestinatio precibus impletur, quando is in quo Deus multiplicare semen Abrahæ prædestinauerat, oratione obtinuit, vt filios habere potuisset.

Petrus. Quia secretum ratio aperuit, nihil mihi du- D bietatis remansit.

Isidorus. Omnia quidem sunt in prædestinatione, vel præscientia diuina: quædam tamen libero arbitrio dimissa. Et quia prædestinatio, aut præscientia necessitatem boni vel mali non infert, & semper est orationibus, & bonis operibus vacandum, vt his prædestinatio adiuuetur.

Contra illos, qui dicunt sanctos sola virtute orationis, & nunquam solo nutu voluntatis miracula operari.

CAPVT. XX.

E ISidorus. Angeli boni cognoscunt omnia antequam in se fiant: & quæ apud homines adhuc futura sunt, Angeli iam, reuelante Domino, nouerunt.

Item idem. Animę postquam à carne exeunt, & in sua viuacitate & subtilitate consistunt, multa etiam futura contemplantur.

Item idem. Multum ex sua natura splendorem possidet anima, sed fuscatur commixtione carnis, qua retinetur inclusa.

Item idem. Præuaricatores Angeli etiam sanctitate Li. 8 Ety. amissa, non tamen amiserunt viuacitatem creaturæ An- mol. c. 11. gelicæ sensuum. Triplici enim modo scientiæ acumine vigent,

vigent, id est, subtilitate naturæ, experientia temporum & reuelatione supernarum potestatum. Cautè igitur & 1.Cor.11.14. sollicitè debent Christicolæ circumspicere, ne cum Angelus Satanæ in Angelum lucis nonnunquam se transfigurat, decipiendi introgressum inueniat, aliqua de futuris quandoque prædicit, & etiam ostentatione falsa vtilitati hominis se inseruire demonstrat, vt in erroris laqueum deuoluatur. Cum enim aliqua videtur bona prætendere, agit, vt fraudulenter decipiat. Cū verò infert mala, agit, vt sæuitiam suam crudeliter expleat. Retia tendit innumera, vt multipliciter, & diuersimodè decipere possit, etiam cauta sollicitudine vigilantes: piscatoris vel aucupis more, qui dulcia, vel pulchra prætendit, vt piscis aut auis hamo, seu laqueo facilius capiatur. Sunt tamen quędam secreta Dei præsentia, & futura, quæ etiam eminentiores Angelici spiritus penetrari non possunt, vt est diuinitatis incomprehensibile arcanum, & illud de hora & Matt.24.36. die iudicij, quod nemo nouit nisi Deus. Vnde congruenter dicit Doctor Hispaniarum Isidorus; Cum de Deo lo- De sum. bono l.1 cap. 5. quitur scriptura, plerumque dicit, *Ecce Deus*, nō quasi visibilem ostendit, sed vbique esse præsentē significat, per id quod dicitur, *Et Dominus*, vel quia magnitudinem diuinitatis eius nullus possit sensus attingere, etiam angelicus, quamuis vsque ad parilitatem angelicam humana natura post resurrectionem proficiat, & ad contemplandum Deum indefessa consistat, Dei secreta iudicia non possunt sensu penetrari vel angelico, vel humano. Et ideo quia occulta & iusta sunt, tantùm venerari opus est Ad Rom.11. 20. & timere, non discutere aut inquirere. Vnde Apostolus: *Noli altum sapere, sed time*: & sapientia: *scrutator maiestatis* Prou.25.27. *opprimetur à gloria*. Item Apostolus: *Quis enim cognouit* Rom.11.34. *sensum Domini, aut quis consiliarius eius fuit?* Item idem: Philip.4.7. *Pax Dei quæ exuperat omnem sensum*, vt subaudias etiā An- 4.Dialog. cap.26. gelorum. Quod etiam animæ suæ subtilitatis natura habent aliqua præscire, testatur egregius pater Gregorius dicens. Ipsa aliquando animarum vis subtilitate sua aliquid præuidet: Aliquando enim exituræ de corpore animæ per reuelationem ventura cognoscunt: Aliquando verò dum iam iuxta sit, vt corpus deserant, diuinitus afflatæ in secreta cœlestia incorporeum oculum mentis mittūt. Nam quia vis animæ subtilitate sua ea quæ sunt ventura cognoscit, patet ex eo quod quidam aduocatus, &c. Et post pauca: Cum de quodam laico, qui in hora mortis futura quædam prædixerat piissimus pater Gregorius mentionem egisset, adiecit dicens: cum eundem virum curis secularibus obligatum lucrisque terrenis inhiantem fuisse nouerimus, vnde hoc prædicere potuit, nisi quia id quod futurum erat, ipsa vis animæ ac subtilitas præuidebat?

Item idem. Sicut aliqui reuelationibus potuerunt ventura cognoscere: ita nonnunquam egressuræ animę possunt etiam mysteria cœlestia non per somnium, sed vigilando prelibare. Item idem. Solet plerumque contingere, vt egressura anima eos etiam recognoscat, cum quibus pro æqualitate culparum, vel etiam præmiorum in 4.Dialog. cap.35. vna est mansione deputanda. Item idem. Dum adhuc laicus viuerem, atque in domo mea, quæ mihi in hac vrbe ex iure patris obuenerat, manerem, de quibusdam vicinis meis me contigit agnouisse. Quędam namque iuxta me vidua Galla dicebatur. Hæc Eumorphium nomine iuuenem filium habebat, à quo non longè quidam Stephanus (qui alio nomine Optio dictus est) habitabat, sed idem Eumorphius ad extrema vitæ veniens vocauit puerum suum, eique præcepit dicens: Vade citius & dic Stephano Optioni, vt concitus veniat, quia ecce nauis parata est, vt ad Siciliam duci debeamus. Cumque hunc puer insanire crederet, & obedire recusaret, cœpit ille vehementer innuere dicens: Vade & nuncia illi, quod dico, quia non insanio. Egressus est puer, vt ad Stephanum pergeret. Cumque in medium iter venisset, & quidam alius obuius factus est, qui hunc requisiuit dicens, quo vadis; cui ille respondit: Ad Stephanum Optionem à domino meo missus sum. Ad quem ille

A protinus dixit: Ab eo venio, sed ante me hac hora defunctus est. Reuersus vero est puer ad Eumorphium dominum suum, sed eum iam mortuum inuenit. Sicque factum est, vt dum alter obuiam venit, & ex medio itinere puer reuersus est, vt ex mensura spacij potuisset colligi, quod vno momento vtrique fuerant vocati.

Petrus. Terribile est valde quod dicis, sed quæso te, cur egredienti animæ nauis apparuit, vel cur se duci ad Siciliam moriturus prædixit?

Gregorius. Anima vehiculo non eget, sed mirum non est si adhuc homini in corpore posito illud apparuit quod per corpus assueuerat videre, vt per hoc daretur intelligi, quo eius anima spiritaliter duci potuisset. Quod verò se ad Siciliam duci testatus est, quid sentiri aliud potest, nisi quod præ cæteris locis, in eius terræ insulis eructante igne tormentorum ollæ patuerunt? Quæ (vt solent narrare, qui nouerunt) laxatis quotidie † ignibus excrescunt, vt mundi termino pro- † al. finib. B pinquante, quanto certum est illuc amplius exurendos colligi, tanto & eadem tormentorum loca † videantur † aperiri. † amplius. † apparere. Quod omnipotens Deus ad correptionem viuentium in hoc mundo voluit ostendi, vt mentes infidelium, quæ inferni tormenta esse non credunt, tormentorum loca videant, quæ audita credere recusant. Quod vero siue electi, siue reprobi, quorum communis causa in opere fuerit, ad loca etiam communia deducuntur, veritatis nobis verba satisfacerent, etiamsi exempla deessent. Ipse quippe propter electos in Euangelio dicit: *In domo patris mei mansiones multæ sunt*. Ioan.14.2. Si enim dispar retributio in illa beatitudine æterna non esset, vna potius mansio, quam multæ essent. C Multæ ergo mansiones sunt, in quibus & distincti bonorum ordines, propter meritorum consortium cōmuniter lætantur, & tamen vnum denarium omnes laborantes accipiunt, qui in multis mansionibus distinguuntur. Quia est vna beatitudo, quam illic percipiunt, & dispar retributionis qualitas, per opera diuersa diuersi consequuntur. Dum beatus Gregorius, vt præmisimus, dixerit, vnum esse ignem infernalem, quo omnes cruciantur iniqui, & in his, quæ immediatè præmisit, diuersas ollas, quæ pœnarum sunt loca, quidam contrarietatis scrupulus menti simplicium innascitur, quibus compellimur, prout possumus, satisfacere. Nulla est ibi intelligenda contrarietas, vbi patens ratio manifestat. Nam cum infernus inferior & superior esse scripturarum documentis manifestius declaretur, intelligi non abs re potest, quod ignis putei inferni inferioris, D causa sit incendij superioris inferni: siquidem in corde terræ infernus inferior cum sit nimia latitudine dilatatus, & per angustum os habito ad se respectu, flammas euomat indesinenter: & ipsæ flammæ per diuersos terræ meatus, loca sulfurea inflammantes, cum ad diuersas superficiei terræ partes peruenerint, & eructante incēdio, in diuersis mundi locis ipsi infernales ignes humanis aspectibus se continuò præsentauerint, non absonè diuersa iudicantur diuersarum ollarum incendia infernalia. Vnde ipsa inferni inferioris respiracula, quibus ad nos vsque infernales flammæ perueniunt, non incongruè infernus superior dici possunt, & eodem igne tam illi qui sunt in inferno inferiori, quam etiam qui sunt in inferno superiori cruciantur. Fortius tamen illi videntur incendio concremari, qui recluduntur in fornace interiori, vbi E ipsa flammarum creduntur validius regnare incendia. Superiores inferni ollæ, quæ inferioris sunt respiracula, dicuntur portę inferi, de quibus videtur dicere Ezechias: *Ego dixi in dimidio dierum meorum, vadam ad portas inferi.* Isai.38.10. Non quod animæ iustorum ante aduentum Domini illis in ollis retruderentur inferni, sed quod in illorum confinibus esse Abrahæ sinus creditur, vbi tunc iusti detinebantur, & purgatorius ignis, à quo petit Ecclesia animas fidelium erui, dicens: *Aperta inferi, erue Domine animas eorum*. Videtur B. Gregorius innuere manifestè

quod olla Vulcani, quæ in insula, quæ dicitur Liparis, A perpetuas auo[?]it flammas, sic vnum de inferni respiraculis eùm dicit.

4. Dialog. cap. 30.

Gregorius. Iulianus huius Romanæ Ecclesiæ, cui Deo auctore deseruio, secundus defensor, qui adtè ferè septem annos defunctus est, adhuc in monasterio positus ad me crebro veniebat, mecumque colloqui de animæ vtilitatu consueuerat. Hic itaque mihi quadam die narrauit, dicens, Theodorici Regis temporibus, pater soceri mei in Siciliam exactionem canonis egerat, atque iam ad Italiam redibat. Cuius nauis appulsa est ad insulam quæ Liparis appellatur, & quia illic vir quidam solitarius magnæ virtutis habitabat, dum nauta nauis armamenta repararet, visum ast prædicto patri soceri mei ad eundem virum Dei pergere, seque eius orationibus commendare. Quos vir Domini cum vidisset, eis inter alia B colloquens, dixit: sciatis Rex Theodoricus mortuus est, cui illi protinus responderunt. Absit. Nos eum viuentem dimisimus, & nihil tale de eo ad nos nunc vsque perlatum est. Quibus Dei famulus addit, dicens; etiam mortuus est. Nam hesterno die hora nona inter Ioannem Papam & Symmachum Patricium discinctus, atque discalceiatus, & vinctis manibus, deductus in hac vicina Vulcani olla iactatus est. Quod illi audientes solliciti conscripserunt diem atque in Italiam reuersi eo die Theodoricum Regem inuenerunt fuisse mortuum, quo de eius exitu atque supplicio Dei famulo fuerat ostensum. Et quia Ioannem Papam affligendo in custodia occidit, Symmachum quoque Patricium ferro trucidàuit, ab illis sa iuste in ignem mitti apparuit, quos in hac vita iniuste iudicauit. Est etiam in Sicilia mons Ethna, qui cominus flammis æstuare cernitur, qui ferè per nouem milliaria aliquando temporibus interpositus ignee C flumina vsque ad mare ebullire videtur. Est etiam in Apulia locus, qui vulgariter mons Barbarus dicitur, vbi spiritus maligni sua opera ignis tormento sæpius manifestaot. Sunt & alia loca tormentorum perplura, sicut scire possunt, qui, vt ea oculis corporis videant, in præsenti dare voluerint itineri operam efficacem, quæ sb ipso puteo infernali surgentibus flammis continuis creduntur accipere contra impios quotidie incrementa. Ve qui audita non credunt nec ipsa pertimescunt, ea post mortem corporis perpetuo iuste sustineant, vel inoti: *Et*

Ioan. 14. 2.

sicut in domo Domini multæ sunt mansiones, in quibus iusti secundum meritorum diuersitatẽ æternæ retributionis sub eadẽ felicitate percipiant præmia: ita omnes iniqui sub vno igne infernali in multis calamitatibus diuersis D crucientur tormentis. Cum autem infernũ inferiorem sub terra esse dicimus, non abs te videtur mouari aliqui, eò quòd in scripturis Patrũ inueniant, quod sit infernus superior super terra, ideo quia superior dicitur. Ad quod potest breuiter respondere quod dicitur superior, habito respectu ad inferiorem, licet vterque in visceribus terræ esse credatur. Dicitur infernus superior esse super terrã, eo quod ora respiraculorum eius sint in eminentiori superficie terrę & ignis inde exiens appareat super terram, ita vt vsque ad nubes sunonnunquam efferant flammæ aius: & vt vera denominatione dicatur infernus, hoc est inferius, in terræ visceribus continetur. Cum etiam legitur animas iustorum vsque ad passionem Domini in inferno fuisse, non est intelligendum, eos tunc flammis infernalibus cruciari, qui in loco consolationis degebãt, teste Abraham, qui de Lazaro, superbo diuiti loquitur, E

Luc. 16. 25.

dicens: *Hic nunc consolatur, tu verò cruciaris.* Hic locus dicitur *Sinus Abraha*, quia Patribus in limbo fertur esse inferni, vbi deferuntur animæ puerorum qui minimè baptismi sunt gratiam consecuti, & nullum commiserũt actuala peccatum, qui nullam sentiunt pœnam, excepto quod carent visione Dei, & dolent deesse societatem Sanctorum, ad quam per baptismum potuerant peruenire. Gaudium inest illis continuum, eò quòd euaserunt supplicia impiorum, quibus illos cernunt quotidie cruciari. Quod dicitur sinus Abrahæ, Isaac & Iacob, consolationis distinctionem eorum, qui sunt in loco, notare videtur, vt plus puer catechizatus consolationis percipiat, puero non catechizato. Et rursus puer, qui si viueret erat à parentibus batizandus, plus consoletor illo, qui si diu viueret, forsitan nunquam ad baptismi gratiam conuolaret.

Contra illos qui dicunt Sanctos nullo modo hominum cogitationes intelligere; vel dæmones hominibus nihil mali suggerere, vel hominum cogitationes percipere.

CAPUT XXI.

2. Dialog. cap. 20.

GRegorius. Quadam die cum venerabilis Pater B Benedictus vespertina iam hora corporis alimenta perciperet, eius monachos, cuiusdam defensoris filius fuerat, qui ei ante mensam lucernam tenebat, cum vir Dei ederet. Ipse autem cum lucernæ ministerio adstaret, cœpit per superbiæ spiritum in mente sua tacitus voluere, & per cogitationem dicere. Quis est hic, cui ego manducanti, adsisto, lucernam teneo, seruitium impendo? Qui sum ego, vt isti seruiam? Ad quem vir Dei statim conuersus vehementer eum cœpit increpare dicens, *Signa cor tuum frater*. Quid est, quod loqueris? *signa cor tuum*. Vocatisque fratribus, statim præcepit ei lucernam de manibus tolli: ipsum verò iussit à ministerio recedere, & sibi hora eadem quietum sedere. Qui requisitus à fratribus, quid habuerit in corde, per ordinem enarrauit, quanto superbiæ spiritu intumuerat: & quæ contra virum Dei verba per cogitationem tacitus dicebat. Tunc liquido omnibus patuit, quod venerabili Be- C nedicto latere nihil posset, in cuius aurem etiam cogitationis verba sonuissent. Manifeste ex his præmissis colligitur, Sanctorum spiritus etiam occulta quædam cogitationum agnoscere, cum beatissimus pater Benedictus adhuc in carne corruptibili constitutus, titubantis fratris cogitationes cognouit. Vnde dicit beatus Doctor splendor prælatorum Isidorus: Sancti qui reuelata facie Dominum contemplantur, & omnia in ipso tanto verius, quanto subtilius & sanctius intuentur, etiam eos quædam humanarum cogitationum secreta non latent, quarum iudices in extremo examine cum Domino sunt futuri. Tergamus ergo sordes malarum cogitationum à cordibus nostris, ne ante oculos maiestatis diuinæ & omnium Sanctorum eius quotidie sordidi reputemur, & ab eorum D munditia post dissolutionem carnis merito repellamur, neue cum sordidis spiritibus infernalibus sordibus perpetuò inuoluamur. Audiamus piissimum Dominum per

Isai. 1. 16.

Isaiam clamantem atque dicentem: *Lauamini, mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis.* Quod etiam Diaboli humanis cogitationibus semper insistant & insidientur operibus, testatur B. Gregorius: Ma-

Li. 3. Dial. cap. 9. & 16

lignus spiritus cogitationi, locutioni, atque operi nostro semper insistit, si fortasse quid inueniat, vnde apud examen æterni iudicis accusator existat. Vis etenim nosse quomodo ad decipiendum semper insistat?

Gregorius. Quidam qui nunc nobiscum sunt, rem, quam narro, testantur, quod vitæ venerabilis Stephanus nomine, Valenæ prouinciæ presbyter fuit, huius nostri Bonifacij Diaconi, atq; dispensatoris Ecclesiæ agnatione proximus. Qui quadam die de itinere domum re- E uersus mancipio suo negligenter loquens præcepit dicens: Veni Diabole, discalcia me. Ad cuius vocem mox cœperunt se caligarum corrigiæ in summa velocitate dissoluere, vt apertè constaret, quod ei ipsa, qui nominatus fuerat ad extrahendas caligas Diabolus obedisset. Quod mox vt presbyter vidit, vehementer expauit, magnisque vocibus clamare cœpit. Recede miser, recede: Non enim tibi, sed mancipio meo locutus sum. Ad cuius vocem protinus ita vt inuentæ sunt, magna iam ex parte dissolutæ corrigiæ remanserunt. Qua in re colligi potest quàm antiquus hostis, qui tam præsto ast

factus

A factis corporalibus, nimiis insidiis cogitationibus nostris insistat.

Petrus. Laboriosum valde atque terribile est, contra inimici insidias semper intendere, & continuè, & quasi in acie stare. Gregorius. Laboriosum non est, si custodiam nostram non nobis, sed gratiæ supernæ tribuimus: Ita tamen vt ipsi quantum possumus sub protectione vigilemus. Si autem antiquus hostis à mente cœperit expelli, ex diuina largitate plerumque agitur, vt non solum iam timeri non debeat, sed ipse etiam benè viuentium virtute terreatur. Resistendum est audacter tam inimicissimo inimico, & totis viribus decertandū de palma victoriæ obtinenda. Quia vt ait B. Hieronymus, Debilis est ipse hostis, & non potest vincere nisi volentem.

De sum. bono l.3 c. — B Quod cogitationes prauas hominum, non solum Diabolum scire, verum etiam seminare testatur Isidorus, dicens: Argumenta machinationum, malarumque cogitationum semina, quæ cordibus hominum Diabolus fundit, ita sæpe vndique captam implicant mentem, vt ex quacumque parte euadere quisque tentauerit sine periculo exire nō possit. Veluti si intes hoc facere, quod si feceris, pecces; si non feceris, reus & periculosus sis. In isto enim mali discrimine, vt euadēdi aditus pateat, minora potius eligēda sunt, vt maiora vitentur. Diabolus, quādo decipere quemquā quærit, prius naturam vniuscuiusque intendit; & inde se applicat, vnde aptum hominē ad peccandum aspexit. Ex ea parte Diabolus omnes tētat, qua eos per excrescentem humorem facile inclinari ad vitia conspicit, vt secundū humoris conspersionē adhibeat & tentationem: Lege Balaam, qui in figura Diaboli, contra populum Dei ex ea parte præcepit perniciosos prætendere laqueos, ex qua sensit eos faciliùs esse lapsuros. Aliud est intrare in mētem cuiusque Diabolum, aliud verò inhabitare. Nam & in cordibus sanctorum ingreditur, dū malas suggestiones insinuat: sed non habitat in eis, qui in suo corpore non eos transducit: Qui vero in corpore eius sunt, ipsos inhabitat, quia ipsi sunt templum eius. Etsi subrepat mētibus electorū Diabolus, non autem in eis requiescit sicut in cordibus reproborū. Nam calore fidei mox excitatur vt exeat ab electis. Verba Diaboli eius occultæ inspirationes sunt, quibus corda hominum alloquens occultis vrit cupiditatibus. Diabolus non est immissor, sed incentor potius vitiorum. Neque .n. alibi concupiscentiæ fomenta succendit, nisi vbi prius prauæ cogitationis delectationes aspexerit. Quas si à nobis spernimus, sine dubio ille confusus abscedit.

Item idem Quando noui aliquid cogitationibus nostris emergit, subtili discretione pensandum est, vtrum D ex gratia diuina, siue ex proprio motu, vel ex suggestione spiritus immundi proueniat. Nam plerumque *transfigurat se Angelus Satanæ in Angelum lucis*, vt bonū suggerat cogitare, vt à potiori bono auellat. Cogitationibus se ingerit hominum, vt in deterius valeat permutare, vt saltem bonum impediat, aut malum ingerat, vt habeat, vnde apud Deum illos valeat accusare. Dum bonas cogitationes viderit pullulare, statim contrarias sollicitudines ingerit, ne concepta cogitatio bonis formetur operibus, incentiuum immittit praui operis, secundum illud Prophetæ: *immissiones per Angelos malos*; Et in Euangelio: *Cum Diabolus misisset in cor vt traderet eum Iudas Simonis Scariotis.*

2. ad Cor 11. 14. — Psal 77. 49. — Ioan. 13 2.

Contra illos qui dicunt, fidelium sepulchra in nulla veneratione habenda; vel solemnizationes Ecclesiæ, vt est cantus officij, pulsatio campanarum, & his similia mortuorum spiritibus non prodesse. E

CAPVT XXII.

1. Dialog. cap. 4.

GRegorius. Silere non debeo quæ de viro Dei Equitio, Abbate quodam meo reuerendissimo, Valentione narrante cognoui. Aiebat namque, quia corpus eiusdem in B. Laurentij Martyris oratorio esset humatum. Super sepulchrum illius rusticus quidam arcam cum frumento posuit, nec quantos, qualisque vir illic iaceret, perpendere ac vereri curauit. Cum repentè turbo cælitus factus, rebus illic omnibus in sua stabilitate manentibus arcam, quæ superposita sepulchro eius fuerat extulit longeque proiecit, vt palam cuncti cognoscerent, quanti esset meriti is, cuius illic corpus iaceret. Si igitur omnipotens B Deus arcam frumenti ad exemplum nobis præbendum munditiæ miraculosæ eam repentino cœli turbine longe proiecit à loco, miror qua temeritatis audacia, quis super sepulchra fideliū audeat immūda opera exercere, atque sacrata Christianorum corporibus cœmiteria, quibuslibet immunditiis profanare. Sacrata enim sunt loca, in quibus Christianorum sacratissima quiescunt corpora. Etenim teste sacra Scriptura, non propter locum gentem elegit Deus, sed propter gentem locum. Et non locus sanctificat hominem, sed homo sanctificat locum. Quam sacer sit B. Helisei tumulus eius sacratissimis ossibus & cineribus consecratus, 4. Reg. 13. 21. ex hoc potest aduerti, quod latrunculi de Samaria mortuum corpus in eo tumulo posuerunt, & tactis ossibus Helisei, qui mortuus fuerat, resurrexit. Sacratissima serui fidelis Domini ossa, profana infidelis latrunculi membra ad suum consortium minime admiserunt: C mortuo contulerunt vitam, vt se viuere Christo testarentur. Et vt spiritum Heliæ in Heliseo fieri duplicem demonstrarent (quia Helias suscitauerat vnum mortuū & alterum Heliseus) resuscitatio alterius mortui declararet, atque id quod non expleuerat viuens in corpore, Heliseus mortuus adimpleret. Sed fortassis proteruus aliquis dicit. Hi qui hic ducuntur ad consequentiam sancti sunt: in cœmeteriis vero nostris nullius sancti corpus est, quibus non fidelibus, sed infidelibus Doctor Hispaniarum Isidorus se opponendo respondet, dicens: Cœmiteria in quibus sepulti sūnt Christiani, in reuerentia à fidelibus sunt habenda, ita vt quoties per ea transeunt, pro illis orare, & sua debeant nouissima cum gemitu cordis ad memoriam reuocare. Quamuis enim non manifestentur miraculis, multa tamen Dei amicorum corpora quiescunt in illis. Quia non omnes Sancti miracula nobis visibilia operantur. Malleus hæreticorū D fortissimus Augustinus per cœmiteria Christianorum incedere, & pro illis non orare, esse quasi sacrilegium asseuerat. Quid igitur illis erit, qui in Christianorū cœmiteriis blasphemias, furta, fornicationes, adulteria, stupra vel quæque vana committunt, cum pro fidelibus in sacris cœmiteriis non orare quasi sacrilegium iudicatur?

Sciendum etiam est, quia vbicumque corpus cuiusque fidelis quiescit, secundum sacrorum censuram dicitur cœmiterium eo quod sit Christiani corporis cineribus consecratum. Illi autem qui hæc negant, & dicunt, solemnizationes Ecclesiæ viuis vel defunctis fidelibus non prodesse, audiant quid contra eos splendor sacerrimus Isidorus dicit. Quæcumque ex deuotione fiunt ab Ecclesia, vt modulatio, cantus psalmorum & laudum, aquæ benedictæ aspersio, odoramēta thuris & thymiamatis, vel etiam pulsatio campanarum illis, pro quibus E fiunt, viuis fidelibus siue mortuis conferūt, & in eis deuote Deo ministrantes meritum sanctæ deuotionis adquirunt.

ADVERSUS ALAIGENSES
LUCÆ TUDENSIS LIBER SECUNDUS.

De septem Ecclesiæ Sacramentis.

CAPUT PRIMUM.

Psal. 13. 3. & 77. 7. FIDELES audiant, & lætentur, & ponant in Deo spem suam ipsum magnificantes, qui tam inæstimabilem virtutem visibilibus contulit rebus, vt in eis ad creatoris laudem exercitati fideles inuisibilium bonorum esse participes in cœlestibus mereantur. Et quia tanta est summæ dispositionis virtus in his quæ fiunt inuocatione *Christi* nominis à sacris Ecclesiæ sacerdotibus, vt per eà viuentes salutem corporum, indulgentiam peccatorum, & defuncti fideles requiem obtineant animarum, quanta, & quam inæstimabilis est credenda virtus in septem Catholicæ Ecclesiæ Sacramentis quæ ab ipso præcipiente Domino *Iesu Christo*, & à Sanctis eius Apostolis sumpserunt originem. Notanda duximus illa præcipua Sacramenta, quibus fidelibus à Deo in præsenti datur honeste viuere, & in futuro sine fine cum ipso regnare. Primū & præcipuum Ecclesiæ Sacramentum propter sui dignitatem consistit in consecratione corporis & sanguinis Domini, Ecclesiæ forma, ministerio sacerdotis quo frumenti panis in *Christi* carnem & vinum transsubstantiantur in 1 Cor. 11. eius sanguinem. quod qui digne manducat & bibit, verum Deum & verum hominem sumens cum ipso suo capite Christo omnium peccatorum remissione percepta vnum corpus efficitur.

Secundum Sacramentum est *Baptismi* sacrum, quod fit elemento aquæ in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Quod potest quisque neophytus percipere, necessitate cogente, à quolibet Laico, Iudæo, Hæretico, vel Gentili. Propter dignitatem tamen Sacramenti à Presbytero, vel Diacono debet fieri, si opportunitas se obtulerit; & ab aliquo alio acceptum non est aliquatenus iterandum. Regenerantur hoc Sacramento tam infantuli, quàm adulti, ex aqua & Spiritu sancto, & remissionem percipiunt omnium peccatorum cum adoptione.

Tertium Sacramentum est manus impositio, siue *Confirmatio*, quod per sacrum Chrisma habet fieri ab Episcopo: quo etiam Christianus populus post Baptismum in regale sacerdotium solidatur: quo sancti Spiritus augetur charisma fidelibus.

Quartum Sacramentum est *Matrimonium*, quo masculus & fœmina carnis copula coniunguntur ad sobolem procreandam vel luxuriam restringēdam. Hoc indissolubile Sacramentum ex dispensatione diuina prouenit, & secundum Apostolum, *si nupserit virgo non peccabit*. Et: *mulier alligata est, quanto tempore vir eius viuit.* 1 Cor. 7. 28. & 39. *Quod si dormierit vir eius, nubat, cui vult: tantum in Domino*; simili lege si decesserit mulier, vir quam voluerit potest ducere vxorem. Hoc Sacramento efficitur vir & mulier vna caro, seminum commixtione, prolis procreatione, & operis sollicitudine muicem sibi consentientes.

Quintum Sacramentum *Pœnitentia*. Hoc Sacramen- Ioan. 20. 23. Matth. 16. & 18. tum in tribus consistit, scilicet cordis contritione, oris confessione, operis satisfactione. A presbyteris habet fieri, quibus Dominus ligandi & soluendi contulit potestatem.

A Pœnitentia est de malis commissis, vel bonis omissis corde dolere, ore confiteri presbytero, & dolenda postea non admittere.

Si autem necessitas emergit, vt non possit quis habere presbyterum cum cordis contritione saluat confessio ad proximum, vel ad Deum, dum nō sequatur contemptus: quod est mortale peccatum. Id est, vt firmiter mente proponat, & opere expleat, & si facultas se illi obtulerit, confiteatur presbytero totum se tribuens iudicio sacerdotis. Quod Dominus manifeste innuit, cum leprosis in Euangelio dicit: *Ite, & ostendite vos sacerdotibus*, & dum irent mundati sunt. Vnde dicit Propheta: *Dixi confitebor, & tu remisisti impietatem peccati mei.* Luc. 17. 14. Psal. 31. 5. Quia dum peccator mente proponit, contritione præuia, sacerdoti confiteri, statim accelerat medelam misericordiæ Dei. Scriptum est enim: *In quacumque hora peccator ingemuerit, ego Dominus iniquitatum eius non recordabor.* Ezech. 18. 21.

C Hoc diuinæ pietatis Sacramentum omnia scelera post baptismum commissa diluit, & vsque ad vltimum hominis vitæ terminum se extendit, ita vt de nullo sit desperandum vsque ad extremum anhelitum. Peccata etiam obliuioni tradita lauantur eorum confessione, quę ad memoriam reducuntur. Restat tamen omnium commissorum pœna, vt aut homo puniat in præsenti, aut Deus puniat in futuro, igne Purgatorio, nisi quis post mortem, sacrificiis, orationibus & bonis operibus viuentium adiuuetur.

Sextum Sacramentum est *Extrema vnctio*, cuius tanta virtus est, vt non solum peccata diluat, verum etiam plerumque corporis sanitatem restituat, teste Apostolo Iacobo, qui dicit: *Infirmatur quis in vobis, inducat Presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, vngentes eum oleo sancto in nomine Domini: & oratio fidei saluabit infirmum, & alleuabit eum Dominus: & si in peccatis sit, dimittentur ei.* Iacob. 5. 14. D

Hoc Sacramentum habet fieri à Presbyteris oleo ab Episcopo consecrato. Multi huius subtrahunt gratiam Sacramenti, dicentes, quod sicut à Presbyteris fit, ita solummodo Presbyteri hoc debent percipere Sacramentum. Aut si susceperit laicus non debet de cætero redire ad concubitum matrimonij. Horum error in promptu est, cum omnes Christiani Apostolica voce sint *regale sacerdotium* in baptismate sacri vnctione chrismatis deliniti, & possunt ad hoc Sacramentum fideles accedere. Et si superuixerint non est quod impediat, quin valeant ad exoluendum debitum procreationis reuerti, & ad matrimonium, si necesse fuerit, contrahendum. 1. Pet. 2. 9.

Septimum Sacramentum est *Ordo*: quod habet fieri ab Episcopo. Quod licet vltimo nominatur, est tamen omnium aliorum Sacramentorum principium, & perfectio. Ex traditione quidem Apostolica presbyteralis, & E diaconalis ordo sumpsit exordium, & tam Presbyter, quàm Diaconus in primitiua Ecclesia tantum sacro frui ordine videbatur. Ordinem vero subdiaconatus inter sacros ordines, subministrante sancto Spiritu, placuit Patribus annotari. Sunt & alij Ordines minores à sanctis Patribus instituti, qui prædictis Ordinibus subministrāt. Precibus autē ordo est presbyteralis, ad quem qui

l. 2. de Eccl. off. c. 7.

qui peruenerit, vlterius altiorem ordinis gradum nō inuenit, quem ascendat. Presbyteris enim, vt ait Hispaniarum Doctor Isidorus, sicut Episcopis dispensatio mysteriorum Dei cōmissa est. Præsunt enim Ecclesiæ Christi, & in cōfectione diuini corporis, & sanguinis cōsortes cum Episcopis sunt, similiter in doctrina populorū, & in officio prædicandi. At sola propter auctoritatem summo sacerdoti clericorum ordinatio, & consecratio reseruata est, ne à multis disciplina Ecclesiastica vindicata cōcordiam solueret, atque scandala generaret. Nā Paulus Apostolus eosdē Presbyteros, ac vere Sacerdotes, sub nomine Episcoporum asseuerat loquens ad Titum. *Huius, inquit, rei gratia reliqui te Cretæ, vt ea, quæ desunt corrigas, & constituas per ciuitates Presbyteros, quemadmodum ego tibi disposui. Si quis sine crimine est, vnius vxoris vir, filios habens fideles, non in accusatione luxuriæ, aut non subditos, Oportet enim Episcopum sine crimine esse.* Qua sententia ostendit Presbyteros etiam sub Episcoporum nomine taxari, vnde & ad Timotheum de ordinatione Episcopi, & diaconi scribēs de presbyteris omnino tacuit quia eos in Episcoporum numero comprehendit. Presbyteri tamen Episcopis subiacent. Qui etsi non Ordine, gradu ordinis, & excellētia dignitatis, & cura sollicitudinis presbyteros antecedūt. Quidam etiam Episcoporum subduntur Archiepiscopis, & ipsi obediunt Primatibus & Patriarchis: nec dedignantur subesse prælatis suis, & obedientiæ vocari filij, qui se Ecclesiæ Dei præesse cognoscunt. Omnes etiam vnanimiter, ne Acephalitana hæresi maculentur, reuerenter, humiliter, & deuote obedientiam exhibent specialissimo Dei vicario Romano Pontifici. Hic ligādi & soluendi in beatissimo Apostolorum Petro potiorem accipiēs potestatem, tam in spiritualibus, quam in temporalibus gubernat Ecclesiam *Christi*. Quod Dominus videtur notare in Euāgelio, cum bis dicit Petro: *Pasce agnos meos*. Quia dicit *agnos* propter innocentiam, & sexus dignitatem prælatos Ecclesiæ possumus intelligere. Quia vero bis, vt eos pasceret, imperauit, temporalium & spiritualium illi contulit curam. Quod in ipso nomine sonare videtur, cum pastor Romanus iterata syllaba *Papa* vocatur. Papa enim, quia in temporalibus & spiritualibus pascat pastores, pater patrum, vel pastor pastorum, aut etiam pater parcens intelligitur, eo quod nostræ miseriæ dominus cōdolens, misericorditer carnem nostram, & os nostrū humana cōditione labilem, suum vicarium reliquit nobis in plenitudine potestatis, vt homo hominibus compatiatur: infirmus misereatur infirmis: & in sua discat infirmitate qualiter aliorum infirma debeat tolerare, atq; subditorum onera misericorditer releuare. Hęc idcirco protuli, vt tanti patris & pastoris inexplicabilem potestatem attollam ad honorem *Christi* nominis, nō vt doctorem doctor videar velle docere, & os meum in cœlum ponere impetitus. Non etiam Reges & Principes ab huius regis & pastoris regimine, ideo quia laici sunt, putent se esse immunes. Sunt enim & ipsi populis sibi subditis temporalium rerum pastores. Minores etiam populi ad huius patris regimen se nouerint pertinere. Quia postquam Dominus bis dixit Petro: *Pasce agnos meos*, illico adiunxit: *Pasce oues meas*. Quicūque ergo ad ouile Domini pertinet, huius vocē audit pastoris, vt ab eo ducatur ad Christum fontem vitæ, & ad pascua viriditatis æternæ. Nullus potest à debita obedientia huius patris & pastoris absolui, etiam hoc volēte pastore. Caput est Ecclesiæ Christi, à quo qui se subtrahit, nō inuenit, quomodo pertineat ad corpus Christi. Vnde dicit Hispaniarum Doctor Isidorus: Quicūque Romano Antistiti debitam non exhibet reuerēter obedientiam, à capite seiunctus Acephalorum schismati se reddit obnoxium. Quod sicut illud S. Athanasij Episcop. de fide S. Trinitatis S. Ecclesia approbat, & custodit quasi sit Catholicæ fidei articulus, *quod nisi quisque fideliter firmiterq; crediderit saluus esse non poterit*. Omnes Ecclesiæ Christi Prælati ligandi & soluendi in cœlo, & in terra obtinēt,

Matth. 16. & 18. Ioan. 20. Ioan. 21.

Tit. 1. 5.

1. ad Tim. 3.

Matth. 16. & 18. Ioan. 20. Ioan. 21. 14. & 16.

Epistola ad Eug. Tolet. Extat in vestusto codice templi Toletani.

Bibl. Patr. Tom. 4. part. 3.

largiente Domino potestatem, Romanus autem Pontifex ipsos cœli cardines, scilicet, Patriarchas, & sacros Pontifices potest claudere, & aperire, soluere & ligare. In scrinio cuius pectoris totius iuris summa consistit. Et cum aliorum Pontificum sit particularis, vniuersali Romani pontificis potestati in magno vel minimo præiudicare non potest, quin in pusillis & maioribus rebus omnium suæ voluntatis exerceat potestatem.

Hæc sunt S. Ecclesiæ septem quæ prælibauimus, sacratissima Sacramenta, quibus decore regio redimita Regi Regum sponso suo filio præclarissimæ MARIÆ Virginis IESV CHRISTO in sidereis mansionibus sperat omni fide ac desiderio sociari. Sacramentorum *Baptismi* est aula prima ad aulam imperatoris summi per fidē introeuntium, quo filij iræ filij Dei efficiuntur, & etiam peccati fomes magna ex parte extinguitur.

Sacramento *Communionis* corporis & sanguinis CHRISTI fidelium populus vnum corpus, capiti Christo connexum efficitur.

Sacramento *Confirmationis*, siue manus impositionis; quod idem est, sancti Spiritus gratia fidelibus augmentatur.

Sacramento *Matrimonij* Christi Ecclesiæ vnio figuratur, & corporalis viri & fœminæ commixtio seminum sine crimine agitur.

Sacramentum *pœnitentiæ* hominem lapsum in corruptionem facinorum post Baptismum, ad pristinum innocentiæ reducit statum; & etiam nonunquam largiente Domino maiorem virtutis & præmij gratiam confert. Sacramentum *vnctionis* infirmorum, à peccato hominem purgat, & plerumque corporis restituit sanitatem.

Sacramentum *Ordinis* decore splendoris sancti Spiritus cætera Sacramenta irradiat, Diaboli tenebras fugat veritatis lucem manifestat; persequitur hereses, errores cunctos interimit, gaudet cum gaudētibus ad exhortationem boni; flet cum flentibus ad consolationem doloris, & abdicationem mali operis. *Fit enim omnibus omnia, vt omnes lucrifaciat*: Benignitatis sinu colligit vniuersos, sic omnes diligens, vt omnium caute in manu forti persequatur errores: sine simulatione in Spiritu fortitudinis & lenitatis iudicat omnia, & à nemine iudicatur. Facit vnumquemque stare in gratia & ordine, quo vocatus est. Omne quod est præter hoc fidei Sacramentum, peccatum est, quia diabolica superstitio est. ad hoc tam sublime Sacramentum cum fide & timore, atque bonorum operum claritate accedendum est, vt lucerna ardens super huius celsum candelabrum Sacramenti luceat omnibus qui sunt in domo Domini.

1. Cor. 2. 1.

Matt. 5. 15.

Hæc sanctissima septem Sacramenta, septiformi sancti Spiritus gratia roborata, sacrosancta veneratur mater Ecclesia, quorum qui vnum negat, efficitur omnium reus.

De sacramentalibus, vt pedum lotione, ac Peregrinatione. An denique Monachis peregrinandum.

CAPVT XVI.

QVædam sunt alia pietatis opera, quæ dicuntur sacramentalia: vt est ablutio pedum: quam Dominus non solum præcepto docuit, verum etiam opere adimpleuit suæ passionis tempore. Et sancta peregrinatio, quam ipse Dei filius post resurrectionem suā proprio glorificato corpore cōsecrauit, cum in peregrini specie duobus discipulis euntibus in Emaus apparuit, & ab eis coacta inuitatione receptus, illis discumbentibus panem benedixit, & fregit, eisque tribuit, & se ipsum illis manifestauit. Sed illa pedum ablutio non inter præcipua computatur Ecclesiæ Sacramenta, quia tantum per eam venialium indulgetur venia peccato-

Ioan. 13. 5.

Luc. 24. 15.

rum, & humilitatis obsequia commendantur. Teste A
Ioan.13.10. namque Domino, *qui lotus est, non indiget, nisi vt pedes lauet:* ac si diceret. Qui mundus est à maioribus delictis, vt perfectus sit abluatur etiā à superfluis cogitationibus, ociosis sermonibus: & minoribus culpis. Quia dū sancti in vita præsenti degūt, difficillimū est, ita cautè viuere, quin saltē tenui venialiū puluere respergātur. Pes enim cum per terram graditur, ipsius terræ vel atomis in toto, aut in parte respergitur qui nisi abluantur frequenter, paruissimi pulueris sordidantur respersione frequēti. Non sunt ergo minima negligenda peccata, quæ plerumque contemptum generant, qui ducit ad mortem. Vnde Sapientia dicit: *Qui minima negligit, paulatim decidit:* & Augustinus. *Vitasti grandia, vide ne sabruaris arena.* Non est despiciendus medicus, qui minoribus subuenit morbis, ne inde maiora sequantur. Amplectamur huius cælestis medicaminis sacramentum, quo ipse minima nostra peccata, licet sint multa, lauantur. Nullus spernat medicinā, qui se nouit infirmum. Nullus spernat hoc sacramentum, qui se peccatorem fatetur. Nisi enim nos diuina misericordia lauerit, quorum iustitia, vt ait Propheta, est *sicut pannus menstruatæ,* non habebimus partem cum Domino in regno munditiæ claritatis illius. Sancta vero peregrinatio, non dicitur per se sacramentum, sed eo quod sit adiacens Pœnitentiæ sacramento. Est namque Pœnitentiæ satisfactio Angelis grata, odibilis spiritui immunditiæ. Hæc carnem atterit, immunda desideria repellit, mentem eleuat, deuotionem excitat, & totum hominem Deo facit suauissimum holocaustum. Tanta est sinceritatis huius sanctissimi operis, vt non solum supernorum spiritus & animæ C beatorum, sed etiam ipse Dominus Angelorum peregrinantibus nonnunquam visibiliter societur.

Eccl.19.1.

Isa.64.6.

Efficiuntur præterea Sancti peregrinis maxime debitores, eo quod eum tanto labore venerationis suæ gratia eorum memorias deuote orando visitauerint.

Notæ quorundam quæstioni claustralium, vtrum melius sit peregrinatio ad sanctorum memorias, quàm in claustro sub regula obedientiæ viuere, respōdere cōpellor. vt vtilitatem vitæ, eorum suffragiis in cælestibus valeam addisci. Verba Domini adsequendum se hominem inuitantis sunt hæc: *Qui vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam & sequatur me.* Qualiter autem nos ipsos abnegare, crucem tollere, atque ipsum sequi debeamus, nobis manifestat cum dicit: *Exemplum dedi vobis, vt quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis.* Hæc Domini perfectionis verba, non tantum ad aures corporis, sed etiam ad aures cordis perueniūt & cuiuslibet claustralis cum amore cælestium bonorum sancti Spiritus gratia mentem eius tetigit, vt rebus abrenūtiaret mundanis & obedientiæ vinculo se arctaret, proprium velle restringeret, dum voluntatem Prælati suæ voluntati anteponeret, se ipsum abrenunciat: quia voluntati suæ nihil proprij arbitrij reseruauit, vere secutus Dominum, qui dicit: *Non veni facere voluntatem meam, sed voluntatem eius qui misit me Patris.* Crucem suam tulit, & in eam ascendit nudus, quia promissione facta de proprio non habēdo seipsum excruciat fame, siti, nuditate, ieiuniis, vigiliis, orationibus, disciplinis, & aliis operibus bonis, quæ de ordinis rigore proueniunt. Videbitur forsitan quibusdam sæcularibus, me nō vera prosequi, dum dico claustralem virum fame, siti affici plerumque ac nuditate. Sed illi me vera prosequi approbant, qui experimento certo multoties his laborant. Huic, vt dictum est, in cruce pendenti caro, mundus & diabolus certatim clamoribus perstrepūt dicentes: *descende de cruce.* Clamat caro aliquando petēdo etiam necessaria, clamat etiam mundus delectabilia promittendo. Clamat diabolus ei per suos satellites acetum, & fel, in siti sancti desiderij offerendo, id est, hunc opprobriis & conuiciis lacessendo. Sed cum Dei seruum diabolus clauis timoris & amoris Dei affixum constanter viderit permanere, & vulnere charitatis latus mentis illius trā-

Luc.9.23.

Ioan.13.15. D

Ioan.6.38.

E

Matth.27.40.34.& 48.

fixum etiam pro inimicis orare, conuertit se ad calli da argumēta, & quem non valet à Deo separare, illatis cōtumeliis nititur deiicere virtutibus simulatis. *Transfigurat* siquidem *se in Angelum lucis,* quasi bonum suggerens, & qui prius dixerat, *descende de cruce,* nunc addens dicit: *Et credimus tibi.* Ac si diceret. Iam securus es de præmio tui laboris, quia per tot annorū curricula probatus, fidelis inuentus es, egredere ad peregrinandum, nullum opus bonū prætermittas inexpertum. Esto cæteris vitæ norma. Videant fratres tui opera tua bona, *vt luceat lux tua coram hominibus.* Si quidem si non perfecte prædicare poteris, tamen plures de vitæ æternæ studio admonere. Hæc suadet inimicus, non vt bona suggerat, sed vt seruum Dei qualicunque modo euertens, de cruce descendere faciat. & infirmis fratribus, ac iunioribus occasionem præbeat leuitatis, vt prætextu sanctæ peregrinationis extrauagandi, luxuriandi, habendi proprium, & aliorum scelerū inueniant causam, vnde corruat in peccatum: & sit cæteris perditionis exemplum, qui prius fulgebat exemplar virtutum. Multiformiter diabolus intendit euertere seruum Dei, vt per incautelam vnius plures possit ducere in infernum. Seruus autem Dei filium Dei semper habet præ oculis in cruce pendentem, & vsque ad mortem patri obedientem, qui non mouetur proteruis clamoribus insultātium infidelium & dicentium: *Vah qui destruis templum Dei.* Et post pauca: *Si Christus Rex Israel est, descendat nunc de cruce, & credimus ei.* Non ita scitur sibi acetū, & fel offerentibus, sed orat pro illis dicens. *Pater dimitte illis: non enim sciūt, quid faciunt.* Illud etiam, qui Deum sequitur, attendit sedulo, quod in ipsa mortis hora egit Dei filius, videlicet, quod *inclinato capite tradidit spiritum.* Non eleuauit caput moriendo, sed *inclinauit,* vt per inclinationē capitis magister humilis exemplum præberet humilitatis etiā moriēdo. In cruce perseuerauit pendēs vsque ad mortē, vt qui viuens dixerat: *Qui perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit,* moriens quoque sanctæ perseuerātiæ daret exemplum. Sanctissimæ etiam Virginis matris suæ fletibus & suspiriis non descēdit de cruce, vt hoc discāt exemplo viri religiosi etiam pia parentum suggestione, sanctitate præeminētium nullatenus à sanctæ professionis voto, & opere declinare. Hæc omnia facta, in Dei filio vir sanctus, qui carnem suam cum vitiis & concupiscentiis sæculo abrenuntiās crucifixit, peruigili solertia intuetur, & in sancta obedientia, quę melior est quā victimæ, optima parte electa desiderat permanere: & verus Christi imitator in bono opere perseuerat, & de cruce, quam ascendit, nullatenus vult descendere, donec in spiritu humilitatis, & animo cōtrito suum filius Dei offerat Spiritum. Sanctum quidem est peregrinationis exercitium, sed sanctissimum sanctæ obedientiæ votū, si vsque ad finem inconcussa mente firmiter teneatur: si vero quis in eo per diuersa studia cœperit permutari tāto (vt ait beatus Isidorus) à diuina se subtrahit charitate, quanto diuersarum rerum se studiis occupauerit. qui proinde obliuiscitur voti, quia capitur illecebris natiuitatis. Sanctum est peregrinationis officium sæcularibus, sed illis maxime, qui versatur in luxibus carnis: quia fatigatum corpus quærit requiescere: & mens afflicti ad Dominum cogitur suspirare. Sanctorum precibus infunditur Dei gratias pro labore, & fugatis Diaboli tenebris lumen Sancti Spiritus fulget in mente. Datur vltimo æternæ retributionis præmium laboranti, & beata quies in patria sine fine.

2.Cor.11.14.

Mat.5.16.

Matth.27.40.&42.

Luc.23.34.

Ioan.19.30.

Mat.10.22.

1.Reg.15.22.

An benedictio aquæ, cineris, frondium, candelarum, sit sacramentum.

CAP. CII.

QVia superius de septē sanctæ Ecclesiæ sacramentis fecimus mētionē, quæst. est quorūdā, an benedictio aquę, quę aspergitur super populū cineris in capite quadragesi-

dragesſimalis ieiunij; frondium iodominica in Ramis palmarum; cooſecratio cerei in Reſurrectione Domini, benedictio candelarum, & his ſimilia ad prędicta pertineāt ſacramenta; vel per ea omniom criminum remiſſio conferatur. Ad quæ nos charitas vrget reſpondere; quamuis imperitia ſua deat abſentare.

Dicitur *ſacramentum* ſacrum ſecretum, ſacrum mentis vel ſacræ rei ſignum. *Sacrū ſecretum* rectè dicitur, quia deuote ſuſcipientem ad illa ſacra perducit bona cœleſtiū ſecretorum, *quæ nec oculus vidit, nec auris audiuit, quæ præparauit Deus diligentibus ſe.* Hoc ſacrum ſecretum Ioannes in Apocalypſi *manna abſconſum* apellat, dequod ſubdit, *quod nemo nouit, niſi qui accepit.* Manna quidem populo veteri pro ſingulorum delectatione varium dabat ſaporem, ita vt vnus quiſque prout optabat, guſtus ſatisfaceret deſiderio, ingreſſu primo dulcem præiēdens ſaporem. Quid per manna dulce, vnius cuiuſque guſtui ſatisfaciens oiſi illa dulcedo cœleſtis patriæ intelligitur, vbi vnus quiſque fidelium, quidquid voluerit aſſequetur? Nullus inuidebit alteri, quia voicuiq; omnia optata ſuccedent. Hanc abſconditam beatorum dulcedinem, Propheta in ſpiritu ioſtuens, quam ſit inæſtimabilis, qoamq; ſecretā dicebat. *Quam magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abſcondiſti timentibus te.* Ad illud dolcedinis Dei ſecretum oon admittuntur, niſi ſacri. s. ſinceri Eccleſiaſticis ſacramentis à peccato mundati.

[1.Cor.2.9. Apoc.2.17. Sap.16.20. Pſal.30.]

Dicitur etiam *ſacrum mentis*, eo quod in intentione ſacramentum dantis, vel accipientis, aut vtrioſque conſiſtit. Si enim is, qui baptizat, non intendit ſacri baptiſmatis ſacramentum perficere, nec is, qui baptizatur accipere, neque etiam fit auctoritate Eccleſiæ, Sacramentum oon eſt credendum quod agitur, ſed ablutio corporalis.

Dicitur & *ſacrā rei ſignum*, quia prætereſt, quod ingarit oculis, ſiua ſenſibus aſſiſtentium, & aliud facit diuinitas aſſiſtere intellectu, vel ſinu fidei, vel gratia, quando ſacrificium corporis *Chriſti* à ſacerdote geritur in altari, forma, color, odor, & ſapor panis ſe iogerit oculis, ſiue ſenſibus aſſiſtentium: ſed Deus & homo *Ieſus Chriſtus* ſe fidei repreſentat fidelium omnium, dilatato mentis ſinu, idem etiam multi iuſtorum, quibus reuelauit Deus per Spiritum ſuum, capiunt intellectu. Sigoom enim aliud eſt ab eo quod ſignificatur per ipſum. Ita ſacramentum aliud videtur exterius, interius autem ineffabile eſt, & incomprehenſibile, quod per exterius comprehenſibile demonſtratur.

Secundum has ſacramenti deſcriptiones poſſunt præmiſſa Sacramenta vocari, quæ tamen ad decorē ſpectant ſacramentorum principalium & per ea leuia maxime dimittuntur peccata. Moyſes iubente Domino immiſſione ligni, aquas Marath amariſſimas potabiles fecit. Et Heliſeus, pulmentum vitis ſilueſtris amaricans dolcorauit farina; atqoe ſale aquas ſteriles curauit Samarię. Hęc omnia, Apoſtolo teſte, in figura illis contingebant. Erāt enim vmbra veritatis futuræ, ſicut per mare rubrum nactum figurabatur Baptiſma, ita & per alia quæ fiebāt ab illis figurabantur cætera Eccleſię ſacramenta. Immiſſione ligni pes Moyſen dolcoratas aquas Marath intelligitur ligno pretioſiſſimo Crucis Chriſti per Catholicos ſacerdotes fugari à labilitate humani generis amaritudioes peccatorum & virtutum dolcedioem in cordibus fideliū ſuboriri: Vbicumque ſignum ſanctæ crucis à miniſtris Eccleſiæ geritur, Regis noſtri victoria declaratur, & poteſtas confringitur ioimici. Tanta eſt virtus à Domino collata huic ſacratiſſimo ſigno, vt quidquid eo fuerit ſignatum à ſacerdotibus, ſanctificetur inuocatione nominis IESV CHRISTI. Quid per farinam, qua dulcoratum eſt Heliſei pulmētum vitis ſilueſtris, niſi benedictio quæ fit quotidie à ſacerdotibus ſecundum traditionem patrum in oouis frugibus, & fructibus, & in pane benedicto poſt conſecrationem Chriſti corporis intelligitur, aot etiam in omnibus cibariis, quæ ab infidelibus reputantur ſilueſtria vel immunda, de quibos dicit Apoſtalus, quis

[Exod.15.25. 4.Reg.4.41. & 4.Reg.2.21. 1.Cor.10.2. & 11.]

A *ſanctificantur per verbum Dei & orationem*: & quia ſubtiliſſimæ, atqua innumerabiles ſunt fraodes, quibus diabolos humanum genus intendit decipere, quaſi ea multis farinæ atomis diuerſa nobis Dominus præbet armā defenſionis, vt ſemper Chriſtianus inueniat Sacramenta, quibus antiquum feriat inimicum. In illa noua Heliſeus ſal miſit, & aquis immiſcuit, quo mors & ſterilitas pulſa eſt: quia tempore nouæ gratiæ, qoodcumque quod diſcretione præuia ab Eccleſiæ miniſtris in aquæ ſanctificatione, vel aliarum geritur rerum, diabolus, qui eſt mors, à fidelium cordibus pellitur, & fœcunditas bonorum operum propagatur. Fugantur præterea morbi corporei, & dæmonum eliminantur incurſus, vt ea his queat homo percipere, quanta bona etiam minimis Sacramentis Eccleſiæ, inuiſibiliter hominibus conferantur. Sed quia ſuot nonnolli, qui Moyſi & Heliſei noo mouentur exemplis, dicentes potius eſſe miraculū adſcribeoda, quę à sāctis Prophetis diuinitus ſunt patrata, illod Saulis, qui
B Propheta noo erat, ſed princeps tantum, in medium proferamus.

[1.Tim.4.5.]

Legitur in libro Regum, quod reuertente populo Iſraël à cæde Philiſtinorum veſpere, ac præ nimia eſurie pecudes mactante, atque contra legis prohibitum cum ſanguine comedente, Saul fecit ſaxum magnum aduolui, & ſoper eum carnes interfici, vt populus comedens cum ſanguine non peccaret. Quæ potuit hæc eſſe viri laici, licet Regis vis tanta diſpenſationis, vt delinquētis populi auferret peccatum? Nonne incōmparabiliter eſt maior auctoritas ſacerdotum Eccleſiæ Chriſti, quibus per Spiritum ſanctum dimittendi peccata, hoc eſt, pœnā peccati, & conficiendi corporis & ſanguinis Domini ſacrificiom eſt collata poteſtas, vt quidquid ab eis ſecundum Eccleſiæ conſtituta digne agitur, & ſanctificatur, ab
C eo agi, & ſanctificari credatur, qui iu ſe credentibus maiora ſe facturos promiſit. Qui etiam dixit: *Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus vſque ad conſummationem ſæculi.*

[1.Reg.14.32.33 & 34. Mat.28.20.]

Teneant ergo fideles ad ſalutem corporum, & remiſſionem venialium criminum etiam minora Eccleſ. ſacramenta, & non negligant ea; quæ ſibi miniſtros Eccleſiæ à Domino miſericorditer conferuntur. Licet enim per ſeptem principalia ſacramenta à maioribus ſiot expiari criminibus, tamen quia, vt ait Apoſtolus Iacobus *In multis offendimus omnes*, oſtenſas minimas excuſſo torpore diluamus, ne de contemptu à Domino diſtrictius iudicemur. Et quia peccatum eſt plerumque pœna peccati, qui minora negligunt in maiora labuntur, vt inde amplius iudiceotur, vnde dicit Hiſpaniarum Doctor Iſi-
D dorus.

[Iacob.3.2. De ſum bon l.2.cap.19.]

Iudicio diuino recto io nequiora labontur, qui diſtringere minora ſoa facta contemnaot: ſæpe peccatum cauſa eſt peccati alterios, quod committuroe: & aliud ex ipſu, quaſi ſoboles oritur: Debemus itaque extirpare minima, ne pariant maiora: quæ ſemper in nobis cernimus quotidie pullulare. Quamuis enim à maioribus ſancti viri abſtineant; aut vix, aut nunquam poſſunt à minoribus abſtinere.

Iſidorus. Multi vitam ſine crimine habere poſſunt, ſine peccato non poſſunt. Nam quamuis in hoc ſæculo magna iuſtitiæ quiſqoe claritate reſplendeat, nunquam tamen ad purum peccatorum ſordibus caret. Ioann. Apoſt. atteſtante, quia ait: *Si dixerimus, quia peccatum non*
E *videmus, ipſi nos ſeducimus, & veritas in nobis nō eſt.* Multa peccata leuia vnum grande efficiunt, ſicut ſolēt paruis & minimis guttis immenſa flumina creſcere. Numeroſitas enim in vnum coacta exundantem efficit copiam. Amplectenda ergo ſunt à nobis omni deſiderio hæc, quę in principio huius capituli poſuimus etiam minora Eccl. Sacramenta, per quę nobis à Domino indulgentia venialium delictorum, victoria de diabolo, honeſtas vitæ, atq; corporum datur ſalus.

[Ibid.cap.18. 1.Ioan.1.8.]

Cum quilibet Chriſtianus, maxime miniſter Eccleſ. *Chriſti* Diaconus, vel ſacerdos debeat in ſe bene viuere,

& aliis fama & honestate fulgere, qui famam bonam & honestatem deserit, se profecto apud Deum culpabilem reddit, qui lucem bonæ famæ, & honestatis cæteris subtrahit. De huiusmodi diuina sapiétia dicit: *Qui abscondit* Prou. 11. 26. *frumentum maledicetur in populis.* De his autem qui verbo prædicationis, exemplo boni operis, fama sanctitatis, ostensione honestatis aliis lucent, subditur. *Benedictio domini super caput vendentium illud.* Vendere frumentum sacris Eccl. ministris corporis & sanguinis Domini Sa- Iere 15. 19. cramentorum Eccles. & aliorum bonorum operum cógruit: ita vt sciant pretiosum separare à vili, & iustum pretium exigere ab emptoribus. Prius debet cósiderare dignitatem eorum qui veneunt: honeste ac digne merces tractare pretiosissimas, venales * in emptorum oculis: & vile putent, quod viliter tractatur ab ipsis venditoribus. (* ne vilescant.) Sed inæstimabili digno pretio Sacraméta nihil aliud ad sui venditionem exigunt, nisi totum hominem qué Dominus *Iesu Christus* pretio magno sui sanguinis comparauit, sicut Apost. discipulis dicit. (1. Cor. 6. 20. 1. Cor. 4. 1. 1. Th. 4. 6.) *Empti enim estis pretio magno, glorificate, & portate Deum in corpore vestro.* Dispésator igitur mysteriorum Dei, qui vult caute negotiari, habet, quem imitetur prudentissimum mercatorem CHRISTVM, vt non circumueniatur, neque circumueniat in negotio fratrem suum. Qui enim in hoc negotio aliud quærit, quã salutem animarum, decipit, & decipitur, quia tam ille qui vendit quam qui emit, cú Simone Mago æternæ perditionis habetur reus. Gratis sunt danda, gratis accepta CHRISTI Ecclesiæ sacraméta, quorum comparatione vilissima sunt omnia temporalia. Eorum competens pretium CHRISTVS est, qui est caput Ecclesiæ cum fidelibus omnibus qui sunt mébra eius. Tanti ergo pretij Sacramenta in magno honore & reuerentia à ministris Ecclesiæ sunt habenda, vt ad eorum deuotionem etiam fideles laici incitentur, vt salutem corporum & remissionem peccatorum per ea se gaudeant percepisse. Honestas ministrorum Ecclesiæ grauitate morum & compositione eorum, quæ ad Sacramenta pertinent, declaratur. Eorum autem incompositio est populi Christiani deiectio. Nã quod illi negligunt, populi statim despiciunt, & fiunt illis exemplum perditionis, quibus esse debuerant causa salutis. Et qui pro suis delictis tenebantur tantum reddere rationem, negligentiæ causa, & prauo exemplo pro suis & subditorum excessibus tenentur æternaliter cruciari. (3. par. Pastoralis adm 5.) Vnde ait beatus Gregorius. Scire debent, qui præsunt, quia tot mortibus digni sunt, quot perditionis exempla ad subditos transmiserunt.

Isidorus Plerique sacerdotes & clerici praue viuentes forma cæteris in malis existunt, qui in bonis exemplum esse aliis debuerunt. (De sum bon. 3 cap. 28.) Hi enim quoscunque exemplo malæ conuersationis perdunt, de illis rationem sunt sine dubio reddituri. Deteriores sunt, qui siue doctrinis seu exemplis vitam, moresque bonorum corrumpunt, his qui substantias aliorum prædiaque diripiunt. E contra illi, qui bona spiritualia benigne & honeste aliis cóferunt, etiam de profectibus aliorum præmium sibi sãctæ retributionis adquirunt. Igitur caute debent Ecclesiæ ministri inter sacramenta, exercitia gerere honestatis, & altaria sacra, vasa sancta, & omnia illa quæ ad cultum Sacramentorum accedunt, vt est aqua benedicta, cereus consecratus, incensum, cinis qui fit ex benedictis ramis palmarum, sacræ vnctionis oleũ, baptisterium, & cætera his similia, quæ à Patribus sanctis sunt tradita, & antiqua cósuetudine approbata, omni honestate deuotissime venerari, & per ea nobis & proximis Dei misericordiam implorare. Nullius nouitatis assertores ab eis aliquatenus deuiare. Proprium est enim elatæ scientiæ, quæ tempestatibus nostris nititur dominari, nouitates semper quærere, aliosque ad sequendum se trahere. Quos vero non potest ducere ad sequelam, persequi & odire. Anhelat clarus, sapiens legislator videri, & multoties dictis Patrum detrahere non veretur. Oriuntur plerumque ex tali præsumptione schismata, & errores

A quibus inimici veritatis pascuntur hæretici. Immutationibus Ecclesiasticarum cósuetudinum deiiciunt simplices, & non esse vera, vel sancta quæ à Patribus sunt statuta dubitare compellunt. Horum proteruiã sapientum Hispaniarum Doctor Isidorus procacem præsumptionem reprimit cum dicit: Antiquæ & approbatæ cósuetudines Ecclesiæ Dei non debent aliquatenus immutari, nisi euidens communis vtilitatis, aut ineuitabilis emergat necessitas. Humiles autem, & veritatis Doctores, qui propriam gloriam recusantes, quærunt ea quæ Dei sunt: & non declinantes ad dexteram, neq; ad sinistram sanctorum Patrum imitantur vestigia, doctrinam deuotissime amplectuntur, tantoque propensius alios ad hæc obseruenda studét inducere, quanto potiora bona per ea credunt hominibus cælitus impertiri. Primi semper Ecclesiæ sanctæ minoribus etiam Sacramentis

B per ea cupientes mundari, à leuioribus saltem culpis timida sollicitudine præcauentes ne illis pro grauissimis imputentur. Teste namque beato Isidoro, tanto maius cognoscitur esse peccatum, quanto maior, qui peccat, habetur. (De sum bon. l. 2 c. 18.) Crescit enim delicti cumulus, iuxta ordinem meritorum. Et sæpe quod minoribus ignoscitur, maioribus imputatur.

De concordia Gregorij & Isidori.

CAPVT. IV.

Considerare restat hilari deuotione, quanta concordia Catholicæ fidei *Gregorius* & *Isidorus* præcones clarissimi conueniant testimonio veritatis, vt si præcurrat quis sedulo beati Gregorij libros, beati Isi-

C dori fere omnia dicta inueniat. Et rursus si legat Isidorum totum in eo fere Gregorium apprehédat: vnus quidem, atque idem Spiritus per ora illorum, eandem sententiam protulit, sicut & in Septuaginta interpretibus legimus præcessisse. Quamuis hæc duo magna cæli luminaria essent spatiis terrarum seiuncta, tamen in vnitate sancti Spiritus adunati, eadem vtrumque sententia redolebat, vt in ore sanctissimorum duorum testium veritatis testimonia firmarentur. Omnes alij S. Doctores eisdem sunt sententiis iuncti, vocabulorum autem varietate diuersi. Isti vero ita iunguntur sententiis, vt etiam verba in plerisque locis eadem videantur. Hac de causa quibusdam locis, vbi vnius protuli testimonium, alterius silui, quia sententiam eandem eisdem verbis repeterem. Sed fortassis dicet aliquis, Beati Gregorij libri omnes ad Isidorum peruenerunt, ex quibus non solum sententiam verum etiam verba tulit. (Cap. 16.) Conuincitur hoc non esse verum, cum beatus Isidorus in libro virorum illustrium, vbi beatissimum hunc Patrem *Gregorium* præ cunctis laudat Doctoribus, quosdam libros eius *Morales*, atque *Homelias* sibi incognitas esse fatetur. Et enim de libris eius faceret mentionem, librum *Dialogorum* & *Homelias super Ezechielem* silentio prætermisit. Libri etiam *Morales* beati Iob ad eum integre minime peruenerunt, quia post eius obitum Cindasuindi, Hispaniæ Regis tempore per Taionem Cæsaraugustanum Episcopum residui libri, quos beatus Leander non habuerat in Hispaniam sunt aduecti. Fateamur ergo eorum scripturas per Spiritum sanctum concordes, vt dictum est, & non ex suffragiis mendicatis, tam insignes Ecclesiæ Dei philosophos concordare.

Mortuorum

A

Mortuorum animæ viuis apparent.

Capvt V.

QVia superius dictum est, sanctos Angelos in ministerium defensionis, & salutis humani generis missos, nonnunquam inter homines degere, & sanctorum animas ad solatium morientium istorum, & ad sacra loca frequenter accedere, multi superstitiosa furia agitari dicunt deridendos eos, fœtores & immunditias hominum atque animalium contingere posse. Qui ne in tali errore permaneant, aut labantur in deterius, sunt illis de scripturis sacris aliqua proponenda.

Dan. 3. Tribus quidem pueris missis in caminum ignis ardentis profuit illis flamma ad solatium, & non obfuit ad supplicium, ita vt vincula eorum vreret, & illos in nullo penitus tristitiæ nubilo offuscaret. Vnde scriptura ipsa testatur dicens? *Illos omnino non tetigit ignis, neque contristauit, nec quicquã molestiæ intulit.* Præmissum fuerat, quod flamma incendit, quos reperit iuxta fornacem de Chaldæis ministros regis. Quo facto rationabiliter potest aduerti, quod sicut illos qui adhuc corruptibiles erant corpore, sed incorruptibiles fide, corruptio ignis non attigit, & infideles flamma combussit: Ita sanctorum spiritus licet plerumq; sint inter homines, inferioribus corruptionibus & immunditiis: tristari vel contaminari non possunt; cum immundi spiritus vbicunque sint omnia illis cedant ad augmentum pœnarum. Sicut enim *omnia sunt munda mundis* ad laudem gloriæ: ita immũdis omnia sunt immunda ad vituperium immunditiæ, more hominis in accessione febrium æstuantis, qui in psallentiũ choris, & tripudiantium gaudiis nullo solatio gratulatur: ita spiritus immundi vbicumque sint, etiam inter filios Dei coram Domino pœna intolerabili cruciantur, & inuidiæ liuore semper tabescunt, vt ait beatus Isidorus, est diabolus rabidus canis ligatus ad stipitẽ ne seruis Dei nocere possit, nisi permissus. Sicut igitur nulla quies est cani rabido, sed vsque ad mortem continuus dolor; ita cuncti immundorum spiritus vbicumque sint concomitantur eos sine intermissione dira supplicia. Sanctis autem, qui regnant cum Domino, vbique locorum quo affuerint, beata requies est, quia vbicumque sunt Dominum contemplantur.

Matt. 18.10. Vnde dicit veritas Euangelica. *Angeli eorum semper vident faciem patris*, vt Angelus, ita iusti perfecti animis de ergastulo carnis erepta. Est enim verus Sol iustitiæ Deus, à quo in omni loco illuminantur sancti, eumq; semper cum gloria contemplantur, qui vbique totus per præsentiam maiestatis, in quo ineffabiliter omnia, etiam quæ fiunt ab hominibus, absque sui tædio intuentur. Ad hoc probãdum illud videtur accedere quod sanctissimus

2. Dial. c. 35. Pater Gregorius de beato refert Benedicto: qui quadam die adhuc eo in carne degente; dilato mentis sinu ab vno solis radio totum mundum ante se vidit collectum. Si hoc potuit homo mortalis, quo modo hæc vel maiora

4. Dial. c. 24. non poterunt à morte liberi spiritus beatorum! Et beatus Gregorius, cum dicit Apostolorum principem Petrum in Ecclesia sua intempestæ noctis silentio, cuidam, nomine Colliberto, reficienti lampades apparuisse, subiungit, dicẽs. Quã in re, quid idem beatus Apostolus seruientibus sibi voluit, nisi præsentiam sui respectus ostendere. Quia quidquid pro eius veneratione agerent, ipse pro mercede retributionis sine intermissione semper videret. His manifestum est spiritus beatorum semper omnia contemplari: & quamuis aliquando sint inter homines humanis sordibus nõ tristari, nec eorum munditiam simplicissimam corporeis immunditiis vel fœtoribus maculari, quibus omnia sunt munda, odorifera, & pacata. Illis igitur nostra curemus deuote post Deum exhibere seruitia; à quorum oculis vel memoria non recedit quidquid nostra modicitas ex deuotione curauerit impendere illorum magnitudinis excellentiæ.

De diuinis sacrificiis & claustrali officio.

Capvt VI.

EXigit fratrum charitas, vt breuiter aliqua de diuinis sacrificiis disseramus, quibus placatur Dominus, sancti Angeli gratulantur, beatorum animæ gloriantur. Ij qui sunt in purgatorio liberantur, dæmones confunduntur, & etiam fideles in huius vitæ exilio quodammodo Angelicis spiritibus sociantur, atque æternorum bonorum effecti participes à calamitatibus & ærumnis præsentis sæculi releuantur.

Primum & sanctissimum est corporis & sanguinis Domini sacrificium, quod nihil aliud sub panis & vini specie est, quam verus Deus & verus homo Christus Iesus.

Est & sacrificium laudis, de quo voce Prophetæ Dominus dicit. *Sacrificium laudis honorificabit me, & illic iter,* Ps. 47.53.

B *quo ostendam illi salutare Dei*: vnde dicit Apostolus: *Offeramus hostiam laudis semper Deo, id est fructum labiorum nostrorum confitentium nomini eius.* Heb. 13. 15. & 16. De sacrificio communionis corporis & sanguinis Domini, & bonorum operum idem Apostolus loquens ait: *Beneficentiæ autem & communionis nolite obliuisci. Talibus enim hostiis promeretur Deus.*

Est etiam sacrificium vociferationis siue iubilationis; de quo dicit Propheta: *Circuibo & immolabo in tabernaculo eius hostiam vociferationis, cantabo, & Psalmum dicam Domino.* Ps. 26. 6. Alia translatio habet: *hostiam iubilationis. Iubilus* est mentis gaudium, quod homo intra se cohibere non valens, in vocem verbis non expressam erumpit.

C Hoc sacrificium Deo plerumque offert Ecclesia, quando in Sacrificio laudum sine verbis pneumata canit. Hoc præfigurabatur per Hieremiam cum se audit à Domino sanctificatum in vtero, & Prophetam gentibus constitutum ac diceret: *A. a. a. Domine Deus, &c.* Ier. 1. 6. Quis non credat has voces ex immanitate gaudij processisse. Hoc sacrificium salutare intelligendum est, plus deuota voce fieri, quam clamosa. Debet tamen esse clamosa honesta pro loco & tempore, vt omnia quæ à Deo accepimus in eius sacrificiis & obsequiis expendamus. Repræsentamus etiam hac vociferatione illa nobis bona futura post carnis dissolutionem, quæ verbis explicari non possunt. In fine Antiphonarum canitur hoc pneuma post ternos, vel amplius Psalmos, quia post cordis contritionem, oris confessionem, & operis satisfactionem quisque efficitur dignus inexplicabilibus gaudiis Angelorũ.

D Cum deuotione ergo vociferationis Deo debet hostia immolari, quæ nobis ineffabilium bonorum gaudia repræsentat. Est etiam aliud Deo acceptum sacrificium contriti cordis. Ps. 50. 19. De quo dicit Propheta: *Sacrificium Deo, spiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum Deus non despicies.* Hoc sacrificium est salutaris hostia pro peccato, quando quisque de perpetrata iniquitate conuertitur, ac confunditur, & roboratur Spiritu, vt per pœnitentiam obtinere Dei misericordiam mereatur. De hac contritione, siue sancta tristitia Apostolus dicit: *Contristati enim estis ad pœnitentiam secundum Deum. Quæ enim secundum Deum tristitia est, pœnitentiam in salutem stabilem operatur.* 2. Cor. 7. 9. & 10. Est præterea perfectorum sacrificium, scilicet mortificatio carnis in confessione Christi nominis, pie

E viuendo in hoc sæculo; aut si tempus instet persecutionis corpus exponendo martyrio. De hoc sacrificio Apostolus dicit: *Obsecro vos per misericordiam Dei, vt exhibeatis corpora vestra hostiam viuentem, sanctam, Deo placentem.* Rom. 12. 1. Vnde Gregorius: Fidenter dico, quia salutari hostia post mortem non indigebimus, si ante mortem Deo ipsi hostia fuerimus. 4. Dial. c. 60.

Isidorus. Qui se ipsum sanctæ obedientiæ præcepta sacrificium Deo immolat, ad carnis immunditias, iterum non recurrat, vt hostia munda, & immaculata

ante Deum acceptabilis habeatur. Ad hoc Deo acceptabile sacrificium qui digno accedit, sacrificiom corporis & sanguinis Domini laudis, vociferationis, bonorum operum, contriti cordis, & orationis, de quo dicitur: *Dirigatur oratio mea, sicut incensum in conspectu tuo* pro salute sua viuorum & mortuorum expiatione, digne Domini poterit immolare. (Ps. 140. 2.) Qui autem per varia mundi desideria variantur, quia sunt mercenarij nō pastores, quia temporalis lucri tantum denarium quærunt, aliis pro quibus hæc offerunt sacrificia, prosunt, ipsi à mercede retributionis æternæ vacui remanent. Consideret ergo claustralis quisque, qui se ipsum integre vouit Domino sacrificium, ad hæc nomini sancto eius sancta sacrificia continue immolandum, si causa peregrinationis, vel etiam alterius boni operis ab istis sanctissimis operibus debeat aliquatenus declinare. Hæc namque sunt, quæ sanctos Angelos quodammodo hominibus iungunt, vt etiam eorum vocem audire desiderent, sicut in Cantico spiritualis amoris legitur: *Quæ habitas in hortis, amici auscultant te, sonet vox tua in auribus meis.* (Cant. 8. 13.) Quid per hortos, nisi claustra seruorum Domini intelliguntur, vbi virtutum nutriuntur plantæ, irrigatione riuulorum scripturarum sanctarum. Hæc viri iusti inhabitant, qui mundum viuentes deseruerunt vt morerentur peccato, viuerent autem Domino in voce exultationis & confessionis in sanctis suis assidue Dominum collaudantes. Amicus est Dominus noster IESVS CHRISTVS, qui dicit: *Iam non dicam vos seruos, sed amicos meos.* (Ps. 4. 5.) Sunt etiam amici sancti Angeli, quibus gaudium est in cœlo super vno peccatore pœnitentiam agente, & humanis profectibus semper pie ac sedulo administrant. Hi sancti amici vocem laudis Deo psallentium audire desiderant in conspectu quorum se Propheta psallere optat dicens: *In conspectu Angelorum psallam tibi.* (Ps. 137. 1.) Quicumque igitur Presbyter sæcularis, vel cuiuslibet ordinis claustralis, nisi cogente necessitate ab horum conspectu se subtrahit, qui vt ab amico recedat *ad excusandas excusationes in peccatis* quærit occasionem, audiat quid de illo diuina sapientia dicit: *Occasiones quærit, qui vult ab amico suo recedere, & omni tempore erit exsecrabilis.* (Ps. 140. 4. Prou. 18. 1.) Sicut planta extra hortum, aut vix, aut nunquam fructus ad maturitatem potest perducere; sic presbyter vel Diaconus gyrouagus, aut claustralis quilibet sine diuturna virtutum experientia præcedente, æternæ dulcedinis fructus afferre non possunt. Et quamuis claustrales gyrouagi huius scripturæ gratia me habeant odiosum (quia claustrales rectè viuentes præ cunctis iustis æstimo sanctiores) ad correptionem oberrantium, cuiusdam sapientis proferam exemplum dicentis.

Claustralis, inquit, inquietus & gyrouagus more asini, sine regimine semper in porta monasterij vel in plateis vacans vanitatibus reperitur, donec in pascua luxuriæ prolabatur. Et vt beatus Augustinus asserit, *sicut bono claustrali nemo melior; ita malo nemo deterior inuenitur.* (Epist. 137 extrema.)

De sanctis Doctoribus.

CAP. VII.

DOminator humani generis omnipotens Deus considerans hominem à malignis spiritibus multiformiter impugnari, vt fragilitatem hominis misericorditer releuaret, per vterum Virginis totum assumpsit quod est hominis, præter peccatum, vt homo coniunctus Deo, hominibus fieret auxilium contra versutias inimici. Et quia innumerabilibus Dæmonum fallaciis manifestis & occultis insidiis homo deijcitur per peccatum, ita vt quandoque dum nititur vitare maiora crimina, labatur in minora innumera: & de minimis granis grandis aceruus efficitur per contemptum, diuersa Dominus medicamina, & arma maiora, & homini contulit ad curam inflicti vulneris per peccatum, & ad resistendum forti armato per diuinum auxilium. A Ad curam quidem vitiorum secundum eorum numerum, septem nobis contulit principalia Sacramenta. Ad curam vero culparum leuium dedit etiam Sacramenta minora, vt homo, qui quotidie labitur, continue sancti inueniat medicamina Sacramenta, quibus releuetur & offensum Deum diuinis possit placare muneribus. Et quia illi soli peccamus, ipse nobis misericorditer donat, vnde illi nostræ redemptionis pretium offeramus qui semper paratus est hominum miseria misericordiam implorantium subuenire. Dedit etiam nobis sancta, quæ superius retulimus sacrificia, quibus Diabolo resistere, & apud Deum beatæ retributionis præmia consequamur. Hæc igitur sanctissima Dei dona, quæ nobis salutem mentis & corporis conferunt, & immortales efficiunt, cunctis sunt rebus pretiosioribus præponenda, & in his est Dei seruis, secundum sanctorum Patrum institutiones deuotissime militandum. B Sunt enim sancti Patres nobis cælestia luminaria, splendore sanctarum doctrinarum via cœlestis patriæ illustratur, vt ambulent in lucem Christicolæ, ne in tenebris errorum offendant. Inter quos gloriosissimi Gregorius, Augustinus, Hieronymus, & Isidorus, quasi luciferi inter sidera supernæ sapientiæ lumine decorantur. Organum Spiritus sancti Gregorius morali, ac præclara sanctarum Scripturarum declaratione præminet summus. Malleus hæreticorum fortis summus Augustinus acutissimis sententiis veritatis fulget præcipuus. Ecclesiæ splendor Hieronymus lucida & verissima translatione noui & veteris Testamenti præfulget. Clarissimus Philosophus Catholicorum Isidorus tam etymologus, quam rerum naturis disserendis, scientiarum & linguarum varietate inter Doctores obtinet principatum.

C Tantam DOMINVS noster IESVS CHRISTVS horum vnicuique diuersitate gratiarum in vnitate fidei contulit excellentiam, vt rectè de quocumque illorum cœlesti tripudio canet Ecclesia: *Non est inuentus similis illi.* (Eccl. 44. 20.) Quid de sanctissimo dicam Ambrosio, qui omnium charismatum donis ita refulsit, vt plenus gratia, sapientia, & fortitudine à CHRISTI fidelibus merito prædicetur. Gloriosissimos etiam Doctores, Hilarium, Leādrum, Fulgentium, Ioannem, & beatissimum Bernardum sancta Ecclesia veneratur, quorum fulget doctrinis & patrociniis adiuuatur. (Mat. 13. 43.) Sūt & alii plures Doctores sancti, fulgentes sicut Sol in Ecclesia Christi, sanctorum Doctorum præcedentium gressu inuariabili, sequentes vestigia fidem Catholicam verbo & opere prædicantes, sanctissimæ Romanæ Ecclesiæ summo Pontifici illibatam obedientiam præstantes, sanctarum Scripturarum elucidantes obscura. Superstitiones & hæreses veteris & D noui Testamenti gladiis viriliter persequentes, qui tanto ab hæreticis, & superstitiosis Catholicis, qui nouitatibus semper gaudent, habentur exosi, quanto per eos suam cernunt persequi ac detegi prauitatem. Superstitiosi Catholici, nisi resipiscant, ab hæreticis parum discrepant, quorum facti sunt præcursores, dicentes gloriosissimos Augustinum, Gregorium, Isidorum & cæteros Patres, aut idiotas, vel imperitos Philosophos extitisse. Quibus stultis & insipientibus Ecclesiæ CHRISTI præclarissimus Philosophus laudatis Patribus, Gregorio, Augustino, & cæteris Doctoribus sacris subinferendo respondet, dicens: Omnia, quæ sunt de scientia philosophicæ intentionis ipsi scimus: quod autem est nostræ scientiæ, nescierunt: quia nobis reuelauit Deus per Spiritum suum. (1 Cor. 2. 10.) E Audiant superstitiosi, qui philosophos mundi Platonem, Aristotelem, & cæteros nostris veris Philosophis anteponunt Ecclesiæ doctoribus, Erubescant, & sileant, quia Spiritus qui viuificat, docuit istos omnem veritatem: cuius doctrina Spiritus & vita est: ad quam nemo poterit peruenire nisi ab istis acceperit, qui sunt conscii secretorum Dei. Illi, sicut ait Apostololus, *cū cognouissent Dominū, non tanquam Dominum glorificauerunt, sed euanuerunt in cogitationibus* (Rom. 1. 21.)

cogitationibus suis. Isti autem, vt ait sponsa in Canticis *Cant. 34.* spiritualis amoris, *Quæsierunt eum & inuenerunt: tenuerunt nec dimiserunt*, donec cum eo æternæ quietis cubiculum intrauerunt. Hi sunt Dei Patris amatores sapientiæ, in quibus totius honestatis veræ scientiæ, & sanctitatis summa consistit. Quorum prudentiæ ac scientiæ nulla est omnium philosophorum scientia comparanda. Quia quantum excedit Spiritus carnem, ratio sensum, fides opinionem, scientia fidem: postremo creator omnem creaturam; sic Ecclesiæ S. Doctores omnium philosophorum transcendunt doctrinam, & Theologiæ scientia omnium peritissimorum mundi prudentiam. Denique quantum excedit vita mortem, tantum excedunt Doctores Ecclesiæ Philosophorum studia. *Quia mundi sapientia, stultitia est apud Deum*, sed miseri, & miserandi mundi sapientes propter simplicem eloquentiam, Dei despiciunt sapientiam, qui tantum quæritantes peritiuri mundi gloriam, facetis, & inflatis vanitatis sibilo verbis, malunt videri, De quibus Ecclesiæ *Christi* philosophus peritissimus à spiritu sancto doctus Isidorus dicit. *1. Cor. 5.* Qui de sapientia laudari affectant, loquentem Prophetam attendant: *Væ qui sapientes estis in oculis vestris, & coram vobismetipsis prudentes.* *Isa. 28.* A sentiendo *sententia* dicitur: ac per hoc arrogantes, qui sine humilitate dicunt, de sola scientia dicunt, non de sapientia. Illa enim sapit, qui recte & secundum Deum sapit. In suam dicuntur contumeliam doctores, si dum sint ab eis dicta sapienter, nimium tamen loquenter. Horret enim sapientiæ spiritus verborum ambitum ac facundialis eloquentiæ inflatis sermonibus peroratum. Item idem. *Lib. 3. de sum. bono. c. 13.* Quidam plus meditati delectantur Gentilium dicta propter tumentem & ornatum sermonem, quam scripturam sanctam propter eloquium humile. Sed quid prodest in mundanis doctrinis proficere, & inanescere in diuinis? Gentilium dicta exterius verborum eloquentia nitent, interius vacua virtutis sapientia manent. Eloquia autem sacra exterius incompta verbis apparent, intrinsecus mysteriorum cœlestium sapientia fulgent. Fastidiosis atque loquacibus scripturæ sanctæ: minus propter sermonem simplicem placent. Gentili enim eloquentiæ comparatæ videntur illis indignæ. Sæpe reperitur composita falsitas, quæ hominem suis erroribus illiciat, & per linguæ ornamenta laqueos dulces aspergit. Quanto maiora fuerint mundanæ scientiæ literaturæ studia, tanto animus arrogantiæ fastu inflatus maiori intumescit iactantia.

Item idem. Nunquam consequuntur legendo perfectam scientiam arrogantes. *Lib. 3. de sum. bon. c. 13.* Contentiosorum studium non pro veritate, sed pro appetitu laudis certat, tantaque est in his peruersitas, vt veritati cedere nesciant, ipsamque rectam doctrinam euacuare contendant.

Item idem. Ideo libri sancti simplici sermone conscripti sunt, vt non in sapientia verbi, sed in ostensione spiritus homines ad fidem perducerentur. Hæc à beato Isidoro contra arrogantes prolata in Christianorum cordibus ad vitandum fastum superbiæ recondantur. Etenim vera & simplicia debent esse eloquia Dei, vt erudiantur simplices, & suum imitentur auctorem. Venit *Christus* verus & humilis, vt humilitatem & veritatem doceret fideles, & ideo non debent verba Dei depingi habitu meretricio. Hæc sunt veritatis documenta, quæ nobis veritatis Philosophi, *Gregorius, Augustinus, Isidorus*, & cæteri sancti Doctores Ecclesiæ monstrauerunt, traditionibus persistamus ad dexteram, vel læuam nullatenus declinantes. Hæc fide crediderunt, verbo prædicauerunt, operibus tenuerunt, & futuris, suis scriptis charitatis studio relinquerunt. Hæc fuerunt iter eorum rectum, quo ad regna cœlestia peruenerunt. Si igitur eos secuti fuerimus, verbo & opere imitantes, simul cum illis in gloria coronabimur. Non animaliter crediderunt vel vixerunt, quam docuerunt: & sanctitatis præmio gaudent. Nos ergo si eorum fidem habuerimus, opera seruauerimus, imitantes doctrinam, quo ipsi præcesserunt ad palmam, eos sequemur ad gloriam. Si verò nouos Doctores habere cœperimos, qui noua suadeant, & vel in paruo à Patrum sanctorum vestigiis recesserimus, timendum est, ne erroris hæretici lethali iaculo vulneremur. Sed dicit Doctor superstitiosus: Grossè, ac simpliciter locuti fuerunt Gregorius, Augustinus, & alii Patres. Vnde quærendus est nobis subtilior intellectus. Ad quod ego, Amplectenda est potius sanctorum Patrum simplicitas, & grossities sancta perducens ad cœlum, quam superstitiosa subtilitas pertrahens in infernum. Et quia (vt dicit sacra Scriptura) *Pro. 10. 9.* *qui ambulat simpliciter, ambulat confidenter:* nos simplicitatem sanctorum Patrum teneamus, vt cum illis simpliciter gaudere in cælestibus mereamur.

Hæretici contemnunt, corrumpuntque dicta sanctorum.

Cap. VIII.

TANTA est arrogantium quorundam doctorum proteruia loquacitas, vt in suis doctrinis nonnunquam verbis sanctorum Patrum detrahendo, voce blasphemiæ dicant: *Male dixit Augustinus, male sensit Gregorius*, & sic de cæteris, cum aliquid inueniunt in eorum libris, quod fortassis non intelligunt, aut vitio scriptoris, vel certe hæreticorum astutia extitit deprauatum: Qui sanctorum Patrum libris, vt veram doctrinam corrumpant, & suadeant falsitatem, interserunt praua. Vnde dicit beatus Isidorus. Tanta est hæreticorum calliditas, vt falsa veris malaque bonis misceant, salutaribusque rebus plerumque erroris sui virus interserant: quo facilius possint prauitatē peruersi dogmatis sub specie persuadere veritatis. *3. de sum. bon. c. 12.* Plerumque sub nomine Catholicorū Doctorum hæretici sua dicta conscribunt, vt indubitanter lecta credantur. Nonnunquam etiam blasphemias suas latenti dolo in libris nostrorum Doctorum inserūt. Doctrinam namque veram adulterando corrumpunt. *Philip. 1. 13.* scilicet vel adiiciendo, quæ impia sunt, vel auferēdo quæ pia sunt. Cautè meditanda, cautoque sensu probanda sunt quæ leguntur, vt iuxta Apostolica monita, & teneamus quæ recta sunt, & respuamus quæ contraria veritatis existunt. Sicque bonis instruamur vt à malis illæsi permaneamus.

Hæc à beato Isidoro dicta consideret Lector: & Patribus sanctis non male tribuat, quod dolis hæreticorum, vel scriptorum vitio est corruptum. Exhibeat Patribus authenticis reuerentiam, & fidem, ne vnde tendit ad ortum, inde corruat in occasum. Malleum hæreticorum Augustinum sequatur, qui dicit. *Ego sic eis libris, qui iam canonici appellantur, didici hunc timorem honoremque deferre, vt nullum eorum scribendo errasse audeam credere. Et si forte in eis aliquid inuenero, quod videatur contrarium veritati, vel mendosum esse codicem, vel non esse assecutum interpretem quod dictum est, vel me minimè intellexisse non ambigam.* *Epist. 11. & c. ego solis. 19. verum non affertur ad eam.* Ecce de quanta temeritate redarguuntur arrogantes & superstitiosi Doctores cum Augustinus dicit, se non audere credere aliquem canonicorum errasse scribendo, vt isti viua voce dicere non verentur, *male dixit Augustinus. Gregorius, Isidorus vel Ambrosius.* Fortassis, aliqui Lectores, qui hæc venenata verba incaute proferunt, non aduertunt quanta damna auditoribus suis simplicibus inferant, dum eorum latenter animos ad hæc hæreticorū errorem inuitāt. Canonicos enim Patres, quos sanctos credebant, & eorum dicta venerabantur: sicut Euangelium Dei quasi per Spiritum sanctum prolata, incipiunt iam despicere, & Ecclesiasticas institutiones contemnere. Cauenda est igitur talis incautela verborum: imo (vt

vetius loqear) seua blasphemia, quæ animas interficit blandientium, ita vt nonnunquam arrogans Doctor in errorem præcipitet, quem nullatenus hæreticorum astutia, vel persecutorum gladius ad illicita potuit inclinare. Et quia de Canonicis Patribus fecimus mentionem illos esse authenticos & canonicos credidimus, quorum dicta, vel opera sancta Romana Ecclesia approbat,& auctoritate Apostolica tribuit fidelibus venetanda.

Vitandi sunt heretici,& eorum fraudes.

Capvt IX.

CVstodes sanctorum Sacramentorum, & librorum Scripturarum sanctarum peruigiles debent omni diligentia thesauros incomparabiles suæ fidei creditos custodire,ne manus hæretica sacra polluendo valeat suæ perditionis virus infundere,sacra mysteria profanare & sanctæ legis libros corrumpere. Qui thesaurum Catholicæ fidei gestant in corda à calliditate hæreticorum omni vigilantia se custodiant, vt nullus hæreticus ad eos accessum inueniat,quia lupus rapax diabolus est, & non venit nisi vt furetur animam, & mactet, & perdat. Proinde quasi tempestatem,eius confabulationes & solatia fugiat Christianus,nisi fuerit in lege Dei valde peritus,vt eum possit rationibus superare,& ab errore suæ vesaniæ reuocare. Caurè tamen agendū est circa ipsum ne forte se fingat credere vt occulte simplices possit illaqueare. Citius manifesta oda est superioribus eius insania, etiamsi intercesserit iuramentum, quia de duobus malis minus est eligendum, si hæretico fidem quis seruet,infidelis Deo. Est enim iniquitas super omne peccatum apostatare à facie veritatis, maxime si in hæresim prolabatur. Si quis igitur tam inexplicabili mali setuandi secreti se astrinxerit iuramento, agat pœnitentiam do periurio hæretici reuelara nequitia. Et quia *charitas operit multitudinem peccatorum*.remissius agetur cum pœnitente propter zelum Catholicæ fidei. Videtur quod beatus Isidorus ionuat in maioribus malis fidem rescindere, si teneatur quis etiam iuramento cum dicit : In malis promissis rescinde fidem. In turpi voto muta decretum. Item idem. Ita sæpe diabolus vndique captam implicat mentem : vt ex quacumque parte euadere quisque tentauerit, sine periculo exire non possit, veluti si iures hoc facere, quod si feceris, pecces, si non feceris,reus periurii sis. In tanto enim mali discrimine,vt eua dendi aditus pateat, minora mala potius eligenda sunt,vt maiora vitentur. Item idem qualiter cauendum sit ab hæreticis, Claudio duci scribit, dicens se inquirenti: *Quod suggessisti habere te hæreticos cū quibus assidue disputas, & quos ad fidem Catholicam studes reuocare,laudamus zelum, sed audaciam reprehendimus.* Dicit namque scriptura diuina : *Qui tetigerit picem inquinabitur ab ea. Caue igitur, dilectissime fili, vt quia Deus triumphalibus trophæis, armorum strenuitate,præstitit : inimicis te fecit victoriosum, hæreticis suasionibus ignominiose ne victus succumbas. Te enim laborante eos ab errore mortis e u re, ipsi inuigilant te in præcipitium erroris demergere à quorum, confabulatione vel solatio quemlibet Christicolam tanquam à letifero veneno sub ostentatione diuini iudicij, præcipimus abstinere, nisi fuerit in diuinis præceptis experientia operum probatus, & sacris eruditus Scripturis. Testamur igitur curam Deo, monemus, & quidquid possumus hortando præcipimus, vt quam citius eos, zelum Dei legis exercens,nisi Catholicam professi fuerint veritatem, à te repellas.*

Ioan. 10.

l. 2. synoni. c. de voto.

l. 3. de sum. bon. c. 5.

Extat Epistola Isidori de hac re. Sup. in prolegomenis.

Eccl. 13. 1.

Sapienter à sapientissimo & sanctissimo doctore Isidoro sapientiæ doctrinam non insipienter recipiamos sed omnino aduersantibus Catholicæ fidei hæreticis omnino etiam materialiter aduersentur. Qui licet habeant fa cies aduersas inuicem dissentiendo, habent tamen caudas more Sampsonis vulpium colligatas, quia de falsitate in idipsum consentiētes perturbare semper, nituntur peruerrere nituntur, quibuscumque possunt modis, Ecclesiam Dei : ita vt plerumque per picturarum falsacum etiam nouitatem plurimos decipere moliantur. Depingunt enim imaginem Deificæ Trinitatis patrem senem,filium iuniorem, Spiritum sanctum in columbæ specie vel filio minorem:vt per hoc simplices tres Deos vnius volontatis credere compellant o r: prauo intellectu seducti,vt propter hoc dicatur vnus Deus,cum sint tres, quia vnius sunt concordia voluntatis. Et tamen mihi & alios seducūt,ipsi seducti primo. Vnus enim est Deus, Pater & Filius & Spiritus sanctus,cuius vna & eadem indiuisibilitas,vna essentia, eadē & vna Deitas,vna natura,& vna voluntas. Qui trinus est in persona, & vnus in substantia maiestatis. Incomprehensibilis, inæstimabilis,inuisibilis, vbique totus,incircumscriptibilis tamē. Cui similitudo nulla potest aptari in substantia deitatis. qui per Isaiam dicit: *cui similem fecistis Deum ? aut quam imaginem ponetis ei? Nunquid sculptile conflauit faber, aut artifex auri figurauit illum, & laminis argenteis argentarii.*

Lud. 15. 8.

Isaia 40. 18.

Item idē. *Cui assimilastis me, & adæquastis, dicit sanctus.* Ibidem 25. His manifeste patet à creatura nullam imaginem posse fieri, quæ deitati creaturis assimilari aliquatenus possit, non solùm reus est, qui producit ex materia imaginem creatoris, verum etiam qui se diuinitatis imaginem existimat apprehendere mente. Vnde ait beatus Gregorius : cauendum est summopere, ne quid in Deo mens corporeum suspicetur. In Antropomorphitarum namque hæresim cadere est, cum qui incircumscripte implet, & circumplectitur omnia, intra corpora lineamenta concludere. Cum igitur Deus sit incircumscriptibilis, & etiam inuisibilis, falsò diuinitati incomprehensibili quid poterit assimilari. Testatur Ioannes Apostolus Deum esse inuisibilem dicens *Deum nemo vidit vnquam*. Et Augustinus : Non est Deus talis substantia, quæ oculis corporeis possit videri. Quod Deus inuisibilis sit, & magnitudinem diuinitatis eius nullos possit sensus attingere, etiam oec Angelicos, quamuis vsque ad puritatem Angelicam humana natura post resurrectionem proficiat,& ad contemplandum Deum indefessa consurgat. Item idem: Sola Trinitas sibi integre nota est, & humanitas à *Christo* suscepta, quæ tertia est in Trinitate persona. Audiant pictores proterua præsumptione seducti, quid incomprehensibilem Dei sanctissimam Trinitatem profanis picturis se incomprehensibilem loco, & intellectu nituntur probare. Etenim Dei magnitudinem nō attingit Angelicus intellectus, & sola Trinitas non est sibi : & nititur hoc attingere simplex pictor, & fere idiota, & laicus. Cuius tanta est immensitas magnitudinis, vt cœlum & terra concludantur ab eo, ipse verò concludatur à nullo. Vnde dicit Hispaniarum Doctor Isidorus. Non ideo cœlum & terrā implet Deus, vt contineant eum, sed vt ipsa potius contineantur ab eo. Neque particulatim Deus implet omnia, sed cum sit idem vnus, est tamen vbique totus. Nō ita putandus est esse in omnibus Deus,vt vnaquæque res pro magnitudine portionis suæ capiat eum. Idem maxime maior, & minime minor dum sit potius ipse totus in omnibus, sicut omnia in ipso. Immēsitas diuinæ magnitudinis ista est, vt intelligamus eū intra omnia,sed non inclusum: extra omnia, sed non exclusum. Et ideo interiorem vt omnia, contineat: ideo exteriorem, vt incircumscriptæ magnitudinis suæ immensitate omnia concludat. Per id ergo quod interior est, ostenditur esse creator, per id vero quod exterior, gubernare omnia demonstratur. Ac ne ea, quæ creata sunt, sine Deo essent, Deus intra omnia est: verum ne extra Deum essent, Deus exterior est vt omnia concludantur ab eo. Item idem. Ideo Deus dicitur simplex sine non amittendo quod habet ; seu quia non aliud est ipse, & aliud quod in ipse est. Cum igitur incircumscriptibilis imaginem

Ioan. 1. 18.

Isid. 1. de summo bono.

1. de sum. bon. c. 2.

l 1. de sum. bon. c. 1.

A imaginem rei nullus possit formare, siue quæ tota sit infra omnia & tota extra, vel quod non aliud sit ipsa, & aliud quod in ipsa est, hæreticus seu pictor desinat per imaginem blasphemiæ fabricare, atque pro Deo stultitiæ idolum venerari. Diuinitas quidem (vt ait doctor eximius Augustinus) in corde iusti hominis semper considerata grandescit. Sed è conuerso dico, in corde hæretici male præsumptuosi pictoris continue minorescit, dum pictura sacrilega tres Deos, aut vnum comprehensibilem eorum satagunt demonstrare,

Alius mediantibus picturis est hæretici modus decipiendi, qui vt à fidelibus agnitus cautius valeat euitari, non duximus silentio occultandum. Depingunt plerumque deformes sanctorum imagines, vt eorum intuitu deuotio simplicis Christiani populi vertatur in tædium.

In derisum etiam & opprobrium crucis *Christi* imaginem crucifixi vnum pedem super alium vno claue figentes, aut euacuare, aut in dubium ducere B fidem sanctissimæ crucis & sanctorum Patrum traditiones, nouitatum diuersitate super inducta, contendunt, quod clarius demonstrabimus, si quod actum est in confinio Galliarum in castro, quod *Monculus* dicitur (vt relatio patefecit) in medium proferamus.

Cum Manichæorum hæresis in Galliarum partibus: & nostris temporibus pullularet, & errori virus serperet per diuersa, quidam hæreticorum credentes erronei, diabolico stimulati consilio, sanctissimæ Dei Genitricis sumpserunt imaginem monoculam ac deformem, hoc reddentes quasi pro ratione, in perditionem animarum eorum procaciter mentientes videlicet, quod Dominus noster Iesus Christus in tantum se humiliauerit, vt pro salute generis humani turpissimam fœminam prælegerit. Hæc malitia cæcati cogitauerunt, & errauerunt, vt facilius simplices possent decipere, & illorum mentes & studia à deuotione gloriosissimæ Dominæ nostræ perpetuæ Mariæ virginis reuocare. Egerunt etiam vt se simulantes ægritudinibus va- C rijs laborare coram prædicta imagine miraculorum operatione viderentur curari. Diuulgabatur fama, ac si vera essent miracula, per ciuitates & castella. Et multi etiam presbyterorum pietate seducti, imagines consimiles facientes in suis Ecclesiis collocabant. Quod videntes hæretici, factum quod diu occultauerant denudantes, cœperunt deridere populorum turmas, quæ deuotionis gratia ad prædictam imaginem confluebant. Fecerunt tunc temporis supradicti hæretici crucem cum tribus brachiis tantùm, in qua erat imago vno pede sub alio, tribus clauis eidem cruci affixa, quæ brachio eminentiori carebat. Quam venientes populi loco crucis Christi deuotissimè adorabant. Veritatis autem aduersarij rete, quod occultè tetenderant detegentes, male simplicium animas capiebant, & etiam D Dei ministros arguebant dicentes: Si vera sunt quæ de cruce hactenus credidistis, non est verum, quod nunc adoratis. Et si verum est quod nunc creditis, falsa sunt, quæ prius docebatis. Si enim Christus cruci fuit affixus quatuor clauis, & ipsa crux quatuor habuit brachia, sicut tempore præterito docuistis, non est hæc similitudo crucis *Christi*, quam nunc adorando docetis. Ecce quomodo vacillatis: Ecce qualiter dubitatis, & populos rudes vobiscum per ambigua ducitis in errorem. Auctoritas vobis nulla, consuetudo vero sibi contraria est. Hæc & alia plura contra Catholicos blasphemantes hæretici, multos simplicium hominum errorum laqueis innodarunt, & vsque ad præsens tempus cœptum prauitatis dissidium propagare E non cessant.

De forma Crucis Christi

CAPVT X.

SIMILITVDO autem crucis illius, quam tribus clauis & tribus brachijs, non sine scandalo multarum animarum, in quibusdam Ecclesijs pictam studio adoratur. Qui etiam nulla fulti auctoritate, nec ratione ducti, tribus tantum clauis Dominum *Iesum Christum* affixum fuisse cruci, & quod ipsa crux superiori careret brachio proprio motu cordis affirmare nituntur.

Huiusmodi quæstio non debet de ratione nostrum, vel cuiuscumque anxia pulsare animum, dummodo Deum verum, & verum hominem Dominum nostrum *Iesum Christum* in vera carne pro salute nostra Cruci B confiteamur affixum. Sed cum quis crucem, quam Ecclesiæ consuetudo hactenus adorandam fidelibus tradidit nouitate super inducta nititur abolere, vel improbe quæris quid horum amplius sit tenendum. Quia de hac antiquorum Patrum auctoritas difficile reperitur. Ad consuetudinem Romanæ Ecclesiæ credimus maxime recurrendum, & quod traditione excellentissimi Dei vicarij Romani Pontificis accepimus, sicut articulum fidei custodire. Gloriosissimi ergo Innocentij Papæ tertij verba in medium deducamus, & quidquid nobis de hac quæstione tam de cruce quam de clauis in libro sermonum dixerit, audiamus dicit quidem ipse. Fuerunt in Cruce Dominica ligna quatuor stipes erectus: lignum transuersum: truncus suppositus, & titulus superpositus. Stipes erectus habuit truncum suppositum, titulum superpositum. His manifestè patet Ecclesiam Romanam quatuor brachiorum crucem, ad honorem Christi nominis adorare. Vnde probatur consuetudine sacra, Crucem Dominicam quatuor brachia habuisse. Per id quod dici- C tur stipes erectus habuit lignum transuersum, & titulum superpositum & truncum suppositum: quæ omnia erant contigua erecto stipiti. Si quis in intellectu colligat, aut verbis contendat stipitem erectum in suæ longitudinis medio habuisse lignum transuersum in quo Saluatoris manus fuerunt affixæ, & in summitate titulum superpositum, vbi nomen gloriæ erat scriptum, vt ad modum duorum *Thau* vnum super aliud positum fuerit, minimè dubito resistere, eo quod Ecclesia Christi in quibusdam Crucibus, in quibus ligni Dominici reliquias ponere maxime consueuit, hanc seruare formam dignoscitur, & significationi salutari pulchrè valeat adaptari. Hanc ergo Crucis formam Romæ in manibus gloriosi patris Gregorij Papæ noni cum multis millibus hominum videre & adorare merui: & in festo D cœnæ Dominicæ ab ipso Papa sanctissimo benedici. Retulit tunc cunctis declamatoriè ille pater sanctissimus quod tota illa Crux erat de illo benedictionis ligno, in quo pro salute hominum mundi salus pependit. Ferebatur etiam antedictum Dei vicarium, dum equitaret, crux argentea, quatuor brachijs pulchre disposita, quod ad nostram fundandam intentionem, satis videtur sufficiens argumentum.

Hoc etiam ex præmissis colligitur, cum dicitur: Stipes erectus habuit truncum suppositum, & titulum superius medio stipite consistente, & ibi lignum transuersum, non reperies nisi quatuor Crucis brachia fecisse. Sed forsitan objicies, quod duo *Thau*, vno super alio existente, sed diuisiones faciunt brachiorum. Ad quod E potest breuiter responderi, quia maior numerus non excludit minorem; possunt esse sex, propter senarij numeri perfectionem, vel etiam septem gratia cuiusdam particulæ stipitis superius prominentis, propter sancti Spiritus gratiam septiformem; aut certè quatuor,

vt ſi quid ſuper eminet tranſuerſo ligno computetur pro vno, propter totius mundi quadripertitam dimenſionem. Per virtutem namque ſanctæ Crucis conſertor virtutum perfectio ſanctis: & ſancti Spiritus dona diſtribuuntur iuſtis. Totus homo cum corpus ex quatuor elementis conſiſtit, donatur redemptione, & poteſtas malignorum ſpirituum ab orbis dominio euacuatus. Attende quod ſi ſeptem crucis intelligis diuiſiones à trunco incipies enumerare per quod intelligitos Catholicæ fidei fundamentum. Si autem ſignificatio horum duorum *Thau* quæritur, poſſumus exponere ſalua fide, quod primum *Thau* in quo Chriſtus paſſione ſua eſt ſalutem humani generis operatus, præſentem in laboribus & ærumnis vitam ſignificat Eccleſiæ militantis, in qua tempus promerendi, & bene operandi conſiſtit. Superius autem *Thau* in ſummitate crucis nomen & regnum ſcribitur Saluatoris, imaginem præbet Eccleſiæ triumphantis: quæ omni ſublata miſeria paſſionis in ſuo capite *Chriſto* regnum ſalutis obtinet in perpetua claritate. *Chriſtus* in primo *Thau* paſſus eſt pro ſalute hominis. In ſecundo verò non eſt paſſus ſed nomen eius & regnum in eo ſcriptum eſt Latinis, Græcis & Hebraicis literis: quia ſemel paſſus pro peccatis noſtris: *Reſurgens à mortuis iam non moritur, mors illi vltra*
Rom. 6. 9. *non dominabitur, omnis lingua confiteatur, quia Rex Regũ,*
1. Timoth. 6. 14. *& Dominus Dominantium Chriſtus* Ieſus in gloria eſt Dei
Philip. 2. 12. Patris. Duo *Thau* in cruce viuifica depinguntur, quia per crucem præſentia bona credentibus tribuuntur, & æterna illis gloria à Domino elargitur. Per Crucem à præſentibus eruuntur malis. Per crucem bonis ditamur præſentibus & futuris. Per crucẽ inferni clauſtra reſerantur. Captiui à crudeli dominio liberantur. Captiuator diabolus captiuatur, eius virtute ſupernorum ſpirituum diminutus numerus de hominibus reparatur. Per Crucem illuſor deluditur ſpiritus, & confunditur in aſtutia ſua. Nam vnde credidit inferre *Chriſto* perpetuam ignominiam, inde illi laudem intulit & cunctis fidelibus gloriam ſempiternam. Inſultet homo dæmoni, inſultet cæco ſpiritui, quia ſuo argumento captus eſt diabolus. Arte ſua circumuentus eſt aduerſarius: gladio ſuo conciſus eſt inimicus, armis ſuis deuictus eſt. Ignominia Crucis nomen *Chriſti* delere voluit: ſed Crucis gloria ab omni creatura in mira Domini celebritate magnifica prędicatur. Excellentiſſimi enim ſpiritus beatorum Deum crucis triumpho laudant: Imperatores, & Principes Chriſtiani Crucis admirabile ſignum ſuis gaudent capitibus deportare. Nulla pretioſiſſima gemma adeo pulchra in aureo Regis diademate, vt crucis ſignum: cuncta huiuſmodi inſignia Crucis pulchritudine decorantur. Hoc crucis ſignum ſacratiſſimum tanta diuinæ virtutis potentia ſublimatur, vt vbicumque dignè deuotione fidei defecatus, ſit contra poteſtates aëreas inexpugnabile præſidium, contra ardores & illicitos motus carnis ſalutis refrigerium, contra infirmitates corporis remedium ſanitatis: & contra omnia aduerſa fortitudinis munimen & tranquillitatis portus. Conſignatione crucis omnia conſummantur Eccleſiæ ſacramenta. Nulla ſalus eſt vbi ſignum Crucis non eſt. Quicumque ergo Crucis ſignum nititur detruncare, lumen & ſalutem hominum molitur delere & extinguere de populo Chri-
Gen. 48. 12. ſtiano. Multum diuinæ virtutis hoc ſalutiferum ſignum ſanctus Iacob Patriarcha habere credidit, quando Efraim & Manaſſe in modum crucis cancellatis manibus benedixit.

Hæc contra illos, qui dicunt, Crucem Dominicam tria brachia ſolummodo habuiſſe. Vt enim multorum Patrum teſtatur auctoritas, ab Spiritu ſancto illuminatus Patriarcha Iacob, futurum præuidit crucis beneficium, quo tam ipſe quam filii ſui, id eſt, fideles cuncti erant à captiuitate dæmonum liberandi, & quadripertita parte crucem domini futuram cancellatis brachiis demonſtrauit. Ad huius veritatis teſtimonium roborandum Doctor Hiſpaniarum Iſidorus dicit: Docet Apoſtolus Paulus, illuminatos debere habere oculos cordis ad intelligendum, quæ ſit latitudo crucis, & longitudo, & altitudo, & profundum. Cuius latitudo eſt tranſuerſum lignum quo extenduntur manus. Longitudo eſt à latitudine vſque ad terram, altitudo à latitudine ſurſum vſque ad titulum. In ſummitate namque crucis ſtipitis ſuit lignum, quod continebat ſcriptum: *Hic eſt Ieſus Nazarenus Rex Iudæorum.*

Item Beda Presbyter venerabilis, cuius eloquiorum flores ſuauitate ineffabili redolēt in Eccleſia Dei. Quid
Ioc. 25. inquit, de ipſa cruce dictum ſit muſtice? Recte intelligitur
Luca & 3 in ea, quod dicit Apoſtolus Quæ ſit latitudo, & longi-
Epiſtola ad tudo, & altitudo, & profundum. Lata quippe eſt
Epheſios 3 in tranſuerſo ligno quo extenduntur pendentis ma-
ſint. nus, & ſignificat bona opera in latitudine charitatis. Longa eſt à tranſuerſo ligno vſque ad terram, vbi deorſum pedes figuntur, & ſignificabat perſeuerantiam in longitudinem temporis vſque in finem. Alta eſt in cacumine quo tranſuerſum lignum ſurſum verſus excedit: & ſignificet ſupernam fidem quo cuncta opera referuntur. Quoniam cuncta quæ in latitudine & longitudine bene ac perſeueranter fiunt, propter altitudinem diuinorum facienda ſunt præmiorum. Profunda eſt in ea parte, qua in terra figitur. Luce clarius præmiſſis panditur teſtimoniis partes ſuperioris brachij Crucem Domini pra fuiſſe, cum ab vtroque præmiſſorum ſanctorum teſtium dicitur, quod alta eſt à tranſuerſo ligno ſurſum, vel alta eſt à latitudine vſque ad titulum vbi illa ſacra filii Dei nominis & regni continebatur ſcriptura. Quatuor etiam illa ea vnione medis proceſſiſſe extrema colligitur, cum à Sedulio dici-
Carminum l. 5. tur, ait enim:

Neue quis ignoret ſpeciem crucis eſſe colendam,
Quæ Dominum portauit ouans, ratione potenti.
Quatuor inde plagas quadrati colligit orbis.

Illud etiam non omittendum, quod in feſto eiuſdem ſanctæ Crucis canit Eccleſiæ deuotio dicens.

Forma crucis hæc oſtendit
Quæ terrarum comprehendit
Quatuor confinia.

Homo prætera, qui ad ſimilitudinem Dei factus eſt diuino præſagio in ſuo corpore ſimilitudinem expreſſius continet Crucis. Nam extenſis brachiis ab extremitate vnius manus vſque ad aliam, latitudinem monſtrat Crucis. A brachiis vſque ad pedes, longitudinem. A brachiis verò vſq; ad ſummitatem capitis, altitudinem. Sunt enim in humano corpore quaſi duo *Thau*. A brachiis inferius, vnum, & ſuperius aliud: collum enim, facies & aures crucis imaginem gerunt, & in narium diſpoſitione atque ſuperciliorum *Thau* figura conſiſtit. In ipſa hominis facie, quaſi quidam regalis titulus nomen & regnum continens Saluatoris loquela, qua Deum laudamus, oculorum & ſenſuum eminet pulchritudo. Hoc, vt credo, diuinitus factum eſt, vt homo diſcat in diſpoſitione ſua, quod Crucis debet beneficio liberari & in homine ſemper reſpiciat quod veneretur & diligat. Offendere caueat, quem Deus ſigno tam celebri non ſolùm interius, verum exterius præmuniuit & in fide Catholica confirmauit: contra oppugnatores crucis Chriſti ad reſiſtendum eorum iniquitati, & perſequendam obſtinationem proteruam, ſeipſum totis mentis & corporis viribus præparare debet tanquam ſtatim moriturus omnibus indulgere, ac de commiſſis ſceleribus & delictis veniam cum lachrymis & gemitu poſtulare, quaſi crucifixus & mundo mortuus ab operibus illicitis abſtinere; ac ſi ſtatim egreſſurus de corpore terrena deſpicere, ad cœleſtia ſuſpirare: Domini noſtri *Ieſu Chriſti* Crucem & vulnera ſemper ſuppliciter adorare: ſicut æterni Regis ſignifer, dignitatem ſuã inter cæteras creaturas agnoſcere, & ſeruituti diaboli ſe minime ſubiugare. Tanto ſigno homo ſpecialiter inſignitus dedignetur peccare, & bonis operibus ſtudeat inſeruire.

inseruire. Tota quidem Crucis salus ad hominem dignoscitur pertinere, qui eo salutifero signo etiam corporaliter meruit insigniri. Solus homo si bonis insistat operibus per crucem absoluitur à nexu culpæ commissi sceleris, & antiqua ei dignitas gloriosius restauratur. Crucem igitur Domini nostri *Iesu Christi* per quam bonis ditamur præsentibus & æternis deuotè ac fideliter adoremus, vt per triumphum Dei & Domini crucifixi eo duce ad sempiternam gloriam peruenire mereamur. Amen.

Contra illos qui dicunt, tres tantùm clauos fuisse fixos in manibus & pedibus Saluatoris.

CAPVT XI.

QVONIAM de clauorum numero qui fixi fuerunt in corpore Dominico contentio vertitur inter plures quibusdam asserentibus de proprio motu cordis, tres tantũ fuisse clauos, vnde multi scandalizãtur simplicium eo quod Patrum traditio in crucis imaginibus quatuor figere consueuit, ad dubietatis scrupulum remouendum, & veritatis præconia roboranda gloriosissimæ passionis Regis nostri trophæum pro modulo paruitatis nostræ attollere cupimus: & huius rei notitiam fidelibus propalare.

Quatuor quidem clauos in Dominico corpore fuisse fixos magnus ille Dei vicarius Ecclesiæ doctor, & hæresum persecutor Innocẽtius Papa tertius testatur, dicẽs: *Fuerũt*, inquit, *in passione Domini quatuor claui, quibus manus affixæ sunt, & pedes affixi.* Et post pauca: *Duos inquit, pedes & duas manus quatuor claui debet configere Christianus.* Quid hac auctoritate clarius? Quid his verbis verius, quæ à throno Dei, hoc est à Romana Ecclesia per os sacrum cunctorum patris Innocentij exierunt. Nõ est iam quod contradicat Catholicus: non est quod contra sentire debeat Christianus. Etenim quæcumque à Romano antistite Catholice proferuntur, sicut diuina præcepta seruanda sunt à fidelibus. Credendum est illi ab omnibus vbi manifesta sanctæ Scripturæ non resistit auctoritas. Quicumque temerè contradicit, reos blasphemiæ condemnatur, quia os suum ponere in cœlum comprobatur, qui vniuersiæ carnis illum rectorem præposuit, & etiam iudicem constituit animarum. Est enim fidelium clauis & regula qua in hac vita reguntur sancti, vt in cœlestem aulam valeant introire.

Illud etiam beatissimi patris Francisci, cuius humilitate ac simplicitate sanctissima Deus nostris temporibus mundi contriuit superbiam & scientiam reprobauit: qui stigmata *Iesu Christi* in suo gestauit corpore specialius ad fulciendum testimonium veritatis in medi si proferamus, vt veritas clarius luceat, & falsitas offuscetur: Etenim vero, vt in eius sacra reperitur legenda, & multorum Religiosorum, Clericorum, laicorum & secularium, qui manibus contrectare meruerunt, vel corporeis oculis ante quinquennium aspexerunt, pium perhiber testimonium, in manibus & pedibus beati Francisci quatuor apparuerunt signa clauorũ in Christi milite demonstrãtes perfectã deluctamine mundi victoriam, & sui Regis *Iesu Christi* sequelam existere signo quatuor clauorũ Dominicæ passionis. Scriptum quippè reperitur in eius legenda, quod post quandam crucifixi Seraphim beatificum visionem cœperunt in manibus & pedibus eius apparere signa clauorum, quemadmodum paulo ante virum supra se viderat crucifixũ. Manus & pedes eius in ipso medio visi confixæ videbantur clauorum capitibus in interiori parte manuum & superiori pedum apparentibus, & eorum acuminibus existẽtibus ex aduerso. Erãt signa illa rotunda interius in manibus, exterius autem oblonga, caruncula quædam apparebat, quasi summitas clauorum retorta & repercussa, quæ carnem reliquam excedebat. Sic & in pedibus impressa erãt signa clauorum & à carne reliqua eleuata. Signum etiam Dominicæ passionis perfectione quadam in beatissimo patre Francisco ostenditur consummatũ, cum dicitur subsequẽter dextrum quoque latus quasi lancea transfixum cicatrice obducta erat, quod sæpe sanguinẽ emittebat, ita vt tunica eius cum femoralibus multoties respergerentur sanguine sacro. O quam laudabilis beatissimus iste sanctus, in quo tanta bona cælestia redundarunt, vt de spirituali plenitudine terrena sapientia fere simplicis hominis & indocti totus orbis bonorum abundantia spiritualium, quasi multarum aquarum inundantia se gaudeat abundare. Vbiq; per eum veritas fulget Euangelij, sanctarum Scripturarum inundantia repletur terra, & euanescit astutia falsitatis. Decenter & pulchre à creatura laudatur, quem creator nostris temporibus tanta excellentia decorauit. Præ cæteris enim sanctis signis passionis Dei & hominis antonomasticè sublimatus, velut Sol meridianus torpentia corda hominum calore fidei inflammauit. Signa passionis *Christi* fida sensibili demõstrauit, ne stigmata humanæ redemptionis venustate de fideliũ mentibus delerentur. Iam enim multi retro ibant veritati contraria sentientes. Nutabant plures, qui etiam videbantur Doctores, & quasi somniantes conuertebantur ad fabulas, & superfluas nouitates. Suscitauit autem dominus misericorditer beatissimos Franciscum & Dominicum sanctissimi ordinis Prædicatorum primum per quos mundo pro magna parte in errorem & ambiguitatis tenebris constituto lumen veritatis illuxit, de cordibus singulorum scelerum labes detersit clementia Redemptoris, & obstruxit diuerticula falsitatis. Maxima quidem pars mundi ad falsa vel dubia diuertebat. Alij diuersis erroribus implicati procaciter contendebant *Christum* in vera, carne non fuisse passum. Alij nulla fulti auctoritate asserebant tribus tantum clauis Cruci fuisse affixum, & non dextrum latus eius, sed sinistrum lancea vulneratum; sed omnipotens Deus qui infirma mundi elegit, vt fortia quæque confundat, per seruum suum literatum elementis fere rudem Franciscum occulta fide, ita illorum elusit argumenta fallacia, vt etiam inuiti cedant manifestissimæ veritati. Si autem quis forsitan adhuc audeat dicere, ista miraculose, & non ad instar Passionis *Christi* in beato Francisco fuisse gesta, audiant quod in eius obitu legitur manifestè: Resultabat in eo reuera forma Crucis & Passionis agni immaculati, qui lauit crimina mundi, dum quasi recenter cruce videretur depositus, manus & pedes clauis confixos habens, & dextrum latus quasi lancea vulneratum.

Item ibi. Erat in medio manuum & pedum ipsius mirabile cernere, non clauorũ quidẽ puncturas, sed ipsos eius clauos compositos ferri retenta nigredine, ac dextrum latus sanguine rubricatum. Sufficere debent hæc ad probandum præmissa, & quatuor brachiorum fuisse crucem Christi & in ea quatuor clauis affixũ & dextro latere perforatum lancea credere Saluatorẽ, sic enim tenet Ecclesiæ Romanæ cõsuetudo præclara; hoc Græcorum & Armenorum, nec non & Orientalium, vt proprijs vidi oculis, credit Ecclesia. Hoc verbis sacris gloriosus testatur Innocentius Papa. Hoc etiam Dominus in beati patris Francisci corpore clamare videtur. Quicumq; proteruè resistit, Apostolicum contra se iudicium prouocat in districto examine, & filiorum Francisci turbam pauperum beatorum, quorum est regnum cœlorum.

Illud autem quod quidam ad tres probandum fuisse clauos volunt assumere, scilicet, quod non inueniuntur per diuersas partes mundi, nisi duo tantum quod vnus trium ad sedandos maris motus per nimium tumescentes in eo fuisset proiectus, multorum eliditur testimonio qui vnum in monasterio sanctorum Dionysij,

Bibl. pat. Tom. 4. p. 3.

à

Rustici & Eleutherij in regno Franciæ: alterum à Cõstantino positum in Ecclesiis sanctæ Mariæ de Nazareth in partibus transmarinis: tertium in Tarso Ciliciæ: quartum verò Constantinopoli ad honorẽ Dei, meruerunt deuotissime osculari. Ipse quoque dictos clauos in locis suprascriptis vidi, & suppliciter adoraui. In alijs etiam locis aut pars, vel certè vnus illorum ostenditur, vt illorum qui peregrinus præsentauit ipsas reliquias adorandas assertio protestatur. Omnibus pie deferimus, licet tantum quatuor claui fixi fuerint in corpore Redemptoris. Potuerunt enim per partes diuidi vel crucis compagea in transuerso ligno & titulo fuerant clauis ferreis colligatæ, qui omnes cõsecrati sunt ipso Dei filio in cruce pendente, & meritò à fidelibus cunctis deuotissimè adorantur. Non enim decipitur iustus in Catholica fide fundatus, nec amittere mercedem suam, si loco viuifici ligni, vel clauorum Christi à ministris Ecclesiæ aliquid sibi oblatũ aliud deuotione fideli, vt lignum, vel ferrum fuerit amplexatus. De cæteris sanctorum reliquiis idem iudicium. Sic potest dirimi quod beata Helena legitur fecisse clauos Dominicos limari, & ad debellandas acies perfidorum in frænoequi ponere salutares. Hæc idcirco disserimus vt in locis pluribos quam duobus vel tribus clauorũ Christi reliquias ostendam posse à ministris Ecclesię præsentari. Possumus etiam ad consequentiam ducere antiquam consuetudinem seruatam ab Ecclesia, quatuor brachiorum fuisse Crucem, & quatuor fissoria sacratissima, quod ostenditur illa cruce & imagine quæ *Vultus de Luca* dicitur: quam testatur antiquitas à Nicodemo Christi discipulo ad similitudinem filij Dei pendentis in cruce factã. Hæc pedibus tectis in Cruce positum repræsentat auctorẽ: & Cruce in eminentiori parte lignum transuersum excedere sursum ostendit. Hæc omnia supra dicta diligenter consideret, qui resistit: & cum pro se talium nihil habuerit, cadat manifestissimæ veritati. Pedes enim redemptoris non contorti, sed recti fuerunt in cruce, vt in semitis mandatorum suorum, nos recto gressu affectionis, & operam doceat ambulare. Quatuor clauis peccata nostra in corpore suo cruci affixit, vt homines per quatuor mundi partes diffusos ad cultum perduceret sanctissimæ Crucis, & in fide Catholica solidaret.

Sed dicit aliquis, ad hoc vno pede super alio, non clauo Dominũ dicimus crucifixum, & consuetudines Ecclesiæ volumus immutari, vt maiori acerbitate passionis *Christi* populo deuotio excitarur, & nouitate in consuetudinibus succedente fastidium releuetur. Non enim sunt ista de Sacramentorum substantia, vel articulorum fide, & possunt quotidie ad libitum variari. Sufficit ad salutem *Christum* credere crucifixum, & pro indifferenti habere in cruce illum quatuor vel trium brachiorum fuisse positum, quatuor vel tribus clauis confixum, & dextrum vel sinistrum latus eius lancea vulneratum. Etiam aliqua fingenda sunt pro loco, & tempore, quamuis vera non sint, vt Christi nominis gloria dilatetur. Hæc & huiusmodi illis quasi rationabiliter asserentibus caute est, & rationabiliter respondendum ne per incautelam improuisæ responsionis erroris causa vel occasio generetur. Catholice itaq; respondemus quantum ad hunc articulum fidei in vtero corpore de virgine sumpto, *Christum Iesum* crucifixum credere, nobis sufficere ad salutem. In illis vero vbi de Cruce, clauis & de lateris vulnere agitur, si quæratur illis inhæremus auctoritatibus diuinis vteres & Romanæ sequentes Ecclesiæ instituta. Quod autem dicunt aliqua esse fingẽda, licet vera non sint ad Christi nominis gloriam dilatandam, cũ beato Iob simpliciter respondemus, qui improbis amicis dicit: *Nunquid indiget Deus vestro mendacio vt loquamini dolos pro eo?* vnde ait organũ Spiritus sancti, Deus mendacio non eget quia veritas fulciri non quærit auxilio falsitatis. Pœna præterea perditionis manet illis, qui mentiuntur, sicut Psalmista Deo loquitur dicens: *Perdes omnes qui loquuntur mendacium*. Et diuina scriptura dicit: *Os quod mentitur occidit animam.* Patet Deum mendaciis non placari, sed potius ad inferenda supplicia prouocari. Veritas namq; cum sit, vult veridicis præconiis collaudari. Nudus Christus in cruce positus nuda veritate à fidelibus congrue prædicatur. Falsitas autem fictionem, & proditio excusationem semper prætendit. Iudas proditionis osculo *Christum* tradidit, & male præsumptuosus palliata falsitate studet opprimere veritatem. Quod autem superius dictum est, Ecclesię consuetudines non esse de substantia Sacramentorum vel articulorum fidei, & possunt quotidie variari: respondemus, quod per Spiritum sanctũ à patribus traditæ, nisi exigente necessitate ineuitabili & vtilitate communi etiam ab Episcopo immutandæ non sunt: Vnde Gregorius scribens vniuersis Episcopis Numidiæ dicit. *Nos consuetudinem, quæ contra fidem Catholicam nihil vsurpare dignoscitur, immotam manere concedimus.*

Iob. 13. & Greg. in illa verba

Lib. 1. Ep. 75.

Leo Papa Ignatio Archiepiscopo, ridiculum est & satis abominabile dedecus, vt traditiones, quas antiquitus à Patribus suscepimus infringi patiamur.

D. 12. c. ridiculũ citantur à Grat. Nicolao nomine & ab Iuonel. 2. Decreti.

Pelagius Papa Armentario magistro militum inter cætera. Postquam Ecclesiæ iura documentorum mercalentium sunt auctoritate firmata, nullatenus ab his discedendi liberam etiam Pontifex, si velit, permittatur habere licentiam.

Isidor. Antiquæ & approbatæ consuetudines Ecclesiæ Dei non debent aliquatenus immutari, nisi euidens communis vtilitas, aut ineuitabilis emergat necessitas.

Augustinus ad Casulanum. In his rebus de quibus nihil certi statuit Scriptura diuina, mos populi Dei vel instituta Maiorum pro lege ponenda sunt. Et sicut præuaricatores diuinarum legum: ita contemptores consuetudinum Ecclesiasticarum coërcendi sunt.

Epist. 86. & habetur in his d. 11. idemq; decret.

Item idem. Nullatenus decipi poterit, qui non suo iudicio, sed maiorum viuit exemplo.

Epist. 118. & de Bapt. contra Don. l. 4. c. 24.

Hieronymus. Maiorem consuetudines & traditiones, quæ tamen non sunt contra fidem leges Apostolicas arbitratur religio Christiana. Si autem quæratur à quibus Ecclesiæ consuetudines fuerint institutæ, quæ quamuis vbiq; seruentur, tamen nulla scriptura eorum profert auctores, respondemus. Quoniam à sanctis Apostolis, vel à sanctorũ Patrum Conciliis præcipiẽte Spiritu sancto fuerunt instituta. Vnde ait Malleus hæreticorum Isidorus. Multa sunt, quæ in Ecclesiis Christi geruntur, ex quibus tamen quædam sunt, quæ in scripturis canonicis commendantur. Quædam quæ non sunt quidem scripta, sed tamen tradita custodiuntur. Sed illa quæ toto orbe terrarum seruantur vel ab ipsis Apostolis vel auctoritate principalium Conciliorum instituta intelliguntur.

Contra Lu. cif. & Ep. ad L. cin ũ habetur sententia.

Doctor Ecclesiarum Augustinus. Multa non inueniuntur in litteris Apostolorum, neque in Conciliis posterorum, & tamen quia per vniuersam custodiuntur Ecclesiam, nos ab ipsis tradita, & commendata credimus.

Epist. 118 & de Bapt. contra Donat. l. 4. c. 24. h̃o ipsum decret.

Nos igitur fratres charissimi Crucem domini nostri *Iesu Christi* ab ipso Dei filio nobis traditã humiliter adoremus, clauos & vulnera Regis nostri deuotissimè veneremur: totam cordis nostri dulcedinem, & amorem in ipsius lateris nostræ redẽptionis vulnus fideliter infigamus, vt per hæc humanæ salutis stigmata bonis cælestibus perfrui mereamur. Et quia nos Dei filius ad vnitatem fidei conuocauit in vnitate Ecclesiæ firmiter coniungamur, vt secundum Apostolum in consuetudinibus Ecclesiæ à sanctis Patribus institutis, ne psalmis & hymnis, & canticis spiritualibus ad ipsum dicamus omnes, & non sint in nobis schismata. neque circumueniamur per Epistolam tanquam per aliquem Catholicorum Doctorum missam: vel per rationem nostrę fragilitati expositam. Quia potẽs est angelus Satanæ transfigurare se in Angelum lucis. Hæreticorum

1. Cor. 1. 2. Thes. 2.

2. ad Cor. 11. 14.

astuta

aſtuta calliditas, Chriſtianæ ſæpe ſimplicitatis falſo ſpeciem induit, vt decipiat. Frequens mutatio Eccleſiaſticarum conſuetudinum diſcordiam nutrit: ſimplicas ad blaſphemiam incitat: prelatos de negligentia, vel inconſtantia notabiles reddit, & de hæreticis præſtat materiam detrahendi. Mens inconſtans & leuis nouitatibus ſemper gaudet: vt ſicut legum lator à cæteris attollatur. Detrahit ſæpe Patribus vt deliramenta ſuarum opinionum ſanctorum auctoritatibus præponantur. Quapropter nos certa teneamus & dubia relinquamus, ſanctorum Patrum inſtituta & exempla ſequamur: vt cum eis, qui ſic crediderunt, taliter vixerunt, & ita docuerunt, ſic credere, taliter viuere, & ita docere ipſi mereamur, & cum eis ad ſtabilitatem fœlicitatis perpetuæ peruenire Amen.

Ad quam mundi partem Christus *in Cruce conuerſus erat.*

CAPVT XII.

COGIT nos fraterna dilectio ſuis quæſtionibus pro viribus ſatisfacere, & ab incepto opere longius deuiare. Siquidem perquirentibus qua parte dextram vel ſiniſtram in Cruce tenuerit, aut quomodo conſignatio Crucis habeat fieri, illud egregij verſificatoris Sedulij, quod metrice de paſſione Domini legitur, duxi ponere. Ait certe Sedulius.

L. 1. carminum.

Splendidus auctoris fulget de vertice Eous,
Occiduo ſacra lambuntur ſydera planta
Arcton dextra tenet, medium læua, erigit axem
Cunctaque de membris viuit natura creantes
Et cruce complexum Christus *regit vndique mundum.*

Vt hæc teſtantur carmina quando *Chriſtus* paſſione ſua conſignauit mundum, caput tenuit Oriens, pedes Occidens, ſiniſtram Meridies, & Septentrio dextram. Colligitur ex his dignitas Occiduæ regionis, quia *Chriſtus* faciem verſus Occidentalem plagam tenuit contra quam caput etiã inclinauit, quando ſpiritum emiſit. Hic ſummus ſacerdos, & verus Pontifex oblatione ſui corporis & ſpiritus, & aſperſione cruoris ſacri conſecrauit mundũ, & præ cæteris partibus occiduam regionem, qui ligandi & ſoluendi Romano Antiſtiti in occiduo hemiſphærio
Matt. 6.16. conſiſtenti præ cunctis mundi Prælatis contulit excellentiam in plenitudine poteſtatis. Hanc inexplicabilem dignitatem diabolus, vt videtur, præuiderat cum ſedem ſuam in lateribus Aquilonis ponere cupiebat, vt Altiſſimo ſimilis fieret, exercendo diræ tyrannidis in hominibus principatum, qui primatum gerebat inter omnes or-
Iſa. 14. 15. dines Angelorum. Sed miſer turgidus ſuperbia cecidit, qui ſe contra Deum erexit dominium ſuperbiens vſurpare, quod creator ſuo dominatui reſeruarat. Audiant & tabeſcant, qui ſuperbe nituntur hominibus dominari, Deus ſuperbientibus Angelis non pepercit, ſed eorum multitudinem atrocioribus flammis ſuo iudicio reſeruauit perpetuo cruciandam. Et quomodo parcet in cõtumacia ſuperbiæ perſiſtenti, qui eſt vermis, & cinis? fraudatus eſt à ſuo deſiderio inimicus, licet arte malitiæ ſuæ ſeduxerit hominẽ, & orbem ſibi fraude nequitiæ ſubiugauerit vniuerſum. In monte teſtamẽti in lateribus Aquilonis à concepta malitia deſiſtens minime poſt ruinam. Quia in ſancta vrbe Romana, quę ſita eſt in lateribus Aquilonis, ante aduentum *Chriſti* ſacrilegis cultibus & nequitiæ legibus ſuper orbem vniuerſum exercuit principatum. Dominus autem noſter *Ieſus Chriſtus* qui præliaturus contra malignum principem, Crucẽ aſcenderat, & ſanctam ſibi in lateribus Aquilonis, & in occiduo climate prælegerat vrbem, contra occidentem capite inclinato ſpiritum tradidit, vt ſeruum de poteſtate dæmonum erueret fugitiuum qui ſuggeſtione diaboli à iuſtitiæ receſſerat ſule, & plus gelidus mente quam corpore, captus tenebris ignorãtiæ in Aquilone, vel occaſu

A culturæ dæmonum ſe à facie ſui abſconderat creatoris. Inſecutus eſt Dominus inimicum immiſſione ſui ſpiritus, & eo à throno ſanctæ vrbis expulſo atque deiecto vniuerſa arma, in quibus confidebat, abſtulit: & ſacerdotij ſui atque imperij in ea ſolium confirmauit.

Apertum eſt præterea verſus illud clima ſanctiſſimum latus eius, de quo exiuit ſanguis & aqua. Emiſit Dominus Spiritum, vt ſeruum mortuum à peccatorum occiduo ſuſcitaret: produxit ſanguinem, vt congelatum tor- Ioan. 19.
pore Aquilonis calefaceret; dedit aquam vt ablueret ſordidum, qui computruerat in ſtercore vitiorum. Dextram contra Aquilonem tenuit, quia virtute ſua infidelitatis, odij, auaritiæ, inuidiæ, acciaiæ, luxuriæ & ſuperbiæ Principem debellant. In lateribus Aquilonis, in occidua regione, ſitu tamen caleuti ſita eſt *Roma*, mater cunctarum vrbium & Regina, vt in ſe flagret per charitatis flãmam, frigidos calefaciat ſanctitatis exemplo, & bona
B forma rudes & ignorantes illuminet per diuinam ſcientiam. Hæc eſt inſignis regina illa, quæ aſſiſtit à dextris
filij Dei, non ſolùm dignitate, verum etiam ſitu pendentis in Cruce *in veſtitu deaurato, circumdata varietate*, dum Pſa. 44. 10.
ſplendore excellentiſſimæ poteſtatis diuerſitate cunctarum gentium, ad ſalutem æternam pertinentium varietate linguarum Romanus antiſtes, ſummus princeps & Pontifex fideliter & deuotiſſime prędicatur: Romanũ dico Pontificem, Immo corde credo, & ore profiteor totius orbis animarum & corporum illum eſſe poſt Deũ, principem & paſtorem quorundam ſapientum fideli aſſertione. Hæc eſt ad literam illa *ciuitas Regis magni, ciui-*
tas Dei noſtri: in qua magnitudinem ſuam ſpecialiter Do- Pſal. 47. 3.
minus oſtendit incomprehenſibilem & laudabilem nimis. & in qua excellenter ſupereminet cunctis fidelibus Chriſtiani cultus prælatio dignitatis. Hęc mons teſtamenti ſiue mons ſanctus rectè dicitur, quia in morte ſua
C ſtatuit Dominus Romano Pontifici ſummæ excellentię, Iſai. 14. 13.
dignitatis, pacis, & gloriæ teſtamentum, & principem fecit illum, vt ſit illi ſuper cunctos Eccleſiæ rectores ſacerdotij dignitas in æternum.

Ad hanc vrbem ſacratiſſimam conſecrandam, & de idolorum ſpurcitiis emũdandam de diuerſis mundi partibus Dominus poſt reſperſionem ſui ſanguinis ſacratiſſimam, qua vniuerſus orbis eſt conſecratus, innumerabiles conuocauit ſanctiſſimos ſacerdotes, vt quęlibet patria haberet Romæ quo illi cultum deuotionis etiam quaſi naturaliter exhiberet. Dedit itaque Iudęa Apoſtolorum principem Petrum. Dedit Cilicia Doctorem gentium Paulum. Dedit Hiſpania ſanctiſſimum Leuitam Laurentium, quorum ſanguine ſanctificauit & corporibus vrbem deſiderabilem decorauit. De omnibus etiam alijs regionibus innumerabiles mundus dedit Martyres, & protulit confeſſores, quorum effuſione ſanguinis, do-
D ctrina ſacra, quiete corporum alma ciuitas conſecratur: In tantum illam ſanctificauit Dominus, vt quicumque ad eam Catholice de malis perpetratis venerit emundãdus ipſius Pontificis miniſterio, qui eſt ſpecialiſſimus vicarius Dei, & loco ac dignitate ſucceſſor Apoſtolorum principis Petri, remiſſionem percipiat peccatorum, & etiam ſanctitatis gratiam conſequatur. Temporibus priſcis, vt ſuperius prælibaui: Princeps malignorum ſpirituum ad ſuæ veſaniæ cultum nefandiſſimum ampliandũ, quæque meliora de cunctis gentibus gemmarum, auri, argenti, marmorum, & cunctorum inſignium ſpolia cõgregauit. Fortior autem illo ſuperueniens Dei filius ſanctis Apoſtolis & Martyribus ſuis diſtribuit vniuerſa. Etenim quæcumque erant ad cultum idolorum, omnia cedunt in honorem & obſequium ſanctarum Eccleſiarum. Theſaurizabat Diabolus, & ignorabat cui congregabat ea. Nimirum ipſe congregauit affectu, qui multis laboribus & expanſis coëgit ſuos ſatellites congregare. Dominus congregauit effectu, quia ipſe elicit de malis bona: cuius voluntati ſeruiunt reprobi etiam repugnantes. Diuino nutui ſeruiebat ignarus diabolus ſibi æſtimans perpetuo retinere quæ *Ieſu Chriſti* famu-

latur,parabantur. Deceptos est suis machinamentis deceptur: quia de illius & suorum laboribus Dei filius sibi thronum gloriæ decorauit.

Inde est quod prærogatiua specialis priuilegij gaudet occiduum clima, eo quod in se cũctarum vrbium & dignitatum continet matrem per qoam exuberat abundãtius bonis cœlestium mandatorum. Donò etiam specialis dilectioois Dominus occidentalem extulit, regionem cum illius partibus vltimis beatissimi Apostoli Iacobi Apostolorum protomartyris contulit membra, vt quæ vocatione sanctæ prædicationis & situ erat vltima, capitis gratia & Apostolorum Petri, Pauli, & Iacobi, corporali præsentia dignitate, ac religione fieret prima. Hoc videtur innui in illa trepidatione Ioãnis Apostoli, quãdo audita resurrectione Domini currebãt duo simul: & ille
B discipulus, scilicet Ioannes præcurrit citius Petro, & venit prior ad monumentum, non tamen introiuit, subsecutus est Petrus, & statim introiuit. Post Petrum autem Ioannes qui prior venerat introiuit, & vidit & credidit. Primus venit, vltimus introiuit, vltimus vidit & vltimus credidit. Quia licet orientalis Ecclesia vel Græcorum ad fidem Christi venerit prima, tamen statim exorbitauit secuta pseudoapostolos seductione hæreticæ prauitatis. Vbi vero Ecclesia Romana vocatione Apostolica venit ad Christum, fidem Catholicam inter persecutiones Gentilium sæuissimas tenoit inconcussam, & meruit obtinere acerbissima pugna, quam sibi Dominus gratia cuntulerat dignitatem. Docuit Petrus Romæ. Ioannes vero cursum in Græcia consummauit. Certa fide Roma corpus tenet Petri & deuotissime veneratur,
C Græcia vero dubitat de Ioanne, renuit ad præsens Græcia Deo & Romano Pontifici vicario eius debitam obedientiam exhibere, atque diuersis erroribus miserabiliter implicatur, tandem largiente Domino in spiritu humilitatis ad vnitatem Ecclesiæ Catholicæ reuersura.

De descensu Christi *ad inferos.*

CAPVT. XIIII.

QVibusdam quærentibus certificati auctoritatibos diuinis. Vtrum in emissione sui spiritus ad infernũ descenderit, vel statim sanctorum animæ de potestate tenebrarum liberauerit Dei filius, prout vires scientiolæ nostræ suppetunt, respondemus.

Legitur in passione Domini quod petræ scissæ sunt, & monumenta aperta sunt, & multa corpora sanctorum, qui dormierant, surrexerunt. Hoc statim postquam emisit Christus spiritum, fuit factum, vt resurrectio Sanctorum ostenderet mortuorum sanctorum animas de infernorum carcere liberari. Etenim iniostum esset & valde à ratione dissonum, vt vniuersitatis pretio à Dei filio in ipsius morte dato, vlterius sancti, qui decesserant, detinerentur captiui: Adhibeamus aliqua scripturarum testimonia, ne increduli occasionem reperiãt fidelibus insultandi, quod post mortem suam esset Christus ad inferos descensurus ad sanctorum animas liberandas, Sibylla suis carminibus prædixit dicens:

Et morte morietur tribus diebus somno suscepto,
Et tunc ab inferis regressus ad lucem veniet primus,
Resurrectionis principio reuocatis ostensus,

Item eadem: Sibylla:

Inquirens tetri portas rupturus Auerni
Sanctorum cuncta veniet lux libera carni.

Hoc etiam Dominus per Oseæ Prophetam prænonciauit dicens, *ò mors ero mors tua, morsus tuus ero inferne.* Momordit infernus Dominum cum suasione infernalium Principũ Iudæi *Christum* morti tradiderunt, sed nõ eum infernus deuorauit: quia superata morte *Christus*, victor ab infernis resurrexit. Morsus inferni fuit, & non cibus quia nec per horam ab inferno potuit detineri, & sanctos quos detinebat emisit. Momordit infernum Dominus
A quia deitas descẽdens in animã ad infernum non omnes qui ab eo detinebantur, eruit; sed tantum iustorum animas liberati donauit. Corpus assumptum de virgine in Cruce remansit. Deitas corpus & animam continens in anima solum spoliauit infernũ. Vere mortuus fuit quoad separationem spiritus à carne, vt casus in eo mortis assumptæ humanitatis ostenderet veritatem: & morte mortis principem superaret. Vere à mortuis resurrexit, vt deitatis suæ potentiam patefaceret, & de nostrorum corporum resurrectione futura nobis faceret fidem, passionem & mortem in humanitate pertulit, qui in diuinitate pati vel mori nullatenus potuit. Quod factum est de virgine in cruce remansit. Quod de nihilo creatum est in infernum descendit, & creator in creatura tartara spoliauit. Creator tamen à factura & creatura ex quo vtramque
B que assumpsit, numquam discessit, quià vtramque de nihilo ipse creauit, atq; ad resurrectionem vtriusque de sinu Patris descendit. Post resurrectionẽ vero suam, creator factura & creatura in vnitate personæ se discipulis præsentauit: & in dextera sedens patris verus Deus & verus homo cuncta visibilia & inuisibilia regit, Cuncta namque creauit vt sine principio Deus omnia regit perenniter, vt sine fine Dominus.

Potest probari sanctorum Patrum authoritatibus infinitis Dominum *Iesum* ad liberandas sanctorum animas ad inferos descendisse. Quia vero auctoritatibus tantum Apostolicis hoc petũt aliqui roborari, solicite audiamus quod dicit Apostolus Paulus. Ait enim: *Ne dixeris in corde tuo, quis descendit in abyssum*, Hoc est: *Christum à mortuis reuocare.* Et Petrus in Actibus Apostolorum de
C illo dicit *Quem Deus suscitauit à mortuis solutis doloribus inferni, iuxta quod impossibile erat teneri illum ab eo.*

Idem idem Dauidis proferens testimonium dicit: *Propheta igitur cum esset & sciret quia iureiurando iurasset illi Deus de fructu lumbi eius sedere super sedem eius, prauidens locutus est de resurrectione Christi, quoniam, nec derelictus est in inferno, neque caro eius vidit corruptionem.* Item Paulus de triumpho Christi, & spoliatione inferni dicit: *Delens quod aduersum nos erat cyrographũ decreti quod erat contrarium in nobis: & ipsum tulit de medio affigens illud Cruci, & spoliãs principatus & potestates traduxit confidenter palam triumphans illos in semetipso.*

Hæ auctoritates de pluribus vero & honesto debent sufficere Christiano. Ad intelligendum autem quod Dominus Passione sua principatus & potestates spoliauerit, sciendum est, quod de omnibus sanctorum Ange-
D lorum ordinibus aliqui ceciderunt, tot cõiuncti numero, quot ante casum in vno de nouem ordinibus consistebant. Et vnusquique sicut cæteris erat prælatus spiritibus beatorum: ita nunc quoque inter Dæmones obtinet principatum. Dominus autem principatus & potestates spoliauit, qui mortis Rege cum suis principatibus & potestatibus debellato, qui etiam de illis duobus magnis ordinibus extiterant, primo spolia, quæ in infernali detinebantur carcere, scilicet sanctorum animas secum detulit: & triumphum gloriæ sola magnitudinis suæ potentia deportauit. Non eguit auxilio alieno, qui solo nutu gubernat omnia, vel etiam quædam destruit, quæ creauit. Fortis armatus diabolus voracitate raptus
E & ignorantia cæcus in Deum fortem impegit, & ambo pariter corruerunt. Corruit *Christus* in eo quod homo, morte corruit Diabolus, ea qua furebat perdita potestate. Sed religato mortis principe surrexit *Christus* ferens diadema victoriæ.

Rene-

Reuerentia exhibenda rebus sacris.

CAPVT IX.

HVNC regem omnes deuotissime adoremus, hunc Deum humiliter veneremur: huius imperatoris trophæum totis viribus attollamus, cuius bonitate creati sumus, cuius sapientia gubernamur, & cuius humilitate gaudio fruimur liberatis. Qui humilitate superbię principem vicit, humilitate nos contra potestates aërias semper pugnare docuit: quod ipse etiam fecit tempore carnis suæ, quando non recto capite, sed inclinato emisit spiritum. Inclinemus & nos illi capita nostra non solum mentis, sed etiam corporis, laudes & gratias persoluentes, qui pro nobis peccatoribus se misericorditer inclinauit. Sed sunt nonnulli qui superbiæ spiritu tumefacti (de quibus valde dolendum est) qui etiam cum Gloria, vel Laus Deo canitur in Ecclesia, contemnunt, aut erubescunt Regi Regum Iesu Christo capita inclinare. Coram transeunte cruce, vel Christi Euangelio non assurgunt: in celebratione missę, sacerdote se ad eos vertente & Dominum annunciante, inclinari contemnunt: ad benedictionem Pontificis caput nudare negligunt. & quod omnino nefarium est, & hæresi proximum, cum eleuatur corpus Christi à sacerdote in sacratissimo ministerio Missæ, vel alias defertur, erubescunt, vel refugiunt suppliciter adorare. Hoc maxime nonnulli faciunt curiales, qui consueuerunt terrenis principibus flexis genibus, & nudo capite humiliter ministrare. O stulta dementia, & insana proteruia quæ se oculis filiorum huius mundi objicit insolenter curialitatis prætextu, coram æterno Rege Regum Domino, & coram sacerdote Vicario eius humiliari refugiunt, vel erubescunt: qui mortalis principibus, & eorum tyronibus tam reuerenter satagunt ministrare, Deo nolunt, vel erubescunt humilitate debita subijci, à quo vita eis præsens & futura datur, & illis tota humilitatis affectione etiam in... seruire student, à quibus plories vita vtraque auferetur, mortis auctoribus officiosissime placere affectant, & omnino renuunt displicere, & vitę largitori contraire superbe vllatenus non verentur, & obsecundare humiliter erubescunt.

Sed contingit plerumque, vt qui toto affectu, terrenis
Luc.12.29 assistunt Principibus, ab eis suppliciis & morte crudeli
Matth.10. condemnentur. Qui autem Domino ministrauerit, vt
9.16, ipsa testatur veritas, honorificabit eum pater eius, qui est in cœlis, & qui eum confessus fuerit coram hominibus confitebitur & ipse eum coram patre suo, qui est in cœlis, coram Angelis eius. Qui autem eum erubuerit & sermones eius, hunc filius hominis erubescet cum venerit in maiestate sua, & Patris & sanctorum Angelorum. Quam inæstimabilis Regis nostri humilitas, qui nobis suis seruis indignis parilitate impari domini, & serui, creatoris, & creaturæ, sempiterni & momentanei immutabilis, & corruptibilis, & humillima gratia & laude præsenti conferat æternam laudem, pro confessione coram hominibus facta in terris, confessionem coram patre in cælis vice reciproca misericorditer elargitur.

Hunc ergo tantæ promissionis accepta fiducia totis nisibus collaudemus: illi simplicitate recta humiliemur:
...19.30 illi mentis & corporis capita non verecundemur nudare & inclinare, qui Deus fortis pro nobis infirmis se inclinauit, vt homo infirmus fieret, vt humana firmitas soliditate perpetua, firmaretur. Non erubuit nudari, flagellari, conspui, crucifigi, vt nos immortalitatis stola vestiret, qui etiam inclinato capite spiritum emisit vt nobis humilitatis exemplum vsque in finem tenendum præberet. Humiliauit se cælestis medicus, vt in se assumeret ægrum per quod curaret vulneratum: qui descendens
...10.30 ab Hierusalem in Hiericho inciderat in latrones.

Hunc medicum ad nos misericorditer venientem repræsentat sacerdos, cum in Missa conuersus ad populum dicit: Dominus vobiscum. Repræsentemus & nos inclinato capite ipsius cælestis medici discipulos: de quibus legitur in Euangelio. Quia videntes eum adorauerunt: vt eius esse discipuli mereamur, & curam ab eo Matth.28.
percipere salutarem. Corpus Domini sub panis & vini 17.
specie, atque signum crucis illius prostrato corpore, vel flexis genibus fideliter adoremus, sancto Euangelio reuerenter & humiliter assurgamus. Prælatorum benedictionem, quæ sancti Spiritus aduentum designat, cum timore & fide suscipiamus: & in Ecclesiasticis officiis nos Deo deuotos exhibeamus. Non erubescamus in Dei testimoniis nudare capita, sicut hortatur Apostolus dicens. *Noli erubescere testimonium Domini nostri.* Item
Ibidem: *Omnis vir orans aut prophetans velato capite, deturpat* 2. Tim.1.8
caput suum. Omnis autem mulier orans aut prophetans non 1. Cor. 11.
velato capite, deturpat caput suum. Et post pauca idem A- 4.& 7.
postolus dicit: *vir quidem non debet velare caput suum, quoniam imago est, & gloria Dei.* Orare vel prophetare hac sententia vir intelligitur cum cæteris tacentibus & audientibus in Ecclesia secundum instituta sanctorum Patrũ, orat, legit, vel psallit, aut agit alia ministeria quædam prout Ecclesiasticus docet vsus, quæ ad deuotionẽ incitandam orationis & lectionis geruntur, & diuini cultus officia decoranda.

Cum Euangelium legitur in Ecclesia fideles, viri ad significandum, quia quod erat occultum in veteri Testamento manifeste in luce Euangelica declaratur, nudant capita secundum Apostolum qui dicit: Cum transieritis
ad Christum, auferte velamen. Non solum interiorem 2. Cor.3.16
deuotionem, verum etiam exteriorem reuerentiam & Matt.5.16
honestatem in nobis requirit Dominus; *Vt luceat lux nostra coram hominibus* ad laudem Dei, & habeamus testi- 1.Tim.3.7
monium bonum ab his qui deforis sunt ad imitationem boni. Sed sunt nonnulli, de quibus dolendum est, qui se in diuinis officiis ita exhibent superbi & negligentes, vt per vicos & plateas insectatione alicuius lucri, vel vanitatis studio huc illucque discurrant, cum ad Ecclesiam prætexto orandi, aut psallendi veniunt sine aliqua diuinorum reuerentia quasi fatigati illico sedeant, & tunc de sæcularibus curis à diabolo acrius agitentur, aut incipiunt dormitare: vel certe quod deterius est, alios ad
vana vel scurrilia, & ineptas fabulas inuitare. Cum alij Matth.23.
prosternuntur ad preces, illi pro posse impediunt, aut il- 13.
lecti desidia sedent, vel dormiunt, sibi regnum cœlorum claudunt & alios introire non sinunt, & quia totum mentis desiderium terrenis infigunt, omnino spiritualia negligunt. Ad flagitia proni sunt, & si quid boni operis aliquando videntur arripere cito exorbitant, & arescunt quia in sancta deuotione radicati non sunt. Pro temporali tantum denario ad Ecclesiam veniunt: & cum Pharaone superbe dicere videntur. *Dominum non noui.* Quem
si nossent, & post mortem corporis aliam etiam vitam Exod. 5.2.
crederent vtique diuinis obsequiis Deo reuerentiam & ministris eius humiliter exhiberent. Et quia mundana diligunt, temporalia tantum sectantur, & in cœlestibus delicati sunt. De his recte beatus Gregorius dicit: Omnes huius sæculi dilectores in terrenis rebus sunt fortes, in cælestibus debiles. Nolunt benedictionem, & induunt maledictionem, quia in luxibus carnis, & corporeac desidia permanentes, improuiso exitu quando non putant ad tartara de hoc sæculo rapiuntur, maledictionem assequuntur, sicut per Hieremiam dicitur: Maledictus homo qui opus Dei fecerit negligenter.

Igitur deposito superbiæ typho excutiamos à nobis Cap.48.10
desidiam, & torporem, & alacri deuotione, humili ministerio ad honorẽ *Iesu Christi* filij Dei viui in Ecclesiasticis officiis humillime ac Catholicè persistamus, vt per ipsius humilitatem cum eo, qui se pro nobis misericorditer inclinauit, in cœlis semper regnare mereamur, Amen.

De signo Crucis.

CAPVT XVI.

QVÆRITVR de consignatione, vtrum cum sibi vel alijs fideles imprimunt signum Crucis, manus debeat trāsire de sinistra ad dexterā aut de dextera ad sinistrā. Ad quod dicimus sicut fideliter credimus, & tenemus, quia vtrumque bonum est, vtrūque sanctum, vtrūque vires exsuperat inimici, dūmodo in simplicitate Catholica hoc gerat religio Christiana. Quia vero plures insolenter nituntur horum alterum abolere, asserentes quod non debeat manus transire de sinistra ad dexteram prout traditum tenemus à patribus, paulisper de hac re charitatis gratia conferamus.

Enimuero cum Dominus *Iesus* ad restaurationem humani generis mundum misericorditer consignauit, à
Ad Hebr. 1. 23
patre processit, venit in mundum, infernum quasi sinistram adijt. & ascendens in cœlum sedet à dextris Dei. Hoc repræsentare videtur quisque fidelis, cum faciem suam signo muniens crucis, tres digitos tensos contra frontem superius eleuans dicit: *In nomine Patris.* Et inferius deponens versus barbam dicit. *Et Filij* Et in sinistram ducens, dicit: *Et Spiritus sancti.* Atque inde producens in dexteram dicit: Amen. quod est, fiat vel sine defectu. Per quod intelligitur æternæ beatitudinis vita, gratia finis cuius sunt omnia nostra opera peragenda, & quia per dexteram Dei intelligitur beata vita (vt ait ve-
Cant. 2. 6.
nerabilis Beda) & hæc mortalis per læuam, vt est illud *Læua eius sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me* debemus finem nostrorum operum transmittere de sinistra ad dexteram, & in cœlo reponere sudores nostros
Coloss. 3. 1
& quæ sursum sunt quærere, vbi Christus est in dextera Dei sedens: In illa beata dextera tota nostra intentio dirigatur, & opera finiantur, vbi quid non succedit sinistrum. Vnde videtur de ratione consignationem Crucis esse in parte dextera finiendam, maxime cum Dominus hoc fine Crucem subierit, vt sinistram, id est, terram spoliaret, & suos ad dexteram patris, hoc est, ad beatam vitam perduceret. Itaque consignatione Crucis ducamus manum de sinistra ad dexteram: quia cum essemus filij sinistræ per crucem effecti sumus filij dexteræ, & cum essemus serui diaboli, effecti filij Dei. Per Crucem transiuimus de sinistra ad dexteram, de tenebris ad lucem de ira ad gratiam, de miseria ad felicitatis gaudia, & de morte ad vitam, vbi sinistris cessantibus omnia succedunt dextera & beata.

Semper in sacra scriptura, vt Patres orthodoxi testantur, aduersa huius mundi, vita præsens, vel æterna damnatio intelligitur per sinistram, sicut per dexteram præ-
Isaia 30. 21.
sens prosperitas figuratur, vel requies beatorum. Præsens aduersitas, vel prosperitas, vt est illud: *Non declinabitis ad dexteram neque ad sinistram*, hoc est in prosperis, vel aduersis à rectitudine iustitiæ non est aliquatenus deuiandum. Qui enim aliquid agit de genere bonorum vt terminetur in malum, declinat ad dexteram. Quod quidem illi faciunt, qui causa bonorum temporalium alios intendunt decipere. Et qui mala scienter agit declinat ad sinistram. Præsens vita intelligitur per sinistram, vt paulo ante dictum est. Beata vita, vel æterna dam-
Matth. 25. 33.
natio sicut Dominus dicit: Quia statuet oues ad dexteram suam, atque hædos ad sinistram. Cum igitur mala semper designentur per sinistram, & bona per dexteram, non debemus actiones nostras opere sinistro finire. Sit nostrum principium & finis *Christus*, qui est dextera Dei
Cap. 1. 8.
quæ fecit virtutem: qui dicit in Apocalypsi: Ego sum, α & ω principium & finis. Ipsum principium ponimus, omnia opera nostra signo crucis dedicantes incipimus
Isa. 30. 27
& in consignatione dicimus: *In nomine Patris.* Est enim
Psal. 18. 7.
ipse nomen Patris de quo scriptum est: *Ecce nomen Do-*

A *mini de longinquo.* Idem de patris æqualitate, quia *à summo cœlo egressio eius.* Ipsum finem ponimus, cum nostrorum operum finem ad ipsum dirigimus, & in fine consignationis dicimus Amen. Quia de ipso etiam in Apocalypsi dicitur. Hæc dicit Amen, testis fidelis & verus, & cæters. Igitur cum eleuata manu ducimus: *In nomine Patris* filium secundum diuinitatem æqualem Patri, Cap. 3. 14.
& ab eo genitum procedere designamus. Cum inferius dicimus, *& filij* personam tantum geniti assumpsisse naturam hominis, & eum secundum humanitatem minorem patre fatemur. Ad sinistram autem *& Spiritus sancti* ducimus, quia per sacrum flamen ab instantibus periculis liberamur, & in nouissimo die à morte corporis resurgemus, vt Apostolus dicit, *Spiritus eius*, inquit, *qui* Rom. 8. 11.
suscitauit à mortuis Iesum viuificabit mortalia corpora vestra.

B De sinistra manum ducentes ad dexteram dicimus *Amen.* Quia ipse filius rediens ab inferis, sedet in Patris dextera, & illic vocat suos, vt sine defectu gloriæ illos secum faciat consedere. Quod autem sit illud nomen *Patris, & Filij & Spiritus sancti*, quo nos & alios consignamus, vel actiones nostras debemus incipere & finire, Coloss. 3. 17
Apostolus nobis insinuat dicens: *Omne quodcunque facitis in verbo aut in opere, omnia in nomine Domini nostri Iesu Christi facite.*

De nomine IESV.

CAPVT. XVI.

C IESVS est hoc nomen prædulce, nomen super omnia desiderabile, nomen (vt ait Apostolus) *quod est super omne nomen, vt in nomine* IESV *omne genu flectatur.* Phil. 2. 9. & 10.
hoc est ineffabile nomen Dei: non quod fari minime possit, quantum ad prolationem vocis, sed quod in eo virtus & mysterium manet incomprehēsibile, & bonum Act. 9. 15.
ineffabile suis deuotis tribuit petitionibus. Tres sunt 1. Ioan. 5. 7
vocales in hoc nomine, scilicet, i, e, & u, quia tres personæ, *Pater, & Filius, & Spiritus sanctus.* sunt in maiestate vnius substantiæ deitatis, sicut Ioannes testatur dicens: *Tres sunt qui testimonium dant in cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus sanctus. Et hi tres vnum sunt.* Tali nomine merito præfulget filius Dei, quia illa eademque
D natura, quæ in tribus personis est essentialiter tota & plena, simul in filij persona consistit. His tribus vocalibus duæ adduntur litteræ, vna media & altera vltima scilicet, S. geminata. Quia filij Dei persona: quæ in se totius Trinitatis naturam continet, de Virgine, anima mediante humanum corpus assumpsit. Potest etiam intelligi, quod prima syllaba, scilicet, Ie, quæ constat ex duabus vocalibus sine consonante, patrem designat, & & Spiritum sanctum, qui humanam naturam non sibi, sed filio assumpserunt: licet enim opera Trinitatis inseparabilia sint; solus tamen filius humanam assumpsit naturam. Vltima vero vocalis, scilicet, u, quæ inter duas consonantes consistit, personam designat filij, quæ ani-
E mam & corpus assumpsit humanum, vt totum hominem qui ex anima & corpore constat, de potestate erueret tenebrarum. Non enim persona diuina personam assumpsit hominis, sed assumpsit humanam naturā. Retinuit ius personalitatis natura diuina, non tamen fuit personalitas in assumpta natura. Est igitur Deus & homo non duæ personæ, sed vna. Qui Deus erat de Deo Patre cooperatione Spiritus sancti corpus humanum accepit de virgine Matre atque in ipsa corporis assumptione animam sibi creauit de nihilo, quam creando assumpsit & assumendo creauit. Non sicut aliorum hominum corpora, quæ prius organice formantur in vtero matris, & postea corpori in sui creatione anima infunditur, vt formatio corporis creationem & infusionē præcedat animæ: sed vno eodemque momento corpus & animam accepit Dei filius; vt Deus & homo fieret, qui tantum ante sæcula erat Deus. & qui verus Coloss. 1. 13
erat

erat sine tempore, Deus, verus homo in tempore factus
est, vt sic Deus & homo in vnitate personæ, non in vni-
tate naturæ. Natura quidem diuinitatis impassibilis &
simplicissime: natura humanitatis passibilis & composi-
ta ea corpore caistens & anima. Recte hoc gloriosum
nome IESVS dicitur ineffabile; continet enim illas,
easdemque significationes & literas latine scriptas, quę
sunt in illo Hebræo Dei nomine tetregrammaton scili-
cet, e, i, u, vel ioth, he, vau, he, vel potius ea tribus, quia
voa geminatot, scilicet, he, quoniam Spiritus sancti per-
sona geminum habet in deitate respectum: Pater nam-
que à nullo est. Filius à patre genitus est, Spiritus san-
ctus à Patre & Filio pariter procedit.

Hæc est huius nominis natura, vt si diuidatur in tres
dictiones quælibet illarum significet idem quod totum,
vt si dicatur *ie*, *ea*, *ue*, quælibet est nomen Dei, sicut totũ,
scilicet Ieue. Quia in qualibet harum trium personarum
totius Trinitatis natura seruatur, Hæc totalis distinctio
Act. 2. 38. in hoc nomine IESVS reperitur, vnde ineffabile Dei,
& 8. 16. tatis nomen esse probatur. Inde est quod Apostoli in
nomine Domini IESV baptizasse & miracula patrasse
leguntur. Prima etenim syllaba per se posita dicit Ie.
Seiuncta e, ab I & sublata S. de medio, & adiuncte u, dicit
Eu. Item u, verse contra e, dicit ue, vt illa omnia Dei
nomina, quæ in nomine tetragrammato continentur, in
hoc nomine IESVS reperiantur, scilicet, ie, eu, oe, quæ
sunt nomine Trinitatis. Vt autem hoc nomen tetra-
grammaton absque periculo proferretur à nobis, immo
vt nobis frequens ipsius prolatio fieret medicina salutis,
diuina Sapientię addidit huic nomini S. geminatum, vt
nomen fieret IESVS in salutem credentium. Quod
Saluator siue saluatio interpretetur. Non poterat hu-
mana fragilitas loquentem diuinitatem audire, vel Dei-
tatis manifestam ferre præsentiam, nisi Deitatis eminem
& corpus assumeret hominis in quo homo hominibus,
& fragilis fragilibus appareret, teste Israëlitico populo,
Exod. 20. qui dicit ad Moysen. Non loquatur nobis Dominus
19 *&* 33. Deus, ne forte moriamur. Et Dominus dicit Moysi:
20. quia *non videbit me homo & viuet post.* Nunc autem
securus accedit homo ad Deum, quem carne sua vides
vestitum. Nomini sancto suo Dominus geminum S.
addidit, vt non solum sine periculo à fidelibus proferre-
tur, verum etiam frequenti ipsius prolatione nomen
gloriæ IESV sillis existeret salus. Quasi geminum S.
diuinitati addidit animam & corpus, vt qui erat Deus
terribilis & fortis, fieret homo suauis & mitis vt fragilis
conformaretur fragilibus, & infirmus compateretur in-
firmis, & haberet nostra debilitas vnde posset ad Deum
Matth. 26. accedere cum fiducia, & in suis miserijs consolari. Fra-
41. gilis fuit homo Deus non mente, sed corpore, sicut ipse
de se testatur dicens: Spiritus quidem promptus est, caro
autem infirma. Accedat igitur homo iam securus ad
Deum quia suauis & mitis est, & ad se homines humili-
Matth. 11 ter vocat dicens? *Discite à me quia mitis sum, & humilis*
29. *corde.* Infirma hominis dignatus est sumere vt homines
infirmos curaret, atque vt illis ad se veniendi fida dare-
tur facultas, per omnia voluit hominibus similari, &
habere fratres, quos primo habebat seruos abiectos, in-
utiles, delicta auferret, & in tentatione ferret infirmis
auxilium pietatis, sicut Apostolus dicit: Vnde, inquit
Heb. 2. 17. debuit per omnia fratribus similari, vt misericors fieret,
& fidelis Pontifex ad Deum, vt repropitiaret delicta po-
puli. In eo enim quod passus est ipse tentatus potest in
qui tentatur, auxiliari.

Tantæ humilitatis Domino se vocante quilibet pec-
cator in corde contrito, & confessionis voce ad suam
salutem acceleret: quia ipso teste Deo non venit voca-
Matt. 9. 13 re iustos, sed peccatores ad pœnitentiam. Miserebitur
Marc. 3. 17 enim nostri Deus noster, quia os nostrum, & caro no-
1 *Cor.* 6. 5. stra est. Sublatus est enim ille antiquitatis terror, quia
Eph. 2. 14. veniens mediator Dei & hominum inimicitias dissoluit
inter Deum & hominem, & reconciliauit nos Deo Pa-
tri Christus IESVS. Quantus putas incratat terror Israë-
A litieæ plebi cum Dominus super montem Sinai cum
tonitruorum fragore, & strepitu buccinæ vehementi,
in igne descenderet, & contestando diceret Moysi, vt *Exod.* 19.
tam sacerdotibus, quam plebi præciperet dicens: Cauete 12. *&* 24.
ne ascendatis in montem nec tangatis fines illius. Om-
nis qui tetigerit montem, morte morietur. Item Domi-
nus: Sacerdotes, inquit, & populus non transeant ter- *Isa.* 33. 14.
minos, nec accedant ad Dominum, ne forte interficiat *Deut.* 24.
illos. Et in Isaia: *Quis poterit habitare de vobis cum igne* *Heb.* 12.
deuorante? Quis habitabit ex vobis cum ardoribus sem- 27.
piternis? Et illud Moysi: Deus, inquit, tuus Israël, ignis
consumens est.

Hæc verba diuina terribilia videbantur, & non pote-
rat humana mortalitas tolerare, nec splendorem diuini-
tatis sufferre, aut nomen diuinitatis sine periculo nomi-
nare. Vt autem homo non ad periculum, sed ad salutem
frueretur Deo, & eius gloriæ nomen proferret, datum
B est per spiritum sanctum hoc nomen IESVS in nouissi-
mis temporibus: & venit Deus non in monte, sed in
puellam virgine non in igne, sed in carne: nõ in tonitruo-
rum fragore vel buccina perstrepente, sed in voce hu- *Matth.* 11.
millima peccatores vocans ad se & dicens; *Venite ad me* 28 29. 30.
omnes, qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos. &
inuenietis requiē animabus vestris enim Iugum meum suaue *Matth.* 11.
est, & onus meum leue, Non veni ministrari, sed ministrare. 28.
Non venit filius hominis animas perdere, sed saluare. *Luc.* 9. 26
Venit filius hominis quærere & saluum facere quod pe- *Matt.* 9. 13
rierat. Venit vocare peccatores, ad pœnitentiam. O
Deus dulcis & amabilis, suauis, blandus, & mitis. O ver-
ba suauia super mel & fauum vndique misericordia su-
per affluentia, plena dulcedine, & referte pinguetudine
charitatis. O bone Iesu, iam læti & securi pulsa formi-
dine te amplectimur verum Deum. Tuam adoramus
simpliciter maiestatem. In te nostræ carnis & sanguinis
C amplectimur veritatem. Respondeat sanctissimis &
clementissimis verbis tuis princeps Apostolorum Pe- *Ioã.* 6. 68.
trus & dicat pro omnibus nobis. Domine verba vitæ *Matth.* 26
æternæ habes, & quò ibimus? Si oportuerit me mori te- 35.
cum non te negabo, paratus sum tecum in carcerem & *Luc.* 22. 33.
in mortem ire.

Curramus, charissimi fratres, ad thesaurum deitatis, ve-
niamus in homine: teneamus, nec dimittamus vitam *Cant.* 3. 4.
à nobis recedere. Quia qui inhabitabat lucem & ignem 1 *Tim.* 6.
inaccessibilem, nunc commoratur in carne: & non so- 16.
lum accessibilem, verum etiam palpabilem & esibilem
se præbet suis fidelibus. Ipse enim dicit discipulis suis
Palpate & videte, quia spiritus carnem & ossa non ha- *Luc* 24. 39
bet, sicut me videtis habere. Ego sum, nolite timere. *Ioã.* 6. 57.
Qui manducat me viuit per me. Qui manducat carnem
meam, & bibit sanguinem meum in me manet, & ego
in eo, & habet vitam æternam. O res mirabilis! O cha- *Exod* 19.
D ritas ineffabilis! Ille idem Deus, fortis & terribilis, qui 18.
in monte Sinai igne & tonitruis fulgurabat, nunc in
puellæ virginis matris gremio suauis & amabilis virgi-
neo lacte nutritur, & humanis blanditijs confouetur.
Concupiuit Deus speciem virginis. Dilexit gigas pul-
chritudinem mulieris, & captus est leo vinculis nostræ *Psal.* 44.
carnis. Factus est cibus suauissimus hominum, qui cun- 12.
ctorum in fortitudine sua regit ordines Angelorum. Et
nomen gloriæ IESVS mira dulcedine temperauit, vt
esset continuis vsibus hominum frequenti prolatione
aptissimum, vt secundum Apostoli præceptum, *siue mã-* 1. *Cor.* 10.
ducamus, siue bibimus, aut aliquid aliud facim⁹, in nomine Do- 31.
mini nostri Iesu Christi faciamus. Deteguntur hoc nomine
insidiæ inimici: liquescunt artes diaboli, & franguntur
vires hostis antiqui. Vbicumque fideliter & deuote fit
inuocatio huius nominis, virtus adest Spiritus sancti ad
consolationem mœrentium, oppressorũ leuamen, & eru-
ditionẽ bonorũ, vt per Spiritũ sanctum hoc nomẽ pro-
betur esse inuentum, ad cuius inuocationem se statim in-
fundit, vt per collatam gratiam dicat, *Ecce adsum.* Si quis *Isa.* 58. 9.
autem contentiose dicit, aliud esse trinitatis nomen ab
isto in salutem credentium, audiat contra se de hoc no-

mine IESV dicentem Apostolorum Principem Petrum: A
Act. 4. 12. Non est, inquit nomen aliud sub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos saluos fieri. Hoc est igitur nomen super omnia dulce quo nos & alios sub inuocatione Trinitatis consignamus, in quo viuimus, mouemur & sumus.

Quod si in accusatiuo casu sumamus IESVM diuisim reperiemus, IE, quod est nomen Dei, & hoc verbũ quod diuinam propriè notat essentiam. Et dicitur IESVM, quasi *Deus sum*. Sicut enim dicit ipse ad Moysen. *Ego sum qui sum*, hoc est nomẽ meum. Hoc nomen
Exod. 13. 14. & 15. salutare IESVS, cùm scribitur in Hebræo, non totalem illius nominis tetragrammaton significationem reddit sicut cum scribitur in Latino. In Gentili eloquio est, maioris virtutis, quia gentibus præcipue datum est hoc sa-
Rom. 11. 25 lutare Dei cum cæcitas ex parte contigit in Israëlitica B
Matth. 21. 43. plebe, cui saluator dicit: Auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus eius.

Per vocales huius nominis diuinatis personæ, & per personãtes humana natura congrue designantur. Quia vocales per se sonum faciunt, sine quibus nulla potest vox humana proferri. Consonantes vero nullum sine vocalibus possunt reddere sonum. Diuinitas namque sine humana natura per se potest omnia, & homo sine Deo per se boni facere nihil potest. Dicitur *persona*, quia per se sonat, id est, per se sine creaturæ adminiculo cuncta perficit & gubernat. Vel dicitur *persona*, vt *per*, intensiue sumatur, & sit sensus, valde sonat. In scripturis etenim sacris, siue in intellectu subtilius capientis, cui C diuinitus intelligere datur, valde sonat, quod sunt tres personæ in vnitate indiuiduæ deitatis; sed quomodo sunt neque scriptura potest ostendere neque capere intellectus. Vnius maiestatis diuinæ personarum pluralitatem liber Genesis esse declarat, cum in subuersione detestabilium ciuitatum, scilicet, Sodomæ & Gomorræ
Gen 19. 24. dicit: *Pluit Dominus à Domino sulfur & ignem. Dominus à Domino* filius est à patre qui non duo Domini, sed vnus est Dominus & tamen propter personarum distinctionem duo dicuntur.

De Trinitate.

CAPVT. XVII.

QVOD tres sint vnius deitatis personæ psalmista D manifestat dicens: *Sedes tua Deus in sæculum sæculi*
Psal 44. 7. & 8. *virga æquitatis virga regni tui. Dilexisti iustitiam, & odisti iniquitatem, propterea vnxit te Deus Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis.* Manifeste hic notatur Trinitas personarum, cum dicitur Deus vnxisse Deum vnctione spiritus, de qua dicit Apostolus, vnctio eius docet nos de omnibus. Hanc sancti Spiritus vnctionem beati Ambrosij verbis sancta Ecclesia sibi dari precatur, cum dicit. Infunde vnctionem tuam clemens nostris sensibus.
In sequẽti in missa dio. Pent. in Missali Rom. vit. Isaiæ 11. 2. Ioan. 1. 16. *Deus vnxit Deum*, id est pater filium *oleo lætitiæ*, id est, sancti Spiritus vnctione, cum repleuit eum septem muneribus gratiarum, videlicet Spiritu sapientiæ & intellectus Spiritu consilij & fortitudinis: Spiritu scientiæ E & pietatis, & Spiritu timoris Domini. Hæc sancti Spiritus septem dona fuerunt in homine Deo IESV *Christo* redundãtia, de cuius plenitudine nos omnes accepimus.
Cap. 48. 12 13. & 16. De personarum Trinitate dicit Isaias: Ego ipse, ego primus, & ego nouissimus. Manus quoque mea fundauit terram, & dextera mea mensa est cœlos Et post pauca: *Dominus meus misit me, Spiritus eius.* Verba hæc Filij Dei sunt per Prophetam loquentis, cum dicitur: Quod Dominus Deus misit me primum & nouissimum, liquide patet tres esse deitatis personas, & à patre cooperatione sancti Spiritus, Filium missum. Non est hæc missio intelligenda localis: quia Pater & Filius & Spiritus sanctus vbique semper indiuisibiliter sunt per præsentiam vnius indiuisibilis maiestatis. Vna est harum trium personarum indiuisibilis natura, & inseparabilis vnius substantia Deitatis.

Quomodo ergo in mundum venit, qui semper in mundo erat & est, & à patre nunquam recessit; Sed Pater Filium misit, quia ipsum incarnari constituit. Filius à patre processit cum humanam naturam assumpsit. In mundum venit, cum se hominibus in carne manifestauit. Est ergo Deum *in mundum venire*, suam præsentiam hominibus manifestare. Tropologice scriptura de huiusmodi operibus diuinis loquitur, quia non potest propriè eorum existentiam propalare. Dicitur Deus ad nos venire, cum iusto iudicio nobis infligit pœnam, vel dum misericorditer infundit gratiam. Recedere dicitur, cum horum neutrum apud homines operatur. Ipse tamen B semper est apud homines, & vbiq; per præsentiam maiestatis. Igitur Dei Filius in mundum tunc venit, cum diuinitatem suam incarnatã hominibus patefecit. Tota diuinitas erat in carne humana quæ tota cum Patre & Spiritu sancto regebat inseparabiliter super cœlos Angelicam creaturam. Inseparabiles sunt omnino hæ tres vnius indiuisibilis Deitatis personæ, & nulli desunt locorum, quæ omnino incircumscriptibiliter semper vbique sunt, & nullum occupant locum, quæ ab inuicem non possunt aliquatenus separari. Vt hæc vero mentibus fidelium recondamus, vt fide teneant in salutem ineffabilia Dei quæ corde non possunt excogitari, neque lingua fari, beatissimi Doctoris Fulgentij sententiam ad C eruditionem nostram sedulo audiamus, qua dicit: *Quoniam* inquit *vna est vera diuinitas quæ in se ipsa tres habet inseparabiles omnino personas, propter quod ipsa Trinitas vnus est Deus, & in creaturis nulla natura in tribus personis inseparabilis inuenitur.* Attẽdamus quid agatur in vno quoque homine: in quo non tres personas in vna natura, sed duas naturas inuenimus in vna persona: Deus quippe mirabili suæ virtutis opere ex duabus naturis, hoc est anima rationali & carne vnã naturam hominis cõposuit; & in anima & carne vnam naturã hominis manere præcipit. Ecce in homine sunt duæ naturæ in vna persona, sicut Trinitatem dicimus tres personas & in vna natura.

Attendamus ergo hîc à duabus istis naturis in vna persona manentibus quædam communiter fieri, nec communiter vel accipi vel haberi. Nempe in nobis ipsis aliquid vno fieri carnis & animæ officio inuenimus: quod tamen aut carni tantum aut animæ deputemus. Certis- D sime namque sicut caro sola cibis corporalibus pascitur sic anima verbo Dei specialiter enutritur. Et tamen vt caro, quæ de terra est; terrenis pascatur cibis, cooperante anima, comedit: quando quidem ex anima viuit vtiliter habens vnum in se operantis, alterum secum animæ cooperantis officium, cui simul est, & ex vita, vt comedat, & ex cibis vt viuat. Cum ergo cibus sumitur communis est operatio carnis & animæ, qui tamen cibus ad solam inuenitur carnem proprie pertinere. In percipiẽdo quoque verbo Dei, quo spirituali cibo anima sola pascitur, vt ad eundem cibum perueniat, vtitur officio aut oculorum aut aurium. Ac per hoc vt interius ipsa pascatur non sine carnis operatione perficitur. Sicut ergo hîc vtriusque naturæ inuenitur operatio cum sit vnius acceptio: ita credamus humanã naturam vnigeniti Dei simul à Patre, & Filio & Spiritu sancto factam, sed à solo filio pro nostra salute susceptam. Si autem adhuc mens nutat non capiens hanc adoptionem ad Deum de homine quasi ad simplex de composito, aliud dusi proponere, etsi non simile, tamen fidelibus suasibile. Nulla etenim creatura potest creatori assimilari. Licet enim ani- *Gen. 1. 27.*
ma hominis ad imaginẽ Dei facta sit, & Angelus signa- *Ezech. 28. 12.*
culum similitudinis Dei existat; solus tamen Filius est *Coloss. 1. 15.*
imago Dei inuisibilis: homo ad imaginem & Filius Dei imago est.

Consideremus ergo quid agatur in anima, vt per creaturam ad creatorem, ad cuius similitudinem facta est

ascen-

ascendere valeamus. Anima cum sit simplex, & indiuisibilis, & omnino partibus careat, continet in se tria, scilicet, *rationem ingenium, & memoriam*, quorum vnum in aliud horum transire nequaquam potest, & horum triū quodlibet proprium exercet vsum, ita vt ad alterum eius actio non pertineat, vt à re simplicissima id est, ab anima nequeant separari. Ratio quidem discernit: imaginatio rerum formas capit, & memoria præteritorum conseruat patrata. Cum igitur anima sit substantia simplex vt careat partibus necesse est, & quodlibet horum trium esse in tota anima intelligitur. Tota etiam anima ipso effectu rationis est ratio, & effectū imaginationis est imaginatio, & effectu memoriæ nuncupatur memoria, cum ista quodammodo à se sint diuersa. Vnde dicit Isidorus: Anima, ait, dum discernit, ratio est, consentit, volūtas est, dum recordatur, memoria est, & tamen non tres animæ, sed vna est anima. Cum hæc reperiantur etiam in Angelo, vel in cuiuslibet hominis anima, & fere hominibus sint inexplicabilia, cur ineffabilia personarum diuinitatis explicare nititur temeraria præsumptio nostra? Credere salubriter possumus. Illa inuestigare, sine erroris periculo non valemus. Trinitas & vnitas quodammodo reperitur in qualibet rationabili creatura, & trinitatem personarum in vnitate Deitatis refugit credere: quia illa intellectu plene non capit hebetudo humana. Alia est ratio, alio imaginatio, & alia memoria, licet vna & indiuisibilis sit anima, & tamen hæ qualitates sunt animæ non personæ. Ita alia est persona Patris, alia Filij, alia Spiritus sancti, & vna maiestas inseparabilis, vnius indiuisibilis deitatis. Et hæc non qualitates diuinitatis credendæ sunt, sed personæ. Nulla distinctio in deitate credenda est, nec vnitas in personis.

Isid. li. 1. de differentiis. Vnde Doctor Hispaniarum Isidorus, In personis, inquit discretio est, in diuinitate nulla distinctio. Est enim gignens, genitus & procedens. Tria quidem nomina, sed substantia vna. Sicut ignis, candor & calor, tria quidem sunt vocabula, sed res vna. In relatione personarum Trinitas est; in substantia vero naturæ vnus Deus est, Pater scilicet, & Filius, & Spiritus sanctus. De Patre enim, quia Deus est, Apostolus testatur dicens: *Vnus Deus & Pater, ex quo omnia*. Item de Filio, quia Deus est, alias ipse dicit: quorum patres, & ex quibus Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in secula. De Spiritu sancto, quia Deus est idem qui supra, sic Dicit: *Diuisiones donationum sunt, idem vero Spiritus*. Diuisiones operationum sunt, idem vero Deus. Ecce Pater, & Filius, & Spiritus sanctus, Deus est. Sed non Deorum numerus in illa Trinitate credendus. Scriptum est enim: *Ego sum & non est alius Deus præter me*. Et illud: Audi Israel Dominus Deus tuus, Deus vnus est. Tres ergo deos credere profanum est, Trinitatē in personis non distinguere impium est. Vna est æternitas personarum, quia nulla aliam antecedit antiquitate temporis vel ætatis. Pater ingenitus est. Filius genitus. Spiritus sanctus non genitus, sed procedit. Filius de Patre procedit nascendo. Pater nunquam est sine Filio: & tamen sine filio pater genuit, & filius patri posterior non est. Spiritus sanctus de Patre procedit & Filio, & tamen non aliqua præcisione ab eis diuiditur, à quibus procedit. Nec credendum est, quod successiue modo sit Pater, modo Filius, & modo Spiritus sanctus, cum apud ipsum nulla sit transmutatio, vel vicissitudinis obumbratio, quia qualitas in Deo nulla est, sed simul & semper Pater, & Filius, & Spiritus sanctus in vnitate Deitatis in tribus personis est. Ad patrem pertinet de se semper filium generare, & semper in filio esse, & ad filium pertinet semper de Patre nasci, & semper in Patre esse. Pertinet ad Spiritum sanctum semper de patre filioque procedere, & semper in patre & filio permanere. Natus est semper filius de patre identitate naturæ. Natus est de gloriosissima Virgine matre semel assumptione humanitatis. Nascitur de fidelium cordibus semel largi-

1. Cor. 8. 6. Rom. 9. 5. 1. Cor. 12. 4. & 5. 1. Cor. 12. 6.

Deut. 32. 39. & cap. 6. 4.

A tione gratiæ suæ. Digne loqui de personis vim transcendit rationis, excedit ingenia non solūm humana, verum etiam Angelica. Quia (vt testatur Apostolus) *Pax Dei exuperat omnem sensum*. Absit autem à fidelium cordibus detestabilis error, vt quia dicimus Spiritum sanctum à patre filioque procedere, & filium tantum humanam assumpsisse naturam, credamus Deitatis personas ab inuicem locali dimensione semotas. Vel quia vnam credimus esse Patris, & Filij, & Spiritus sancti indiuisibilem naturam, vnam credamus esse personam. Aut quia dicimus tres personas, tres esse credamus naturas. Siue quia dicimus totam Trinitatis naturam esse in Filio, credamus Patrem & Spiritum sanctum simul cum Filio hominem assumpsisse. B

Hoc etiam sollicite aduertendum, vt cum in scripturis Patrum inuenerimus, filium hominem assumpsisse; humanam naturam intelligamus. Non enim Dei filius hominis personam, sed naturam, hoc est, animā, & corpus accepit. Similiter cum legerimus Patrem & Spiritum sanctum non sibi, sed Filio naturam hominis accepisse, intelligamus, cooperatione Patris & Spiritus sancti pro salute hominum Dei filium Dominum & Saluatorem nostrum corpus & animam assumpsisse, qui est *Iesus Christus* Deus omnium, & cum Patre & Spiritu sancto in vnitate maiestatis & personarum trinitate viuit & regnat Deus in sæcula sæculorum, Amen.

C

Quomodo alios consignemus.

Capvt XVIII.

Svpervs diximus, qualiter nos consignare debeamus, nunc etiam restat videre, quomodo alios rationis iudicio consignemus.

Ordo rerum deposcit, vt qui boni operis quicquam intendit agere primo ad laudem Dei. Secundo ad vtilitatem animæ suæ. Tertio ad profectum proximi intentionem eleuet, & in opere ipso ordinata charitate dirigatur, vt ita bonus sit proximo, quatenus ipse non separetur à Deo. Quod figurare videmur, quando alios consignantes in facie ad nostram dexteram, & eorum sinistram crucis signum finimus, nihil enim sinistri operis agere debemus, vt aliis prodesse possimus. Sed fidei & operum in nobis honestate seruata debemus proximorū D vtilitatibus inseruire. Vnde cum facimus signum crucis quia procedit à nobis cōsignationis opus de sinistra nostra ad dexteram manum ducimus, siue nos, vel alios cōsignamus, vt actio nostra fine dextero terminetur. Et quia (vt ait sapientia Dei) *vias quæ à dextris sunt nouit Dominus, & quæ à sinistra sunt, peruersæ sunt*. Omittentes sinistram semper dextram teneamus, vt nostorum operum finis in dextris inueniatur. In consignatione in alus finienda, eorum non attendimus dexteram, vel sinistrā, sed dexteram nostram tantum, vt patet, in consecratione altaris, atque in hominibus baptizandis. Nam consecrationes altarium quando fiunt de altaris sinistra sacræ vnctionis cruces ad eius dexteram producuntur, vbi & fi- E niuntur. Quando etiam hi, qui baptizantur ad sinistram eius, crux sacræ ducitur vnctionis. Cum etiam inter scapulas similiter insignitur, de illius sinistra crux ad eius dexteram ducitur. Quapropter patenter innuitur, dum modo in dextera & modo in sinistra alterius crux finitur, quod non consignandorum dexteræ, vel sinistræ finis attenditur, sed potius dexteræ consignantis.

Quidam tamen prose volunt inducere, quod debemus cum nos ipsos consignamus, manum ducere de dextera ad sinistram, quia Christus de Iudæis transit ad Gentiles. Quibus ratione præuia respondemus, quia ad hoc ad Gentiles transiit, vt de sinistra, hoc est, de infidelitatis miseria reduceret eos ad dexteram, hoc est,

ad fidem Catholicam hoc fine, vt illos secum in sua & Patris dextera collocaret. Vnde consignatio est in parte dextera finienda. Ad quod designandum introitu missæ sacramentorum librum ministri ponunt in dextera sacerdotis & altaris ad meridiem; & post Euangelium transferunt illum in sinistram eorundem ad septentrionem, & circa finem missæ iterum reducunt illum ad dexteram. Quia cum intro ierit gentium plenitudo, tūc
Rom. 11. 25 omnis Israel, quia conuertetur ad dominum saluus fiet. In dextera igitur est nostra consignatione finienda, quia Iudæi & Gentiles explebunt in dextera fidei finem mūdi, qui erunt in dextera Dei perpetuo collocandi. Tribus digitis extensis, id est, pollice indice, & medio duobus aliis digitis plicatis sub inuocatione deificæ Trinitatis nos & alios consignamus, vt trinitatem personarum in vnitate Deitatis manifestis præconiis fateamur, quæ- B dam diuinarum scripturarum secreta simplicioribus occultantes, ne in eis, quia non possunt capere, infidelitatis scrupulum generemus. Consignationem maioribus minores non tribuunt, sed eam humiliter accipiunt à Prælatis. Quia (secundum Apostolum) qui minor est be-
Hebr. 7. 7. nedicetur à maiore.

De crucibus duorum latronum.

CAPVT XIX.

QVIA vero de crucibus duorum latronum quæritur, qui fuerunt cum Domino crucifixi, vtrum ad similitudinem illius in qua salus mundi pependit, quatuor fuerint brachiorum, quoniam inde nulla liquet auctoritas, nec inuenitur ratio manifesta, quid inde sentiendum sit, videtur esse difficile diffinire. In dubiis enim periculosum est in partem alteram declinare. Tamen in cuiusdam celsi montis cacumine, qui est in insula Cypri, in confinio vrbis Nichosiensis est quoddam monasterium, situm, vbi ostenditur quædam magna crux quatuor brachiorum, quæ post altare ipsius monasterij in aëre pendere videtur, quod plures dicunt humano artificio prouenire, quibusdam aliis hoc miraculo adscribentibus. Hæc (vt fama refert) fuit crux illius latronis, qui nostra redemptionis hora, alio blasphemante se IESV Domino commendauit.

Hanc crucem beata Helena mater Imperatoris Constantini (vt fertur) ab Hierosolymis detulit: & in loco iam dicto qui antiquitus Veneri fuerat consecratus, eam argenteis thecis operiens, & in medio illius crucis inserens partem dominici ligni ad tuitionem insulæ honorifice collocauit. Post cuius locationem crucis, vt dicunt indigenæ regionis per virtutem Dominici ligni, innumera Dominus insulæ Cypri contulit beneficia. Si quidem (vt præmisi) cum insula Cypri quondam fuerit Veneri & Dæmonibus profana consecratione dicata, atque in viuentium damnum & periculum minime sepultura retineret corpora mortuorum, & dæmones per totam insulam horrenda visibiliter perpetrarent: nunc per virtutem sanctæ crucis effugantur phantasiæ, ac Dæmonum documenta, & terra sepulta retinet mortuorum corpora. Huius crucis fama & forma videtur annuere, quod prædictorum duorum latronum cruces formæ Dominicæ cruci extiterint, quatuor, scilicet, brachiorum, præsertim cum ex illo quodammodo probabile videatur, quod in inuentione sanctæ crucis legitur, quod per resuscitationem mortui patuit cognitio crucis Christi, cum aliæ duæ cruces primo fuerint mortuo superpositæ, quia tres cruces fortasse consimiles videbantur. Populorum turbæ frequenter ad supra dictum confluunt monasterium ad adorandam non illam quidem crucem latronis, sed partem dominici ligni, quæ in illa est cruce inserta. Non enim est crux alia adoranda, nisi illa in qua fuit Dominus crucifixus, & cæteræ cruces, quæ ad illius similitudinem & honorem à fidelibus

A venerantur. Est namque quædam adoranda, & quædam crux non adoranda, sed amplectenda, & quædam crux non adoranda nec amplectenda, sed pedibus conculcanda & cominus abigenda. Crux adoranda est Domini nostri Iesu Christi, per quam humanum genus misericorditer datum est liberati. Crux non adoranda, sed amplectenda est illius latronis, qui licet tarde, tamen salubriter cognouit Dominum, & in hora mortis promeruit veniam peccatorum. Crux non adoranda, nec amplectenda, sed conculcanda est alius latronis, qui quoad vixit nequam fuit, & pendens in cruce Dominum blasphemauit, & inde ductus est ad tartareos cruciatus. Prima est gloriosa crux Christi, quam Dei filius pro salute nostra in ætate florenti ascendit, & in ea perseuerauit vsque ad mortem, vt mortuus de fortitudine Diaboli triumpharet, atque inde magis confunderetur inimicus quod illum Dei filius non viuens in corpore sed
Phil. 2. mortuus superauit. Hanc adorandam crucem Petrus & Andreas ascendit. Qui ad vnius iussionis vocem relictis omnibus, cum vernarent flore gratissimæ iuuentutis, secuti sunt Dominum: & Dei sapientiæ magistri pij discipuli ad similitudinem Redemptoris in cruce materiali pendentes pretiosissimam mortem suam Domino consecrarunt. Colendæ sunt à fidelibus illæ sacratissimæ cruces, non cultu religionis, sed reuerentia sanctitatis; quia sancto tactu Apostolorum, & illorum sacro martyrio sanctificatæ sunt & cælitus consecratæ.

Ascendunt etiam Christi crucem fideles quique, qui in sui corporis valitudine amote bonorum cælestium desistunt ab operibus prauis digna satisfactione in se C pro viribus punientes, quæ se recognoscunt scelera cōmisisse. Crux namque à cruciatu dicitur. Vnde qui pro cælestibus ieiuniis, vigiliis, peregrinationibus sacris, & aliis operibus pietatis corpus suum macerat, pedes suos continet ne discurrat ad malum, malus ne proximo iniuriam inferant, motus cogitationis, id est, mentis affectus qui sunt timor & amor restringit, ne diu extrauagatione persistant delectationibus noxiis, & in incepto bono mente integra perseuerat, profecto in cruce Christi tenetur affixus, & sui Redemptoris in se assumpta imagine etiam suam crucem cunctis secundum Deum vera sapientibus tribuit adorandam non cultu religionis, vt dictum est, sed reuerentia sanctitatis. Hanc crucem in se D Dei Filius antequam à Iudæis vel militibus suspenderetur in signo consecrauit (sicut in Euangelio dicitur) Quia fatigatus ex itinere sedebat super puteum, & à Sa-
maritana muliere bibere postulabat. Præfertur etiam, Ioan. 4. 6.
quia *cum ieiunasset quadraginta diebus, & quadraginta noctibus postea esuriit.* Testatur etiam sacrum Euangelium, Matt. 4. 2.
quod passus est repulsam & conuitia ab hominibus, & Matt. 17.
cunctorum Dominus soluere tributa quibus plasma- 27.
uerat ipse coactus est. Adoranda est crux cunctorum in robore sanctitatis Deo militantium, sed non excellenter vt illa, quam pro nostra salute sustinuit Deus filius. Ipse namque Deus, qui cuncta creauit peccatum non fecit, 1. Pet. 2. 22
neque inuentus est dolus in ore eius, bonitate sola, & misericordia ineffabili pro seruis contumacibus & iniquis mortem sustinuit in se amarissimis præcedentibus passionis. Quilibet vero sanctus prius in suis cruciatibus præuidet salutem animæ propriam, & sic extenditur vt E compatiatur infirmitatibus proximorum. Et quia affectum charitatis Deus pensat in opere, nullius potest charitati diuinæ affectio adequari, qua sola elementia pro nobis passus est Christus, sicut Apostolus dicit: *Pro-* Rom. 8. 3.
pter nimiam charitatem suam, qua dilexit nos Deus filium suum misit in similitudinem carnis peccati. Et alibi idem Apo- Rom. 5. 8.
stolus dicit: *Commendat autem Deus suam charitatem in nobis, quoniam cum essemus peccatores pro impiis mortuus est.*

Crux igitur Christi & mēbrorum eius cum quodammodo sit vna, est tamen præcipue in capite adoranda, quoniā in illa consistit tota salus, & redemptio nostra. Est præterea secūda crux non adorāda, sed amplectēda, qua

qua ad similitudinem illius latronis, postquam in malis vitam duxerint, aliqui cruciantur iouin, & tandem in vltimo vitæ instanti de malis præteritis conteruntur, & toto corde conuersi ad Dominum indulgentiam promerentur. In hoc laudabilis & admirabilis est misericordia Redemptoris, quia tunc peccare desistunt mente, quando peccare non possunt corpore & indulgentiæ munus eis minime denegatur. De illis quippe latronibus dicitur in Euangelio: Quia qui crucifixi erant cũ *Christo* improperabant ei, & vnus cõuersus ex illis misericordiam implorauit, & vocem Domini statim meruit audire dicentis: *Amen dico tibi hodie mecum eris in paradiso*. Vere impleuit Dominus quæ promiserat, dicẽs: Quia in quacumque hora peccator ingemuerit, iniquitatum eius non recordabor.

Luc. 23. 43. Eze. 18. 12

Amplectenda est crux huius quamuis seræ conuersionis, cum venerit: nõ autem adoranda: quia valde sub dubia sorte consistit. Multi quidem spem ponentes in illa, conuersionem per pœnitentiam distulerunt, & eam minime assecuti in suis sceleribus perierũt. Hæc crux, quia sera est, rara est, quia non spontanea est, & quia multoties damnationis periculum ingerit expectantibus, cauenda est. Quia vero ex gratiæ dono licet sit sera, & illata contra propositum patientis, quibusdam causa salutis efficitur amplectenda est, quia multa bona præstantur inuitis. Melius est enim, vt quis inuite sublimetur in bonum quam eo volente ad æternæ damnationis supplicia perducatur. Vnde Isidorus dicit: Liberior est præsentis temporis ignominia quam futura gehennæ tormenta. Sera pœnitentia amplectenda est eum vere habetur, sed non est diutius expectanda; quia constringẽtibus doloribus, & mortis augustiis hominem, dubitatur, an in sera pœnitentia contritio sit vera. Hoc tamen sciendum, quia seram Deus non spernit pœnitentiam. Qui, quamdiu anima viuit in corpore, semper est paratus recipere pœnitentiam. In vltimo quidem instanti vitæ, si affuerit vera cordis contritio, statim aderit vera remissio peccatorum. Quia nunquam est vera cordis contritio sine infusione gratiæ Dei. Etenim (vt ait Isidorus) quatuor sunt quæ simul sunt tempore. Idest, *infusio gratiæ, motus assurgens, cordis contritio, & peccatorum remissio*. Ecce in cordis contritione nisi sequatur confitendi & satisfaciendi contemptus, quilibet potest percipere veniam delictorum, non tamen securus esse potest de pœnitentia in igne purgatorio peragenda. Quia si tanta non fuerit cordis contritio, vt omnino deleat perpetrata, vel in hac vita digna satisfactione pœnitentia minime peragatur, nisi viuens aliquis sacrificiis, orationibus, & bonis operibus defuncto subueniat, in igne purgatorio est acerrime expiãdus, sicut beatus Augustinus testatur dicens: *Purgandus est in igne purgatorio, qui in aliud sæculum distulit fructum conuersionis*. Hic autem ignis, & si æternus non sit, miro modo est grauis; excellit enim omnem pœnam, quam vnquam passus est aliquis in hac vita. Nunquam in carne tanta inuenta est pœna, licet innumerabilia martyres passi sint tormenta. Grauior est ignis ille, quam quidquid potest homo pati in hac vita. Dum ergo viuimus puniamus mala, quæ gessimus, ne in tanti discriminis periculo raptamur.

Ibid.: Liberior est præsentis temporis ignominia quam futura tormenta.

Est etiam alia crux non adoranda, nec amplectenda, sed omnimode conculcanda, & fugienda, quia ad similitudinem alterius latronis nequam plures in amaritudinibus & flagitijs vitam ducunt, & in vltimo vitæ statu morte infelicissima trucidati, ad æternos ignes tanquam ab immundis spiritibus cruciandi ducuntur. Hæc crux est hæreticorũ proprie inter alios perpetua morte dignos, quia dum viuunt, ore & opere simulate iustitiam nonnunquam prædicant, se ipsos ieiunijs, & afflictionibus cruciant vsque ad mortem, Catholicam fidẽ blasphemant, & nouissime malo & infami exitu consummati, & plerumque priuati hominum sepultura infernalibus supplicijs mancipantur.

B.bl patr. Tom. 4. p. 3.

Est etiam hæc Crux hypocritarum, qui pro humano fauore vel temporalis gratia dignitatis semetipsos excruciant, simulatis ieiunijs, orationibus, operibus, & vigiliis. Qui si quando ad dignitatem perueniunt; quã sitiũt anhelanter, tunc qui primo fuerint mente manifeste prauis operibus incipiunt apparere, & inflati superbia volunt ab omnibus adorari. Ante dignitatem videbantur dignitatis vigilias ieiunare, & modo in fastu positi dignitatis, epulantur quotidie splendide, vel de patrimonio crucifixi, vel de subditorum extorta substantia, sua farcire student, seu suorum marsupia propinquorum. Qui prius se habere consanguineos ignorabant, modo nepotum constipati frequentia præminent gloriosi. Se beatos existimant cum eis munera deferuntur, & miseros cum præ verecundia eleemosynarum aliquid facere compelluntur. Seipsos laudant in bonis, quæ assequuntur, suæ prudentiæ vel fortunæ tribuentes. Non Deum prædicant, sed fortunam, spernunt viros iustos, student redarguere de superbia: adulatores vocant tractabiles & benignos. Cum Pharaone masculos, id est, viros virtutis ne illorum prauis resistãt actibus, interficiunt, reseruant as fœminas, id est, molles & dissolutos, qui eis praue agentibus blandiantur. Inhiant lucris, de subditorum salute nullam gerentes sollicitudinem animarum. Perquirunt consanguineos, & nepotes, non quot animas acquisierint Deo, sed quot aureos vel marchas habeant in redditibus annuatim. Expendunt viuendo luxuriose, vel recondunt in thesauris suis Ecclesiæ bona, vnde debuit Ecclesia decorari, & clerici & Christi pauperes sustentari. *Exod. 2. 16*

Hi latrones crudelissimi, præcursores Antichristi, & Iudæ Iscariotis successores, furantes ea, quæ in communi mittuntur, loculos habent, & Christum vendunt, dũ nõn pro æternis, si qua bona gesserint, faciunt, vel distribuunt Ecclesiæ Sacramenta, sed humani fauoris causa, & denarij temporalis. Et quia omnia, quæ illicitẽ cupiunt, vt optant, non possunt perficere, & quæ praue agunt à populis manifeste, vel occulte redargui sentiũt, quasi in cruce positi ansiẽ cruciãtur. Et quia incorrigibiles sunt, insaniunt, non se corrigentes: & excusationes blasphemiæ semper prætendunt sceleribus perpetratis vnde sibi æternæ damnationis mortem adquirunt. Tamen tempestatibus nostris pauci sunt habito respectu ad alios, qui dicantur hypocritę quia fere omnes manifeste gaudent petulantiæ & lasciuiæ inseruire. Qui prius hypocrita dicebatur, nunc *peccator* dicitur, aut cupidus, aut auarus. Petulantia ineptitas dicitur: & scurrilitas curialitatis nomine gloriatur. Negligens & dissolutus vocatur patiens & humilis, auarus dicitur sapiens, & vitia nomina virtutum vsurpant.

Qui non est hodie valde malus bonus habetur. Ad hanc etiam Crucem pertinent vsurarij, superbi, susurrones, homicidæ, raptores, auari adulteri, fornicarij, & immoderati huius sæculi dilectores. qui quamuis in perpetratione videantur scelerum delectari, tamen sẽper sunt in sollicitudine amaritudinis & dolore, & pũgens cauteriata conscientia in eis iugiter perseuerat. Nunquam desideratis delectationibus satiantur, & tabefacto prauis operibus corpore exercendæ cupiditatis esuries male crescit in mente. De talibus Dei sapientia dicit: quorum viæ peruersæ & infames gressus eorum. Vt autem cæci ad sileam modo, in periculis bellorum, vel maris modo viarum & tempestatum, in fame, & siti: inconuitijs & rerum damnis versantur. Turbãtur ira, inuidia contabescunt, vindicari summopere de inimicis cupiunt, & ab eis damnificati pluries occiduntur. Prosperitas huius sæculi semper est in amaritudine. Non quidem admittit satietatem sitis humanæ cupiditatis. Quo plus adepta, eo amplius accenditur ad quærendum. In præsenti afficiuntur tædio & miseriis, & in futuro æternis incendijs condemnantur. Hæc crux conculcanda est; quæ in tempore cruciat, & æternaliter dãnnat. *Prou. 2. 15*

Igitur quia neciustus, necimpius fine cruciatu viuere potest, crucem Domini nostri *Iesu Christi* debemus ascendere, quæ in præsenti crociendo, spe bonorum lætificat, & in perpetoum felicet finitione ineffabiliuiu geudiorum. Vt euim ait beetus Isidorus, *Grauius affliguntur impij commoda mundi exaggerando, quam iusti eiusdem aduersa tolerando.* Et vnde iusti ad præmium, inde tendunt impij ad supplicium sempiternum. Et beatus Iob probos, & reprobos, quendiu degunt in corpore, in angustijs & ærumnis esse con-

Iob.10.15. sidcrans, dicit: *Si impius fuero, va mihi est: & si autem*

Act.14.22 *iustus, non leuabo caput meum saturatus afflictione, & miseria.* Et quia (vt ait Apostolus) portet nos per multas tribulationes introire in regnum Dei, in cruce Christi gloriamur: quia in ipsa est salus, vita & resurrectio nostra.

Si quis autem videt se in mortis articulo laborare, qui cum potuit, crucem Domini per mortificationem carnis, & pœnitentiam non ascendit, illius felicis latronis crucem non despiciet, sed ingemiscens de perpetratis malis, & de bonis omissis cum cordis contritione & oris confessione vt potest, studeet Dei misericordiam implorare. Caueat illud peccatum, quod committitur in Spiritum sanctum quod in hora mortis damnandis noscitur prouenire, cui nulla est remissio in futuro. Nenique (vt ait veritas) *Qui peccauerit in patrem*, id est in mundi prosperis, *dimittetur ei.*

Matth.12.32. *Et qui peccauerit in filium*, hoc est, in aduersis, *remittetur ei. Et qui peccauerit in spiritum sanctum*, hoc est in mortis articulo, *non remittetur ei neque in hoc sæculo, neque in futuro.*

Deo Patri vetus testamentum attribuitur, in quo conferuntur bona temporalia, & promittuntur æterna. Deo Filio attribuitur nouum, in quo huius mundi aduersa patienter præcipiuntur ferre fideles & bona illis promittunt æterne. Vnde prospera attribuuntur Patri, & Filio aduersa mundi: salus & remissio peccatorum in mortis articulo Spiritui sancto attribuitor. Quia per ipsum cooperante Patre & filio, remittuntur peccata, & à morte resurgemus. Quia (vt ait Apostolus) Spiritus sanctus viuificebit mortalia corpora nostra.

Triples etiam est baptismus. Qui quandocumque homini viuenti prouenerit, indulgentiam confert omnium peccatorum. Est baptismus *fluminis, flaminis, & sanguinis.* Fluminis fit semel per aquam & Spiritum sanctum in ablutione regenerationis, & inuocatione Trinitatis, & Sanguinis similiter in necessitate martyrij patientis. Flaminis fit semel per fidem in articulo necessitatis, & sæpe per gratiam in contritione cordis humilis pœnitētis. Quæ licet adsit in vltimo vitæ puncto, confert digne ac vere pœnitentibus, vt dictum est, remissionem omnium peccatorum, & etiam ianuæ cælestis aditum pandit: rutelitar mundat à culpa, etiam si omnino non auferat purgatorij ignis pœnam.

De imaginibus.

CAPVT XX.

DICTVM est in præmissis, quod imago Deitatis Trinitatis ab hominibus nec debeat nec possit depingi, & nunc videndum est, quæ sint in Ecclesie Christi imagines depingendæ, & qualiter Deus vel Angeli, siue animæ sanctorum, seu Ecclesiæ Sacramenta, vel homines debeant à fidelibus adorati.

Depingūntur, vel sculpuntur imagines in Ecclesia Christi quædam ad fidelium defensionem, doctrinam, Imitationem, & decorem. Quædam similiter ad doctrinam, imitationem, & decorem & quædam ad decorē tantum. Quædem etiam ad doctrinam, vt in cis timete

A praue agere discat homo. Consecrauit namque crucis suæ signum Dei filius, vt sit nobis defensio contra versutias inimici, sit doctrina, qualiter pro nobis passus est Filius virginis, sit imitatio, quod nos pro ipso mori, dū se debita facultas obtulerit, debeemus; & manifesta laude Crux sit fidei nostræ, decor & pulchritudo. Sanctorum imagines sunt nobis doctrine eorundem actuum beatorum, & imitationem sanctitatis suadent, & decorem præstant in templo Dei. Sunt in Ecclesia depictæ formæ bestiarum, volucrom & serpentium, & aliarum rerum, quæ tantum ad ornatum & pulchritudinem fiunt. Iustum est enim, vt cunctarum formæ ponantur

B in Ecclesiæ cultu: & creator omnium in cunctis suis operibus collaudetur.

Quorundam etiam prauorum hominum imagines eorum detegentes malitiam & tormenta, & quasi effigies dæmonum sculpuntur in Ecclesie, vt videntes homines terreantur, & præsentibus malis, atque futuris ad mentē reuocatis supplicijs discedēt ab operibus prauis. Hæ imagines subtili debēt fieri cōgruitate, vt pulchritudinem honestatis aspicientibus repræsentent, & deuotionem excitent pietatis. Debet namque domus Dei cultu vario resplendere, vt ipsa eius exterior pulchritudo homines ad se ducat, & tædium non inferat assistentibus, mentem subleuet ad cœlestia expetenda pulchritudine sua decorem cœlestis patriæ repræsentans. Domus Dei exterior pulchritudo dum oculos de foris mulcet, nonnunquam interiorem ad Dominum trahit, sicut iniquus idololatra Rex Ieroboam de po- 3.Reg.12.26.

C puli Israel conuersione ad Regem Roboam, formidans dixit in corde suo. Si ascenderit populus, vt faciat sacrificium in domum Domini in Hierusalem, conuertetur ad dominum suum, & hoc propter pulchritudinem templi Hoc templum Salomon, vt celebre vbique fieret nomen Dei, & ad se nationes diuersarum gentium euocaret, mire pulchritudine gemmarum, auri, & argenti ditauit, & diuersorum sculptilium imaginibus decorauit. Et non solum duo Cherubim po- 3.Reg.6.29.& 32.

suit in propitiario, sicut fecerat Moyses, verum etiam (teste libro Regum) in portis & in parietibus templi interius per circuitum sculpsit Cherubim & palmas, & anaglyphe, & picturas varias quasi prominentes de pa- 3.Reg.7.36.

riete & de ostijs templi. Boues quoque, æret leones, Cherubim, palmæ, & quasi similitudo stantis hominis sculpte erant in basi, & in tabulatis illis, quæ erant ex ære, vt non celata, sed apposita viderentur: Hæc omnia ita facta sunt ad decorem domus Dei, vt essent in

D figura veritatis futuræ, quæ in Ecclesie manifeste declaratur per Christū. Cum igitur ista præcesserint voluntate diuina in sacra lege miror, qua fronte Iudæi, & aliqui Christiani proteruè fideles Ecclesiæ Dei nitui tur redarguere dicentes, non debere imagines fieri ad ornatum & doctrinam populi Dei. Profanari asserunt sacra templa quat ūlibet sculpturis imaginū, cum Dominus de templo diuersis imaginibus insignito dixerit Salomoni: Sanctificaui Domum hanc, quam ædificasti, vt ponerem nomen meum ibi in sempiternum, & erunt oculi mei, & cor meum ibi cunctis diebus. Et in taber- 3.Reg.9.3.

naculo fœderis de inter duas imagines Cherubim Num.7.

Moysi Dominus loquebatur. Vnde videtur quod ima- 99.

E gines sacrę ad honorem sculptæ nominis Dei, & deco- Exod.30.

rem Domus eius, non prufanant Ecclesiam sed sanctifi- 25.

cant. Præcepit enim Dominus Moysi vnctione Sanctæ confessionis sanctificare tabernaculum, & omnia quę in ipso erant, vt essent sancte, & quicūque tangeret, ea sāctificaretur. Quod si sancta erant illa vnctione dictæ confessionis, multo validius sanctificantur omnia, quæ sunt in Ecclesia inuocatione nominis Dei, consecratione Pontificum, immolatione corporis & sanguinis Domini & ex illa sanctificantur fideles.

Angelorum imagines alas habentes in Ecclesia depinguntur, non sicut eorum simplex & inuisibilis subsistit essentia, sed sicut consueuerant hominibus apparere

per

per assumptam speciem, vel sicut præcepit Dominus Moysi, dicens: Duos Cherubin aureos & productiles *Exod. 25. 18.* facies ex vtraque parte oraculi, Cherubin vnus sit in latere vno, & alter in altero. Vtrumque latus propitiatorij tegant expandentes alas, & operientes oraculum, respicientque mutuo. Salomon quoque fecit *3. Reg. 7. 23.* duos Cherubin de lignis oliuarum, & alæ illorum expansæ erant & ipsi stabant erectis pedibus, & respiciebant se mutuo. Et Ioannes in Apocalypsi se dicit vidisse Angelum Dei volantem per medium cælum. *Apoc. 14. 6.* Ita depinguntur à nobis spiritus beatorum, sicut ipsi consueuerunt per assumptam speciem apparere, quam iterum deponunt, vt in veritate suæ simplicitatis persistant, vel sicut sancti Patres quasdam imagines ipsorum se vidisse asseruerunt, diuina mysteria continentes. Eorum imagines depingimus in Ecclesia vt visis imaginibus, eorum patrocinia inuocemus, quatenus eorum suffragiis ab instantibus periculis eruamur, & in æterna claritate eorum cohæredes effici mereamur.

Cum autem sit præmissum, quod Deitatis imago nec debeat nec possit depingi, quæritur cur in sede maiestatis columbæ specie, vel in igne, aut in hominis specie *Isaiæ 6. 1.* Dominum Ecclesiastica ostendit pictura. Sedis maie- *Ezec. 1. 26.* statis imaginem sancti Prophetæ viderunt oculis corporis, per quam Deitas illorum se præsentabat oculis mentis. Exterius quidem aspiciebant formam Dei futuri hominis, licet Deitas non circumscriberetur lineamentis corporeis.

Exod. 3. 2. Forma hæc futuri erat corporis Iesu Christi. Quod *Mat. 3. 16.* cum sit circumscriptibile fideliter potest eius imago *Actor. 2. 3.* depingi. Angelus magni consilij, id est Dei filius in igne apparuit Moysi In columbæ specie Spiritus sanctus descendit super filium ad fluenta Iordanis; & super Apostolos idem Spiritus sanctus descendit in igneis linguis. Species illæ scilicet ignis & columbæ à diuinitate creduntur assumptæ ad aliquid significandum, non in vnitate personæ, quia fuerunt continuò resolutæ, solus filius Dei vnitate personæ speciem assumsit & naturam humanam, quam nunquam deposuit, ex quo in Virgine Matre illam accepit. Cæteræ vero species ita à diuinitate in figura assumptæ sunt, vt ostenso ænigmate, statim resoluerentur. Tamen possunt hæ species ad memoriam facti, & decorem loci in Ecclesia depingi, & haberi in veneratione: non quod Deus aliqua illarum sit vel fuerit specierum, sed quod, sub speciebus illis ad horam, suam docere voluit voluntatem.

Imago verò quæ post assumptam humanitatem ad similitudinem depingitur Saluatoris, tanto plus debet à fidelibus venerari, quanto dignior est cæteris assumpta de matre species à filio Dei. Et quanto digniora atque vtiliora mundo est Dominus operatus per ipsam.

Totus tamen honor & reuerentia est ad Dominum referendus. Primæ quidem species fuerunt vmbra veritatis futuræ: hæc autem est veritas præsignata, qua *Exod. 3. 2.* olim promissa bona fidelibus conferuntur. Apparuit namque Deus in flamma Moysi, vt se in illis insinuet per gratiam habitare, qui ardent flamma inextinguibilis charitatis, & quod per ignem Dominus ad iudicium sit venturus.

Ez. 1. 26. Ezechiel quoque super similitudinem throni vidit similitudinem quasi speciem electri, velut aspectum ignis intrinsecus eius per circuitum à lumbis eius desuper. Et à lumbis eius vsque deorsum per assumptam humanitatem nobis splenduit. Qui ideo, vt ait Isidorus, in homine venit, quia per se ipsam ab hominibus cognosci *De summ. bono. l. 1. c. 16.* non potuit. Quod autem vidit quasi speciem electri velut aspectum ignis intrinsecus eius, per circuitum à lumbis eius, & desuper, futurum eius ostendit iudicium cum veniet in sede maiestatis suæ, & erit reprobis in eo *Mat. 13. 16* terror ignis sine splendore consolationis. In columbæ specie Spiritus sanctus venit super Christum vt ipse qui *Mat. 11. 29.* est benignitas Patris & Filij, illius nobis simplicitatem & mansuetudinem ad exemplum reduceret qui dicit: *Discite à me quia mitis sum, & humilis corde.* Idem Spiritus sanctus igneis linguis super Apostolos venit, vt eos per flammam charitatis accenderet, & linguarum diuersitate faceret esse disertos.

Hæ quidem species peracto ad quod factæ sunt, statim euanuerunt, cum corpus de virgine sumptum à filio Dei simul cum anima in vnitate personæ maneat in æternum, interpellans patrem pro nobis. Hæc est sola species cum Patre, & Filio & Spiritu sancto à cunctis fidelibus adorande, sicut dicit Psalmista: *Adorate scabellum pedum eius, quoniam sanctum est.* Per scabellum *Ps. 98. 5.* namque pedum Dei Christi humanitas in scripturis Patrum dicitur designari. Pulchre & honeste huius speciei & matris eius Mariæ Virginis beatissimæ debet imago depingi, quia non solum ineffabili mentis interius sanctitate, verum etiam exterius venusta & placide corporis pulchritudine mater & filius effulserunt. Fuit in virgine dulcissima matre, charissima delectabilis pulchritudo non quæ prouocaret contuentium illicitos motus carnis, sed quæ cunctorum duceret ad se charitatem, & ad eos internos animi incitaret affectus. Placidam humilitatem semper in sanctis moribus prætendebat: quoniam de patris sinu respexit altissimus, & inuiolatam pijssimæ virginis pulchritudinem adamauit. Pulchritudine quoque corporis indicibili floruit Deus & homo filius eius; & inter cæteros quodam decoris præfulgebat insigni, sicut ait beatus Hieronymus. In eo qui speciosus est forma præ filijs hominum credatur fuisse quiddam in vultu oculisque siderum, quod attraheret electos, & terreret reprobos, *Epist. ad Principiã virg. vbi explanat. Ps. 44. 3.* Nisi habuisset in vultu oculisque quiddam sidereum, nunquam eum statim secuti fuissent Apostoli, neque qui ad comprehendendum venerant, corruissent. Talis etiam in iudicio apparebit, cum in throno maiestatis suæ sederit, vt electos mansuetudine mulceat, & ferocitate ac fortitudine reprobos terreat. Pulchre & honeste sunt in Ecclesia imagines depingendæ, quæ nobis tantæ matris & tanti Filij tam piam pulchritudinem repræsentent.

D cultu imaginum.

Capvt XXI.

CVM autem ex deuotione sacras imagines veneramur, summopere caueamus, ne indiscrete illas siue sanctorum adorando in cæcitatem idololatriæ prolabamur, namque Dominus in secundo decem *Exo. 20. 4.* præceptorum ad filios Israel. Non facies tibi sculptile, neque omnem similitudinem: neque coles ea. *Deut. 5. 8.* Ego sum dominus.

Sane intelligende sunt verba Domini & claro cordis *Exod. 25. 18. & 33. & ca. 28. 33. & 34. Num. 21. 8* oculo contemplenda. Ipse quidem præcipit Moysi, vt faceret duos Cherubin de auro, & flores repandi lilij, & scyphos instar nucis in tabernaculo fœderis, & malo granate in sacerdotali veste. Quæ omnia similitudines erant, & sculptilia. Præcipit etiam fieri serpentem æreum, in quem aspicientes hi, qui morsi erant ab ignitis serpentibus sanarentur. Et hoc vtique inter sculptilia computetur. Vetuit Deus fieri sculptile, & sculptile præcipit fieri. Hæc contrarietas cito soluitur si diligenter finem inspicimus præceptorum. In primo enim dicit. Non facies sculptile neque similitudinem, & quo fine hoc dixerit, aperit, cum sub- *c. 20. 5.* iungit. Non adorabis, neque coles ea. Ego dominus Hoc est. Ego solum sum Dominus, & non est alius. Et qui similitudines & sculptilia non sunt dij, ad hoc non facies

vt non adores. Quod in Leuitico clarius ostendit cum [A] dicit. Non facietis vobis idolum & sculptile, nec titulos erigetis, nec insignem lapidem ponetis in terra vestra, vt adoretis eum. Idolum est imago factitius & profanis cultibus dæmonum dedicata, quam sacrilegi homines à diabolo seducti adorabant Deum esse credentes idolum propter dæmonem, qui pluties loqui videbatur in ipso.

Titulus est in hoc loco lapis oblongus, & ritu Gentilium consecratus & erectus, ad cuius vmbrã dormientes per somnium responsa accipere videbantur, lapis insignis, id est depictus cœli militię diuersas imagines cõtinebat: in quibus mutationes temporũ post oblata sacrificia decepti homines perquirebant. Hęc nullatenus debent fideles facere; sed vbicumque facta inuenerint demoliri. Possunt tamen, vt præmissum est, ad decorem domus Dei, & recordationem operum eius, cum [Gen. 28. 18.] [B] Iacob erigere lapidem rotundum, cum Moyse & Salomone [Exod. 25. 18. & 33. & cap. 28. 53. & 34.] diuersarum rerum ideas, id est formas facere, cũ Iosue lapides de Iordane tollere, cum filijs Rubeo & Gad insigne lapideum altare construere, & cum Salomone [Ios. 4. 5. & 8. & 20. & cap. 22. 10.] columnas æreas in porticu domus Domini eleuare. Non tamen debent adorari: nec debet creaturæ exhibere cultus debitus creatori: siquidem scriptum est: *Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies.* Sed cum in vtroque testamento præcipimur seruire inuicem, & [2. Par. 3. 11] multos sanctorum patrum legamus, non solum sanctos [Matth. 4. 10.] homines, verũ etiam reprobos adorasse, vt sanctus Iacob Esau quem septies adorauit, sedulo perquirendum est quid sit illud adorare, & illud seruire: quod debemus Ecclesiæ sacramentis, hominibus sanctis, & etiam [Gen. 33. 13.] nonnunquam reprobis exhibere.

Duæ species adorationis & seruitutis distinguuntur [C] in sacra scriptura, latria scilicet, atque dulia. Rursus dulia diuiditur in simplicem duliam & hyperduliã. Latria est seruitus ea natura soli debita creatori. Dulia est seruitus vel subiectio, quæ sanctitatis reuerentia, Angelis, sanctis hominibus debetur, & Ecclesiæ sacramentis. Hiperdulia est summa humilitas, quam viri sancti exhibẽt etiam hominibus prauis, vt eos lucrifaciant *Christo.* Verum tamen plures dicũt hyperduliam deberi sanctis, eo quod sit maior subiectio vel humilitas, & dulia hominibus prauis, eo quod minor. Hoc non videtur censura [Matt. 20. 28.] iustitiæ sentiendum. Maior enim est seruitus vel humilitas minori seruire, potius quam maiori. Est debita hu- [Ioan. 13. 5.] militatis species seruire maiori & non præferri æquali. [& cap. 19. 30.] Maior seruire æquali, & non præferri minori. Est maxima seruire minori & non præferri alicui. Hanc in se assumpsit Christus, qui venit ministrare non solum mi- [D] noribus, sed etiam peccatoribus, & vsque ad ablutionem eorum pedum se coram discipulis inclinauit, & in cruce spiritũ tradidit capite inclinato. A quo viri iusti sumentes normam, humilitatis cultu reprobos venerantur, & in creatura creatorem adorant. Adorare idem est, quod incuruare.

Vbi enim Latini dicimus adorare, Hæbræi dicunt, histahauor, quod est incuruare. Vnde cum alicui creaturę ex reuerentia, vel humilitate nos incuruamus, ipsam continuo adoramus, eo quod adorare & incuruare sit idem. Cum etiam alicui ministramus ex humilitate vel charitate, illi profecto seruimus, eo quod ministrare ac seruire idem significet.

Absit autem à fidelibus, vt seruitus vel incuruatio de- [E] bita Domino, quod est Latria, impendatur sanctis, aut [Cap 42. 8.] alicui creaturæ. Ipse solus est Deus, quẽ debemus timere, & fideliter illi seruire. Ipsum solum laudare & glorificare qui dicit per Isaiam, Ego Dominus & non est alter, & gloriam meam alteri non dabo, & laudem meam sculptilibus. Qui sibi soli latriæ cultum retinuit, alia sanctis adorationẽ & seruitutẽ duliæ ex reuerẽtia & humilitate exhiberi præcepit cũ suis Apostolis dicit. *Qui* [Matt. 20. 27.] *voluerit inter vos maior esse, sit vester seruus*, id est ea, humilitate seruiat vobis qui mihi tenetur ea natura seruire.

Ecce qui primo dixit: Deo soli seruies, modo dicit vt seruiamus & suis. Et non solum verbo, sed facto etiam fieri præcepit cum ipse Discipulis in ablutione pedum ministrauit, eisque dixit: Si ego laui pedes vestros Do- [Ioan. 13. 14] minus & Magister, & vos debetis alter alterius lauare pedes.

Hæc Domini seruitus non est latriæ, nec duliæ, sed tantum bonitatis & misericordiæ, qui præcepit suis seruire hyperduliæ etiam minoribus & infidelibus mi- [Alludit ad] nistrare. De ipso namque dicit Apostolus, quod factus [Gen. 49.] est tributis seruiens, & fidelibus præcipit seruis, vt sub- [15. & ad] diti sint in omni timore Dominis, non tantum bonis & [Gal. 4. 4.] modestis, sed etiam discolis. Item etiam de se dicit: *Om-* [1. Pet. 2. 18] *nium me seruum feci, vt omnes lucrifacerem.* [1. Cor. 9. 19]

De adoratione duliæ, id est, reuerentiæ sanctitatis Dominus Ecclesiæ suæ dicit per Isaiam. *Adorabunt vestigia* [Cap. 60.] [B] *pedum tuorum, filij eorum qui detrahebant tibi.* Sancti Apo- [14.] stoli, & sancti prædicatores pedes Ecclesiæ sunt: quia per eos fides Christi defertur per vniuersum mundum. Ipsi sunt Ecclesiæ principes, ipsi pedes: ipsi post Deum Ecclesiæ Domini, qui per potestatem gratiæ diuinæ dicuntur dij: & ipsi sunt Ecclesiæ serui, non causa conditionis, sed ministerio charitatis. Hoc ille primus, & summus princeps post Deum scilicet Ecclesiæ Romanæ præsul ostendit cum in epistolis suis ea humilitate se dicit *seruum seruorum Dei.*

Sunt etiam pedum vestigia illorum exempla sancta, quæ in cordibus fidelium, vel in Ecclesiæ sacramentis, aut in Sacris scripturis profutura posteris dereliquerũt. Hæc illorum sacra vestigia sunt à nobis suppliciter adoranda: non latria, quæ est cultus debitæ seruitutis Deo, sed dulia, quæ est cultus reuerentiæ sanctitatis. Hanc [4. Reg. 2. 15.] [C] adorationem filij prophetarum exhibuerunt Heliseo, cum viderent spiritum Heliæ requieuisse in illo adorauerunt eum. Hanc etiam debemus impendere Angelis, hominibus sanctis, & Ecclesiæ sacramentis.

Debemus etiam hyperduliam exhibere minoribus, quæ est humilitatis cultus, vel subiectio, vt eos compescamus à malo, aut ad melius adhortemur. Quia secun- [1. Pet. 2. 13] dum Apostolũ, debemus *subiecti esse omni humanæ creaturæ propter Deum.* Hunc adorationis cultum sanctus Ia- [Gen. 33. 3.] cob exhibuit Esaü, cum illum septies adorauit, & vxori- [Exod. 18. 7] bus suis & filijs eum adorare præcepit. Et Moyses egressus in occursum Ietro cognati sui adorauit, & osculatus est eum.

His & alijs patet rationibus quod debeamus soli Deo latria, cultum naturalis seruitutis, atque adorationis impendere: beatis Angelis, & sanctis hominibus ex- [D] hibere dulia, reuerentiam sanctitatis, & omnibus hominibus hyperdulia, cultum humilitatis. Nihil autem horum impendere debemus diabolo. Quia non est Dominus cui seruiamus; neque sanctus, quem veneremur: neque homo cui ea humilitate ministremus, sed est nequissimus inimicus, cui continue debemus resistere, & illum modis omnibus pro viribus persequi, & expugnare.

Sacras vero imagines, non latria, sed dulia, possumus venerari, non propter imaginem, quæ per se nihil obest, vel prodest; sed quia sigilla sunt nostri Regis, qui omnia potest. Regem in suis imaginibus adoramus, & sanctos in suis sigillis veneramur. Potiùs adoramus coram imagine Deum, quam imaginem coram Deo.

[E] Sacramentum corporis & sanguinis Domini cultu latriæ adoramus, quia sub panis & vini specie est verus Deus & verus homo *Christus Iesus.* Cætera vero Ecclesiæ sacramẽta non latria, sed dulia veneramur, quia non datur nobis ab ipsis gratis sanctitatis, sed à Deo per ipsa. Colimus per se creatorem solum in creatura, cum nullum sanctorum per se, vel propter se adoremus, sed tantummodo propter Deum.

Coram sanctorum reliquijs & memorijs, lege, & Euangelio Dei & coram sacris imaginibus cultu duliæ

inclinamur propter ipsũ, qui se inclinauit pro nobis, & dignatus est hominibus ministrare. Imaginatũ coram imaginibus adoramus, & coram hominibus Deum sicut legitur de sanctissimo Abraham, quod adorauit Deum coram populo terræ. Et Rapsaces dicit de Rege Ezechia, quod præcepit populo Iudæ dicens: *Coram altare hoc adorabitis.* Non dixit altare, sed *coram altare.* Nihil enim numinis debet Christianus colere, vel credere excepto vno Deo viuo & vero in aliqua creatura. Quod qui agit, non theosebiæ cultum exhibet, sed idololatriæ crimen incurrit, seruiens creaturæ, quasi creatori, & mutans gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem hominis corruptibilis. Cum ergo ad imitationem Patrum, sanctos (vt dictum est) vel sacras imagines adoramus, summopere cauendum est, ne illis in aliquo cultum Deo debitum impendamus.

Gen. 23. 12.

Ita sacras imagines veneramur, sicut in libro regulæ Catholicæ fidei, qui *Decreta* nuncupatur, traditum tenemus à Patribus, vbi dicitur. *Venerabiles imagines Christiani non Deos appellant, neque seruiunt eis, vt dijs, neque spem salutis ponunt in eis: neque ab eis spectant futurum iudicium: sed ad recordationem, & memorationem primitiuorum venerantur eas, & adorant, sed non seruiunt eis cultu diuino, nec alicui creaturæ.*

(Venerabiles de Cons. de 3. ex Synod. 7. gener. Actione 6. tomo 2. interio. l. 9. Epist. 9. habetur de cons. d. 3. c. perlatum.

Dicitur quod ad recordationem & memoriam sacras imagines veneramur, quia cum eas tempore orationis aspicimus sanctorũ acta ad memoriam reuocamus, vt sint nobis exemplar virtutum, & quam cum Christo fruuntur beatitudinem, recordamur orantes vt nos commendent Deo eorum orationibus sacris. Sunt nobis aliquando pro lectione & maxime laicis, qui literas nesciunt, sicut Gregorius Sereno Massiliensi Episcopo scribit, dicens: *Perlatum ad nos fuerat, quod inconsiderato zelo succensus sanctorum imagines sub hac quasi excusatione ne adorari debuissent, confregeris. Et quia eas adorari vetuisses omnino laudamus, fregisse vero reprehendimus. Dic frater à quo factum sacerdote aliquando auditum est quod fecisti? Aliud est enim picturam adorare: aliud per picturæ historiam quid sit adorandum addiscere. Nam quod legentibus scriptura, hoc & idiotis præstat pictura cernentibus. Quia in ipsa ignorantes vident, quid sequi debeant: in ipsa legunt, qui literas nesciunt. Vnde & præcipue gentibus pictura pro lectione est.* Hic imagines laudat non adorari, quod intelligitur de adoratione latriæ. Cum in præmissis dicatur quod Christiani venerantur eas & adorant, & Ecclesia Deo canens dicat, *Coram te adoramus Domine.* Quod intelligitur de adoratione duliæ. Adorare igitur debemus sicut diuinã scripturam, imagines sacras, quæ aspicientibus sanctam deuotionem excitant, & doctrinam edocent salutarem credentes. Quis tanta insania ducitur, vt sacram videns scripturã non suppliciter veneretur, & Euangelium Dei non adoret, & osculetur: Habemus ad hæc exemplar vitæ sanctissimum patrẽ Franciscum, qui, vt ipsius testatur legenda, si quando in terra aliquam reperiebat scripturam, humiliter eleuans, venerabatur eam, & in loco mũdo ponebat, eo quod fortassis contineret scriptum nomen sanctũ. Hoc etiã faciunt perfidi calumniatores Iudæi, cum coram libro legis suæ, qua possunt reuerentia incuruantur, & osculantur illud. Et ipsi quidem adorant chartam legis suæ, quia ex humilitate vel reuerentia corã re aliqua incuruari idem est quod ipsã adorare, & Christianos procaciter nituntur reprehendere, quia sacras imagines, scripturas diuinas, & sanctos Dei humiliter non cultu latriæ, sed duliæ venerantur. Videmus Iudæos, qua possunt humilitate, ac reuerentia frequenter coram sæculi principibus inclinari, & tamen stultis latratibus dicunt, quod nos adoremus cultu reuerentiæ sanctos Dei.

Si autem quæritur, quare Mardocheus Aman noluit adorare, respondemus; quia ille diuinam adorationem sibi volebat impendi. Ignorabant enim Gentiles Deũ & temeritate sacrilega cultum diuinitatis sibi compellebãt subiectos populos exhibere; subiecti quoque Deos

Esth. 3. 2.

V esse suos principes asserebant, & eis diuinitatis impendebãt culturam. Vnde Olosernes dixit, Quis Deos, nisi Nabuchodunosor Rex omnis terræ? Et Pharao dicit: Deum non noui. Inde est quod fidelis Mardocheus, qui vere Deum nouerat Deitatis culto, Aman sacrilegum adorare nolebat. Occurit etiam quod Ioannes in Apocalypsi Angelũ voluit adorare, sed prohibuit fieri Angelus dicens: Vide ne feceris, conseruus enim tuus sum, & fratrum tuorum habentium testimonium Iesu, Deum adora. Nunquid Ioannes, qui Deum nouerat, diuinitatis cultu Angelum adorare volebat? Nequaquã, sed quia erat homo se minorem Angelo æstimabat. Angelus autem maioritatis cultum ab eo sibi nolebat impendi qui hominem Deum adorabat exaltatum super omnes ordines Angelorum: & Ioannem, ac beatos eius B coapostolos familiaritate diuina, & excellentia sanctitatis ad dignitatem dignioris ordinis Angelorũ nouerat pertinere. Hic Angelus, vt credo, erat de numero maiorum principum supernorum, qui magnum Apostolum Ioannem, qui præ cæteris fulgebat priuilegio castitatis, & filij Dei prærogatiua dilectionis parilitate sancta suum vocat conseruum dicẽs: *Conseruus tuus sum & fratrum tuorum.* Princeps exercitus Domini sanctos Apostolos mundi principes vocat cõseruos: & non vult ab eis adorari minoritate dignitatis, quos Domino reuelante æquales nouerat, vel maiores excellentia potestatis. Reuera magnus est credendus hic Angelus per quem dilecto suo Ioanni Dominus reuelare voluit secreta cœlestia. Ante aduentũ Christi Patres sancti An- C gelos velut superiores adorabant eos vocantes Dominos, & hoc fieri Angeli permittebant, quia per peccatũ primi hominis inimicitias esse cernebat inter Deum & hominem, & minores censebant, quos in præsenti mori, & post mortem ad infernum duci animas eorum videbant. Nunc autem quia per Dei filium pax est inter Deũ & hominẽ reformata, ita vt hominibus ianua cœlestis ingressus pateat, & perfectorum animæ, mox vt de corpore exeunt, ad cœlestes sedes euolant, & in sanctorum Angelorũ ordinibus collocantur, quos sentiunt æquales, nullatenus velut minores despiciunt; nec ab eis minoritatis expetunt cultum: siquid autẽ à nobis illis exhibetur reuerentiæ sanctitatis accipiunt benigne, non vt dij vel Domini, sed vt serui sunt, & sanctorum homi- D num conserui, & quia secundum Apostolum debemus *honore inuicem præuenire*, dignum est vt amicos Dei, tam homines quam Angelos humiliter veneremur: & eos nostros Dominos & Patronos non cultu Deo debitæ seruitutis, quod latria dicitur, sed cultu reuerentiæ sanctitatis, quod dicitur dulia, suppliciter adoremus, vt eorum adiuti orationibus ad Dominum, qui fecit nos, peruenire feliciter mereamur.

Iudith. 29.

Exod. 5. a. Apoc. 19. 10.

Cunctorum post Deum Dominam, & Reginam genitricem Dei Mariam Virginem inuiolatam corde humili, deuota mente adoratione duliæ veneremur præ cũctis sanctis, illi gratias & laudes persoluentes per quã liberati sumus de infernalibus pœnis, & reddimur gaudijs sempiternis. Cum eius nomen sanctissimum diurnis profertur obsequijs, dexteram manum nos humili- E ter inclinantes & adorantes in terram ponimus, vt ipsã de terra humani corporis fateamur de masculo & fœmina matrimonio legitimo procreatam: atque de ipsa Dei filium verum corpus non phantasticum assumpsisse in matre virginitatis gloria permanente. Recognoscimus nos esse terram & cinerem, vt de tantis donis acceptis per matrem virginem non eleuemur superbi, sed humiliemur in conspectu Domini Dei nostri: qui pro nobis de terra nostra terreum corpus accepit, & corpora nostra in resurrectionis gloria immutabit. Ipsum solum seruitute vel adoratione latriæ cum Patre & Spiritu sancto adoramus, laudamus, & glorificamus, qui est adorabilis, laudabilis & mirabilis in sanctis suis in sæcula sæculorum Amen.

In templis Deus est adorandus.

CAPVT XXII.

QVamuis Deus vbique sit orandus, & adorandus eo quod vbique sit per potentiam, siue per præsentiam maiestatis, est tamen orandus & adorandus præcipue in templis ad honorem sui nominis dedicatis, vbi credimus frequentius adesse sanctorum exercitus Angelorum & illorum sanctorum spiritus, quorum memoriæ seu reliquiæ in ipsis Ecclesijs venerantur. Hos in suis orationibus merentur habere fautores, qui pia vota in Ecclesijs Deo dicatis afferent in conspectu Domini, & sanctorum Angelorum eius. Vt enim beatissimi testantur Gregorius & Isidorus & fides Catholica firmiter tenet, adest Dominus noster Iesus Christus quotidie cum beatis spiritibus supernorum, quando mysterium corporis & sanguinis eius fideliter geritur in Ecclesia. Quis non credat tunc deuote adstantes fideles cœlestis exercitus consonos fieri, & in suis petitionibus iustis, sanctorum auxilio exaudiri? Deferunt orationes iustorum sancti
Tob.12.12. Angeli coram Domino teste Archangelo Raphaele, qui dicit Tobiæ. *Cum orabas tu & Sara*, ego obtuli memoriam orationis vestræ in conspectu claritatis Dei. Igitur orationis suę tempore debent fideles ad domum Dei concurrere, & ibi orationes & laudes Deo persoluere, vbi præsentialiter adest Christus cum spiritibus
Cant.3.13. beatorum, vt audiant orationem & confessionem
& c.2.14. Dei seruorum. Quia sicut dicitur in canticis canticorum. Amici, id est sancti Angeli, auscultant vocem Deo psallentis Ecclesiæ: quia vox illius dulcis est, & facies eius decora, quæ est conscientia munda. Tunc enim est oratio, siue laus coram Deo, & Angelis eius pulchra, cum de munda progreditur conscientia: quæ vt in quolibet etiam peccatore sit munda primo cordis contritione abluitur, secundo confessione oris egreditur, vt appareat, tertio operis satisfactione eruditur, vt splendidior fiat. Dulcis est vox peccatoris coram sanctis Angelis, si vera præcedat contritio cor-
Eccl.15.19 dis. Sine cordis contritione non est speciosa laus in ore peccatoris. Ideo per cordis contritionem faciem conscientiæ abluere studeat, & oraturus ad domum veniat, qui dulcis & decorus in præsentia sanctorum Angelorum apparere desiderat. In conspectu Angelo-
Psal.137. rum se psallere psalmista fatetur cum dicit *In conspectu*
1. & 2. *Angelorum psallam tibi, adorabo ad templum sanctum tuum: & confitebor nomini tuo.* Audiant pigri & desides quia non dicit adorabo ad lectum meum, *sed adorabo ad templum sanctum tuum.*

Quicumque ergo se fatetur Dei seruum & sanctorum amicum, ad domum Domini tempore orationis veniat, humiliter petitiones orationum suarum porrigat: faciem conscientiæ mundæ prætendat, vt cum amicis suis super illius pulchritudine Dominus delectetur & clementer annuat postulata. Capiat cognitionem
Matth.25.12. diuinam, ne sibi in die iudicij cum reprobis Dominus dicat, *Amen amen dico vobis, nescio vos.* Virgines, viduę,
Apoc.19.7 & continentes, quæ ad agni sponsi vestis nuptias suspiratis, ad Ecclesiam properate. Est enim Sponsus Christus qui ad hoc stat vt ad se venientes sponsas respiciat: & in deuotione orationis notet feruorem earum dilectionis. Fideliter viuentes cum coniugibus suis ad domum Dei veniant: & Christo munus sanctæ orationis deferant: quia coronabit eas in æterna claritate ille cœlestis sponsus pro cuius amore seruãt fidem suis coniugibus. Omnis homo orationis gratia ingrediatur in domum Dei omnibus horis, & maxime cum sacrosanctum corporis & sanguinis Domini sacrificiũ celebratur. Quia tunc vere in corpore pro nobis assumpto de Virgine Deus & homo adest Christus, & auget gratiam cunctis deuotione sancta fideliter assistentibus. Licet

A vbique Deus sit à fidelibus adorandus, est tamen in domo orationis specialius, vt est istud. *Adorate Domi-* Psal.28.2.
num in aula sancta eius. In Ecclesia fideles conueniant iuxta Psalter. Gothicum.
ad orandum, si possibilitas tribuit omnibus horis constitutis exemplo Domini, qui cum parentibus ascendebat orare in templum Domini omni anno Qui etiam eiecit de illo omnes ementes, & vendentes, dicens, *Do-* Matth.21.
mus, inquit, *mea, domus orationis vocatur.* Et de prima- 13.
tibus Apostolorum Petro & Ioanne legitur: Quia *as-* Actor.3.1.
cendebant in templum orare ad horam orationis nonam. An- 1.Reg.1.9.
na etiam spreta domo animã suam fudit orando in domo Domini, & meruit obtinere, vt esset mater sanctis- Luc.2.36.
B simi Samuelis. Filia quoque Phanuelis, quæ & ipsa vocabatur Anna, quæ vixerat à virginitate cum viro suo annis septem, & erat vidua octoginta quatuor annorũ, & non recedebat de tẽplo seruiens Deo ieiunijs & obsecrationibus die ac nocte. Et quia perseuerauit in templo Domini meruit in carne videre filium Dei, & inter sanctos præcones Domini numerari. Conueniant fideles ad orandum in domũ Domini, quia ibi est frequenter conuentus spirituum beatorum. Qui & ipso orando orationes adiuuant seruorum Dei. Multiplicatis intercessoribus sanctis flectetur ad misericordiam Dominus: & obtinebit sanctorũ oratio, quod non valent per se preces vnius peccatoris. Quia si peccatores non au- Ioan.9.31.
dit Deus, tamen audit sanctos pro impijs postulantes, Ioan.16.
vt conuertantur & viuant. Orant sancti pro illis qui ad 24.
orationem conueniunt in domum Domini. Orat vetus 3.Reg.9.3
C testamentum, & Ecclesia deuotissimas preces fundit. & 2.Par.
Dominus etiam se præbere eorum orationibus pro- 7.15.
mittit assensum dicens *Petite & accipietis*: & oranti Salomoni, vt quicumque orando peteret in templo Dei, exaudiretur ab illo *apparuit ei Dominus, & dixit: Audiui orationem tuam. Oculi mei erunt aperti, & aures meæ erectæ ad orationem eius qui orauerit in loco isto.* Orat enim Ecclesia, vt dignetur Dominus mittere sanctum Angelum suum de cœlis, qui custodiat, foueat, visitet & defendat omnes habitantes vel conuenientes in domum Domini.

In annua etiam festiuitate dedicationis Ecclesiæ orat, *vt quisquis illud templum beneficia petiturus ingreditur, cuncta se impetrasse lætetur.* His & & alijs orationibus factis adiutus orans in domo Domini, exauditur his coadiuuantibus dante Domino, qui solis suis meritis & precibus non poterat obtinere. Sed fortassis obijcis, quod Dominus dixit discipulis suis: *Cum oraueris intra* Mat.6.6.
cubiculum, & clauso ostio, ora patrem tuum. Sane intellige
D verba Saluatoris, ne sumas tibi ex via periculum mortis. De cubiculo enim cordis voluit intelligere, qui pro se crucifigentibus manifeste orauit eleuatus in cruce dicens: P*ater dimitte illis, non enim sciunt quid faciunt*: Et Luc.23.34
Stephanus pro se lapidantibus orans, non in occulto, sed in aperto positis genibus clamãuit voce magna di- Act.7.60
cens: *Ne statuas illis hoc peccatum.* Et sãctus Dauid dicit:
Introibo in domum tuam, adorabo ad templum sanctum tuum Psal.5.8.
in timore tuo. Et Dominus dicit in Euangelio: *Luceat lux*
vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & Mat.5.16.
glorificent patrem vestrum, qui in cœlis est. Ita fiant orationes, & opera nostra in publico, quatenus intentio maneat in occulto Et soli Deo placere desideremus exemplo bonæ orationis. Qui autem est ægritudine, vel necessitate ineuitabili præpeditus, vbicumque potest, oret & psallat Domino: qui vltra posse hominis Deus nihil exigit. Doleat autem quia ad templum Dei non potest accedere: & Dominus supplebit pœna illius doloris, quod non potest perficere defectus possibilitatis. Qui etiam ad diuina venit temporibus constitutis in domum Domini, & extra gratia sibi præstatur orandi, siue psallendi, gratias agat, & oret æquo animo & psallat Quia quidquid supererogauerit, reddet illi Dominus cum venerit in maiestate sua.

Quare

Quare ad Orientem oremus.

CAPUT XXIII.

CONsueuit Ecclesia Dei orare ad Orientem, vt per hoc etiam à sectis varijs & erroribus separetur, quæ sole iustitiæ illustrata, se Domino soli *Christo Iesu* desponsauit: tantoque mente & corpore ab aliorum recedit culturis, quanto præ cæteris Dei cognitionem accepit: & calore S. Spiritus inflammata odit tenebras vitiorum, & cunctos errantes anathematizat, & execratur. Non solum fide, verum etiam conuersatione, exteriore cultu debent fideles ab infidelibus separari, ne contagione peruersarum doctrinarum Ecclesiæ simplices deprauentur. Nihil velint habere commune cum hæreticis, ne illorum hypocrisi decepti deuient ab itinere veritatis. Etenim hypocrita loquitur
Prou. 6. 13. blando sermone, sed fortiter terit pede. Tenui flatu sibilat, & subditos fraudulento gressu conculcat. Se sanctum ostendit in vita aliorum, & rigidum, qui est mollis & dissolutus in propria. Secundum vocem diui-
Matt. 7. 13. nam *festucam perspicit in oculo alieno, & trabem non videt in suo.* Non exigit à subditis conuersationem sanctam, sed adulationem & pompam. Hæreticus exterius simulata mansuetudine molcet audientes, & occulte letali dente mordet sibi credentes.

Proinde Catholici, vt omnino ab eorum prauis dogmatibus separentur, sanctarum Scripturarum lumina præeunte sanctorum Patrum consuetudines imitantur, vt erroris nebula non obstante ad solē iustitiæ valeant peruenire. Hæretici vero nouas suæ perditionis sectas confingunt, & tenebris obcæcatis à sole veri luminis remanent alieni, & modo ad Orientem, modo ad Occidentem, modo ad Meridiem, modo ad Septentrionem orant, & circumferuntur vagi in omnibus actionibus suis. Orant Sarraceni ad meridiem, & Iudæi diuerso modo. Catholici vero quibus diuina scriptura dicit:
Mal. 4. 2. *Vobis timentibus nomen meum orietur Sol iustitiæ*, orant ad Orientem diuino oraculo admoniti per Salomonem, qui dicit Deo: *Oportet solem præuenire ad benedictionem tuam, & ad orientem lucis tibi te adorare.* Et quia, vt ait *Sap. 16. 18.*
David: *Exortum est in tenebris lumen rectis corde*, debet *Psal. 111. 4.*
populus Dei respicere, & adorare ad Orientem. Vt ille, de quo dicitur: Oriens vocabitur nomen eius, qui est oriens ex alto Deus Israel, fideles lumine claritatis suæ *Zach. 6. 12.*
perfundat, qui habitat lucem inaccessibilem, & in lu- *Luc. 1. 78.*
cem suæ diuinitatis præcipit credere dicēs: *Credite in lu-* *1. Tim. 6.*
cem, vt filij lucis sitis. Testatur etiam ipsa veritas quod *16.*
qui male agit, odit lucem. Et qui facit veritatem venit ad *Ioan. 12.*
lucem. *36.*

Non est aliquid numinis credendum in sole, sed ex *Ioan. 3. 20.*
ipsius luce & pulchritudine, quam inæstimabili creatur *Matt. 6. 33.*
resplendeat sapientiæ claritate, qui de nihilo tam splendidam creauit speciem: ad cuius similitudinem clarita-
B tis post resurrectionē sunt nostra corpora immutanda debent fideles aduertere, vnde est merito adorandus, & cultu debitæ seruitutis solus colendus. Paradisus quoque terrestris fertur esse in partibus Orientis, à quo culpa sua eiectus est primus parens. Luit pœnas originalis delicti tota sequens propago, & ingemiscit, cum videt se ærumnis huius exilij prægrauari, suspirās homo vertitur ad Orientem, & quasi considerans patriam, à qua se luget expulsum, in eo compunctio, & orandi desiderium fortius excitatur, eo quod credit perdita precibus obtinere. Et quamuis potiora sunt bona cœlestia ad quę credimus peruenire, tamen magis excitatur animus ad quęrendum dum considerat damna, quę pati-
C tur, & bona reducit ad memoriam quæ amisit, & quia preces effectuosiores sunt, quę nituntur bona perdita obtinere, ad Orientem oramus, vt in nobis excitetur deuotio quatenus pręces nostrę obtineāt apud Deum. Preces enim affectuosas quæ ex iusto proueniunt desiderio, exaudit Deus. Iustum est desiderium nostrum *si regnum Dei orantes petimus primum.*

Ex sacris pręmissis auctoritatibus, & rationibus patet, quod debemus orare ad Orientem, non vt credamus, quod Orientalis plaga localiter contineat Deum, cum totus vbique sit: sed quod ab ipso patre luminum omnia opera lucis procedant, & sacris obtemperemus scripturis, quæ Deum ad Orientem lucis præcipiunt adorare.



ADVERSVS ALBIGENSES LVCÆ TVDENSIS LIBER TERTIVS.

Hæreticorum fraudes.

CAPVT PRIMVM.

SVPERIVS dictum est, qualiter A hæretici nituntur omnimoda peruertere Catholicam fidem sanctorum patrum, adulterando doctrinam in eorum libris, educiendo falsa, vel resecando vera, & etiam nouitate picturarum Ecclesiæ consueta mutando: nunc etiam qualiter diuersis alijs modis eandem fidem corrumpere satagunt duximus demonstrare, quatenus fideles eorum argumentorum fallacijs agnitis erroris nodos valeant euitare. Sub philosophorum seu naturalium doctorũ specie sacras Scripturas laborant peruertere. Malunt vocari naturales, seu philosophi, cum antiqui philosophi ab hæreticis parum distent: & modernorũ naturalium plures hæretica labe sordescant. Attribuunt enim na- B turæ ea quæ quotidie mira dispositione Dominus operatur. Hi, quasi exponentes vetus testamentum, conficiunt sacrilegos libros, quibus fraudulenter venenum erroris legentibus infundunt, dicentes: Non reprehen-
Genes. 1. dimus sacras Scripturas, sed quod ipsæ dicunt, *quia Deus*
Psal. 145. 6 *fecit cælum & terram & mare & omnia quæ in eis sunt*, nos
Gen. 2. 21. qualiter ea fecerit explicamus. Non est credendum, quod Deus Adam excostauerit, & de costa illius formauerit Euam: sed intelligendum est, quod de superficie terræ humidæ mediante calore Adam fecerit, & de inferiori parte, illi contiguæ, produxerit Euam. Vnde vir est calidior fœmina, quia de calidiori parte formatus. Dicitur autem mulier sumpta de costa viri, quia dexter a illi proxima facta est. Ecce quam fraudulenter astruunt hæretici nequam non esse verum, quod diui- C na testatur scriptura dicens: *Immisit soporem in Adam & tulit vnam de costis eius, & ædificauit costam quam tulerat de Adam in mulierem*. Hoc enim ita factum credit Ecclesia, sicut litera sonat.

Item hæretici, quod inquiunt, dicit scriptura Deum fecisse omnia præterita, & facere in præsenti, ita intelligendum est, quod Deus faciendi omnia naturæ contulit potestatem. Vnde proueniunt à natura, & non extendit, ut diuina prouidentia ad creãdas species singulorum. Ergo cassæ sunt preces, quæ Deo pro bonis temporalibus offeruntur. Quia nihil potest in hoc mundo fieri nisi quod determinatum est à natura, & sic plane criminarij meotiuotur. Quia, vt ait veritas. Pater
Ioan. 5. 17. Deus vsque modo operatur, & filius similiter operatur, & dæmonia eiicit, & perficit sanitates.

Alia plura, vt oppugnent veritatem proferunt hære- D tici, qui Philosophorum seu naturalium nomine gloriantur. Quorum finis est Manichæorum inducere sectam, & duos fateri Deos, quorum malignus (vt procaciter mentiuntur) creauit omnia visibilia. Contra
1. Cor. 8. 6 quos dicit Apostolus. Nobis vnus est Deus Pater *ex quo omnia*, & nos in ipso, & vnus Dominus *Iesus Christus* per quem omnia, & nos per ipsum. Item idem
Ad Colos. 1. 5. Apostolus de CHRISTO alibi dicit: *Qui est imago Dei inuisibilis, primogenitus omnis creaturæ, quia in ipso condita sunt vniuersa quæ sunt in cælo, & in terra visibilia & inuisibilia.*

Negant hæretici vera fuisse CHRISTI miracula.

CAPVT. II.

ITem hæretici quidam dicũt: Verum est, quod continetur in nouo & veteri testamento, si intelligatur secundum mysticum intellectum: ad literam autẽ nulla sunt omnia, quæ continentur in eis. Quia quod legitur de Christo, quod cæcos illuminauerit & alia signa fecerit, de illis intelligendum est, qui erant in peccato & detinebantur mentis non corporis cæcitate. Ex his & alijs erroribus multis profanas condunt scripturas, easdem philosophorum quibusdam floribus decorantes, vt est ille liber qui *perpendiculum scientiarum* dici- B tur, quatenus propter ornatum Philosophicum, & etiam propter quasdam sententias sanctarum interpositas scripturarum in cordibus legentium, hæresis reperiat locum. Hi vero, qui huiusmodi libros dederunt cum deprehensi fuerint, excusationem suæ prauitatis dicunt: *Eligat bona lector, & abijciat praua, non enim repellenda sunt bona pro malis, nec vera pro falsis. Sapiens namque propter spinas flores non abijcit. De spina legitur rosa, & de Philosophorum libris pulchra sapientia.*

Dum hæc vera hæretici proferunt, decipere quærunt, more aucupis, qui inter laqueos auibus spargit escas. Latenter virus ingerunt dum quandam palam offerũt dulcedinem veritatis. Nulla enim est adeo praua doctrina, quin præferat aliquam veritatem. Reuera bona sunt colligenda, & abijcienda praua: sed valde pericu- C losum est in campo referto serpentibus colligere flores. Stultum est in toxico quærere medicinam, dum quis sanis speciebus abundat. Vnde hæreticorũ libri omnino abiiciendi sunt, etiamsi aliqua contineant bona, vitandæ sunt suspectæ scripturæ, ne dum in eis quærimus vitã, mortem inueniamus. Nec est mens incaute accõmodanda philosophorum sententijs, eo quod de ipsorum sanguineo fonte hæreses emanarunt. Quis vel insanus credit secundum cursum planetarum, vt testantur Philosophi omnia inferiora moueri, & non potius secundum voluntatẽ diuinam? suo enim planetæ subseruiunt creatori, sine cuius nutu, neque ipsi mouentur nec velle atque nolle adiacet illis. Qua propter scripturas debent legere Christiani, in quibus possunt sine periculo delectabiles colligere flores & æternę dulcedinis suauissimos capere fructus. Qui sanctorum Patrum li- D bris abundant, in quibus cœlestia rutilant sacramenta, & sanctæ honestatis rutilant eloquia, & fulgẽt immarcessibilium sententijs florum, non debent oculos Deo consecratos ad feces Scripturarum hæreticorũ aliquatenus retorquere. Illi autem, qui dicunt Dominum ad literam miracula non patrasse, audiant, qui de cæco nato, & curato à Domino referat Euangelium: legitur enim quod postquam illuminatus fuerat inuenit eum IESVS, & dixit ei: *Tu credis in filium Dei?* respondit: Ioan. 9.
Quis est, Domine vt credam in eum: patet quod in fide illuminatus non erat, qui verum lumen oculis carnis videbat, & eum non cognoscebat. Qui tamen postea cognouit Deum & procidens adorauit. Ergo illuminatio, quę Mat. vlt. 17.

præcessit, corporea fuit. Dominus etiam in Ascensione A sua discipulis dicit, Signa autem eos qui crediderint hæc sequentur: *In nomine meo dæmonia eiicient, linguis loquentur nouis, serpentes tollent, &c.* Quia illuminandi erant, & alios illuminare debebant signis corporeis, qui iam erant per fidem illuminati oculis cordis. Item hæreticorum aliqui, vt occulte deiicere possint, quos non valent propter fœtidam suam infamiam ducere in errorem, nonnunquam sub specie presbyterorum secularium vel etiam aliorum religiosorum fictorum & monachorum calliditate subdola secretis confessionibus multos decipiunt, & barathro suæ damnationis submergũt.

Hæretici Iudæorum perfidiam simulant.

CAPVT III.

ITem hæretici quadam excogitata malitia plerumque circunciduntur & sub specie Iudæorum quasi B gratia disputandi ad Christianos veniunt, & hæreticas quæstiones proponunt. Liberius tanquam Iudæi hæreses seminant, qui primo verbum hæresis dicere non audebant. Audiunt sæculi principes & iudices vrbium doctrinam hæresim à Iudæis quos familiares sibi annumerant & amicos. Si aliquis ductus zelo legis Dei aliquem horum exasperauit, punitur quasi qui tangit pupillam oculi iudicis ciuitatis. Hi docent alios Iudæos suas blasphemias contra Christianos proponere, vt vel sic fidem Catholicam peruertere possint. Habent fautores omnes Synagogas malignantium Iudæorum & infinitis muneribus principes placant, & iudices ad sui culturam auro perducunt. Heu proh dolor, non est,
Ezech.13.5 qui vicem Ecclesiæ CHRISTI doleat, & lugeat de- C trimenta. Non est qui se opponat murum pro domo Domini & moueat pennam, & aperiat os, & ganniat,
Ierem.9.1. & stet ex aduerso, vt resistat Ecclesiam demolientibus inimicis. *Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lacrymarum, & plorabo nocte & die interfectos populi mei die ac nocte?*
Isa.51.8. Cadunt Ecclesiæ fortes gladio non viri: & iudices
Lam.2.5. eius ad æterna supplicia à vulpibus paruulis ducuntur captiui. Imponitur silentium ori meo, mutire non audeo. Quia me omnes vnanimiter amentem vocitant, & insanum. Sordescit sermo diuinus in ore meo & qui audiunt dicunt, sile, & in oculis meis exprobrant veritati.

Qui crucifixerunt DOMINVM DEVM meum, euacuant fidem eius & opprimunt pauperes sine causa. Ecclesiæ Prælati manus eorum roborant: & illorum D excæcati muneribus, eos attollunt quasi suæ legis sedulos defensores. Nolunt credere, vel vocari hæreticos, quos hæreticis propositionibus, & operibus assidue vident fidem Catholicam deuastare. Tantam illis lætitiam generat splendor munerum oblatorum, quod dolere non possunt de mortuis subditorum, auri splendor delet rigorẽ iustitiæ de cordibus iudicum sæcularium & compassionis nebulam de mentibus prælatorum.

Reginæ cœlorum inuiolatæ genitricis Dei MARIÆ contra morem Hispanicum virginitas à perfidis publice blasphematur: & friget calor bellicus & Catholicus Hispanorum, qui hostes Catholicæ fidei velut flamma consueuerat deuorare. Qui si virtutis præteritæ zelum ad memoriam reuocet taliter contra huiusmodi callidissimos hostes exerto mucrone debet se gerere, vt cun- E ctis erroribus viriliter extirpatis, etiam errorum auctores cum suo pereant scelere, nisi fidem Catholicam non solum voce, verum etiam sanctis operibus fateantur. Taliter enim procedendum est contra Iudæos, quæ alios qui contra fidem Christi proponunt hæreticas quæstiones, sicut contra illos, qui eosdem gignunt errores,

Hæreticorum emissarij Catholicorum speciem præseferunt decipiendi studio.

CAPVT IIII.

ITem hæretici, vt possint decipere occulta fraude, aliquem hæreticorum, qui in errore suo scientia & eloquentia gloriatur, plures ad ignotas dirigunt ciuitates. Qui cum ad destinatum venerit locum, se Catholicum fingit, in omnibus quæ geruntur in Ecclesia, se promptissimum apparentem exhibet ac deuotum. Execratus verbis hæreses manifeste, cum occulte in eo viribus erroris redundet. Hic frequenter accedit ad loca, vbi hæretici sua faciunt conuenticula, ferens secum aliquos fidelium, & cum hæreticis disputationis aggreditur litem. Plura proponit Catholica, vt Christi fidem toto conamine defendere videatur. Vltimo tamen ex B industria succumbit, quasi non habens, qua se valeat defendere rationem. Infremit etiam quasi turbatus & in hæreticos iactat conuitia. Quod videntes miseri sodales eius, qui cum eo Catholici venerant, hæretici reuertuntur. Habet enim ille diabolus inter Catholicos fauorabilem opinionem. Quia quando disputat cum Catholicis quæstiones Catholicas proponendo pro viribus victor abscedit, qui semper succumbit cum hæreticis disputando. Tamen inter Catholicos sæpe proponit contraria, vt eos in fide aliquo modo faciat dubitare. Sedulo contra huiusmodi debent pastores Ecclesiæ vigilare, quia in multorum cedit euersionem, dum is qui à Catholicis sapiens iudicatur disputando cum hæreticis ab eis videtur multoties superari, maxime cum is qui fi- C dem Catholicam videbatur tueri, se victum iure occulte ab hæreticis fateatur & hæresim laudet, quam prius se fingebat habere exosam, multi simplicium deprauantur.

Item hæretici nonnunquam, vt occasionem inueniant malignandi, diuinis se intermiscent officijs, & inter diuinas laudes quædam ridiculosa depromunt, & Veneris carmina, vt astantium mentes reuocent à diuinis, & detrahere possint Ecclesiæ sacramentis. Procurant etiam vt credant Christiani quod nullus hæreticus velit stare in Ecclesia dum celebratur missa, & corporis & sanguinis Domini conficitur sacramentum. Vt doti ipsi ad Ecclesiam frequenter conueniunt & deuotas orationes & laudes se Deo simulant exhibere, indubitanter pro Catholicis habeantur: & sic valeant suam nequi- D tiam occultare: & captare tempus quando possint doctrinam suæ vesaniæ seminare.

In sæcularibus quoque vanis choreis laruas ornans Ecclesiasticis instruunt: atque in iniuriam ordinis clericalis sordidis suis vsibus applicantes profanant sancta, quæ non debent contrectari manibus laicorum, semper detrahunt ordini clericali, & in omnibus laborant Catholicæ fidei nocere. Coadunant eos in suis turpibus cantilenis, & vanitatibus alijs, fideles laici, & etiam clericorum aliqui credentes, quod ex deuotione sanctarum solemnitatum hoc faciunt alij. Nesciunt Prou.7.23
quod de periculo agitur animarum illorum, & erroris gladium in eorum visceribus mergere student hæretici. 2.Cor.6.15.
Scire debent fideles, *quia cum nulla sit conuentio Christi ad Belial, aut consensus templo Dei cum idolis*, nulla conuentio canticis *Iesu Christi* filij Virginis, ad carmina filiorum E Veneris. Quæcunque sunt in Ecclesia manufacta, vt tectum, parietes, fundamentum, vasa & sacræ vestes, & cætera vtensilia consecrata sunt Christo, & nequaquam debent transire ad alios vsus vetita Dei prouocetur in populo

Heretici suis sectatoribus opulentiam temere pollicentur.

CAPVT V.

ITEM procurant hæretici, vt dicat fama, vt quicumque fuerit illi obediens & errore socius, erit affluens bonis mundi, & illi diuitiæ augmentabuntur continuo. Vnde veniunt ad eos miseri cupiditate aliqua inflammati, & dum cupiunt ab eis qualiter fiant diuites edoceri, obedire promittunt: eorum prauis sermonibus autem tribuunt, & erroribus implicantur. Dum putant terrenis diuitijs miseri & blasphemi augeri, in puteum æternæ damnationis labuntur. Hoc enim ab eis hæretici exigunt, vt blasphement, & anathematizent omnia fidei Catholicæ sacramenta. Suo frustrati desiderio, orthodoxæ fidei carent diuitijs mentis & maiorem incurrunt paupertatem corporis. Quid enim enim diuitiarum hæretici suis credentibus conferre poterunt, qui nisi ab alijs accipiant eleemosynam, vel nisi proprijs manibus operentur, non habent vnde pascantur? Tamen credentes eorum aliqui multas pecunias aggregant: quia furandi & fraudandi causam accipiunt ab ipsis hæreticis, & dandi alijs ad vsuram.

Dicunt eis hæretici: Omnia quæ in hoc mundo visibilia sunt à Diabolo facta sunt. Vnde non refert in lucro pecuniarum vtrum bene adquirantur, vel male: quia nec bona acquisitio illarum saluat, nec mala damnat. Nihil prodest alienis bona facere, nec obest agere mala: quia omnis homo pari pœna damnatur, si extra nostrum ordinem moritur. Hæc dicentibus hæreticis vani homines tribuunt miserabiliter fidem, & se fraudibus, homicidijs, latrocinijs & vsuris committunt. Efferuntur effrenes per varia desideria carnis, & nulla est nocina delectatio, quam non pertranseat eorum luxuria. Abutitur filius matrem, frater fratrem, & pater in filia turpitudinem operatur. Retorquent sui erroris mercedem in semetipsos, quorum sunt blasphemi & sine misericordia senes, ad omne nefas promptissimi iuuenes, luxuriosi & proterui adolescentes, impuri pueri sine certo patre: infantes cum lacte matris virus erroris sugentes: mulieres effrontes, & sine verecundia, loquacitate garrula, vt alias decipiant, per dumos discurrentes. Tales per ministros suos hæreticos Diabolus docet, quos in præsenti diuersis immunditijs, & fœtore infamiæ polluit, & in futuro æternæ damnationis flammis cõburit. Hæc vt ab illis accepimus, qui fuerunt quondam cœno fecis hæreticæ obuoluti, & per gratiam Dei ad gremium sanctæ matris Ecclesiæ redierunt, fidelium duximus scribere charitati, vt ab his & alijs occultis hæreticorũ laqueis caueant, quibus Ecclesiam Christi impugnare non cessant. Vigilent pastores Ecclesiæ super gregem Dominicum suæ custodiæ creditum. Quia quidquid eorum negligentia hæreticus lupus rapuerit, de illo reddituri sunt rationem.

Sap. 28.
Rom. 1. 27.

Varias fabulas confingunt hæretici.

CAPVT VI.

SVNT & alij diuersi modi quibus inimici veritatis hæretici oues Christi dilaniant: & ipsi quidem occulti. Nam cum aliter non possunt in fabulæ modum aliqua grauia proponunt dicentes. Duo homines gradiebantur itinere vno, & (vt moris est) crucem in biuio inuenerunt. Quorum vnus procidens adorauit eam: alter vero lapidibus fregit eam, & pedibus conculcauit. Vtrumque bona præcessit intentio, vnus. s. eam adorauit, quia per ipsam Deus saluauit mundum; alter eam lapidauit, quia Iudæi in ea occiderunt Christum. Hæc hæretici dicunt, non vt credant, quod aliquis crucem debeat adorare, sed ab intentione adorandi crucem fa- A cigunt alios reuocare. Cum enim dicunt, quod in vtroque bona præcessit intentio, scilicet, in adorante, crucem, & in confringente, volunt, vt intelligamus, quod bene fecerit, qui confregit. Vnde cum talem sacrilegam fabulam ab aliquo audierit Christianus prout potest dure increpet proponentem, & audacter dicat, qui adorauit crucem, fecit tanquam Catholicus: & qui fregit eam, fecit sicut hæreticus.

Contra hanc proponit Christianus aliam non fabulam, sed remgestam. Quidam miles, fide Catholicus, sed ad vindicandas illatas iniurias acer & strenuus, vbicumque crucem inueniebat, de equo prosiliens ad honorem saluatoris nostri, eam suppliciter adorabat. Accidit quadam die vt propinqui cuiusdam nobilis, quem dictus miles occiderat, eo solo reperto in quadam eremo vindicandi sanguinis causa, insequerentur ipsum. Cumque B ipse supersedens equo fugeret hostes quia plures erant, ac nobiles, & eis resistere non valebat, ad quoddam cõpitum venit, vbi quandam ligneam crucem vidit. Qui oblitus fugæ de equo descendit, & sicut consueuerat crucem deuotissime adorauit. Hostes vero cursu velocissimo venerunt vsque ad locum, & militem frustratim eductis gladijs parabant concidere, sed non defuit Catholico militi clementia redemptoris, nam clausit Dominus oculos ipsum volentium interficere, & cœperunt huc illuc discurrere, & nec militem, nec equum eius videbant. Qui mirantes admodum super facto ad propria reuersi sunt, phantasma esse dicentes, quod in effigie militis apparuerat illis. Liberauit Dominus per virtutem sanctæ crucis Catholicum adoratorem suum, vt militi C adesset clementia Dei, & nobis præstaretur salutis exemplum, vt fideliter agnoscamus quanta remuneratione digni sunt apud Deum qui deuotissimi crucem eius adorant.

Alia hæreticorum fabula.

CAPVT VII.

ITEM hæretici vesaniæ suæ fabulam proponunt dicentes: Quædam mulier candelam accensã ad quoddam altare B. Mariæ detulit, & ea coram altari dimissa recessit. Venit autem presbyter quidam qui Ecclesiæ seruiebat, & candelam ipsam tulit, & suis vsibus reseruauit. Sequenti vero nocte Dei Genitrix dictæ mulieri ap- D paruit, & candentem ceram in oculis illius proiecit, dicens: Accipe mercedem obsequij tui. Nam presbyter statim vt egressa es ab altari meo, quam posuisti candelam abstulit sibi: & vnde debueras præmium obtinere, si coram altari meo ardens consumeretur candela, inde nunc sustines pœnam, qui ad momentum mihi lumen præbuisti, quod propter tuam incuriam statim amouit presbyter.

Hæc hæretici dicunt, non vt curam gerant de illuminatione altaris, sed vt simplices concitẽt contra clerum, & deuotionis suæ consueta Eccl. Christi non deferãt luminaria. Hæc diabolica fabula cum tempestatibus nostris hanc nostram attigit vrbem, ita exasperauit animos cunctorum simplicium, vt nullus more solito ad Ecclesiam deferret candelam. Vt autem hoc cõperit venera- E bilis pater Legionensis Episc. Rodericus, & per quendã adolescentem, qui super malum mortis hæreticam execrabatur insaniam certificaretur de facto auctores huius sceleris hæreticos quosdam, multo affectos malis à ciuitate expulit, & vix potuit ad deuotionẽ solitam reducere ciuitatem & errorem delere quem diaboli satellites seminarunt. Hæc & illis similia quamuis parua videantur, aut fere nulla, non sunt negligenter prætereunda, quia scandalizantur in eis simplices, & pereunt pro quibus Christus mortuus est, etiã dũ negligimus minima, inde maxima damna cõsurgunt, & cadunt in errorẽ multi ex illis qui stare solide in fide Catholica videbãtur. Proinde in sacra scriptura *vulpibus paruulis demolientibus vineas hæretici cõparantur*, quia quasi paruis fraudibus, & occultis anfractibus

anfractibus vineã populi Dei corrodunt continue & in A aerorem inducunt.

Per idem tempus mulier quædam MARIA nomine cuius deuotio diuinis obſequijs apud nos commendabilis habebatur, dum in quadam die cereum accenſum poſuiſſet coram altare Genitricis Dei, & coram alijs altaribus quæ ſunt in eadem Eccleſia candelas ſimiliter accendiſſet, reuerſa ad altare beatæ Virginis, candelã quã poſuerat, non inuenit. Quæ in ira vehementer commota præter morem conſuetæ humilitatis & manſuetudinis Eccleſiæ Capellanum probris & contumelijs laceſſiuit. Sequenti vero nocte, cum ſe ſopori dediſſet, ei beatiſſima Regina cœli apparuit, atque dixit. O mulier quare miniſtro filij mei contumelijs exprobraſti? In ſupremo huius vitæ tempore conſtituta, quare miniſtrũ B Dei contriſtare minime formidaſti? Deuota obſequia exhibuiſti Deo & mihi & nunc in tempore retributionis debitum tibi præmiũ amittere non vereris? Hæreticis deluſa fabulis, non vis, vt Dei miniſtri de ſuo miniſterio ſuſtententur. Neſcis quia ſeruientes altari de bonis altaris viuere debent? Grauiter deliquiſti, ſed cum ad matutinas laudes ſurrexeris, ſtatim à presbytero veniam pete: & culpam hanc precibus & eleemoſynis redime. Age, vt docet religio Chriſtiana, quia poſt tres dies febre corripieris, & die vndecima huius vitæ finies curſum. His dictis Regina cœli diſparuit. Dicta vero mulier cœpit edere planctus, & ſingultus amariſſimos, & concite ſurgens ad Eccleſiam properauit & flens & eiulans de commiſſis veniam precabatur. Vocatus affuit capellanus, & coram eo proſtrata perfuſa lachrymis in- C dulgentiam obtinuit poſtulatam, & in multorum auribus retulit, quam viderat viſionem. Tertia die iuxta viſionis condictum febre correpta, omnia quæ habebat Eccleſiæ ac pauperibus erogauit, & die vndecima poſt perceptionem corporis & ſanguinis Domini ſpiritum exhalauit. Mors ipſa fuit teſtis, quod vera eſſent quę dixit mulier, & dubitantibus certum præbuit argumentũ.

Poſt hæc Eccleſiaſtici indiſcrete accipientes candelas, quæ deferebantur ad illuminandam Eccleſiam à fidelibus, cogebatur contra eos populus murmurare. Quadam autem die Dominica, cum in celebratione miſſæ quidam clericus adoleſcens, multis vidẽtibus laicis, qui ob hanc cauſam maledicebãt illi cum irreuerentia candelas extingueret & reponeret, ſubito arreptus à dæmo D nio occidit, & vſque ad nouẽ dies quotidie vexabatur. Videbatur in ipſo loqui ac dicere quia ideirco arripiendi ipſum à Dei genitrice acceperat poteſtatẽ, quia tam in officio Vocetis, quam in extinguendis candelis, & in deriſionibus alijs impudẽter ſe coram hominibus exercebat. Orantibus cunctis, qui aderant pro eo, qui vexabatur nona die ſanitatem recepit, & Ciſtercienſium Monachorum ſuſcepit habitum, & de cætero mores ſtuduit emendare. Qua in re omnipotẽs Deus oſtendere voluit quatenus quis flagitia ſua impudenter non debeat propalare, & ſic Eccleſiaſtici de bonis Eccleſiæ viuant honeſtatem prætendentes in moribus, vt laicis non præbeant materiam murmurandi. Proni enim ſunt laici ad detrahendum clericis, & eiro alterantur in contra- E riam qualitatem. Vnde debent Eccleſiaſtici ſollicitè præcauere ne ſint populis in ruinam quibus dati ſunt ad cuſtodiam. Quia non ſolum pro ſuis iniquitatibus punientur, verum etiam pro illorum quos prauo exemplo traxerint ad peccandum.

Alia hæreticorum fabula.

CAPVT VIII.

IDem hæretici, vt laicos irritent contra clerum falſitatis fabulam proponunt, dicentes, Quidã laicus in ſimplicitate ſua Domino ſeruiebat, & male viuentes clericos acrius arguebat; quædã, quæ qualitercumque di-

A dicerat de Scripturis populis proponere cupiebat: ſed inuidentes illi clerici eum loqui coram alijs non ſinebant. Eo vero, vt verbum D. i proponeret, inſiſtente, clerici ducti malitia, eum coram ciuitatis Epiſcopo vocauerunt, accuſationes contra ipſum & crimina confingẽtes. Quo audito Epiſcopus impoſuit illi ſilentium.

Eo nihilominus in eo quod cœperat, perſiſtente, Epiſcopus excommunicauit eum. Et cum nec ſic deſiſteret, & etiam ipſum Epiſcopum de ſuis exceſſibus redargueret, fecit eum Epiſcopus duriſſime flagellari. Et poſt paucos dies dictus laicus mortuus eſt, & Epiſcopo iubẽte, extra cœmeterium ſepultus. Cœperunt vero ad ſepulturam eius miracula fieri, ſed contradicebãt clerici, & in irrita efferebantur. Accidit quadam die, vt iuxta ſepulturam dicti laici tranſiret Epiſcopus, & inquireret B de miraculis, quæ fiebant, Et ecce ſubito de dicta ſepultura ſerpens egreſſus eſt, & Epiſcopum interfecit, & flagella dicti laici vindicauit.

Hanc diabolicam fabulam audientes multi laicorum quaſi de morte Epiſcopi vindicantur, & fremunt, atque inſaniunt contra ordinem clericalem, & ipſi ea ſacrilega fabula effecti hæretici. Qui miſeri niſi ratione carerẽt, & eorum ſenſus diabolus occuparet, ſtatim in eum qui talia profert manus inijcerent, & ducerent ad Pręlatos Eccleſiæ iudicandum. Sed applaudunt hæretico inferenti manus eorum vulnera mortis, & iraſcuntur presbyteris portantibus illis medicinam ſalutis. Mira hæreticorum aſtutia. Non credunt in hoc mundo à patre luminum aliqua miracula fieri, nec humanum corpus à diabolo dicunt factum, & tamen vt decipere poſſint ali- C qua per eum fieri mentiuntur. Simulant etiam in quibuſdam locis immondis fieri miracula vt decepti homines credant hæc patrari à diabolo propter ſordes locorum, & ea quæ per Catholicos fiunt miracula in Eccleſia CHRISTI, ſimiliter facta à diabolo arbitrẽtur. Quod vt manifeſte appareat, & non ſeducantur ſimplices cum hęreticorum dolo in ſordidis locis miracula vidẽtur fieri, ea quæ in hac noſtra vrbe ante biennium calliditate hæreticorum geſta ſunt, referamus.

Iacob. 5. 7

Falſa miracula ad duorum facinoroſorum ſepulchra fieri fingunt

D

CAPVT IX.

POſt deceſſum reuerendi patris Roderici Legionenſis Epiſcopi ſuper electione futuri paſtoris diſcordantia voto & ſtudio clericorũ inimici veritatis hæretici, qui ſemper ſitiunt diſcordiam clericorum, vt reperiant aditum quo Chriſti oues mactent & perdant, ad Ioh. 10 10 hãc confluxerunt ciuitatẽ, tunc temporis carentem cuſtodia paſtorali; & in quodã loco ſordidiſſimo vbi multi egrediebantur ad exquiſita naturæ fieri miracula confinxerunt. Fuerat ibi ſepultus quidam hęreticus, & quidam alius homicida, qui exigente iuſtitia viuus fuerat E miſſus in foueam à iudicibus ciuitatis, eo quod proditione patruũ ſuum interfecerat. Eſt ibi pręterea quidã fons, quem hæretici ſanguine polluerũt vt ipſa aqua verſa in ſanguinem crederetur. Confluebãt de diuerſis partibus populi vt aſpicerent miracula, quę fieri videbantur. Veniebant plures qui erãt occulte muneribus ſubornati; Alij fingentes ſe eſſe cæcos, alij claudos, alij dæmoniacos, alij ægritudinis vexatos, & hauſta fontis illius aqua ſe mentiebãtur recipere ſanitatem. Extumulantes etiam oſſa hæretici ſupradicti, qui Arnaldus vocatus fuerat, & ante ſedecim annos ſepultus in loco martyrem ſanctiſſimum fatebantur. Plures clericorum ſimplicitate ducti laicos in facto ſacrilego ſedulo adiuuabant, & ſuper fontem domũ fortiſſimam conſtruxerunt. Parabãt oſſa dicti proditoris & homicidę com-

muni concilio eleuare, quia hunc quondam esse Abbatem sanctissimum ferebantur. Quid plura? Quod callide fecerant, & quibusdam detegentes hæretici deridebant fidem Catholicam, & simili artificio fieri miracula in Ecclesia coram sanctorum corporibus affirmabant. Non defuerunt aliqui, qui crederent illis, quibus profana consilia reuelauerant, & in hæresim laberentur. Peruenit tandem consilij denudatio ad fratres sanctæ prædicationis, qui verbum Dei populis proponentes hortabantur ob hoc facto nefano penitere. Instabant fratres minores & clerici, ne populus vore sacrilega loco sordido immundis ossibus exhiberent, & magis accendebantur animi laicorum ad cultum diabolicum peragendum, & fratres Prædicatores & Minores, ac clericos vniuersos, qui erant contrarij suis operibus, hæreticos conclamabant. Gaudebant inimici veritatis, &
B publice asserebant, plus esse sanctitatis & miracula in luto, & in ossibus illis, quam in omnibus Ecclesiis CHRISTI, & in omnibus Sanctorum corporibus quos fides Catholica veneratur. Circum adiacentes autem Episcopi excommunicabant omnes venientes ad illam venerationem nefariam, & fere nihil proficiebant, quia multorum mentes inuaserat Diabolus, & inobedientes filios colligauerat.

Quidam vero Diaconus, qui feruore fidei flagrans hæreticam præ cunctis præcipitijs oderat prauitatem, cum esset in sancta vrbe Romana, & à narrantibus disceret quæ fiebant in ciuitate Legionensi, turbatus est valde & repedare ad patriam festinauit, vt se tantæ opponeret prauitati. Hic cum venisset Legionem & plenius cogno-
C uisset de facto, quasi in insaniam versus cœpit manifeste ciuibus exprobare, & eos quasi hæreticorum fautores redarguere.

Ita enim motus per omnia, quæ videbantur ciues recedere à lege Dei, cum se non posset cohibere prohibentibus amicis, qui de illius interitu formidabant, accessit ad concilium & cœpit proponere, quod infamia huius facti Hispaniam totam pollueret, & vnde consueuerant oriri leges iustitiæ, eo quod esset ciuitas caput regni, inde hæresis pullulabat. Adijcit etiam quod non daret Dominus pluuiam super terram, vsq; dum fanum destrueretur, quod construxerant, & quæ venerabantur ossa projicerent. Si quidem à tempore, quo nefarium cultum in-
D cœperant, & per decem menses anni non plueret, & arescebant omnia siccitate. Tunc iudex interrogauit dictum Diaconem in cunctorum præsentia dicens: si domum euertimus, dabit Dominus pluuiam super terram? Diaconus plenus fide respondens dixit: Conferatur mihi potestas à vobis domum libere destruendi, & euertendi omnia, quæ sunt ea, & in nomine DOMINI nostri IESV CHRISTI spondeo sub periculo corporis & omnium rerum mearum, quod vsque ad octo dies Dominus conferet abundantiam pluuiarum.

Dedit Dominus gratiam sermonibus eius in conspectu concilij, accepta sponsione ab ipso, ei destruendi fanum, & omnia quæ in ipso erant, posse liberum tradiderunt. Sed cum die sequenti in manu hominum plurima fanum destrueret, & dicta ossa confringeret minutatim
E & inter humanæ stercora spargeret, cum iam post euersionem omnium vellet quiescere, quidam sonus quasi tubæ valide perstrepentis inter ligna destructionis insonuit & in ipso sonitu relinquere noite locũ illum Diabolus crederetur. Sequenti vero die pars ciuitatis non minima succensa est, & ignis cum vento valido mixtus plurimas domos cõsumpsit. Quærebatur à multis dictus Diaconus vt interficeretur, qui cũ promiserit pluuiam domos eorum incendio perierunt. Insultabant hæretici Clericis: & Diaconum dignum morte damnabant, & quod non pluret etiam post multum temporis procaciter affirmabant. Dominus autem omnipotẽs misertus populo suo, octaua die à fani destructione pluuiarũ abũdantia terræ superficiẽ irrigauit, & qui iam erant sine spe frugum & fructuũ ipso anno percipiendi, eorundem co-
A piam, Dei misericordia perceperũt. Cõcitauit post hæc dictus Diaconus persecutionem magnam contra hæreticos, & relicta ciuitate, se fugæ miserabiliter contulerunt.

Prælatis non detrahendum.

CAPVT X.

HÆc idcirco scripsi, vt ab astuta calliditate hæreticorum fideles caueant. Quia multæ sunt eorum insidiæ quibus intendunt peruertere fidem Christi. Qui licet occulte tendant retia; dio tamẽ latere non possunt. Quia si affuerit diligens indagator, cito capiuntur in verbis detractionis, quibus semper intendunt Prælatis Ecclesiæ derogare. Ex abundantia enim prauj cordis lo- *Matth. 12.*
B quuntur, & errores lingua pariunt, quos mente viperea *34* conceperant. Primo deceptionis limine incipiũt à detractione Prælatorum & eorum blasphemiæ in Episcopis terminantur. Habent exosos gregis CHRISTI pastores quorum famam nunquam desistunt verbis blasphemiæ lacerare. Sed nos qui in Ecclesiæ pastoribus gloriamur, & eorum nos spirituales filios profitemur, cõsideremus sollicite, quã inæstimabile sit malum prælatis detrahere, cum eis debeamus speciali dilectione humiliter & deuote obedientiam, & obsequium exhibere. Hoc quippe recte conspicimus, si beatissimi Papæ Greg. dicta attendimus, qui de beato Fortunato Episcopo Eccl. Tudertinæ in libro Dialogorum dicit. *Lib. 1. c. 9.*

Quodam in tempore, Dei omnipotentis famulus For-
C tunatus, ex obsesso quodam homine immundum spiritũ excussit. Qui malignus Spiritus, cum vesperascente iam die secretam ab hominibus horam cerneret, peregrinum se quempiam esse simulans circuire cœpit ciuitatis plateas, & exclamare. O virum sanctum Fortunatum Episcopum! quid fecit? Ecce peregrinum hominem de hospitio suo expulit, quæro vbi requiescere debeam & in ciuitate eius non inuenio. Tunc quidam in hospitio suo cum vxore sua & filio paruulo ad prunas sedebat. Qui vocem eius audiens, & quid ei Episcopus fecerit requirens hunc inuitauit hospitio & sedere secum iuxta prunas fecit. Cumque vicissim aliqua confabularentur, paruulum eius filium idem malignus spiritus inuasit, atque in eisdem prunis proiecit, vbique mox eius animam ex-
D cussit. Qui orbatus miser vel quem ipse susciperet, vel quem Episcopus expulisset agnouit.

Petrus. Quidnam hoc esse dicimus, vt occidendi ausum in eius hospitio antiquus hostis acciperet, qui hunc peregrinum æstimans, ad se hospitalitatis gratia vocasset.

Gregorius. Multa Petre videntur bona, sed non sunt, quia bono animo non fiunt. Vnde & in Euangelio veritas dicit: *Si oculus tuus nequam fuerit, totum corpus tuum tenebrosum erit.* Quia cum peruersa est intentio quæ præcedit, prauum est omne opus, quod sequitur, quamuis rectum esse videatur. Ego namq; hunc virum qui dum quasi hospitalitatẽ exhiberet, orbatus est, non pietatis opere delectatum existimo, sed Episcopi derogatione. Nam pœna subsequens innotuit, quia præcedens illa susceptio sine culpa non fuit. Sunt namque nonnulli *Matt. 6. 23*
E quid circo bona facere student, vt gratiam alienæ operationis obnubilent, nec pascuntur bono, quod faciũt, sed laude boni, qua cæteros premunt. Quare te existimo, hunc virum, qui malignum spiritum in hospitalitate suscepit, ostentationi potius intendisse, quam operi, vt meliora, quam Episcopus facere videretur, quatenus ipse susciperet eum, quem vir Domini Fortunatus expulisset. Petrus. Vt dicitur ita est, nam finis operis probat, quod munda intentio in opere non fuerit.

Ex his beatissimi patris verbis colligere possumus, quantæ animaduersioni subiaceant apud Deum Prælatorũ detractores, qui non solũ pro aperta Prælatorum derogatione, sed etiam pro titillatione occulta districtius feriuntur. Si is, qui occulta intentione Episcopo derogationis, filij morte grauem pertulit vltionem, qua digni

sunt

sont pœna, quibus prælatorum derogatio manifesta dulcis efficitur & suauis? Horum erit vtique damnatio valde dura, & teterrimus cruciatus. Erunt perpetuo seruituti dæmonum horribiliter mancipati. Quia vt ait beatus Isidorus: sententia Cham filij Noë damnantur qui suorum Præpositorum culpas in publicum produnt. Sicut Cham, qui Patris pudenda non operuit, sed deridendo monstrauit. Habnoti Sem meritum & Iaphet, qui reuerenter operiunt, quæ patres suos excessisse cognoscunt. Quod si ij crudelius damnantur, qui Prælatorum culpas irreuerenter produnt: Et quid erit illis qui etiam bonos eorum mores intendunt venenatæ linguæ gladio lacerare, & quę fiunt ab eis gratia disciplinæ sinistra interpretatione peruertunt? Teste sacra scriptura, *quasi scelus idolatriæ est nolle obedire*. Et quibus mortibus digni sont qui non solum obedire contemnunt, verum etiam Prælatorum famam corrodunt? Qui detrahit fratri, secundum Apostolum Iacobum, detrahit legi. Et quanto magis si detrahit patri? Graue peccatum est fratri peccanti detrahere, & non verentur miseri etiam honestos Prælatos Ecclesiæ blasphemare. Non debet Christianus de alieno vitio culpam trahere, quod vtique fit, cum fratri detrahit delinquenti: vnde beatus Isidorus dicit: De malo alieno os tuum non inquines, Nos detrahas peccanti, sed condole. Non solum qui detrahit sed etiam is qui detrahentem libenter audit, ex detractionis merito punietur. Sicut Isidorus dicit: Pari reatu detrahentes & audientes tenentur: Vtrisque simile discrimen impenditur, & qui detrahentem libenter audiunt, & is qui detrahit. Metuere debet Christianus etiam in occulto mentis detrahere proximis & maximè Ecclesiæ Christi Prælatis, quos Dominus præposuit rectores morum, & principes animarum, quia videt occulta qui fecit abscondita, & cogitationes inspicit Deus. Percipiunt etiam dæmones nonnunquam cogitationes illicitas, & morosas & reseruant vnde possint hominem accusare. Quapropter caueat à pollutione cogitationis, qui iam per Dei gratiam abstinet à vitio manifestæ detractionis. Refrenanda est cogitatio praua & occulta detractio euitanda.

[Margin: de summo bo. lib. 3. c. 39. — Gen. 9. 22. 23. — 1. Reg. 15. 23. — Iacob. 4. 11. — Lib. 1. Synonym. de euitãda detractione. — Ibidem.]

Vnde diuina sapientia dicit: In cogitatione tua Regi ne detrahas, in secreto cubiculi tui, *ne maledixeris diuiti: quia aues cœli portabunt vocem tuam: & qui habet pennas annunciabit sententiam*. Aues cœli Dæmones sunt, de quibus Euangelium dicit: Volucres cœli comederunt illud, id est, verbi Dei semen quod cecidit iuxta viam. De hac sententia dicit Isidorus, Verbum iniquum nec in corde tuo dicas, verbum malum nec silentio absconditi putes. Omne verbum absconsum non celabitur. Pandetur enim in manifesto, quod in occulto depromitur. Diuinis iudicijs eris reus, quamuis sis oculis humanis absconditus. Itaque fratres omni submoto murmure, & detractionis vitio deuotione humili Prælatis nostris exhibeamus obedientiam veram, omnimode fabulas, studia, blasphemias, hypocrisim, & calliditates hæreticas execrantes reducamus frequenter ad memoriam, qualiter sanctissima Moysi soror Maria contra eundem fratrem suum beatissimum Moysem detractionis murmure eleuata, à tanto sanctitatis culmine corruit, & lepra toto perfusa corpore, septem diebus extra castra eiecta est. Nec potuit amicus Dei Moyses, qui loquebatur cum Deo facie ad faciem orationibus obtinere curam sorori, nisi prius Maria septem dierum perfusa lepra in multorum exemplum perageret pœnitentiam. Hæc enim ad nostrã doctrinam scripta sont, vt contra Prælatos nostros non eleuemur superbia, sed sub ipsis pie militare Domino satagamus. Quod si aliquis prælatorum nostrorum, quod absit, perfusus fuerit lepra hæreticæ prauitatis, tunc non est ei deferendum vt Prælato, sed contra ipsum tanquam contra Inimicum inimicissimum insurgendum. Vnde regula Catholicorum Isidorus dicit: si à fide exorbitauerit rector, tunc erit à subditis arguendus. Pro moribus vero prauis magis est à plebe tolerandus quam dist. in-

[Margin: Eccl. 10. — Matt. 13. — 4. l. 2. Synon. de Deo & conscientia. — l. 7. de summo bon. c. 39.]

[A] gendus. obedientiæ, patientiæ & humilitatis itinere gradiamur vt cum Catholicis Prælatis nostris possidere æternæ beatitudis præmia mereamur.

Hæretici eis qui præcipue ipsis aduersantur, hæresis infamiam imponunt. CAPVT. XI.

PRauorum dogmatum prauissimis doctoribus hæreticis omnino debent fideles resistere, & illorum callidas insidias denudare, ne illorum laqueis ignorantes simplices capiantur. Insidiæ enim si latent, præualent, si deteguntur nullum suis adminiculum præstant. Insidiæ si præueniantur ab aduersarijs, insidiatoribus ipsis inferunt detrimenta. Vnde hæreticorum fraudes debemus detegere, vt in ipsis corruant Dei inimici, fideles illæsi, permaneant, dum eorum falsa præuenerint argumenta.

[B] Multoties hæretici dum aliquem vident suis erroribus aduersari & nec prece, nec precio, vt ab eorum persecutione desistat, possunt aliquatenus obtinere, ad calliditatis suæ arma confugiunt: & illi nomen hæretici ferentes, modo palam, modo occulte ipsius famam lædere non desistunt. Hoc agunt inimici Dei, vt contra ipsum seditionem moueant populorum, & illius assertioni contra hæreticos minime deferatur. Omnes, qui eum audierunt dicant: Quia hic ex illis est, & ad hoc se fingit pugnare contra ipsos, vt errorem suæ opinionis valeat occultare. Hac insecutione callida aliqui clericorum incurrere timentes infamiam, qui potentes in diuino sermone & opere videbantur ab eorum persecutione trepidi destiterunt, eligentes magis frui pace mundi & gloria, quam pro Christi nomine damnis & infamia tribulari. Qui autem feruore Catholico ducti contra illos inuincibiles perstiterunt, ita illos hæretici suis mendacijs [C] vitabiles hominibus reddiderunt, vt etiam Ecclesiæ pastoribus eos facerent esse suspectos. De quorum sancto proposito inuincibili noui quendam cuius nomen sileo. Qui de Catholicis parentibus procreatus, & in fide Catholica feliciter educatus, atque pro Euangelio Christi nullo modo subire discrimina recusabat. Quippe etiam contra hæreticam vesaniam tantum rancorem conceperat, vt cum hæresim nominare audiret, totus zelo legis Dei in iracundiam mouebatur: & illius loquelam sine difficultate non posset audire, in qua primum audierat verba pollutionis hæreticæ prædicare. Quam crebro hic per diuersas regiones rerum sustinuerit damna, & infamiæ detrimenta, non posset ad plenum nostræ tenuitatis stylus describere, vt ipse didici, multoties Dominus ad honorem sui nominis per eum operabatur miracula: quæ ita perditionis filij offuscabant nubilo detractionis, vt hæc magicis artibus facta diuersis mundi [D] partibus prædicarent, & contra eum multarum gentium populos concitarent. Verissime fateor admodum, miror, qualiter eorum persecutiones & insidias euadere potuit homo. Tamen vnde ipsi credebant hæreticis posse deijcere, inde magis in eo, ad eos prosequendos exercitium augebatur. Multimodè quidem persequebatur eos, quis eorum persecutiones multiplices sustinebat. Si quando illi amicorum aliquis suaderet quiescere ab insecutione tam diutina malignorum, eo quod illi indirectè notam infamiæ generarent, respondebat. Credo mihi repositum esse huius infamiæ premium apud Deum. Quia cui hæretici benedicunt, ipse est maledictus: & cui illi maledicunt ipse est benedictus; vsque ad hanc diem Deo dante perseuerauit in proposito sancto, & non potuit vllis tentationibus auelli, quia domus eius *fundata est supra firmam petram*.

[Margin: Matt. 7. 25.]

Hęc idcirco dixerim, vt etiam in hoc fideles intelligant, quanta malignitatis astutia Catholicorum facta & famam nituntur hæretici deprauare. Considerent spiritum, verum ex Deo sit. Quia multoties transfigurat se Angelus Sathanæ in Angelum lucis: & bona fidelium dicit mala, & hæreticorum pessima asserit esse bona

[Margin: 2. Cor. 11. 14.]

Diuersimode mutat vultus in seruis suis hæreticis, vt euertat Catholicam veritatem & intendit semper famam fidelium denigrare.

Hæretici res sacras in ludibrium vertunt.

CAPVT XII.

IIDEM hæretici, cum aliter non valent decipere mimorum speciem induunt, & cantilenis & sacrilegis iocis, ea quæ fiunt à ministris Ecclesiæ Dei in psalmis & Ecclesiasticis officijs cæteris, subsannationibus, & derisionibus fœdant, vt vel sic valeant mentes fidelium fascinare, & ab Ecclesiasticis officijs reuocare. Hi frequenter subsannant clericos & Ecclesiastica Sacramenta ipsis clericis, quibus ioculatoriè derogatur nonnunquam præsentibus, & se vix præ lætitia capientibus. Dicunt enim bona esse huiusmodi: quia fiunt propter lætitiam excitandam, vnde non blasphemiæ sed ioculatoria sunt credenda. Non attendunt quod dicit diuina scriptura, stultus quasi per risum operatur scelus. Quid stolidius hæretico, *qui lætatur cum malefecerit, & exultat in rebus pessimis?* Quid miserabilius illis, qui in eorum sacrilegis cantilenis & derisorijs blasphemiis delectantur? De his namque dicitur: *Ducunt enim in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt*, Igitur quicumque zelum legis Dei habet in corde prætextu ioculatoria, non audiat hæreticum blasphemantem, sed Catholice animetur vt vindicet iniurias Dei sui.

Hæretici sanctorum patrum eleuant auctoritatem.

CAPVT XIII.

SVPRASVS dictum est, quod hæretici diuinas peruertunt scripturas, vel resecando vera aut falsa interserendo. Et nunc dicendum æstimo, qualiter quibusdam immutationibus titulorum ambiguitatem intendunt ducere in Ecclesiam Dei, vt illis decipiendi facultas facilius tribuatur. In libris namque sanctorum Patrum peregrinos apponunt titulos, vt sermo qui editus est ab Augustino intituletur Ambrosij nomine. Et qui editus est ab Ambrosio titulum præferat Augustini, Hieronymi, Gregorij, vel Isidori. Editus ab Isidoro nomen contineat Maximi, vel Fulgentij & sic de cæteris, vt sanctorum Patrum auctoritates incertę habeantur à nobis. Hoc faciunt inimici Dei maxime in parochialibus Ecclesijs. Et cum prauitatis suæ dogmata seminant, dicunt suis, Videte dubietatem & incertitudinem Ecclesiæ sanctorum. Nesciunt enim à quibus obseruantias acceperint, quas pro legibus venerantur. Euidentius hoc probatur, cum eorum libri ab inuicem sunt discordia. Nam sermones qui in libro vnius Ecclesiæ intitulantur nomine Augustini, in alio intitulantur nomine Gregorij, aut alterius doctoris, & sic de singulis. Audiunt hæc miseri hæreticorum discipuli, & aspicientes libros ita inueniunt, vt hæretica calliditas asseuerat, & laqueis errorum fortius alligantur.

Hoc etiam decipiendi prauissimum iter debent Ecclesiæ Prælati obstruere, & Ecclesiarum libros corrigere; tum gratia honestatis, tum hac de causa, vt decipiendi aditus hęreticis præcludatur. Honestum est enim, & consonum rationi, vt quorum vnus est Deus, eadem fides, libri quoque ipsorum nullatenus sint discordes. Id ipsum dicant omnes, vt vnanimiter, vno ore honorificetur Deus. Leuia quidem sunt hæc ad corrigendum, sed non leuia ex his damna proueniunt si libri permanserint incorrecti.

Catus vindicat hæretici blasphemias.

CAPVT XIV.

QVIA vero diuersimode hæretici impugnare non cessant Ecclesiam & misericors Dominus tandem clementer de illorum insidijs dignatur eripere & ad pugnandum contra eos pro fide Catholica, etiam muta prouocat elementa: & inimicis suis reddit etiam in præsenti terribilem vltionem ad laudem Christi nominis, & hæreticorum exterminium, quædam quæ narrante viro sanctissimo fratre Helia successore beatissimi patris Francisci didici, literis tradere dignum duxi.

In ciuitate Lombardiæ, quæ vulgariter Lode dicitur, quidam ignotus hæreticus in quodam hospitali chronica ægritudine grauiter laborabat. Cumque videret eum custos ipsius hospitalis quasi in vltimis laborare cœpit eum blande monere, vt vocato presbytero loqueretur cum eo more pœnitentium & corporis & sanguinis Domini sanctissimum acciperet Sacramentum. Cui respondens hæreticus cum quibusdam quasi suspirijs dixit. Et quis dabit mihi corpus Christi, vt adorem & accipiam? Hospitalis dixit ei: Vocabo presbyterum capellanum, & deferet corpus Domini. Respondens hæreticus dixit: Hic presbyter non deferet corpus Dominicum, sed panem tostum. Post hæc cœpit hæreticus idem quasi furere, blasphemare ineffabile sanctissimum Sacramentum. Et ecce quidam catus mansuetissimus & domesticus subito prosilijt in hæreticum, & guttur & labia blasphemi hæretici cœpit dentibus & vnguibus lacerare, ita quod via hospitalis potuit catum ab hæretico remouere. Tunc cuncti, qui aderant, intelligentes, quod miraculose catus propter blasphemias in hæreticum insurgebat dixerunt illi: Agnosce miser iudicium Dei & Ecclesię veritatem & noli blasphemare Sacramentum in quo salus nostra consistit. Vide, quoniam catus pugnat pro veritate. Qui respondit catus ille rabie fertur & non potest quiescere. Dixerunt ei: Nihil in se mali patitur catus: & nisi tu blasphemaueris in quiete solita permanebit. Tacuit hęreticus, & catus, vt consueuerat erat quietus. Transactis tandem aliquantis horis affuit presbyter & hortabatur eum accipere pœnitentiam, & Sacramentum corporis Christi in remissionem peccatorum. Hæreticus autem cœpit blasphemare, & in presbyterum spuere. Sed catus in eum prosiliens in virtute quod poterat, hæreticum laniabat: & in tantum illi molestiam intulit, quod fere peruenit vsque ad articulum mortis. Volebat Presbyter amouere catum, sed ciues, qui conuenerant, vt viderent miraculum minime permittebant. Tamen amotus fuit catus, & in quadam arca inclusus, ne ipsum penitus interficeret. Hęreticus autem persistens in blasphemiis sua funditus expirauit, & extra ciuitatem longe à cœmiterio fidelium sepultus est. Posthęc extrahentes catum de arca cum ad locum accederet, vbi iacuerat ægrotans hæreticus, & eum non inueniret, cœpit voces emittere, & huc illucque diuertere ad quærendum ipsum. Cumque ad locum veniret, vbi sepultus erat, cœpit suis vnguibus terram fodere, & tamdiu multis videntibus in labore cœpto perstitit donec mortuus est. Quid agis rationabilis creatura? Quare pigritaris religio Christiana? Ecce brutum animal ob vindicandas iniurias Catholicæ fidei se opponit vsque ad mortem, pro quo non est mortuus Christus, nec ab eo remunerari sperat in patria beatorum, & homo ad similitudinem Dei factus, cui Deus subiecit omnia sub pedibus eius, qui est pretio magno Sanguinis eius redemptus & credit in cælesti patria spiritibus Angelicis sociari, audit conuitia quibus nomen filij Dei, & fides Catholica blasphematur, & tolerat patienter? Sponsa Christi, scilicet sancta Ecclesia turpiter denudatur, & non est filius de tot millibus, qui vindicet iniuriam matris: Redarguit.

Prou. 6.6. darguit catus segnitiem filiorum, & desidiam nobiliū reprehendit. Ite ad catum pigri & desides Christiani, & considerate vias eius, qualiter vsque ad mortem suo seruiat creatori, qui māsuetus est & lenis fidelibus, asper est & quasi rabidus contra hæreticum, & etiam eo mortuo non indulget. Videtur congruere huic facto quod *Sap. 16.24* diuina scriptura dicit Deo: *Creatura*, inquit, *tibi factori deseruiens exardescit in tormentum aduersus iniustos, & lenior fit ad benefaciendum pro his qui in te confidunt.*

Corpus combusti hæretici vertitur in bufones.

CAPVT XV.

NArrante quoque eodem prædicto fratre Helia venerabili viro didici. Quod cum quidam hæretici in Burgundiæ partibus sui erroris semina spargerent virulenta, & sanctæ prædicationis fratres Prædicatores, & fratres Minores contra eosdem hæreticos viriliter decertarent gladio ancipiti verbi Dei eorum praua dogmata infatigabiliter concidentes, tandem à iudice regionis capti sunt, & vt digni erant, flammarum ignibus traditi, vt maligni auctores cum suo scelere ad terrorem cæterorum hominum finirentur. Cumque suppositis lignorum copijs vehementer æstuarent incendia, subito miræ magnitudinis bufo, qui alio nomine vocatur *crapaldus* astuit: & nullo cogente se vltro medijs flammis contulit. Corruerat in ignem vnus hæreticorum, qui eorum Episcopus dicebatur resupinus & dictus bufo super faciē eius sedit, & videntibus cunctis qui aderant, linguam eius comedit. Sequenti autem die totum eiusdem hæretici corpus ossibus exceptis versum est in fœtidos bufones, ita vt non possent præ multitudine nimia numerari. Videntes itaque indigenæ miraculum glorificabant Deum, & laudabant eum in prædicatoribus suis, qui de horrore tam immundæ pollutionis, eos dignatus est misericorditer liberare. Recte omnipotens Deus per immundissima & turpissima animalia quam turpissima & immundissima hæreticorum sint dogmata, voluit demonstrare, vt omnes homines hæreticum tanquam Crapaldum toxicum studeant euitare. Sicut enim inter omnia quadrupedia bufo turpior iudicatur: ita hæretica prauitas omnibus alijs sectis est deterior, & sordidior. Iustificauit hæretica cæcitas Iudaicam perfidiam, mundificauit pollutione sua insaniam Mahometi, & luxuria sua abluit Sodomam & Gomorram. Quidquid enim pessimum est in enormitate scelerum sanctissimum est habito respectu ad turpitudinem & ignominiam hæreticæ prauitatis. Proinde Christianus iam indicibile malum effugiat, quod cunctorum scelerum crimen transcendit.

Ignis pro fide pugnat.

CAPVT XVI.

EOdem quoque tempore in partibus Tolosanis quidam senex rebus mundi locuples & Catholicæ fidei bonis pauperrimus cum iam grauatus senio, & corporis ægritudine mortem sibi propinquam cerneret, cuidam viro Catholico filio suo contulit omnia quæ habebat, & se miserrime hæreticis tradidit, abrenuntians Catholicam fidem, quam promiserat in baptismo, & se per ministrum Satanæ hæreticæ subdidit prauitati. Perlatum est hoc Catholicis iudicibus à dicentibus & ad domum senis perditissimi accesserunt, monentes, vt dictus senex regrederetur ad cultum Catholicæ veritatis. Sed dicto sene in sua nequitia persistente & in religionem fidei Christianæ blasphemias congerente, iudices eum flammis tradere censuerunt. Quæ vt prædictus filius eius vidit, turbatus est valde, & cœpit vehementer condolere patri, & instare penes iudices, vt omnem substantiam eius acciperent, & insuper eum

A loco comburerent patris & indulgerent seni, fortassis illico morituro senio, & ægritudine compellente. Mirabantur valde iudices & non credebant his quæ à filio dicebantur: obijcientes, quod Catholicus pro hæretico, & adolescens pulcherrimus pro sene morbido se morti exponere non deberet. Qui respondens dicebat illis: Valde doleo, quia senex proruit in errorem, sed pater meus esse non desijt, & quia Dominus patrem honorare præcepit, non pro hæretico, sed pro patre volo mori. *Matt. 15.4* Adiudicatum est igitur illius petitioni aoimi: & adolescens ad locum incendij ducebatur, qui omnem publica voce anathematizabat hæresim & fidem Catholicam fatebatur, & Dominum *Iesum Christum* atque Dei Genitricem Mariam Virginem cum omnibus sanctis adesse sibi in auxiliū precabatur. Aderant tunc quidam de Minoribus fratribus, qui vehemē-

B ter redarguebant iudices, dicentes non debere Catholicum filium taliter pro hæretico patre mori & detinebant adolescentem, ne mitteretur in ignem. Cum hæc agerentur subito de ipsa flamma videntibus cunctis, qui aderant, quasi ignea sagitta prosilijt, & vsque ad lectum hæretici senis peruenit, & execrabilis senis carnes adurendo visibilis flamma consumpsit. Insonuit clamor cunctorum concurrentium, & simul cum iudicibus glorificabant Dominū *Iesum Christum*, qui tam euidenti miraculo liberauit adolescentem Catholicum, & digna pœna percussit senem nefandissimū. Pugnat pro fide Catholica ignis insensibilis & segnitiem redarguit hominum, qui totis viribus ad defensionem veritatis Catholicæ non consurgunt.

C *Arnaldus hæreticus sanctorum Patrum scripta corrumpit.*

CAPVT XVII.

QVidam etiam hæreticus nomine Arnaldus de confinibus Galliæ venit in Hispaniam, Zizaniam erroris hæretici seminando. Inter cætera prauitatis opera, erat studium sanctorum Patrum Augustini, Hieronymi, Isidori, & Bernardi opuscula minora corrumpere, subtrahendo vera, & adduciēdo falsa. Erat enim scriptor velocissimus, & corrupta sanctorum opuscula vendebat, vel dabat Catholicis, vt tali fallacia posset decipere, & illaqueare incaute legentium mentes. Accidit quadam die cum translationis beatissimi Confessoris Isidori celebraretur festiuitas, erat ipse scribens, & dicti confessoris synonyma peruertebat. Visum fuit ei, quod

D aqua calida de tecto domus super caput eius defflueret. Cumque leuaret manum dexteram, vt caput tergeret, brachium eius fractum est, ac si valido ictu fuisset percussum, & lumen oculorum amisit. Exclamauit succursum, & conuenientibus plurimis, quid illi acciderat, indicauit. Responsum fuit ei à quibusdam Catholicis, quia eo quod in festiuitate beati Isidori scriberet, & nō vacabat ab opere, sicut faciebant cæteri Christiani, hoc euenerat illi. At ipse cœpit Christi confessorem Isidorum blasphemare: & infidelitatis suæ sectam nefandis verbis detegere. Sed abreptus à Diabolo subito tamdiu crudelissime vexatus est, donec funditus spiritū exhalauit. Vt cuncti patenter intelligant quā enorme scelus est apud Deum sanctorū Patrum scripturas peruertere,

E iusto Dei iudicio Arnaldus hæreticus morte crudelissima, in ciuitate Legionensi multis videntibus trucidatus est. Dæmon namque, qui loqui videbatur in ipso, declarabat, qua de causa, beato Isidoro compellente, inuadendi & occidendi ipsum acceperat potestatem.

Caute igitur sunt sanctorum Patrum scripturæ legendæ, & antiquioribus eorum libris fides potius tribuenda, dum aliqua dissona reperiūtur in nouis transcriptis, ne irrepat virus hæreticæ prauitatis, & inferat mortem in scripturis sacris dare studium cupienti. Pulchre & honeste sacræ Scripturæ libri sunt conscribendi & corrigendi, vt veritas scripturæ nobis ostēdat viam perue-

niendi ad CHRISTVM, & etiam librorum exterior A pulchritudo alliciat ad legendum, & sacræ lectionis intellectus delectatione prævia facilius capiatur. Arctius enim imprimitur cordi, quod capitur cũ amore. Domus Dei cultus, si fieri potest, debet ornatu vario materialiter resplendere, vt suo decore deuotionem excitet, & fidei Catholicæ insinuet excellentiam. Monachorũ & clericorum claustra debent fulgere decoris mundicia, vt etiam honestas loci Dei seruos detineat, vt ad diuina officia competentibus horis conueniant absque mora, & extrauagationibus non intendant, qui sunt diuinis officijs mancipati. Fidelium cœmiteria nulla sordibus polluantur, ne illis, qui pietate ducti super Christianorum sepulchra, pro eorum salute Deo preces B offerunt, occurrat, vnde illorum deuotio contristetur. Omnia quæ ad diuinum pertinent cultum fulgere debent non solum pulchritudine spirituali, verum etiam corporali. Mentis enim & corporis mundiciam à nobis exigit Deus, vt per exteriorem etiam honestatem à pol-
1. Cor. 14. 40. lutionibus infidelium separemur. Omnia enim honeste & secundum ordinem debent fieri in Ecclesia Christi,
Psal. 25. 8. vt cuncti diligant decorem domus Dei.

Hæretici schedas continentes hæresim in populum occulte spargunt.

CAPVT XVIII.

IN solita nequitia hæreticis persistentibus, nouo decipiendi genere schedulas conscripserunt, & per deuia montium proiecerunt, vt inuenientes eas pastores pecudum clericis deferrẽt legendas. Continebatur in illis chartis, quod à filio Dei fuerint scriptæ, & per sanctorum Angelorum manus transmissæ hominibus. Videbatur hoc testari quidam suauis odor, eo quod musco fuerant delinitæ. Inter alia, quoque Catholica quæ scripta erant in illis, quædam hæretica latenti dolo erant inserta in eis, vt per dulcedinem Catholicorum verborum, amarissimum virus subreperet hæreticæ prauitatis. Non est enim aliqua falsa doctrina, quæ non præferat imaginem veritatis. Quia nisi præueniat veritas, non habet locum falsitas subintrandi. Acci- D piebant & legebant dictas chartas cum veneratione magna simplices sacerdotes, & non intelligebant hæretici, & de verbis ignorantium sacerdotum occasionem sumentes suis proselytis, testimonia proferebant. Tali fraude decepti plurimi contemnebant peccata sua sacerdotibus confiteri, & spernebant traditiones Ecclesiasticas & ieiunia custodire. Et enim diabolica illa scriptura omnium peccatorum indulgentiam cunctis eam scribentibus, siue deuote legentibus promittebat. Quapropter summum erat scriptorum studium in eis scribendis, sed non erat minor deuotio eis legẽdis populi a simplicium clericorum. Peruenerunt hæc ad notitiam cuiusdam Diaconi, cuius mentem flamme diuinæ legis vehementissime perurebat. Hic accepto mandato à venerabili patre Arnaldo Legionensi Episcopo cœpit studiose perquirere, quis esset huius venenati seminis E nequissimus seminator. Euntes igitur eo cum socijs ad quærendum, gemitus, in quodam nemore sonuerunt hominis ante horam vnam grauiter à serpente percussi. Accedentibus autem illis eundem non hominem, sed hæreticum onustum chartis diabolicis repererunt. Qui ligantes eum detulerunt ad dictum Episcopum. A quo monita salutis percipiens effectus Catholicus hæreticorum latibula, simul & versutissimas calliditates detexit nobis, diuinam laudans potentiam, qui suscitauit serpentem ad eius nequitiam repellendam.

Audiant pigri & desides Christiani, & excusso torpore totis viribus animentur ad vindicandas iniurias *Iesu Christi*, quas hæretici non cessant cudere in opprobrium nominis *Christiani*. Discant à serpente quæ fugientem percussit hæreticũ ne posset effugere manus seruorum Domini crucifixi. Hæc animalia bruta palam videntur redarguere tepidos Christianos, qui dissimulatione surda hæreticum prætereunt blasphemantem. Reuera nulla flagrare videtur, vel scintillula dilectionis Christi in eis qui non animantur contra blasphemos Legis Dei. Qui vtique si Deum vere diligerent contra hæreticos incandescerent, sicut beatus Bernardus testatur dicens: Si amas Dominũ IESVM toto corpore, tota anima, tota virtute tua, nunquid si videris eius iniurias contemptumque, feres vllatenus æquo animo poteris? Minime. Sed mox arreptus spiritu iudicij, & spiritu Isaiæ 4. 4.
ardoris, & tanquam potens crapulatus à vino repletus Num. 25. 7.
zelo Phinees dices cum Dauid: *Tabescere me fecit zelus* Ps. 118. 139.
meus, quia obliti sunt verba tua inimici mei. Et cum Do- Ioan. 2. 17.
mino: *Zelus domus tuæ comedit me.* Item idem: hæretici melius procul dubio gladio coercentur, illius videlicet, qui non sine causa gladium portat, quam in suum errorem multos traijcere permittantur. Dei enim minister est, vindex in iram ei qui male agit.

Accusantur prælati aduersus hæreticos negligentes.

CAPVT XIX.

SINE graui gemitu dicendum, vel recolendum non C solum subdit, verum etiam quidam tepentes prælati & ignaui quos ipse illorum tepor notabiles reddit, non vt valeant, solerter hæreticos persequũtur corrupti fortassis hæresi, vel muneribus, vt testatur beatus Bernardus dicens: dolendum, inquit, valde quod non solum Laici principes, sed etiam quidam (vt dicitur) de clero & de ordine Episcoporum, qui magis hæreticos persequi debuerant, propter quæstum sustineant accipientes ab eis munera. Et quomodo inquit, damnabimus nec conuictos, neque confessos? Friuola satis non ratio, sed occasio. His & alijs videtur beatus Bernardus innuere, quod ex quibusdam præsumptionibus procedendum sit contra illos, si testes adhiberi non possunt. Etenim eorum calliditas astutissima vix aut D nunquam potest ordine iudiciario deprehendi, nisi largiore contra illos ex præsumptionibus procedatur. Tanta est eorum enormitas, vt non solum ipsi hæretici, verum etiam fautores & receptatores debeant pati mortis iudicio condemnari. *Facientes enim & consentientes, secundum Apostolum, pari pœna puniuntur.* Illi Rom. 1. 32.
etiam qui eos libenter audiunt, grauiter sunt puniendi. Quia secundum chirurgicam artem, in quibusdam vlceribus, nisi sana caro scindatur, crescentia vlcera interficient patientem. Pereant ergo cum hæreticis fautores & receptatores eorum, vt fides Catholica conseruetur indemnis. Tunc enim curatur cancer hæreticæ prauitatis, cum etiam eorum delentur vestigia gladio feriente. Quia nisi fuerit receptator, latro & hæreticus euanescent, succisis radicibus, siccatur arbor, & extinctis fautoribus, hæreticorum nequitia subuertetur. E Abscindenda est vita malorum, vt fides & vita seruetur bonorum, iuxta desiderium Apostoli dicentis: Vtinam
Gal. 5. 12. abscindantur, qui vos conturbant. Multum confertur etiam ipsis incorrigibilibus impijs cum eorum detestanda vita & proteruia refrenatur. Si enim amplius viuerent magis ac magis Dominum ad iracundiam prouocarent alios suis erroribus intricantes, vnde amplius æternalibus flammis merito concremarentur.

Vnde

Vnde arripiant hæretici calumniandi occasionem.

CAPVT XX.

SVNT apud fideles quædam bona, eo quod ex bona intentione procedant, ex quibus hæretici sumunt sibi materiam malignandi. Etenim cum etiam aliqui prælatorum pietate ducti feriam illam, in qua Conceptio Domini celebratur per omnes hebdomadas anni, nescio qua moti nouitate educti, decreuerint ieiunare. Hæretici qui ad perturbationem fidei Christianæ noua machinamenta non cessant quotidie fabricare, videntes nouum ieiunium à quibusdam fidelibus obseruari, nouis cœperunt iaculis simplicium animos lethaliter vulnerare. Cœperunt enim in hac nostra ciuitate ausu temerario prædicare, inserentes latenter dolo, quod hoc solum ieiunium sufficeret cunctis ad totam eorum pœnitentiam agendam. Hæc seductio in tantum habebatur à laicis gratiosa, vt seductorem nimio venerarentur affectu, & contra clericos surgerent, dicentes hoc solum ieiunium sibi sufficere ad salutem & pro auctoritate sumentes, quod ieiunium istud Romani adinuenerant Cardinales. (Taliter enim eos seduxerat doctor erroris) obsistentibus etiam clericis & dicentibus quod non deberent contra prohibitionem Ecclesiæ laicum prædicantem auscultare, cauillose laici respondebant. Quid mali prædicat homo? nunquid C non est bonum per ieiunare hac die, quod etiam multi faciunt prælatorum? Hanc dissensionem inter Clericos & Laicos, vt optabant videntes hæretici, ad decipiendum simplices maiori audacia procedebant. Vnde factum est, vt plures tali dolo mergerentur in labyrinthum erroris. Hæc idcirco dixerim, vt hæreticorum detegerem dolos, & fideles instruam, quod multiplices eorum calliditates debent subtiliter & cautissime euitare. Quamuis enim hæc & his similia videantur parua, & contemptibiles personæ quasi proferentes simplicia; non debent haberi minima, quibus multorum animæ in errorem labuntur, & Catholica fides permaximum patitur detrimentum, sicut beatus Bernardus de ipsis hereticis dicit: *rusticani*, inquit, *homines sunt, & idiotæ & prorsus contemptibiles: sed non est dico vobis cum eis negligenter agendum, multum enim proficiunt ad impietatem, & sermo eorum vt cancer serpit.* (Serm. 66. in Cantica, & 65. — 2. Tim. 2. 17.) D Quasi Catholici veri deprædatores Ecclesiæ. Vulpes pusillæ, (Cant. 2. 15.) quæ occulte demoliuntur Ecclesiam Dei. Quæ nocere, quam vincere malunt, & ne apparere quidem volunt, sed serpere. Nefanda & obscœna dicuntur agere in secreto. Siquidem & vulpium posteriora fœtent. In operimentum turpitudinis continentiæ se insigniunt voto. In hypocrisi vulpina dolositate loquuntur fingentes amore se id dicere castitatis, quod magis causa turpitudinis fouendæ & multiplicandæ adinuenerunt. Denique indixere latebras sibi, & firmauerunt sibi sermonem nequam. *Iura, periura, secretum prodere noli.*

His à beatissimo patre Bernardo fideles præmoniti viriliter agant in defensionem Catholicæ veritatis, & extirpationem hæreticæ falsitatis. E Non minus sapienter quam fortiter est agendum, vt hæreticorum calliditas Catholicorum sapientia retundatur, & pereat malorum cauillositas in astutia sua. Solerter etiam præuideat prudentia clericalis, vt in sanctorum Patrum persistat regula & nouis obseruantijs vel ieiunijs non sit populis in ruinam quibus est speculatrix salutis à Domino constituta. Talia enim debent esse ieiunia clericorum, quæ auctoritate plena illorum congruant honestati, & sanctæ imitationis sint populis in exemplum: & non sumant inde peruersi materiam malignandi. Superstitiones quidem & schismata de nouitatibus oriuntur, quæ sanctorum Patrum

A auctoritatibus minime roborantur. Certam autem honestatem & sanctitatem conseruant obseruationes & ieiunia, quæ sunt à sanctis Patribus instituta. Teneat ergo certum, & dimittat incertum religio Christiana.

Hæretici læti subibant mortem.

CAPVT XXI.

QVORVNDAM hæreticorum mentes in tantum inuasit diabolus, vt dum propter hæresim capti ducuntur ad mortem, nullatenus tristari, sed gaudere potius videantur. Cum de Domino Iesu Christo dicat B Euangelium quod iturus ad passionem, cœpit pauere, & tædere & mœstus esse. Et ipse Dominus dixit: *Tristis est anima mea vsque ad mortem.* (Marc. 14. 33. — Matth. 26. 38.) Quamuis multos martyrum legamus in sua passione gaudere, vt legitur de beato Apostolo Andrea, qui cum duceretur ad mortem, dicebat: Securus & gaudens venio ad te, hoc de gaudio spiritus intelligendum est, non de gaudio corporeo, sicut Dominus dicit: *Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma.* (Matth. 26. 41.) Quanto maior est dolor corporis in passione, tanto maius manet præmium pro iustitia patienti. Qui autem non patitur pro iustitia, sed pro hæresi, in hoc quod dicit se corporis non sentire dolorem, ostendit se ad Christi corpus minime pertinere, qui pro nobis cum dolore sustinuit passionem. Miraculosum est secari in corpore, & non sentire dolorem, C sed hæreticus non ostendit miracula à Deo fieri in hoc mundo. Est ergo à diabolo eius insensibilitas, cum cæcus mente dat se præcipitem morti: quod in pluribus impijs non solū legimus, verumetiā vidimus præcessisse. Ex quibus Abimelech, ne diceretur quod à muliere esset occisus, se iubēte ab armigero suo est gladio interfectus. (Iud. 9. 54.) Saul & armiger eius suis gladijs ceciderunt, (1. Reg. 31. 4. & 5.) & Achitophel suspēsus occubuit, quia nutu Dei dissipatū est consilium eius. (2. Reg. 17. 23.) Iudas etiam Iscariotes laqueo se suspendit, (Matth. 27. 4.) & multi alij seducti à diabolo sponte se mortis præcipitio tradiderunt. De hac autē materia pulchrius beatus Bernardus fideles instruit, cum dicit: Mirantur, inquit, aliqui quod non modo patienter, sed & D læti hæretici videntur duci ad mortem. Sed qui minus aduertunt, quanta sit potestas diaboli, non solum in corpora hominum, sed etiam in corda, quæ semel permissus possederit. (Serm. 66. in Cantica.) Nonne plus est sibimet hominem iniicere manum, quam id libenter ab alio sustinere? Hoc autem in multis potuisse diabolum frequenter experti sumus, qui semetipsos, aut submerserunt, aut suspenderunt. Denique Iudas suspendit se ipsum, diabolo sine dubio immittente. Ego tamen maius existimo, & magis admiror, quod potuit in cor eius immisisse, vt traderet Dominum; quam vt semetipsum suspenderet. (Ioan. 13. 2.)

Hæreticos merito puniendos videri.

CAPVT XXII.

E OPORTET noui ac veteris Testamenti, atque sanctorum Patrum manifestis exemplis & auctoritatibus demonstrare, hæreticos & falsos Catholicos esse mortis supplicio puniendos. In Deuteronomio quidem scriptum est, *Si surrexit in medio tui prophetes, aut qui somnium vidisse se dicat, & prædixerit signum atque portentum, & venerit quod locutus est, & dixerit tibi: Eamus & sequamur Deos alienos, quos ignoras & seruiamus eis, non audias verba prophetæ illius, aut somniatoris. Quia tentat vos Dominus Deus vester, vt palam fiat, vtrum diligatis eum an non.* (Deut. 13. 1.) Et infra: Propheta ille, aut fictor somniorum interficietur, quia locutus est, vt vos à Domino Deo vestro

auerteret. His manifeste patet, non esse hæreticum audiendum, sed occidendum quantumcumque bene viuere videantur, etiamsi futura prædixerit, vel miracula operetur. Falsus Propheta est hæreticus, & præuaricator somniator, & vt dicit Apostolus, *Potens est Angelus sathanæ transfigurare se in angelum lucis.* (2. Cor. 11. 14) Antichristi tempore pseudo-prophetas falsis miracula credimus coruscare, tamen non debent Christiani phantasiis diabolicis perturbari. Interficiendus est hæreticus secundum Domini iussionem, quia semper laborat fideles à veritate auertere & eos errorum laqueis innodare.

Non est parendum fratri aut filio, vxori, vel amico quantumcunque sit charissimus, si fuerit infectus labe hæreticæ prauitatis, teste diuina lege, quæ in eodem Deuteronomio dicit. (Deut. 13. 6.) *Si* inquit, *tibi voluerit persuadere frater tuus, filius matris tuæ, aut filius tuus, vel filia, siue vxor, quæ est in sinu tuo, vel amicus, quem diliges vt animam tuam, clam dicens: Eamus & seruiamus Dijs alienis, quos ignoras tu & patres tui, in circuitu cunctarum gentium, quæ iuxta vel procul sunt ab initio vsque ad finem terræ, non acquiescas ei, neque audias, neque parcat ei oculus tuus vt miserearis, & occultes eum, sed statim interficies. Sit primum manus tua super eum. Et post te omnis populus mittat manũ. Lapidibus obrutus necabitur, quia voluit te abstrahere à Domino Deo tuo, qui eduxit te de terra Ægypti de domo seruitutis, vt omnis Israel audiens, timeat: & nequaquam faciat huius rei simile.* Vere sanctissimum, & iustissimum est huius sacratissimæ legis præceptum. Quod tanto strictius est tenendum, quanto ea nimia Dei dilectione procedit, qua suam diligit creaturam. Etenim ne homo separetur à Deo in assumpta humanitate mori dignatus est. Igitur iusto iudicio dignus est morte temporali & æterna hæreticus qui hominem à Domino Deo suo nititur separare.

Quod etiam locus contaminatus ab hæreticis demoliendus sit propter eorum nequitiam, & populus qui dissimulat occidendus lex diuina præcipit, cum in eodem libro dicit: (Ibidem. 13.) *Si audieris*, inquit, *in vna vrbium tuarum, quas Dominus Deus tuus dabit tibi ad habitandum, dicentes aliquos: egressi sunt filij Belial de medio tui, & auerterunt habitatores vrbis tuæ atque dixerunt: eamus & seruiamus Dijs alienis, quos ignoratis, quære sollicite, & diligenter rei veritate perspecta, si inueneris certum esse quod dicitur, & abominationem hanc opere perpetratam, statim percuties habitatores vrbis illius in ore gladij, & delebis eam, omniaque quæ in illa sunt vsque ad pecora. Quicquid etiã supellectilis fuerit, congregabis in medio platearum eius, & cum ipsa ciuitate succendes, ita vt vniuersa consumas Domino Deo tuo, & sit tumulus sempiternus.* Inæstimabile hæreticorum peccatum apud Deum pro quo Dominus in tantum irascitur, vt etiam vrbem ab eis pollutam, cum omnibus quæ in ea sunt, etiam brutis & insensibilibus iubet igne comburi, & desertam perpetuo permanere. Quo iudicio sunt condemnandi, pro quorum nequitia tantum sæuit indignatio iræ Dei? Si vero causetur aliquis hanc damnationis sententiam ad eos minime pertinere, consideret ipsos esse, qui relinquentes fidem veram, surgunt, & egrediuntur è medio nostri, sicut illis Ioannes Apostolus dicit: (1. Ioan. 2. 19.) Ex nobis prodierunt, sed non erant ex nobis. Hi dicunt fidelibus: Eamus & seruiamus dijs alienis, de quibus dicit Psalmista: *Quoniam omnes dij gentium dæmonia.* (Ps. 95. 5.) Suggerit hæreticus seruire diabolo, & si non verbo, tamen manifesto facto, cum à fide Catholica discedere persuadet. Sed non est nobis parcendum fratri, filio, vxori, vel amico, qui vult nos separare à Domino Deo nostro, qui propter nos filius hominis factus est, & est frater & amicus amicissimus noster, qui corpus & animam suorum custodit, & secum facit in cælestibus conregnare. (2. ad Tim. 2. 12.) Pereat ergo hæreticus, qui nos vult separare à tanto domino & amico.

Propter impietatem parentum etiam filios paruulos, qui (vt credo) si viuerent forent paterni sceleris, imitatores, Dominus iussit necari, sicut legitur in libro Regum, (1. Reg. 15. 3) cum Samuel in sermone Domini venit ad Saulem, & dixit ei. Vade, percute Amalech & demolire vniuersa eius. Non parcas ei, sed interfice à viro vsque ad mulierem, & paruulum, atque lactentem, bouem, & ouem, camelum & asinum. Sed dicit aliquis. Quid peccauit ciuitas, vt destruatur? aut pueri, vel pecudes, vt occidantur? Melius est, vt reseruentur, diuinis obsequijs & vtilitatibus hominum profutura. Quibus beatus respondet Samuel, dicens: Nunquid vult Dominus holocausta & victimas, & non potius vt obediatur voci Domini? Melior est obedientia quam victimæ, & auscultare, magis quam offerre adipem arietum. Quis potest dicere Deo, cur ita præcipis? Quis audet redarguere Iustitiam Dei, qui dilexit in vtero Iacob, & Esau odio habuit? (Malach. 1. 2. Rom. 9. 13.) Obediendum est voci Domini Dei nostri, & vt hæretici radicitus euellantur, cuncta quæ possidere videntur, vt alijs sint in exemplum terroris, sunt penitus extirpanda. Saul, qui Regem Agag non interfecit, & pecoribus melioribus pepercit, vt immolarentur domino, regno caruit, eo quod secutus est, quod sibi melius videbatur, & Deo inobediens fuit. Vnde possunt sæculi principes suæ damnationis elicere argumentum, si non dederint operam efficacem in hæreticis puniendis. Iustissimo Dei iudicio carebunt sæculi regno, carebunt gloria Dei in futuro, & æternaliter punientur cum hæreticis, quibus impie pepercerunt. Proferamus aliqua sanctorum exempla, qui zelo ducti diuino impios occiderunt.

Phinees Zambri concumbentem cum Madianitide interfecit, & reputatum est illi ad iustitiam. (Num. 25. 7) Samuel Regem Agag in frusta concidit. (1. Reg. 15. 33) Dauid Goliam occidit. (1. Reg. 17. 50.) Helias duos Quinquagenarios cum militibus suis igne cælesti combussit, & Prophetas Baal interfecit. (4. Reg. 1. 10. 3. Reg. 18. 40.) Et Mathatias Iudæum sacrificantem idolo, secundum legis iudicium trucidauit. (1. Mach. 2. 24.) Sanctissimus ille Moyses, & multi sanctorum Patrum etiam legis domesticos impios zelo iustitiæ peremerunt, & pro lege bellantes infideles gladio occiderunt.

Si cui visum fuerit, quod hæc ita sunt acta in lege Mosaica & Prophetis, (Exod. 32. 28. Num. 25.) quod non sunt in lege gratiæ talia facienda, audiat quid veritas dicat Euangelica: Habent, inquit Moysem, & Prophetas, audiant illos. (Luc. 16. 29) Et Dominus dicit: *Non veni legem soluere, sed adimplere.* (Matth. 5. 17.) Hoc etiam considerandum, quod tria zelo iustitiæ interfecti sunt reprobi à sanctis hominibus, vt à Domino eos occisos testetur Psalmista cum dicit: *Confitemini Deo Deorum.* Et post pauca: *Qui percussit Reges magnos, & occidit Reges fortes. Seon Regem Amorrhæorum, & Og Regem Basan, & omnia regna Chanaam.* (Psal. 135. 2 & 17.) Patet ex Dauidicis Psalmis, quod Deus est, qui occidit reprobos, cum ex iusta causa ab hominibus occiduntur. Per Spiritum sanctum prolati sunt Dauidi Psalmi, sicut Petrus dicit in Actibus Apostolorum. Oportet, inquit, impleri scripturam, quam Spiritus sanctus prædixit per os Dauid, &c. (Act. 1. 16) Si quis igitur diligenter percuttat dicta Psalmorum inueniet epilogatione compendiosa cuncta, quæ acta sunt in lege veteri, à Domino IESV CHRISTO esse facta: cuius præceptis & exemplis tenentur Reges & Principes pro tuitione bonorum impios trucidare. Sed valde considerandum est illius sanctissimi Regis Dauid exemplum, quod in extremo vitæ suæ tempore præcepit Salomoni vt iniquos Ioab & Semei occideret. (3. Reg. 2. 7 & 8.) Qui cum essent rei mortis eos ipse non occiderat se viuente. Ioab enim occiderat Abner, & Amasa principes Israel, (2. Reg. 3. 26 & c. 20. 10.) & Semei maledixerat Regi, vnde vterque secundum legem debebat mori. (2. Reg. 16. 5.) Et quia Dauid in eis sententiam non expleuerat legis, ne diuini præcepti esset transgressor, præcepit Salomoni, vt eos occideret, quos ipse ex pietate, & quadam vtilitate publica, vt videbatur, impios viuere permiserat contra legem. (Exod. 10. 5 & 16. & c. 12. 28.) Dilata fuit ex pietate sententia, quæ tandem ex iustitia est mortis effectui

mancipata

mancipata. Hoc exemplum cunctos admonet, quæ in
A vita neglecta sunt, in fine corrigere: & nequaquam inulta infidelium scelera præterire.

Quia de veteri testamento clara prolata sunt testimonia quod occidendi sunt incorrigibiles impij, & maxime qui falsa prædicatione alios volunt à Domino separare: nunc de nouo & de sanctis doctoribus aliqua proferamus, vt Christi fideles ad exequendum mandatum Domini animentur, & hæretica calliditas excipetur. Dominus similitudinarie de se loquens dicit:
Luc 19.12. Quod homo quidam nobilis abijt in regionem longinquam accipere sibi regnum, & ciues eius, qui oderant eum, miserunt legationem post ipsum dicentes, eum super se nolle regnare. At ipse cum rediret accepto regno dicit suis: *Inimicos illos meos, qui nolunt me regnare super se, adducite huc, & interficite ante me.* Item dicit Euangelium, quod quidam seruos ipsius Regis occiderunt. Rex
Matt. 22. autem cum audisset, iratus est, & missis exercitibus suis
6. & 7. perdidit homicidas illos, & ciuitatem illorum succendit.
B Homo ille nobilis Dominus *Iesus Christus* est, Nobilior Regibus cunctis: qui filius est Dei Regis Regum, & Mariæ Virginis, quæ originem duxit de præclara stirpe Regis Dauid. Hunc super se nolunt regnare inimici eius hæretici dicentes, non esse verum hominem, sed phantasma. Occidunt autem seruos eius tanto crudeliori morte, quanto qui decipitur ab eis moritur in æternum. Quapropter qui ad exercitum Domini pertinent homicidas animorum, inimicos eius hæreticos qui hunc super se regnare nolunt, interficere debent. Quamuis sint in hoc sæculo Reges, illius Regis serui esse noscuntur. Ad ipsorum spectat officium infidelium vitam extinguere. Quod si prudenter & deuote fuerint executi cum dilectione hominum, & odio vitiorum, inde remunerationem à Domino accipient
Actor 5. 5. sempiternam. Debent etiam Apostolorum principis
& 10. Petri factum diligenter aspicere, qui Ananiam & Saphiram morti tradidit, quia defraudato agri pretio mentiti fuerunt Spiritu sancto. Sed fortassis dicet aliquis, quod isti miraculose à Deo fuerint occisi non materiali gladio interempti. Ad quod respondendum. Quia si Deus miraculose occidit impios, exemplum præbet suis, quod ipsi eos ex zelo diuinæ legis debeant trucidare. Vt enim ait Apostolus, minister Dei est iudex,
Rom. 13. 4. gladium portans in ira ei, qui malum agit, ad vindictam
Gal 5. 12. malefactorum, laudem vero bonorum. Desiderio desiderat Apostolus infideles occidi, cum de falsis doctoribus discipulis dicit: *Vtinam abscindantur, qui vos conturbant.* Vt etiam clarius ostendamus, qui occidit impios, homicidium non committere, de sanctis Docto-
Ad c. 22. ribus, quibus Deus quædam secreta sui consilij reuela-
Hiere. habetur 23. uit aliqua testimonia proferamus.

Dicit quidem beatus Hieronymus: Homicidas sa-
quæst. c. 5. crilegos & venenarios punire, non est effusio sangui-
homicidas. nis, sed legum ministerium. Item idem. Qui malos per-
L. 4. in Ezech. cadē cutit, in eo quod mali sunt & habet vasa interfectionis, vt occidat pessimos, minister est Domini. Item idem.
causa & q. Non est crudelis, qui crudeles iugulat: sed crudelis ideo
c. qui malos vocatur, quia crudelis patientibus esse videtur. Nam
& ad cap. latro suspensus patibulo crudelem iudicem putat.
Isaiæ 13. Augustinus. Si homicidium est hominem occidere, potest occidere aliquando sine peccato. Nam miles homicidia... stem & iudex, vel minister eius nocentem, & qui forte inuito atque imprudenti telum manu fugit, non mihi videntur peccare, cum hominem occidunt. Illi nec etiam homicidæ isti appellari solent.

initio cad. c. & q. c. non est crudelis L. 2. de lib. arbitrio. & Si homicidium ubi supra. De sum. bono l. 3. c. 33. sed alijs verbis.

Item idem. Dum homo iuste occiditur, lex eum occidit, non tu. Isidorus: Qui ex officio pacem Ecclesiæ perturbantes interficit, non est habendus homicida, sed minister Dei. Qui contra perfidos bellum agit, ductus zelo legis Dei, reputatur illi ad iustitiam, si occidat. Si autem occiditur, suo sanguine consecratur, quia ponit pro *Christo* animam suam. Lex diuina infideles occidit, & incorrigibiles impios, non autem illi qui morte puniendo exercent mandatum Dei. Leges namque diuinæ interfici iubent incorrigibiles, vt eorum mala eis morientibus finiantur, & eorum pœna cæteri corrigantur. Non enim potest pax fidei Catholicæ conseruari, nisi transgressores acrius puniantur. Regum & principum est hoc ministerium, scilicet, fidei rebelles occidere per se, vel per ministros suos. Quod nisi sollicite fecerint, rationem reddent domino de his, quæ illorum dissimulatione, vel negligentia ab impijs perpetrantur. Remunerabuntur autem, si illorum ministerio cultus fidei conseruetur.

Ecce quam manifeste conueniunt testimonia veritatis & impios indicant occidendos, ne patiatur bonorum innocentia detrimentum. Innocens etiam non est, qui non punit excessus malorum, sicut beatus Augustinus dicit: Non est innocentiæ parcendo sinere vt in malum grauius incidatur. Pertinet ergo ad innocentis officium non solum nemini malum inferre, verum etiam cohibere à peccato, vel punire peccatum, vt aut ipse, qui odio habebatur, corrigatur experimento, aut alij corrigantur exemplo.

Isidorus. Innocentis officium est aduersus aliquem
C nihil iniuste agere & impios peccantes, vt potest, punire. Magis quidem nocens es, si quod potes corrigere puniendo, parcendo perire permittis. Gratianus in decretis. Si viri sancti & publicæ Potestates bella gerentes non fuerunt transgressores illius mandati: *Non occides*, quamuis quosque flagitiosos digna morte perimerent. Si miles potestati suæ obediens non est reus homicidij, imperio eius quemlibet flagitiosum interfecerit, si homicidas & venenarios punire, non est effusio sanguinis, sed legum ministerium, si pax Ecclesiæ mæstitia consoletur perditorum, si illi qui zelo Catholicæ matris accensi excommunicatos interficiunt, homicidæ non iudicantur, patet quod malos non solum flagellari, sed interfici licet. Patet exemplis & dictis sanctorum, per quos Spiritus sanctus veritatis testimonia declarauit, interficiendos inimicos hæreticos, & in nullo eis penitus condolendum, quin eorum immanitas sce-
D lerum durius feriatur. Eorum calliditates, vt potui, patefeci: & qua pœna sint à Catholicis feriendi exiguitate virium meæ scientiolæ demonstraui, vt quibus Deus melius dederit sapere fortius inimicos fidei persequantur. Diuinitus autem credo factum, vt qui beati patris Isidori miracula proposui in laudem Domini declarare, eorum quoque calliditates detegerem, & nequitiam ostenderem mortis supplicio feriendam. Quorum nequitiam idem beatus confessor modis omnibus extirpauit dum erat in huius mortalitatis corpore constitutus.

LVCAE TVDENSIS EPISCOPI

SCRIPTORES ALIQVOT SVCCEDANEI contra sectam Vvaldensium:

Anno CIↃ. IↃC. XIII.

IN LVCEM EDITI CVM PROLEGOMENIS ET NOTIS; IN QVIBVS de Vvaldensium factionibus, peruersisque dogmatis copiosè differitur,

Auctore, & editore

IACOBO GRETSERO, SOCIETATIS IESV THEOLOGO.

AD REVERENDISSIMVM IN CHRISTO PATREM AC DOMINVM DOMINVM VRBANVM MONASTERII Oxenhusani Abbatem Amplissimum.

REVERENDISSIMO IN CHRISTO PATRI ET Amplissimo præsuli, Domino Vrbano, Imperialis Monasterij Oxenhusani, Religiosissimo Abbati.



CVM his diebus, *Reuerendissime Præsul*, typis Ingolstadiensibus excuderetur Lucas, Tudensis in Hispania Episcopus; contra Hæreticos Albigenses, non potui committere, quo minus iam primùm ex tenebris in lucem prodeunti, ignotasque Germaniæ prouincias ineunti, comites aliquos adjungerem, regionis nostræ peritiores, quàm Lucas sit; quippe in Iberia, tantis terrarum spatijs à nostro orbe seiuncta, natus & denatus. Quos Lucæ gratos futuros haud dubitaui, cum vt ille in Albigenses, ita isti in Vvaldenses non contemnendo armorum apparatu tendant; interque Albigenses & Vvaldenses nominum sit diuersitas, rerum nulla; aut certè non maior, quàm inter prolem & parentem, quando proles ascita vel à loco, vel aliunde, noua appellatione, paternam improbitatem nouis incrementis adauget, ac cumulatiorem reddit.

Nec solum Tudensi Antistiti comites esse volui, sed & hoc in mandatis dedi; vt quàm primum à Typographo manumitterentur *Oxenhusanum* Monasterium rectà via, celeriq. pede peterent, seque *Reuerendissimæ Paternitatis & Amplitudinis vestræ* conspectui sisterent. Id vt facerem, effecit decantata apud omnes *Reuerendissimæ P. V.* virtus, religio, vitę morumque integritas, comitas; & mira cum in alios, tum in Ordinis nostri homines humanitas ac beneuolentia; cuius omnes illos admiratores, Pręcones, & laudatores animaduerti; quibus aliquando *Admodum Reuerendæ Paternitatis V.* coram oratueri, & voces audire ac referre datum est.

Quas dotes, luculentas sanè & omni prędicatione dignas, eruditionis doctrinęque amor ac studium commendabiliores & amabiliores efficit; quo fit, vt sibi commissos non tantum Monastica disciplina accuratè ad præscriptum sanctissimi Patris *Benedicti* informandos, sed & literis tam elegantioribus, quàm Philosophicis & Theologicis instruendos perpoliendosque sedulo curet; semper aliquibus ex cœtu suo *Dilingam*, ad nobile illud bonarum Artium Emporium, ablegatis; qui ad id vnum incumbant, vt animum gemino, religionis videlicet & eruditionis cultu insigniant. Nec spem & expectationem *Reuerendiss. Patern. V.* fefellit euentus: vt nec aliorum Præsulum Sueuię ac Heluetię; quibus eadem mens ac voluntas: Iam enim passim per domicilia religiosorum Deo seruientium reperire est totum ad Philosophiam & Theologiam pertinentium cognitione eximios: qui talentum sibi creditum terra minimè obruentes, illud ad vsuras elocant, memorabili cum fructu, qui inde ad multos redundat.

Si hodie Clemens. V. Pontifex Maximus hanc mortalem vitam nobiscum duceret, cerneretque in vnica Dilingana Academia plusquam Sesquicentum variorum Ordinum Religiosos, alios quidem amœnioribus, alios seuerioribus disciplinis indefessam operam nauantes; quàm sibi plauderet? apertè conspicans, sanctionem illam suam, quam in Concilio Viennensi tulerat, non esse inanem. Et quę nam ista sanctio? *Vt Monachis proficiendum scientiis via opportuna, non desit, in singulis ipsorum Monasterijs, quibus ad hoc suppetunt facultates, idoneus teneatur Magister, qui eos in primitiuis scientiis instruat diligenter.* (Lib. 3. Clement. tit. 10.) *Primitiuas* scientias vocat summus Pastor eas, quę Latinę linguę notitia circumscribuntur. Quas Decreto Clementis conuenienter ita multis in locis explicari scimus; vt si

vt ſi qui inde ad Academiam amandatur, è veſtigio altiora ſtudia capeſſere, & Philoſophiæ ſtadium ingredi queant. Sin minus; Pontificis menti nequaquam aduerſum eſt, vt Religioſi extra Cœnobia, in Academiis; literas quas ab Humanitate *Humaniores* appellamus, condiſcant; quod plerumque ſit felicius & fructuoſius partim ob continuas & vix vnquam interruptas exercitationes; partim propter ſolidatum in eadem palæſtra luctantium multitudinem; quorum alter alterius diligentiam & induſtriam, cotis inſtar, acuit: vbi quiſque Horatianum illud ſibi accinit; *Mihi turpe relinqui eſt.*

Clementis V. Edictum reuocauit & renouauit *Benedictus XII.* in celebri illa Conſtitutione quæ quia potiſſimum ad S. *Benedicti* familiam ſpectat, *Benedictina* vocari ſolet; niſi hoc nomen à Conditore ſuo acceperit, in cuius capite ſexto præcipit, vt Ordinis alumni *Primitiuis* ſcientiis ſtudioſè inſtituantur: quarum ambitum latius extendere ac proferre videtur, quam Clemens; vt pote qui Logicam quoque & Philoſophiam (ſic enim diſcriminat Pontifex). *Primatiuarum ſcientiarum* appellatione complectatur.

Capite ſeptimo & octauo Pontificia auctoritate præſcribit ac definit, qui ex Religioſis, quando, quorum nutu & aſſenſu, quorum ſumptibus ad Academias Theologiæ vel iuris Canonici gratia ablegari, quorumque ductu & auſpiciis in ipſis vniuerſitatibus viuere, & quando Academicis honoribus inſigniri, & ad literarios gradus euehi, ipſaſque inſuper Theologiæ & Iuris Pontificij Cathedras, dicendi gratia, conſcendere debeant: Et hæc omnia non alio conſilio Pontifex decreuit, quam quem admodum ipſemet in Procemio teſtatur, *vt Religio in diuini cultus obſequio floreat, honeſtatis candore fulgeat; diſciplina regulari præemineat; ſapientiæ ac ſcientiæ diuinæ pariter & humanæ (ſine quibus mortalium vita non regitur) fulgoribus rutilet*, quia quidam Pontifex in eodem ſuo Diplomate affirmat, *per exercitium lectionis, acquiritur ſcientia margarita, & per ſtudium ſacræ paginæ ad cognitionem excellentiæ diuinæ familiarius peruenitur; ac per agnitionem humani Iuris, animus rationabilior efficitur, & ad iuſtitiam certius informatur.*

Bene ſit *Reuerendiſſimæ Paternitati Veſtræ*, cæteriſque Sueuiæ, Heluetiæ, Syluæ Hercyniæ, & aliorum locorum ampliſſimis & religioſiſſiis Abbatibus ac Prælatis, qui *Clementis* & *Benedicti*; tantorum Pontificum, monita vel potius iuſſa diligenter, quantum ratio temporum permittit, ſequuntur & exequuntur; quo præclarè facto participes ſeſe reddunt exoptatiſſimæ illius promiſſionis apud Danielem Prophetam. *Qui docti fuerint, fulgebunt quaſi ſplendor firmamenti, & qui ad iuſtitiam erudiunt multos, quaſi ſtellæ in perpetuas æternitates.*

Sed verbis compendium facio, & ad extremum, *Admodum Reuerendam P.V.* etiam atque etiam rogo, vt hos VValdenſium oppugnatores ex Bauaria in Sueuiam, miſſu & mandato meo, iam primum abeuntes, beneuolo vultu & hoſpitio dignari velit; inculti quidem ſunt, ſed ſermonis, non rerum amictu. Vulgare dictum eſt: *Sub vili palliolo ſæpè magnam ſapientiam deliteſcere.* Quod ego non tantùm de lacero corporis, ſed etiam de abiecto orationis integumento interpretari ſoleo. Cuius veritatem, vt alibi, ita & in hiſce Scriptoribus videre licet. *Reuerendiſſimam Paternitatem Veſtram*, celeberrimo *Oxenhuſano* Monaſterio quàm diutiſſimè ſoſpitem, & cæleſti benedictione vbertim circumfluentem benignè conſeruet. Ingolſtadij, Nouemb. Anno ſalutis M. DC. XII.

Reuerendiß. P. V. ſeruus in Chriſto

IACOBVS GRETSERVS.

IN SCRIPTORES CONTRA SECTAM VVALDENSIVM.

De perniciosa secta huius fœcunditate.

CAPVT PRIMVM.

CONSENTIVNT ferme auctores sectam VValdensium exstitisse in Gallia, Lugduni, progenitore Petro VValdo [vnde secta nomenclatura] ciue Lugdunensi prædiuite, circa Annũ Domini MCLX. Non enim assentior Guidoni, qui in sua Summa *VValdenses decennio posteriores facit: nam quod secundo Tractatu nostro Auctor ortum VValdensium refert ad Innocentium II. Pontif. id nimis cautum est. Si dicas, in locum Innocentij II. substituendum Innocentium III. procliue enim fuisse Librario vnam numeri Notulam omittere; id nimis seruaueris; quia constat ex omnialiũde, tum ex Anglicana Historia Rogeri, iam Anno Redemptoris MCLXXVII. & MCLXXVIII. diu ante Innocentij III. Pontificatũ, VValdenses non modo natos, sed & damnatos esse, sub nomine Hæreticorum Tolosanorum, & Albigensium, nam hos non fuisse alios, quàm VValdenses, in comperto est; & fatetur quoque Plessæus in libro, quem inscripsit* Mysterium Iniquitatis *[Caluinistica seu Plesseana addere debueras; nam alterutriũ horum vocabulorum inscriptionis complemento deest] quia non nouitatis argueremur, haud erubescebant quidam illorum mentiri, professionem suam ab Apostolis originem ducere.*

Alij, quamuis impudenter, tolerabilius tamen, incunabula sectæ a Syluestro Pontifice, & à Constantino Magno repetebant; insigni quidem vanitate, sed pro more & genio omnium Hæreticorum, qui vetustatem affectãt, ne si nudam veritatis demum exorti videantur, omnibus ludibrium debeant. Nostros Nouatores intuere, nec quidquam caussa erit, cur alios videra velis; qui cum ne vnicum quidem homuncionem monstrare queant, qui proximè ante Lutherum omnia ea crediderit, quæ Lutherus suis credenda proposuit, iactant tamen, se ab ipsis Apostolis genus ducere, & sua placita, ab eorundem tempore, vsque ad Lutheri ætatem, continuata & propagata esse, non quidem in communi omnium luce, sed in cauernis, & nescio quibus latibulis.

Quanquam ne cuiquam inferamus iniuriam, si à prima stirpe stemma sectariorum exquirere velimus, satis antiquum inueniemus. Quis enim abnuat Simonem Magum esse vetustissimum, quippe æuo Apostolis parem? At omnes, qui quoquo modo adulterant veritatem, & præconium Ecclesiæ lædunt, Simonis, Samaritani Magi, discipuli & successores sunt, *inquit Beatus Martyr* Irenæus, *lib.* 1. c. 30. quamuis non confiteantur nomen Magistri sui ad seductionẽ reliquorum, attamen illius sententiam docent, Christi quidem Iesu nomen, tanquam irritamentum, præferentes, Simonis autem impietatem variè introducẽtes mortificant multos, per nomen bonum sententiam suam malè disperdentes, & per dulcedinem & decorem nominis, amarum & malignum Principis Apostasiæ serpentis venenũ porrigentes eis. *Quam vetustatem nemo nec VValdẽsibus, nec Lutheranis, neq; vllis alijs Nouatoribus inuidet.*

Porrò, vt Lutheri secta quamprimum in plures alias dissecta fuit; ita vt numerositate sobolis vix cuiquam ex priscis cedat; sic & VValdensium factio derepente tot propemodum deliramenta protulit, quot capita; vsque adeo, vt hic etiam vsurpare liceat illud B. Irenæi lib. 1. cap. 30. A Petro VValdo multæ propagines multarum hæresum factæ sunt, eo quòd multi ex ipsis, imò omnes volunt Doctores esse, & abscedere quidem ab hæresi, in qua fuerunt. Aliud autem dogma ab alia sententia, & deinceps alteram ab altera componentes, noua docere insistunt, semetipsos adinuentores sententiæ, quamcunque compegerint, enarrantes: *quibus solemne est,* vt à regulis suis varient inter se, dum vnusquisque proinde arbitrio suo modulatur, quæ accepit, quemadmodum de suo arbitrio ea composuit ille qui tradidit. Agnoscit naturam suam, & originis suæ morem profectus rei, *vt verè & scitè Tertullianus in libro de præscript. scripsit. Idem licuit Albigensibus quod VValdẽsibus, idem Patarenis, quod Catharis, idem denique successoribus, quod antecessoribus.*

Quapropter vt nominibus, sic & opinionibus mox inter se discrepare cœperunt, vt in suo Tractatu ostendit Reinerius, quorum alij nomina a locis, alij a dogmatis, alij aliunde sortiti sunt; & plerorumque meminit Fridericus II. Imp. in Authentica de statutis & consuetudinibus contra libertatẽ Ecclesiæ, *vbi Imperator,* Gazaros, Patarenos Leonistas *[malè quædam Editiones,* Leuonistas*]* Speronistas, Arnaldistas, Circumcisos, & omnes hæreticos vtriusque sexus, quocunque nomine censeantur, perpetua damnamus infamia, &c.

Expressius in Constitutione contra eosdem, quæ exstat lib. 1. Epist. Petri de Vineis cap. 27. Patarenos, Speronistas, Leonistas, Arianistas, Circumcisos, Passaginos, Ioseppinos, Cattacenses, Albanẽses, Franciscos, Bannaroles, Comistas, VValdeoses, Burgaros, Commincellos, Barrinos, & Ortoleuos, & cum illis de Aqua Nigra, & omnes Hæreticos vtriusque sexus, quocunque nomine censeantur, perpetua damnamus infamia, &c.

In cap. 2. Excommunicamus, *extr. de Hæreticis.* Excõmunicamus & anathematizamus vniuersos Hæreticos, Catharos, Patarenos, Pauperes de Lugduno, Passaginos, Ioseppinos, Arnaldistas, Speronistas, & alios quibuscunque nominibus censeantur: facies quidem habentes diuersas, sed caudas ad inuicem colligatas, quia de vanitate conueniunt in idipsum, &c.

In Concilio Lateranensi sub Alexandro III. c. 27. Quia in Gasconia, Albegesio, & partibus Tolosanis, & alijs locis, ita Hæreticorum, quos alij Catharos, alij Patrinos, alij Publicanos, alij alijs nominibus vocant, inualuit damnata peruersitas, &c. *Verè inualuisse dicitur, quia vix aliqua regio ab hac peste immunis & intacta mansit; adeo sese diffuderat, & cum plurimorum exitio in varias prouincias infuderat, præcipuè in* Insubriam, *seu* Lombardiam, *vetustatum fatemur cum alijs scriptores, tum isti, quos nunc euulgamus.*

De VValdensibus, pauperibus de Lugduno, Leonistis, Gazaris & Catharis.

CAPVT II.

VValdenses alio nomine appellati sunt Pauperes de Lugduno, *quod vitam inopem professi, dominio & possessione omnium facultatum sese abdicare solerent: Dicti insuper sunt* Leonistæ, *non ab Auctore, vt vult Caluinista Goldastus in suo* Irrationali *ad primum Tomum* Constitutionum *Imperialium, sed a loco, in quo nati, nempe a Lugduno, cui Germanicè nomen Leon, Gallice Lyon.* *Hinc igitur* Leonistæ, *quod rectè etiam obseruauit vna Freherus in Tomo scriptorum Bohemicorum, cui ex Illyrico infortunis frustum libelli Reineriani cum notulis ad oram seu marginem. Et ipse Illyricus Cent.* XII. *cap.* 8. Leonistæ cognominati sunt, quia Lugd. vulgò Leon appellatur.

Ridet Caluinista illos, qui Leonistas a Leone IV Constãtini Copronymi filio, appellationem accepisse aiunt. Perridiculè, *inquit,* cum secta hæc in Gallia ortum, non in Græcia habuerit. *Quasi verò hac obiectiuncula sententiam illam labefactet. Vbi Caluinismus exstitit? Nonne in Gallia, vel potius Sabaudia? Si Caluinistas* Copronymianos *vel* Copronymistas *à Copronymo nominem, an ideo ridiculè*

erit appellatio, quod secta Copronymi in Græcia nata sit, secta A *Caluini in Allobrogibus? Certe vt hodie Caluinistæ, ita olim* Leonistæ *Iconomachi & imaginum euersores erant. Quare non inconuenienter siue à* Leone Isauro, *siue à Leone Armenio, siue à quocunque alio Leone Iconoclastico* Leonistæ *nominari potuissent. Hæc dixerim, non quòd ita sententiis adstipuler, sed vt ostendam, Caluinicolam Goldastum nugas agere, nec nisi plumbeo pugione, cum illos oppugnat, dimicare.*

Dices. In Constitutione Friderici, Leonistas, *& VValdenses separatim enumerari; quod argumento est, eos non solo nomine, sed & opinionum varietate inter se discriminatos fuisse. Respondeo, hoc non sequi; hæc enim discriminatio tantum maioris claritatis caussa introducta est, vt si qui fortè VValdenses titulo* Leonistarum, *vel viceuersa,* Leonistas *titulo VValdensium non agnoscerent, agnoscerent illos, eo quod* B *cognitum habebant, nomine affectos; sicut qui hodie non agnoscit* Higonotas *vel* Geusios, *is audito Caluinistarum nomine ignotum per notius facilè cognoscit.*

Addit Illyricus; VValdenses etiam Insabbatatos *dictos. Verum isti non solo vocabulo, sed & ritu à VValdensibus primis, &, vt ita loquar,* puris, *abibant, vt suo loco dicam. VValdi & VValdensium stolones erant, vt hodie Lutheri & Lutheranorum,* Intermistæ, Adiaphoristæ, Vbiquistæ.

Nunc ad Gazaros, de quibus quod dicturus sum multis paradoxum videbatur; dicam tamen. Gazari *sunt* Cathari. *Caue autem, cum* Catharos *nomino, antiquos illos Catharos Nouatianos intelligas. Illi hoc nomine designantur, de quibus multa Rainerius & plura adhuc Ecbertus in sermonibus aduersus Catharos Tomo secundo Auctarii ad Bibliothecam sanctorum Patrum. Hos,* inquit, *Germania nostra* Cathatos, *Flandria,* Piphles, *Gallia,* Texerant, *ab vsu texendo appellat.* C *Cathari ergo Germanicum nomen, non Græcum, hoc quidem loco. Et est illud ipsum, quod hodie vsurpamus* Kazer, *&, vt alii crassius,* Kazar *T mutato in Z. more Germanis solemni, vt vides in his,* Catus, *Rak,* Platea, *Pak. Hos ergo ex VValdensium secta vocabant Germani* Kathar, *seu* Kazar, *ex quo Latinè scribentes* Cathstos *procuderunt. Inde nata vox* Gazari, *C. in G transformato, quasi* Cazari, *seu* Kazari. *Nec est qui nesciat C & G sibi facilè succedere,* Caspar, *&* Gaspar. Catus *Italis* Gato. Clathri, *Gatther. Et hoc ipsum rectè vidit Freherus, nam Tomo 1. scriptorum Germanicorum, ad initium Annalium Godefridi Monachi, ad hæc verba:* Quidam Hæretici de secta eorum, qui Cathari nuncupantur; *in margine notat:* Qui & Gazari, *Authent.* Gazaros *Cod. de* D *Hæret. cap. 8. & 9. ext. eod.*

Idem aliquo modo animaduertit Lindanus *in Epist. ad Imperatorem, qui Germanicum vocabulum* Raker, *à Catharis deductum ait, teste Serario lib. 1 Rerum Mogunt. cap. 6. Rectius tamen nomen* Kathari, *quo Latinè scribentes vtuntur, à Germanico deduxisset, vel potius nihil aliud nisi Germanicum vocabulum* Kazer, *Latina specie indutum, dixisset; qui sectarii, commune alioqui omnium hæreticorum nomen, per improbitatis & nequitiæ suæ excellentiam & immensitatem sibi proprium fecerunt; vndecunque tandem Germanis hæc vox aduenerit.*

Serarius loco cit. ait, Germanis Rakern *esse* diuidere. *Vnde qui populum Dei diuidunt, & ab Ecclesia sancta distrahunt, hæretici & schismatici,* Raker *vocati sunt; quasi* diuisores. *His in locis hæc notio huius vocabuli plerisque incognita est; nec vsu loquentium trita: quamuis* Rakern, *pro afflictatione satis vsitatum sit; quid enim notius istis;* E *Was vylich mich sung fakern vnd plagen? Er hat sich lang gnug geplaget vnd gefakeret. Ego propensus eo sum, vt deriuem* Raker, *à cato, quasi* Cazar. *Kur autem maiores nostri Germani hæreticis nomen à* Cato *indiderint, promptum erit intelligere ei, qui proprietates cati cum genio & indole hæreticorum conferre volet. Si quis tamen secus sentit, & Hæreticos istos à* Cazeres, *qui est locus non procul Tolosa, nomen accepisse pertendat, cum hoc ego non contendam.*

De Catharis refert Godefridus in annalibus huiusmodi historiam. Hoc etiam Anno MCLXIII. quidam Hæretici de secta eorum, qui Kathari nuncupantur, de A Flandriæ partibus Coloniam aduenientes; prope ciuitatem in quodam horreo occultè mansitare cœperunt. Sed, dum neque Dominico die Ecclesiam intrarent, à circummanentibus comprehensi & detecti sunt. Qui Ecclesiæ Catholicæ repræsentati, & diu satis de secta sua examinati, dum nullis probabilibus documentis corrigi possent, sed in suo proposito pertinacissimè persisterent, eiecti sunt ab Ecclesia, & in manus Laicorum traditi. Qui eos extra Vrbem educentes, Nonis Augusti, ignibus eos tradiderunt, mares quatuor, & iuuenculam vnam: quæ, dum miseratione populi propè seruaretur, si fortè interitu aliorum terreretur, & saniori consilio acquiesceret, subitò de manibus se tenentium elapsa, vltrò ignibus se iniecit, & periit. *Vide Cæsarium lib 5. cap. 19.* B

De Patarenis.

CAPVT III.

P*Atareni, seu Paterini, siue, vt aliqui appellant,* Patrini, *sectio VValdensium, à persecutionum perpessione, hoc sibi nomen indiderunt; teste Friderico* II, *Imperatore, qui in quadam Constitutione sua aduersus Hæreticos:* In exemplum Martyrum, *inquit,* qui pro fide Catholica Martyrium subierunt, Patarenos se nominant, velut expositos passioni. Huiusmodi verò miseri Patareni, à quibus abest sancta credulitas diuinitatis æternæ, sub vno contextu C nequitiæ, insimul tres offendunt, Deum videlicet, proximos, & seipsos: &c.

Ad idem nominis Etymon respexit Iuo Narbonensis in Epistol. ad Giraldum Archiepiscopum Narbonensem, apud pag. 389. *Matthæum Paris in Annalibus Anglicanis;* Accusatus, quondam vt nostis, ab æmulis meis coram magistro Roberto de Curzun, Romanæ Curiæ tunc Legato, super hæretica prauitate, non conscientiæ scrupulum, sed causæ turpitudinem erubescens, iudicium declinaui, & hoc ipso factus suspectior. Auditis igitur illius authentici viri comminationibus, fugi à facie persequentis. Multas proinde compulsus circumire Prouincias, Paterinis in ciuitate † Cumea commorantibus conque- Comi. rendo narraui, qualiter pro fide eorum, quam, Deo D teste, nunquam didiceram, vel sequebar, præcipitatis in me sententiis, exulabam. Hoc illi audito, gauisi sunt, & me felicem censuerunt, eo quod persecutionem propter iustitiam tolerassem. *En, vt ob exagitationes, quibus meritò exercebantur, palmam sibi obtrudunt,*

Subdit idem Iuo de Paterinorum in se hospitalitate & in secta sua diffundenda impigro studio. Ibidem apud eos tribus mensibus splendidè, ac voluptuosè procurabar, & multos quotidie errores, imò potius horrores, quos contra fidem Apostolicam asserebant, audiens, subticebam, meque beneficiis obligarunt, ad promittendum sibi, quod ex tunc Christianis, cum quibus morosum possem habere colloquium, prædicarem, persuadendo, quod in fide Petri neminem contingeret sal- E uari, & hanc sententiam pertinaciter edocerem. Hocque mihi, fide interposita, promittenti, sua cœperunt secreta detegere, perhibentes, quod ex omnibus ferè ciuitatibus Lombardiæ, & quibusdam Tusciæ, Parisios dociles transmisissent scholares, quosdam Logicis cauillationibus, alios etiam Theologicis dissertationibus insudantes, ad adstruendos ipsorum errores, & professionem Apostolicæ fidei confutandam. Multos etiam mercatores hac intentione mittunt ad nondinas; vt peruertant diuites Laicos commensales & hospites, cum quibus loquendi familiariter indulgetur facultas, vt multipliciter negociantes, aliorum pecunias hinc sibi lucrentur, inde animas nihilominus thesaurizent Antichristo, Cúque à præ-

à prædictis fratribus degeneribus licentiã petissem, miserunt me Mediolanum à suis comprofessoribus hospitandum. Et sic omnes pertransiens ciuitates Lombardiæ circa Padum, semper inter Paterinos, semper successiuè accepi ab aliis ad alios intersignia. Cremonã tandem perueniens, oppidum in Foro Iulij celeberrimum, nobilissima Paterinorum bibi vina, rabiolas & ceram ia, & alia illecebrosa comedens, deceptores decipiens, Paterinumque me profitens, sed, Deo teste, fide, etsi non operis perfectione, Christianus existens. Cremonæque per triduum commoratus, accepta licentia à complicibus, sed maledictione à quodam ipsorũ Episcopo, cui suspectus eram, postmodum, vt audiui, pro quadam fornicatione ab eis deiecto, nomine Petro Gallo, inde cum quodam fratre Laico, canales Aquileiæ sum ingressus peregrinans, & transmigrando vlterius, in oppido, apud Frisaciacuimus apud Fratres. *Hæc Paris. Anno Christi M.CC.XLIII.*

De eisdem idem Historicus Anno M.CC.XXXVI. Circa dies illos inualuit hæretica prauitas eorum, qui vulgariter dicũtur Paterni & Bugares, in partibus transalpinis, de quorum erroribus malo tacere, quàm loqui; adeò, quod fidei puritatem in finibus Franciæ & Flandriæ ausi sunt perturbando violare. Sed diligenti ministerio, & indefessa prædicatione Minorum, & Prædicatorum, & Theologorum, præcipuè Fratris Roberti de Ordine Prædicatorum, (qui cognomento † Bugre dicebatur; quia, ab illo conuersus habitum suscepit Prædicatoris:) Qui malleus hæreticorum dicebatur, confusa est eorum superstitio, & error deprehensus. Quam plures autem ex vtroque sexu ad fidem cõuerti refutãtes, fecit incẽdio conflagrari: ita quod infra duos, vel tres menses circiter quinquaginta fecit incendi, vel viuos sepelire.

† Bulgarus seu Burgarus.

De Patarenis clamat Caluinista Goldastus. Errant, qui confundunt cum Gazaris, nec scio an non eodem impingant Auctores Concilij Lateranensis, in cuius cap. 27. legitur *Quia in Vasconia, Albesia, &c. Hæreticorum, quos alij Gazaros, alij Patarenos, & alij alijs nominibus vocant, &c. Verum errant, qui Patarenos cum Gazaris confundunt: Error tamen veniâ dignus est, cum & Gazari & Patareni VValdenses fuerint, vno ex stirpe VValdo prognati. Nec Patres Concilij Lateranensis, dicunt Patarenos esse Gazaros, sed historicè exponunt, quomodo ab alijs appellentur hæretici illi, qui in Vasconia, Albigesio, partibus Tolosanis, alijsque locis succreuerant; quos alij, inquiunt, vocant* Gazaros, *alij* Patarenos, *alij alijs nominibus, quia & Gazari, & Patareni, & aliorum nominum sectarij regiones illas inuaserant,* facies quidem (*hoc est, appellationes,*) habentes diuersas, *sed caudas ad inuicẽ colligatas, vt dicitur in cap.* Excommunicamus, *extr. de hæreticis. Ac audi Caluinista. Si errant, qui Patarenos & Gazaros pro ijsdem habent, errarunt ergo tui Centuriatores, qui* Cent. 13. c. 5. *disertè dicunt:* Patareni seu Gazari.

Addit Caluinista. Patarenos etiam Bugares *dictos. Vnde hoc probat? Ex Matthæo Parisiensi. Etiam in paulò antè adducta Matthæi verba id non eminent, quæ sunt ista. Circa dies illos, inualuit hæretica prauitas eorum, qui vulgariter dicuntur* Paterni & Burgares. *Ex quibus non magis colligas Patrinis Burgarum, seu Bugarorum nomen fuisse, ac Lutheranis nomen Caluinistarum, si ita loquar. Circa illos dies inualuit hæretica prauitas eorum, qui vulgo nominantur Lutheranis & Caluiniani.*

Adde, quod Fridericus Imperator in sua Constitutione Bugaros *disertè à Patarenis distinguit. Sunt autem* Bugares *seu* Bugari *secta Catharorũ, quorũ Ecclesiã, vel potius Synagogam, memorat Reinerus cap. 6. sub Bulgarica seu VVulgarica nomine. Sed qui nam isti Bulgari? Erat, cum suspicarer bugares seu Burgaros, seu Bulgaros istos esse Italicorum Alpium vel Lombardiæ inquilinos. Audio enim hodie etiam superesse circa Tridentum, qui vocentur Bulgari, Germanicè, Bulgerrater. Et Merula p. 2. l. b. 2. Cosmographia sua ad leuam Mediolani in mõtibus, collocat* Borgoto. *Et similiter in Orona lena* Borgoto.

Verùm me in hac sententia persistere non fecit lectio Matthæi Parisij, qui Anno Domini M.CC.XXIII. *expressè scribit, Albigenses, qui & VValdenses penetrasse in Bulgariam, quæ olim Mœsia vocabatur. Audi Matthæum:* Circa dies istos, hæretici Albigenses constituerũt sibi Antipapam in finibus Bulgarorum, Croatiæ & Dalmatiæ, nomine Bartholomæum. In quibus partibus error ille adeo inualuit, vt etiam Episcopos, & alios multos regionum illarum ad suam allexerit prauitatem. Contra quem C. Portuensis Episcopus, & in partib. illis Apostolicæ sedis Legat᷒, Rhotomagẽsi Archiepis. scripsit in hæc verba.

Venerabilibus Patribus, Dei gratia, Rhotomagensi Archiepiscopo, & eius suffraganeis Episcopis, salutẽ in Domino Iesv Christo. Dum pro sponsa viri Crucifixi vestrũ cogimur auxilium implorare, potius compellimur lacerari singultibus & plorare. Ecce, quod vidimus loquimur, &, quod scimus, testificamur. Ille homo perditᵒ, qui extollitur super omne, quod colitur, aut quod dicitur Devs, iam habet perfidiæ suę præambulũ hęresiarcham, quem hæretici Albigenses Papam suũ appellant, habitantem in finibus Bulgarorũ, Croatiæ & Dalmatiæ, iuxta Hungarorum nationem. Ad eum confluũt hæretici Albigenses, & ad eorũ consulta respondet. Etenim de Carcasona oriundus, vices illius Antipapę gerẽs Bartholomæus hæreticorum Episcopus, funestam ei exhibendo reuerentiã, sedem & locum concessit in villa, quæ Porlos appellatur, & seipsum transtulit in partes Tolosanos. Iste Bartholomæus in literarum suarũ vndique discurrentium tenore, se in primo salutationis alloquiu, intitulat in hunc modum; Bartholomęus seruus seruorum sanctę fidei, tali salutem. Ipse etiam inter alias enormitates, creat Episcopos, & Ecclesias perfide ordinare contendit.

Per Burgares *igitur seu* Burgaros *intelligendi sunt verè* Bulgari, *à regione quam hodieque incolunt, sic nominati. Chronicon Monachi Altissiodorẽsis de Hugone Episcopo eiusdem ciuitatis.* Hęreticos, quos Bulgaros vocant, vehementer studuit insectari, eiusque instantia actum est, vt plerique rebus suis exinanirentur, exterminarentur alij, alij cremarentur.

Acriter insurgit Caluinista Goldastus in Bernardum Lutemburgium, qui in Catalogo Hæreticorum scribit, coniugium à Patarenis damnatum esse. Occlamat Caluinista. Hic error Gazarorum fuit. *Num ideo non Patarenorum? Cui vis credamus, tibi an Reinero? qui cap. 6. errorem istum Patarenis apertè adscribit. Nec ignoti erant Reinero Patareni, quippe multis annis inter VValdenses versato. Quod si forte Reinero dedignatur præbere aures, præbeat illas Centuriatoribus Magdeburgensibus principe Illyrico, qui Centuria* XIII. *cap. 5. inter dogmata Patarenorum numerat istud.* Hominem in statu coniugali saluari non posse. *Vbi Illyricus admodum peritè distinguit* Patarenos *&* Paterinos. *Item:* Passagenios *&* Passagenos, *& peritius adhuc ab Auctoribus nomen adeptos censet. Nam vnde hanc appellationem sortiti sint, satis superque iam ex Friderici Constitutione, & aliunde intelleximus. Cum autem Illyricus Centuria* XII. *cap. 8.* VValdenses *seu* Pauperes de Lugduno *colloces inter schismaticos, & expressè etiam testetur, non esse in Hæreticorum classem coniiciendos, mirari subit, cur tam immitis sit in* Patarenos, Gazaros *&* Passaginos, *cum Petri VValdensis charissimi vel filij vel nepotes fuerint, non minus ac* Pauperes de Lugduno, *seu* Leonistæ.

De alijs VValdensium sectarum nominibus, de quibus mentio in Constitutione Friderici Imperatoris.

CAPVT IV.

IN *Constitutione Friderici Imperat,* Comistæ *sunt ab Vrbe* Como, *in qua VValdenses nidulati, vt anteà audiuimus ex Matthæo Parisio, idemque liquet ex Reinero. Quorundam meminit etiam S. Antoninus p. 4. Summæ*

Theologicæ tit. 11. c. 7. Paragraf. 5. Fuerũt tres sectæ Hæreticorum; Albanensium, (*qui nonnullis Albienses seu Albigenses, ab* Albi *ciuitate Galliæ, vt suspicatur ipsemet S. Antoninus, & expressè tradit Bernardus VVisenbeccius: sed Albanenses ab Albiẽsibus disertè distinguit Reinerus cap. 6.*) Bagnolensium (*fortè ab oppido* Bagnols, *non procul Auenione: nam in illis locis maximè regnabant VValdenses*) & Concordensium, qui in multis erroribus eorum pessimis conueniunt, licet in paucis discordent.

Quod autem Prateolus in Cathalogo Hæreticorum scribit Bagnolenses *siue* Baiolenses, & Concordenses *vel* Cozorenses *exortos esse Constantini VI. & Leonis III. Papæ temporibus circa Annum salutis* D.CC.XCVI. *id eum vero non contingit, nam isti de VValdensium secta fuere, nominatim eius, quæ* Catharos *complectebatur, vt planum fit ex Reinero: qui Constantino & Leone longè fuit posteriores.*

Carracenses in constitutione Friderici forsan hoc nomen habent à Corrazo *Lombardiæ oppido.* Barrimi *forsan à* Barro *monte circa latum Larium nomẽ hoc sortiti sunt, nisi malis à* Barriam *in Agro Cremensi.* Ortoleni, *sunt illi, quos Reinerus* Ortlibienses *nominat. Arriamistæ, qui ex VValdensibus de SS. Trinitate perperam sentiebant; quorum non exiguus numerat, vt Reinerus nos docet. Hæretici de* Aqua Nigra *à loco nomen acceperunt. Est enim* Aqua Nigra *Lombardiæ Transpadanæ oppidum. Circumcisi forsan illi fuerunt, qui alijs* Iosabbatati. non quod circumciderentur, *inquit Calamista.* sed quod in Sabbato iudaizarent. *At Sabbatum adeo non obseruabant VValdenses, vt omnia omnino festa exterminarent, totamque vetus testamentum repudiarent, quemadmodum ex Reinere liquet. De* Insabbatatis *potius Prateolo assentior, qui ista.* Insabbatati aũt ex factione VValdensium, *sic appellati*, quod qui inter eos perfectiores sunt, signum quoddam in superiore parte sui Sotularis, quem Sabbatem appellant, deferre solerent. *Quos Frederico Imperatori sane Iosephini, eos nominat Reinerus sub finem capitis* Iosepistas.

Quos Reinerus Runcarios *appellat, videntur hoc nomẽ adepti à* Roncalia. *Nostro autem nimis accuratæ fallacia Hæretici Galdinasti contigerit, vt cum Constitutiones Friderici Imper. quæ exstant lib. 1. Epist. Petri de Vineis in Tomũ primum retulerit, illam, quæ verè Constitutio est auctoritate tam Cæsarea, quàm Pontificia*, de statutis & consuetudinibus contra libertatem Ecclesiæ editis, omiserit. *Ego in eam partem sum propensior, vt omissionem hanc fraudi adscribam; nam pro libertate Ecclesiastica nimis apertè loquitur; Et Honorij quoque Pontificis calculo comprobata & corroborata est, in qua item videre licet contra Hæreticos sanctionem admodum valentem; vbi &* Arnaldistæ *nominantur, ab Arnaldo Brixiensi. De quo S. Bernardus Epist. ad Guidonem Legatum, et ante ipso* Calamista. Arnaldus de Brixia, cuius conuersatio mel, & doctrina venenum, cui caput, columbæ, cauda, scorpionis est (*Habet hic descriptionem Lutheri & Caluini*) quem Brixia euomuit, Roma exhorruit, Francia repulit, Germania abominatur, Italia non vult recipere. *Non fuit hic ex VValdensium secta, vt pote Petro VValdo aliquot annis antiquior, & Petri Abælardi discipulus, de quo Otho Frisiagensis lib. 2. de Gestis Friderici Imper. cap. 20. Et Gerhohus Reicherspergensis eiusdem temporis scriptor lib. 1. de Inuestigatione Antichristi, quamquam merosè satis de nece Arnaldi loquatur, quam sane ob tot scelera, totque seditiones passim concitatas meruisse indè sabijt. Audi Gerhohum.*

At vero Scutarij hæc mysticalis quantitas in domo in Dei, quæ est Ecclesia, nõ ad hoc proficit, vt domus Dei taliter ordinata domus Dei non fit, sed Præsules eaturum non sint Episcopi, quemadmodum quidam nostro tempore Arnoldus nomine, dogmatizare ausus est plebes à talium Episcoporum obedientia dehortatus. Pro qua etiam doctrina, non solum ab Ecclesia Dei anathematis mucrone separatus, insuper etiam suspendio neci traditus: quin & post mortem incendio crematus, atque in Tybrim fluuiũ proiectus est: ne videlicet Romanus populus, quem sua doctrina illexerat, sibi eum

A Martyrem dedicaret. Quẽ iã ego vellem, pro tali doctrina sua, quamuis praua, vel exilio, vel carcere, aut alia pœna, præter mortem punitum esse, vel saltem taliter occisum, vt Romana Ecclesia, seu Curia, eius necis quæstione careret. Nam si, vt aiunt, absque ipsorum scientia & consensu à Præfecto Vrbis Romæ, de sub eorum custodia, in qua tenebatur, ereptus, ac pro speciali causa occisus ab eius seruis est, maximam siquidem cladem ex occasione eiusdem doctrinæ idem Præfectus à Romanis ciuibus perpessus fuerat; quare non saltem ab occisi crematione, ac submersione eius occisores remouerunt, quatenus à domo sacerdotali, sanguinis quæstio remota esset: sicut Dauid quondam ... Abner exequias prouidit, atque ante ipsas fleuit, vt sanguinem fraudulenter effusum, à domo ac throno suo remoueret. Sed de his ipsi viderint. Nihil enim super his nostra interest, nisi cupere matri nostræ sanctæ Romanæ Ecclesiæ id, quod bonum, iustum & honestum est. Sanè de doctrina & nece Arnoldi idcircò inserere præsenti loco volui, ne vel de doctrinæ eius prauæ, quæ, & si zelo fortè bono, sed minori scientia prolata est, vel necis eius perperam actæ, videar præbere. *Hæc Gerhohus nimis clementer de Arnoldo, qui, si mitius obtinuisset, extremo supplicio addici potuisset, (potuit autem iure optimo) certe ob tot seditiones contra clerum excitatas, & ob tot cædes inter in tumultibus perpetratas, meritissime in furcam actus est Anno Redemptoris M. CLV.*

C *cineresq; eius in profluentem sparsi, ne cerebris vacantium vulgus, eos, Reliquiarum instar, veneraretur.*

Quid de VValdensibus scribat Abbas Vrspergensis in Chronico, Anno M. CC. XII.

CAPVT V.

VIde VValdensis sectæ versutiam, ne dicam, impudentiam. Eius Sectatores nonnulli Sedem quoque Apostolicam circumuenire, & in fraudem inducere tentarunt. Id vt intelligas, en tibi Vrspergensis verba.

Eo tempore, mundo iam senescente, exortæ sunt

D duæ religiones in Ecclesia, cuius, vt aquilæ, renouatur iuuentus, quæ etiam à sede Apostolica sunt confirmatæ; videlicet Minorum Fratrum, & Prædicatorum. Quæ fortè hac occasione sũt approbatæ, quia olim duæ in Italia exortæ, adhuc perdurãt: quorum alij † Humiliatos, alij paupes de Lugduno se nominabant. Quos Lucius Papa quondam inter hæreticos scribebat, eò quòd superstitiosa dogmata, & obseruationes in eis reperirentur. In occultis quoque prædicationibus, quas faciebant, plerumque in latibulis, Ecclesiæ Dei & sacerdotio derogabatur. Vidimus tunc temporis aliquos de numero eorum, qui dicebantur Pauperes de Lugduno, apud sedem Apostolicam cum magistro suo quodam, vt puto, Bernhardo, & hi petebant sectam suam à sede Apostolica confirmari, & priuilegiari. Sanè ipsi dicentes se gerere vitam Apostolorum, nihil volentes possidere, vt certum locum habere, circuibant per vicos

E & castella. Ast Dominus Papa quædam superstitiosa in conuersatione ipsorum eisdem obiecit, videlicet, quod calceos de super pedem præcidebant, & quasi nudis pedibus ambulabant. Præterea, cum portarent quasdam cappas, quasi religionis, capillos capitis non attondebant, nisi sicut Laici. Hoc quoque probrosum in eis videbatur, quod viri & mulieres simul ambulabant in via, & plerumque simul manebant in vna domo, & de eis diceretur, quod quandoque simul in lectulis accubabant. Quæ tamen omnia ipsi asserebant Ab Apostolis descendisse.

Cæterùm Dominus Papa in loco eorum exurgentes quosdam alios, qui se appellabant pauperes Minores, confirmauit: qui prædicta superstitiosa & probrosa respuebãt, sed præcisè nudis pedibus tam æstate, quàm

byeme

hyeme ambulabant,& neque pecuniam,nec quidquam aliud,præter victum,accipiebant; & si quando vestem necessariam quisquam ipsis sponte conferebat ; non enim quidquam petebant ab aliquo.

Hi tamen postea attendentes,quòd nonnunquam nimiæ humilitatis nomen gloriationem importet, & de nomine paupertatis,cum multi eam frustra sustineant, apud DEVM vanius inde gloriantur, maluerunt appellari minores Fratres,quàm minores pauperes, Apostolicæ sedi in omnibus obedientes. Alij, videlicet Prædicatores, in locum Humiliatorũ successisse creduntur. Humiliati quippe,nulla habita autoritate, aut licentia Prælatorum: mittentes falcem in messem alienam, populis prædicabant,& vitam eorum plerumque regere satagebant,& confessiones audire,& ministerijs sacerdotum derogare. Quæ volens corrigere Papa , Ordinem Prædicatorum instituit,& confirmauit. Illi quippe rudes & illiterati cum essent,operibus manuum insistabant , & prædicabant , accipientes necessaria à suis credentibus. Isti verò studio,& electioni sacræ Scripturæ iugiter insistentes,tantum in scribendo libros opus faciebant : & eos diligentissimè à Magistris suis audiebant,vt cum sagittis, & arcu, & omni armatura fortium possent ingredi,& stare pro defensione sanctæ matris Ecclesiæ. & ex aduerso ascendere,ponere se murum pro domo Israël,dum fidem roborãt,virtutes instruũt, statuta Ecclesiæ docent,& collaudant, vitia hominum & prauitates redarguunt , & castigant. Nihilominus sedi Apostolicæ in omnibus obediunt, à qua autoritatem præcipuam trahunt.

Hac V.spergensis , qua etiam recitat Ioannes Azorius Tom. I. Instit. Moralium lib. II. cap. 23. q. 7. Nec dubito clarissimos illos Ordines D. Francisci & D. Dominici, singulari Dei prouidentia oppositas fuisse cum alijs , tum pracipuè VValdensium sectis , in quibus refutandis , oppugnandis & exstirpandis duo illa Christiana Ecclesia lumina , tam per se, quam per posteros suos praclaram operam posuerunt. Et de Dominico quidem id abundè docet Auctor, qui eius res gestas litteris consignauit; qua enim pericula non adijt, quos labores non subijt, vt Albigenses ad sanam mentem reduceret ? Quo nomine S. Dominicus Haereticis nostri atatis per quam inuisus & exosus est, adeo vt eum conuicijs passim proscindant, & Carnificem Albigensium nominent.

Illyricus quoque in Catalogo Testium perquam nasutè subodoratus est, Deum & Satanam,sub idem tempus, eadem cõsilia instaurandi,confirmandique suum cœtum & religionem agitasse,nam ante quadringẽtos annos,à Cacodæmone,quatuor Apostolos,velut quatuor impietatis columnas, excitatos esse , qui Antichristum, eiusque abominationes egregiè cõfirmarint. Quatuor istos Apostolos fuisse Gratianum,Petrum Lombardũ, Franciscum & Dominicum: Apostolom autem Christi, Petrum VValdum & similes *errorum & factionum architectos. Quam Illyrici assertionem non vero non conuenire, omnis ille affirmabit, qui perpenderit , qua & quanta miracula per Dominicum, & Franciscum , eorumque discipulos, in ipsis etiam Haereticorum prouincijs, patrata sint, cum Petrus VValdus, eiusque tot , & in tot frusta diffiecti asseclæ, ne claudum quidem canem, sanauerint, mortuam ve muscam excitauerint.*

Ex posteris porrò S. Dominici egregia opera aduersus Hareticos nauata claruerunt Petrus Martyr in Italia, & Conradus de Marpurgo in Germania; vterque siue ab Haereticis, siue ab Haereticorum fautoribus , interfectus. Quamquam Godefridus in suis Annalibus, ad Annum M. CC. XXXIII. & hunc secutus Trithemius in Chronico Hirsaugiensi, Conrado Marpurgensi parum aquus est. Nec scio, quam probabile sit, quod Trithemius Anno M. CC. XVI. de eodem Conrado scripsit; illum , iudicio ferri candentis probare solitum eos, qui se Haereticos esse negarent : doctior, enim & pietati addictior erat Conradus, quam vt ad vulgarem hanc & à sacris Canonibus improbationem descenderet.

Bibl. Patr. Tom. 4. p. 3.

Quibus modis secta VValdensium nimium sese diffundenti obuiatum itum sit.

CAPVT VI.

HOc I. factum est assiduo studio & indefessa opera doctorum virorum, prasertim S. Dominici & Sodalium, qui concionibus, priuatis publicisque Colloquijs, miraculis, & librorum monumentis perniciosa huic secta viriliter restiterunt , & multos iam in nassam Haereticam pertractos, à prasenti pernicie salubriter eripuerunt.

II. *Inquisitionibus & disputationibus ; nam passim* , Episcoporum , *pracipuè summi Pontificis , auctoritate , instituti sunt Quasitores fidei , quibus ex officio id incumbebat , vt haereticos inuestigarent, eosque vel ad meliorem mentem reuocarent, vel in erroribus contumaciter persistentes debitis poenis afficerent: Ex quorum numero vnus idem fuit Reinerius iste, quem nunc in publicum exire iubemus. Duo illustria Inquisitionis & disputationum exempla habes apud Rogerum in Annalibus Anglicanis , ex quo eadem in Tomum XII. Annaliũ trãscripsit Illustrissimus Baronius Anno Christi MCLXXVI.* Pag. 331. *& MCLXXVIII. Duo Colloquia cum ijsdem instituta commemorat Plessaeus in* Mysterio Iniquitatis Caluinianæ; & 351. *VValdensibus vbique primas eruditionis tribuit ; cum omnium Historicorum temporis illius testimonio constet, plerosque fuisse indoctos, & idiotas, fabrosque mechanicos, hinc & Cathari à Gallis nominabãtur* Texerores, *vt testatur Ekbertus in libro suo contra Catharos, quia maximam partem erant opifices.*

Igitur quo candore Plessaeus VValdensibus eruditionis laudem tribuit, eodem eandem largiri posset hodiernis Anabaptistis; VValdensium propemodum gemellis. Certè pracipui inter Albigenses, qui anno M. CLXXVI. & M. CLXXVIII. caussam suam Tolosa dicere debuerunt , Latina lingua rudes & imperiti erant, teste Rogero , in Annalibus Anglicanis, ipsi forte Plessaeus inter Doctores illos numerandos censet , de quibus Illyricus in Catalogo, ex quodam, vt ait, libello Inquisitorio peruetere. Anno Domini M. CCC. XCI. die quarto mensis Septembris infra scripti sunt errores pro nunc sectæ VValdensium. Primò, Nicolaus de Polonia, Ioannes de Polonia filius cuiusdã Rustici, Conradus de Saxonia de Villa dicta Dubun prope Venslenburg, filius cuiusdam rustici, VValicus de Hardex , ex artificio Sutor , Conradus de Gamondia Suenus, filius cuiusdam Rostici; Simon de Salig Vngarus ex artificio Sartor , Hermanus de Mistelgen Bauarus , ex artificio faber, Ioannes de Drenna Bauarus ex artificio faber. Prædicti nominantur inter eos Apostoli, Magistri, Angeli,& fratres,&c. *Si* Apostoli, Magistri *&* Angeli *horum VValdensium fuerunt ex rudium opificum tribu & cœtu, quid de discipulis & auditoribus talium* Apostolorũ, Magistrorum, *&* Angelorum *existimandum erit?*

III. *Concilijs, potissimum Concilio Lateranensi sub Alexandro III. Anno salutis M. CLXXX. Et alio Lateranensi sub Innocentio* III. *Anno Christi M. CC. XV.*

IIII. *Constitutionibus Pontificum, ex quibus extra , de Haereticis, dua Capitula , nempe XIII. & XV. properè in istos haereticos diriguntur.*

V. *Pradicatione Crucis, & armata manu ; Immedicabile enim malum ense recidendum erat. Id factum Innocentio III. summum Pontificatum tenente, Anno Christi M. CCX. vt est apud Godefridum in Annalibus. Et exstat hodieque in Concilio Lateranensi, & in Decretalibus tit. de Haereticis forma Indulgentiarum, quas aduersus Albigenses seu VValdenses dimicaturis Pontifex impertiit.* Catholici , *inquit Pontifex*, qui Crucis assumpto charactere , ad hæreticorũ exterminium se accinxerint, illa gaudeant Indulgentia, illoque sancto priuilegio sint muniti , quod accedentibus in terræ sanctæ subsidium conceduntur.

Nec defuit Deus Defensoribus ac propugnatoribus Ec-

clesiæ suæ: quum enim illustres victorias à perfida gente retulerint, docebunt te cum alij scriptores, tum Rigordus de Gestis Philippi Augusti Francorum Regis, tum Guillermus Brito lib. 8. de Philippidos, & Chronicon Monachi Altissiodorensis, qui sectam Albigensium titulo Bulgarorum *insignire solet.* Per idem tempus, *inquit,* Bulgarorum Hæresis execranda, errorum omnium fex extrema, multis serpebat in locis tanto nocentius, quanto latentius. *Bulgari scilicet eum ob caussam dicebantur, quod in Bulgariam quoque penetrassent, & inde fictitium* Papam *accepissent, vt supra ex Matthæo Parisino audiuimus. De Hæreticis istis multa lectu & notatu digna inuenies apud Cæsarium temporis illius scriptorem lib. 5. cap. 21. & seqq.*

Porro legibus nemo acrius VValdensium sectas insectatus & detestatus est, quam Fridericus II. Imper. Ex *quibus sanctio de statutis & consuetudinibus contra libertatem Ecclesiæ editis, in Corpus Iuris ciuilis relata est, in qua,*

I. Gazaros, Patarenos, Leonistas, Speronistas, Arnaldistas, Circumcisos, & omnes Hæreticos vtriusque sexus, quocunque nomine censeantur, *perpetua damnat infamia.*

II. Diffidat. *Est autem diffidare nihil aliud, quam hostem publicum declarare.*

III. Bannit, *quod Germani dicunt; Er thut ihn in den Bann, oder in die Acht.*

III. *Præcipit, vt bona* eorum confiscentur. Nec ad eos vlterius reuertantur.

V. Vt filij ad eorum successionem non possint peruenire.

VI. *In Constitutione, quæ est cap. 25. lib. 1. Epist. Petri de Vineis statuit idem Imperator,* vt hæretici cuiusque nominis, vbicunque per imperium ab Ecclesia, *hoc est, à Iudice Ecclesiastico,* damnati fuerint, & seculari Iudici assignati. *hoc est, brachio sæculari traditi,* debita animaduersione, *hoc est, mortis supplicio,* puniantur.

VII. *Vt si qui de Hæreticis* postquàm deprehensi, territi metu mortis redire voluerint ad fidei vnitatem, iuxta Canonicas sanctiones, ad agendam pœnitentiam in perpetuum carcerem detrudantur.

VIII. *Decernit cap. 26. vt crimen Hæreseos* inter publica crimina *numeretur.*

IX. Vt horribilius æstimetur, quam crimen læsæ Maiestatis Imperatoriæ.

X. *Easdem illis pœnas statuit, quæ in* perduellionis reos *iam olim sancitæ sunt.*

XI. Vt si in erroris concepta instantia perseuerent, viui, in conspectu hominum, comburantur.

XII. *In cap. 27. Patarenos, Speronistas, & alios quoscunque hæreticos* perpetua infamia *innuit.*

XIII. *Iubet, vt suspecti de hæresi,* nisi ad mandatum Ecclesiæ, iuxta considerationem suspicionis, ac qualitatem personæ, propriam innocentiam, congrua purgatione probauerint, tanquam infames, & banniti ab omnibus habeantur, ita, vt si sic per annum manserint, damnatis hæreticis accenseri debeant. *Quod etiam habetur in cap.* Excommunicamus 13, *extr. de Hæretic.*

XIV. Credentes *præterea,* receptatores, defensores & fautores Hæreticorum *banno subijcit, statuens, vt si postquam quilibet talium fuerit ab Ecclesia excommunicatione notatus, satisfacere contempserit intra annum,* ex tunc ipso iure sit factus infamis.

XV. *Ita vt* ad publica officia seu consilia *admitti nequeat.*

XVI. Nec ad eligendum aliquos ad huiusmodi officia vel consilia.

XVII. Nec ad dicendum testimonium.

XVIII. Nec testandi liberam habeat facultatem.

XIX. Nec in vlla hæreditate succedat.

XX. *Vt nullus ei teneatur* respondere super quocunque negotio, sed ipse alijs respondere cogatur.

XXI. Si iudex fuerit, vt eius sententia nullam habeat firmitatem.

XXII. Nec caussæ ad eius audientiam perferantur.

A XXIII. Si aduocatus, eius patrocinium nullatenus admittatur.

XXIV. Si tabellio, instrumenta per eum confecta, nullius penitus sit momenti.

XXV. *Omne insuper* proclamationis & appellationis *beneficium Hæreticis, receptatoribus, & fautoribus eorundem penitus adimit.*

XXVI. *Hæreticorum, Receptatorum, fautorum & aduocatorum hæredes ac posteros,* vsque ad secundam progeniem cunctis beneficijs temporalibus, publicisque officijs & honoribus priuat.

B XXVII. Statuit, vt potestates, consules, seu rectores, quibuscunque fungantur officijs, pro defensione fidei præstent publicè iuramentum, quod de terris suæ iurisdictioni subiectis vniuersos hæreticos ab Ecclesia denotatos, bona fide pro viribus exterminare studebunt: ita quodammodo, quandocunque fuerit quis in potestatem siue perpetuam, vel temporalem assumptus, hoc teneatur Capitulum iuramento firmare; alioqui nec pro potestatibus, nec pro consulibus habeantur, & eorum sententias irritas ex tunc decernimus, & inanes.

XXVIII. Si Dominus temporalis requisitus & admonitus ab Ecclesia, terram suam purgare neglexerit ab hæretica prauitate; post annum à tempore admonitionis elapso, terram illius ipsis exponimus Catholicis occu-

C pandam, qui eam, exterminatis hæreticis, absque vlla contradictione possideant, & in fidei pietate conseruent, saluo iure Domini principalis: dummodo super hoc nullum obstaculum, nec aliquod aliud impedimentum apponat, eadem nihilominus lege seruatá contra eos, qui non habent Dominos principales.

XXIX. Quicunque Heretici reperti fuerint in ciuitatibus, oppidis, seu locis Imperij, per Inquisitores aliquos, ab Apostolica sede datos, & alios Catholicæ fidei zelatores, ij, qui Iurisdictionem ibidem habuerint, ad Inquisitorum, & aliorum Catholicorum virorum insinuationem eos capere teneantur, & eos captos arctius custodire, donec per censuram Ecclesiasticam damnatos, damnabili morte perimant, qui fidei Sacramenta, & gloriam æternæ vitæ damnabant.

XXX. *Inquisitores de Ordinibus Prædicatorum & Minorum contra eosdem Hæreticos instituit.*

D XXXI. *Eosdem Præfectis & Magistratibus sedulò commendauit.* Vniuersitati vestræ mandamus, *inquit Imperator,* quatenus quocunque & ad quemcunque vestrum peruenerint, benignè recipiatis eosdem, & personas eorum ab incursu hæreticorum eis insidiantium conseruantes indemnes, omne consilium, ducatum, & auxilium impendatis, pro acceptis coram Deo negotiis exequendis. Hæreticos verò, quos vobis ostenderint, ipsi in iurisdictione vestra singuli capientes, diligenti custodia detinere, vt post Ecclesiasticæ damnationis iudicium, pœnam subeant, quam merentur: scituri, quod in ipsius executione negotii, gratum Deo, & laudabile nobis exequium confertis, si ad expellendam de partibus nostri Imperii nouam & insolitam hæreticæ prauitatis infamiam, opem & operam, vna cum eisdem Fratribus præstiteritis efficacem: Et si quis exinde foret negligens,

E vel remissus, ac inutilis, coram Deo, & in conspectu nostro poterit meritò culpabilis apparere.

XXXII. *Denique illud etiam statuit, vt si qui simulatè abiurassent hæresim; deprehensi & hæreseos & hypocriseos suæ capitalem pœnam subirent.*

Omnes istæ pœnæ aduersus hæreticos exstant in quatuor Constitutionibus Friderici, quarum tres reperiuntur ad calcem libri primi Epistolarum Petri de Vineis: Quarta ad finem librorum de Feudis. Quam Honorius quoque Pontifex approbauit. Ex quibus manifestus fit zelus Friderici contra sectarios, eo saltem tempore, quo istas Constitutiones promulgauit.

CAPVT

CAPVT. VII.

Vtrum Lutherani & Calviniani sint Fratrum VValdensium fratres.

AFfirmat Petrus VVesenbeccius Iureconsultus in Oratione de VValdensibus & Albigensibus excusa Seruestæ Anno M.D.C.III. Amandus Polanus in Disputatione sua de Confessione Auriculari, & alij passim, qui VValdenses vocant Fratres, non tantum quod ipsi VValdenses inter se Fratres vocentur, sed quia illos etiam pro suis fratribus habent.

Verum, si hoc ita est, caussæ nihil habemus, cur illis hos tam pulchros & formosos fratres inuideamus; quos Ius tam Canonicum, quam Ciuile detestatur, quos Fridericus II. Imperator seuerissimis legibus viuos comburi addixit: quos vt humani generis pestes, in omnibus angulis indagari, repertosque exterminari iussit. Quos omnes superiorum temporum Historici, & Scriptores, qui ex professo VValdensium dogmata refellenda susceperunt, ita depingunt, vt nullus, cui cor sapit, eos in fratrum suorum numerum cooptare possit. Nam quod VVesenbeccius, Illyricus, Plessæus, & similes vociferantur, talia dogmata VValdensibus à Cucullatis afficta fuisse; absit, vt fidem inueniant. Quis enim credat, Fridericum Imperatorem, tot Pontifices, aliquot Synodos, tot fidei Quæsitores, tot viros doctos, eminus & comminus cum VValdensibus congressos, tot Historicos, & Annalium scriptores, doctrinam VValdensium ignorasse, aut eis quidquam per fraudem & imposturam affinxisse? Tametsi non imus inficias, VValdenses, eorumque multiplicē progeniem, fecisse id, quod nostri Nouatores hodie factitant; nempe, horribiliora sua placita in meliora subinde mutasse; vel etiam id, quod corde abditum tenebant; quamuis plenum impietatis absurditatis, ore negasse: licet animus abesset tantum, quantum falsum à vero, dissideret.

Præterea, non video, quam prudenter Lutherani & Caluiniani VValdensium fraternitate glorientur: cum, si fratres sint, eo ipso in communionem omnium pœnarum veniant, quas Friderico Imp. leges VValdensibus constituerunt, præsertim cum Fridericus suis Constitutionibus, non tantum VValdenses, sed cuiuscunque alterius sortis & nominis hæreticos complectatur, licet VValdensibus fraternitate non iungantur. Quanto magis igitur, vnanimes VValdensium fratres, pœnis ijs fortius obnoxios esse volet? nam hic locum habet axioma illud Topicum. Quod in vno similium valet, valet in cæteris.

Adhæc, si VValdenses sunt Lutheranorum fratres, non erunt ergo fratres Caluinistarum; aut si sunt fratres Caluinistarū, non erunt fratres Lutheristarū, quia si VValdenses essent fratres Caluinistarum & Lutheristarū, tum Caluinistæ etiam & Lutheristæ essent fratres inter se, iuxta illud omnium Philosophorum tritissimum pronunciatum. Quæ sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se. *At Lutheristæ & Caluinistæ non sunt fratres, id cum aliunde, tum ex Colloquio Mompelgartensi liquet, sub cuius finem cum Beza à Smidelino & sociis peteret, vt se & suos symmystas* pro fratribus agnoscerent, & dextras fraternitatis porrigerent; *respondit Smidelinus*; Vt illis dexteram fraternitatis præbeant, non ignorare illos quam horribilium errorum, & teterrimarum hæreseon in suis scriptis coram Ecclesia ipsos reos egerint; ideoque se mirari, quomodo eos pro fratribus agnoscere possint aut velint, aut eorum fraternitatem expetant, si pro talibus agnoscant, qui damnatas hæreses ab Orco reuocent, & Ecclesiæ Dei obtrudant. Contra verò, in quibus, & quam teterrimis erroribus ipsi versentur, hac collatione eis demonstratum esse: in quibus, cum adhuc perseuerent, ipso intelligere, quod eos pro fratribus agnoscere non possint, se tamen haud grauatim dexteras humanitatis porrecturos. *Ad quæ Beza.* Quia dextras fraternitatis nobis porrigere recusatis; & nos pro fratribus agnoscere non vultis; amicitiæ dexteras etiam nolo. *Cum ergo Lutheristæ non sint fratres Caluinistarum, fieri non potest, vt si ipsi sunt* VV*aldensium fratres, eorundem sint quoque Caluinistæ fratres, aut si Caluinistæ sunt VValdensium fratres, necesse est, vt ab hac fraternitate Lutheristæ excludantur.*

Bibl. Patr. tom. 4. p. 3.

Accedit, mirum videri posse quomodo Lutheristæ VValdēses in fratrum loco & numero habeant, cum Lutherus neque horridos illos, & tot errorū formis prodigiosos, neque politiores illos in Bohemia fraternitate sua dignari voluerint: imò in Disputatione Lipsica, vix quidquam magis seriò & efficaciter à se amoliri studuit, quam suspicionem, quod quidquā commune, nedum eius fraternitates, cum VValdensibus habeat. Ita enim in publico auditorio professus est. Quod me egregius D. Doctor (*Eckius*) insimulat Bohemicæ factionis (*in qua & VValdenses*) studiosum, & planè patronum, parcat ei Dominos, præsertim in tanta corona tantorū virorum. Nunquam mihi placuit, nec in æternum placabit quodcunque schisma. Iniquè faciunt Bohemi, (*ergo & VValdenses Bohemici*) quòd se auctoritate propria separant à nostra vnitate. *Postea in sessionis illius subiungitur.* D. Martinus petiit Eckium, ne velit impingere tantam contumeliam, vt eum Bohemū faceret, quia sibi sēper inuisi fuissent, ideò quod ab vnitate dissentiāt.

Hæc Lutherus Anno XIX. in Disputatione Lipsica. Vbi sanè nihil fraternitatis inter Lutherum & VValdenses apparet. Cur ergo Lutheri posteri volunt esse fratres eorū, quorum vel nomen, vel patrocinium sibi impingi Lutherus indignissime tulit? Quos etiam in explicatione primi Præcepti Tom. 1. Lat. VViteb. sub nomine Picardorum *per quam humaniter & beneuolenter petiit in hūc modum.* Ne Pighardi Hæretici infelices, suas partes à me adiutas cōfidant, qui præ nimia ruditate nobis Theutonicis (superbissimo fastidio indignati) imponūt, quòd sanctos Dei colamus, & idola faciamus, &c. Ita Rustice illi (*VValdenses*) nos tandem docent, quòd solus Deus sit adorandus, & Propter horum (*VValdensium*) rudissimam & insulsissimam rusticitatem, dico ego, &cæt. *Ecce tibi quales fratres Lutherus & VValdenses.*

Eadem fraterni amoris signa eluceiut ex Resolutionibus Lutheri, Conclus. XV. Tom. 1. Lat. VViteb. Quæ ideo dico, *inquit Lutherus*, ne Pighardus (*VValdensis*) Hæreticus in me sibi videatur obtinuisse, Purgatorium non esse, &c. Quod si etiam tempore Apostolorū non fuisset Purgatoriū (vt superbit fastidiosus Pighardus) nunquid ideo credendum est hæretico vix quinquaginta annos nuper nato? *Hic iterum perspicuè videtis Luthero & VValdensibus, quos etiam* Picardos *appellitant, nullam fraternitatem fuisse.*

At ociuit VVesenbecius. Lutherum habito colloquio, & placidè collatis sententiis, VValdenses pro fratribus agnouisse, & peramanter complexum esse, & honorificè de Ecclesiis, totāque eorū doctrina sensisse, & hoc, præter litteras ad ipsos scriptas, testari Præfationē libello seu Confessioni VValdensium præfixam. *Quod VValdenses, quosdā ex suo grege ablegarunt* VV*itebergam ad Lutheri tripodē, discimus ex principio libri de Adoratione Eucharistiæ, quem Lutherus Anno M.DXXIII. ad* VValdenses *scripsit. Priore Anno M.* DXXII. *Epistolam dederat vniuersim ad Bohemos Pragæ in Comitijs congregatos. Sed nihil mea de Fraternitate vel generatim cum Bohemis, vel speciatim cum* VV*aldensibus enisto, quia hoc tantū agit, vt Bohemis persuadeat, ne tanta sectarum in Regno illo grassantium diuersitate & multitudine offensi, ad Romanam Ecclesiam reuertantur; quod nascenti Lutheranismo certè cēsi egisset, gulamque elisisset. Neque enim Saxones, & alij à Catholica religione, perfidi Apostatæ impulsu, defecissent, si eodem tempore Regnum illud, tam opulentum & amplum, eo, vnde exciderat, redijsset.* Tom. 2. Ien. Germ.

Anno Redemptoris DXXIII, vulgauit Lutherus libellum de adoratione Corporis & sanguinis Christi ad fratres, cognomento VValdenses, in Bohemia & Morauia: *vbi in ipso statim limine miratur, quòd* VV*aldenses in suo quodam Opusculo Germanicè & Bohemicè publicato, affirment,* Christum non esse substātialiter & naturaliter in Sacramento, neque ibi adorari debere; *miratur, inquam, Lutherus hoc affirmari in illo libello, cū tamen legati ad se missi, contrariū asseruerint. Et quāuis idē libellus latinè redditus,*

post aad Lutheri manes peruenerit, filia tamen negat in hoc articulo de præsentia Corporis Christi in Sacramento satisfactum esse. Et tantum abest, vt Lutherus eunc fratres istoc VValdenses in fratrum suorum numerum asciuerit, vt sub finem sui libelli, præter dissensionem circa mysterium Eucharistiæ, quatuor alia capita, iudicio suo, à vero aberrantia VValdensibus obiecerit, & vt ea commelius commutarent, hortatus fuerit, inter quæ postremum illud, quod VValdenses nullum vxoratum Ecclesiæ ministrum ferebant. Omnibus enim vel cælebs vita complectenda, vel ministerium Ecclesiasticum deserendum erat. Quod vel solum & vnicum obstare poterat, quo minus Lutherus, tantus mulierum amator, fraternitatem cum VValdensibus contraheret; etsi fortè illam non abhorruisset, quam Germani vocant Potatoriam, Bechbruderschafft.

Decennio post, nimirum, Anno M. DXXXIII. publicauit Lutherus Confessionem VValdensium, addita præfatione sua: in qua aperte indicat, se in Confessione illa acquiescere non posse. Cur ergo illam edidit, ipsensa bederat? Duas ob caussas, quarum altera est, vt Pontificijs ægrè faceret, cum VValdenses Lutheri præconijs sonorisque titulis longè supra se extollis cernunt. Altera est, vt VValdensibus palpum obtruderet, eosque in suum rete pelliceret. Quid enim Lutherano Euangelio honorificentius accidere potuisset, quam si Bohemicorum & Morauicorum VValdensium seu Picarditarum accessione auctum fuisset? Neque in hac præfatione quidquam reperitur, ex quo eluceat, Lutherum tunc VValdenses, fratrum in numero habere voluisse. Et vt maximè voluisset, fortè noluissent VValdenses, præsertim propius cognito fastuosissimo Lutheri supercilio.

Ad VVesenbecium regredior, qui dicit, Lutherum honorificè de Ecclesiis, totaque doctrina VValdensium sensisse. Videamus num vera caeat Leguleius iste. In Colloquijs Mensalibus seu Symposiacis Lutheri coniiciuntur VValdenses in titulum, von Schvvermern vnd Rotten vvider D. Luther. Honorificam sanè existimationem de VValdensibus eum habere oportet, qui VValdenses fanaticis, Phantasticis, & vt Lutheri verbo vtar, Schvvermeris accenset.

Dixerit fortè quis, id non factum à Luthero, sed à Colloquiorum illorum Rhapsodo, Aurifabro. Sit ita. Colloquia tamen, quæ illic recensentur, ex Lutheri ore profluxisse, ne mo abnuet, nisi qui totum Colloquiorum opus euertere voluerit. Quid ergo in illis confabulationibus de VValdensium doctrina sermocinatus est Lutherus? I. Articulum de Iustificatione puram non habent. Sie bekennen vvol, dasz der Mensch ausz Gnaden, vnnd durch den Glauben selig vverde, sie verstehens aber, dasz der Glaub sey im Hertzen ein qualitas, vnd Ding, das regiere, geben dem Glauben an Christum allein nicht die Seligkeit, deuten den Glauben vnn Gnade anderst, denn vvir, vnd geben die Gerechtigkeit so fur Gott gilt, zugleich, vnd miteinander dem Glauben vnn Mercken. Denn sie sagen, der Glaub ohne Merck ist todt, vvelches vvol recht ist, vvenn diser Spruch allein auff die Predigt desz Gesetzes, vnd den eusserlichen Mandel gerichtet vvirdt, nach den zehen Gebotten. Da er aber in Artickel Rechtfertigung gesagt vvirdt, vnd vom selbigen verstanden, so ist er vnrecht ja stracks vvider Gott, vnd die heilige Schrifft. II. Del Maldenser vvissen nicht den Glauben von den Mercken zu vnderscheiden, vnd einem jeglichen sein Ort zugeben, &c. das vvort Formata, (quia VValdenses requirebant fidem formatam) ist ein gifftig Mort in der Beschreibung desz Glaubens, &c.

Paulò post comparet iste titulus. Der Maldenser Irrthumb. Mox subditur. Die Maldenser jrren, erstlich, denn sie halten dasz der Glaub ohn Merck nit gerecht vnd selig mach, sonder der durch die Liebe reformirt ist, von der zugerechnetem Gerechtigkeit (De iustitia imputatiua) vvissen sie nichs. Zum andern vvissen sie nichts von krafft desz Morts. Hoccine est honorificè de doctrina VValdensium sentire? Quid amplius?

VValdenses mirabiles habent opiniones de Sacramento Altaris, quas ipsimet non intelligunt. Quo vero dicto duo facit Lutherus; nam & VVesenbecium vanitatis, & se mendacij coarguit, qeando ita scripsit Tom. 2. Lat. Epist. ad Nicolaum Hausmanum Anno M. D.XXIII. De Pighardis, hoc est, VValdensibus, iam non malè sentio, eudite eorum, præsentibus ipsis, fide, circa Sacramentum eucharistiæ. Quid autem sentiant de Eucharistia, exponit Lutherus in alia ad eundem Hausmannum Epistola. Pighardi sic de Sacramento sentiunt, quod Christus sub pane non sit corporaliter, quomodo aliqui dicunt, se vidisse ibi sanguinem, & puerulum, &c. sed spiritualiter, seu sacramentaliter, hoc est, qui panem accipit visibiliter, verè accipit naturaliter eius sanguinem, qui à dextris Patris sedet, sed inuisibiliter. Vltra hoc non possum eos damnare, deinde quod non adorant, ad idem referunt, quod non sit ibi visibiliter, vt visiones habent, sed inuisibiliter, hoc est, ad dexteram Patris. Scripsit hæc Lutherus Anno 1523. Et tamen ille ipso anno refutauit sententiam VValdensium de Eucharistia, in libello de adoratione Sacramenti. En quam constanter sibique consentaneè scribat & loquatur Lutherus de VValdensibus fratribus suis & Lutheranorum.

Pag. 335.

Pag. 168.

Quærit VVesenbecius, vndenam VValdensibus Picardorum seu Picarditarum nomen? Sunt, inquit, qui Picardiam Galliæ Prouinciam ipsis id nominis conciliasse putent. Alij Begardum quendam nominant, & sectarios eius Begardos, quos vulgus postea, corrupto vocabulo, Picardos dixerit. Forsan probabilius coniectaueris, si dicas, sic appellatos à Picario, id est, Poculo domestico (von dem Becher) in quo VValdenses suam Eucharistiam conficiebant; teste Reinero, & post Reinerum, Illyrico. Sed hoc intra coniecturæ limites consistere volumus.

Denique VValdenses sunt, & fuerunt Sacramentarij. Quomodo ergo fratres Lutheri & Lutheranorum? Non certè magis, quàm Zvvinglius & Oecolampadius. VValdenses ad Sacramentariorum castra pertinere, testes do duos Lutheranos, alterum Senatorem quendam Norimbergensem, VVilibaldum Pyrckheimerum; Alterum, Lutheranum Superintendentem, Conradum Schlusselburgium, quorum ille ita scribit in libro de carne & sanguine Christi contra Oecolampadium, (quam fraternæ amicitiæ caussa in Epistola ad Eleutherium idem Pirkheimerus nominat Cœcolampadium, & Kacolampadium) Pighardi ac VValdenses hanc (hæresin Sacramentariam) & mordicus quidem tenent, quemadmodum ex Confessione illorum, quæ impressa circumfertur, clarè percipi potest. Quæ tu (Oecolampadium seu Cæcolampadium affatur) iterum innouare conaris, quibusdam circumstantiis modi, temporis, loci, & reliquis præstigiis exornere, non secus ac si quis cantherium quendam vetulum, claudum & edentulum pretiosis exornaret phaleris.

Schlusselburgius lib. 3. Catalogi sui istud scriptum reliquit. Anno MCLX. VValdenses Lugduni in Galliæ errorem Sacramentarium disseminarunt. VValdenses verò Sacramentaria hæresi infectos esse, patet ex eorum Confessione, quam Anno M.D.VI. VValdensium Regi Vladislao exhibuerunt, in ea enim affirmant & concludunt, quod Christus ante nouissimum diem naturali suo corpore præsens in terris esse haudquaquam possit, sed certo loco ad dexteram Dei resideat; itaque panem alia ratione, non esse corpus Christi, quàm qualoannes est, & dicitur Helias, &c. Hos VValdenses Caluiniani pro fratribus suis habent, vt testatur Beza in libello suo iconico, in quo maximè sociorum suorum viuas imagines expressit.

Cum ergo VValdenses fuerint que Sacramentarij, haud appellari poterunt Lutherani & Lutheranorum fratres. Quæ concordia Christo cum Belial? inquit Lutherus in libro de verbis Cœnæ. Si Christiana cum illis (Sacramentariis) ineunda est concordia (& fraternitas) & mutua fouenda dilectio, omnino necesse est, vt eorum doctrinam quoque amplectamur, & opera ipsorum approbemus, aut ad minimum conniueemus, & perferamus. Verum id faciat, qui velit. Ego me oego facturum, &c. Quo ad spiritum, eos vsque ad extremum halitum deuitabimus, arguemus, & damnabimus pro idololatris, verbi Dei corruptoribus, blasphemis & deceptoribus, &c. In blasphemias eorum consentire, tacere, aut approbare neque volumus, neque

que debemus. *Hæc Lutherus.*

Porro iisdem ferme argumentis, quibus probauimus VValdenses non esse fratres Lutheristarum, probari eodem potest, eosdem non esse fratres Caluinistarum, nisi in dilectissimorum nullum prorsus discrimen habere velint. Haud diffiteor tamen, non modo VValdenses, sed & generatim omnes Hæreticos, dici posse fratres Martinistarum & Caluinistarum, *si eos ad primum omnium Hæreticorum progenitorem reuocemus, ad illum videlicet, qui ab initio mendax fuit, & in veritate non stetit.* *Nec VValdenses cum Lutheranis & Caluinistis concordabis, aut ad fraternitatem redigere, licet eam transigere velis ex illa Confessione, quam VValdenses miserunt in Hungariam ad Vladislaum Regem, aut ex Oratione excusatoria eorundem ad eundem Regem; aut ex scripto Apologetico contra Doctorem quendam nomine Augustinum: quia licet omnia hæc subdolè, versutè & prorsus vulpinè composita sint, ita vt in quamuis neque partem trahi queant; VValdensium tamen sensus nonnullis in locis adeò clarè emicat, vt Confessionis illis VValdensium & Orationi Excusatoriæ nullus Caluinicola, aut Lutheristæ, qua, memor suæ doctrinæ, vnquam publicè & authenticè subscripturus sit. Quomodo enim digeret illud* (*vt vnum è multis nominem*) septem esse Sacramenta: *quæ, licet VValdenses ita explicent, vt potius dici debeant non Sacramenta, quàm Sacramenta; nihilominus, etiam cum VValdensium sensu & explicatione, hæc assertio à Lutheristis & Caluinistis repudiabitur. Quapropter Lutherus quoque in libello* de adoratione Eucharistiæ *temperare sibi non potuit, quo minus hanc de septenario Sacramentorum numero assertionem obelo confodiret.*

Itaque mirum artificem eum esse oportebit, qui Caluinistas, Lutheristas, & VValdenses vno fraternitatis iugo copulauerit. Tentauit hoc non ita pridem, hoc est, Anno 1609. quidam Adamus Zaluzanius edita Oratione, cui titulum fecit. Harmonia Confessionum Orthodoxarum Ecclesiarum Regni Bohemiæ ab integra Cœna sacra dictæ & fratrum, *Cui Orationi maxima inuersa arrogabitur, vbi inter stultissima huius æui monumenta reponatur; quæ funiculum ex arena nobis nectit, hoc est, nec cohærentia, neque vnquam cohæsura, vnire nititur. Omnes enim illos, qui sub vtraque specie communicant, Hussitas, Caluinistas, Lutheristas, (cur non & Anabaptistas, Schvvenckfeldianos, & id genus alios?) Et quia Fratres, hoc est, VValdenses, huius vnionis videbantur incapaces, iste per suum* Henoticum *hos etiam reliquis quam bellissime agglutinat, & inde suauissimam Harmoniam conficit, quæ nunc modulis suis totius Bohemiæ aures quam iucundissimè demulcet. Iam Lutheranus Bohemus Hussitam; iam hic illum, iam Caluinista Lutheranum & Hussitam, cuncti;* Fratres, *fratresque iterum illos, vt fratres, sunt, vt* vnum in Domino *amplectuntur & deosculantur, ita vt* Vnitoris *seu* Harmostæ *vestigia siquis si quis velit, eadem facilitate & felicitate Iudæos, Turcas, & Tartaros in concordiam, dulcemque consensionem redigeret.*

Quàm sibi plaudet ob hanc Harmoniam Zaluzanianam *Matthias Hoë antea Plauensis in Saxonia Superattendens; nunc Pragæ primatum tenens & amans Diotrephes. Illud merito Cordolium bono Præconi creare potest, quod nuper quidam nouissima nota exstitit, qui eò, vt Vbiquetario, missa Regia Pragæ litem mouere ausus fuit, non obstante Harmonia integrà Cœnatium; idque non priuatim, sed publicè vulgata libro, cui titulum, in qua laudes huius Logoduli stridulis sibilis demodulatur.*

An nosti, ô *Præco*, Caluinianum Ioannem Bergman *à* Berge? *An non vidisti librum eius Pragæ impressum Anno* 1611. *cui titulum fecit;* Processus Retorsionis probation vnd cõclusion Schrifft contra Matthiam Hoë, Stentorem Vbiquetarium, omnipræsentiarium, &c. *An non affirmat, te Pragæ* manum porrigere Nestorio, Ario, Marcioni, Eutycheti, Samosateno, Pelagio, & id genus aliis; disertè contra Confessionem ab Imperatoria & Regia Maiestate tribus Bohemici Regni Euangelicis statibus concessam? *An non vocat te* ein Lecker, ein Auffruhrer: *vt tamen Pragæ pacificus Ecclesiastes, vnd Euangelicæ Ecclesiæ Germanorum* Director *audire & salutari velis? An non te appellat,* Hæreticum Multipræsentiarium, Omnipotentiarium, & Omnipræsentiarium? *An non te tandem hunc in modum affatur?* Lieber bruder *Hoe*, bevveisz, bistu ein redlicher *Doctor*, mit einer *litter* Gottlicher heiliger Schrifft, das Christi Fleisch allenthalben sei, hastu kein Schrifft, solstu dich dein lebenlang schemen, vnd ein boser Ketzer bleiben,

En tibi, ô Adame Zaluzani, pulchram harmoniam, *quæ sibi mutuo concinunt Euangelici fratres integra Cœna in Bohemia vtentes; quorum tu dulcissimam Symphoniam & bellissimam Symmetriam tantis laudibus extollis. Væ capiti Prædicantis huius, si aliquando insi. unito suo ore irritauerit, fermentis tecum aliquem Hussitam, aut Picarditam seu VValdensem. At valeant, vt merentur tam fratres VValdenses, quam fratres VValdensium, nullo excepto, vna cum discordi sua concordia, & dissona consonantia.*

CAPVT VIII.

Vitam in Galliis VValdenses vsque ad nostram ætatem durauerint.

AFfirmat *Schleidanus lib. 16. suæ Historiæ, & ex hoc Illyricus in Catalogo, & ex vtroque VVesenbeccius, qui dicendi tam inops fuit, vt nisi duos istos expilasset; præsens periculum ei imminuerit, ne obmutescere cogeretur. Ergo quæ Schleidanus verbose partim fabulatus, partim mentitus fuerat de persecutione aduersus VValdenses, veterum VValdensium reliquias, sub Francisco I. Galliarum Rege, Anno M. DXLV. ea sedulò suam in orationem VVesenbeccius intulit, non sine exaggeratione tantæ scilicet crudelitatis exercitæ in VValdenses, in ipsis antiquorum VValdensium sedibus commorantes.*

At credibilius est non fuisse VValdenses: sed Lutheranos vel Caluini Farellique spiritu ex Geneua afflatos: id vt si specter, facti sunt ipsi, quos antea nominaui, sectarij, meamque suspicionem non esse vanam, satis elucescit ex illis, quæ vir doctissimus Florimundus Remundus in Historia de Origine, progressu & interitu hæreseos lib. 7. cap. 3. & multis seqq. scripta reliquit. Fuerint verò VValdenses, (quandoquidem in Bohemia quoque satis diu durarunt, neque ad hæc vsque tempora exstirpari potuerunt,) an idem Regi Christianissimo in illos non licuit, quod à suis Antecessoribus, Catholicæ fidei amantissimis Regibus, aduersus perfidos istos factitatum vidit? An Hæreticos conniuentia sua fouere & protegere debebat? Ita quidem sentiunt Schleidanus, Illyricus; verum non tam Deò quam suam causam agunt; quia illis nihil optatius accidere potuisset, quam si Zizanijs crescendi spatium concessum fuisset, donec bonam segetem penitus oppressissent.

Illud mihi ridiculum videtur, quod Plessæus in suo Mysterio *dictitat;* Puritatem & simplicitatem doctrinæ Christianæ in plerisque montibus & conuallibus Allobrogum, Prouinciæ, Galliæ Narbonensis, & Aquitaniæ, illibatam conseruatam esse. *Nonnemo suspicari posset, Plessæo eandem de Deo esse existimationem, quæ erat Syris illis* 3. Reg. 20. Dij montium sunt Dij eorum (*Israelitarum*), ideo superauerunt nos, sed melius est, vt pugnemus contra eos in campestribus, & obtinebimus eos. *Ita ferme Plessæus Deum facit* Deum montium & vallium Sabaudicarum, Prouincialium, Narbonensium, & Aquitanicorum; *quia Deum cum sua Ecclesia ad has angustias redigit, simul innuens, in his montibus & conuallibus semper, à temporibus Apostolicis, vel certè admodum vetustis, veram & genuinam fidei doctrinam inuiolatam perstitisse; cum tamen constet, ante VValdenses seu Albienses, & si longius ascendere velimus, etiam ante Petrum Brusii, & Henricum eius discipulum, in omnibus locis, quæ isti cum suis nouis dogmatibus infecerunt & contaminarunt, viguisse eam doctrinam, quæ hodie Tolosæ viget, & à Caluinistis* Pontificia, *seu* Papistica *appellatur: neque vllis Historiarum monumentis proditum est, Albienses seu VValdenses ex aliqua vrbe, oppido, vel Pago Ethnicismum eiecisse: Quocunque eorum perfidia pertigit, inde nihil aliud expulit,*

quam quod Caluinismus ex Gallia, Anglia, & Hollandia eiecit: nimirum, religionem Apostolicam, Catholicam, Romanam.

Lepidum autem est, quod ait Plessaus, Montes & Conualles aptiores esse religionis puritati conseruandæ, sicuti aptiores sunt puritati linguarũ conseruandæ. *Quàm enim purè & mundè loquantur in montibus & conuallibus Sabaudicis, Narbonensibus, Aquitanicis, Tridentinis, Rhæticis, & id genus alijs, optimè norunt politioris linguæ Galli & Itali, sicut & nos Germani probè compertum habemus, quam sit omnibus Gratijs delibutus eorum sermo, qui Alpes & Alpibus adiunctas valles incolũt. Quod de Cantabria Hispanica & de VVallia Britannica Plessaus ingerit,* in vtraque priscam linguam ab omni peregrinitate liberam, & prorsus inextinctam perdurasse, eo quod vtraque regio sit montibus impedita, & aduenis inaccessa; *id vt ita sit, quid tandem ad propositum nostrum facit? Ostendat, si potest, Albigensium seu VValdensium doctrinam, semper in ijs, quas occupauerant, prouincijs, sine vlla interruptione mansisse, sicut in Cantabria & VVallia semper Cantabrica & VVallica lingua permansit; & non ab ipsis VValdensibus & Albigensibus, circa Annum Christi M.CLX, primitus in mundum introductam, & postea miris, sed pestiferis incrementis multiplicatam, expulsa illa Christianæ fidei doctrina & disciplina, quæ per totam Galliam, imò & per totam Christianitatem ante ortum Petri VValdi & sequacium Catholica reputabatur.*

Occinit Plessaus. Tantam multitudinẽ ab Alpibus ad Pyrenæos vsque diffusã ex Petri de VValdo doctrina, vno die, quasi ex ouo excludi, omnem fidem, omnemque rationẽ superare. *Non necesse est, vt tanta VValdensium multitudo, vno die, ex lumbos progenitoris sui VValdi prorepserit; satis temporis & spatij ad propagationẽ suam habuit. Extitit VValdus, vt iam sæpius dictum, circa Annum MCLX. An sedecim vel octodecim annis pestem hanc quàm latissimè diffundi non posse putas? nã tanto post tempore Tolosa in VValdenses solemniter inquiri cœptum est, quod in dies noua accessione multiplicarentur, vt suo loco ex Rigerio audiuimus: vt iam nihil dicam de vlterioribus annis, ad Pontificatum Innocentij III. pertinẽtibus, quibus dira hæc lues vires & virus suum quàm maximè exercuit. Vel Lutherum vide. Quàm breui tempore secta eius latissimas prouincias, & quidem integras corrupit? Intra tredecim annos nimirũ à XVII. vsque ad XXX. quot Principatus & Ducatus ab auita religione miserabiliter abduxit?*

Suspicatur Plessaus Petrum VValdem non fuisse primò huius doctrinæ architectum, & huic suæ suspicioni fulcrum inde petit, quod Petrus de Bruis, & Henricus discipulus eius antecesserint. At hoc inane est; licet enim non liqueret, qua occasione Petrus VValdus in hæresiarchiam inciderit, errores que suos disseminare cœperit; (quod tamen vel ex his nostris Auctoribus satis compertum est) atque adeò vesana sua placita à Petro Bruis, & ab Henrico, asseclâ Bruisij, accepisset, num ideo Plessaus demonstrasset; in montibus & conuallibus Sabaudicis, Narbonensibus, Aquitanicis, & id genus alijs doctrinam à VValdo, vel etiam à Bruisio & Henrico traditam, ab antiquissimis temporibus durasse; neque vnquam mutatam fuisse, cum ex Historijs manifestum sit, Petrum de Bruis circa annum Domini MCXXXVI. extitisse, & Henricum Anno MCXLVII. potissimum insaniuisse. Quo Anno contra eundem Legatio à sede Apostolica ad Comitem S. Ægidij destinata est: de qua legisse iuuabit Illustriss. Baron. Tom. 12. Anno MCXLVII. Frustra autem est Plessaus, cum fictitiæ VValdensium antiquitatis aduocatum adsciscit Reinerum; non enim ex sua, sed ex aliorum sententia cap. 4. ait, sectam VValdensium à temporibus S. Syluestri Papæ, vel etiam ipsorum Apostolorum durasse. Quod commentum disiecit ex stabulatis scripsit secundo seu Obuiationum *Auctor cap. 1.*

Qui sint auctores, quos nunc euulgamus; & quas sub Illyricus, & hunc secutus, Reinerum Frehirus euulgarint.

CAPVT IX.

ADVERSVS VValdenses *scripsisse* Eberardum Bethuniensem, *Bernardum Abbatem Fontis Calidi, & Ermengardum, testatur Pamelius in scholijs ad Epistol. 63. D. Cypriani, qui eorundem Auctorum monumenta calamo exarata habuisse videtur. Mihi videndi copia nunquam fuit.*

Habui ex Bibliotheca S. Emmerami apud Ratisbonenses F. Monetæ Cremonensis (cuius meminit Antoninus Senensis in sua Bibliotheca) Volumen grãde contra VValdenses, in quinque libros distinctum, quod cum hic iam foras extrusissem, nisi operis prolixitas & magnitudo me absterruisset; in nimiam enim molem hic Tomus excreuisset, sed alia dabitur, vt spero, Auctoris huius ex tenebris in lucem vindicandi occasio. Ad hos, quos nunc emitto, quod attinet, primi Tractatus Auctor est Reinerus, quem natione Germanum credidissem, ob Germanicæ linguæ peritiam, qua eum præditum fuisse, testatur hic commentariolus. Sed aliud vt crederem, fecit Antoninus Senensis, qui in sua Bibliotheca ait hæc; Frater Reinerius Sachonus Placentinus, vir apprimè eruditus in Theologica doctrina, & in Aristotele non infime, in iure quoque Canonico versatus non modicum, primo degit in tenebris, & fuit cæcorum dux quoque cæcus, & hæreticorum Episcopus, sed Dominus suæ misericordiæ viscera erga illum aperiens, eum ab his errorũ tenebris ad fidem conuertit, & vt nostri Ordinis habitum susciperet, illi inspirauit, in quo plurimum profecit, & Hæreticorum Censor factus, per Lombardiam multa pro fide Christi pertulit. Scripsit Summam præclaram contra Hæreticos. Plura alia scripsisse fertur, sed non vidi. *Claruit Anno MCCLIV. Hæc Senensis.*

Habuit Illyricus, vndecunque tandem, Reinerum, eiusque frustum quoddam Catalogo Testium suorum inseruit: nempe, caput tertium, tametsi non integrum, & cap. 4. quanquam & hoc principio mutilatum. Sequentia autem inter cap. 4. & quintum, non comparent in manuscripto, quo vsi sumus. Omnis ergo fidelis Christi, qui legit has nefandissimas blasphemias & errores, compatiatur sanctæ Romanæ Ecclesiæ matri nostræ, ob pretiosum sanguinem IESV Christi, quẽ fudit pro ea, vt fideliter se accingat hæreticorum Leonistarum spurcissimos errores rationibus; & præcipuè noui Testamenti auctoritatibus confutando. Ipsi enim intendunt funditus subuertere fidem nostram. Et quia heu, rarus est, qui consurgat cum Christo aduersus hæreticos malignantes, opponens se murum pro domo Domini, tu ipse surge Deus, & iudica causã tuam. Plurima de his, quæ subscripta sunt, audiui ex ore ipsorum hæreticorum; quædam etiam in scriptis Catholicorum inueni.

Ad finẽ capitis quinti subijcit Illyricus istud Lemma. Explanatio dictorum errorum. *Et post lemma, seu titulum.* Sequitur explanatio dictorum errorum, (*qui scilicet capite quinto enumerantur*) cum occasionibus suis & solutionibus Catholicis. *Quam explanationem ita proponit Illyricus, eumque sequitur Freherus, quasi esset Reineri. At Sycophantice agit; quia non est Reineri, cuius liber decem solummodo capita complectitur; Quæ autem & qualia illa sint superque exposuit ipse Reinerus in Proœmiolo suo. Absit, vt Reinerus talem in modum dogmata VValdensium refutarit; quia si explanationem illam penitius intueri velimus, fateamur necesse est, non tam esse errorum VValdensium euersionem, quam Catholicorum dogmatum & hominum Satyricam irrisionem & subsannationem. Id vt videas, ecce tibi vnum vel alterum exemplum præclaræ explanationis, occasionis & solutionis.*

Error

Error. Sacramentum Eucharistiæ dicunt sacerdotem in mortali peccato conficere non posse. *Reg.* Quia Oza mortuus est, quia tetigit Arcam. Et Ioannes non audet attingere verticem Domini. Item dicunt; quod bonus Laicus, etiam mulier, possit conficere. Item, quod non in manu conficientis, sed in ore dignè sumentis, fiat Trãsubstantiatio. *Psalm. Desiderium pauperum exaudiuit Dominus.*

Occasio erroris ipsorum. Quia corpus Domini ministrabant Leuitæ, vt Laurentius & Tharsitius Romæ passus. Item, quidam conficiunt ex quacunque forma; quidam ex labrusca, quidam extincto pana in vino. Quidam in vno vasculo anaximum accipiunt. Quidam post ablutionem sumptam, iterum celebrant. Alij conficiunt cum aceto. Quidam Eucharistiam seruant in Cameris & in hortis, vt in Bauaria. Item Subdiaconi corpus Domini dant infirmis. Item Diaconus tota nocte ludens, seu bibens in taberna, manè in camisia celebrauit, teste Goch Hæresiarcha. Item Eucharistia vermibus scaturiuit, *iuxta Zwetel vel Setel.* Testes Monachi ibidem. Item corpus Domini sæpè pedibus conculcatum, & sanguis affusus. Item, ab indignis, in publico peccantibus sumitur & tractatur, & dignis, vt sacris virginibus, & viduis dari negatur, nisi fortè in Cœna Domini. Item, rarò à scholaribus sine pretio raiò datur. Caussa, quia Ecclesiæ plebanis care locantur: Et non sufficiunt Vicarij Scholaribus in pretio respondere.

En præclaram refutationem erroris VValdici circa Eucharistiam. Ne verbum quidem vides vel audis, quod VValdensium amentiam feriat, nihil, quod non stabiliat. Quod non hic tantum sed in tota illa Explanatione *contingit, potissimum in loco de* Missa, Sacramento Pœnitentiæ, deque imaginibus

A & sanctis, *vbi tam impiè & blasphemè de his mysterijs & rituus disseritur, vt vehementer dubitem, num tale scriptum Illyricus in veteri Codice reppererit, an ex suo malè feriato & inquietissimo cerebro exsculpserit. Certè Catholici hominis non est, & omnium minimè Reineri: Cuius Commentarium ex Papyraceo quodam Codice, admodum vitiosè exarato, exscribendum curauimus, quē beneficio Clarissimi & Consultissimi viri* D. Christophori Gevvoldi *I. V. D. & Consiliarij Bauarici adepti sumus. Vtinam Codex emendatior & emaculatior obtigisset; de quo non despero; Reinerium enim extare in Bibliotheca Monasterij Lambacensis in Austria, compertum habeo ex Indice librorum, qui in illa Bibliotheca asseruantur. Interim ad patefaciendas fraudes & imposturas Illyrici satius*

B *duxi apographum ex Codice illo petitum euulgare, quam permittere, vt vanissimus Sectarius iste cum suo Pseudoreinero diutius lectoribus illudat.*

Obseruationum seu secundi Tractatus duo habui manuscripta exemplaria; alterum ex Diessensi; alterum ex S. Nicolai, iuxta Passauium, Bibliotheca. Vtrumque Monasterium est Canonicorum Regularium S. Augustini. Codex Diessensis librarij manu descriptus est Anno M. CCCC. XLIV. Auctor eiusdem vixit Anno M. CCC. XCV. vt patet ex C. 36.

In Codice S. Nicolai adscribitur hæc clausula. Explicit Tractatus contra Hæreticos VValdenses, qui intitulatur, *Dum dormirent homines.* Per manum Matthæi Sundermayr de Ampfing. *Ex quibus verbis haud satis liquet, num Matthæus libri huius Auctor, an solummodo exscriptor fuerit. Etsi hoc posterius credere proclinamus. Reliquos aduersus eosdem VValdenses, Tractatulos eidem Diessensi Codici in acceptis referre debemus, Auctorum nomina latent. Nunc ad Reinerum accedamus.*



INDEX TRACTATVVM; QVI IN HOC OPERE CONTINENTVR.

REINERI ORDINIS PRÆDICATORVM

LIBER

CONTRA VVALDENSES HÆRETICOS, NVNC PRIMVM INTEGRE EX MANVSCRIPTO Codice editus.

Per

IACOBVM GRETSERVM SOCIETATIS IESV.

INDEX CAPITVM TRACTATVS REINERIANI.

REINERI ORD. PRÆDICATORVM LIBER CONTRA VVALDENSES HÆRETICOS,

nunc primum integre ex manu scripto Codice editus.



AVdistis quia Antichristus venit, nunc autem multi Antichristi facti sunt, Vnde scimus, quia hora nouissima est. *1. Ioan. 2. Ibi dicit glossa:* Antichristi sunt omnes hæretici, & qui fidem, quam confitentur, destruxerunt actibus & omnes Christo contrarii. *Et quia, heu, tam multi sunt hæretici, idcirco ad laudem* Dei *& cautelam fidelium, ego Frater* Rinherus *olim hæresiarcha, nunc,* Dei *gratia, sacerdos in Ordine Prædicatorum, licet indignus, præsens Opusculum de hæreticis compilaui.*

Distinguitur autem ipsum Opusculum in decem Capitula. Primum est, de commendatione fidei Christianæ. II. Quis sit hæreticus. III. De causis hæresum. IV. De sectis antiquorum hæreticorum. V. De sectis modernorum hæreticorum, & articulis hæresum. VI. De nominibus sectarum. VII. Quomodo hæretici cognoscantur. VIII. Quomodo hæretici familiaritati magnorum se ingerant. IX. De modo examinandi hæreticos. X. Quomodo hæretici puniantur.

De commendatione fidei Christianæ.

CAPVT I.



DE primo nota, quod fidem Romanæ Ecclesiæ approbant & commendant multa, specialiter vndecim, quę sunt hæc. Primum est, quia est rationabilior. De Deo enim non sentit, aut credit nisi condigna maiestati diuinæ: vt vnum Deum creatorem omnium visibilium, & inuisibilium, omnipotentem, trinum & vnũ. Sed hæreticus ponit duo principia, diabolum dicens creatorem omnium visibilium, nec credit Trinitatem nec filium incarnatum de Spiritusancto, sed de Ioseph.

Secundum est; in cultu diuino, scilicet in Ecclesiarum ornatu, vestium, vasorum, cantu, lumine, festis, ieiuniis & veteri testamento: quia hæc omnia heretici reprobant.

Tertium est, in veneratione sanctorum Sacramentorum, quæ Deus instituit; vt sunt, Corpus Domini, Pœnitentia, sacer Ordo, Coniugium, Extrema vnctio. Hęc omnia hæreticus damnat.

Quartum sunt manifesta signa, quę faciunt fideles & sancti, & viui & mortui. Et primò nota de signis Christi Iesv. In primo enim libro Ecclesiasticæ historię XII. Cap. Epistola. *Abagarus* Rex *IESV Saluatori salutem; Auditum est mihi de te, & de tuis sanitatibus, quas facis, quod sine medicamentis & herbis fiunt ista per te; & quod Verbo tantum cæcos videre facis, leprosos mundas, dæmones eiicis, & mortuos suscitas. Vnde statui in animo meo, vnum esse è duobus; aut quod tu sis DEVS, & descenderis de cęlo, vt hæc facias; aut, quòd filius DEI sis, qui hæc facis.* Rescriptum, *Cum assumptus fuero mittam tibi Thaddæum discipulum meum, qui curet te, & omnes tuos Damascenos.* Christus Abagaro Regi Oganensium (qui pictorem miserat imaginem Domini similiter figurare; & nequeunte pictore propter coruscantem claritatem, quę à facie Christi radiabat,) ipse Christus vestem propria facie imprimens imaginem suam misit. Item VII. libro Ecclesiasticæ Historię Cap. XV. In Paneade fuit mulier quæ à fluxu sanguinis curata est à Christo. In huius domo fuit basis in qua sculpta erat imago mulieris & Christi. Hæc manus protendebat ad Christum. Iuxta hanc statuam herba noua specie nascitur, quæ cum creuerit vsque ad fimbriam imaginis, omnes languores depellit.

Item Constantinus, filius Constantii Imperatoris, per fidem Baptismi à B. Syluestro est mundatus à lepra. Item Constantinus cum contra Maxentium pararet bellum, vidit in somnis signum Crucis in cælo, & dixit ei Angelus IN HOC VINCE; & sic inuitatus ad fidem in Clypeis & vexillis signum Crucis assumpsit, & sic Maxentio submerso, gloriosè triumphauit. Item Helena Con-
A stantini mater Hierosolymam venit quærere sanctam Crucem; sed nesciens, quæ vera Crux esset, per resurrectionem mortui est inuenta vera Crux. Item, per idem tempus gens Iberorum fidem Christianam suscepit per quandam Christianam captiuam. Hęc igitur fœmina per sanctam conuersationem gentem illam ad imitationem induxit: Et Regina ægritudine desperata laborans iussit se ad cellam deferri captiuæ, quam captiua super cilium suum ponens, & inuocato Christi nomine, perfectæ reddidit sanitati: & sic Rex & Regina cum tota gente crediderunt in Christum. *fors. cilicium.*

Notandum etiam, quòd opera Christi semper vera fuerunt in his, quos sanabat, & à mortuis suscitabat. Non enim visi sunt tantum modo resurgere, vel sanare sed perpetuò ab hominibus videbantur, non tantum Saluatore præsente, sed etiam multis temporibus post, *vocati;*
B qui ab eo creati, vel resuscitati sunt, & vsque ad nostra *Simon Leprosus*
tempora durauerunt. sicut similiter leprosus Cenomanensis factus est Episcopus, & dictus est Tubanus; & Lazarus etiam factus est Episcopus.

Item signa, Christiani, viui & mortui, manifestè coram principibus, & populis faciunt & fecerunt, probant fidem nostram esse certissimam. Nam Apostoli *Act. 5. & 13.* per manus impositionem dabant Spiritum sanctum, & linguis omnium loquebantur & omnes curabant, idololatriamque destruebant. Item Petrus sub Herode de clauso carcere est eductus. Sic & alii Apostoli. Item, vmbra Petri infirmos in plateis positos sanauit. Item, Thabitam & plures mortuos suscitauit. Item coram Nerone Simonem volantem oratione deiecit. Item Balbina filia ducis Quirini gutturiosa per cathenam Petri curatur. Item Paulus Athenis illuminauit cæcum na-
C tum. Et sic quasi infinita miracula Deus per Christianos fecit, in quo fidem nostram Catholicam, sibi esse dilectam, manifestè probauit.

Dic, si vis, quæ fecit per Apostolos, per martyres; sicut Blasius, qui homines & iumenta sanauit; Georgius, qui igne de cælo templum totum ab idolis & paganis cassit. Item per Confessores, sicut Nicolaus; qui sub Constantino frumentum satum auget. Item per Virgines, sicut Agnes, quæ à Præfecto Vrbis iussa est duci ad lupanar, ab angelo custoditur, qui filium Præfecti

occidit, & ipsa eum resuscitauit, & populoa eauritur igne sancto, & ex terræ motu multa millia hominum sunt Romæ occisa: Et filia Constantini baptizatur. Ecce quanta signa faciant Christiani & fecerunt. Hæretici verò nulla faciunt nec vnquam fecerunt.

Quintum, quod probat Catholicam fidem, est; quod Ecclesia prædicat palam in Ecclesiis; sed hæretici, in antris.

Seatum, est diutumitas, quia durauit à tempore Apostolorum. Sed auctorea hæresum sunt nouelli, sicut Ortlibenses, Runcarij, & cæteri.

Septimum, dilatatio fidei, quia in omnem terram exiuit sonus Apostolorum. Sed hæreticorum, in paucis terris.

Octauum, multitudo credentium, uam omne genus hominum habet fidem nostram, scilicet Philosophorũ, literarum, Principum. Sed hæreticorum pauci; & hoc tantum pauperes, & Opifices, mulieros & idiotæ.

Nonum, est prauitas fidei. Nam fides nostra detestatur vitia, & amat virtutes. Sed hæretici eredentes suos omnia flagitia eaercere permittunt, dummodò manus impositionem recipiant ab eis.

Decimũ, est integritas fidei. Non enim est dioisa, sed vna. Sed hæreticorum plus quam LXX. sectæ sunt.

Vndecimum est; quia veneramur saoctos veteris & nooi Testamenti. Sed hæretici omnes damnant, præter Apostolos.

Quis sit hæreticus.

CAPVT II.

ET secundò nota, quod ille est hæreticus, qui falsam falsam opioionem gignit, vt Arius. Item, qui imitatur hæresiarcham, vt Anani. Item, quicunque aliter scripturam intelligit, quàm Spiritus sanctus flagitet; licet ab Ecclesiæ communione & Sacramentis non sit diuisus. Item, Sacramentorum peruersor, vt Simon Magus.

De causis hæreseon.

CAPVT III.

ET tertiò nota qood sex sunt causæ hæresis. Prima est inania gloria; qnia enim vident doctores in Ecclesia bonorari, idcircò etiam appetunt per doctrinã honorari. Secunda est, qoia omnes, scilicet viri & fœminæ, parui & magni, nocte, & die, non cessant discere. Operarius enim in die laborans, in nocte discit vel docet: & ideo parum orant propter studium: docent & discunt sine libris: docent etiam & discunt in domibus leprosum. Item pro introductionibus, docent vitare septem mortalia, & tria, scilicet mendacium, & detractionem, & iuramentum. Hæc multis eotoritatibus probant, & vocant ea decem præcepta. Item discipulia septem dierum, quærit alium, quem doceat, vt cortina cortinam traham. Qui vero excusaot se, quod non possint discere, dicunt eis; *disce quotidie tantum vnũ Verbum, & post annum scies trecenta, & proficies.* Verum est, quod dico. Quidam hæreticus, ad hoc tantum, vt quendam à fide nostra auerteret, & ad suam conuerteret, nocte, tempore hyemali, per aquam, quæ † ipsa dicitur, ad ipsum natauit. In hoc reprehendi potest negligentia fidelium doctorum, qui non sic zelaot Catholicæ fidei veritatem, sicut perfidi L. conistæ zelant infidelitatis errorum.

Tertia causa hæresis est, quia nonuum & vetus testamentum vulgariter transtulerunt; & sic docent & discunt. Audiui, & vidi quendam rusticum idiotam, qui Iob recitauit de Verbo ab Verbum; plures, qui totum nouum testamentum perfectè sciuerunt. Et quia sunt Laici idiotæ, falsè & corroptè scripturam exponunt, vt est illud Ioan. 1. *In propria venit & sui eum non receperunt.* Ibi dicunt *sui*, id est, *porci*, dicentes *sui* pro *sues*. Et illud Psalmi *Increpa feras harundinis, straffe die Thier der Sehwalben*, dicentes, *hirundinis*, pro *harundinis*. Psalmis etiam titulos imponũt; sic *Erwchaust, d' Maid Psalmi: Exurgat, der Rach, Psal. De profundis; der re Psalm.* & sic de cæteris.

De versione Bibliorũ facta ab hæreticis in Gallicam linguã Innoc. III. q. ad metenses quam hoc Psalmo sibi ere bremiuo virginũ Illyr. der reszpsam.

In locis & horis & occultia docent & discunt, nec aliquem admittunt, qui non sit credens eorum. Quando simul conueniunt, tunc primo dicunt; *Cauete, ne inter nos sit lignum curuum*, id est, aliquis extraneus. Suam etiam doctrinam præcipiunt occultari à Clericis. Sicut quidam loquuntur per signa, quæ nemo intelligit, nisi ipsi: sic ipsi hæretici verba transformant, quod nemo intelligit præter eos. Ecclesiã vocant, *Steinhausz*, altare, *Steinhauff*, Clericos, scribas; religiosos, Pharisæos; & sic de multis alijs. Directè nunquam respondent.

Quarta causa hæresum est scandalum de malo exemplo quorundam. Vnde, cum quosdam vident malè viuere, dicunt: *Sic Apostoli non vixerunt, nec nos, qui sumus imitatores Apostolorum.*

Quinta causa est, insufficientia doctrinæ qnorundam qoi prædicant quandoque friuola, quaodoque falsa, Vnde, quidquid Ecclesiæ Doctor docet, quod per textum noui Testamenti non probat, hoc totum pro fabulis habent contra Ecclesiam.

Sexta causa est irreuerentia, quam quidam ministri Ecclesiæ perhibent, Sacramentorum.

Septima causa est odium, quod habent contra Ecclesiam. Audiui ab ore hæreticorum intendebaot Clericos redigere, Claostrales, ad statum fussorum, per ablationem decimarum & possessiunom, & per potentiam, & multitudinem credentium ipsorum & fautorum. Com qoidam hæresiarcha nomine Hainricus Chirothecarius in Xeroin duceretur ad mortem, dixit coram omnibus; *Meritò nos damnatis; quia, si status noster non esset minoratus, potestatem, quam exercetis contra nos, nos modò, hanc exercuissemus contra vos, omnes scilicet Clericos, religiosos & Laicos.* In omnibus vero ciuitatibus Lombardiæ & in Prouincia, & in aliis regnis & terris plures eraot scholæ hæreticorum quàm Theologorum, & plures auditores, qui publicè disputabant, & populum ad solennes disputationes conuucabant, in foro & in campis prædicabant, & in tectis, & non erat, qui eos impedire auderet, propter potentiam & multitodinem fautorum ipsorum.

Chron. NB.

Inquisitioni & examinationi hæreticorum frequenter interfui; & computatæ sunt Scholæ hæreticorum, in diœcesi Patauiensi XLI. In loco, qui dicitur Clemmaten fuerunt X. Scholæ & eiusdem Ecclesiæ plebanus ab hæreticis est occisus: & de hoc nullum iudicium est secutum. Suot autem istæ Ecclesię, quas hæretici habent; *Zengeuelde*, & ibi Scholæ, Item *in Stronizingen*, & ibi Scholæ: Item, *in Zennbs*: Item, *in Drossendorff*. Item ad S. Osuualdum: Item, *Emzempach*, & ibi Scholæ & Episcopus: Item, ad S. Christophorum: Item, *Pehamfirchen*: Item, *in ibsia*: Item, ad S. Georgiũ; Item ad *Danfleten*: Item, *in Brachlaten*: Item, *in Meunflats*: Item, *in Ardach*: Item, *in Sitensteten*: Item ad S. Petrum *in Aun*, & ibi Scholæ; Item, *in Aszpach*: Item, *in Bolszpach*: Item, *in Mitra*: Item, *in Hage*: Item, *in Spanelburch*: Item ad S. Valentinum; Item *in Herdischhofen*: Item, *in Stebra*, & ibi Schulę Item ad S. Florianum: item, *in Malszued*. Item, *in Strnich*, & ibi Scholæ: Item, *Bezsenesfirchen*: Item, *in Chemmenaten*, & ibi Scholæ plures; *plebanus occisus est ab eis*: Item, *in Newenhofen*, & ibidem Scholæ leprosorum: Item, *in Melsza*: Item, *in Ernuans*: Item, *in Gimnecrochen*: Item ad S. Mariam: Item, *in Peppingen*: Item, *in Grieszfirchen*: Item, *in Narden*: Item in Anaso, & ibi Scholæ: Item, *in Buchfirchen*: Item, *in Acfergem in Chamer*, & ibi Scholæ: Item, *Nioachleub.*

Illyr. contra mach.

Sequentia huius cap. omissa sunt ab Illyrico.

De

De sectis antiquorum hæreticorum.

CAPVT IV.

DE quarto nota, quod sectæ hæreticorum fuerunt plures, quam LXX. quæ omnes, per Dei gratiam deletæ sunt, præter sectas Manichæorum, Arianorum, Runcariorum, & Leonistarum, quæ Alemaniam infecerunt. Inter omnes has sectas, quæ adhuc sunt, vel fuerunt non est perniciosior Ecclesiæ, quàm *Leonistarum*. Et hoc tribus de causis. Prima est, quia est diuturnior. Aliqui enim dicunt, quod durauerit à tempore Syluestri; aliqui, à tempore Apostolorum. Secunda quia est generalior. Ferè enim nulla est terra, in qua hæc secta non sit. Tertia, quia cum omnes aliæ sectæ immanitate blasphemiarum in DEVM, audientibus horrorem induceant; hæc scilicet *Leonistarum*, magnam habet speciem pietatis: eo quod coram hominibus iustè viuant, & benè omnia de Deo credant, & omnes articulos, qui in Symbolo continentur; solummodò Romanam Ecclesiam blasphemant, & Clerum, cui multitudo Laicorum facilis est ad credendum. Et sicut in Iudicum libro legitur; quod vulpes Sampsonis facies diuersas habebant, sed caudas sibi inuicem colligatas: sic hæretici, in sectis sunt diuisi in se, sed in impugnatione Ecclesiæ, sunt vniti. Quando in vna domo sunt hæretici, tum sectarum quælibet, quarum quælibet damnat alteram, simul Romanam Ecclesiam impugnat: Et sic subdolæ vulpeculæ, vineam Domini, id est, Ecclesiam ersoribus demoliuntur.

De sectis modernorum hæreticorum.

CAPVT V.

NOTA, quod secta *Pauperum de Lugduno*, qui etiam *Leonistæ* dicuntur, tali modo orta est. Cum ciues maiores pariter essent in Lugduno, contingit quendam ex eis mori subitò coram eis. Vnde quidam inter eos tantum fuit territus, quod statim magnum thesaurum pauperibus erogauit: Et ex hoc maxima multitudo pauperum ad eum confluxit, quos ipse docuit habere voluntariam paupertatem, & esse imitatores Christi & Apostolorum. Cum autem esset † aliquantulum literatus, noui testamenti textum docuit eos vulgariter, pro qua temeritate cum fuisset reprehensus, contempsit, & cœpit insistere doctrinæ suæ dicens discipulis suis; quod Clerus, quando malæ vitæ esset, inuideret sanctæ vitæ ipsorum, & doctrinæ. Cum autem Papa excommunicationis sententias tulisset in eos, pertinaciter contempserunt, & sic vsque hodie in omnibus terminis illis proficit doctrina ipsorum & rancor.

...aria- ...ica. 8. ...ni. 12. ...valdam ...m con... ...sup mu... ...tonis ...colmen mē- dantes ene- bant.

Nota tria: Primò, de blasphemiis, quibus blasphemant Romanam Ecclesiam, & statuta ipsius, & omnem Clerum. In secunda parte tanguntur errores circa Ecclesiastica Sacramenta & sanctos. In tertia parte nota detestationes, quibus omnes honestas & approbatas consuetudines Ecclesiæ detestantur.

Primò dicunt, quod Romana Ecclesia non sit Ecclesia IESV CHRISTI, sed sit Ecclesia malignantium: & quòd defecerit sub Syluestro, quando venenum temporalium infusum est in Ecclesiam. Et dicunt quod ipsi sint Ecclesia Christi. quia Christi doctrinam, Euangelii & Apostolorum verbis & exemplis obseruent.

Secundus error est, quod omnia vitia & peccata in Ecclesia sint: quòd ipsi soli iustè viuant.

Tertius est, quòd doctrinam Euangelicam penè nullus seruet in Ecclesia, præter eos.

Quartus, quod ipsi sint verè pauperes spiritu, & persecutionem patiantur propter iustitiam & fidem.

Bibl. Patr. Tom. 4 p. 3.

Quintus, quòd ipsi sint Ecclesia Iesu Christi

Sextus, quod Romana Ecclesia sit meretrix in Apocalypsi propter superfluum ornatum, quem Ecclesia Orientalis non curat.

Septimus, quòd omnia statuta Ecclesiæ contemnunt: quia sint grauia, & plurima

Octauus quod Papa sit caput omnium errorum.

Nonus, quod Prælati sint scribæ; & religiosi, Pharisæi.

Decimus, quod Papa & omnes Episcopi sint homicidæ propter bella.

Vndecimus, quod non sit obediendum Prælatis, sed tantum Deo.

Duodecimus, quod nemo sit maior altero in Ecclesia: *Matth. 23. Omnes vos fratres estis.*

Decimus tertius, quod nemo debet flectere genua sacerdoti. Apoc. 2. vbi dicit angelus Ioanni; *Vide, ne feceris.*

Decimus quartus, quod decimæ non sint dandæ, quia primitiæ Ecclesiæ non dabantur.

Decimus quintus, quod Clerici possessiones non debeãt habere: Deut. 18. *Non habebunt sacerdotes, & omnes, qui de tribu Leui sunt, partem & hereditatem cum populo Israel quia sacrificia comedent, & nihil aliud accipient.*

Decimus sextus, quod Clerici & Claustrales non debeãt præbendas habere.

Decimus septimus, quod Episcopi & Abbates non debeant iura regalia habere.

Decimus octauus, quod terra & populus non sit per partes diuidendus.

Decimus nonus, quod malum sit fundare & dotare Ecclesias & claustra.

Vigesimus, quod Testamenta non sint Ecclesiis ordinanda. Item, quod nullus debeat fieri Ecclesiæ censualis. Item, omnem clerum damnant propter otium, dicentes; eos manibus debere operari, sicut Apostoli fecerunt. Item, nomina prælationum reprobant, sicut *Papa, Episcopi*, &c. Item, quod nullus sit cogendus ad fidem. Item, quod omnia officia Ecclesiastica, nulla reputant. Item, priuilegia Ecclesiastica non curant. Item, immunitatem Ecclesiæ, & personarum, & rerum Ecclesiasticarum spernunt. Item, Concilia, Synodos, & conuentus spernunt. Item dicunt, quod omnia iura parochialia sint adinuentiones. Item dicunt, quod obseruantiæ per homines religiosos factæ, sint traditiones Pharisæorum.

Secundo; omnia Sacramenta Ecclesiæ damnant Primo de Baptismo dicunt quod Catechismus nihil sit. Item, quod ablutio, quæ datur infantibus nihil prosit. Item, quod patrini non intelligant, quid respondeant sacerdoti. Item, quod oblatio illa, quæ dicitur *annuegun*, sit adinuentio. Item, omnes exorcismos, & benedictiones Baptismi reprobant. Item, Sacramentum Confirmationis reprobant. Mirantur etiam, quare solis Episcopis liceat confirmare. Item, de Sacramento Eucharistiæ dicunt; quod Sacerdotes in mortali non possint conficere. Item dicunt, quod transsubstantiatio non fiat in manu indignè conficientis, sed in ore dignè sumentis: & confici posse in mensa communi Malachias: *In omni loco offertur nomini meo oblatio mũda.* Item quod semel in anno fideles communicant, hoc reprobant, quia ipsi quotidie communicant. Item dicunt, quod transsubstantio fiat per verba vulgaria. Item dicunt, quod missa nihil sit, quia Apostoli [illegible] non habebant; &, fiat propter quæstum. Item, Canonem Missæ non recipiunt, nisi tantum verba Christi vulgariter. Itẽ cantum Ecclesiæ dicunt clamorem infernalem. Item, horas Canonicas reprobant. Item dicunt, quod oblatio, quæ sit sacerdotibus in missa, nihil sit, neque proficiat. Item, osculum pacis & altaris reprobant.

Illyr. ab unegẽ Fren her. elunegen.

Egregia probatio.

De Sacramento Pœnitentiæ dicunt, quod nullus possit absolui à malo sacerdote. Item, quod bonus Laicus potestatem habeat absoluendi. Item, quod ipsi per manus impositionem peccata dimittant, & dent

Spiritum sanctum. Item quod confitendum sit potioa bono Laico, quam malo sacerdoti. Item quod non grauis Pœnitentia sit imponenda, exemplo Christi; *Vade, & iam amplius noli peccare.* Item, publicas pœnitentias, ve *catenas*, reprobaot, maximè in fœminis. Item, quod generalis confessio nun sit singulis annis facienda.

† Negat Illyricus hac & alia quadam Valdensibus iure tribui. Sed affirmant scriptores quo Valdensibus vel supparei.

Item † Sacramentum coniugii damnant, dicentes, mortaliter peccare coniuges, si absque spe prolis conueniant. Item, compaternitatem nihil reputant. Item, gradus affinitatis & consanguinitatis carnalis & spiritualis, quos Ecclesia instituit: & impedimenta Ordinis, & publicæ honestatis, & Ecclesiæ vetitum spernunt. Item dicunt, quod fœmina post partum non egeat benedictione & introductione. Item dicunt, quod Ecclesia errauerit, dicunt, matrimonium Clericis probibendo, cum etiam Orientales contrahant. Item dicunt, quod continentes non peccent per oscula & complexus.

B Sacramentum vnctionis etiam reprobant, quia, tantum diuitibus datur; & propter plures Sacerdotes ibi necessarios. Item, Sacramentum Ordinis dicunt nihil esse. Item dicunt, quod omnis Laicus bonus, sit Sacerdos, sicut Apostoli Laici erant. Item, quod ratio mali Sacerdotis nihil proficit. Item, tonsuram Clericalem derident. Item, quod Latina oratio Laicis non profit. Item subsannant; quod illegitimi, & praui peccatores in Ecclesia sublimantur. Item dicunt; qood omnis Laicus, & etiam fœmina debeat prędicare. 1. Corint. 14. *Volo vos loqui in linguis, vt Ecclesia ædificationem accipiat.* Item, quidquid prædicatur, quod per textum Bibliæ non probatur, pro fabulis habent. Item dicunt; quod sacra Scriptura eundem effectũ habeat in vulgari, quem in Latino. Vnde etiam conficiunt in vulgari, & dant Sacramenta. Item, Testamenti noui textum, & magnam partem veteris vulgariter sciunt corde. Item

C Decretales & Decreta, & dicta & expositiones sanctorum respuunt, & tantum inhærent textui. Item, excommunicationem contemnunt, & absolutionem non curant. Item, indulgentias Ecclesiæ respuunt, & dispensationes derident; irregularitatem non credunt. Item, nullum sanctum credunt, nisi Apostolos: nullum sanctum credunt, nisi Deum solum. Item Canonizationes, translationes, & vigilias sanctorum contemnunt. Item Laicos, qui forte sanctos eligunt in altari, derident, Item lætaniam nunquam legunt; legendas sanctorum subsannant. Item, reliquias sanctorum contemnunt. Item, sanctam crucem ręputant vt simplex lignum. Item, signum sanctæ crucis horrent, propter supplicium Christi; nec vnquam signant se. Item dicunt, quod doctrina Christi & Apostolorum sine statutis Ecclesiæ, sufficiat ad salutem. Quod traditio Ecclesiæ, sit traditio Pharisæorum; & quod maior vis sit in

D transgressione traditionis humanæ, quam legis diuinæ, Matth. 15. *Quare vos transgredimini mandata DEI propter traditiones vestras.* Item mysticum sensum in diuinis scripturis refutant: præcipuè in dictis & actis ab Ecclesia traditis: vt quod gallus super campanile significat Doctorem.

Matt. 15.

De tertia parte nota, quod circa consuetodines Ecclesiæ hos habent errores. Omnes igitor consuetudines Ecclesiæ approbatas, quas in Euangelio non legunt, contemnunt: sicut festum luminum, Palmarum, reconciliationem pœnitentium, adorationem Crucis in Parasceue, festum Paschæ, Christi... Sanctorum festa spernunt, propter multiplicationem festorum, & dicunt, quod vnus dies sit sicut alius. Vnde in festis occultè operantur. Item, ieiunia Ecclesiæ non curant. Esaiæ 58. *Nunquid tale est ieiunium, quod elegi?* Item omnes dedicationes, benedictiones, & consecrationes candelarum, carnium, palmarum, chrismatis, ignis, cerei, Agni Paschalis, mulieris post partum, peregrinorum, sacrorum locorum, sacrarum personarum, vestium, salis & aquæ. Derident Ecclesiam muratam, reputant vt horreum, &

A appellant eam vulgariter, *Stainhaus*; Nec DEVM ibi habitare dicunt. Act. 17. *Non in templis manufactis habitat DEVS.* Et quod orationes non plus ibi valeant, quàm in cubiculo. Matth. 6. *Tu autem cum oraueris, intra in cubiculum,* &c. Item, de dedicatione Ecclesiæ, vel altaris nihil curant. Item, ornatum Ecclesiæ dicunt esse peccatum: & quod melius esset vestire pauperes, quam ornare parietes. Item de altari dicunt, quod damnum sit, pannum putrescere super lapide. Et quod Christus non dederit Apostolis stolas, nec casulam, nec infulam. Item conficiunt in † *Picario*, pro calice. Et dicunt quod corporale sit, vt pannus braccorum. Item, de lumine dicũt; quod Deus, qui est vera lux, non egeat lumine: & ad hoc tantum valere in Ecclesiis, ne Clerici ibi pedes lędant. Item, thurificationem reprobant. Aquam benedictam dicunt esse, vt simplicem. Imagines & picturas dicunt esse idololatricas. Item, Ecclesiæ cantum subsannant, & dicunt

Act. 17.

Matth. 6.

† Barbaro lexico vernacula: Becher vel ipse, quasi id singularis generis scyphi. Illyr. interpretatur poculum domesticũ.

B quod in verbis tantum, & non in melodia sit vis. Item clamores Laicorum derident. Item, processiones festiuas, vt Paschæ, & lugubres, vt dies Rogationum & funerum respuunt. Dicunt, & quod cantus nocturnus & diurnus nouiter à Gregorio sit institutus; quem prius Ecclesia non habebat. Item, quod Sacerdos plures Missas diuersas, vno die cantare permittitur: reprehendunt. Idem, tempore interdicti exultant; quia, tunc plures corrumpunt.

Item dicunt, qood homines cogantur ire ad Ecclesiam propter quæstum; ipsi etiam fictè vadunt, offerunt, confitentur, communicant, sed totum fictè. Item peregrinantur, & ita Lombardiam intrantes, visitant Episcopatuos. Item sepulchrum Domini, & sepulchra sanctorum contemnunt. Item, Ecclesiasticam sepulturam reprobant. Matth. 23. *Væ, qui ædificatis sepulchra.* Vel-

C lent etiam potius sepeliri in campo, quàm in cœmeterio, si non timerent Ecclesiam. Item dicunt, quod exequiæ mortuorum, Missæ defunctorum, oblationes funerum, testamenta, legata, visitatio sepulchorum, vigiliæ lectæ, anniuersarius, tricesimus, septimus, &c. suffragia, non prosint animabus. Item, de confraternitate Laicorum & Clericorum, quæ vocatur *Zeche*, dissuadent, & dicunt hęc omnia agi propter quęstum.

Matth. 23.

Hos omnes errores habent; qoia negant Purgatorium: dicentes tantum duas vias esse, scilicet vnam electorum ad cœlum; aliam damnatorum, ad infernum *Lignum quocunque ceciderit, ibi erit.* Si enim est bonus non indiget suffragio: si est malus, nihil prodest. Item dicunt, quod omne peccatum, sit mortale & nullum veniale. Item dicunt, quod vnum *Pater noster* plus valeat, quàm sonus decem campanarum, & plus, quam Missa. Item dicunt; qood omne iuramentum sit morta-

Eccl. 11.

D le peccatum. *Nolite iurare omninò: sed sit sermo vester, est, est, non, non.* Qui dicit, *verè*, vel *certè*, reputat iuramentum Perfecti. enim inter eos, potius moriuntur, quàm iurent. Imperfectus vero iurat ... cogitur iurare: vel etiam, si dicatur sibi forma iurandi, per hoc se à peccato excusans, ne cogatur, & sic ... actus prodat secreta. Imo, plus, quàm homicidam reputant, qui cogit iurare: vt Confirmator; quia confirmando exigit iuramentum & Iudex à testibus, & examinator in fide; & sacerdos, qui cogit abiurare peccata. Vnde multi sunt periuri. Item, reprehendunt eum, qui dicit, quod violans fidem, qoam dedit sacerdoti, sit reus septem periuriorum. Item dicunt; quod omnes Principes & Iudices damnantur; & dicunt, maleficos non damnandos, iuxta illud; *Mihi vindictam, & ego retribuam. Sinite vtraque crescere.* Item, iudicio Ecclesiastico, quæ habent sacerdotes fieri dicunt non correctionis causa, sed propter quæstum.

Matth. 5.

Rom. 12.

Matt. 13.

CAPVT

De nominibus sectarum.

CAPVT VI.

RVNCARII in magna parte concordant cum † Patrinis, nisi quod dicunt, quod à iugulo deorsum non committatur mortale peccatum, quia Dominus dicit, *quod ex corde procedunt fornicationes*; vnde, omnes abominationes etiam contra naturam. Item, quia nolunt mentiri, ideo nunquam dant rectas responsiones; &, vt possint latitare; verbigratia, cum dicitur, credis, quòd homo aliquo casu possit iurare sine peccato, quod ipse non credit: occultat tamen per conditionem: *Respondeo. Domine, si ego debeo credere, credo.* Vel simulat se simplicem, & dicit; *Vos debetis me talia docere*: Vel simulat se stultum, quod tamen pauci faciunt. Vnde, cogendi sunt, vt respondeant directè; *sic, sic*, vel *non, non*. Item, vtuntur æquiualentijs, & alijs fallacijs. Vnde, cum dicitur; Credis, quod aliquis possit conficere, qui non est ordinatus ab Episcopo? dicit? *quod non*, sed intelligit, quod quilibet, siue vir, siue mulier, ordinatus sit à summo Episcopo, scilicet Deo, dummodo sciat verba, quæ Dominus protulit in Cœna. Vnde magna cautela habenda est in eorum responsionibus.

† *Patrinis seu Paternis.*

Matt. 15.

Item, Siscidenses concordant cum Vualdensibus ferè in omnibus, nisi quod recipiunt Eucharistiæ Sacramentum.

Item nota, quòd Ortlibenses requisiti de articulis fidei, omnes confitentur, sed mysticè intelligunt, secundum quod ex parte potest cognosci ex eorum respõsionibus. Vnde etiam mulieres sectæ ipsorum, Sapientes & Clericos decipiunt.

Item, si perfectè vis cognoscere errorem *Patrinorum*, respice Summam Fratris Tonsonis. Cum talibus parum potest fieri, nisi per testes; quia imperfecti iurant & mentiuntur. Sed perfecti, qui *Consolati* vocantur in Lombardia, & in Theutonia, *boni homines* vocantur; subirent mortem, antequam quidquam facerent horum.

ORDINARII dicunt, quod mundus non habeat principium. Item dicũt, quod Arca Noë nihil aliud sit, quàm secta ipsorum; &, quòd extra sectam ipsorum omnes perierunt, vsque ad octo, qui seruabant eam. Item dicunt, quod Christus filius fuerit Ioseph & Mariæ; & quod fuerit peccator: & ipse Christus eorum sectam prædicto modo ferè destructam reparauerit: Et quod fuerit de numero illorum octo: & quod per sectam ipsorum saluus factus sit. Item dicunt, non fuisse passum Iesum Christum. Item dicunt, quòd ipsi sint Pater, & Filius, & Spiritus sanctus. Ille enim dicitur Pater, qui primò intrat sectam ipsorum. Filius, qui à tali patre per ipsius prædicationem intrat sectam ipsorum. Spiritus sanctus, qui est perfectus in secta ipsorum. Talis absoluit & ligat omnia. Item potest dicunt, quod nihil sit cantus Ecclesiæ, nisi clamor inferni. Item dicunt, Papam caput totius mali, & doctorem erroris. Item dicunt, Sacerdotes factores vix mendacij. Item, quòd Trinitas non fuerit ante natiuitatem Christi; sed primò tunc Deus Pater habuerit Filium quando Iesus suscepit Verbum: Et dicunt ipsum esse filium Mariæ Virginis non carnaliter ex ea, sed spiritualiter per prædicationem eius genitum; & secundum hoc ipsius prius fuit filia, quàm ipse filius. Vnde ipsum dicunt factum fuisse ex creatura. Itẽ, quando prædicauit Iesus & attraxit alios, tunc primò accessit tertia persona, scilicet, Petrus vel Andreas; hoc secundum ipsos est Trinitas, quæ est in cœlo. Et ad huius imitationem: & in nomine huius Trinitatis orant nõ sine Trinitate personarum, quam faciunt intra se. Vnde, qui senior est in secta, & alios traxit in sectam, stat loco Patris in oratione: tractus, loco filij, qui cooperatus est, loco Spiritus sancti.

Ancilla deliramenta.

Bibl. patr. Tom. 4. p. 3.

A Ortlibenses errant in multis articulis fidei. Et primò in trinitate. Dicunt enim, quòd Trinitas non fuit ante Natiuitatem Christi, sed tunc primò Deus pater habuit filium, quando IESVS, (quem dicunt filium fabri, scilicet Ioseph, carnalem, sicut ego sum, carnalis filius patris mei) Verbum prædicationis beatæ Virginis Mariæ suscepit. Dicunt enim quod prædicando traxit eum in sectam ipsorum; & sic factus est Filius DEI credendo, qui antè fuit filius carnalis & peccator. Sic verbum caro factum est, quando cor carnale Domini IESV mutatum est per Verbum, scilicet Virgo genuit filium, Virgo manens post partum; alio modo non credunt Virginem genuisse DEI filium. Quando verò prædicauit per mundum Dominus IESVS; accessit tertia persona scilicet beatus Petrus, qui cooperabatur ei prædi-B cando, & ab eis trahendo. Ipse ergò est Spiritus sanctus, qui cooperator fuit filij. Hoc, secundum ipsos est Trinitas, quæ est in cœlo. Et ad huius imitationem formant Trinitates suas in terris, dicentes; quod nemo potest venire ad regnum cælorum, nisi inueniatur in aliqua Trinitate; sed, quòd sit vel Pater, vel Filius, vel Spiritus sanctus. Est autem Pater, qui aliquem trahit prædicatione sua in sectam: Filius, qui trahitur; Spiritus sanctus, qui cooperatus est trahenti, confortando tractum, vt in secta permaneat.

In hac itaque Trinitate personarum oportet eos conuenire, quandocunque volunt orare, & tunc, scilicet Pater, in medio duorum, filius ad dexteram patris, C Spiritus sanctus ad sinistram patris. Pater in primo loco, siue altiori, filius in medio, dignitate scilicet, Spiritus sanctus in nouissimo loco. Hi tres vocantur proximi. Quando ergo quæritur ab aliquo ipsorum, quis est tuus proximus intelligitur de his, qui secum steterunt in ordine Trinitatis personarum. His signis † defende s eos. † *deprehendes fortè.*

Item dicunt, mundum æternum esse; nec est creatus secundum eos; & ita DEVS non est creator mundi. Si quæratur, quomodo Adam dicatur Protoplastus? dicunt, quod fuit primus homo, qui secundum eos per creationem DEI ex prædicatione, primo creatus fuit, qui primus fecit voluntatem DEI credendo sectæ eorum.

Attende, quomodò excæcauit eos malitia eorum, qui nesciunt, quid dicant, ponentes impossibilia. Omnes D enim profitentur ordinem suum imitatorem sectæ. Quomodo Dominus IESVS fuit primus filius DEI, cum aliquis credendo tantum efficiatur filius DEI, sicut etiam se ipsos filios DEI dicunt? Item, supposito, quod IESVS fuerit de secta ipsorum, sicut ipsi dicunt, quomodo adhuc potuit esse Adam primus; cum fides sit ex auditu, auditus autem per verba fidei; Beata ergò Virgo, quæ prædicauit ei Verbum fidei, necessario prius credebat. Ergò ipsa prius filia fuit, quàm ipse IESVS filius fuit. Ergo Deus pater prius habuit filiam, quàm filium. Item, si Adam fuit primus homo, qui secundum voluntatem DEI natus est per fidem; quomodo IESVS fuit primus?

Item, resurrectionem corporum negant: & iudicium extremum dicunt futurum esse; sed vitam æternam spirituum non negant. Iudicium extremum dicunt futu-E rum esse tunc, scilicet quando Papa & Imperator ad sectam eorum conuertentur. Tunc enim tollentur de medio omnes, qui non fuerunt de secta illa; & postea in æternum viuent, cum maxima tranquilitate, tamen nascentur homines & morientur sicut modo. Item omnes articulos, qui sunt de humilitate Christi, exponunt moraliter, nihil credentes ad literam. Incarnationem Verbi exponunt, sicut dixi supra.

De passione dicunt, quod filius DEI suscepit crucem verâ fide, verâ confessione, communi consilio, hoc est, veram pœnitentiam, siue vitam ipsorum; in quam non cadit mortale peccatum. Tunc autem crucifigitur filius DEI & flagellatur, malè tractatur vel

affligitur, vel occiditur; tunc moritur filius, quatenus aliquis ipsorum cadit in mortale peccatum, vel redit à secta: resurgit autem per pœnitentiam. Ad literam de passione, resurrectione, & cæteris articulis nihil credunt.

In Sacramentis omnibus errant. De Baptismo enim dicunt, quod nihil valeat, nisi quantum valeant merita baptizantis. Paruulis verò non prodest, nisi fuerint perfecti in secta illa. Item dicũt quod Iudæus possit saluari in sectâ suâ sine Baptismo. Confirmationem dicunt bonum esse, sed intelligunt, quod bonum sit confirmatum esse in secta, de confirmatione Ecclesiæ nihil curantes. Item corpus Christi dicunt esse purum panem. Corpus autem proprium appellãt verum corpus Christi. De pœnitentia dicunt, sicut dictum est supra. Tamen illi se austerè viuunt, & graues pœnitentias agunt. Multi quoque ex eis alternis diebus ieiunãt. De indulgentijs autem, quæ fiunt per Ecclesiam & clauibus non credunt. Item, decimas non dandas, dicunt, esse Sacerdotibus & Clericis ex debito officij. Dicunt enim, quod de officio deberent viuere, sicut faber vel sutor de suo officio viuit, non magis æstimantes officium sacerdotis, quam sutoris.

De Ordine & Extrema vnctione dicunt, vt supra dictum est. De matrimonio dicunt, quod matrimonium licitum est, & bonum, si velint continenter viuere; sed opus carnale coniugatorum damnant. Tamen si quæritur, an liceat talibus generare pueros, dicunt, quod sic; & intelligunt de spirituali generatione per prædicationem. Item, de homicidio, iuramento & mendacio dicunt, vt supra dictum est. Item, scripta Patrum non recipiunt dicentes; quod quatuor Euangelistæ scripserunt vtiliter, quia in cordibus: sed quatuor alij inutiliter, quia in pellibus. Primos quatuor scilicet, qui vtiliter scripserunt, interpretantur, Matthæum, Lucam, Marcum, & Ioannem. Istos dicunt recipiendos; & ipsi eos recipiunt; sed tantum moraliter exponunt. Alios quatuor dicunt, Hieronymum, Augustinum, Ambrosium & Bernhardum. Horum scripta contemnunt, & ipsos dicunt damnatos, præter Bernhardum; eo quod ipse conuersus ab errore suo sit, & saluatus, vt ipsi dicunt.

De secta Catharorum lege sermones tredecim Ekberti Presbyteri Tom. 2 Auctarij ad Bibliothecam SS. Patrum.

Secta Catharorum diuisa est in tres partes, siue sectas principales. Quarum primi vocantur Albanenses: secundi, † *Concorrezenses*: tertij, Bagnolenses. Et hi omnes sunt in Lombardia. Cæteri verò Cathari, siue sint in Tuscia, siue in Marchia, vel in Prouincis, non discrepant in opinionibus à dictis Catharis, seu ab aliquibus eorum. Habent igitur omnes Cathari opiniones communes, in quibus concordant; & proprias, in quibus discordant. Communes opiniones omnium Catharorum sunt istæ; videlicet, quod diabolus fecerit hunc mundũ, & omnia, quæ in eo sunt. Item, quod omnia Sacramenta Ecclesiæ, scilicet Sacramentum Baptismi aquæ materialis, & cætera Sacramenta, nihil prosint ad salutem, & quod non sint vera Sacramenta Christi, & eius Ecclesiæ, sed deceptoria & diabolica, & Ecclesiæ malignantium. Item, communis opinio omnium Catharorum est; quod matrimonium carnale semper fuerit mortale peccatum: & quod non punietus aliquis grauius in futuro propter adulterium & incestum, quàm propter legitimum coniugium. Nec etiam apud eos quisquam grauius punitetur. Item, omnes Cathari negant carnis resurrectionem futuram. Item credunt, quod comedere carnes, oua vel caseum, etiam in vrgente necessitate, sit mortale peccatum. Item, quod potestates sæculares peccẽt mortaliter puniendo malefactores, vel hæreticos. Item, quod nemo possit saluus fieri, nisi per ipsos. Item, quod omnes paruuli etiam non baptizati non leuius æternaliter puniantur, quam homicidæ & latrones.

† Concorrenses. Num à Concordia Lombardiæ?

Sed in hoc dissentiunt Albanenses dicentes quod nulla creatura boni Dei peribit. Item, omnes negant Purgatorium. Item, est communis opinio omnium Catharorum, quod grauiter peccaret, quicunque occideret auem aliquam à minima vsque ad maximam: & quadrupedia, à mustela vsque ad elephantem. Sed de cæteris animalibus non sic intelligunt.

Cathari ad instar simiarum, quæ actus hominis imitari conantur, quatuor habent Sacramẽta, falsa tamen, & inania, illicita & sacrilega; quæ sũt, manus impositio, panis benedictio, pœnitentia & ordo. De singulis per ordinem dicamus.

Manus impositio vocatur ab eis *consolamentum*, & spirituale baptisma, siue baptisma Spiritus sancti, sine quo, secundum eos, nec peccatum mortale dimittitur, nec Spiritus sanctus alicui datur, sed per eam solummodò ab eis factam, vtrumque confertur. Differunt tamen in hoc ab eis aliquantulum Albanenses: dicunt enim, quod manus ibi nihil operatur, cum ipsa à diabolo sit creata secundum eos, vt infra dicetur; sed sola Dominica oratio, quam ipsi dicunt tunc; & quod vtrumque necessarium ibi requiritur, videlicet, & manus impositio, & Dominica oratio.

Est etiam communis opinio omnium Catharorum, quòd per illam impositionem manus & orationem Dominicam, non fiat aliqua remissio peccatorum, si illi, quibus tunc manus imponunt, sũt tunc in aliquo mortali peccato. Fit autem hic manus impositio à duobus ad minus; & non solum à Prælatis eorum, sed etiam à subditis; & in necessitate, à † *Catharabus*.

† feminis.

Fractio panis est quædam benedictio panis Catharorum, quam ipsi quotidie faciunt tam in prandio, quàm in Cœna. Fit autem hæc panis fractio tali modo: Cum ingressi sunt ad mensam Cathari, siue Catharæ, tunc stantes omnes dicunt *Pater noster*. Interim, qui prior est processione vel ordine, tenens panem vnum vel plures, si necesse est ad multitudinem, quæ fortè ibi esset; & dicendo; *Gratia Domini nostri Iesu Christi sit cum omnibus nobis*, frangit panem siue panes, & distribuit omnibus discumbentibus, non solum Catharis, sed etiam credentibus suis, adulterantibus, latronibus & homicidis. Veruntamen Albanenses dicunt; quòd panis ille corporalis non benedicitur, nec possit recipere benedictionem aliquam, cum ipse panis sit creatura diaboli, secundum eos, & in hoc differunt à cæteris omnibus, qui dicunt, quod panis ille verè benedicitur. Nemo tamen ex eis credit, quod ex illo pane conficiatur Christi corpus.

Pœnitentia autem Catharorum omnium proculdubio est falsa, vana, deceptoria, & venenosa, sicut consequenter ostenditur. Tria namque requiruntur in vera & fructuosa pœnitentia, scilicet cordis contritio, oris confessio, & operis satisfactio. Ego autem Frater † Rinherus, olim hæresiarcha, nunc, Dei gratia, sacerdos in ordine Fratrum Prædicatorum, licet indignus, dico indubitanter & testificor coram Deo, quia non mentior, quòd illorum trium non est aliquod inter Catharos, siue in pœnitentia eorum. Erroris namque venenum, quod biberunt, ex antiqui serpentis ore, non sinit eos de peccatis suis habere aliquem dolorem.

† Reinerus, seu Rainerus.

Hic autem error quadruplex est. Primus videlicet est, quòd pro aliquo peccato non diminuatur æterna gloria. Secundus est, quod pœna inferni impœnitenti non augeatur. Tertius est; quod ignis purgatorius nemini reseruetur. Quartus, quod impositione manus culpa & pœna à Deo totaliter relaxatur: non enim minus punietur infans vnius diei, quam Iudas proditor: sed omnes sunt æquales tam in gloria, quàm in pœna, sicut ipsi credunt. Exceptis tamen Albanensibus, qui dicunt; quisque restituetur in gradum pristinum, non proprijs tamen meritis: & quod in vtroque regno, Dei scilicet & Diaboli, alij maiores sunt alijs. Dico etiam, quod multi ex eis, qui infecti sunt memoratis erroribus,

erroribus, sæpe dolent, cum recolunt, quòd non repleuerunt libidinem suam tempore, quo non fuerunt professi hæresim Catharorum. Et hæc est causa, quare multi credentes tam viri, quàm mulieres, non timent magis ad sororem suam, & filium siue filiam, fratrem, neptem consanguineam & cognatam accedere, quàm ad vxorem & virum proprium. Tamen alij ex eis ob horribilitatem ac humanam verecundiam forsitan ab huiusmodi retrahuntur.

Probatur etiam manifestè, quod non dolent de peccatis suis, quæ ante professionem suæ hæresis commiserunt, pro eo, quod nulli restituunt vsuram, furtum, vel rapinam: imò reseruant ea, vel potius relinquunt filijs, & nepotibus in sæculo remanentibus, quia dicunt, viduram nullum esse peccatum. Præterea dico, quod in XVII. annis, quibus, heu, conuersatus sum cum eis, non vidi aliquem ex eis orare secretò seorsim ab alijs, aut ostendere se tristem de peccatis suis, seu lacrymari, vel percutere pectus suum, & dicere; *Deus propitius esto mihi peccatori*, siue aliquid huiusmodi, quod esset signum contritionis. Nunquam etiam implorant patrocinium Angelorum, vel Sanctorum, seu B. Mariæ Virginis; neque se muniunt signo Crucis.

Reinerus 17. annis cũ Catharis versatus.

Sequitur de confessione Catharorum, qualis sit, & quando ipsi eam faciant, & quibus confiteantur. Confessio eorum hæc est: *Ego sum coram DEO & vobis ad faciendum confessionem, & ad ponendum me in culpam de omnibus peccatis meis, quæ sunt in me vsque modò, & ad recipiendum de eis omnibus veniam à DEO & à vobis.* Fit etiam ista confessio publicè coram omnibus, qui ibi sunt congregati: vbi multoties sunt centum & plures viri & mulieres & credentes eorum Cathari. Et dictam confessionem facit quisque eorum, quando recipit dictam manus impositionem, & facit eam principaliter Prælato eorum, tenenti Codicem Euangeliorum, vel totius noui Testamenti, in pectore suo. Qui facta absolutione, ponit dictum librum super caput ipsius, & alij Cathari, qui adsunt, suam dexteram, incipiendo consequenter orationes suas.

Quomodo Cathar cõfiteantur.

Quatenus autem quis eorum cadit in peccatum carnis, vel in aliquod, quod sit secundum opiniones eorum mortale: postquam recepit dictam manus impositionẽ, oportet eum confiteri illud peccatum tantum, & non alia; & iterum recipere manus impositionem secretò à Prælato suo, & ab vno alio cum eo ad minus. Vnus pro omnibus loquens alta voce, omnibusque inclinatis ad terram, coram Prælato tenente librũ circa pectus suum, dicit: *Nos venimus coram DEO & vobis, confitendo peccata nostra; quia multum peccamus verbo & opere, in visione, cogitatione*, & huiusmodi. Vnde apparet manifestè, quòd omnes Cathari sine confessione moriuntur in peccatis suis. Et hoc modo ipsi confitentur tantum semel in mensa, si commodè possunt.

Sequitur de satisfactione Catharorum. Vbi videndum est, si Cathari faciant opera sua pro satisfactione peccatorum, quæ priusquam profitentur suam sectam, commiserunt. Ad quod breuiter dico, quod non: licet ignorantibus fortè hoc mirabile videatur. Nam frequenter orant, ieiunant, abstinentque omni tempore à carnibus, ouis, caseóque: omnia videntur opera satisfactoria pro peccatis eorum; de quibus sæpè inaniter gloriantur. Sed est triplex error in eis, qui facit, prædicta opera non esse satisfactoria. Primus est, quòd culpa & pœna totaliter huiusmodi dimittitur per eorum manus impositionem & orationem; vel, per orationem tantum, secundum Albanenses, sicut suprà dictum est. Secundus error est; quòd Deus nulli infert pœnam purgatoriam, quam penitus esse negant; neque temporalem, quam à Diabolo inferri putant in hac vita. Hæc est etiam causa, quare ipsi non iniungant pœnitentiam abstinentiæ alicui, neque in pœnitentiam, neque in remissionem peccatorum suorum. Tertius est; quòd omnis homo tenetur necessariò facere illa opera, tanquam præcepta Dei;

A Ita enim puer decem annorum; qui nullum vnquam mortale peccatum commiserat, antequam fieret Catharus, punitur sicut senex, qui multo tempore nunquam à peccato cessauerat. Non enim grauius puniretur Catharus aliquis apud eos, qui biberet toxicum, volens se ipsum occidere, quam si pro morte vitanda comederet pullum de consilio medicinæ, vel in alio casu necessitatis: nec etiam in futuro grauius puniretur secundum eos. Idem etiam dicunt de matrimonio, sicut suprà dictum est. Item eleemosynas paucas, vel nullas faciunt extraneis, nisi fortè propter scandalum vicinorum suorum vitandum, & vt honorificentur ab eis. Paucas etiam faciunt suis pauperibus, & est duplex causa: Prima est, quod se non sperant inde habere maiorem gloriam in futuro, neque suorum veniam peccatorum. Secunda est, quod ferè omnes auarissimi sunt, & tenaces.

Sequitur de oratione Catharorum. Hanc maximè
B putant necessariam esse, quando ipsi sumunt cibum, vel potum. Igitur multi ex ipsi dixeruot in suis infirmitatibus aliquando illis, qui eis ministrabant; quòd non ponerent aliquid cibi vel potus in os eorum, si illi infirmi ad minus non possent dicere, *Pater noster*. Vnde verisimile est, quod multi ex eis occidunt hoc modo seipsos, & à suis cohæreticis sunt occisi. Ex præmissis itaque patet apertissimè, quod Cathari nullam faciunt pœnitentiam, maximè cum non habeant contritionem de peccatis, neque confiteantur ea, neque pro eis satisfaciant; quamuis multum se affligant: & quod pro suis erroribus & peccatis æternis grauissimè puniantur.

Sequitur de quarto Sacramento Catharorum, scilicet de Ordine. Circa quod nota quinque. Primò, quod Ordines habeant. Secundò, de nominibus eorum. Ter-
C tio, de officio cuiuscunque Ordinis. Quarto, quomodo & quibus fiant. Vltimò, quot & vbi sint Ecclesiæ eorum, scilicet Catharorum.

Primò ergò nota, quod Ordines Catharorum sunt quatuor. Ille, qui est in primo & maximo Ordine, vocatur *Episcopus*. Ille, qui in secundo, vocatur *Filius maior*. Qui in tertio; *Filius minor*. Qui in quarto & vltimo, vocatur *Diaconus*. Cæteri, qui sunt sine Ordine inter eos, vocantur Christiani & Christianæ. Secundò nota; quod officium Episcopi est, semper tenere prioratum in omnibus, quæ faciunt; scilicet in impositione manus, in fractione panis, & in incipiendo orare: quæ quidem seruat filius maior, absente Episcopo, & filius minor, absente maiore. Præterea isti duo filij, simul, vel separatim discurrunt visitare omnes Catharos, qui sunt sub Epis-
D copo, & eis tenentur obedire omnes. Similiter faciunt & seruant in omnibus Diacones; & vnusquisque in suis subditis, absentibus Episcopo & filijs. Et nota quòd Episcopus & filij habent in singulis ciuitatibus, in quibus morantur, singulos Diacones. Ita nota, quòd officium Diaconorum est audire confessiones venialium peccatorum, quæ fiunt semel in mense, sicut suprà dictũ est; & subditis suis facere absolutionem, iniungendo eis tribus diebus ieiunium, vel centum inclinationes flexis genibus, & appellatur illud officium, vt ita loquar, † *caregare seruitium*. † *Lit MS.*

Fiunt verò Ordines prædicti ab Episcopo, & etiam à filijs de licentia Episcopi. Ordinatio autem Episcopi consueuerat fieri in hunc modum: Mortuo Episcopo, Filius minor ordinabit filium maiorem in Episcopum: & iste postea ordinabit Filium minorem in Filium ma-
E iorem. Post eligebatur filius minor ab omnibus Prælatis & subditis, qui erant ad hoc congregati ab Episcopo, & ordinabatur in Filium minorem. Et hæc ordinatio Filij minoris, non est mutata inter eos. Illa verò, quæ supra dicitur de Episcopo, mutata est ab omnibus Catharis manentibus circa mare: dicentibus, quòd per talem ordinationem filius instituat Patrem, vt videtur: quod satis apparet incongruum. Vnde fit modò aliter in hac forma. Ante mortem enim suam Episcopus ordinat Filium maiorem in Episcopum, & si moritur, filius

A fit Episcopus. Minor verò Filius, maius fit Filius eodē die: Et ita ferè quilibet etiam Catharorum semper habet duos Episcopos. Vnde Ioannes de Lugduno, qui est vnus de illis taliter ordinatus in suis Epistolis se sic describit: *Ioannes de Lugduno, Dei gratia, Filius maior & Episcopus ordinatus, &c.* Sed vtraque ordinatio manifestè reprehensibilis est; quia nec filius carnalis vnquam instituit suum genitorem: & etiam nunquā legitur, quòd vna eademque Ecclesia, eodem tempore duos habuerit filios Episcopos, sicut nec vna mulier duos legitimos viros. Fiunt autem omnes supradicti Ordines cum impositione manus, & attribuitur illa gloria, scilicet conferendi Ordines memoratos, & dandi Spiritum sanctum soli Episcopo eorum; vel, qui maior est, & auctor in tenendo librum noui Testamenti super caput illius, cui imponitur manus.

Ioannes de Lugduno Catharorū Episcopus.

B Nota insuper, Cathari in maximo laborant dubio, & periculo animæ: Verbi gratia, si Prælatus eorum, & maximè Episcopus, occultè commiserit aliquod mortale peccatum, quales etiam multi olim reperti sunt inter eos, omnes illi quidem, quibus ipse manum imponit, fiunt decepti, & pereunt, si in eo statu decedunt. Etiam causa huius periculi vitandi, omnes Ecclesiæ Catharorū, vnâ exceptâ solummodo, vel duabus; receperunt secundò, & aliquæ tertiò, *consolamentum*, id est, manus impositionem, quod est Baptisma eorum, vt suprà dicitur, & de prædictis est fama publica inter eos.

Sunt autem XVI. omnes Ecclesiæ Catharorum. Nec imputes mihi, ô Lector, quod eas appello *Ecclesias*, sed potius eis, qui se ita vocant. Quarum nomina sunt hæc; C Ecclesia Albanensis, vel de *Sansano*; Ecclesia de Contorezu: Ecclesia Bagnolensium, siue de Bagnolo: Ecclesia Vicentina, vel de Marchia; Ecclesia Florentina; Ecclesia de Valle Spoletana, Ecclesia Franciæ; Ecclesia Tolusana; Ecclesia † Carthasensis; Ecclesia Albisensis; Ecclesia Sclauoniæ, Ecclesia Latinorum de Constantinopoli; Ecclesia Græcorum ibidem: Ecclesia Philadelphiæ Romaniolæ, Ecclesia † Bulgariæ, Ecclesia Dugraniciæ. Et omnes originem habuerunt à duabus vltimis. Primi scilicet Albanenses, morantur Veronæ, & in pluribus ciuitatibus Lombardiæ, & sunt numero ferè quingenti, vtriusque sexus. Illi autem de Contorezu sunt ferè per totam Lombardiam, & sunt benè mille quingenti, vel etiam plures. Bagnolenses morantur in Mantua, Brixia, D Bergomi, & in Comitatu Mediolanensium, sed pauci, & in Romaniola, & sunt ferè ducenti. Ecclesia de Marchia nihil habet Veronæ; sed sunt circiter C.L. Ecclesia Tholosana, & Albisensis, & † Charchagensis cum quibusdam, quæ olim fuerunt, vt Ecclesia † Auzinensis, quæ ferè destructa est, sunt ferè CCC. Ecclesia Latinorum in Constantinopoli sunt ferè L. Item Ecclesia Sclauoniæ, Græcorum Philadelphiæ, Bulgariæ, & Dugraniciæ sunt omnis gentis simul. O Lector dicas securè, quod in toto mondo non sunt Cathari vtriusque sexus quatuor millia, sed *Credentes* innumeri. Et dicta computatio pluries facta est inter eos.

† Cadurcensis.
† VVulgaria.
† Cadurcensis.
† Ausciensis.

Sequitur de proprijs opinionibus Catharorum. Et primo de Ecclesis Albanensi, qui alio modo dicuntur *Sanzanus*; eo quod errant in pluribus, quàm cæteri Cathari. Primò igitur notabiliter sciendum est, quòd isti Albanenses diuisi sunt in duas partes in opinionibus cō- E trarijs & diuersis. Vnius partis caput est Gelesmanza Veronensis eorum Episcopus: & hunc sequuntur plurimi antiquiores, & pauci iuuenes eius sectæ. Alterius verò sectæ caput est Ioannes de Lugduno Bergumensis eorum filius maior & ordinatus Episcopus: & hunc è contrario sequuntur iuniores, & pauci antiquiores. Et ista pars satis est maior, quàm prima. Prima pars tenet opiniones antiquiores, quas omnes Cathari antiquiores habebant in annis Domini currentibus M. CC.XXX.

Merula lib. 4. p. 2. Cosmogra. vbi de Vallibus circa Bergomum. Albe, Desenza.

Itaque opiniones istorum, præter communes supra scriptas, sunt istæ, quod sint duo principia à Deo, videlicet boni & mali. Item, quòd Trinitas, scilicet Pater & A Filius, & Spiritus sanctus, non est vnus Deus; sed quòd Pater maior est Filio, & Spiritu sancto. Item, quod vtrumque principium, siue vterque Deus, creauit Angelos suos, & suum mundum: Et quòd iste mundus est creatus, factus & formatus à malo Deo, & omnia quæ sunt in eo. Item, quòd diabolus cum suis Angelis ascendit in cœlum, & facto ibidem prælio cum Michaële Archangelo, Angelus boni Dei extraxit inde etiam partem creaturarum Dei; & infundit eas quotidie in humanis corporibus & brutis & etiam de vno corpore in aliud, donec dictæ creaturæ reducantur in cœlum. Vocantur autem istæ creaturæ Dei secundum eos, *populus Dei*, & *animæ atque oues domus Israel*, & etiam alijs nominibus. Item, quòd filius Dei non assumpsit humanam naturam in veritate; sed eius similem ex beata Virgine, quam di- B cunt fuisse Angelum. Et, quòd non verè comedit & bibit, neu verè passus est, nec mortuus, nec sepultus: nec eius resurrectio vera fuit, sed quod hæc fuerunt putatiua, sicut de ipso legitur. *Vt putaretur filius Ioseph.* Similiter de omnibus miraculis, quæ Christus fecit. Item, quòd Abraham, Isaac, & Iacob, Muyses & cæteri plures patres antiqui, & beatus Ioannes Baptista, fuerunt inimici Dei, & ministri diaboli. Item, quod diabolus fuerit auctor totius veteris Testamenti, exceptis his libris; scilicet, Iob, Psalterio, libris Salumonis, Sapientiæ, filij Sirach, Isaiæ, Hieremiæ, Ezechiel, Daniel, & XII. Prophetarum; quorum quosdam scriptos fuisse in cœlo, illos scilicet, qui fuerunt scripti ante destructionem Hierusalem, quam credunt etiam esse cælestem. Item, quòd mundus iste nunquam habebit finem. Item, quòd Iudi- C cium futurum, iam factum est, nec amplius fiet. Item, quod infernus & ignis æternus, siue pœnæ æternæ sunt in isto mundo, & non alibi. Sic quidem prædictas opiniones tenebant omnes Albanenses generaliter in prædictu tempore, exceptis simplicioribus, quibus singula non reuelabantur.

Luca 3.

Opiniones verò prædicti Ioannis de Lugduno, & sequentium eum, hîc inferius describuntur. Primò autem sciendum, quod idem Ioannes adhuc tenet aliquas opiniones prædictarum; quasdam etiam penitus mutauit in peius, & etiam errores addidit nouos, quos ipse finxit, sicut in sequentibus apparebit. Fingit itaque sæpe dictus Ioannes duo esse principia, siue duos Deos, ab æterno, D vnum scilicet boni, alterum mali; sed diuersimodè magis, quàm primi, vt infra apparebit. Trinitatem verò & vnitatē, iuxta fidem Catholicam in Deo penitus inesse, negat. Primum principium mali, secundum quod ipse dicit, vocatur in diuinis Scripturis multis nominibus. Dicitur enim *malitia, cupiditas, iniquitas, impietas, peccatum, superbia, mors, infernus, calumnia, vanitas, iniustitia, perditio, confusio, corruptio & fornicatio.* Dicit etiam, quòd omnia supra dicta vitia sint *dij*, vel *deæ*; & quod habent suum esse à malitia, quam asserit esse primam causam: & quod ipsa prima causa aliquando significatur per vitia prædicta.

Delirationes Ioannis de Lugduno.

Præterea dicit, quod malum principium notatur per *linguam*, de qua dicit beatus Iacobus; quòd est *malum inquietum, & plena veneno mortifero.* Similiter per diem, de quo ait Dominus in Euangelio; *Sufficit diei malitia sua.* Item, notatur malitia per illud verbum Apostoli, E scilicet, *est*, & *Non.* Item, vocatur Seir: de quo dicitur; *Eo quod fueris inimicus sempiternus Domini.* Item dicitur *Venter*, de quo ait Apostolus; *Quorum DEVS venter est.* Præterea dicit, quòd idola gentilium, quæ leguntur per totam seriem veteris Testamenti, naturaliter sunt dij mali; id est, maligni spiritus: Et quod ipsi gentiles faciebant imagines ipsorum, vt eos magis colerent. Multa alia idem Ioannes scripsit de scripturis, vitijs & idolis, vt suos errores conaretur asserere, quæ tædium esset mihi scribere.

Iacob. 3.
Matt. 6.
2. Cor. 1.
Ezech. 35
Phil. 3.

Sequitur dicere, quid idem Ioannes credat, de creatione rerum omnium visibilium & inuisibilium. Et primo, quid sit creare. Secundo, si creaturæ factæ sint ex nihilo,

hiln, vel creatæ. Tertiò; en bonæ & simpliciter & purè
sine aliqua malitia. Quartò, si fuerit vnquam in aliquo
libert as arbitrij. De primò nota, quod secundum eum,
creare, est aliquid ex præiacenti materia aliqua facere; &
sic semper sumit, & non ex nihilo; & distinguit creare
simpliciter primo de bonn in melius: & secundum hanc
distinctionem Christus fuit à patre creatus, siue factus.
Vnde illud Isaiæ; *Ego Dominus creaui eum*. Et Apostolus;
Pontifex factus est in æternum. Secundò dicitur, creare, de
Isa. 45. bono in malum, iuxta illud Apostoli: *Ipsius enim sumus*
Hebr. 6. *factura, creati in Christo IESV*. Et dicitur: *In principio crea-*
Ephes. 2. *uit DEVS cœlum & terram*. Quod sic exprimitur: In prin-
Gen. 1. cipio, hoc est, in Christo, qui ait; *Ego principium, qui &*
Ioan. 8. *loquor vobis* Secundò dicit expressè idem Ioannes, quod B
tunc DEVS pater ita creauit cœlum & terram, non ex ni-
Ephes. 2. hilo, sed ex aliquo, id est, Christo, aliquod bonum, sicut
dicit Apostolus; *Creati in Christo in operibus suis*. Tertiò
dicit, quod creare, est ex malo in peius aliquid facere: ad
quod inducit illud in Codice in tit. de hæreticis & Ma-
Cod. lib. 1. niche is, *Omnes vetita legibus diuinis & Imperialibus cōsti-*
tit. 5. *tutionibus hæreses perpetuo quiescant. Nemo vlterius conetur,*
quæ reperit profana præcepta vel docere, vel discere, nec
antistites earundē audeant fidem insinuare, quam non habent,
& ministros creare, qui non sunt. Dicit itaque, quod omnes
creaturæ sint ab æterno bonæ creatæ cum bono DEO. &
quod creatores non præcedant creaturas æternitate, sed
causa & natura. Et quod creatura erat à DEO ab æterno,
sicut splendor vel radij à sole, qui non præcedit radios
suos tempore, sed tantum causa, vel natura. Item dicit, C
quod iste mundus est à diabolo, vel potius à patre dia-
boli factus: & quod nunquam habuerit principium, nec
finem habeat Item intelligit, quod bonus DEVS ha-
beat alterum mundum, in quo sint homines, & anima-
lia, & omnia similia istis visibilibus & corruptibilibus
creaturis; & quod ibidem fiant coniugia, fornicationes
& adulteria, ex quibus procreentur infantes; & quod
etiam turpius est; quod populus DEI boni contra præce-
pta eius duxerint aliquando filias alienigenas in vxo-
res, & filias Dei alieni, siue Deorum malorum: & ex tali
inhonesto & prohibito coniugio nati sunt gigantes, &
multi alij diuersis temporibus.

Nunc dicendum est, si Deus bonus creauerit suas
creaturas putas sine malitia secundum eum. Ad hæc præ- D
mittendæ sunt multæ blasphemiæ. Nam idem Ioannes
dicit; quod Deus non sit omnipotens. Dicit enim, quod
Deus potest, & vult omnia bona, quantum in se est, & in
suis creaturis, quæ sibi necessario obtemperant, sed im-
peditur hæc Dei voluntas & potentia ab hoste suo Item
dicit; quod alteruter agit in alterum ab æterno & causa
mali, id est, Deus malus egerit in Deū verum, & in eius
filium, atque in cuncta opera eius ab æterno. Et ad hoc
inducit multas authoritates, sicut est illud Verbum Do-
mini ad Satan in Iob: *Tu autem commouisti me aduersus*
Iob. 2. *Iob, vt affligerem eum frustra*: Et iterum Iob ad Dominū;
Iob. 30. *mutatus mihi in crudelem*. Item dicit; ille, qui est sum-
mus in malo, plus potest quam Dei filius Iesus Christus,
quam creaturæ boni Dei. Et è conuerso dicit; quod sum-
mum bonum plus potest, quam omnia, quæ infra sum-
mum Deum sunt in malo. Vnde ex præmissis conclu- E
ditur; quod bonus Deus non potuit perfectas creaturas
suas facere, quamuis hoc voluerit, & hoc sibi & creatu-
ris accidit propter resistentiam mali Dei, qui actum suū
† infudit. malum, siue quandam malitiam † inseruit in eas; ex
Eccl. 31. qua malitia creaturæ habuerunt posse peccare. Et ad
hoc inducit illud Ecclesiastici; *qui potuit transgredi, & non*
est transgressus, facere malum, & non fecit Quod tamen sim-
Iob. 4. pliciter exponit de Christo. Et illud Iob: *In Angelis suis*
Iob. 25. *reperit prauitatem*. Et iterum: *Stellæ non sunt mundæ*. Et
Gen. 3. illud Gen *Serpens erat callidior cunctis animantibus, quæ*
fecerat Deus, & videns, &c. sic infert. Igitur cuncta ani-
mantia calliditatem participant, & plus omnibus serpēs;
& perfecta est ideo deceptio ad prædandum Et facit il-
lud, quod ipse dicit, scilicet quod nihil est, quod liberum
A habeat arbitrium; etiam summus Deus; qui vt supra
dictum est, non potest perficere suam voluntatem, pro-
pter resistentiam hostis sui. Item dicit; quod omnis
creatura boni Dei disponit prædictam potentiam pec-
candi ad actum, decepto errore; qui inde bonum sum-
mum in malo scilicet Christo, dicit quod fuerit in eo po-
tentia peccandi, siue ius transgressionis, ita oppressa per
summum bonum, quod caruit suo effectu, quod mira-
bile & insolitum fuit in Christo Ideoque laudabilis est,
sicut de eo dicitur Sapientiæ; *Quis est hic, & laudabimus* Eccl. 31.
eum, &c.

Et quod aliæ creaturæ boni Dei irrecuperabiles exti-
terunt. Ad hanc inducit illud Apostoli; *Vanitati creatura* Rom. 8.
subiecta est, non volens. Et iterum; *Scimus, quod omnis crea-* Ibid.
tura ingemiscit, &c Item; quod quando Deus infert pœ-
nam creaturis suis pro culpa, tunc agat malum, nec con-
uersatur secundum Deum, imò seruit simul aduersario
suo. Item dicit; quod cum dicit Deus; *Ego sum, & non* Isa. 47.
est alius Deus. Et iterum: *Videte, quod ego sum, &c.* Et si-
milia duplicando &c. mouetur ab aduersario suo. Deus
enim verus tantum *semel loquitur, & secundò idipsum non*
repetit, sicut legitur in Iob 33. Item dicit; quòd Deus nō Iob. 33.
† possit aliquod malum ex sui natura, seu essentia; quia † præscit.
non fluit ab eo; sed præscit illud aliud per aduersarium
suum. Item credit; quòd Deus verus propter peccata
creaturarum, quæ ipsi fecerunt, sicut ipse Ioannes ait, in-
duxerit diluuium; & quæ passus est populus Israël in Iu-
dæa, siue in terra promissionis, intulit eis, motus, ab ad- Gen. 19.
uersario suo. Item, quod Deus propter peccata destru- Sap. 10.
xit pentapolim, & subuertit Hierusalem, dicit Ioannes
sæpe dictus, sed motus ab aduersario suo. Putat enim
omnia prædicta facta fuisse in quodam altero mundo
Dei boni.

Item credit, quòd animæ transmotentur de corpore
in corpus; & quòd in fine liberabuntur omnes à culpa
etiam & à pœna. Item, idem Ioannes recipit totam Bi-
bliam; sed putat eam fuisse in alio mundo, & ibidem for-
matus Adam & Euam. Item credit, quod Noë, Abra-
ham, Isaac, Iacob & cæteri Patriarchæ, & omnes Pro-
phetæ, & Ioannes Baptista placuerūt Deo bono; & quod
fuerint homines in alio mundo. Item dicit, quod Chri-
stus natus est secundum carnem ex prædictis antiquis
D Patribus, & quòd verè assumpsit carnem ex beata Vir-
gine, & quòd verè passus est, mortuus & sepultus, &
quod resurrexit tertia die; sed putat, quòd hæc omnia in
alio superiori mundo, & non in isto sit passus. Item dicit;
quod in eodem totum humanum genus incurrerit mor-
tem propter peccatum, cui obediuit. Item, peccatum ab
eodem Ioanne appellatur principium & causa omnium
malorum, vt sæpius dictum est suprà; & corporibus illo-
rum ibidem sepultis animæ eorum descenderunt in in-
fernum, id est, in hunc mundum. Et ad hunc infernum
descendit Christus post mortem, vt auxiliaretur eis. Item
credit, quod fiet ibidem resurrectio mortuorum; scilicet,
quod vnaquæque anima Dei recipiat proprium corpus.
Item dicit; quod verus Deus in eodem mundo dedit po-
pulo suo dicto legem Moysi. Ibidem etiam offerebant
hostias & holocausta sacerdotes pro peccatis populi,
E quæ secundum legem Moysi præcipiuntur offerri. Item
dicit; quod in † eodem Christus ad literam verè fecerit † superiore
miracula suscitando mortuos, illuminando cæcos, pa- mundo.
scendo de quinque panibus, quinque millia hominum,
scilicet virorum, exceptis mulieribus & paruulis. Quid
plura? quidquid legitur in tota Biblia factum fuisse in
hoc mundo; ipse in quodam alio mundo ad literam fuis-
se factum, contendit.

Igitur blasphemias & errores prædictos, & multos
alios, quos longum esset mihi tædium enarrare, finxit
idem Ioannes de Lugduno Hæresiarcha; & ex eis com-
pilauit quoddam magnum volumen X. quaternionum,
cuius exemplum ego Rinerus perlegi, & ex illo omnes
supradictos errores extraxi. Est etiam valdè notandum,
quod ipse Ioannes & complices sui, non audent reuelare

errores prædictos credentibus sols, ne ipsi credentes discedant ab eis, propter hos nouos errores, & propter diuisionem & diuersitatem, quæ horum causa est inter Catharos & Albanenses: quia Cathari & Albanenses damnant † Concorezenses, & è conuerso.

† Concorezenses.

Sequitur de proprijs opinionibus Ecclesiæ Concorezensis. Isti bene sentiunt de vno principio tantum: sed multi ex his errant in Trinitate & vnitate. Item confitentur, quòd Deus ex nihilo creauit Angelos, & quatuor elementa; sed errant, credendo, quod Diabolus de limo Dei creauerit omnia visibilia, siue hunc mundum. Item credunt, quòd Diabolus primo formauerit per se corpus hominis, & in illud infuderit primum Angelum, qui in modico iam peccauerat. Item credunt, quod animæ extractæ sunt à dicto Angelo. Item reprobant totum vetus Testamentum, putantes, quòd Diabolus fuerit auctor eius, exceptis his tantummodo verbis, quæ sunt indocta in nouo Testamento per Christum & Apostolos, vt est illud; *Ecce virgo concipiet in vtero, & pariet filium.* Et, *vocabitur Deus fortis, princeps pacis, pater futuri sæculi, &c.* & his similia. Et isti omnes damnant Moysen; & multi ex eis dubitant de Abraham, Isaac & Iacob, & cæteris Patriarchis & Prophetis. Item multi ex eis modò benè credunt de B. Ioanne Baptista, quem olim omnes damnabant. Item dicunt, quòd Christus non assumpserit humanam animam, sed ferè omnes credunt, eum assumpsisse veram carnem ex beata Virgine. Quidam verò Episcopus eorum & antiquissimus Nazarius, coram me Rinhero, & multis alijs, dixit plures; quòd *B. Virgo fuerit Angelus*; & quod Christus non assumpsit humanã naturam, sed Angelicam, siue corpus cæleste; & dixit, quod habuerit hunc errorem ab Episcopo & Filio Maiore Ecclesiæ Bulgariæ iam ferè elapsis annis LX.

Isa. 7.
Isa. 9.

Præterea notandum, quod Cathari omnes, qui confitentur Christum assumpsisse verum corpus humanum, tamen negant glorificatum, aut glorificandum: sed dicunt, quòd Christus deposuerit illud aëreo in cœlo in die assumptionis suæ; & iterum resumet illud in die Iudicij. Quo facto, corpus resoluetur in præiacentem materiam, tanquam cadauer putridum. Item dicunt, quod anima B. Virginis & Apostolorum, & omnium sanctorum, non sint adhuc in gloria, nec erunt vsque in diem Iudicij, sed sint in quodam loco, in aëre isto cum corpore IESV-Christi.

Sequitur de proprijs Catharorum opinionibus de Bagnolor. Isti conueniunt cum prædictis Catharis de Cõcorezo ferè in omnibus opinionibus supradictis, exceptis istis, scilicet, quòd animæ creatæ sint ante mundi constitutionem à Deo; & tunc etiam peccauerint. Item credunt cum prędicto Nazario, quod B. Virgo fuerit Angelus, & quod Christus non assumpserit humanam naturam ex ea; nec verè passus sit aliquem dolorem in morte; nec verè comederit, nec biberit, sed assumpserit corpus cæleste, vt ipsi dicunt.

Vltimò nota, quod Cathari Ecclesiæ Tolosanæ, & Corozenses tenent errores Gelosimaze & Albanentiũ; & Ecclesiæ omnes Catharorum de vltra mare, quo vltimò scripsi, similiter. Nulla verò Ecclesia Catharorum concordat in omnibus cum Catharis Ecclesiæ de Concorezo. Ecclesia Franciæ concordat cum Bagnolensibus. Illi verò de Marchia Teruisina. Toscia, & Valle Spoletana concordant cum Bagnolensibus in pluribus, quàm cum Albanensibus; sed paulatim trahuntur ab Albanensibus. Item omnes Ecclesiæ Catharorum recipiunt se inuicem, licet diuersas habeant opiniones & contrarias. Et Concorezenses, qui se damnant ad inuicem, sicut suprà dictum est. Si quis verò Catharus, siue Catbara, cuiuscunque sit sectæ, non fuerit confessus prędictos errores proprios, vel saltem communes, tunc de illo dicendum est, quòd ipse in hypocrisi *mendacium loquitur*, quod est proprium Catharorum, teste Apostolo; qui hoc de eis sine velamine prophetauit, & siue fuerit homo simplex, vt nouitius; alias in multis sectis illorum secreta minimè reuelantur.

2. Tim. 4.

Paterinus dicit, quod minor creator, scilicet Lucifer, omnia visibilia creauit. Item Paterinus [dicit] Deus huius sæculi excæcauit mentes infidelium. Sic ergò diabolus est creator huius sæculi. Contra, Catholicus, id est, excæcari permisit mentes infidelium. Paterinus dicit; matrimonium esse adulterium. Contra Catholicus, *alligatus es vxori, noli quærere solutionem.* Paterinus; Malus est Deus, qui apparuit Moysi in igne, nolumus in talem Deum credere, qui comburat nos. Contra Catholicus; Idem Deus Apostolis in igne. Paterinus dicit; mortuis suffragia non prodesse. Contra Catholicus; Maria & Martha pro Lazaro orantes exauditæ sunt. Pium est ergo pro defunctis exorare. Paterinus dicit; nullum peccatum esse veniale, sed omnia mortalia: & omne peccatum æqualiter puniri in inferno, & non in Purgatorio. Contra Catholicus; *Tyro & Sydoni remissius erit, quam vobis in die Iudicij.* Ergo non sunt paria peccata, nec æqualiter punientur.

Errores Paterinorum.
1. Cor. 7.
Act. 2.
Ioan. 11.
Matth. 11.

Manichæi, furta, rapinas, sacrilegia non damnant; imo dicunt huiusmodi licere. Matrimonium damnant, dicentes; hoc esse meritoriam fornicationem. Sed incestum naturalem cum matre propria vel sorore, aut cum matre, dicunt esse mundam fornicationem, dummodo fiant secundum ritum sectæ, qui talis est; si quis ex ipsis vult abuti propria matre, dabit ei XVIII. denarios, sex pro eo, quod concepit eum; sex pro eo, quod peperit eum, sex pro eo, quod nutriuit eum; Et sic soluta lege naturali, seu natura, licenter abutitur ea; quia nihil ei attinere putatur, & omnino liber efficitur ab omni naturali reuerentia matris: sicut saccus liber efficitur à frumento, quando fuerit excussum. Qui sorore voluerit abuti, dabit ei sex denarios. Qui commatre, dabit ei nouem denarios. Et sic licitum esse dicunt (incæstum) sine omni peccato. Aquam benedictam, tanquam venenum execrantur, dicentes, quod si quis hominum de ipsorum secta ea fuerit aspersus; debeat excauari de carne eius cum acubus & subulis. Peregrinationes vltra mare, siue ad limina sanctorum, nihil aliud esse dicunt, quam quod homines inaniter sua corpora currendo fatigent. Ecclesiam Romanam dicunt *meretricem*. Vnde Domino Papæ, & omnibus Episcopis, Sacerdotibus & Clericis Catholicis contradicunt dicentes se Ecclesiam Dei, & illos mundi seductores. Episcopus autem eorum sic dedicatur. Puerum ab vtero matris egressum, antequam gustet lac maternum, accipiunt, nutrientes eum lacte amygdalino & pecudis, & demum esu piscium. Cauetur autem, quod nunquam gustet carnes, neque lacticinia, nec aliquod, quod coitu nascitur. Demum, cum ad annos discretionis peruenit, hoc ipso vice est Episcopus sectæ.

Porro quando ad locũm secretũ credentes eorum conueniunt, ante præfatum Episcopum procidunt super genua sua, adorantes eum, & dicunt singuli; *Parce nobis Domine.* Et subiugit vnusquisque dicens hæc verba Teutonicè. † Nimmer musse ich ersterben, ich mosse vmb euch eruuerben, dasz mein End gut uuerde. At ille singulis manus imponens dicit hæc verba ter super vnumquemque adorantium: † Du uuerdest ein gut Mann. Credentibus ipsorum nullam dant spem salutis, nisi ad ipsorum sectam, relictis omnibus, conuertantur, vel saltem in extremo vitæ articulo manus impositionem ab ipsis accipiant. Dicunt enim, omnia peccata per manus impositionem ab ipsis factam relaxari, & Spiritum sanctum infundi. Et hoc volunt probare per illam authoritatem Actuum. *Tunc imponebant manus super illos, & accipiebant Spiritum sanctum.*

† Nunquã moriar, nisi a vobis impetrē, vt finis meus fiat bonus.
† fias vir bonus.
Act. 8.

Quando autem aliquem in extremo vitæ periculo recipere volunt, dant ei optionem; Vtrum velit in regno cælorum esse cum sanctis Martyribus vel Confessoribus. Si autem elegerit statum Martyrum, tunc *manutergio* ad hoc specialiter deputato, quod Theutonicè vocatur, Bntertuch, ipsum strangulant, ostio super eum clauso. Si autem Confessorum elegerit, tunc post manus

nus impositionem nil dant ei ad esum, nec puram aquam ad bibendum, & ita fame ipsum perimunt.

Similis ferme Catalogus est in 4. Sũma 5. Antonini tit.11.c.7. Et in Compilatione Chronologica anno Christi 458 & forte hæc non sunt Reineri.

Hæretici quidam vocantur ex nomine auctoris; vt Simoniaci, à Simone Mago. Quidam ex causis, quas instituerunt: vt Nicolaitæ à Nicolao, qui ob pulchritudinem relinquens vxorem, dixit, vt qui vellet, ea vteretur, & sic versa est in stuprum: & ideo indifferenter stuprantur. Quidam ex loco, vt Runcarij, à villa, Menandriani mundum non à Deo, sed ab Angelis factum dicunt. Cathari propter munditiam negant pœnitentibus veniam. Viduas, si nubant, pro adulteris habent. Iouiniani à monacho, inter Virgines & nuptas nullã dicunt esse differentiam. Tertulliani à presbytero dicunt animam immortalem, sed corpoream, & animas peccatorũ in dæmones conuerti post mortem. Apostolici nudis pedibus incedunt.

B Cataphrygæ ex sanguine infantis & farina conficiunt panem, qui infans si moritur Martyr habetur; si viuit, *Sanctus* dicitur. Adamitæ, ab Adam, nudi conueniunt ad orandum, viri & fœminæ. Valesij seipsos & hospites suos castrant. Massiliani sunt vt monachi nihil operantes, & monachos, qui idem faciunt, condemnant, hi dicunt porcam cum porcellis de ore hominis exire, cum purgatur ritu eorum, & ignem non comburentem visibiliter intrare in os eorum. Priscillianistæ turpissima cõmittunt, quæ ideò occultant, vt dicant credẽtibus suis: *Iura, periura, secretum pandere noli.* Fatalibus stellis homines colligatos dicunt. † Passalomitæ silentio student, in tantum, vt naribus & ori suo digitum apponant, ne ipsa taciturnitate vox erumpat. Item quidam nudis pedibus incedunt; quia dicitur; *Solue calceamentum, &c.* Item, Circumcelliones sunt ferocissimi in alios & in se. Nam seipsos præcipitant & occidunt. Item, quidam dicunt animas sceleratorum in dæmones conuerti, & in quæcunque animalia meritis suis congrua. Item Iouinianus monachus Virginitatem reprobat. Item Arabij dicunt animas cum corpore mori, & post vtrumque resurgere. Paterini dicunt, inferiores partes corporis à diabolo factas: ideo flagitiosè vtuntur eis. Abenonitæ vxores ducunt, sed non vtuntur eis propter continentiã. Item † Iosepistæ contrahunt matrimonium spirituale, & præter coitum omnes delectationes exercent.

† Passalorinchita. Exod.3.

Ioseppini.

C

Quomodo secta agnoscantur.

CAPVT VII.

Hæc recitat Illyricus in Catalogo, sed absq; Auctore.

HÆretici cognoscuntur per mores & verba. Sunt enim in moribus compositi & modesti: superbiam in vestibus non habent, quia nec preciosis, nec multum abiectis vtuntur. Negotiationes non habent propter mendacia & iuramenta, & fraudes vitandas; sed tantum viuunt de labore, vt opifices. Doctores etiam ipsorum sunt sutores & textores. Diuitias non multiplicant, sed necessarijs sunt contenti Casti etiam sunt, maxime *Leonistæ.* Temperati etiam sunt in cibo & potu. Ad tabernas non eunt, nec ad choreas, nec ad alias vanitates. Ab ira se cohibent: semper operantur, discunt vel docent, & ideo parum orant. Item ad Ecclesiam fictè vadunt, offerunt & confitentur, & communicant, & intersunt prædicationibus, sed vt prædicantem capiant in sermone.

Cognoscuntur etiam in verbis præcisis & modestis. Cauent etiam à scurrilitate & detractione, & verborum leuitate, & mendacio & iuramento. Nec dicunt *verè*, vel *certè*, & similia; quia, hæc reputant iuramenta. Item ad quæstiones raro directè respondent: Vt, si quæratur ab ipsis; *Scis tu Euangelium vel Epistolas?* respondẽt; quis docuisset me ista? vel dicunt; huiusmodi debent scire, qui sunt magni vel profundi intellectus; vel, qui ad hoc sunt otiosi vel idonei: † Vel dicunt, sibi licere; quia Christus dixit Iudæis; *Soluite templum hoc,* de corporis sui templo

† Illyr. Et dicunt tantum: Est,

A intelligens; & ipsi intelligebant de templo Salomonis. Dicunt etiam, *est, est, non, non.*

Est, Non, Non, hoc dicunt sibi licere. Ioan.2.

Quomodo se ingerant familiaritati magnorum.

CAPVT VIII.

HÆretici callide student, qualiter se ingerant familiaritati nobilium & magnorum. Et hoc faciunt hoc modo. Aliquas merces gratas, vt annulos & pepla Dominis & Dominabus exhibent ad emendum. Quibus venditis, si homines quærant ab eo, habes plures ad vendendum? respondet, habeo preciosiores gemmas, quàm sunt istæ; has vobis darem, si faceretis me securum, quòd non proderetis me Clericis. Securitate itaque accepta, dicit: habeo gemmam à Deo fulgentem, quod homo per eam cognoscit Deum. Aliam (habeo) quæ tantum rutilat, quòd amorem Dei accendit in corde habentis eam, & sic de cæteris; gemmas dicit metaphoricè. Postea recitat sibi aliquod deuotum Capitulum, vt est id Lucæ; *Missus est Angelus Gabriel, &c.* Vel de sermone Domini; Ioan.13 *Ante diem festum, &c.* Cum igitur ipse inceperit auditori placere, tunc subdit Capitulum Matth.23. *Super Cathedram Moysi, &c. Væ vobis, qui tulistis clauem scientiæ; ipsi non intratis, & cæteros intrare prohibetis.* Et illud Marci 12. *Væ vobis, qui deuoratis domos viduarum,* & quæ sequuntur. Quæsitus autem ab auditore, de quo istæ imprecationes intelligantur, respondet, de Clericis & religiosis.

Vera effigies hæreticorũ nostra ætatis, præsertim Anabaptistarum.

C Post, hæreticus facit comparationem status Ecclesiæ Romanæ ad statum ipsorum; sic dicens; Doctores Romanæ Ecclesiæ sunt fastuosi in vestibus & in moribus, Matth.23. *Amant primos recubitus & vocari appetunt ab hominibus Rabbi.* Rabbinos verò tales non quærimus. Item, ipsi sunt incontinentes; sed vnusquisque nostrum vxorem suam habet, & cum ea castè viuit. Item sunt diuites & auari, quibus dicitur: Væ vobis diuitibus, qui habetis hic consolationem vestram. Nos verò habentes victum & vestes, quibus possumus tegi, his contenti sumus. Item sunt voluptuosi, quibus dicitur; *Væ vobis, qui deuoratis domos viduarum, &c.* Nos verò vtcunque sustentamur. Item ipsi pugnant & bella inducunt, & mandant occidi & incendi pauperes: quibus dicitur; *Omnis qui acceperit gladium, gladio peribit.* Nos verò ab eis persecutionẽ patimur propter iustitiam. Item comedunt panem ociosum; nihil operantes. Nos verò manibus operamur. Item ipsi volunt esse Doctores soli; quibus dicitur Matth.23. *Væ vobis qui tulistis clauẽ scientiæ.*

D Apud nos verò tam fœminæ, quàm viri docent, & discipulus septem dierum docet alium. Item, rarus est Doctor inter eos, qui tria Capitula continuata noui Testamenti litteraliter sciat corde. Apud nos verò rarus est vir vel fœmina, qui textum non sciat vulgariter recitare. Et quia veram fidem Christi habemus, & sanctam vitam & doctrinam docemus omnes nos; ideo scribæ & Pharisæi gratis persequuntur nos ad mortem, vt Christum.

Præterea ipsi tantum dicunt & non faciunt, & alligant onera grauia in humeros hominum, sed digito suo hæc non mouent; nos verò omnia facimus, quæ docemus. Item, ipsi plus cogunt seruari traditiones hominũ, quàm Dei mandata; vt ieiunia, festa, ire ad Ecclesiam, & multa

E alia, quæ sunt hominum instituta. Nos verò tantum doctrinam Christi seruare suademus & Apostolorũ. Item ipsi pœnitentes onerant pœnis grauissimis, quas nec digito mouent; Nos verò exemplo Christi dicimus peccatori; Vade iam, & amplius noli peccare; & ei per manus impositionem omnia peccata relaxamus, & animas transmittimus in morte ad cœlum. Ipsi autem ferè omnes animas transmittunt ad infernum.

His & alijs propositis, dicit hæreticus; Pensate, quis status sit perfectior, & quæ fides? nostra, vel Ecclesiæ

cupiditate, vel vltionne Ecclesia videatur pugnare: vt XXIV. q. 1.

Si verò conuertantur ad fidem, non restituuntur eis ablata, nisi de gratia, vt *extra, Vergentis*: Quid si hæretici habeat filios orthodoxos, nunquid hæreditariè capient bona paterna? Secundū Canones, videtur quod non, vt i. *Et Manichæos*; Vbi dicitur, quod bona hæreticorū deueniebant ad filios, aliquando ad cognatos. Vasalli absoluuntur ipso iure à fidelitate, & omni pacto, quacunque firmitate vallato, quo hæreticis tenebantur adstricti, vt *eo. t. c. vlt.* Imò etiam Vasalli Dominorum temporalium, qui requisiti suam terram purgare neglexerint ab hæretica fœditate, post eorum excommunicationem, & contemptum, denunciandi sunt absoluti, vt *extra. Excommunicamus.*

Tit. de Hæreticis. *Vt. de Hæreticis.*

Ex hoc patet, quòd Principes sæculares & Domini temporales, & Episcopi, si propter hæresim aliorum, quos, dum poterant, exterminare neglexerint, excommunicandi sunt, & expellendi à terris, & terræ ipsorum

A exponi possunt Catholicis occupandæ, vt XVII. dist. 4. *Si quis deinceps.*

De pœna defensorum, fautorum, & credentium hæreticorum teneas, quod dicunt leges, *extra. Excommunicamus.* Qui verò ab hæresi desistere volunt, recipiantur secundum formam, quæ habetur in cap. *Ad abolendam.* De pœna Prælatorum, circa hæc negligentium legitur in cap. *Excommunicamus.*

Sed quæritur, an cum reuersis ab hæresi valeat dispensari, vt promoueri possint, & per quos dispensetur? Sciendum est, quòd tales de iure communi recipiendi sunt ad Laicam communionem, vt 1. q. 7. Adhibetur autem erga eos quadruplex dispentatio: scilicet semiplena, vt recipiantur in Ordinibus iam susceptis, sublata spe promotionis, vt est 1. q. 1. si quis hæreticè. Item plena; vt B possunt sacerdotes fieri & non vltra, vt 1 q. 7. *Conuenientibus.* Item plenior, vt possint esse Episcopi, & non Primates. Item plenissima, vt ad omnes dignitates & Ordines valeant promoueri, vt 23. q. 4. *Ipsa pietas.*

DECRETALIS CONTRA HÆRETICOS.



Excommunicamus, & anathematizamus Vniuersos hæreticos, Catharos, Paterinos, Pauperes de Lugduno, Passaginos, Iosephinos, Arnaldistas, Speronistas, & alios, quibuscunque nominibus censeantur, facies quidem habentes diuersas, sed caudas ad inuicem colligatas: quia de vanitate conueniunt in idipsum. Damnati verò per Ecclesiam, sæculari iudicio relinquantur animaduersione debita puniendi, Clericis, prius à suis Ordinibus degradatis. Si qui verò de prædictis, postquam fuerint deprehensi, redire voluerint ad agendam condignam pœnitentiam, in perpetuo carcere retrudantur. Credentes autem eorum erroribus, hæreticos similiter iudicamus: Item receptatores, fautores, defensores hæreticorum excommunicationis sententia decernimus subiacere, firmiter statuentes, vt si postquam quis talium fuerit excommunicatione notatus, si satisfacere contempserit infra annum, ex tunc ipso iure sit factus infamis, nec ad publica officia, seu consilia, nec ad eligendos aliquos ad huiusmodi, nec ad † testationem admittatur. Sit etiam intestabilis, vt nec testandi liberam habeat facultatem, nec ad hæreditatis successionem accedat. Nullus præterea ipsi super quocunque negotio, sed ipse alijs respondere cogatur. Quòd si fortè Iudex extiterit, eius sententia nullam obtineat firmitatem, nec causa aliqua ad eius audientiam perferantur. Si fuerit aduocatus, eius patrocinium nullatenus admittatur. Si tabellio, instrumenta per ipsum facta, nullius sint momenti, sed cum auctore damnato, damnentur; & in similibus idem præcipimus obseruari. Si verò Clericus fuerit, ab omni officio & beneficio deponatur: vt, in quo maior est culpa, grauior exerceatur vindicta. Si qui autem tales, postquam ab Ecclesia fuerint denotati, euitare contempserint; excommunicationis sententia vsque ad satisfactionem idoneam percellantur, aliàs animaduersione debita puniendi.

Ex lib. 5. Decret. tit. 7. ca. 15. & 13. Et ex alijs capit. eod. tit. & ex const. Frid. Imp. de statutis contra libert. Ecclesiast. editis.

† testimonium.

Qui autem inuenti fuerint sola suspicione notabiles, nisi iuxta considerationem suspicionis qualitatemque personæ propriam innocentiam congrua excusatione monstrauerint, anathematis gladio feriantur, & vsque ad satisfactionem condignam ab omnibus euitentur; ita vt si per annum in excommunicatione perstiterint, ex tunc, velut hæretici, condemnentur. Item proclamationes & appellationes huiusmodi personarum minimè audiantur. Item Iudices, aduocati, & notarij, nulli eorum officium suum impendant. Alioqui perpetuò eodem officio sint priuati. Item Clerici non exhibeant huiusmodi pestilentibus Ecclesiastica Sacramenta, nec eleemosynas, aut eorum oblationes accipiant. Similiter Hospitalarij ac Templarij, & quilibet regulares, alioqui suo priuentur officio: ad quod nunquam restituantur absque indulto sedis Apostolicæ speciali. Item quicunque tales præsumpserint Ecclesiasticæ tradere sepulturæ, vsque ad satisfactionem idoneam, excommunicationis sententiæ se nouerint subiacere, nec absolutionis beneficium mereantur; nisi proprijs manibus extumulent, & proijciant huiusmodi corpora damnatorum; & locus ille perpetua careat sepultura.

Lib. 6. tit. de Hæret. cap. 2.

Item firmiter inhibemus, ne vnquam Laica persona liceat publicè vel priuatim de fide Catholica disputare. Qui verò contra fecerit, excommunicationis laqueo innodetur. Item, si quis hæreticos sciuerit, vel aliqua occulta conuenticula aliquos celebrantes, seu à communi conuersatione fidelium & vita dissidentes, eos studeat indicare confessori suo vel alij, per quem credat ad Prælati notitiam peruenire; alioquin excommunicationis sententia percellatur. Filij autem hæreticorum, receptatorum, fautorum & defensorum eorum vsque ad secundam generationem, ad nullum beneficium seu officium admittantur. Quod si secus actum fuerit, decernimus irritum & inane.

CATALOGVS IN QVO VARIORVM HÆRETICORVM DELIRAMENTA.

LECTORI.



VÆ sequuntur, non pertinent, meo iudicio, ad Reineri librum; quia iam absoluit quidquid in Proœmio decem capitibus tractandum proposuerat. Quia tamen in manuscripto Exemplari subiungebantur Reineriano Tractatui, noluimus nos à loco suo diuellere, multóque minus omnino omittere, cum quædam scitu non indigna contineant, præfixo Titulo, qui est in ipso MS. Codice.

De Hypocritis, qui nuncupantur Stertzer.



NTER hypocritas, qui vocantur Stertzer, alij sunt miserabiles; alij, honorabiles. In prima secta sunt, qui se fingunt pauperes, cæcos, contractos, turgidos per herbam, putridos, per sanguinem eius, in vesica sanguinifluos, brachium emortui alligant, feminæ gestant tres pueros alienos, pallidi se colorant. In secundâ sectâ sunt, qui se fingunt peregrinos S. Iacobi, plumbati, & vltra marinos, & spatulatos pœnitentes. Item barbati cum longis crinibus, cathenati cum ferreis circulis. Item nudi in femoralibus cum flagellis bouis sanguine paratis, se verberāt sine læsione, & dicūt se esse parricidas & huiusmodi. Itē fæminæ in habitu religionis mendicant. Aliæ habitum & gestus viriles assumunt, scilicet Chnappinæ. Item mētiuntur meretrices se fuisse. Item aliqui dæmoniacos fingunt se esse: aliqui Iudæos se fuisse dicunt. Item aliqui medicos se fingentes, matronas corrumpunt. Item aliqui fingunt se comites, aut milites.

Aliqui per characteres decipiunt, & auferunt res. Aliqui, per alligaturas. Aliqui per præstigia. Aliqui mentiūtur se curare per miracula. Aliqui fingunt imagines lacrymari, vel sudare oleum. Aliqui, Eucharistiam in carnem verti. Aliqui fontes sacros & arbores venerātur: aliqui reliquias falsas, aceruos lapidū. aliqui sanctos falsos: aliqui dæmones deuouent. Aliqui fingunt angelos sibi loqui de statu hominū: aliqui fingunt iubilum & deuotionem. Aliqui promittunt thesauros abscōditos reuelare. Aliqui prætextu spiritualis collationis feminas corrumpunt. Aliqui ossa boum pro reliquiis ostendunt, & falsis literis faciūt collectas, quas turpiter expendūt, prædicantes etiam errores. Aliqui bona dicunt, & pessimè viuunt. Aliqui habent habitum sanctitatis, sed vitam non habent. Aliqui fingunt ad cælum vel ad infernum se rapi, & merita ibi, & pœnas adhuc viuentium se videre. Aliqui de Bryonia, quæ dicitur Stuctvvurk, imaginem sculpunt, quam mandragoram esse fingunt. Aliqui radicib⁹ diuersa nomina imponūt, vt Staldevvurke, Heuuvurke, & sic homines deludunt. Aliqui mutos se fingunt, & sic futurā prædicunt nutibus. Aliqui dicunt esse terram viuentium, vt in Verbena. Aliqui dicunt, quod mortui redeant ad amicos. Aliqui contrahunt matrimonium spiritualiter, & sic feminas corrumpunt. Aliquis contrahit cum XXX. quas omnes relinquit.

Examinatio Leonistæ. Quære ab hæretico Leonista; si doctrinam Iesu soli Apostoli seruare teneantur; an ipsi Leonistæ? Si respondet, quòd etiam ipsi totum Euangelium teneantur seruare: ergò tenentur percutienti se maxillam præbere, & tunicam auferenti etiam pallium relinquere, & prædicare super tecta. Quia igitur hæc non seruant, peccant, & multa alia. Item quære, quare potius vult mori, quàm iuret. Si dicet, quia Christus docuit *non iurare*. Contra, quare ergò non seruat doctrinam Euangelij, vt non timeat eos, qui corpus occidūt, & vt renuntiet omnibus, quæ possidet, & alia multa. Item quære; si doctrinam Christi intelligat literaliter, vel spiritualiter; si dicat, literaliter; ergò si oculus eum scandalizat, vel pes, aut manus, eruat & abscindat. Si dicat; spiritualiter; eadem ratione de non iurando spiritualiter intelligere potest. Iacobus dicit; *Si quis totam legem seruauerit, offendat autem in vno, factus est reus omnium.* *Iacob. 2.*

Sed tu Leonista, pauca de lege Christi seruas, & in multis offendis; ergò damnaberis. Quod probo sic: si habes duas tunicas, & das vnam non habenti? & de esca similiter. Item, si ad festa vadis, vt Christus? Item si XL dies ieiunas? Item, si sis pauper spiritu, mitis, lugens, misericors, mundi cordis, &c. Væ ergò tibi, si es diues, si es satur, si rides, si benediceris, si non es sal terræ, & lux mundi. Item, si mandatum minimum soluis. Itē, si offers munus prius, quàm recōciliaris fratri tuo. Itē, si aduersario consentis. Item, si non respondens es, nisi *est*; &, *non*, non per circumlocutiones. Item, si irasceris, reus eris. Item, si das omni petenti & mutuas. Item, non repetis ablata. Item, si alteri facis, quod tibi vis fieri. Item si diligis inimicos, & benè facis eis & pro odientibus oras. Item, si misericors & perfectus es, vt Deus. Item, si nesciat sinistra, quid faciat dextra. Item, si caput vngis cum ieiunas. Item, si vendis, quæ possides, &c. Item, si non cogitas de crastino, Item, si non iudicas. Item, si dimittis. Item, si in via nihil portas, nec pecuniam, nec peram, nec duas tunicas, nec calceamenta. Item, si quod aure audis, super tecta prædicas. Item, si non times occidi. Item, si diligis Deum ex toto corde tuo, & proximum, &c. Item, si verbum otiosum non dicis. Item, si patrem, & matrem & filios relinquis. Item, si abnegas te ipsum. Item, si patrem & matrem tuam odis. Item, si relinquis domum & vxorem. Item, si crucem quotidie baiulas. Item, si castras te propter regnum cælorum. Item, si es paruulus. Item, si septuagies dimittis. Item, si compellis intrare cæcos & pauperes. Item, si semper oras. Item, si semper vigilas. Item, si inuitatum vngis. Item, si pedes alterius lauas. Item, si credens in Christum, maiora opera facis. Item, si omnia, quæ petis, impetras. Item, si sine sacculo & pera nihil tibi deest: Item, si vendis tunicam, & emis gladium: Item, si animam ponis pro amicis; Item, semper doces, vbi omnes palam conueniunt, non in occulto.

Item, si vacas in Sabbato, & in festo, vt compleas secundum mandatum. Item, si prædicas in mundo omni creaturæ, docendo gentes; si baptizas, si signa facis, dæmones

dæmones eijcis, &c. Item, si pariter estis, & habetis omnia communia. Item, si vendens possessiones & substantias diuidis omnibus, prout vnicuique opus est. Item, si non habes proprium. Item, si per impositionem manus, das Spiritum sanctum visibiliter. Item, si quotidie doces in templo. Item, si singulis panem per domos frangis. Item, de morte Ananiæ & Saphiræ. Item, si gaudeant de contumelia. Item quære, quare non obediant Deo, vt Apostoli, publicè prædicando; quia, si est ex Deo, non potest dissolui doctrina eorum. Item, si sint promptiores ad dandum, quàm ad recipiendum. Item, si plures magistros non habes. Item, si indutum veste præclara, non præfers induto veste sordida. Item, si cum infirmatis recipis vnctionem, aduocans presbyteros. Item, si paratus es omni poscenti reddere rationem fidei.

Qualiter concordent Græci cum Christianis Miscellanea hæc sunt, & vt videtur, sine ordine, comportata.

Nota, quod Orientalis Ecclesia, vt Græci, in his discordant à nobis. Primò in persona Spiritus sancti. Dicunt enim, Spiritum sanctum minorem esse patre & filio; & negant eum procedere à patre & filio, sed tantum mitti. Item in Romanam Ecclesiam obedientia. Item, in statutis Ecclesiæ, vt in Decretalibus, Synodis, & cæteris. Item, in Sacramentis Ecclesiæ. Item, Eucharistiam conficiunt de panibus fermentatis: excidunt rotulas: ex illo conficiunt corpus Domini: & panes illi vocantur panis benedictus, & datur omnibus, qui volunt sumere in cibum, & in calice ligneo vino miscent aquam feruentem, in signum Spiritus sancti, & corpus Domini, & sanguinem sumunt de calice cum cochleari ad hoc deputato. In confirmatione & extrema vnctione discordant. Item in pœnitentia; quia vnicuique bono sacerdoti confitentur. Item in Ordine, sacerdotes enim ducunt vxores; quibus mortuis, sunt ad perpetuam continentiam obligati. Item in matrimonio: In gradibus consanguinitatis & affinitatis, & tempore interdicti, & publicæ honestatis contrahunt. In ornatu etiam Ecclesiæ, vestium, & campanarum,

In his autem concordant nobiscum. Primò in veneratione & inuocatione sanctorum: & ferè in omnibus alijs in veteri Testamento & nouo. Armeniorum Ecclesiæ & Æthiopum & Indorum, & cæteræ, quas Apostoli conuerterunt, non subsunt Romanæ Ecclesiæ. Habent enim ritus per se speciales. In primitiua Ecclesia Ordo sacerdotalis * sine Ordinibus præcedentibus, sine solemnitate dabatur Laicis. Vnde, Ambrosius infra septem dies ad omnes est promotus Ordines. Item Apostoli conficiebant corpus Domini in lingua Hebræa.

** si credere fas est.*

Errores diuersorum hæreticorum contra fidem Catholicam. Ioan. 18.

Conuenticula habere, & in secreto docere contra fidem non est, sed contra modum Euangelicum, vbi dicitur: *Ego semper docui in templo, vbi omnes Iudæi conueniunt, & in abscondito locutus sum nihil.* Matth. 10. *Quod in aure auditis, prædicate in tectis*, id est, palam. Dicere, quod XX *Pater noster* præualeant Missæ sacerdotis, contra dignitatem Sacramenti est: Cui sicut dicit Augustinus. *Dignitate in bonis nil præfertur.* Et Gregor. dicit: *Nihil DEO acceptius est, quam filium offerre.* Dicere, quod homo * mortali peccato, faciat actum sine peccato, præsumptio Manichæi est, qui sic ait, vt dicit Eustachius Episcopus. Dicere, quod anima sit sumpta de substantia Dei, Manichæorum hæresis est, vt dicit Augustinus. Manichæus enim dicit, Deum lucis immortalia fecisse de seipso. Hæc tamen hæresis ante Manichæum quorundam fuit Philosophorum, Dicere, suffragia non debere fieri pro animabus determinatarum personarum, sed illis, quibus Deus cupit, contra approbationem Ecclesiæ est, & Canones sanctorum. Beatus enim Gregorius pro monacho proprietario, sed pœnitente, post mortem determinatè XXX. Missas celebrandas instituit: & sic eundem liberauit. Dicere, confessionem venialium non esse necessariam, verum est, sed non est dicendum: quia licet non sit necessaria, tamen pœnitentibus est vt his cum de talibus dicatur: quod bonarum mentium est ibi culpam agnoscere, vbi culpa non est. Veniale * culpa non est, sed dispositio ad * culpam. Dicere, quòd aliquis veniat ad hoc quod Deo non indigeat, blasphemia est in Deum, quo omnis creatura indiget: quia, aliter in nihilum decideret, vt dicit Gregorius. Propter quod dicitur Hebr. 1. *Portans omnia Verbo virtutis suæ.* Et Actuum 17. *In ipso viuimus, mouemur, & sumus.*

** id est, dum mortaliter peccat.*

** mortale culpa non est.*

** mortalem sit.*

Dicere, quod mulier sancta, sit Deus, hæresis est & blasphemia, & est de hæresi Pelagij. Pelagius enim dixit: Non viuo Deo, filio Dei, quia & ego, quando volo possum esse filius Dei & Deus: & hoc dicit August. de Pelagio. Idem est, quod dicitur, quòd homo possit fieri Deus. Ad idem reducitur, quòd dicitur; quòd homo ad talem statum possit peruenire, quod omnia in Christo operetur. Aliquid enim operis datur naturæ, & aliquid concupiscentiæ, sine qua nemo est. 1. *Ioan.* 1. *Si dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, & veritas in nobis non est.* Rom. 8. *Non enim quod volo, illud facio, sed quod nolo, illud ago.* Quod autem Deus operetur peccatũ, blasphemia est. Ad idem reducitur, quod dicitur, quod homo tantum proficiat, quod sacerdote nõ indigeat. Solius. n. filij Dei est clauibus nõ indigere, quæ sacerdotali officio commissæ sunt. Et hanc similitudinem Pelagius ad similitudinem Dominicam cõparare præsumpsit. Ad idem etiam reducitur dicere; Non debere quæri consiliũ à viris literatis siue de vocatione, siue de alijs. Eadẽ præsumptio est Pelagij, qui suum sensum, scripturæ consilio præposuit. Dicere, quod aliquis ad hoc possit deuenire, quod non possit peccare, de præsumptione Pelagij est. Dicere, aliquem ad hoc deuenire, quòd non oporteat eum sanctos venerari, præsumptio Pelagij est. Iob. 5. *Ad aliquem sanctorum conuertere.* Dicere aliquem, quòd anima alicuius, & facientis eadem cum Christo, æquetur animæ Christi, hæresis Pelagij est: cum gratia Christi sit vnionis ad esse: quo verè dicitur, hic homo Deus: gratiæ autem aliorum, sunt gratiæ adoptionis, vt scilicet adoptentur, non, vt sint Deus.

Dicere, quòd homo vnitus Deo peccare non possit, tollere est liberum arbitrium ab homine, quod dicit Augustin. hæresim. Dicere, quòd anima Deo vnita deificetur, hæresis Pelagij est, qui putabat se in Deum transferri. Dicere, quòd homo vnitus Deo sit venerandus, vt corpus Christi, blaphemia est, & Pelagij hæresis. Gratia enim vnionis, gratijs adoptionis præfertur. Vnio enim diuinitatis est ad corpus immediatè: sicut & ad animam. Eodem redit: quòd aliquis dicat, se Deum in Deum recipere, quando recipit Sacramentum altaris: Non enim ipse est Deus, per gratiam adoptionis: sic, qui adoptatur, verè non est filius. Ad idem est, quod aliquis præferatur, & Deo æquetur. Hoc Pelagius dixit.

Dicere, quòd homo in deuotione possit præcellere Beatam Virginem, Pelagij hæresis est, eo quòd Beata Virgo sola excepta sit, quod nunquam motum peccati senserit, qui deuotionem suam impedire potuit. Quòd, sine secreta Verba alijs publicentur, suspectum est. Ioann. 3. *Qui benè agit, venit ad lucem, vt manifestentur opera eius: quoniam in DEO sunt facta.* Et ibidem: *Qui malè agit, odit lucem.* Omnis religio fit tunc suspecta, quæ præcepta & regulas manifestare non audet. Quod dicitur, quòd homo secundum voluntatem fiat Deus, de hæresi Pelagij expressè est. Lucifer concupiuit, & erectus est. Dicere, quòd homo vnitus Deo non debeat confiteri etiam peccatum mortale, de errore Manichæi est. Dicere, quòd homo vnitus Deo, licitè possit tollere rem alterius, mendacium est in doctrina veritatis. Talis enim plus peccat aliena tollendo, quàm non vnitus, in quantum maioris gratiæ contemptor est: propter quod dicit Augustinus. Quanto altior gradus, tanto profundior casus est. Dicere, quod Deo vnitus non debeat ieiunare vel orare, Pelagij error est: cum Helias, Moyses & Christus, maximè Deo vniti, ieiunauerunt & orauerunt.

Quod dicitur, quòd nec Angelus sit, nec dæmon, de antiqua hæresi est Essæorum: quam Christus in Euangelio, & Nicæna Synodus condemnauit. Qui dicit, diuinitatem à corpore Christi separatam esse, de hæresi est Nestorij, & Eutychis, & Pauli cuiusdam Samosateni; qui de antiqua hæresi Arrij propagati sunt; qui Christum* resurrexisse dicunt. Dicere, quod homine comedente, Deus comedat, blasphemia est & hæresis Pelagij. Dicere, quòd orationes, ieiunia confessiones peccatorum, impediunt bonum hominem, mendacium est in doctrina veritatis; quia, inter omnia mendacia hoc perniciosissimum est; cum ieiunio occidantur pestes corporis, & oratione, pestes mentis; & confessio, remedium sit circa vtrumque. Et de errore Manichæi est & Donati, qui in Nicæna Synodo condemnatus est, vt dicit Augustin. de Baptismo paruulorum. Dicere, quòd sanguis boni hominis, venerandus est vt sanguis Christi, Pelagij hæresis est. Dicere, quod licitè comedantur tempore ieiunij prohibita ab Ecclesia, vt caseus & oua, hæresis Pelagij est; & est contra claues Ecclesiæ. A clauibus enim Ecclesiæ procedit, quòd venerabiliter ieiunia sunt tenenda.

Locus mendosus fortè, vocula Non desideratur.

Dicere, quod soluta concumbendo cum soluto, non plus peccat, quam admittendo matrimonialiter sibi coniunctum, hæresis est Iouiniani; cuius hæresis est à Manichæis propagata, vt dicit Hieronymus in libro contra Iouinianum. Item, dicere, quod puerum ex licito concubitu pariens, sine macula sit, est prædicare concupiscentiam maculã non esse, & est hæresis cuiusdam Iuliani, qui fuit discipulus Pelagij, vt dicit August. in libro contra Iulianum Pelagianum. Dicere, quod homo æquatur Patri, & transcendat filium, Pelagij hæresis est & est diabolicũ. Lucifer .n. dixit: *Similis ero altissimo.* Dicere, Christum non doluisse in passione, est dicere, quod Christus non fuerit homo, nisi phantasma; & hæc est hæresis Nestorij & Eutychis. Dicere, quod Angeli non sint lapsi de cælo, contra veritatem Euangelij est, *Luc.* 11. *Videbam Satanam, &c.* 2. Pet. 2. *Deus angelis peccantibus non pepercit.*

Ita M. C.

Dicere, angelos non esse, nisi virtutes, & dæmones non esse, nisi vitia, hæresis est Essæorum. * Dicere, A hoc sub Angelo à bonis fit, non sit peccatum, hæresis est Leonistæ, qui fuit discipulus Iuliani. Dicere bonum hominem peccatorem confitendo sacerdoti, contra veritatem Euangelicam est. Misit enim leprosos Christus, vt ostenderent se sacerdotibus. Est autem de errore Manichæi. Dicere, non oportet inclinare corpori Christi, eo quòd homo sit Deus, Pelagianum est. Dicere, quidquid faciant homines, ex Dei ordinatione faciunt, est hæresis, quia dicunt, omnia euenire ex necessitate, & nihil ex permissione diuina; & est error cuiusdam Alexandri. Dicere, non esse memorandam passionem Christi, impiissimum & hæreticum est; cum nihil ita sit memorandum. Threnor. 3. *Recordare paupertatis & transgressionis meæ, absinthij & fellis.* Est autem error Manichæi & Nestorij, qui dicunt Christũ non fuisse verè passum; & ideo non esse curanda, quæ de passione eius dicuntur. Quod de morte patris & matris non sit dolendum, B nec pro animabus ipsorum orandum, inhumanum est, & continet errorem Manichæi; qui dixit, suffragia animabus non prodesse. Dicere, bono homini non esse peccatum periurare & mentiri, Pelagij vesania est: qui dicit hominem impeccabilem.

Dicere hominem debere ab exterioribus abstinere & sequi responsa Spiritus intra se, hæresis est cuiusdam Ortleni, qui fuit de Argentina, quem Innocentius III. condemnauit. Dicere, oscula virorum & mulierum solutorum, non esse peccatum, est mentiri in doctrina veritatis, Ephes. 5. *Neque scurrilitas, quæ ad rem non pertinet.* Ibi glossa; *quæ est in osculis & amplexibus.*

Dicere, quod Diabolus non alliciat animam dulcedine, est mentiri in doctrina veritatis. Augustinus dicit: *Immiscent se saporibus & sanguini, vt dulcedine afficiantur.* C Dicere, quod communicans, quando ad communionem vadit, DEVM ad DEVM portat, PELAGII hæresis est. Dicere, quòd mater quandoque puerorum virgo possit esse, hæresis est IOVINIANI.

Omnes isti prædicti hæretici, quocunque nomine censeantur, eorumque fautores, receptatores, defensores, & plurium erroribus & falsissimis opinionibus credentes, *deleantur de libro viuentium, & cum iustis non scribantur.* *Psal. 68.*

LECTORI.



Bsurdissimos errores, quos hic Catalogus continet, Reinerusque in suo Opusculo commemorat, copiosissimè refellit F. Moneta, in libro suo contra VValdenses, quem nunc ex membranis minutissimo, & vix, nisi lynceis oculis, visibili Charactere exaratis, exscribendum curauimus: nec publico inuidebimus, si otium relegendi & recognoscendi obtingat.

PETRI

PETRI DE PILICHDORF SACRAE THEOLOGIAE PROFESSORIS

LIBER

CONTRA SECTAM VVALDENSIVM

Nunc primum

Ex tenebris in lucem assertus.

Studio

IACOBI GRETSERI SOCIETATIS IESV THEOLOGI.

LECTORI.

DVO habebam Exemplaria calamo exarata huius libri; sed in neutro apparebat Auctor. Tandem cum iam opus hoc sub prælo versaretur, venit ad me Codex manuscriptus, in quo nomen Auctoris prodebatur. Si quæras, vnde hic mihi Codex? Audi. Ex Celebri & Peruetusto Bauareæ Monasterio Tegernseensi, beneficio Admodum Reuerendi & Religiosissimi in Christo Patris ac Domini PAVLI, loci illius Abbatis vigilantissimi. Ex quo Codice non tantum Auctorem huius disputationis eruimus, sed & aliqua loca aliorum exemplarium suppleuimus, & luculentum insuper Auctarium adiecimus; quod in duobus Codicibus, quibus vtebamur, non exstabat. Inscriptiones Capitum desunt in manuscripto Tegernseensi; sed in alijs quos secuti sumus, leguntur. Vale, & operam nostram boni consule; qui duplici modo Hæreticos nostræ ætatis oppugnandos censemus; altero edendis proprijs; altero, publicandis alienis, vt ita quiuis Scriptor de thesauro suo noua & vetera proferat.

TRACTATVS

PETRI DE PILICHDORF CONTRA HÆRESIN VVALDENSIVM.

CVM dormirent homines, venit inimicus eius, & superseminauit zizania in medio tritici. *Matth. 13. Licet Dominus & Saluator noster IESVS Christus per inimicum hominis bonum semen in agro seminantis, diabolum intelligat, quem etiam hominis nomine in ipsa parabola designat: quia tamen, sicut Christus omnium bonorum caput est, ita etiam diabolus malorum: potest non incongruè per inimicum designari quilibet aduersarius virtutum; qui etiam Sathan meritò vocatur. Maximè verò inimici sunt, qui omnium virtutum fundamentum; quod est fides Christiana, impugnare conantur, sicut sunt hæresiarchæ; qui Prælatis Ecclesiæ, velut hominibus rationabiliter & humane viuere debentibus, in corpore negligentiæ dormientibus, illas paucula, & vtinam non multas, ouiculas rapiunt, inficiunt & furantur.*

Et licet varij variarum sectarum & hæresum hæresiarchæ, & errorum Magistri inter sanctam Ecclesiam reperiantur: Specialiter contra istos insurgendum & vigilandum, de quibus apertissimè constat, quod maiorem numerum Christi fidelium simplicium à fidei orthodoxæ abducunt infallibili veritate. Inter quos nostris temporibus hæresiarchæ, secta Vvaldensium hæreticorum plurimam Christi fidelium multitudinem suis peruersis doctrinis, sub quibusdam simulatæ sanctitatis dulcedinibus errorum veneno mortifero, letaliter infecerunt; quorum quidem malus est ortus, peior progressus, & exitus pessimus.

∴ In M.S. Diessensi titulus est: *Obuiationes contra hæreticos Vvaldensium.* M.S. Nicolaimus. *Obuiationes sacra Scripturæ contra errores Valdens. Matt. 13.* M.S.S. Nic. *sicut scribitur.* ∴ M. S. S. Nic. *mortaliter.*

Nota ortum & originem hæreticorum VValdensium.

CAPVT I.

ORTVS & origo VValdensium hæreticorum talis est: licet iniquitatis filij coram simplicibus mentiantur, dicentes, sectam eorum durasse à temporibus Syluestri Papæ, quando videlicet Ecclesia cœpit habere proprias possessiones; hoc hæresiarchæ reputát non licere, cum Apostoli Christi sine proprio iussi sint viuere, Matth. 10. *Nolite possidere aurum, neque argentum*, &c. Respondet Ecclesia, quòd idem Dominus IESVS Christus, qui quandiu mansit in terris corporali præsentia, in corpore mortali, dixit ad discipulos verbum præmissum. Ipse tempore recessus, & separationis ab eis, dixit Luc. 22. *Quando misi vos sine sacculo & pera, & calciamentis, nunquid aliquid defuit vobis?* Et cum discipuli respondissent; nihil: Dominus adiunxit: *Sed nunc, qui habet sacculum tollat, similiter & peram.* Quod prius prohibuit, postea concessit. Ideo licet Prælatis Ecclesiasticis habere proprium, ad defendendam Ecclesiam contra hæreticos, & alios iniuriosos inuasores. Vnde Pater ad filium in Psal. 2. *Filius meus es tu, ego hodie genui te. Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam.* Ex hoc enim vocantur possessiones Ecclesiæ patrimonium Christi.

Matth. 10.

Luc. 22.

Psal. 2.

A

B

Item tempore primitiuæ Ecclesiæ, non solum Apostoli vel Clerici, sed etiam omnes Christiani tam Clerici, quam Laici, habebant omnia communia; *nec quisquam eorum, quæ possidebat, aliquid suum esse dicebat*, vt habetur Act. 5. Quapropter etiam Ananias & Saphira, qui fraudem fecerant de pretio agri venditi, correpti simul & mortui sunt. Si ergo possessio proprij damnaret Ecclesiam, tunc etiam omnes credentes hæresiarcharũ VValdensium damnarentur: sicut & in veritate cum suis Magistris, nisi conuersi ad fidem Catholicam fuerint, damnati sunt, non ex possessione proprietatis, sed ex vitio hæresis. Mentiuntur ergo, quod ex tempore Syluestri Papæ sectæ eorum durauerint.

Actor. 5.

C

Vnde notandum quod ferè octingentis annis post Papam Syluestrum, tempore Innocentii Papæ II. in ciuitate VValden, quæ in finibus Franciæ* sita est, fuit quidam ciuis diues, qui vel ipse legit, vel audiuit, Dominum dixisse cuidam adolescenti, Matth. 19. *Si vis perfectus esse, vade & vende omnia, quæ habes, & da pauperibus.* Et cum ille tristis abiisset, eo quod diues fuerat, multas possessiones habens, dixit Dominus; *Quàm diues difficile intrabit in regnum cælorum.* Et iterum: *Maliò facilius est camelum per foramen acus transire, quàm diuitem intrare in regnum cælorum.* Et post pauca, dixit Petrus Domino; *Ecce nos reliquimus omnia & secuti sumus te.* Putabat ille Petrus VValdensis, cum hanc audiret, aut legeret scripturam, quod vita Apostolica iam non esset in terra. Vnde cogitabat eam innouare, &, omnibus venditis, & pauperibus datis, cœpit vitam pauperem ducere: quod videntes quidam alij, corde compuncti sunt, & fecerunt similiter. Inter quos prædicto Petro quidam se adiunxit, qui dictus erat Ioannes, & erat de Lugduno.

Illyr. Cent. XII. ca. 8. *Petrus VValdus, ab oppido VValdis sito in Marchia Gallia*. Cod. Tegern. *versus Alamanniã.*

D

Cum autem diu in paupertate stetissent, inceperunt cogitare, quod etiam Apostoli Christi non solum erant pauperes, imò etiam prædicatores, cœperunt & ipsi prædicare Verbum Dei. Quod, postquam ad sedem Apostolicam peruenisset,* mandat Dominus Apostolicus, quod cessarent; cum prædicatio Verbi Dei rudibus & illiteratis non conueniat: ipsi noluerunt obedire; quasi hoc Romana Curia ex inuidia prohiberet. Quo comperto, Ecclesia excommunicauit eos: Et ipsi resistentes contumaciter ab Ecclesia condemnati sunt. Et quia iam in palam prædicare non præsumebant, occulte saltem prædicabant. Vnde in odium Clericorum & veri Sacerdotum ex antiquis erroribus veteranorum hæreticorum, & superadditis nouis & damnosis articulis, inceperunt, solis exceptis Sacramentis, omnia destruere & condemnare, & reprobare, per quæ Clerus, velut pia mater, filios eius congregat, sicut gallina congregat pullos suos sub alis. Quorum errores, cum suis aliqualibus reprobationibus in sequentibus apparebunt.

C.T. Qui dictus erat Ioannes de Lugduno, à quo etiam fratres vocabantur. Pauperes de Lugduno.

M.S. St. Nic. *mandante.*

A

Cum autem longo tempore furtiuè prædicarent, taliter, & multos sub prætensa sanctitatis apparenti simulatione à fidelium communione, ad suam sectam adducerent, cogitabant inutiles esse ipsorum prædicationes, nisi etiam scrutarentur conscientias credentium ipsorum per confessiones audire, pœnitentias iniungere, & à peccatis absoluere. Et quia credentes ipsorum viderent, & quotidie vident, eos exteriori sanctitate pollere, Sacerdotes verò Ecclesiæ quam plurimos, vitiis, proh dolor, & maximè carnalibus insistere; credunt se melius per eos à peccatis absolui posse, quam per sacerdotes Ecclesiæ. Et nisi diuina clementia dignata fuerit Prælatis Ecclesiæ Maiorem inspirare vigilantiam, timendum est, ne fortè maiorem sibi adhuc vsurpent potestatem. Nam nouiter compertum est, quod quidam hæresiarcha, licet fuerit purus Laicus, corpus Christi, vt sibi videbatur, confecerit, & seipsum, & quosdam complices communicauerit, licet fuerit super hoc ab aliis hæresiarchis aliqualiter redargutus.

M.S.S. Nic. *fouet*

B

De fidei vnitate & identitate.

CAPVT II.

AD retorquendum igitur, repugnandum, resarciendum, & reprobandum ipsorum erroneos articulos, ait primò notandum, quod fides vna, est omnium electorum tam præcedentium Christi aduentum, quàm sequentium. Vnde, qui præcedebant, & qui sequebantur, clamabant: *Osanna filio Dauid*, Matth. 21. De his, qui præcedebant Christi aduentum, pulchrè dicit Paulus ad Hebr. 11. de Abel, Enoch, Noë, Abraham, Sara, Isaac, Iacob, Ioseph. Moyse, Raab, Gedeon, Baruch, Sampson, Iephte, Dauid, & Samuel, & aliis Prophetis, quibus omnibus vna fides erat: quitanta, quæ ibi ponuntur, sunt à Domino consecuti. Post quos *in terra visus est, & cum hominibus conuersatus est* ille vnigenitus DEI filius mundi Saluator Dominus noster IESVS Christus, qui prius per ora nunciorum legationem fecit, postea ipse nuncius à Patre missus est, & ore suo osculatus est sponsam suam prædicatione fidei orthodoxæ; qui etiam se ipsum ad hoc missum dicit Luc 4. *Quia & aliis ciuitatibus oportet me euangelizare regnum Dei; quia ideo missus sum.*

C

Baruch. 3.

Luc. 4.

D

De continuatione fidei.

CAPVT III.

ET quia non decebat ipsum nostræ mortalitatis defectibus perpetuò subiacere; quia per mortem suam nostros venit curare defectus & languores instituit eiusdem vnicæ suæ fidei Prædicatores Apostolos, & postea magnum illum gentium doctorem B. Paulum. Quibus, inquam, Apostolis non volebat Christus omnia credenda in suis prædicationibus innotescere; sed multa seruauit aduentui Spiritus sancti. Ioan. 16. *Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modò. Cum autem venerit* (Spiritus Veritatis) *ille, vos docebit omnem veritatem*: Sed quia Christus & Spiritus eius, qui est ipse Spiritus sanctus, non dico de illa eius anima rationali, non solum cum discipulis, verum etiam cum omnibus Christi fidelibus manere dignatus est. Matth. vltim. *Et ecce, ego vobiscum sum omnibus diebus, vsque ad consummationem*

Ioan. 16.

Matth. 18. *tionem sæculi*. Et Matth. 18. *Vbi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, illic sum in medio eorum.*

De perpetuitate fidei.

CAPVT IV.

IDeo eadem fides, quæ præfigurata est in Patriarchis prænunciata in prophetis, prædicata à Christo & discipulis, hodie, & in æuum, prædicatur ab Ecclesiæ Doctoribus & Prædicatoribus. Vnde concludendum, quod vnica est fides Catholica omnium Electorum DEI, & non est alia, quæ scilicet mansura est, vsque ad finem sęculi, vbi fide euacuata, *videbitur DEVS Deorum in Sion* ab electis facie ad faciem. Luc 22. dicit Dominus Petro. *Ego autem rogaui pro te, Petre, vt non deficiat fides tua* Et Luc. 1. *Et Regni eius*, scilicet Christi, *non erit finis*. Et Daniel. 4. *Potestas eius potestas sempiterna, & regnum eius in generationem & generationem.*

Vnde prius VValdensis ordinatus fuerit?

CAPVT V.

REspondeas ergò VValdensis hæretice si sacerdotiũ Apostolicum ablatum est tempore Papæ Siluestri, sicut mentitur tibi iniquitas tua; quis ergò ordinauit primum VValdensem in sacerdotem, cum nullum fuerit aliud sacerdotium in mundo verum, nisi illud Christi secundum Melchisedech? Vel ergo dices, quòd te ordinauerit sacerdos Iudæus, vel Paganus, vel Christianus; vel, DEVS, vel Diabolus; vel, tu te ipsum elegeris? Si Iudæus vel Paganus, vnde tibi ergò nomen Christiani; cum nemo tribuit, quod non habet? Si Christianus, & quis potuit finisse, cum tu mentiaris sublatum fuisse sacerdotium? Si DEVS: ostande per signa. Sed non credis hodie in Ecclesia fieri signa. Ergò non poteris ostendere per signa; quia nemo approbat se per hoc, quod impugnat.

Quod autem oporteat te probare per signa probatur; quia tu credis te vices gerere Apostolorum; Et illis dedit Saluator, signa facere. Nec quidem voluit hoc esse donum illi magno suo Baptistæ Ioanni. Ioan. 10. *Quia Ioannes quidem signum fecit nullum.* Signa ergò facere, fuit euidens signum Apostolorum: imò etiam Iudæ pessimi quem adam. Dominus non excepit, cum discipulis dixit Matth. 10. *Infirmos curate, mortuos suscitate, leprosos mundate dæmones eijcite.* Relinquitur ergò quod sis ordinatus missus à diabolo. *Vos ex parte Diabolo estis.* Ioann. 8. Mendaces, homicidis peiores, fures: qui non venitis nisi vt furemini, mactetis, & perdatis. Ioan. 10. *Quotquot venerunt* scilicet non legitimè missi, *fures sunt & latrones*. Non estis pastores boni, qui relinquitis credentes vestros, & fugitis ab eis, & non paretis, quia Ioan. 3. dicitur; *Qui malè agit, odit lucem.* Si verò tu temetipsum elegisti; hoc sine Diabolo non fecisti, Heb. 5. *Nec quisquam sibi sumit honorem, sed qui vocatur à Deo, tanquam Aaron.* Ergo percussus es lepra, vt Ozias, qui accepto thuribulo, voluit adolere incensum Domino. 2. Paral. 26. Deglutit te terra, id est, infernus vt Dathan & Abyron, Num. 26.

Ex quibus probetur Vnitas.

CAPVT VI.

VNitas etiam fidei Catholicæ potest probari ex vnitate Dei. qui nos omnes creauit; ex vnitate primi parentis, qui nos omnes propagauit: ex vnitate Christi, qui nos reparauit, ex vnitate Baptismi, qui nos omnes ab originali crimine mundauit; ex vnitate regni, ad quod promerendum, Pater familias nos omnes, velut ad denarium diurnum accipiendum, in vineam præsentis Ecclesiæ vocauit, constituit, & locauit.

Quod fides debeat esse manifesta probatur de Christo.

CAPVT VII.

HAnc autem fidẽ oportet esse manifestam, non occultam, probatur multipliciter. Primo, Christus fidei fundamentum nasci noluit in angulo Orientis, Occidentis, Austri, vel Aquilonis, sed in medio terræ, & ibi salutem nostram operari. Psalm. 73. *DEVS autem Rex noster ante sæcula, operatus est salutem in medio terræ*, vt videlicet traheret circumquaque electos eius ad se. Matth. 8. *Multi venient ab Oriente & Occidente, & recumbent cum Abraham, Isaac & Iacob in regno cælorum.* Item, Regibus Orientis tredecimo die ętatis eius voluit apparere. Matt. 2. Item, quadragesimo die in templo manifestè præsentari. Luc. 2. Item, duodecimo anno in templo inter Doctores à parentibus inueniri. Luc. 2. Item, publicè in templo docere. Ioan. 18. *Ego palam locutus sum mundo, ego semper docui in Synagoga, & in templo vbi omnes Iudæi conueniunt, & in occulto locutus sum nihil.*

Argumenta VValdensium cum solutionibus.

CAPVT VIII.

SEd dicis VValdensis hæretice: *Tamen Christus docuit Nicodemum in nocte de Sacramentorum exordio, scilicet, de Baptismate*, Ioan. 3. Respondeo, Christus non venit ad Nicodemum, sed Nicodemus ad Christum. Tu vero fur, & latro, lupe, glis & vespertilio, noctua cæca nocte ad simplices volitas, cursitans circuis quærens quem deuores.

Item obiicis; Tamen Christus dicit discipulis, Luc. 12 *Quod in aure auditis in cubiculis.* Respondeo, allegas scripturas sicut Magister & Pater tuus Diabolus, qui dicit ad Dominum, Matth. 4. *In manibus tollent te, vt non offendas*, &c. Sed tacuit, quod sequitur; *Super aspidem & basiliscum*, id est, Diabolum, *ambulabis*: sic tu, non addis *prædicabitur in tectis*. Tu vero tanquam venenosa repis in cellaria ad ministrandum tua prætensa officia, quando mulierculas audis confitentes in cellariis, cauernulis, & domorum angulis, & in cistis.

Item oblatras; *Tamen Christus solis discipulis prædicauit de excidio templi, & die iudicij.* Matth. 24. Respondeo; Et vnde hoc scires; si hoc prius prædicari publicè non audiuisses, Cum enim fueris sartor, faber, sutor, rusticus, pilliator, molendinator, aut alius ex artificibus, prius audiuisti hoc publicè prædicari in Ecclesia, quàm à tuo Magistro in priuata doctrina, & prædicatione occulta.

† M. S. S. Nicolas, palliator, fortè legendũ pelcator HVTAR

Item replicat vulpes dolosa; Tamen discipuli erant intus clausi propter metum Iudæorum post Christi resurrectionem. Ioan. 20. Ad quos etiam dixit, *Sedete in ciuitate.* Luc 24. Respondeo ad primum; Discipuli, qui primo, metu Iudæorum ex infirmitate latebant, postea roborati in aduentu Spiritus sancti publicè prædicabant. Ad secundum non dixit *Sedete* in molendino, in cellario, in stabulo, in angulo, sed *in ciuitate* quæ interpretatur, ciuium vnitas; ad designandum, quod inter se deberent habere mutuam charitatem. Item, non dixit, sedete per dimidium annum, sed donec induamini virtute ex alto: & tunc ibitis in vniuersum mundum. Sed, quãdo tu, hæretice, prædicas omni populo, Semper tu latitas in angulo, manifestè designans, quod non sis indutus virtute, sed iniquitate, non ex alto, sed ex inferno, & quod non sis repletus Spiritu sãcto, sed Spiritu maligno.

Ita C. T. † M. S. S. Nic. gannit.

Item, Christus manifestè passus est in elemento communi, scilicet in aëre, quod nemo Regum & Principum, aut quorumcunque potentum sibi potest quomodolibet propriare. Et hoc ideo, quod designaret, quod sine acceptatione personarum pro omnibus pateretur, Ioan.

ta. *Ego si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipsum.* Patet ergò, quod Christus prædicator summus, voluit esse manifestus.

Probatio eiusdem per Apostolos.

CAPVT IX.

SEd & idem facere docuit suos discipulos. Probatur primo, Matth. 5. vbi dixit in prima eiusdem prædicationum in monte; *Vos estis lux mundi.* Licet enim Christus originaliter & essentialiter sit lux mundi, Ioan. 1. *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Et Ioan. 3. *Lux venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras, quam lucem.* Et Ioan. 12. *Ego lux in mundum veni.* Discipuli verò participatione, quantum participant lucis à Christo: tamen prius voluit suos Apostolos publicè vocare lucem mundi, quàm seipsum quia de se ipso primum loquitur, Ioan. 8. *Ego sum lux mundi,* post multas prædicationes Iudæis publicè factas, Ioan. 5. & 6. & 7. Fortè ideò; quia prædicatio discipulorum in propriis personis diutius multò durauit in mundo, quàm Christi. Christus enim prædicauit solum tribus annis cum dimidio: sed discipuli tempore multo. Et etiam ad designandam infallibilem & irrefragabilem veritatem verborum Christi, quam voluit publicè prædicari. Vnde, *eloquia Domini sunt argentum igne examinatum, purgatum terra septuplum.*

Quod VValdensis non prædicat mundialiter viuentibus.

CAPVT X.

DIxit ergo; *Vos estis lux mundi;* quasi diceret, Verba & facta vestra debēt illuminare corda mundalia, tenebrosa. Hoc tu VValdensis hæretice non facis; non vadis ad mundum non prędicas peccatoribus magnis & litigiosis, fornicatis, lusoribus, furibus latronibus, bibulis, chorearum ductoribus, vsurariis, raptoribus, & aliis in mundo criminosis, sed solos illas attrahis, quos audis esse pacificos, quietos, silentiosos, compositos, qui sine te manerent filii regni, tecum facis filios inferni, lupo per omnia similis, qui de grege consueuit oues rapere pinguiores.

Quod hæresiarcha VValdensis non primò inducit aliquem, nec, per se.

CAPVT XI.

NEc quidem per teipsum hoc facis, sed tu in angulo latitante, aut per mundum gyrante, vetulæ & mulierculæ sunt ministræ tuæ, & venenum bibitum de te, taliter consueuerunt in alios fundere. Et quando, te reueniente, volunt tibi nouellam oiculam adducere, tu nimis argutè syllogizas, & præuenis instantias dicēs, *Videtè caute quid homo ille sit bene dispositus, alias non admittam eum.* Vnde factum est semel, quod cum quædam nollet consentire confessioni faciendæ, dixit ad inductrices hæresiarcha: *Non Rachel, sed Liam supposuistis mihi.* Hoc Petrus & Paulus non fecerunt: imò ad nequissimum Neronem personaliter venerunt. Item, Matth. 5. *Non potest ciuitas abscondi supra montem posita.* Mons Christus est, ille *pinguis, ille coagulatus, in quo beneplacitum est DEO habitare in eo,* Ioan. 10. *Vt cognoscatis & credatis, quia Pater in me est, & ego in patre.* Supra hunc montem posita est ciuitas, id est, fides Catholica, quæ est ciuium vnitas. Nam omnes Catholici de quatuor plagas mundi concordant in fidei vnitate.

Quod hæretici diuersarum sectarum damnant se mutuò.

CAPVT. XII.

NOn sic hæretici, quorum quidam alios reprobāt, & condemnant; sicut VValdenses reprobant, imò nauseant Runcaros & Beghardos, & Luciferianos, & alios diuersos. Illi adhuc omnes sunt filij Diaboli, quia nondum sunt per Christum in vnum congregati. Ioan. 11. *Christus non tantum moriturus erat pro gente, sed, vt filios DEI, qui erant dispersi, congregaret in vnum.* Sed quomodo filii Dei, si nondum congregati, sed dispersi? Respondeo; Christus loquitur secundum æternam prædestinationem, filios Dei esse qui finaliter sunt saluandi; quantumcunque temporaliter sint mali.

Sed dices hæretice, *Si ego sum iustus etiam sum filius DEI.* Respondeo; Deus non denegat tibi gratiam, si conuerti velis ad eius Ecclesiam. Hæc ergò ciuitas non debet abscondi, sed publicè propalari. Item, Lucæ 11. *Nemo lucernam accendit, & in abscondito ponit; neque sub modio, sed supra candelabrum, vt, qui ingrediuntur, lumen videant;* Simile habes Matth. 5. vbi dicitur; *Neque accendunt lucernam, & ponunt eam sub modio, sed supra candelabrum, vt luceat omnibus, qui in domo sunt. Sic luceat lux vestra coram hominibus,* &c.

Quod VValdensis hæreticus timet publicè prædicare.

CAPVT XIII.

SEd dicis hæretice: *Non possum esse talis lucerna publica propter instantes persecutiones; quia vocant me hæreticum.*

Respondeo; Hoc ipso ostendis te non esse in Apostolatu Christi, nec esse Vicarium discipulorum eius, quia propter timorem, dimittis fidei prędicationem. Si secta tua fides esset vera, non ires de discipulis suis, imò potius ad eos. Dicit Dominus Matth. 10. *Ad præsides & reges ducemini propter me. Cum autem tradent vos, nolite cogitare, quomodo, aut quid loquamini. Non enim vos estis, qui loquimini, sed Spiritus patris vestri, qui loquitur in vobis.* Sed Spiritum Christi habes, quare non prędicas coram reges & præsides: cum de Paulo scriptum sit, & ad Ananiam dictum, *Vade, &c. quia vas electionis est mihi iste, vt portet nomen meum coram regibus & gentibus?* Item Luc 12. dicit Dominus discipulis suis: *Dico vobis amicis meis; ne terreamini ab his, qui occidunt corpus, & post hoc non habent amplius, quid faciant. Ostendam autem vobis, quem timeatis. Timete eum, qui postquam occiderit, habet potestatem mittere in Gehennam. Ita dico vobis, hunc timete.* Ecce quia propter mortem corporis non est cessandum ab officio publicæ prædicationis.

Item, Matth. 26. *Vbicunque prædicatum fuerit Euangelium istud in vniuerso mundo.* Item, Matth. vltim. *Euntes in mundum vniuersum prædicate Euangelium omni creaturæ.* Non sic facis hæretice, qui quandoque in vna magna ciuitate vix quatuor, vel sex habes credentes; qui tamen nimii sunt, vtinam omninò nulli essent; quia sequitur eos mors æterna. Item, Luc. vltim. *Oportebat Christum pati & resurgere à mortuis tertia die, & prædicari pœnitentiam & remissionem in omnes gentes.* Audite VValdenses. Non est sub sole infidelior natio, quam vos estis. Creditis enim extra fidem vestram, vt potevetam, nullum posse saluari: & tamen quandoque, imò multoties, prohibetis mulieribus, ne reuelent eam legitimis maritis; & è conuerso: imò filij occultant eam à parentibus, quandoq; parentes à filiis, imò frater à fratre, soror à sorore; & tales scienter, secundum vestram opinionem, permittitis condemnari. Damnati igitur estis omnes, Luc. 12. *Qui negauerit me coram hominibus, denegabitur coram angelis DEI.* Si ergò secta vestra esset fides vera, vos essetis æternaliter condemnati: quia non confitemini eam secundum mandatum Euangelicum.

De temerario iudicio VValdensium.

CAP. XIV.

SEd VValdensis hæretice, obijcis verbum Domini dicentis, Matth. 20. & 22. *Multi sunt vocati, pauci verò electi.* Et in Psal. 3. *Domine, quid multiplicati sunt.* Item: *Domine à paucis de terra diuide eos in vita eorum.* Itē *Annunciaui & locutus sum, multiplicati sunt super numerum.* Item: *A fructu frumenti, vini & olei multiplicati sunt.* Itē, Ecclesiast. 10. *Stultorum infinitus est numerus.* Vbi per *vocatos, & multos*, intelligis Catholicos: Et per *paucos electos*, intelligis complices tuos.

Psal. 16. Psal. 39. Psal. 4.

Respondeo, quod omnes prædictæ autoritates essent æquè veræ, etiamsi tui pauci, quos electos reputas, nunquam fuissent. Sed nimis es præsumptuosus, si te electum cum tuis credentibus reputas. Oblitus es verbi Salomonis Eccles. 9. *Sunt iusti, atque sapientes, & opera eorum in manu DEI: & tamen nescit homo, vtrum amore, an odio dignus sit, sed omnia in futurum seruantur incerta.* Quis te constituit iudicem Catholicorum? Nescis scriptum Matth. 7. *Nolite iudicare. In quo enim iudicio iudicaueritis, iudicabimini.* Et ad Rom. 14. *Tu, quis es, qui iudicas seruum alienum? Suo enim Domino stat, aut cadit.* Temerarius igitur iudex es, qui te cum complicibus tuis sectarijs, notos, id est, *die Kunden*, & alios Catholicos, *die Frembden*, nominas. Sed quocunque te cunque dicimini, tunc vera est de vobis illa scriptura, *Et* * *notos mei longè recesserunt à me, dicit Dominus.* Non ergo vos estis illi pauci, quos Dominus electos nominat: quia, * nihil satis estis ad illam ruinam magnam restaurandam, quam angeli Apostatici fecerunt. Quæ etiam nimiam iniuriam facitis diuinæ clementiæ, quam Christi sanguis pro solis vobis efficientet effusus sit.

* Allectitur ad s. ud. Iob 6. Necessarij quoq. mei, longe recesserunt à me. * id est, non sufficientis.

De multitudine saluandorum: contra eosdem VValdenses loquitur.

CAP. XV.

ADuerte * etiam numerum electorum nomine multitudinis in scripturis exprimi; licet, in comparatione damnatorum, sit paucus. Dicit Dominus Matth. 8. *Multi ab Oriente & Occidente venient, & recumbent cum Abraham, Isaac & Iacob in regno cælorum.* Item, Ioann. 12. *Si granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, fructum multum affert.* Itē, Io. 15. *In hoc clarificatus est Pater meus, vt fructum plurimum afferatis, & efficiamini mei discipuli.* Itē, Apocal. 7. Post illa quadraginta quatuor millia signatorum, dicit Ioannes se vidisse turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat ex omnibus gentibus, & tribubus, & populis & linguis.

* M.S.S. Nic. Audite.

Sed licet, tu VValdensis hæretice, * minimos credentes habeas ad æternam damnationem; ostendam tibi tamen gentes, tribus, populos & linguas, vbi per DEI gratiam sunt omnes Catholici, & omnes homines sunt immunes à tua secta penitus conseruati; scilicet Angliā, Flammingiam, Flandriam, Brabantiam, Garlandiam, VVestphaliam, Daciam, Sueciam, Norvvegiam, Prussiam, & regnum Cracouiæ, * penè nullos habens VValdenses. Qualiter ergò poteris esse discipulorum Domini successor, cuius doctrina, et DEI gratiam in tot partibus est incognita? Cum de Apostolis dicatur; *In omnem terram exiuit sonus eorum.* Non est ergò pastor bonus ille, de quo dicit Dominus Ioan. 10. *Bonus pastor animam suam ponit pro ouibus suis.* Quare non periclitaris cum ouibus in Turingia, Marchia, Bohemia, Morauia, vbi ex DEI gratia, iam infra spatium duorum annorum, citra mille personas, hæretici VValdenses, ad fidem Catholicam sunt conuersi? Quare non venis ad Austriam & Vngariam, vbi spes est * inquisitoribus hæreticæ prauitatis, plures item quam mille personas tuorum credentium fore de

* id est, paucissimos. M S S Nic. animos.

* C. T. penitus.

Psalm. 18.

* C. T. inquisitoribus.

faucibus Leuiathan extrahendos? Nullibi cōparere semper fugis, & pauperes simplices in suis tribulationibus relinquis. Dico audacter, si tua foret iusta doctrina, facile tibi esset in locis omnibus prædicanda. Nunc falsariè monetam tuam, vtpote falsam, oportet te cautius occultare.

De obtrectationibus VValdensium contra presbyteros Ecclesiæ, &c.

CAP. XVI.

OBloqueris etiam sacerdotibus Ecclesiæ dicens: *Fornicarij sunt, Vsurarij sunt, Tabernarij sunt;* * *& alia multa* * *vitia contectas in eos.* Respondeo: Quid ergò? Nunquid ideo sacerdotes non sunt? Absit. Sicut autem bonitas hominis singularis non confert sacerdotium, sic eius prauitas non aufert ipsum. Non enim est ille Petrus ideo Sacerdos, quia Catharinæ peccatricis filius; sed quia per Episcopum Catholicum intra viscera matris Ecclesiæ ritè ordinatus. Ecce quinis Laicus quantumcunque sit virtuosus, & iustus, & sanctus, non tamen ex hoc, id est, ex illis virtutibus, potest esse Sacerdos. Similiter pessimus homo, qui est Sacerdos, non cessat ex suis vitijs esse Sacerdos, etiamsi tantam dignitatem, sibi ad iudicium habet: ministerium tamen eius, quin efficax existat, non præiudicat. Pessimus ergò homo, qui est Sacerdos, dignior est sanctissimo homine, qui est Laicus. Et quis est ille tam sanctus Laicus, qui manu sua contrectare præsumeret Christi venerabile corpus? Audacter dico, si contrectare præsumeret, iam sanctus non esset.

Dissensio. De oblatratione hæreticorum erga sacerdotes. * Taxillorij sunt, falsarij sunt, habet M S S Nic. * Iam: commitia.

Sicut ergò fornicatio, aut adulterium, non tollit à Rege regalem dignitatem; si aliàs est bonus Iustitiarius, faciens in terra iudicium & iustitiam; ita nec potest tollere dignitatem sacerdotalem, si alias ritè Sacramenta ministrat, Verbum DEI prædicat, aut alia sacerdotalia facit. Quis dubitat luxuriosum regem casto milite digniorem, etsi non sanctiorem? Est * quidam Episcopus & fornicarius, & alius, simplex Sacerdos, & castus: quis dubitat eum esse sanctiorem, sed non digniorem? Contingit frequenter simplicem monachum suo Abbatē reperiri sanctiorem; nunquam autem digniorem. Nemo dubitare debet, Nathanaëlem sanctiorē Iuda Scarioth; & tamen Iudam digniorem propter Apostolatum Domini, ad quem non Nathanaël, sed Iudas susceptus est.

* C T quidā.

Sed dicis hæretice, *Tamen dixit Christus,* Ioan. 20. *ad discipulos: Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: Ergò Sacerdos, qui Spiritum sanctum non habet, quando fornicarius est aut aliter criminosus non potest absoluere.* Respondeo: Etsi presbyter criminosus charitatem non habet, aut Spiritum sanctum, vt homo singularis, nihilominus dignum est eius Sacerdotium, dignum est eius ministerium, quoad Sacramentorum efficaciā; etsi quoad ministerium, indignum: In quibus Sacramentis inuisibilis gratia illius magni Sacerdotis Melchisedech IESV Christi Domini nostri, salubriter & efficaciter operatur. Est ergò idem valor Sacramentorum, dignitas, & nobilitas, siue à digno, siue indigno presbytero conferantur.

Exempla familiaria de Sacramentis à quibuscunque collatis.

CAP. XVII.

EXemplum. Rosa rubens æqualiter rubet in manu Imperatoris, & alterius fœtidæ mulieris. Similiter carbunculus in manu regis & rustici. Et famulus meus ita benè mundat stabulum cum furca ferrea, & rubiginosa, sicut cum aurea, & lapidibus preciosis adornata. Nemo dubitat, Heliæ temporibus multos fuisse cygnos in sæculo: nec tamen Dominus per cygnos, sed per coruum nigrum Prophetam cibauit. 3. Reg. 17. Licet fortè iucundius fuisset per cygnum: tamen æquè saturatus (fuit) per coruum. Et licet iucundius bibatur nectar de

ſcypho aureo, quam de vaſe luteo; tamen non minus inebriat vndecunque potatum. Etſi acceptior & gratior ſit, ſi rex per ſummum eius militem donat mihi annulum aureum, æquè tamen nobilis eſt annulus, ſi portat ipſum ad me ruſticus.

De obedientia exhibenda malis presbyteris.

C a p. XVIII.

ERgo non ſolum bonis miniſtris Eccleſiæ, ſed etiam malis eſt obediendum. Sicut, ſi Rex faciat mihi mandatum per * garzonem, æquè ligat me, ſicut ſi fuiſſet factum per Principem, aut militem. Et ſi eſſet miniſter Indignus; digniſſimus tamen eſt Dominus eius. Vnde 1. Petr. 2. *Serui ſubditi eſtote in omni timore Dominis veſtris, non tantum bonis & modeſtis, ſed etiam diſcolis.* Item ad Hebr. 13. *Obedite Præpoſitis veſtris, & ſubiacete eis. Ipſi enim peruigilant, quaſi pro animabus veſtris rationem reddituri.*

* Per famulum.

Sunt etiam eiuſcemodi ſacerdotes, etiam mali, plurimum honorandi. Hoc enim fecit & Apoſtolus. Quis enim dubitat ſacerdotes Hieroſolymitanos temporibus Chriſti fuiſſe, vt plurimum, impios & iniquos: qui tot conuitijs, tot improperijs Dominum IESVM Chriſtum, & eius diſcipulos infeſtabant? Eoſdem, tamen Dominos propter ſacerdotij dignitatem plurimum honorauit. Vnde Matth. 8. poſtquam iam leproſum Dominus mundaſſet, dixit; *Vade, & oſtende te ſacerdotibus.* Et quid indiguit ſacerdotibus, quem iam ſanauerat omnium Dominus? Ecce honor ſacerdotibus etiam prauis impenſus. Nec quidem vacua manu remiſit ipſum; ſed dixit: *Offer munus, quod præcepit Moyſes in teſtimonium illis.* Item, Luc. 17. Cum decem leproſi ſtarent à longè, petentes ſibi miſereri à Domino, poterat vtique Dominus illos præſentialiter curaſſe, ſed non fecit. Dixit enim: *Ite, oſtendite vos ſacerdotibus: Et factum eſt dum irent, mundati ſunt.* Item. Matth. 23. Licet, peccatis Scribarum & Phariſæorum exigentibus, Dominus octo vicibus dixerit, *Væ vobis Scribæ & Phariſæi, hypocritæ*; tamen in principio Capituli honorauit eos dicens; *Super cathedram Moyſi ſederunt Scribæ & Phariſæi: omnia, quæcunque dixerint vobis, ſeruate & facite.* Item, pijſſimus Dominus patientiſſimè eis frequenter reſpondit ad maxima conuicia. Luc. 11. Matth. 12. *Hic non eijcit dæmonia, niſi in Beelzebub, principe dæmoniorum.* Ioan. 8. & 10. *Dæmonium habes.* Et Ioan. 11. Cum Caiphas in Concilio dixiſſet, *Expedit vobis,* &c. ſcribit Ioannes; *Hoc autem à ſemetipſo non dixit, ſed, cum eſſet Pontifex, prophetauit.* Ecce dignitate prophetali decoratur Pontificium.

Item, Actor. 23. Cum Ananias Princeps ſacerdotum præcepiſſet aſtantibus ſibi, vt percuterent os Pauli: & Paulus dixiſſet; *Percutiet te DEVS, paries dealbate.* Et tu ſedens *iudicas me ſecundum legem, & contra legem iubes me percuti.* Et cum aſtantes dixiſſent Paulo; *Summum ſacerdotem DEI maledicis? Dixit Paulus; Neſciebam fratres, quia Princeps eſt ſacerdotum. Scriptum eſt enim; Principem populi tui non maledices.* Item, licet quidam Epiſcoporum Aſiæ reprehenſibiles eſſent, tamen Spiritus ſanctus vocat eos *Angelos*, Apocal. 2. & 3. Sed tu VValdenſis hæreſiarcha; quando venis ad complices tibi credentes, frequenter conſueuiſti ſacerdotibus detrahere, & vnius peruerſi ſacerdotis vitia in omnes transfundere, & credentes tuos in odium Cleri concitare, neſciens quid facis; quia non poteſt iniquitas tua per maioris iniqui vitia minorari; nec tua ſanctitas, quam prætendis, augmentari. Et quare non loqueris bona de ſacerdotibus bonis, ſicut libenter mala de malis? An putas omnes ſacerdotes Eccleſiæ Catholicæ fore malos? Eraſas, ſi ſcrutari velles bonos, inuenires per DEI gratiam, quàm multos. Et, ſi veritatem fateris, noſti de ſocijs tuis hæreſiarchis VValdenſibus, repertos fuiſſe multos criminoſos, ſimiliter etiam de credentibus non paucos.

Exod. 22.

De incredulitate B. Virg. & aliorum ſanctorum.

C a p. XIX.

TEnent VValdenſes hæretici B. Virginem Mariam, & ſanctos in patria tantis impletos eſſe gaudijs, quod nihil poſſint cogitare de his, quæ in terris fiunt, & per conſequens, eos non eſſe inuocandos à nobis; quia non poſſunt orare pro nobis. Contra Luc. 15. bis ponitur; *Gaudium erit angelis DEI, ſuper vno peccatore pœnitentiam agente.* Si gaudent angeli de nobis pœnitentibus, ſciunt vtique pœnitere nos. Nihil enim gaudet de illo, quod ſimpliciter neſcit. Nunquam enim gauiſus es de fratre tuo in regem coronato, ſi nunquam occurrerit menti tuæ, fratrem tuum in regem fore poſſibilem coronari. Ex quo concluditur, quod Angeli in cœlo non ſolum intelligunt bona noſtra, ſed etiam mala, quæ facimus in terris, & pœnas, quas patimur in terris. Si enim ſciunt, & quia ſciunt quod pœnitemus, ſciunt profectò propter quid pœnitemus; non autem propter bonum, quod fecimus, ſed malum, quod commiſimus, aut bonum, quod facere debuimus, & non fecimus, pœnitemus; ergo ſciunt non ſolum noſtra bona, ſed etiam noſtra mala.

Vis teſtimonium ſcripturarum? audi Ioannem ſcribentem Angelo, id eſt, Epiſcopo * Epheſi; *Scio opera tua & laborem tuum, & patientiam tuam.* Sequitur poſt pauca: *Sed habeo aduerſum te, quod charitatem tuam primam reliquiſti.* Apoc. 2. Item ibidem. *Angelo Smyrnæ Eccleſiæ. Scio tribulationem tuam & paupertatem tuam.* Item ibidem *Angelo Eccleſiæ Pergami: ſcio vbi habitas, vbi ſedes eſt Sathanæ, & tenes nomen meum, & non negaſti fidem meam.* Et poſtea ſequitur: *Sed habeo aduerſus te pauca; quia habes illic tenentes doctrinam Balaam.* Item ibidem: *Angelo Thyatiræ Eccleſiæ: Noui opera tua, & fidem & charitatem tuam.* Et poſtea: *Sed habeo aduerſum te pauca: quia permittis mulierem Iezabel, quæ ſe dicit Propheten, prophetare, docere & ſeducere ſeruos meos,* &c. Et (Apoc. 3.) *Angelo Eccleſiæ Sardis: ſcio opera tua: quia nomen habes, quod viuas, & mortuus es.* Item ibidem: *Angelo Philadelphiæ Eccleſiæ: ſcio opera tua, &c. quia modicam habes virtutem, & ſeruaſti verbum meum, & non negaſti nomen meum.* Item idem ibidem, Angelo Laodiceæ Eccleſiæ; *Scio opera tua: quia neque frigidus es, neque calidus.* Sequitur poſt pauca; *Dicis, quia diues ſum & locupletatus, & nullius egeo, & neſcis, quia tu es miſer & miſerabilis, & pauper & cæcus, & nudus.* Sed, quis hæc omnia dixerat Ioanni? qui cum prædicta ſcriberet, fuit in inſula Pathmos. Audi principium: *Apocalypſis IESV Chriſti, quam dedit illi DEVS palam facere ſeruis ſuis, quæ oportet fieri citò, & ſignificauit mittens per Angelum ſuum ſeruo ſuo Ioanni.* Ecce DEVS Trinitas reuelauit Chriſto * homini, Chriſtus Angelo, Angelus Ioanni, Ioannes Eccleſijs. Habes ergò quod Angeli ſciunt noſtra bona & mala.

* Eccleſiæ MS S. Nicolai.

* Sic MS. S. Nic. Dioceſ. Domini.

Item, ille medicus Raphaël, nonne ſciuit cæcitatem & paupertatem Tobiæ, ſed etiam artem medicinæ, & Aſmodæum iugulaſſe ſeptem viros improbos Saræ filiæ Raguelis in Rages ciuitate Medorum; & quanta familiaritate ſit illa cæleſtis nuntius cum hominibus conuerſatus: nouit optimè iniquitatem illorum ſeptem virorum, quam prohibuit Tobiæ iuniori dicens Tob. 6. *Qui coniugia ita ſuſcipiunt, vt DEVM à ſe & ſua voluntate excludant, & ſuæ libidini ita vacent, ſicut equus & mulus, in quibus non eſt intellectus, habet ſuper eos dæmonium poteſtatem: tu autem per tres dies continens eſto ab ea, & nil aliud niſi orationibus vacabis cum ea.*

Item, Gen. 18. dixit Angelus ad Abraham: *Clamor Sodomorum & Gomorræorum multiplicatus eſt, & peccatum eorum aggrauatum eſt nimis; deſcendam & videbo, vtrum clamorem, qui venit ad me, opere compleuerunt, an non eſt ita, vt ſciam.*

Sed fortè iam dubitas hæretice, angelos in cælis ſcire ea quæ aguntur in terris, cum dicat Angelus: *deſcendam*

&

& videlis: quasi Angeli nihil sciant terrenorum, nisi de quibus descendendo & videndo capiant experientiam. Erras hæretice. Sciuit Angelus in cælis, sed descendere, & videre se dicit, inuens, DEVM non properere ad vindictam, & docens, indices non nisi certitudinaliter informatos de causis ferre sententiam.

Sed petis hæretice, *Vnde sciunt Angeli in cælis ea, quæ à nobis fiunt in terris, cum tanta sit distantia, & illis iocunditas excellentissima. Nunquid possunt suam iocunditatem derelinquere, & quæ fiunt in terris, interim auscultare?* Respondeo, Verbo Domini Matth. 18. dicentis de pueris non contemnendis, & scandalizandis; *Angeli*, inquit, *eorum in cælis semper vident faciem Patris mei, qui in cælis est.* Habes manifestè, quod Angeli in cælis Deum conspiciunt, & in terris homines custodiunt. Nequaquam ergò minoratur iocunditas Angelorum, cum à Deo mittuntur ad explēda qualiacumque in terris negotia. Angelus enim Gabriel illius maximi secreti prænūcius, incarnationis videlicet filij Dei, nullo modo vilioris ex hoc potuit esse cōditionis, quod ad Virginem partu fœcundandam diuino iussu missus est; quasi medio tempore contemplatione caruerit iocundissimæ trinitatis, in qua summa, & vltima Beatorum consistit felicitas & vita æterna. Ioan. 17. *Hæc est vita æterna, vt cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti Iesum Christum.* Imò non solum non vilioris, sed profectò excellētioris conditionis ex tanta legationis fruitione fieri & esse debuit ille gloriosus Gabriel Archangelus; cuius insignem annunciationem, modulatis vocibus lęta per orbem canit mater sancta Ecclesiæ: *Misit ad Virginem non quemuis Angelum, sed fortitudinem suam Archangelum amator hominis.*

Luc. 1.

Et si, hæretice, cantus huiuscemodi Deo placere non credis, quid id nostra refert? Respondemus Catholici; *Dominus regnauit*, irascantur hæretici, sed de hoc in sequentibus retunderis. Sed quæris, & quomodo possunt hæc fieri? Respondeo, quod Angeli videndo Deum, omnia vident in Deo pro suæ capacitatis modulo, quātū pertinet † ad deū & ipsorum felicitatem. Nunquā legisti, Ioan. 1. de Verbo æterno, quod factum est; *in ipso vita erat*: Vbi ly, *erat*, non tam præteriti imperfecti, quam præsentis perfectissimi, & æterni temporis est; quia, quidquid ab æterno fuit, in hoc verbo vitæ, nunquam *fuit*, est, vel, *erit*, vel, *esse poterit*, mortuum; sed, semper viuum: cui nil præteritum, nil futurum, sed interminabilem vitæ plenitudinem totam pariter comprehendit. Ideo Dominus Christus Verbum illud idem æternum, in tempore incarnatum, illū æternitatis orbem incommutabilem, humanæ capacitati inattingibilem complectitur; dicens, Ioan. 8. *Antequam Abraham fieret, ego sum.*

† M. S. S. Nic. ad Dn laudē.

Item, cum cognoscere sit bonum naturæ rationalis; si sancti in patria nil cognoscerent eorum, quæ nobiscum hîc aguntur, sequeretur, quod maior perfectio esset in damnatis, quam saluatis. Ille enim diues epulo, Lucæ 16. qui mortuus est, & sepultus in inferno, inter illes inextinguibiles flammas Gehennæ, quarum cruciatus fatetur se sufferre, recordatur se adhuc in domo patris sui quinque fratres habere.

Item, sancti in Patria recordantur sanguinem suum fusum esse in terra; Apoc. 6. *Vidi subtus altare, animas interfectorum propter Verbum Dei, & propter testimonium, quod habebant, & clamabant voce magna dicentes: Vsquequo Domine sanctus & verus, non vindicas sanguinem nostrum, & non vindicas de his, qui habitant in terra?*

Item; nunquid videtur tibi Dauid Prophetam fuisse delirum, qui toties inuitat ad laudem Dei? *Laudate Dominum de cælis; laudate eum in excelsis. Laudate eum omnes Angeli eius: laudate eum omnes virtutes eius. Benedicite Dominum omnes virtutes eius; Benedicite Dominum omnes Angeli eius. Adorate Dominum omnes Angeli eius:* quasi loquatur de his, his qui nihil intelligunt?

Sed forte dicis; nil probas; quia etiam Sol & Luna, stellæ & lumē, & omnia quælibet irrationabilia inuitauit ad Dei laudem. Respondeo; attende modum laudantium diuersum, & agnosces diuersitatem inuitatorum. Irrationabiles creaturæ laudant Dominum ex insitæ eis naturali virtute: sed rationales, ex arbitrij libertate. Si ergò non intelligunt inuitantes, quæ (*creatura*) ratione carent, & tamen naturaliter Deum laudant; non sequitur, quod non intelligant, quæ rationem habent, & Deum liberaliter glorificant.

Dicunt hæretici (VValdenses,) quod solus Deus sit laudandus, &c.

CAPVT XX.

DIcunt etiam hæretici VValdēses; quod solus Deus sit laudandus, honorandus & inuocandus, & sibi soli seruiēdum, & quod sancti non orent pro nobis propter plenitudinem gaudiorum, quam habent; Et quod, quia solus Deus redemit nos, ideo solus possit iuuare nos, & sancti sibi ipsis meruerunt, & non nobis: Et, quia Deus per se benè scit, quid nobis necessarium sit, non indiget sanctorum precibus moneri, & quia, quidquid ipse vult, hoc volunt omnes sancti: ergò non oportet inuocare sanctos, sed solum Deum.

Contra quæ sunt auctoritates largissimæ scripturarum. Lucæ 1. dicit Beata Virgo: *Beatam me dicent omnes generationes.* Non solum dicit, Beatam credent, sed, *beatam me dicent.* Beatum autem dicere, est, laudare; ergò beata Maria est laudanda. Quam etiam Dominus laudauit Cantic. 1. *Ecce tu pulchra es amica mea, ecce tu pulchra, oculi tui columbarum.* Item, Cantic. 4. *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te. Quam pulchra sunt mammæ tuæ, soror mea sponsa, pulchriora sunt vbera tua vino: & odor vestimentorum tuorum super omnia aromata*: Et: *fauus distillans labia tua, sponsa. Mel & lac sub lingua tua: odor vestimentorum tuorum sicut odor thuris. Hortus conclusus soror mea sponsa, hortus conclusus, fons signatus.* Item mater Ioan. Bapt. ad matrem Domini, Luc. 1. *Benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui. Et vnde hoc mihi, vt veniat mater Domini mei ad me?* Et; *Beata quæ credidisti: quoniam perficientur in te omnia, quæ sunt dicta tibi à Domino.* Ex quibus liquidè patet, quod, quia Vualdenses non laudant B. Mariam, non sunt generationes, sed corruptiones, imò mortificationes.

Nec sufficit, quod dicunt; credimus eam sanctam; quia, vt supra patuit, B. Virgo non dicit, *beatam me credent*, sed, *dicent.* Audi Vualdensis, illam Euangelicam laudatricem almæ genitricis, Luc. 11. *Beatus venter, qui te portauit, & vbera quæ suxisti.* Quem volebat illa mulier finaliter laudare? Nonne Dominum Christum, illum tam dignum prædicatorem? Vtique. Nam in signum huius, Euangelista præmisit: *Factum est, dum hæc diceret* scilicet Christus, *extollens quædam mulier vocem, de turba dixit*, ad Iesum: *beatus venter*, &c. Interrogem, ut hanc mulierem, cur in laude filij coassumpsit matrem? Nonne potuit dixisse, beatus es tu, qui tam sapienter prædicas, qui mortuos viuificas, & leprosos mundas, qui cæcos illuminas, qui multa millia virorū paucis cibas panibus, & alia multa potuit hæc mulier cōgessisse. Sed hęc omnia superioris erant naturæ in Christo, videlicet diuinæ. Quare aliás Dominus dixit matri suæ, Ioan. 2. in nuptiis, *quid mihi & tibi est mulier?* quando illa misericorse duocata in alleuationem paupertatis inopum cognatorum, dixit ad filium, *Vinum non habent*: Et Dominus dixit, quid mihi, & tibi, quasi diceret, Mortales esse, nobis est commune, *nondum venit hora mea*: quoniam in stipite crucis ostendam, quid à te susceperim. Vinum autem vel creare, vel ex aqua transmutare, altioris est naturæ, scilicet diuinæ. Quapropter Euangelica laudatrix prædicta, volens laudare tam dignum filium, coassumpsit tam dignam eius matrem, vt non solum, quod est Christi Dei, sed etiam, quod est eiusdem Christi hominis, commendaret.

Item, Ecclesiast. 44. *Laudemus viros gloriosos, & parentes*

A *nostros in generatione sua, Multam gloriam fecit Dominus magnificentia sua à sæculo. Dominantes in potestatibus suis homines magni virtute, & prudentia sua præditi.* Et pòst, *Corpora ipsorum in pace sepulta sunt, & nomen eorum viuit in generationem & generationem. Sapientiam ipsorum narrent populi, & laudem eorum nunciet Ecclesia.* Et postea laudantur Enoch, Noë, Abraham, Moyses, Aaron, Iesus Naue, qui & Iosue, *Caleb filius Iephone, Samuel, David, Salomon, Helias, Ezechias, Iosias, & alij quam plures.*

Item, quam excellenter laudauit Dominus Ioannem Baptistam adhuc viatorē, Matt. 11. Luc. 7. *Inter natos mulierum,* &c. & tamen ei minimum prætulit comprehensorem, dicens, *Et qui minor est in regno cælorū, hic maior est illo.*

Item, Petrum adhuc peccaturum Dominus mirabiliter laudauit, Matth. 6. *Beatus es Simon Bariona: quia caro* B *& sanguis non reuelauit tibi, sed Pater meus, qui est in cælis. Et, ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.*

Item, Centurionem nouiter ad fidem cōuersum. Mat. 8. & Luc. 6. *Amen dico vobis, non inueni tantā fidē in Israel.*

Et, mulierem Cananæam, Matth. 15. *O mulier, magna est fides tua.*

Item, Luc. 16. *Et laudauit Dominus villicum iniquitatis, quia prudenter fecisset.*

Item, Mariam Magdalenam, Luc. 7. *Quoniam dilexit multum.* Et Luc. 10. *Optimam partem elegit,* Et Matt. 26. *Bonum opus operata est in me.* Item Natanaëlem, Ioan. 1. *Ecce verus Israelita, in quo dolus non est.*

Item, Ioan. 12. *Si quis mihi ministrauerit, honorificabit eum Pater meus, qui est in cælis.*

C Erras ergò VValdensis hæretice, dicens, sanctos non esse laudandos, & honorandos. Si enim tantum laudati sunt prędicti viatores, quantum laudandi sunt ipsi comprehensores? Et, si eos tantum laudauit Dominus, quantum debent ipsos laudare serui eius? Hester. 6. Dixit † inimicus Aman de Mardochæo, *hoc honore dignus est, quem Rex voluerit honorare.* Item, Psalm. 149. *Gloria hæc est omnibus sanctis eius.* Item, Psalm. 150. *Laudate Dominum in sanctis eius.* Item, Deut. 31. *Laudate gentes populum eius.* Item, Matth. 25. ad omnes electos suos dicet Dominus. *Venite benedicti Patris mei.* O quam magna laus illa. Item, Luc. 12. *Amen dico vobis, præcinget se, & faciet illos discumbere, & transiens ministrabit illis.* Item, Ioan. 12. *Si quis mihi ministrauerit, honorificabit eum Pater meus,* &c. Ecce Pater D Domini nostri Iesu Christi, honorificabit ministros filij sui, & hoc quidem non sine sua liberrima voluntate, quam nil potest cogere.

† M.S.S. Nic inimicum.

Qualiter ergò, VValdensis hæretice, Deum oras dicens, *fiat voluntas tua sicut in cælo, & in terra,* cum eius voluntas sit, quod honor impendatur sanctis: quod non solum tu non facis, imò non faciendum credis, & dicis. Sed dicis, scriptum est Matth. 4. *Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies.* Et Deut. 6. *Dominum Deum tuum timebis, & illi soli seruies.* Vbi finaliter concludis seruiendum esse soli Deo: Respondeo, cui seruitur potissimum, quando seruitur sanctis propter Deum? Nonne quando sanctis Dei seruitus impenditur, sanctorum sancto Deo seruitur? Nonne te honorat, qui propter te amicum tuum honorat? Nihil facis à te. Sancti Dei amici E honorati sunt: quos Dauid nimis honoratos esse denuntiat dicens; *Nimis honorati sunt amici tui Deus.*

Math. 6.

Psal. 138.

An putas nos Catholicos in tantam delapsos esse dementiam; vt non intelligamus impendendę Deo & sanctis eius seruitutis esse differentiam? Deum adoramus, Deum honoramus (Deo seruimus) tanquam nostri, & omnium rerum creatorem, & nostrum redemptorem. B. Virginem, tanquam eiusdem creatoris omnium, & nostri redemptoris electissimam genitricem. Deum adoramus, honoramus, inuocamus, vt α & ω, principium & finem, omnis boni fontalem originem, & originalem fontem; qui id ipsum † idem summum bonum est, quod in ipso fontaliter, & originaliter, & æternaliter est. Sanctos verò veneramur tanquam eiusdem summi boni

† id est, M.SS. Dissens,

A & veri non tam seruos, quàm amicos † participes factos. Adoramus ergo, honoramus, & inuocamus Deum, sicut credimus Deum. Adoramus, honoramus, & inuocamus Dei sanctos tales, quales credimus eos. Credimus autē vnum & solum verum Deum; sed naturaliter, essentialiter, & æternaliter. Credimus omnem beatum, Deum; sed temporaliter participantem, socialiter, imò fraternaliter. 1. Cor. 1. *Fidelis autem Deus, per quem vocati estis in societatem filij eius Domini nostri Iesu Christi.* 1. Ioan. 1. *Societas vestra sit cum Patre & Filio eius Iesu Christo.* Itē Matth. 12. *Quicunque fecerit voluntatem Patris mei, qui in cælis est, ipse meus frater, & soror, & mater est.* Item Matth. 6. Dignatus (est) pro nobis Christus, Dominus noster ad eius patrem orare: *Pater noster, qui es in cælis.* Matth. 23. *Vnus est enim Pater vester, qui in cælis est.* Ioan. 20. *Ascendo ad patrem meum,* B *& patrem vestrum.* Ioan. 1. *Dedit eis potestatem filios Dei fieri, his, qui credunt in nomine eius.* Matth. 5. *Vt sitis filij Patris vestri, qui in cælis est.* Item, Matth. 5. *Beati pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur.* Item, Ecclesiast. 4. *In iudicando pupillis, esto misericors, vt pater; & pro viro matri illorum; & eris tu, velut filius altissimi,* &c. Ioan. 12. *Dum lucem habetis, credite in lucem, vt filij lucis sitis.* Cuius lucis? Christi, dicentis, Ioan. 8. *Ego sum lux mundi:* Sicut ergò filij Principum principes sunt, & vocātur; Et sicut filij Diaboli, Diaboli sunt & vocantur. Ioan. 8. *Vos ex patre Diabolo estis.* Ioan. 6. *Nonne ego vos duodecim elegi, & ex vobis vnus diabolus est?* Sic filij Dei, Dij sunt, & vocantur. Ioan. 10. *Nonne in lege vestra scriptum est? Ego dixi Dij estis, & filij Excelsi omnes.* Boëtius: *Omnis beatus Deus, natura quidem vnus est Deus, participatione verò nil prohibet esse plurimos.* C Exod. 7. *Dixit Dominus ad Moysen; Ecce ego constitui te Deum Pharaonis.*

† M.S.S. Nic principes.

Sed quando dicis, Hæretice; sanctos esse tantis impletos gaudijs, quod non possint † implorare pro nobis, erras. Christus n. est in plenissimo gaudio & tamen orat pro toto mundo, 1. Ioan. 2. *Sed si quis peccauerit aduocatum habemus apud patrem Iesum Christum iustum: & ipse est propitiatio pro peccatis nostris,* nec pro nostris tantum, sed etiam pro totius mundi.

† pro, orare.

Item quando dicis, *solus Deus potest iuuare nos, ergò solus à nobis est inuocandus:* Erras. Nam Dominus dixit Petro Matth. 16. *Tibi dabo claues regni cælorum: ergò sanctus Petrus etiam potest iuuare nos.* Nonne Raphaël Tobiam iuuit multipliciter iuniorem? Tob. 6. De pisce redimendo, dicens; *apprehende branchiam eius,* & trahe eum ad te; ab D Asmodæo præseruando, Tob. 8. *Tunc Raphael apprehendit dæmonium, & relegauit eum in deserto superioris Ægypti.* Et Gabelo chirographum reddendo, & pecuniam ab eo ferendo, Tob. 9. Item seniorem, lumen ei perditum restituendo, & eum cum omnibus suis ditando, Tob. 11. Nōne Angelus Domini iuuit Ezechiam regem 4. Reg. 19. *Factum est igitur in illa nocte, venit Angelus Domini, & percussit in castris Assyriorum C LXXXV. millia.* Concordat litera 2. Paral. 32. Idem habes Isa. 36. Item, Daniel. 9. *Adhuc loquente me in oratione; & ecce vir Gabriel, quem videram in visione in principio, citò volans tetigit me, in tempore sacrificij vespertini, & docuit me.* Ecce Gabriel Angelus Danielem docuit, quod tamen Deus per se optimè E docere potuit, sed per Angelum fecit.

Item Iudic. 13. habes Angelum annunciantem Sampsonis natiuitatē, & mirabiliter circa parētes eius agentem & docentem. Item, Angelus eduxit Loth de Sodomis, ne periret in scelere ciuitatis, Gen. 19. Item, Angelus liberauit Isaac, ne occideretur ab Abrahā, iuxta mandatum Domini, Gen. 22. Item, Angelus cum Iacob luctabatur, & mutauit nomen eius in Israël, Gen. 32. & alia multa legis ibidē. Itē, *Ecce Angelus in impetu spiritus sui apprehendit Prophetā Abacuk, & portauit illū capillo capitis sui, & posuit eum in Babylonem super lacum Leonum, in quo fuerat Propheta Domini Daniel.* Dan. vlt. Itē, Dan. 13. dixit Daniel ad vnum senem neqoā: *Ecce Angelus Domini, accepta sententia, scindet te medium.* Et ad alium: *Manet te Angelus Domini gladium habens, vt secet te medium, & interficiat vos.*

Item

Item in nouo Testamento, Angelus Domini Gabriel, annunciauit natiuitatem Ioannis Baptistæ, Luc. 1. Item conceptum Virginalem Domini nostri Iesu Christi, Luc. 1 vbi non solum Angelus honorauit Virginem verbis diuinæ salutationis, & Angelicæ allocutionis, sed etiam factæ ab ea discessionis. Vnde scribitur ibidem; *Et discessit ab ea Angelus*, quasi indignum se reputando mysterio incarnationis diuinæ factæ in Virgine à tota sancta Trinitate: Imò etiam Virgo honorauit Angelum; quia licet omne, quod angelus Virgini locutus est, Verbum, mittentis Domini Dei fuerit, tamen Verbum Virgo angelo adscribit dicens; *Fiat mihi secundum Verbum tuum.* Item Matt. 1. Cogitante Ioseph, quod vellet occultè dimittere Virginem Mariam: *Ecce angelus Domini apparuit in somnis Ioseph dicens; Ioseph fili Dauid, noli timere accipere MARIAM coniugem tuam.* Item, Matth. 2. *Ecce Angelus Domini apparuit in somnis Ioseph dicens; surge & accipe puerum, & matrem eius, & fuge in Ægyptum.* Item Luc. 22. *Apparuit autem* scilicet Christo in horto *Angelus de cœlo confortans eum.* Item, Matth. 28. *Solicitis mulieribus de reuolutione lapidis de sepulchro. Domine dicentibus, illud verbum; quis reuoluet nobis lapidem ab ostio monumenti?* Sequitur; *Angelus autem Domini descendit de cælo, & accedens reuoluit lapidem.* Et infrà: *Præ timore autem eius exterriti sunt custodes, & facti sunt velut mortui, &c.* Item Act. 1. dixerunt Angeli; *Viri Galilæi, quid statis aspicientes in cælum.* Item act. 12. Petrus autem ad se reuersus dixit? *Nunc scio verè, quia misit Dominus Angelum suum, & liberauit me de manu Herodis, & de omni expectatione plebis Iudæorum.* Item, quantas reuelationes, quantas familiaritates angelus Domini cum Ioanne habuerit in Apocalypsi, non faciliter apprehendi potest. Item, Angeli accesserunt & ministrauerunt Christo, post tentationes, Matth. 4.

†C. T. per Prophetas. †nunciaret

Item, quando dicis; *Tamen solus DEVS redimit nos, ergo solus DEVS est inuocandus.* Erras Non aduertis, quod Deus noluit nos redimere, nisi † Prophetæ prius eius aduentum † prænunciarent: Ioannem præcursorem præmitteret, antequam filius Virginis fieret. Et vnde scis Dominum redemisse nos, nisi per prædicationes Apostolorum, & suorum successorum, legitimorum scilicet doctorum, & magistrorum Ecclesiæ; Sicut ergò, inhonoratores Prophetarum, Apostolorum, & suorum sequacium, meruerunt pœnam; ita eorum honoratores, merentur gloriam. Vnde enim aliàs Dominus diceret, Luc. 10. *Qui vos audit, me audit; &, qui vos spernit, me spernit* Et Matth. 10. *Qui vos recipit, me recipit.* Et Matth. 23. *Ecce ego mitto ad vos Prophetas, & sapientes & scribas, & ex illis, occidetis & crucifigetis, &c. vt veniat super vos omnis sanguis iustus.*

Nunc, ô tu superbe VValdensis Hæretice, sanctos spernis, cum dicis; *Antequam tum famulo loquar, cum Domino totum expediam.* Non sic fecit Dauid dicens. Antequam diceret; *Auxilium meum à domino, qui fecit cælum & terram*, præmisit prius: *Leuaui oculos meos in montes, vnde veniet auxilium mihi.* Iob. 5. *Voca, si est, qui tibi respondeat & ad aliquem sanctorum conuertere.* Honestius vobis fecit ille diues epulo, damnatus, qui dixit: *Pater Abraham miserere mei.* Et iterum. *Rogo ergo te Pater, vt mittas Lazarum in domum Patris mei.*

Psal. 120. Ibid. Luc. 16.

Si non orarent sancti pro nobis, malè eloqueretur, Hierem. 15. *Et dixit ad me; si steterit Moyses & Samuel coram me, non erit anima mea ad populum istum.* Non propter orantes, noluit Dominus exaudire populum, sed propter populi peccatum nimium, super quo pœnitentiam non egerunt, sed etiam peccatis peccata addiderunt. Ideo ponitur Hierem. 11. *Tu ergo noli orare pro populo hoc, neque assumas pro eis laudem & orationem: quia non exaudiam eos.* Item. 2. Machab. 15. *Vidit Iudas Oniam summum sacerdotem defunctum protensis manibus orare pro omni populo Iudæorum*: & eundem *sanctum Oniam dixisse*, † cum alio quodam viso per Machabæum; *Hic est fratrum amator, & populi Israel: hic est, qui multum orat pro populo & vniuersa sã-*

†C T. de

cta ciuitate, Ieremias Propheta DEI. Item, Iob. 12. Dixit Raphael Angelus ad Tobiam. *Cum orabas cum lachrimis, & sepeliebas mortuos, & derelinquebas prandium tuum, & mortuos per diem abscondebas in domo tua, & nocte sepeliebas, ego obtuli orationem tuam Domino.* Item, Iob. 33. *Si fuerit pro eo Angelus, loquens, vnus de mille, vt annunciet hominis æquitatem; miserebitur eius, & dicet; Libera eum, vt nõ descendat in corruptionem: † inueni, in quo ei propitier.* Et Zach. 1 *Respondit Angelus Domini, & dixit; Domine exercituum, vsquequo tu non misereberis Hierusalem & vrbium Iuda, quibus iratus es?* *Et respondit Dominus Angelo; reuertar ad Hierusalem in misericordijs.* Item, Eccles. 5. *Ne dicas coram Angelo, non est prouidentia, ne fortè iratus super sermones tuos dissipet cuncta opera manuum tuarum.*

†C.T. quia

Item, Apoc. 8. *Et alius Angelus venit, & stetit ante altare habens thuribulum aureum; & data sunt ei incensa multa, vt daret de orationibus omnium sanctorum de manu Angeli coram Domino.* Item, Apoc. 5. *Et cum aperuisset librum quatuor animalia, & viginti quatuor seniores, ceciderunt coram agno habentes singuli citharas, & phialas plenas odoramentorum, quæ sunt orationes sanctorum*, Item, Apocal. 6. Petunt sancti vindictam inimicorum; multo fortius veniam amicorum. Vnde scribitur: *Vidi subtus altare animas interfectorum propter verbum DEI, & propter Testamentum, quod habebant, & clamabant voce magna dicentes. Vsquequo Domine, sanctus & verus non iudicas? & vindicas sanguinem nostrum de his, qui habitant in terra; Et dictum est illis, vt requiescerent adhuc modicum tempus, donec compleatur numerus fratrum eorum, qui interficiendi sunt, sicut etiam illi.*

Item; quando dicis; *Sancti solum sibi ipsis meruerunt, & nobis non?* Erras. Quia Ioannes dicit oppositum. 1. Ioan. 3. *In hoc cognouimus DEI charitatem, quoniam ille animam suam pro nobis posuit: & nos debemus, animas pro fratribus ponere.* Imò, propter merita sanctorum, Deus dignatur nobis beneficia præstare. Aliàs inaniter multi sancti huius vitæ monuissent Deum in suis precibus, per merita sanctorum suorum prædecessorum defunctorum. Vnde Moyses Exod. 32. petiit pro populo dicens: *Memento Abraham, Isaac & Israel seruorum tuorum, quibus iurasti per temetipsum dicens; Multiplicabo semen vestrum sicut stellas cæli.* Item Dan. 3. dixit Azarias in fornace ignis ardentis: *ne, quæso, tradas nos in perpetuum, propter nomen tuum, & ne dissipes Testamentum tuum, neque auferas misericordiam à nobis propter Abraham dilectum tuum, & Isaac seruum tuum, & Israel sanctum tuum.*

Sed cum prius ostendissemus, VValdensis hæretice, quod Angeli Dei orant pro nobis, tu fortassè credis id verum esse de Angelis, sed non de alijs sanctis: scias oportet, electum & assumptum esse Angelum, imò Ioannem Baptistam nondum assumptum. Matth. 11. dicit Christus de Ioanne; hic est enim, de quo scriptum est; *Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te.* Imò quilibet sacerdos est Angelus. Malach. 2. *Labia sacerdotis custodiunt scientiam, & legem requirunt de ore eius: quia Angelus Domini exercituum est.*

Sed quia tu, VValdensis hæretice, sacerdotes habes odio, probabitur tibi, sanctos in patria vocari, & esse Angelos. Nota verbum Christi Matth. 22. contra Sadducæos dicentis; *Erratis, nescientes scripturas, neque virtute DEI, in resurrectione, neque nubent, neque nubentur, sed erunt sicut Angeli DEI in cælo.* Idem habes Marc. 12. sed Lucæ 20. clarissimam audi scripturam; *Aequales enim Angelis sunt, & filij sunt DEI, cum filij sunt resurrectionis.* Item 1. Ioan 3. *Charissimi, nunc filij DEI sumus, & nondum apparuit, quid erimus. Scimus quoniam, quũ cum apparuerit, similes ei erimus.* Ecce habes electos & † sanctos non solum esse Angelos, sed DEI & filios.

†M. S. S. Nec assũpt.

Ex quibus arguo sic; si Angeli, qui propter suam† subtilitatem, (&) confirmationem suam, nulla humani corporis miserabilia, nec pœnalia nec culpabilia passi sũt,

†D. S. sub. blim. pat.

ego non intelligo, quomodo iustus esset? Item 1. Ioan. v. *Qui scit peccare fratrem suum peccatū non ad mortē, pro eo petat, & dabitur ei vita, peccanti non ad mortem. Est peccatum ad mortem, non pro illo dico, vt roget quis*; intellige, si finaliter in illo decedit. Vbi manifestè per peccatum ad mortem, mortale peccatum intelligitur; sed per peccatum non ad mortem, veniale. Item Pater non propter quodcunque peccatū, filios exhæredat, sed gratiosè punit. Absit à patre misericordiarum, vt semper contra peccantes filios gladium durum eximat, & non magis virgam paternæ correctionis in mansuetudine prætendat. Psalm. 89. *Quoniā superuenit mansuetudo, & corripiemur.* Acuta sagitta iacitur contra lupum; sed virga tenera tenditur contra catellum. Legislator non pro quocunque crimine damnat hominem ad mortem; sed, quandoque ad carcerem, & ad talionem temporalem.

Contra secundū, scilicet, quod quandocunque DEVS dimittit culpam, dimittat & pœnam; est illud, quod peuis in baptismo dimittitur omnis culpa, & relinquitur multa pœna, imò mors, & grauissima quandoque, & pœnalissima dispositio ad mortem. Item, sancti Patres fuerunt sine culpa, & cum magna vixerunt pœna, qui portauerunt pondus diei & æstus; vt Ioannes Baptista, Ieremias Propheta, B. Virgo MARIA, & Vnigenitus filius eius. De Virgine matre ne dubites; memento gladij Simeonis, Luc. 2. Item DEVS paternaliter dimittere culpam mundo sine maximis pœnis eius dilecti filii.

Matth. 10. Item Matth. 12. loquitur Christus: *Dico autem vobis, quoniam de omni verbo ocioso, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo, in die iudicij.* Si de verbo otioso, quid de maledico, quid de blasphemo? Item; si semper dimissa culpa, dimittatur pœna, quare, Hæretico hæresiarcha, consentientibus tuis, iniungis pœnitentiam? Si culpa remittitur à Deo per contritionem, & confessionem; quare premis hominem per graue ieiunium, & multam orationem? Adeo cæcus es, quod factum proprium non intelligis? in quo euidenter patet, non semper culpa dimissa, pœnam dimitti.

Sed dicis tamen Luc. 23. *Christus dimisit Latroni secum in cruce pendenti pœnam & culpam.* Respondetur, Latro magnam occasionem sufficientia pœnitentiæ habens; qui tunc non in delicijs, non laute epulas fuit, sed in cruce pependit. Item, fidei magnitudo, & Christi publica confessio sibi pro sufficienti iustificatione reputatur. Nam licet Christum in supplicijs, & ignominia crucis videret, Iudæos caiscantes & prætereuntes, & stantes, sed & milites blasphemantes, & irridentes audiret; nihilominus eum Dominum, & regnaturum confessus fuit dicens; *Domine memento mei, cum veneris in regnum tuum.* Item, anima latronis illius priuilegiata fuit. Nam Christus, qui dixit, Cant. 7. *Dixi, ascendam in palmam*, scilicet crucis; *& apprehendam fructus eius*, scilicet animam latronis illam animā cæpisset, velut primitias suæ fructuosissimæ passionis. Non ergò potes in consequentiam trahere, quod omnibus serò pœnitentibus, statim aperiatur, imo pauci ssimus? & carissimè, ianua paradisi.

M.S.S. Nic. rar. f. fines. Sic ergò dabes, etipistibus duntaxat mohentibus datum esse, statim ad patriam euolare. Primo illis, qui sine omni, aliquali peccato post baptismū decedunt, sicuti ita euidentiam super Christum baptizatum cœli aperti sunt. Matth. 3. *Et ecce aperti sunt ei cœli*: Marci 1. *Et statim ascendens de aqua, vidit cœlos apertos.* Lucæ 3. *Et baptizato IESV, & orante, apertum est cœlum.* Secundò illis, qui pro fide Christiana per passionem Martyrii decesserunt. Et ideo super B. Stephanum Protomartyrem cœlum apertum est. Qui dicit Actor. 7. *Ecce video cœlos apertos, & IESVM stantem à dextris virtutis DEI.* Tertiò illis, qui post longam peractam hic plenariè pœnitentiam, ad virtutum culmen & perfectionem peruenerint, & taliter decedunt. Hoc significatum est in B. Ioanne Euangelista; qui vidit etiam cœlos apertos. Apocal. 4. *Post hæc vidi, & ecce ostium apertum in cœlo.* Quintos verò putamus solum [illegible] Christiani, sed etiam de paucitate VValdensium hæreticorum decedere; qui post baptismum varia & magna peccata committunt, & illa satis imperfectè, & incompletè pœnitent, &

A sine martyrio pro fide Christiana assumpto vel passo decedunt? Annumerant autem hæreticos Christianis, eo quòd VValdenses dicunt, & credunt, se statim, post mortem, ad patriam euolare, propter tam irrefragabiles probationes quibus per hæreticos, nulla veritatis opera conuenire possunt.

Lapsi sunt quidem hæresiarchæ moderni in sensum rectà erroribus prioribus contrarium, & non minus hæreticum, dicentes, quod Deus nequaquam accepiat pœnitentiam seram. Cuius omnino contrarium habent in latrone, quem prius ex acie contra se in medium produxerunt.

Item probationem Purgatorij habes, Matth. 12. *Qui autem dixerit verbum contra Spiritum sanctum, non remittetur ei, neque in hoc sæculo, neque in futuro.* Vbi, luce clarius patet, remissionem esse in futuro: alias illud

B verbum Christi esset inutile & inane, quod falsum est, cum ipse sit lignum plantatum secus decursus aquarum; cuius folium non defluit, vt patet in Psalm. 1. Hanc autem remissionem nec in cœlum; nec in infernum possumus ponere, cum vtrobique nihil sit remissibile. Et quia *non potest solui scriptura*, oportet ponere alium locum, vbi possit fieri remissio illa; Et hunc ponit, & vocat Ecclesia Purgatorium.

Item quod propter peccata venialia, in quibus quis absque pœnitentia decedit, puniatur in Purgatorio, habetur 1. Cor. 3. vbi dicitur; *Vniuscuiusque opus manifestum erit, dies enim Domini declarabit, quia in igne reuelabitur; Et vniuscuiusque opus quale sit, ignis probabit. Si cuius opus arserit, detrimentum patietur, ipse autem saluus erit, sic tamen, quasi per ignem.* Psalm. 1. Ioan. 10.

C Sed dicis hæretice; *Ignis iste est præsentis temporis tribulatio, qua purgamur.* Contra, omnia prædicta verba S. Pauli, scilicet, *manifestum erit, ignis probabit, mercedem accipiet, detrimentum patietur, saluus erit*; Omnia, inquam, sunt futuri temporis, non præsentis.

Item, licet omnes dies Domini Dei sint, dies tamen vltimus cuiuslibet hominis; non solum dies Domini, sed tempus in scriptura sacrà vocatur. Psal. 74. *Cum accepero tempus, ego iustitias iudicabo.* Et quæso, quando Dominus tempus non accipit; cum eum non solum tempore, imò nec æternitate priuare quis possit? Sed dies Domini, tempus Domini dicitur, quando per eius districtum & iustum iudicium homo quilibet, non solum in illo vniuersali iudicio, verum etiam in cuiuslibet particulari, de suis actionibus & omissionibus iudicatur. Item 1. Cor. 15. *Alioqui*, scilicet non erit resurrectio mortuorum, *quid facient, qui baptizantur pro mortuis? Si*

D *omnino mortui non resurgunt, vt quid baptizantur pro illis?* Hoc nequaquam intelligi potest de baptismo, qui est primum Sacramentorum, & ianua: cùm Sacramentum illud non sit iterabile: sed intelligitur de baptismo pœnitentiæ; qui quasi secundus baptismus dicitur; eo quòd innocentia baptismalis per actuale peccatum perdita; per pœnitentiam, quasi per secundam tabulam post naufragium recuperatur. Vnde Matth. 20. Postquam Christus dixisset Ioanni & Iacobo, *potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum?* addidit eiusdem sententiæ verba; *Baptismo, quo ego baptizor, baptizabimini*: Christus autem, cùm hæc verba diceret, dudum erat baptizatus; necdum verò passus; ergò, non de Sacramento baptismatis, sed de baptismo passionis aiebat. Baptizari ergò pro mortuis, est, opera satisfactionis exercere pro eis, qualia sunt orationes, ieiunia, eleemosynæ, vigiliæ, peregrinationes, & præ omnibus oblatio corporis Christi in sacrarum missarum celebratione. Et licet fideles defuncti, qui ad pœnas temporales sunt in Purgatorio deputati, iam pro se ipsis non sint in statu promerendi

nec sibi ipsis valeant suffragari; tamen, quia cum fidelibus adhuc in terra degentibus membra sunt Christi corporis mystici, ipsi quidem sub certitudine, illi verò adhuc spe lola, nondum scientes, an odio, vel amore digni sint; & ideò, licet illi in pœnia sibi ipsis non possint mereri, potest tamen eis à suis commembris plurimum suffragari. Exemplum in humano corpore; cujus nulla membra, nisi os solum comedit, & tamen de solius oris manducatione alia membra vegetantur, nutriuntur & sustentantur.

Sunt ergo triplicia membra corporis Christi mystici. Quædam pugnant in terris, quædam triumphant in cælo, alia purgantur temporalibus pœnis. Et hoc innuit Ecclesia, quando Sacerdos in Missa diuidit & frangit hostiam Sacramenti in tres partes; quarum vnam mittit in calicem, in suffragium speciale illis, quæ adhuc sunt in Purgatorio, & bibunt calicem passionis. Potest etiam per eandem particulam, non incongruè intelligi fœlicium jam in regno cœlorum assumptorum congregatio; qui bibunt in domo Domini merum, vinumque perennium gaudiorum de calice voluptatis, de quo Psalm. 22. *Et calix meus inebrians quàm præclarus est.* Item Psalm. 35. *Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos.* Quamuis & id alium intellectum habeat Corpus enim Domini ter fractum esse legitur; scilicet ante mortem, in flagellatione & coronatione. In morte, in manuum & pedum crucifixione: Post mortem, in lateris apertione. Item, 2. Machab. 12. *Nisi eos, qui ceciderant, resurrecturos speraret, superfluum videretur & vanum, orare pro mortuis. Et quia considerabat, quod hi, qui cum pietate dormitionem acceperant, optimam haberent repositam gratiam. Sancta ergò & salubris est cogitatio pro defunctis exorare, vt a peccatis soluantur.*

Hic VValdensis heresiarcha, perpende, qui ea, quæ in Biblia ponuntur, accipis; quantumlibet alibi orationes pro defunctis non tam expresse ponantur, tamen ita clarè & dilucidè tanguntur, quod clarioribus & nudioribus verbis exprimi non valeant. Vbi manifestè patet fraus tua. Quare hoc simplicibus credentibus tuis non solum non declaras, imò intellectum tuum præcludis & obseras, vt hanc tam claram sententiam ne dum possis, imò intelligere non velis?

Item Ioan. 11. Martha & Maria Magdalenà orabant pro fratre eorum Lazaro mortuo, & iam quatriduano, dicente Martha: *Domine si fuisses hic, frater meus non fuisset mortuus.* Simile verbum dicebat & Maria, quæ præ fletus amaritudine, non valebat amplius deprecari. Sed Martha dixit: *Sed & nunc scio, quia quæcunque poposceris à DEO, dabit tibi DEVS.* Et harum orationes non cassæ, nec vacuæ permanserunt: imò Christus ob amorem sororum, & pium affectum, resuscitauit fratrem earum. Item, Actor. 9. *In Ioppe autem fuit quædam discipula nomine Thabita, quæ interpretata dicitur Dorcas: hæc erat plena operibus bonis & eleemosynis, quas faciebat. Factum est autem in diebus, vt infirmata moreretur; quam cum lauissent, posuerunt eam in cœnaculo. Cum autem propè esset Lidda ab Ioppe, discipuli audientes, quod Petrus esset in ea, miserunt duos viros ad eum, rogantes, ne pigriteris venire vsque ad nos. Exurgens autem Petrus venit cum illis; & cum aduenisset, duxerunt illum in cœnaculum, & circumsteterunt illum omnes viduæ flentes, & ostendebant illi tunicas & vestes, quas faciebat illis Dorcas. Eiectis autem omnibus foras, Petrus ponens genua sua orauit, & conuersus ad corpus dixit, Thabita surge. At illa aperuit oculos, & viso Petro, resedit. dans autem illi manum, erexit eam.* Ecce quod vanum sit & inutile, orare pro mortuis.

Item Eccles. 7. *Mortuo non prohibeas gratiam.* Vbi, si dixeris, intelligendum esse de corpore defuncti; contra: Tu, tam corporibus, quam animabus defunctorum gratiam prohibes. Animabus; cum credis, & dicis, non esse orandum pro ipsis, Corporibus; cum credis & dicis, æquè bonum esse, sepeliri in agro, vel puteo, sicut in cœmeterio. Item Matth. 19. *Archisynagogus* (qui apud Luc. 8. Iairus dicitur,) *dixit ad IESVM. Domine, filia mea modò defuncta est: sed veni, impone manum super eam, & viuet.* Item 3. Reg. 17. Rogauit Helias pro filio A mulieris Sareptanæ defuncto & reuixit. Item, 4. Reg. 4. Mulier Sunamitis orauit Helisæum pro filio suo defuncto & reuixit. Item; humanius, vt videtur, egit ille diues epulo sepultus in inferno, qui orauit pro fratribus quinque viuis adhuc in domo patris sui. Luc. 16. ne & ipsi venirent ad locum tormentorum, quam VValdenses hæretici, qui non orant pro defunctis.

De sepultura in cœmeterio.

CAPVT XXII.

ITEM dicunt hæretici VValdenses, quod non sit melius, corpus hominis defuncti sepeliri in cœmeterio, quam in alio quocunque agro, vel loco. Contrà, S. Pa- B triarcha Iacob in Ægypto defunctus, ibidem noluit sepeliri: sed, sicut habetur, Gen. 49. *Præcepit filiis suis dicens: Ego congregor ad populum meum, sepelite me cum patribus meis in spelunca duplici, quæ est in agro Ephron Hethæi contra Mambre, in terra Chanaan, quam emit Abraham cum agro ab Ephron Hethæo in possessionem sepulchri. Ibi sepelierunt eum, & Saram vxorem eius: Ibi sepultus est Isaac cum Rebecca coniuge sua: ibi & Lia condita iacet.* Et, (sequitur cap. 50.) *fecerunt filij Iacob, sicut præceperat eis; & portantes eum in terram Chanaan, sepelierunt eum in spelunca duplici, quam emerat Abraham cum agro in possessionem sepulchri ab Ephron Hethæo contra faciem Mambre.*

Reprehens hæretici cœmeteria, & alia loca sepulturæ.

Gen. 23.

Item. S. Ioseph prædicti S. Iacobi filius, ne quidem ossa sua † dimitti voluit in Ægypto, licet, † post eius obitum, trecentis annis † primò fuerint efferenda. Gen. 50. in fine *locutus est Ioseph fratribus suis post mortem meam,* C *DEVS visitabit vos, & ascendere vos faciet de terra ista ad terram, quam iurauit Abraham, Isaac & Iacob. Cumque adiurasset eos, & dixisset, DEVS visitabit vos, asportate ossa mea vobiscum de loco isto; sequitur; mortuus est expletis centum decem vitæ suæ annis; Et conditus aromatibus repositus est in loculo in Ægypto:* vt videlicet suo tempore efferretur; quod & factum est Exod. 13. *Et armati ascenderunt filij Israel de Ægypto, tulitque Moyses ossa Ioseph secum, eò quod adiurasset filios Israël dicens; Visitabit vos DEVS, & efferte ossa mea hinc vobiscum.*

† M. S. Dc. essentiæ, † centos annos post eius mortem.

Item; Vna de grauibus maledictionibus, quas Dominus fecit propter peccata populi, erat, communiter sepeliri mortuos, & non in loco deputato. Ierem. 7. *Posuerunt offendicula in domo, in qua inuocatum est nomen meum, & polluerunt eam.* Et sequitur: *Ecce dies veniet, dicit Dominus, & sepelientur in Tophet, eo quod non sit locus.* Thophet interpretatur † Gehenna pœnarum; ad designandum, quod VValdenses hæretici, qui ponunt, communi- D ter, & non specialiter esse sepeliendum, sepeliri debeant in inferno. Item Ierem. 19. *Hæc dicit Dominus exercituum: sic conteram populum istum, & ciuitatem istam, sicut conteritur vas figuli, quod non potest vltra instaurari, & in Tophet sepelientur, eo quod non sit alius locus ad sepeliendum.* Item, Ierem. 20. *Tu autem Phassur, & omnes habitatores domus tuæ ibitis in captiuitatem; & in Babylonem venies, & ibi morieris ibique sepelieris tu, & omnes amici tui, quibus prophetasti mendacium.* Vbi manifestè innuitur, melius esse sepeliri in Hierusalem, quam in Babylone.

† M. S. S. Nic. Iohannæ pœnarum.

Item Hierem. 22. Ad Ioacim filium Iosiæ regem Iuda, *tui oculi & cor ad auaritiam, ad sanguinem innocentem effundendum, & ad calumniam, & ad cursum mali operis. Propterea hæc dicit Dominus DEVS ad Ioacim filium Iosiæ regem Iuda: Non plangent eum; Væ frater, & væ soror; non concrepabunt ei. Væ Domine, & væ inclyte. Sepultura asini sepelietur, putrefactus, & proiectus extra portas Hierusalem.* Et hæc est propria VValdensium; quare? Quia, non credant melius esse in cœmeterio sepeliri, quam alios vbicunque, vbi debent ... cum asinis extra cœmeterium

sepeliri

sepeliri. Item, Ezech. 39. *Ait Dominus DEVS, Et erit in die illa, dabo Gog* (supple aduersus quem vaticinatus est Propheta in malum) *locum nominatum sepulchrum in Israël, vallem viatorum ad orientem maris.* Ecce, quoniam inimici DEI in via sepeliuntur. Item Isa. 14. *Tu autem proiectus es de sepulchro tuo, quasi stirps inutilis,* Item ibid. *Quasi cadauer putridum, non habebis sepulturam.* Item, Ierem. 26. *Proiecit rex Ioachim cadauer Vriæ in sepulchrum vulgi ignobilis.* Item; Tobias cum esset iustus & sanctus, mandauit filio suo Tobiæ de matris sepultura dicens; (Tob. 4.) *Honorem habebis matri tuæ omnibus diebus vitæ eius. Cum autem ipsa compleuerit tempus vitæ eius sepelias eam circa me.* Item, Eccles. 6. *Si genuerit quispiam centum liberos & vixerit multos annos, & plures dies ætatis habuerit, & anima illius non vtatur bonis substantiæ suæ sepulturaque careat; de hoc ego pronuncio, quod melior illo sit abortiuus.*

Item, non solum ciues Hierosolymitani suam habebant sepulturam, imò ea precio sanguinis Christi peregrinis comparata est. Matth. 26 Emerunt *ex illis* (denarijs) *agrum figuli in sepulturam peregrinorum.* Item maritus Iudith sanctissimæ mulieris, *sepultus est cum Patribus suis.* Iud. 8. Item, 3. Reg. 2. *Dormiuit Dauid cum Patribus suis, & sepultus est in ciuitate Dauid.* De quo Petrus Act. 2. dicit; *Et sepulchrum eius est apud nos, vsque in hodiernum diem.* Item 2. Paralip. 32. de sancto rege Ezechia dicitur: *Dormiuit Ezechias cum Patribus suis, & sepelierunt eum super sepulchra filiorum Dauid.* Item 2. Paralip. 35. de sancto Iosia rege scribitur; *Mortuus est, & sepultus in Mausoleo patrum suorum, & vniuersus Iuda & Hierusalem luxerunt eum.* Ieremias maximè, cuius omnes cantores atque cantatrices vsque in præsentem diem lamentationes super Iosiam replicant. Item Ioannem Baptistam in carcere decollatum eius discipuli non vbilibet sepelierunt, sed in certo loco. Vnde Mat. 6. *Quo audito venerunt discipuli eius, & tulerunt corpus eius, & posuerunt illud in monumentum.*

Maximum verò testimonium accipimus à Domino nostro IESV Christo, qui maiorem charitatem, imò maximam, qua maiorem nemo potest habere, habuit, vt pro amicis & inimicis animam suam poneret. Ioan. 15. Hic talis, ac tantus, si nouissimis nobis salubre, vel vtile, vel honestum fuisset, ipse vtique communiter, & miserabiliter permisisset sepeliri corpus eius mortuum; quod tot supplicijs & blasphemijs, & illusionibus, & flagellationibus, & crucifixionibus, & miserijs alijs exposuit viuum. *Non sic impij, non sic.* Sed secundum Isaiæ vaticinium c. 11. c. *Et erit sepulchrum eius gloriosum.* Et in Psalm. 75. *In pace factus est locus eius.* Is, qui pro nobis mortuus miserabiliter; sepultus est gloriosè & solenniter, non solum quoad sepulturam, imò, quantum ad sepulturæ modum. Non à personis vulgaribus, imò etiam secundum sæculi dignitatem, nobilibus & famosis, quorum Ioseph ab Arimathia sæcularis, Nicodemus cooperarius eius D spiritualis erat. De Ioseph. Matth. 27. *Venit quidam homo diues ab Arimathia, nomine Ioseph,* Marc. 15. *Venit nobilis decurio, & audacter introiuit ad Pilatum, & petiit corpus IESV,* Luc. 23. *Vir bonus & iustus, hic non consentiebat consilio & actibus Iudæorum.* Matth. 27. *Qui & ipse erat expectans regnum DEI.* De Nicodemo scribitur Ioan. 3. *Erat homo ex Pharisæis, Nicodemus nomine, princeps Iudæorum.* Qui Ioan. 7. maledicentibus Iudæis & principibus turbas credentes in IESVM, dixit; *Nunquam lex nostra iudicat hominem, nisi audierit ab ipso prius & cognouerit, quid faciat?* De illo scribitur Ioan. 19. *Venit autem & Nicodemus, qui venit ad IESVM nocte primùm ferens mixturam myrrhæ & aloes.* Ecce officium viri spiritualis. De Ioseph sæculari. Marc. 15. *Mercatus sindonem.* Matth. 27, *Inuoluit illud in Sindonem mundam, posuit & illud in monumento nouo, quod exciderat in petra.* Ioan. 19. *Acceperunt corpus IESV, & ligauerunt linteis cum aromatibus, sicut mos est Iudæis sepelire.* Luc. 23. *Et posuit illud in monumēto exciso, in quo nondum quisquam positus fuerat.* Similiter Ioan. 19.

Item, Maria Magdalena commendatur à Domino, propter opus sepulturæ. Matth. 26. *Bonum opus operata est in me mittens mulier hæc vnguentum hoc in corpus meum,* A *ad sepeliendum me fecit.* Mar. 14. *Præuenit vngere corpus meum in sepulturam.* Ioan. 12. *Sinite illam, vt in diem sepulturæ meæ seruet illud.* Item, Tobias commēdatus est propter sepulturam, Tob. 12. Item, 2. Reg. 2. *Et nunciatum est, quod viri Iabes Galaad sepeliissent Saul, dixitque per nuncios ad eos. Benedicti vos à Domino, qui fecistis misericordiam hanc cum Domino vestro Saul, & sepelistis eum. Et nunc retribuet vobis Dominus misericordiam & veritatem: sed & ego reddam vobis gratiam, eo quòd feceritis verbum istud.*

Item 3. Reg. 13. dicitur ad virum DEI qui venit de Iuda. *Hæc dicit Dominus, quia non obediens fuisti ori Domini, & comedisti panem, & bibisti aquam in loco, in quo præcepit tibi, ne comederes panem, nec biberes aquam, non inferetur cadauer tuum in sepulchrum patrum tuorum.* Item Iosiae Rex bonus pepercit monumento, in quo iacebat Propheta 4. B Reg. 23. *Nemo commoueat ossa eius.* Ecce VValdensia hæretice in prædictis habes planè melius & salubrius esse quemlibet fidelem defunctum sepeliri in cœmeterio, quam in agro, vel in alio commun. loco.

De incredulitate consecrationis Ecclesia.

CAPVT XXIII.

DICVNT VValdenses hæretici, Ecclesiam materialem ab Episcopo Catholico dedicatam, seu consecratam, *non fore, quacunque alia domo, meliorem, sanctiorem, vel digniorem, cum vbique DEVS possit, ac debeat adorari, & sibi seruiri,* Respondeo: quòd quando quis ex rationali causa præpeditus non potest ad Ecclesiam pertingere; potest DEVM in domo adorare; & hoc Eccle- C sia Catholica non reprobat, sed solum contemptum, quem hæresiarchæ magistri eorum superinduxerunt, & credentes eorum acceperunt.

Quod autem Ecclesia materialis consecrata ab Episcopo Catholico dignior sit alijs domibus; & obligationes & orationes ibi factæ DEO (sint) acceptabiliores, hoc sufficienter potest probari ex vtroque Testamento. Et primò ex Veteri. Deut. 12. *Caue, ne offeras holocausta tua in omni loco, quem videris, sed in eo, quem elegerit Dominus, in vno tribuum tuarum offeres hostias, & facies quæcumque præcipio tibi.* Ex quo habetur, quod non solum in Ecclesia consecrata, imò in parochia, imò in propria parochia † DEVS velit gratius honorari. Item Exod. 23. *Primitias frugum terræ deferes in domum DEI tui.* Et Esa. 2. *Venite ascendamus ad montem Domini, & ad domum DEI Iacob, & docebit nos vias suas, & ambulabimus in semitis eius; quia de Sion exibit lex, & Verbum Domini de Hierusalem.* Ecce quod prædicatio & doctrina debent quæri, & fieri D in Ecclesia, non in molendino, non in horreo, non in angulo. Item, Ierem. 7. Irascitur Dominus de inhonoratione domus suæ dicens; *Nunquid ergo in spelunca latronum facta est domus ista, in qua inuocatum est nomen meum in oculis vestris?* Item Zach. 14. *Et non erit mercator vltra in domo Domini exercituum.*

† *M. S. S. Nec acceptius est sacrificium orationis, & oblationis Domino.*

Item ad magnam commendationem templi materialis scriptum est. 1. Paral. 22. dicente Dauid ad Salomonem; *Fili mi, voluntatis meæ fuit, vt ædificarem domum nomini Domini mei; sed factus est ad me sermo Domini dicens; Multum sanguinem effudisti, & plurima bella bellasti, nō poteris ædificare domum nomini meo; tanto effuso sanguine; dixitque mihi; filius, qui nascitur ex te, erit vir quietissimus, cūque faciam requiescere ab inimicis suis per circuitum; & ob hāc causam pacificus vocabitur; & pacem & otium dabo in Israel cunctis diebus eius, ipse ædificabit domum nomini meo,* &c. *Nunc ergò, fili mi, sit Dominus tecum, & prosperare, & ædifica domum Domino DEO tuo, sicut locutus est de te,* &c. *Ecce ego in paupertate mea præparaui impensas domo Domini, auri talenta centum millia, & argenti mille millia talen-*

docentes populum. Quia igitur templi tantis est commendatio & dignitas; ideo meritò scribitur in Psalm. 92. *Domum tuam decet sanctitudo Domine in longitudinem dierum.*

† M. S. S. Nic. De altaryis.

De † incredulitate altaris consecrati.

Capvt XXIV.

Item Vualdenses hæretici reprobant altaria in Ecclesia consecrata. Contra ex veteri testamento Psalm. 25. *Lauabo inter innocentes manus meas, & circumdabo altare tuum Domine.* Item, Psalm. 42. *Introibo ad altare DEI, ad DEVM qui lætificat iuuentutem meam.* Item, Psalm. 83. *Altaria tua Domine virtutum.* Item, 117. *Constituite diem solemnem in condensis, usque ad cornu altaris.* Item, Sap. 9. *DEVS Patrum meorum, & Domine misericordiæ,* &c. *& dixisti me ædificare templum in monte sancto tuo, & in ciuitate habitationis tuæ altare.* Item, Eccles. 35. *Oblatio iusti impinguat altare, & odor suauitatis est in conspectu Altissimi.* Item, in laudibus Dauid, Eccles. 47. *Stare fecit cantores contra altare, & in sono eorum dulces fecit modulos.* Et in laudibus Simeonis sacerdotis magni Eccles. 50. *In ascensu altaris sancti, gloriam dedit sanctitatis amictum.* Item Ibid. *Effudit in fundam[ento] altaris odorem diuinum excelso principi.* Item, Isa. 6. *Volauit ad me vnus de Seraphim, & in manu eius calculus, quem forcipe tulerat de altari & tetigit os meum.* Item, Isa. 19. *In die illa erit altare Domini in medio terræ Ægypti,* &c. *Clamabunt enim ad Dominum à facie tribulantis, & mittet eis saluatorem, & propugnatorem, qui liberet eos.* Item, Isa. 56 *Lætificabo eos in domo orationis meæ: holocausta eorum & victimæ eorum placebunt mihi super altari meo: quia, domus mea domus orationis vocabitur cunctis populis, ait Dominus DEVS.* Item Threnor. 2. deplorat Ieremias dicens: *Repulit Dominus altare suum.* Item in signum maledictionis. Oseæ 3. *Dies multos sedebunt filij Israel sine rege, & sine principe, & sine sacrificio, & sine altari,* &c. Item, Ioel. 2. *Inter vestibulum & altare plorabunt sacerdotes, ministri Domini, & dicent: Parce Domine, parce populo tuo.* Item, Amos. 9. *Vidi stantem super altare: & dixit, percute cardinem, & commoueantur superliminaria.* Item in nouo Testamento Matth. 5. dicit Dominus IESVS. *Si offers munus tuum ad altare,* &c.

O cæca Vualdensis hæretice, (in) hoc obdormiuisti. Ecce Christus acceptat altare; & tu reprobas: ergò contrarius es ei. Item Matth. 23. *Cæci; quid maius est, donum, an altare, quod sanctificat donum?* Ecce hæretice; quod altare est sanctum, alias non posset sanctificare donum. Item ibidem: *quem (Zachariam) occidistis inter templum & altare.* Et Luc. 1. *Apparuit Zachariæ Angelus Domini stans à dextris altaris incensi.* Item 1. ad Cor. 9. *Et qui altari deseruiunt, cum altari participant.* Item ibid. 10. *Nonne qui edunt hostias, participes sunt altaris?* Item Iac. 2. *Abraham pater noster nonne ex operibus iustificatus offerens filium suum Isaac super altare?* Ecce tot sunt commendationes altaris. Item Apoc. 6. *Et cum aperuisset quartum sigillum, vidi subter altare animas interfectorum propter verbum DEI.* Item Apoc. 9. *Et audiui vocem vnam ex quatuor cornibus altaris aurei, quod est ante oculos DEI.* Item Apoc. 11. *Datus est mihi calamus similis virgæ; & dictum est mihi; surge, & metire templum DEI, & altare, & adorantes in eo.* Adhuc in veteri Testamento, pluries, quam centies, inuenies de altari testimonium.

De incredulitate vestium sacerdotalium, salis & aquæ, cinerum & aliorum.

Capvt XXV.

Item reprobant Vualdenses hæretici consecrationes vestium sacerdotalium, & pontificalium, aquæ, salis, cinerum, candelarum, ciborum tempore Paschali, & omnium aliorum, quæ per Episcopos & Sacerdotes consecrantur: Et etiam consecrationes Episcoporum, Sacerdotum, Ecclesiarum, Altarium, Cœmeteriorum, aquæ baptismalis, chrismatis & olei vnctiones, palmarum, frondium & herbarum: dicentes illas res taliter consecratas nil omnino singularis sanctitatis ex illis verbis percipere, licet verba in se sancta sint & bona.

Contra quæ in vniuerso illud est, quod, ex quo verba consecrationis corporis Christi tantam habent virtutem, quod transsubstantiant panem & vinum in corpus Christi, & sanguinem; habent etiam illa verba sancta, quibus pontifices & sacerdotes Catholici consecrant & benedicunt, virtutem conferendi rebus consecratis, & taliter benedictis aliquid singularis sanctitatis. Et, si dicunt, *res irrationales non possunt capere aliquid sanctitatis*, quod non possunt dicere contra consecrationes Episcoporum, vel sacerdotum; qui sunt creaturæ rationales. Relinquitur ergò, quod sacerdotes, & Episcopi ritè ordinati, sancti sint. A quibus etiam hæretici, tam magistri, quam credentes, percipiunt illa notanter Sacramenta, scilicet Baptismum & corpus Christi, quæ credentes à suis magistris rarissimè, vel nunquam percipiunt.

Sed & hoc falsum est, quod dicunt, rem irrationalem omnino nihil posse sanctitatis percipere; cum superius sæpissimè probatum sit, templum esse sanctum, altare esse (sanctum.) Præterea, videamus scripturas. Nonne Exod. 3. appropinquans Dominus Moysi in flamma ignis de medio rubi dixit; *Ne appropinques huc. Solue calciamenta de pedibus tuis. Locus enim in quo stas, terra sancta est.* Et illa terra fuit irrationalis creatura. Nonne arca fœderis Domini sancta erat, propter cuius contactum Oza mortuus est, percutiente eum Domino super temeritate sua. 2. Reg. 6. Item, Exod. 28. dixit Dominus ad Moysen; *Applica ad te Aaron fratrem tuum, cum filiis suis, de medio filiorum Israel, vt sacerdotio fungantur mihi,* &c. *Faciesque vestem sanctam fratri tuo, in gloriam & decorem; Et loqueris cunctis sapientibus corde, quos repleui spiritu prudentiæ, vt faciant vestes Aaron, in quibus sanctificatus ministret mihi.* Et ponuntur ibi nobilissimæ materiæ, aurum, hyacinthus purpura, coccus bis tinctus, byssus retorta opere polymito, & sex nomina filiorum Israel, in lapide onychino vno; sex reliqua in altero, opere sculptoris & cælatura gemmarij sculpi iussit, & auro includi & circumdari, & alia multa dicuntur ibidem de sanctis vestibus gloriosa. Item, Exod. 40. *Applicabisque Aaron & filios eius ad fores tabernaculi testimonij, & lotos aqua indues sanctis vestibus, vt ministrent mihi, & vnctio eorum in sacerdotium sempiternum proficiat.*

Nisi igitur, tu hæretice, credas, Catholicos presbyteros & sacerdotes vngi, & consecrari; vel oportebit te dicere, quod sacerdotium omne cessauerit; vel, quod verum sacerdotium sit apud Iudæos: quorum vtrumque falsum est; quia sacerdotium Iudæorum est secundum ordinem Aaron: sed verum sacerdotium & æternum est secundum ordinem Melchisedech, sicut ad Christum dicitur, Psal. 109. *Iurauit Dominus, & non pœnitebit eum, tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech.* Sicut istam materiam B. Paulus clarè pertractat dicens ad Hebr. 7. *Alij quidem, sine iureiurando sacerdotes facti sunt; hic autem*, scilicet Dominus IESVS, *cum iureiurando.*

Etiam non solum sacerdotes, & vestimenta eorum, imò, omnia, quæ ad diuinum cultum pertinebant, consecrabantur. Exod. 40. *Assumpto vnctionis oleo vnges tabernaculum cum vasis suis, vt sanctificentur altare holocausti, & omnia vasa eius; labrum cum basi sua. omnia vnctionis oleo consecrabis, vt sint sancta sanctorum.*

Ex quibus omnibus patet; Ecclesiarum, cœmete-

qui venit in regnum Patris nostri David.

Matth. 21. in persona vvaldensium hæreticorum dicentium DEUM laudari debere sine clamore, vel cantu scribitur: *Videntes Scribæ & Pharisæi mirabilia, quæ fecit, & pueros clamantes & dicentes; Osanna filio David; indignati sunt, & dixerunt ei; Audis, quid isti dicunt?* Luc. 19. *Magister, increpa illos. Quibus ille dixit; Dico vobis, quia, si hi tacuerint, lapides clamabunt.* Matth. 21. *Cum dixissent; audis, quid isti dicunt? IESVS dixit eis; vtique. Nunquam legistis; quia ex ore infantium & lactentium perfecisti laudem.* Et ex quo DEVS præcepit nobis, vt eum diligamus toto corde, & tota anima, & tota mente, totis viribus, tota fortitudine. Deut. 6. Matth. 22. Et ex quo cantare solius rationalis naturæ donum est; quomodo eum tota virtute, totis viribus, tota fortitudine diligeremus, si ei nunquam cantaremus? An non requirit cantus virtutes, vires, & fortitudines? imò plurimas. Vnde alias haberent monachi *Infirmarias*, in quibus reficiuntur; nisi quia sæpissimè ex multo cantu grauiter infirmantur.

A

Sed tu muta Vvaldensis hæretice, nunquam laboras, nunquam cantas, nunquam ad raucedinem illi clamas; qui dicit; *Laboraui, & raucæ factæ sunt fauces meæ.* Sed Ecclesia Catholica fidelis dicit; *Quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi.* Et respondet: *Calicem salutaris accipiam, & nomen Domini inuocabo. Clamabo ad DEVM altissimum, ad Dominum, qui benefecit mihi. Ad Dominum cum tribularer, clamaui. In illo te DEO in voce exultationis. Psalmos nostros cantabimus cunctis diebus vitæ nostræ in domo Domini. Ad ipsum ore meo clamaui, & exaltaui sub lingua mea. Benè psallite ei in vociferatione. Sumite psalmum, & date tympanum, psalterium iocundum cum cithara. Buccinate in Neomenia tuba, in insigni die solennitatis vestræ. Laudate eum in sono tubæ, laudate eum in psalterio & cithara. Laudate eum in tympano & choro, laudate eum in chordis & organo. Laudate eum in cymbalis bene sonantibus, Laudate eum in cymbalis iubilationis.*

B

Psal. 68.
Psal. 115.

Nec valet allegatio tua, Vvaldensis hæretice, ad Ephes. 5. *Impleamini Spiritu sancto, loquentes vobismetipsis, in psalmis & canticis spiritualibus, & hymnis, cantantes, & psallentes in cordibus vestris Domino.* Quia B. Paulus per hæc verba non excludit canticum oris; quod cantum, & quod os DEVS ita creauit sibi in laudem, sicut cor. Corde igitur amari, & ore debet cantari.

Item, vita æterna sæpissimè describitur per iocunditatem cantus. Apoc. 5. *Et cum aperuisset librum, quatuor animalia, & viginti quatuor seniores ceciderunt coram Agno habentes singuli citharas & phyalas aureas, plenas odoramentorum, quæ sunt orationes sanctorum, & cantabant canticum nouum; Dignus es Domine accipere librum, & aperire signacula eius, quoniam occisus es, & redemisti nos DEO in sanguine tuo.* Item 14. *Et vocem, quam audiui sicut citharœdorum, citharizantium in citharis suis. Et cantabant quasi canticum nouum ante sedem, & ante quatuor animalia & seniores. Et nemo poterat dicere canticum, nisi illa centum quadraginta quatuor millia, qui empti sunt de terra.* Item 15. *Vidi eos qui vicerunt bestiam & imaginem eius, & numerum nominis eius, stantes supra mare vitreum, habentes citharas DEI, & cantantes canticum Moysi serui DEI, & canticum Agni, dicentes; Magna & mirabilia sunt opera tua Domine DEVS omnipotens; iustæ & veræ sunt viæ tuæ Domine Rex sæculorum.* Item, Isa. 62. *Super muros tuos Ierusalem constitui custodes, tota die & tota nocte perpetuò non tacebunt.* Et Tob. 13. *Beatus ero, si fuerint reliquiæ seminis mei ad videndum claritatem Hierusalem.* Sequitur; *Et per vicos eius alleluia cantabitur.* Illis ergò cælicis † cantoribus Hierusalem triumphantis conformant se pro posse cantores terreni Hierusalem militantis, donec sine labore & fatigatione, sine raucedine cum Cherubin & Seraphin, thronis & dominationibus, principatibus & potestatibus, virtutibus, Archangelis & Angelis, & omni militia cœlesti hymnum gloriæ DEI sine fine decantent dicentes, Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus DEVS Sabaoth.

C

De † incredulitate horarum Canonicarum.

† M. S. Nic. De horis Canonicis.

CAPVT XXVIII.

ITEM dicunt Vvaldenses hæretici, *horas Canonicas, & omnes alias orationes, irritas & inanes, excepto solo* Pater noster: imò dicunt, *planè nihil aliud orandum esse quam* Pater noster: *&, quod omnia alia, quæ dicuntur & leguntur in Missa, non sint institutionis diuinæ, sed humanæ, solis verbis consecrationis, &* Pater noster *exceptis.*

Respondetur à parte Ecclesiæ Catholicæ; Non recipium intelligis Vvaldensis Hæretice, cum dicis nihil aliud orandum esse, quam *Pater noster*. Nescis, quod dicis. Imò sic dicas, nil aliud potest orari, quam *Pater noster*? Sed hoc, cum dicis, sanè intelligas. Si enim formam verborum aduertis, falsum dicis: si sensum, dicis verum. Nam secundum verborum sensum, impossibile est aliquid aliud debitè posse orari, quam hoc, quod sensus verborum de *Pater noster* intendit. Non enim verisimile est: quando iste summus dictator, summè sapiens, & summè bonus omnia petibilia in *Pater noster* non comprehenderit, & eadem suos fideles orare docuerit. Et ideo, nihil aliud potest peti, quod non in oratione *Pater noster* valeat comprehendi. Sed forma verborum, licet sententiam aliarum orationum non diuersificet; tamen dictum tuum secundum intellectum tuum, falsum erit; quid dicis nihil aliud orandum esse, quam *Pater noster*; cum inuideas ordinatissimis institutionibus Ecclesiæ, quas tenent in celebratione Missarum, & officijs horarum Canonicarum. Restat igitur ostendere, quod licet Matth. 6. Christus Dominus dixit; *Sic vos orabitis: Pater noster*, &c. Eius voluntas non fuit, quod omnis alia oratio, quæ formam verborum illius orationis non habet, inutilis sit; cum plurimi amicorum DEI ante aduentum Christi, & ante *Pater noster*, DEO placitissimas orationes fuderint, & exauditi sint. 1. Genes. 20. orante Abraham, sanauit DEVS Abimelech, & vxorem, ancillasque, & pepererunt. Num putas Hæretice, quod licet Abraham famulus & amicus DEI *Pater noster* non orauerit, contra Dominum fuerit? Item, Exod. 4. *Obsecro Domine, mitte, quem missurus es.* Item Exod. 32. dixit Moyses ad Dominum; *Obsecro peccauit populus iste peccatum magnum, feceruntque DEOS aureos. Aut dimitte eis hanc noxam; aut, si non facis, dele me de libro tuo quem scripsisti.* Item, 33. *Si inueni gratiam in conspectu tuo, ostende mihi viam tuam, vt sciam te, & inueniam gratiam ante oculos tuos; respice populum tuum gentem hanc.* Item, 34. *Dominator Domine DEVS, misericors & clemens, patiens & multum misericors, verax, & si inueni gratiam in conspectu tuo; obsecro, vt gradiaris nobiscum.* Item, Exod. 17. Orante Moyse, & leuante manus vincebat Israel; si autem paululum remisisset, superabat Amalech. Item, orauit Anna sancta mater Samuelis deuotas orationes, 1. Reg. 1. David, 2. Reg. 22. *Dominus petra mea & robur meum, & Saluator meus.* Item, deuotissimam orationem fecit Salomon 3. Reg. 8. & *Pater noster* non nouit. Item Tob. 12. *Quando orabas cum lacrimis*, &c. dixit Angelus Raphael. Ecce Tobias deuotè orat, qui *Pater noster* ignorauit. Item castissima Iudith deuotissimè orat, Iudith. 9. Item fidelis Hester, deuotè orat. Hest. 5. Item Mardochæus deuotam orationem fecit. Hest. 12. Item, non est breuiter dicibile, quot orationes deuotas David in Psalterio fecerit, antequam *Pater noster* fuit. Item solennissimam orationem ponit liber Sapientiæ, Sap. 9. Et Daniel. 9. ponitur multum deuota oratio. Item, Isa. 33. *Domine miserere nostri; te enim exspectauimus; esto brachium nostrum in mane, & salus nostra in tempore tribulationis.* Item, Ierem. 9. *Tu autem in nobis es Domine, & nomen sanctum tuum inuocatum est super nos; ne derelinquas nos Domine DEVS noster.* Item,

D

Thren. 4. *Recordare, quid acciderit nobis.* Item, Bar. 2. per magnum passum. Item. 1. Machab. 21. orationem faciebant sacerdotes.

Item de nouo testamento. Luc. 1. *Ne timeas Zacharia, quoniam exaudita est deprecatio tua.* Item, Luc. 2. *Anna non discedebat de templo ieiuniis & orationibus seruiens die ac nocte; adhuc Pater noster non fuerat.* Item in Euangelio multi Dominum orauerunt aliis verbis, quam *Pater noster.* Matth. 8. *Domine si vis, potes me mundare.* Item ibid. *Domine non sum dignus, vt intres sub tectum meum, sed tantum dic verbo, & sanabitur puer meus.* Item ibid. *Domine salua nos, perimus.* Item, Matth. 9. *Domine filia mea modo defuncta est, sed veni, & impone manum super eam, & viuet.* Item, 15. *Miserere mei Domine fili Dauid, filia mea male à dæmonio vexatur.* Item, 17. *Domine miserere filio meo, quia lunaticus est, & male patitur.* Item, 20. *Dic, vt sedeant hi duo filii mei, vnus ad dexteram, & alius ad sinistram in regno tuo.* Item ibid. *Domine miserere nostri fili Dauid.* Item, Matth. 25. *Domine Domine aperi nobis.*

Item, Dominus per se ipsum aliud sæpe orauit, quam *Pater noster.* Vnde Matth. 26. *procidit in faciem suam orans & dicens; Mi Pater, si possibile est, transeat à me calix iste.* Item; *Pater, si non potest hic calix transire nisi bibam illum, fiat voluntas tua.* Item, Luc. 22. *Ego autem rogaui pro te, vt non deficiat fides tua.* Item Ioan. 17. per totum Capitulum, solennissimè deprecatus est patrem IESVS; & tamen formam verborum de *Pater noster* non seruauit. Item, Luc. 23. *Pater dimitte illis, non enim sciunt quid faciunt.* Item, Matth. 27. *Heli Heli, lamasabacthani.* Item, Luc. 23. *Pater in manus tuas commendo spiritum meum.*

Probatio horarum Canonicarum.

CAPVT XXIX.

INstitutionem horarum Canonicarum non humanam, sed diuinam fore, probatur per scripturam. Psal. 98. *Septies in die laudem dixi tibi.* Item Act. 3. *Petrus autem & Ioannes ascenderunt in templum ad horam orationis nonam.* Instituit ergò sancta mater Ecclesia septem horas Canonicas propter insignia Dominicæ passionis, & memoriam eiusdem. Matutinas canit, eò quòd Christus homo tali hora captus est & ligatus. Primas, eò quòd Annæ & Caiphæ & Pilato est præsentatus, ligatus, alapatus, colaphizatus est. Tertias, eo quod flagellatus, coronatus, purpuram indutus, & alia multa, passus est. Sextas, eo quòd tali hora crucifixus est aceto potatus, à Latrone, Iudæis & aliis multis blasphematus. Nonas, eo quod tali hora mortuus est, *Heli* clamans, & lancea latus eius perforatum est, sol obscuratus est, & alia multa facta sunt. Vesperas, eo quod hora tali de cruce depositus est. Completorium, eo quod hora tali in sepulchro positus est. Item Paulus 1. Tim. 2. *Obsecro primum fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus fidelibus, pro regibus, & omnibus, qui in sublimitate sunt constituti: vt quietam & tranquillam vitam agamus in omni pietate, & castitate.*

Secundum quos quatuor modos petitiones sacræ Missæ sunt ordinatæ. Nam obsecrationibus petimus nobis auferri mala, adducendo quasi per modum admirationis, & magnæ admonitionis quoddam magnum à nobis à DEO exhibitum († beneficium) dicendo; *per crucem & passionem tuam libera nos Domine.* Has obsecrationes facit Ecclesia in ipsis collectis Missæ; quas concludit, *per Dominum nostrum IESVM Christum.* Item, in orationibus petimus nobis conferri gratiam spiritualem, & deuotionem conficiendi corpus Christi, sicut facimus in orationibus secretis ante præfationem. *Postulationibus* petimus beneficia, & spiritualia & temporalia nobis præstari virtute diuini Sacramenti: sicut facimus

† *Hæc vox necessaria, abest ab vtroque M. S. S.*

Agnus DEI. dicentes; *miserere nobis,* &c. *dona nobis pacem.* Tandem vltimis collectis, quas *complendas* vocamus, agimus gratias pro perceptis beneficiis. Ergò ordinationes Missarum, & omnium orationum & signorum agendorum & dicendorum, sunt ritè & rationabiliter institutæ, sicut de ipsis † speciales libri & bene magni sunt conscripti.

† *M. S. S. Mis. spirituales.*

De † incredulitate indulgentiarum.

† *De Indulgentiis.*

CAPVT XXX.

ITEM reprobant *hæretici Vvaldenses* Indulgentias prælatorum Ecclesiæ, peregrinationes ad limina sanctorum, & annum iubilæum. Et non mirum, si hæc non credunt; quia, non credunt ea, de quibus hæc prouenerint. Indulgentiales enim gratiæ & veniæ fluunt ad nos de fonte & riuulis. Fons est meritum Domini nostri Iesu Christi. Riuuli sunt merita sanctorum DEI, inter quos vnus est, qui non tantum riuulus, aut riuus, sed fluuius maximus poterit & debet appellari, illa videlicet Beata DEI GENITRIX semper Virgo MARIA.

De omnium generalium riuulorum fonte Domino nostro IESV Christo scribitur Ioan. 3. *Qui de cœlo venit, super omnes est. Non enim ad mensuram dat DEVS spiritum. Pater diligit filium, & omnia dedit in manu eius.* Et Ioan. 17. dicit filius ad patrem; *sicut dedisti ei potestatem omnis carnis; vt omne, quod dedisti ei, det eis vitam æternam.* Item ibidem: *Omnia mea tua sunt, & omnia tua mea sunt.* Matth. 11. *Omnia mihi tradita sunt à Patre meo.* Et sic ipse gratia plenissimus Christus caput est Ecclesiæ, cujus omnes electi sunt membra. A Christo autem fluunt flumina gratiarum in ejus membra. Psalm. 44. *Vnxit te DEVS, DEVS tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis.* Item, Psalm. 67. *Mons DEI, mons pinguis, mons coagulatus, mons pinguis, mons, in quo beneplacitum est DEO habitare in eo. Etenim Dominus habitabit in finem.* Item, Psalm. 132. *Sicut vnguentum in capite, quod descendit in barbam, barbam Aaron, quod descendit in oram vestimenti eius, sicut ros Hermon, qui descendit in montem Sion.* Item, Ioan. 1. *Et de plenitudine eius omnes accepimus, gratiam pro gratia; quia lex per Moysen data est; gratia & veritas per IESVM Christum facta est.* Ecce qualiter Christus fons est gratiarum, per quem solum, & ante quem per nullum gratia mundo facta est, illa gratia, quæ ad vitam perducit æternam. Vnde Psalm. 39. dicit filius ad patrem; *Sacrificium & oblationem noluisti, aures autem perfecisti mihi. Holocaustum, & pro peccato non postulasti, tunc dixi, ecce venio.* Vt scilicet, ego solus, tanquam fons, & origo salutis humani generis, sacrificium & sacerdos essem pro redemptione totius mundi. Vnde 1. Ioan. 2. *Aduocatum habemus apud patrem IESVM Christum iustum, & ipse est propitiatio pro peccatis nostris. Non pro nostris autem tantum, sed & pro totius mundi.* Item, 2. Cor. 5. *DEVS erat in Christo mundum reconcilians sibi.*

Hic autem fons longissimus propitiationis, reconciliationis & salutis, aquas gratiarum in semetipso continere nec * volens, nec potens, *propter nimiam suam charitatem, qua dilexit nos,* voluit nos eius gratiæ & indulgentiæ participes fieri largissimè. Vnde Ioan. 7. *In nouissimo autem die magno festiuitatis stabat IESVS & clamabat dicens: Si quis sitit, veniat ad me, & bibat; qui credit in me, flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ.* Et Ioan. 4. *Qui biberit ex aqua, quam ego dedero ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam.* Et Matth. 11. *Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos.* Item, Isa. 55. *Omnes sitientes venite ad aquas, & qui non habetis argentum, properate, venite; emite absque argento, & sine vlla commutatione vinum & lac.* Ecce, quam largiter, quam libenter Christus nobis impertitur gratiam suam. Ioan. 6. *Omne quod dat mihi Pater, ad me veniet, & eum qui venit ad me, non eiiciam foras.*

* *Sic M. S. S. Nos. Diessens. valens.*

Nunc

Nunc de riuulis audiamus. Devs indulgentiarum Dominus, cum illam summam & maximam indulgentiam facere decreuisset, vt toti mundo peccata relaxare vellet ad quem vnigenitum suum mittere dignatus est. Dominum enim Iesvm Christum ipse per Patriarcharum figuras, & prophetarum scripturas eius prænunciare aduentum voluit: quorum præsagia quicunque vel audire, vel credere contempserunt, æterna morte perierunt, & nullas omninò indulgentias consecuti sunt; quia de primæuis riuulis Dominicæ annunciationis pocula futuræ salutis haurire neglexerunt. Hos omnes Devs Pater, vineæ Dominus, vere malos agricolas perdidit malè, vt habetur Matt. 21. Et Rex, nuptiarum filii sui contemptores, abiecit, & nullas indulgentias dedit, imò non vestitum nuptialiter, licet intrauerit, damnauit.

Alios verò riuos emanare de se fonte ipse Dei filius & suæ mortalitatis tempore, & adeptæ immortalitatis post resurrectionem suam fecit sanctos, videlicet Apostolos. Et quicunque de ipsorum fontalibus riuulis non biberunt, similiter æterna siti perierunt. Post illos emanauerunt sancti Martyres, post illos beatissimi Doctores Eremitæ, Confessores, Viduæ, Virgines, & quicunque perfectè iusti, Dei seruitores & seruitrices; de quibus omnibus dicitur in Psalm. 64. *Riuos eius inebrians, multiplica genimina eius.* Riui Ecclesiæ Catholicæ, in quibus aquæ gratiarum, & per quos velut per aurea quædam canalia, fluunt in membra Christi adhuc in terris degentia, sunt sancti Dei. Sed fluuius ille magnus B. Virgo Maria, de quo Eccles. 44. *Ego quasi fluuius Dorix & sicut aquæ ductus exiui de Paradiso.* Doria interpretatur generationis medicamentum: Et congruissimè significat B. Virginem, per cuius generationem sanatum est genus humanum.

Thesaurus igitur *ille Ecclesiasticus*, de quo dantur fidelibus Indulgentiæ, meritũ est Domini nostri Iesv Christi, B. Virginis Mariæ, sanctorum Apostolorum, Martyrum, Confessorum & Virginum, omnium Sanctorum; perfectorum, iustorum, adhuc in terris vita mortali degentium, Qui quam sit magnus, quam sit in exhaustus, quantumque de die in diem crescat augeatur, non minuatur, proficiat non deficiat, sic accipe.

Christus Dominus licet sibi meruerit sui corporis gloriosam immortalitatem, suæ resurrectionis accelerationem, sui nominis exaltationem, dilatationem, nobis procul dubio meruit ab æterna morte liberationem, peccatorum remissionem, gratiæ & gloriæ collationem. Propter cuius meritum, etiam solius, quam inexhaustus exsistat Ecclesiæ thesaurus, aduerte. Iam sicut scribitur, anno Domini M.CCC.XCV. mille trecenti sexaginta duo anni, vel circiter, elapsi sunt, postquam Christus passus est pro nobis. Quid tibi videtur nonne facet Baptismus; nonne in Sacramento altaris venerabile & verũ corpus Christi, & alia Sacramenta à Christo Domino instituta, & eius preciosa morte confirmata, tantæ sunt virtutis, tantæ sunt efficaciæ, tantæque dignitatis sunt hodie, sicut fuerunt suæ institutionis & confirmationis prima die? An tibi videtur ipsorum efficaciam & virtutem propter dierum prolixitatem fore minoratam? Absit. Nam si condignè consideres, quæ Matth. vlt. dixit *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationẽ sæculi*; faciliter & infallibiliter intelliges vltimum baptizandum ita verè, ita perfectè baptizari, sicut primum, & quemlibet intermedium [O virtus voici Christi passi. Ad Rom. 5.] *Si vnius delicto multi mortui sunt: multo magis gratia DEI & donum, in gratia vnius IESV Christi in plures abundauit.* Item 1. Cor. 15. *Et sicut in Adam omnes moriuntur; ita & in Christo omnes viuificabuntur.*

†*Cod. Diffa. vitiose. Anno Domini M. CCCC. I. mille trecenti LXII Anni vel circiter.* †*M. S. S. Nic. longitudinem.*

Et ad Heb. 9. *Christus assistens Pontifex futurorum bonorum, per amplius atque perfectius tabernaculum, non manufactũ, id est, non huius creationis; neque per sanguinem hircorum & vitulorum, sed per proprium sanguinem introiuit in sancta, æterna redemptione inuentâ.* Psalm. (129.) *Memor erit in sæculum testamenti sui.*

Nunc etiam aduertamus merita sanctorum Dei, quia, sicut exigente diuina iustitia, per peccatum mortale perdidit homo gaudia cælestis regni, & meretur pœnam æterni supplicii: sic exigente diuina clementia & misericordia per opus meritorium factum, postquam per veram contritionem, confessionem, satisfactionem, pœna illa æterna in transitoriam fuerit mutata, meretur illius temporalis pœnæ diminutionem, & cælestis præmii salutem, & accidentalem augmentationem. Sed quia B. Virgo Maria nunquam aliquam pœnam meruit, & tamen infinita opera meritoria in feruentissima fecit charitate; ideo solummodo adepta est augmentationem præmii, & non pœnæ diminutionem: Et illa secunda pars cessit in thesaurum Ecclesiæ; vnde multorum peccatorum, & multarum peccatricum pœnam diminuit meritum B. Mariæ. Et de illo thesauro dantur indulgentiæ. Similiter S. Apostoli & multi perfectè iusti, etsi prius peccatores fuerint, tamen ita sufficienter in hac vita pœnituerunt, quod nullius pœnæ obnoxii permanserunt, etiam cum adhuc in hac vita mortali fuerunt: & sic adepti sunt eorum operibus meritoriis, solummodò præmii augmentationem, & aliud totum cedit in Ecclesiæ thesaurum. Et sic patet quomodo Ecclesiæ thesaurus non potest exhauriri. Et huius thesauri dispensator noluit esse Christus Dominus solus, imò commisit ipse Prælatis Ecclesiæ, secundum tamen plus & minus.

Vnde quadrupliciter Prælati habent indulgentias dare. Primus & summus est Dominus Apostolicus, verus & legitimus B. Petri successor & Vicarius; cui Dominus plenam potestatem dedit super omnes alios. Matth. 16. *Et tibi dabo claues regni cælorum.* Secundi sunt Cardinales. Et ad illorum, velut aliorum Apostolorum potestatis expressionem scriptum est, Luc. 22. *Et ego dispono vobis sicut disposuit mihi pater meus regnum.* Tertii sunt Patriarchæ, quasi principales patres in Dominico grege, paratiores cum sanctis Martyribus sanguinem suum fundere pro fratribus & fide. Ad quorum potestatis expressionem dicitur notanter; Lucæ 22. *Vos estis, qui permansistis mecum in tentationibus meis; & ego dispono vobis regnum.* Quarti sunt Episcopi, quasi perfecti iusti; de quorum meritis semper locupletatur thesaurus Ecclesiæ. Ad quorum potestatis expressionem dicitur Matth. 25. *Venite benedicti patris mei, percipite regnum.*

Quare autem non solum Vvaldenses heretici, imò multi Catholici, quandoque titubant de indulgentiis, hoc facit indiscreta pronunciatio, quæstuosorum sacerdotum: qui indifferenter omnibus hominibus, hoc & illud facientibus, indulgentias promittunt. Et hoc non est de mente Domini Papæ, aut aliorum prælatorum; qui non dant eas, nisi verè pœnitentibus & confessis, & contritis. Has autem indulgentias licet ad diuersa loca & pro diuersis operibus pietatis Prælati Ecclesiæ dare valeant; tamen crebrius eas conferunt iis locis, vbi sanguis plurimus Martyrum effusus est, vt factum est Romæ, & alibi. Ergò *Romipetæ* & alii peregrini pia intentione & recta illuc venientes, verentur eas. Nam illa Romana ciuitas specialiter à Domino est electa, vbi non solum plurimus plurimorum Martyrum sanguis, sed etiam gloriosorum principum Petri & Pauli est effusus. Et tu Vvaldensis Hæretice, gratias illis non vis credere saltem credant eas Christiani & dicunt; *Dominus regnauit irascantur* hæretici. Iudæi nolebant credere Apostolis, & tamen ex hoc non est infirmata fides eorum: imò per hoc, quod ab eis repulsi sunt, ipsi disseminauerunt fidem per orbem terrarum. Actor. 13. *Vobis oportebat loqui primum verbum DEI, sed quoniam repellitis illud, & indignos vos iudicatis vitæ æternæ, ecce conuertimur ad gentes.*

De anno Iubileo.

CAPVT XXXI.

ITEM de Iubileo sic scribitur Leuit. 25. *Sanctificabis annum quinquagesimum, & vocabis remissionem cunctis habitatoribus terræ tuæ; ipse est enim Iubileus.*

De excommunicatione.

CAPVT XXXII.

ITEM de excommunicatione, quam reprobant hæretici. 1. Cor. 5. *Ego quidem absens corpore, præsens autem spiritu, iam iudicaui, vt præsens, eum qui sic operatus est, in nomine Domini nostri IESV Christi, congregatis vobis & meo spiritu, cum virtute Domini nostri IESV Christi, tradere huiusmodi Satanæ in interitum carnis, vt spiritus saluus sit in die Domini nostri IESV Christi.* Item, Matth. 18. *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus. Amen dico vobis, quæcunque alligaueritis super terram, erunt ligata & in cælo, & quæcunque solueritis super terrã, erunt soluta & in cælo.* Et 1. Cor. 16. *Si quis non amat Dominum IESVM Christum, sit anathema, maranatha*, in Domini nostri aduentu. Sic enim interpretatur *maranatha.*

De † incredulitate imaginum.

CAPVT XXXIII.

M S.S. Nicol. De imaginibus in Ecclesia. ITEM reprobant hæretici imagines, & earum venerationem. Et videntur habere pro se multas autoritates diuersarum scripturarum, quæ postea adducentur, & soluentur.

Primò videatur, an diuinæ maiestatis sit habere imagines in Ecclesia. Exod. 25. *Duos quoq; Cherubim aureos & productiles facies ex vtraque parte oraculi. Cherub. vnus sit in latere vno, & alter in altero. Vtrumque latus propitiatorij tegant expandentes alas, & operientes oraculum, respiciantque se mutuo versis vultibus in propitiatorium, quo operienda est arca, in qua pones testimonium quod dabo tibi. Inde præcipiam & loquar ad te supra propitiatorium, ac de medio duorum Cherubim, qui erunt super arcam Testimonij, cuncta, quæ mandabo per te filijs Israel.*

D Ecce Vvaldensis Hæretice, faciendas esse imagines. An non sunt aurei Cherubim imagines versis vultibus ad se contuendum fabricati? Vel ergo oportet te illam literam exponere, & non omnino, sicut sonat intelligere, sicut scribitur Exod. 20. *Non facies tibi sculptile, neque omnem similitudinem, quæ est in cælo desuper, & quæ in terra deorsum, nec eorum quæ sunt in aqua sub terra*, Vel, oportet te dicere, quod Dominus præcepit contraria, quia, hic † dicitur; *non facies*: illic, *facies*. An non sunt aurei Cherubim similitudines eorum, quæ sunt in cælo desuper?

M. S. S. Nic. dicit.

An non fuit Arca colenda & honoranda, propter eum, qui mandauit ita diligenter & sapienter ipsam fieri; imò terribiliter metuenda? Cur aliâs Oza incautè tangens eam, percussus est plaga mortis? 2. Reg 6. Compara ergo literam quæ præcedit & sequitur, Exod. 20. vbi scribitur; *Non habebis coram me Deos alienos*; & specificat; *non facies tibi sculptile, neque omnem similitudinem*, intellige, vt credas, aut dicas, ea esse Deum tuum, sicut faciunt gentiles idololatræ. Non ergo adorabis ea, neque coles ea, tanquam DEOS, sed, sicut sine dubio, si quis Iudæorum præsumpsisset illos Cherubim aureos frangere, vel maculare, vel præcipitare, imò Moysi modicum contradicere; fuisset grauiter: Sic tu, Vualdensis Hæretice, offendens imaginem sanctæ Crucis, aut B. Virginis MARIÆ, aut alterius sancti, vltrices flammæ Christianæ iustitiæ deuorabunt te: cum nec rex aliquis terrenus pateretur suam galeã, vel *clenodium* deturpari. Et illo modo

A intelligas omnes scripturas sculptilia prohibentes, vt istam Sap. 15. *Non enim in errorem induxit nos hominum malæ artis excogitatio, nec vmbra picturæ labor sine fructu, effigies sculpta per varios colores, cuius aspectus insensato dat concupiscentiam, & diligit mortuæ imaginis effigiem sine anima. Malorum amatores, digni sunt morte, qui spem habent in talibus, & qui faciunt illos, & qui diligunt, & qui colunt*: & alia per totum Capitulum intelligenda sunt, sicut prius, quando fiunt in offensam diuinæ maiestatis, quam idololatræ talibus imaginibus attribuunt.

Vnde concluditur in eodem Capitulo: *Effugerunt autem DEI laudem, & benedictionem eius.* Quando autem fiunt pro DEI laude, & sanctorum eius honore, & hominum excitatione, ad imitanda exempla sanctorum; & ad inuocandum eorum intercessores, optimè fiunt imagines.

B Item illa Isa. 44. *Nunquid est DEVS absque me, & formator, quem ego non nouerim? Plastæ idoli omnes nihil sunt, & amantissima eorum, non proderunt eis. Ipsi sunt testes eorum, quia non vident, neque intelligunt, vt confundantur. Quis formauit DEVM, & sculptile conflauit ad nihil vtile? Ecce, omnes participes eius confundentur; fabri enim sunt ex hominibus; conuenient enim omnes, stabunt & pauebunt, & confundentur simul. Faber ferrarius lima operatus est; in prunis & in malleis formauit illud, & operatus est in brachio fortitudinis suæ: esuriet, & deficiet, non bibet aquam, & lassescet. Artifex lignarius extendit normam, formauit illud in runcina, fecit illud in angularibus, & in circino tornauit illud: & fecit imaginem viri quasi speciosum hominem habitantem in domo. Succidit cedros, tulit ilicem, & quercum, quæ steterat inter ligna saltus, plantauit pinum quam*

C *pluuia nutriuit. Et facta est hominibus in focum, sumpsit ex eis, & cal factus est: & succendit, & coxit panes: de reliquo autem operatus est Deum, & adorauit, & fecit sculptile, & curuatus est ante illud*, &c. *dicens, libera me, quia Deus meus es tu.*

Nec Christus Matth. 23. redarguit Iudæos ideo, quod sepulcra Prophetarum ædificabant, & monumenta iustorum ornabant, cum propter hoc, si alias non fuissent reprehensibiles, debebant plurimum commendari: sed redarguit eos, propter mendacium; quia dixerunt, *Si fuissemus in diebus Patrum nostrorum, non essemus socij eorum in sanguine Prophetarum*: Et Christus cognitor cordium dixit eis; *Itaque testimonio estis vobismetipsis: quia filij estis eorum, qui occiderunt Prophetas; Et vos implete mensuram*

D *Patrum vestrorum*; serpentes, genimina viperarũ, quomodo fugietis à iudicio Gehennæ. In quibus omnibus non operatio imaginum redarguitur, sed quia idolum, vt Deus colitur.

Parenthesis ista sit ex Cod. S. Nicolai. Eo caret Cod. Diessens.; & rectè, nihil enim facit ad argumentum huius capitis. Est tamen, etiam in Cod. Tegern.

Item, quod voluntatis diuinæ sit, habere imagines, probatur 3. Reg. 7. *Duo ordines sculpturarum histriatarum erant fusiles. Et stabant super duodecim boues.* Ecce Vvaldensis hæretice, idem Dominus, qui dixit; *non facies omnem similitudinem, quæ est in terra, deorsum*, hîc voluit habere sculptos boues. An non sunt sculpti boues similitudines eorum, quæ in terra deorsum, nisi fingas boues volare per aëra? Item eodem cap. *Sculpsit quoque in tabulatis illis, quæ erant ex ære, & in angulis Cherubim, & Leones & palmas, quasi in similitudinem hominis stantis.*

E Si boues & leones faciunt ad honorem & ornatum domus DEI; quomodo non ornaret eam imago Domini nostri IESV Christi, B. MARIÆ, sanctorum Apostolorum Petri & Pauli, & aliorum sanctorum DEI & sanctarum? Item idem Dominus, qui dixit, non facies omnem similitudinem neque eorum, quæ sunt in terra deorsum; dixit etiam Num. 21. ad Moysen eundem, per quem id locutus est; *Fac serpentem æneum, & pone eum pro signo; qui percussus eum aspexerit, viuet. Fecit ergo Moyses serpentem æneum, quem cum percussi aspicerent, sanabantur.* O cæce Vvaldensis hæretice, quid videtur tibi serpens iste signare? Nonne Dominum nostrum IESVM Christum in patibulo crucis pro signo sanitatis

nitatis humano generi positum, & erectum? Qui dixit A (Psal.21.) *Ego sum vermis, & non homo, opprobrium hominum, & abiectio plebis.* Aut quis homo serpentem diligit? Sed serpens æneus imaginem quidem serpentis habet, venenum serpenis non habet; Et Christus in similitudine carnis peccati pependit; sed peccatum non fecit. Si ergò sepens æneus propter mysticam significationem, istis hominibus sanitatem reddidit, quid fecisset homo æneus? An non maiorem expressionem humanæ formæ faceret homo æneus, quam serpens æneus?

Sed, quia tu, Vualdensis Heretice, non curuas genua ante imaginem Crucifixi, non habebis sanitatem, donum crucifixi. Fideles verò Catholici genua flectunt, imaginem ipsam, non vt Deum, sed propter Deum redemptorem cultu duliæ, non latriæ colunt, honorant, & adorant, mortē Christi deplorant, & suorū peccatorum B remissionē consequuntur. Sunt ergò imagines *libri Laicales*, qui nescientes scripturas, quandoque maiorem deuotionem & gratiam percipiunt, quam quandoque magnus litteratus ex lectione librorum. Sed Deus mihi testis, quod non mentior, videns vbi plures de secta Vualdensium conuersos, in Ecclesia incedere non aliter, quam cæcos, & mutos, surdos & obstinatos, & asinos insensatos. Sed non mirum, quia; *Quod noua testa capit, inueterata sapit.*

Sed dicis Vualdensis Hæretice, Tamen expressè litera sonat Sap.15. *Morte sunt digni, qui spē in talibus habent & qui faciunt illa, & qui diligunt, & qui colunt.* Respondeo, verum est, si sculptor, vel pictor, aut alius artifex, scilicet, quod quis vellet adorare imaginem, quasi ipsa esset Deus, tam artifex, quam idolatra morte morte C sunt digni: sed sic non faciunt Catholici artifices. Audi ergò diligenter, sculptores, pictores non esse reprobatos secundum suum artificium, Ecclesiast.38. vbi iunguntur sculptores & pictores cum rusticis, agricolis, figulis, & fabris in his verbis: *Qui tenet aratrum, & qui gloriatur in iaculo, stimulo boues agitat, & conuersatur in operibus eorū, & enarratio eius in filiis taurorū. Cor suum dabit ad versandos sulcos, & vigilia eius in sagina vaccarum. Sic omnis faber & architectus, qui noctem tanquam diem transigit, qui sculpit signaculo sculptilia, & assiduitas eius variat picturam. Cor suū dabit in similitudinem picturæ, & vigilia sua perficiet opus. Sic faber ferrarius sedens iuxta incudem, & considerans opus ferri. Vapor ignis vret carnes eius, & in calore fornacis concertatur. Vox mallei innouat aurem eius, & contra similitudinem vasis oculus* D *eius. Cor suum dabit in consummationem operum, & vigilia sua ornabit imperfectionem. Sic figulus sedens ad opus suum, & conuertens pedibus suis rotam, qui in solicitudine positus est semper propter opus suum, & innumerata est omnis operatio eius. In brachio suo formabit lutum, & ante pedes suos curuabit virtutem suam. Cor suum dabit, vt consummet, linitionem, & vigilia sua mundabit fornacem. Omnes hi in manibus suis sperauerunt, & vnusquisque in arte sua sapiens est, sine his omnibus non ædificatur ciuitas. Et non inhabitabunt nec inambulabunt, & in Ecclesiam non transilient. Super sellam iudicis non sedebunt, & testamentum iudicij non intelligent, neque palam facient disciplinam & iudicium, & in parabolis non inuenientur; sed* E *creaturam æui confirmabunt; & deprecatio illorum in operatione artis accommodantes animam suam, & conquirentes in lege Altissimi.*

† M.S.S. Nic. De obsessis.

De † incredulitate omnium quæ sacerdotes faciunt circa obsessos.

† M.T.Di. essens. post passionem Christi & triumphū nullū hominem posse diabolo obsideri.

CAPVT XXXIV.

ITem damnant & reprobant hæretici (Vualdenses) omnia, quæ pij sacerdotes faciunt circa obsessos à dæmonio: dicentes, *à tempore passionis Christi, nullum hominem posse dæmonio obsideri.*

Contra, Marc.vlt. dixit Christus post resurrectionem suam: *Signa autem eos, qui crediderint hæc sequētur. In nomine meo dæmonia eijcient.* Ergò dæmonia corpora hominum post Christi passionem obsident. Item Act.16. scribit B. Lucas; *Factum est autem euntibus nobis ad orationem, puellam quandā habentem spiritum Pythonē obuiare nobis, quæ quæstū magnum præstabat Dominis suis diuinando. Hæc subsecuta Paulum & nos, clamabat dicens: Isti homines, serui Dei excelsi sunt, qui annunciant vobis viam salutis. Hoc autem faciebat multis diebus. Dolens autem Paulus, & conuersus, spiritui dixit: Præcipio tibi in nomine Iesu Christi exire ab ea. Exiit eadem hora.* Quid dicis ad hæc Vualdensis hæretice? nonne confusio tua in foribus est? quia hæc sunt manifestè contra te.

Item, Act.19. *Virtutesque non modicas quaslibet faciebat Deus per manum Pauli; ita, vt etiam super languidos deferrentur à corpore eius sudaria, vel semicinctia, & recedebant ab eis languores, & Spiritus nequam egrediebantur. Tentauerunt autem quidam & de circumstantibus Iudæis exorcistis, inuocare super eos, qui habebant spiritus malos, nomen Domini Iesu, dicentes; Adiuro vos per Iesum, quem Paulus prædicat, &c. Respondens autem spiritus nequam dixit eis: Iesum noui, & Paulum scio, vos autem, qui estis? Et insiliens homo in eos, in quo erat dæmonium pessimum, & dominatus amborum inualuit contra eos, ita vt nudi & vulnerati effugerent de domo illa.*

De studiis priuilegiatis.

CAPVT XXXV.

ITem damnant & reprobant studia priuilegiata, dicentes, ea fore omnimodam vanitatem. Contra Act.9. *(Paulus) loquebatur quoque gentibus, & disputabat cum Græcis.* Item, Act.17. *Paulus disputabat in Synagoga cum Iudæis, &c. per omnes dies ad eos, qui aderāt.* Item, Act.18. *Paulus disputabat per omne Sabbatum in Synagoga interponens nomen Domini Iesu. Suadebat & Græcis, &c.* Dicit notanter, *disputabat*, & non *prædicabat*: quia tempus disputandi est aliud, quam tempus prædicandi. Et hæc disputatio facta est in Corintho. Item eodem cap. in Ephesο. *Paulus ingressus Synagogā disputat cum Iudæis.* Item, Act.20. in Troade: *Vna autem die cum conuenissemus ad frangendum panem Paulus disputabat cum eis profecturus in crastinum.* Item, Act.19. *Introgressus autem Paulus in Synagogam cum fiducia loquebatur per tres mēses, disputans & suadens de regno Dei.* Sed tu Vualdensis hæreticè, rarò vel nunquam venis ad disputandum.

Item Paulus fuit studens Actor.22. *Ego sum vir Iudæus natus Tarso Ciliciæ, nutritus autē in ista ciuitate, secus pedes Gamalielis, eruditus iuxta veritatem paternæ legis, æmulator legis.* Item Timot. studentem laudat Paulus 2. Timot.3. *Tu verò permane in his, quæ credidisti, & credita sunt tibi, sciēs à quo didiceris; & quia ab infantia, sacras literas nosti, quæ te possunt instruere ad salutem, per fidem, quæ est in Christo Iesu.* Item Christus XII. anno ætatis eius inuentus est. *Sedens in medio doctorum in templo, audiens eos, & interrogans eos. Stupebant autem, qui eum audiebant super prudentia, & responsis eius.* Luc.2. Item *Luc.4. Christus venit Nazareth,* vbi erat nutritus; *& intrauit secundum consuetudinem suam die Sabbati in Synagogam; & surrexit legere. Et traditus est illi liber Isaiæ Prophetæ; Et vt reuoluit librum, inuenit locum, vbi scriptum erat: Spiritus Domini super me, eo quod vnxerit me, euangelizare pauperibus misit me. Et cum compleuisset librum, reddidit ministro, & sedit; & omnium in Synagoga oculi erant intendentes in eum.*

Ecce, Christus, qui tantæ auctoritatis fuit, vt verbo suo mortuos suscitaret, & infinita miracula faceret, voluit magisterium suum probare per lectionem scripturarum, manifestè iuuens, eos debere litteras scire, qui docent populum, sed tu Vualdensis hæretice & asine, & literas nescis, & studia damnas, Latinum idioma, quod nescis, reprobas, Iudaicum ignoras, Græcum non nosti, & si in vulgari Barbaro de scripturis noscis, vel intelligis, vel non intelligis: si non intelligis, cęcus cæcos ducis,

& secum in foueam vadis. Si intelligis, & tuis credentibus non exponis, traditor es pauperum animarum; quos quidem sapere non doces. A

† M.S.S. Nic. de iuramentis.

De † incredulitate iuramenti quantumcunque iudicialiter facti.

CAPVT XXXVI.

ITem dicunt VValdenses hæretici, quod omne iuramentum, quantumcunque iudicialiter, & veridice factum, sit peccatum, & reprobatum. Et ad suum errorem confirmandum peruertunt verbum Saluatoris Matthæi 5. dicentes Dominum dixisse; *Ego autem dico vobis; omnino non iurare:* volentes Christum intendisse, quod nullis modis, nullis ex causis possit quis sine peccato iurare. B Sed miseri illiterati idiotæ & asini, dictionum constructionem nescientes, non intelligunt magnam esse differentiam inter, *omnino non iurare*, sicut dicit hæreticus; & inter, *non iurare omninò*, sicut dicit Christus. Et vt illa doctrina magis luceat, accipiamus verbum Apostoli Iacobi suæ Canonicæ 5. cap. cum dicit: *Nolite iurare.* Et addamus Verbum Christi, *omninò*: Et illam formemus orationem; *Nolite iurare omninò* Hæc locutio est Christiana & vera, & de mente Saluatoris. Quam peruertentes hæretici, dicunt; *omninò nolite iurare*, quæ est hæretica, & falsa, & de mente errantis deceptionis. Triplicitet autem potest ista locutio Christiane & Euangelica exponi; *nolite iurare omninò*. Primò, sic, id est, in omni verbo. Secundò sic; pro omni facto. Tertiò sic, & apertius ad propositum Euangelij, nolite C iurare omninò, id est, per omnem rem, quia non per creaturam, sed solum per creatorem, aut per creaturam per Deum sanctificatam. Et tale iuramentum fit principalius per creatorem sanctificantem, quam per creaturam sanctificatam. Et in hunc modum sonat litera sequens: *Nolite iurare omninò: neque per Cœlum; quia thronus Dei est; neque per terram; quia scabellum pedum eius est: neque per Hierusalem, quia ciuitas magni Regis est. Neque per caput tuum iurabis, quia non potest vnum capillum album facere, aut nigrum. Sit autem sermo vester, est, est, non, non. Quod autem his abundantius est, à malo est.*

Hoc autem dicit hæreticus; *à malo*, id est, à peccato iurantis. Et hoc non intendit Christus; quia sic omnis iurans esset malus, & Christus, & Paulus, & Ange- D lus, & Deus: sed, *à malo*; simplicia verba sine iuramento non credentis, & iuratorem ad iurandum, per eius incredulitatem quasi compellentis: Non tamen semper à malo culpæ; sed quandoque à malo ignorantiæ vel timoris, dum timent quis se à simpliter loquente decipi, vult iurari. Alias omnis iudex peccaret; quia, licet locum Dei teneat, vel habeat, non tamen Deus est, vt corda hominum valeat agnoscere. Ne ergò per sententiam suam iniustè iudicet, vult sibi per iuramentum ea proponi, de quibus debet iudicare.

Et illud intendit B. Paulus ad Hebr. 6. *Omnis controuersiæ hominum finis, ad confirmationem, est iuramentum.* Vbi autem Christus Matth. 5. posuit, non esse iurandum per cælum, terram, Hierusalem, caput hominis, E nusquam positum est nomen Dei; quasi vellet Christus dicere; quando iurare oportet, solum iurari debet per Deum. Vnde Deuter. 6. *Dominum Deum tuum timebis, & illi soli seruiet, & per nomen illius iurabis.* Psal. (62.) *Laudabuntur omnes, qui iurant in eo, quia obstructum est os loquentium iniqua.*

Et ideo Ioseph Iudæus optimus in Ægypto, volens se non manifestum fieri fratribus, iurat paganicè, quasi ipse incircumcisus, & paganus, vel gentilis, non Iudæus esset; & dixit Genes. 42. *Per salutem Pharaonis, non egrediemini hinc, donec veniat frater vester minimus. Mittite vnum ex vobis, & adducat eum: vos autem eritis in vinculis, donec probentur quæ dixistis, vtrum sint. Alioquin per salutem Pharaonis exploratores estis.*

Volens ergò Christus Dominus differentiam esse inter modum iurandi paganicum & Christianorum, noluit, quòd iuraremus per creaturas, vt tales, sed per creatorem; aut, si per creaturas, tamen vt à Deo sanctificatas. Et sic iuramus per S. Mariam, non quasi per puram creaturam, sed vt per Deum sanctificatam. Vnde non dicimus per Mariam, sed, per Sanctam Mariam. Sanctitas autem illa originaliter a solo Deo est, à quo fluxit in Mariam, & sanctificauit eam. Vnde Matth. 23. *Væ vobis duces cæci, qui dicitis, quicunque iurauerit per templum, nihil est: qui autem iurauerit in auro templi, debitor est. Stulti & cæci: quid enim maius est, aurum an templum, quod sanctificat aurum? & quicunque iurauerit in altari, nihil est: quicunque autem iurauerit in dono, quod est super illud, debet. Cæci; quid enim maius est, donum, an altare, quod sanctificat donum? Qui ergò iurat in altari, iurat in eo, & in omnibus, quæ super illud sunt: & quicunque iurauerit in templo, iurat in illo, & in eo, qui habitat in ipso: Et qui iurat in cælo, iurat in throno Dei, & in eo qui sedet super eum.* Sic possum dicere; qui iurat per sanctam Mariam, iurat per eam, & per eum, qui sanctam fecit eam.

Ecce manifesta confusio tua VValdensis Hæretice. Christus dicit, aurum templi, & donum altaris, esse sanctum, quæ tres sunt inanimatæ, & per consequens irrationales, & tu non credis, quod dicit Christus; ergò tu es hæreticus: & tamen dicis, quòd sis Christianus, & non credis, quod loquitur Christus: ergò stolidiores, quam asinos.

Quod autem non omne iuramentum sit peccatum, patet. *Quia* (Psalmo 109.) *iurauit Dominus, & non pœnitebit eum*, &c. Vnde Paulus ad Hæbr. 7. *Alij quidem sine iureiurando sacerdotes facti sunt. Hic autem*, scilicet Christus, *cum iureiurando per eum, qui dixit, Iurauit Dominus.* &c. Item, Psal. 88. *Semel iuraui in sancto meo, si Dauid mentiar, semen eius in æternum manebit.*

Item, Psal. 131. *Iurauit Dominus veritatem, & non frustrabitur eum*, &c. Item, Actor. 2. *Propheta igitur cum esset, & sciret, quia iureiurando iurasset illi Deus, de fructu lumbi eius sedere super sedem eius.* Item, Genes. 22. *Per memetipsum iuraui* dicit Dominus ad Abraham; *quia fecisti hanc rem, & non pepercisti filio tuo vnigenito, benedicam tibi, & multiplicabo semen tuum sicut stellas cæli, & velut arenam, quæ est in litore maris.*

Vnde Paulus ad Hæbr. 6. *Abrahæ namque promittens Deus, quoniam neminem habuit per quē iuraret, maiorem se, iurauit per semetipsum, dicens: Benedicēs benedicam, & multiplicans multiplicabo te.* Item de S. Abraham scribit Moyses. Genes. 24. *Erat Abraham senex dierum multorum, & Dominus in cūctis benedixerat ei; dixit ad seruum seniorem domus suæ, qui præerat omnibus, quæ habebat. Pone manum tuam super femur meum, vt adiurem te per Dominum cæli & terræ, vt non accipias vxorem filio meo de filiabus Chananæorum, inter quos habito, sed ad terram & cognationem meam proficiscaris, vnde accipies vxorem filio meo Isaac. Posuit igitur seruus manum suam sub femore Abraham Domini sui. & iurauit illi super sermone hoc.* Item, Isa 62. *Iurauit Dominus in dextera sua, & brachio fortitudinis suæ.* Item, Luc. 1. *Iusiurandum, quod iurauit ad Abraham patrem nostrum daturum se nobis.*

Item quoties aliquam arduam sententiam locutus est in Euangelio, iurauit Dominus; *Amen dico vobis, vel Amen Amen dico vobis.* Luc. 12. *Verè dico vobis; quia super omnia, quæ possidet, constituet eū*, scilicet seruum fidelem. Item, Luc. 9. *Dico autem vobis; Verè sunt aliqui hic stantes, qui non gustabunt mortem, donec videant regnum Dei.* Item, iurauit Paulus ad Rom. 1. *Testis est mihi Deus, cui seruio in spiritu meo, in Euangelio filij eius, quia sine intermissione memoriam vestri facio in orationibus meis.* Item, Apoc. 10. Et *Angelus quem vidi stare super mare, & super terram, leuauit manum suā ad cælū. & iurauit per viuentē in sæcula sæculorū, qui creauit cælū, & ea quæ in eo sunt;*

quia

quia amplius tempus non erit. Item, Ierem. 4. *Iurauit Dominus in veritate, iudicio & iustitia.* Item, Ierem. 12. *Si eruditi didicerint vias meas populi mei, vt iurent in nomine meo; viuit Dominus, sicut docuerunt populum meum in Baal, ædificabuntur in medio populi mei, quod si non audierint, euellam gentem illam euulsione, & perditione, dicit Dominus.*

Item, Daniel. 12. *Et audiui virum, qui indutus erat lineis, qui stabat super aquas fluminis, cum leuasset dexteram & sinistram in cælum, & iurasset per viuentem in æternum; quia in tempus & tempora, & dimidium temporis,* &c. Item in laudibus Abrahæ Ecclesiast. 44. *Ideo iurei-*
A *rando dabit illi gloriam in gente sua, crescere illum quasi terræ cumulum.*

Item Isa. 19. *In illa die erunt quinque ciuitates in terra Ægypti loquentes lingua Chananæa, iurantes per Dominum exercituum. Ciuitas solis vocabitur vna.*

Ecce VValdensis hæretice, quam placitum est Domino Deo iurare homines per nomen suum, quando iurant veritatem; & tu illud damnas? quapropter tu damnaberis, si non conuersus fueris ad Deum viuum, ad quem nos perducat filius suus vnigenitus, Dominus noster Iesus Christus, qui est in sæcula benedictus.

Expliciunt obuiationes sacræ Scripturæ erroribus VValdensium ANNO Domini M. CCCC. XLIV.

LECTORI.



VPERIORI Tractatui contra VValdenses subiungebatur in Codice Tegernseensi sequens contra VValdenses Disceptatio, quæ peculiare opusculum constituit; cum præcedens Tractatus solemni, vt vidisti, clausula, finitus ac terminatus fuerit, Ad calcem hæc leguntur. Explicit Tractatus contra Pauperes de Lugduno, editus per venerabilem Doctorem & Magistrum Petrum de Pilichdorff. Professorem sacræ Theologiæ. *Vnde quis coniecturam facere posset, solam posteriorem lucubratiunculam ad hunc Auctorem referri debere. Sed priori* Tractatui *diserte etiam nomen Petri de Pilichdorff. in Codice Tegernseensi præfigitur. Nec putaui me operæ pretium facturum, si totum Tractatum Operi huic insererem, tum quia Codex mendosissimè exaratus est, vt aliquot locis nullus planè sensus erui queat; tum quia Auctor iste nonnulla de Dominio rerum, & mendicitate laborare valentium; nullamque approbatam Religionem profitentium, disserit, quæ num ad eruditorum stomachum factura essent, vehementer ambigo.* Pauperes de Lugduno *veterum Hæreticorum, quos sanctus Epiphanius, & alij vocant* Apostolicos, *seu* Apotacticos, *errorem quadantenus amplectebantur, nempe Apostolorum & primitiuæ Ecclesiæ exemplo, omnium rerum proprietatem non modo in particulari, sed & in communi procul habendam & repellendam esse, viuendumque ex mendicato. Quos Auctor iste prima Tractatus sui parte refellit; sed adscitis quibusdam argumentis, quæ auribus probè purgatis non satis probè tinniant.*

FRAGMENTVM EX TRACTATV PETRI DE PHILICHDORFF. CONTRA PAVPERES DE LVGDVNO. EX M. S. C. Monasterij Tegernseensis.



ALVATOR noster IESVS CHRISTVS clamat Ioan. 14. errantibus & viam ignorantibus; *Ego sum via*, dubitantibus, & non credentibus: *Ego sum veritas.* In qua veritate Ecclesia Catholica fundatur iuxta illud Matth. 16. *Et super hanc petram*, id est, Christum, qui Veritas est, *ædificabo Ecclesiam meam*, testante & dicente discipulo in 1. ad Corinth. 3. *Fundamentum aliud nemo potest ponere, præter id, quod positum est, quod est Christus Iesus.* Hanc igitur Ecclesiæ fundationem strenuissimam egregius Doctor beatus Augustinus contra Epistolam Fundamenti attendens, inquit; *quod non crederet Euangelio, nisi eum ad hoc Ecclesiæ authoritas commoueret.* Sæuiat igitur contra Ecclesiam Catholicam hæreticorum prauitas, quantum potest. Euacuet contra eam pharetras suas turma schismatica; subuerti tamen non potest, & eorum nequit multitudine conculcari. Venerunt flumina, flauerunt venti, & impegerunt in eam, & non cecidit; quia fundata erat supra firmam petram. (1.Cor.10.) *Petra autem erat Christus. Qui vt ipsam sibi redderet gloriosam, non habentem maculam, aut rugam*, ad Ephes. 5. sed potius, *vt ipsam sanctificaret mundans lauacro aquæ in verbo vitæ, tradidit semetipsum pro ea.* Quapropter, quilibet Christianus, vbi ipsam viderit blasphemari, aut contumelias ei irrogari, ipsam defensare, & sub diuinæ potentiæ dextra murum inexpugnabilem se opponere tentet. Quia S. Chrysostom. homilia 5. de opere imperfecto; *Nam licet dissimulare iniuriam propriam pium sit, tamen iniuriam Christi dissimulare iniquum.* Quæ autem maior iniuria Christi esse potest, quam quòd sua sponsa sibi in veritate copulata, fucatis argumentorum coloribus ab hæreticis & schismaticis impugnetur.

(† impudentes forte.) Aduersus igitur hos friuolos & † impudicos assertores, clamat Christus cuilibet Christiano, in Psalmo; (Psal. 34.) *Apprehende arma & scutum, & exurge in adiutorium mihi.* Contra quos rursum discipulos Veritatis zelū Christianorum suscitare cupiens, conformiter clamat; *State succincti lumbos vestros in veritate, & induti loricam iustitiæ, & calceati pedes in preparationem Euangelij pacis; in omnibus sumentes scutum fidei in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere & galeam salutis assumite, & gladium Euangelij, quod est Verbum Dei;* ad Ephes. 2.

Sic Augustinus orthodoxæ fidei pugil fortissimus, in certamine contra hæreticos positus, gladio ipsius, quod est Verbum Dei, protectus, (capita) quæque hæreticæ prauitatis suo tempore amputauit. Sed quia, *oportet hæreses esse & schismata, vt, quæ probata sunt, manifesta fiant*, 1. Corinth. 11. vt ergò veritas Christianæ religionis toti mundo manifestetur; his modernis & quasi extremis temporibus, Deo permittente, quidam satellites Antichristi (Psalm. 2.) *conuenerunt in vnum aduersus Christum eius.* (Psalm. 10.) *Intenderunt arcū, & parauerunt sagittas suas, vt sagittent in obscuro rectos corde.* (2.Tim. 3.) In vita autem & habitu *habentes speciem pietatis, sed virtutem eius abnegantes*, eò quòd decipiunt plures; qui se transfigurant in Angelos lucis, cum sint Satanæ: Verba respondentes dolosæ confessionis; Errores in corde retinentes; quia, vt scriptum est; *Est, qui nequiter se humiliat, & interiora eius plena sunt dolo.* Prouer. 10. Vnde & in argumentum fidei suæ fictæ, simplicitatis vultum demittunt, prosternunt corpus, lacrymas aliquas sibi extorquent, si possunt, verba gemitibus interrumpunt.

Quod si in religione agatur, statim visiones & somnia proferunt, laudant ieiunia, commendant vigilias, de patientia & humilitate, ac de singulis virtutibus plenissimè, sed vanissime disputant; quia disputatione superbâ dissimulant coram Iudice culpam, vt differat pœnam. *Vasa figuli probat fornax*; & tribulatio (Eccles. 27.) verè pœnitentes discernit. Qui enim veraciter pœnitent, laborem pœnitentiæ non abhorrent: sed, quidquid eis pro culpa, quam oderunt, iniungitur, tacita conscientia amplectuntur. Simulati verò pœnitentes, vna vel leui contumelia, aut exigua pœnâ interrogati, eam dissimulare non possunt, minantur, frendent, in astutia promittunt, se mortem sibi irrogaturos, & tandem frontosi & impudentes effecti, seniores & maiores contemnunt, & tanto deterius, quanto desperatius, patenter inobedientiæ errores, quos plus latenter siluerunt, vel abnegare promiserunt, arrogantes confitentur. Vnde de talibus scribit Apostolus ad Romanum vltim. *Rogo autem vos fratres, vt obseruetis eos, qui dissensiones & offendicula, præter doctrinam, quam vos didicistis, faciunt, & declinate ab eis. Huiusmodi enim Domino nostro non seruiunt, sed ventri suo: & per delicatos sermones & benedictiones seducunt corda innocentum.* Cuiusmodi sunt quidam culpabiliter errantes, *Pauperes de Lugduno* vocati; qui, inaniter de sua paupertate gloriantes, dicunt tanquam pro fundamento sui erroris, quod ipsi soli vitam Apostolorum seruent, nihil habentes in proprio, vel communi; & consequenter, quòd à spe salutis sint exclusi, Papa & Episcopi Apostolorum successores, & omnes Pastores, in communi, vel proprio aliquid habentes.

Sed contra erroris eorum fundamentum, quo dicunt, Apostolos nihil habuisse in proprio, aut communi, arguitur supponendo, primo: quòd infidelitas non obstat (I. Propos.) vero dominio, sed quòd etiam infideles habeant verum dominium temporalium rerum. Probatur sic: Dominium rerum temporalium certis hominibus datum à Deo, quod ab eis auferre, alijs etiam infidelibus minimè licet; est verum dominium, non solum permissum, sed etiam concessum ab illo, qui verū & legitimū dominium dare, & concedere potest. Deus autē, vt habetur Deut. 2. dedit filijs Esau, & filijs Moab, & filijs Amon, qui erant infideles, certas regiones, quas eis auferri à fidelibus non licebat. Igitur ipsi, quamuis essent infideles, habuerunt verum & legitimum dominiū temporalium rerum, &c.

Secundò, qui præcepto speciali diuino in Regem inungitur, non solum à Deo habet potestatē regiam permissam, sed etiam concessam, quia vnctio regalis legitima non est sine legitima potestate. Deus autem præcepit Heliæ Prophetæ, vt legitur 3. Reg. 19 vt vngeret Hazael Regem super Syriam, qui tamen infidelis erat, Ergò Hazaël legitimam regni sui habuit potestatem & dominium: de quo ibidem subditur: *Quicunque fugerit gladium Hazael, occidet eum Iehu.*

Tertiò ille habet verum dominium rerum temporalium, & non solum permissum: cui fideles illa, quæ dicit esse sua, reddere obligantur: quia illa, quæ Tyrannus vendicat, aut prælio, aut inuasor, non tenetur alius ei reddere, sed Christus voluit & præcepit fidelibus, vt redderent Cæsari ea, quæ sua essent: Vnde dicebat Christus,

Reddite

Reddite ergò quæ sunt Cæsaris, Cæsari. Ergo Cæsar ille, A scilicet Tiberius, qui extitit infidelis, habebat verum & legitimum dominium.

Item ille, cui fideles non solum propter periculum vitandum, sed propter conscientiam debent esse subiecti, habet verum dominium, & legitimam potestatem: Potestatibus autem infidelium debebant tempore Apostolorum Christiani esse subiecti, non solum propter periculum vitandum, sed etiam propter conscientiam, teste Apostolo ad Rom. 13. cum ait, *ideo necessitate subditi estote non solum propter iram, sed etiã propter conscientiam.* Ergò infideles habuerunt verũ & legitimum dominium; quia dominium non est aliud, nisi potestas præsidentialiade te sibi subiecta. Quod autem Apostolus ibi sub potestatibus superioribus comprehendat infideles, patet per id, quod scribitur 1. ad Timoth. 6. *Quicunque sunt sub* B *iugo servi, dominos suos omni honore dignos arbitrentur, ne nomẽ Dei & doctrina blasphemetur. Qui autẽ fideles habẽt Dominos, non contemnant; quia fratres sunt, sed magis serviant: quia fideles sunt.* Vbi apertè insinuat; quòd Dominorum veterum quidam erant fideles, quidam infideles; & quod serviendum est vtrisque. Item, cum dixit ad Rom. 13. *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit;* voluit fideles esse subiectos, etiã potestatibus infidelibus. Item, cum dixit ibidẽ: *non est potestas, nisi à Deo: quæ autem à Deo sunt, ordinata sunt:* intellexit apertè, quod potestas, quæ erat apud infideles, ordinata erat à Deo, & non solum permissa: quia de illa potestate dixit: *Qui autẽ resistit potestati, Dei ordinationi resistit;* quod de potestate permissa, & non concessa intelligi non potest. Non C enim Patres in veteri Testamento, qui sæpe infidelibus hominibus, super eos potestatem permissam habentibus resistentes, ordinationi Dei resisterunt, quia resistendo illis, nequaquam sibi damnationem acquisiuerunt, sed potius laudabiliter & meritoriè hoc fecerunt. Si igitur Christiani infidelibus opprimentibus eos, & potestatem permissam habentibus resistere tentauerunt, nullatenus Dei ordinationi resistunt. Potest ergo extra Ecclesiam & apud infideles esse legitima potestas & concessa non permissa solum, &c.

Infideles, eo quod ad fidem conuertebantur, dominium temporalium rerum, quas diuisim, aut coniunctim in infidelitate possederunt, non amiserũt. Propter quod

II. Propos.

ex quo in antiqua & repudiata Synagoga, erant dominia & possessiones hominibus à Deo concessa & distributa; igitur à maiori argumentando, in noua Christi sponsa D licita sunt talia dominia, tum quia perfectior, & dignior ratione cuius magis debitum est, vt suæ indigentiæ de tali, aut tali re supplementum ministretur: Tum etiam, quia spiritualior est, & pluribus scientiis & virtutibus adornata: ratione cuius sibi dominium legitimum rerum magis competit; qui secundum Philosophum 3. Politicorum, *Qui viget intellectu & ratione, est naturalis dominus aliorum.* Talis enim; quia sapientis est regere, potest melius politias in pace conseruare, &c.

Si, (VValdenses) dicant se missos, dicant suæ missionis testimonium: Et, an sint missi à Deo, vel ab hominibus? Non à Deo, quia pro suæ missionis † initio dicunt, quod socius Syluestri, tempore Constantini, noluit consentire, quod Ecclesia, Constantini temporibus, ditare- E tur, & ex hoc à Syluestro recesserit, viam paupertatis tenendo, apud quem etiam suis adhærentibus in paupertate degentibus Ecclesia permansit: & Syluestrum cum sibi adhærentibus ab Ecclesia dicit cecidisse. Item, quòd post annos † trecentos à Constantino surrexit quidam è regione VValdia Petrus nominatus, qui similiter viam paupertatis docuit, à quibus secta VValdensia est exorta. Sed, quæ signa virtutum prædictis perhibent testimonium? Cum tamen facta celeberrima & miracula Syluestri totum mundum non latuerint.

† industria.

VValdensium lepida fabella.

† Longè plures sũt à Constantin. vsque ad VValdom.

Item Ecclesia Christi est illa ciuitas, quæ in quadro posita est, Apocal. 21. quæ verba Haymo pertractans, A sic inquit: *Bene Ecclesia in quadro posita memoratur, quia est robusta per fidem, longanimis per spem, ampla per charitatem, efficax per operationem.* Ex quo tanquam à posteriori potest sic argui. Quæcunque multitudo est firmior & robustior per fidem, longanimior per spem, amplior per charitatem, efficacior per operationem, illa est Ecclesia Christi, sed multitudo succedens Syluestro est huiusmodi. Igitur. Tenet consequentia: quia istæ sunt conditiones domus firmæ in quadro positæ, & conditiones Ecclesiæ, sunt ex conditionibus & proprietatibus Apocalyps. 21. Igitur & antecedens, quo ad primam partem, videlicet, quod firmior. Nam fideles ipsius potius laudabiliter moriuntur, quam aliquid quod est de substantia fidei abnegent, prout multi successores beati Syluestri fecerunt, quam tamen firmitatem fidei VValdenses B minimè tenent, quia dicũt in sua secta, quòd fides sit celanda ad martyrium euitandum, &, quod pro salute vitæ, nomen Dei, licet non mente, sed voce sit negandum. In quo etiam eorum insipientia manifestatur. Nam, qui verè diligit Deum, & est verus eius discipulus, plus diligit Deum, quam se, & per consequens, potius perdit se, quam nomen Dei. Vnde August. de vita Christiana, *Illi Deum diligunt, qui vnde nomen Dei glorificetur, exercent.* Igitur, ex quo fides eorum non confitetur Deum coram hominibus, nec Dominus Iesus Christus confitebitur eos coram patre suo. Iuxta illud Matt. 10. *Omnis, qui confitebitur me corã hominibus, confitebor & ego eum corã patre meo.* Item etiam prædictus error eorum repugnat scripturæ Matth. 12. vbi dicitur: *quod ex fructu arbor cognoscitur; & quod ex abundantia cordis, os loquitur.* Et C quod *bonus homo de thesauro suo profert bona, & malus similiter mala.* Et Aristoteles 3. Ethic. *Vnusquisque talis est, qualia dicit, & qualia operatur.* Item Saluator. *Sermo, qui procedit ex ore meo, ille testimonium perhibet de me.*

Item hanc mendacem fidem, qua corde confitentur Deum, & ore negant, pulcherrimè reprobat August. in lib. de mendacio, ostendens apertè, quod non est faciendum mendacium pro aliquo malo vitãdo, nec pro commodo procurando, nec pro hominis anima aut vita saluanda. & exprimit vnam inter alias pulcherrimam rationem: *Si*, inquit, *aliquando liceret ex tali causa proferre mendacium, tota Ecclesiæ doctrina periret: quoniam tunc prædicans fidem in publico, ex tali causa posset mentiri. Cur ergo, cum sic doceretur, fidem auditores in cordibus suis non possent sic arguere? Iste, secundum doctrinam suam potest* D *licitè dicere falsum, & mentiri, nescio, nec scire nunc possum an talis iam sibi insistat casus. Igitur doctrinæ suæ non debeo fidem adhibere.* Et tandem concludit *quod ad officium Iusti hominis nunquam pertinet proferre mendacium.*

Item, hoc est præceptum Saluatoris Marci 10. Vbi, cuidam quærenti ab eo, quid faciam vt vitam æternam possideam? Taliter respondet, *Ne adultereris, ne occidas, ne fureris, ne falsum testimoniũ dixeris, ne fraudẽ feceris.* Quomodo ergò fraudulenti & mendosi VValdenses, socium Syluestri sequentes, dicunt fidem suam esse veram, & cum hoc, in angulis prædicandam, cum veritas non quærat angulos, testante ipsa Veritate, & dicente suis Apostolis, & discipulis Matth. 10. *Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine; &, quod in aure auditis, prædica-* E *te super tecta.* Ex quibus patet prima pars assumpti, videlicet quod multitudo succedens Syluestro est firmior & robustior per fidem, quod fuit probandum.

Sed secunda pars, quod si longanimior per spem, probatur: quia tantum est gaudium isti multitudini, & tanta obtinendi certitudo, continuum præbens consolationis & patientiæ auxilium, vt sine molestia futuram gloriam exspectent, parte alia contra Deum murmurante, & se iustificante, quod se hæc pati permittat. Et multum adauget spem prædictam Gamalielis sententia honorati, & legis Doctoris dicentis Actor 5. *De quibusdam, qui insurrexerant, & multiplicati erant, dicentes se aliquid magis esse, sed quia ex Deo non erãt, ideirco multitudo eorũ*

periit, & consumpta est: sic in proposito articulo; Cum multitudo sequens sectam Syluestri, continuè coarctetur, ex Deo non est.

Sed tertia pars assumpti, videlicet, quod sit amplior per charitatem, patet; quia oporteret, quod illud scripturæ impleatur. *Adorabunt eum omnes Reges terræ, omnes gentes seruient ei.* (Psal. 71.) In quacunque ergo multitudine prædicta scriptura magis adimpletur, censetur esse Ecclesia Christi; sed hoc est in multitudine Syluestri videlicet.

Item in ipsa magis impletur scriptura, quæ dicit de Ecclesia sponsa Christi. *Vineam de Ægypto transtulisti, eiecisti gentes, & plantasti eam; Extendit palmites suos vsque ad mare, & vsque ad flumen propagines eius.* (Psal. 79.) Et illud Isa. 9. *Multiplicabitur eius imperium, & pacis eius non erit finis.* Ex quo ergo Ecclesia Christi vbique dilatanda est, B iuxta illud Prophetæ in Psalmo; *Omnes gentes quascunque fecisti, venient, & adorabunt coram te domine*: (Psal. 85.) tum in hoc discriminatur inter Ecclesiam Christi, & alia conuenticula: quia illa dilatanda est, & dilatatur quotidie; ista vero de contrario coarctatur.

Sed quoad quartam partem antecedentis, videlicet, quod sit efficacior per operationem, patet, quia efficacitas operationis Ecclesiæ militantis, quousque perducatur in triumphantem, consistit in efficacia Sacramentorum à Christo institutorum: sed illis abutuntur prædicti VValdenses, seu pauperes de Lugduno vocati, dicentes, *etiam non sacerdotem posse conficere, & Sacramentum pœnitentiæ posse dispensare*; contra primæuam institutionem illorum Sacramentorum. Vnde Christus instituens Sacramentum Eucharistiæ, (Luc. 22.) dixit Apostolis, vel C ad minus non nisi suis discipulis, quibus in Ecclesia non succedunt nisi sacerdotes: *hæc quotiescunque feceritis, in mei memoriam facietis.* Hoc idem habetur ex sententia Pauli 1. ad Corinth. 10. *Panem quem frangimus, nos scilicet Apostoli, nonne communicatio corporis Domini est?* Si enim quilibet fidelis posset conficere, non oporteret alium aliis frangere, sed quilibet posset de suo sacrificio communicare. Ex fundamento huius sententiæ Ecclesia determinauit. Extra de sum. Trin. & fide Catholica, quod nemo conficere potest, nisi sacerdos, qui rite fuerit ordinatus secundum claues Ecclesiæ. Et ratio ad hoc congrua est: quia, sicut ab anima, mediante corde, deriuantur virtutes animæ ad cætera membra: & in corde est principalis sedes vitæ secundum Aristot. lib. de animalibus: Sic & qualibet politia, actus principales pertinentes D ad ipsam politiam, exerceri debent per personam principalem in ipsa politia. Et sic rationabile est, actum conficiendi & dispensandi Eucharistiam residere apud illum, qui est in Ecclesia Hierarcha. Sed talis est sacerdos. Igitur.

Ex quo sequitur, quod nec ministerium pertinens ad Sacramentum pœnitentiæ, potest à Laico dispensari. Congruum est enim, vt idem habeat potestatem super corpus Christi verum & mysticum. Et ex præcedentibus, solus sacerdos habet potestatem super corpus Christi verum: Ergo & super corpus Christi mysticum. Cōfirmatur: quia sicut in Ecclesia triumphante, ita & in militante, quia militans à triumphante descendit, iuxta illud E Apocal. 21. *Vidi ciuitatem sanctam Hierusalem nouā, descendentem de cœlo, &c.* Ex quo ergo militans sumpsit originem à triumphante; & in triumphante extrema reducuntur ad extremum per mediū: Idcirco sic congruit in Ecclesia militante, vt extrema, scilicet peccatores, reducantur in extremum, hoc est in Deum per hierarchiam. Non ergo sine graui periculo potestatem cibandi populum Christi, & potestatem clauium sibi assumunt laica pseudo-discipuli Christi, contra formā relictam à Christi Apostolis, & eorum successoribus, prout per successores Apostolorum, & per relationes & scripturas fidelium ad nos peruenerunt; prout longo tempore etiam ante Syluestrum fuit obseruatum. Et grauitas huiusmodi transgressionis & inobedientiæ, constat ex dicto Christi, Luc. 10. Vbi inquit; *Qui vos audit, me audit: Et, qui vos spernit, me spernit.* Quæ verba pertractans Bernardus in lib. de præcepto & dispensat. dicit: *Obedientia, quæ maioribus debetur, Deo exhibetur. Quamobrem quidquid vice Dei præcipit homo, quod non sit tamen certum displicere Deo, haud secus omnino accipiendum est, quam si præcipiat Deus. Quid enim interest, vtrum per se, aut per suos ministros, siue per homines; siue per angelos hominibus innotescat suum beneplacitum Deus?* Hæc Bernardus.

Item si solus bonus conficit corpus Christi, non esset in magnum remedium viatorum, conficere, sed quasi communiter in detrimentum. Cum enim nullus possit esse certus de bonitate propria; multo magis nec de bonitate alterius. Ergo, si ex bonitate ministri dependeret consecratio, vel baptismus nunquam posset aliquis esse B certus, si vere recepisset (Eucharistiam vel) baptismum. Item ex parte suscipientis est congruentia; quia omnino iniustum est, alterum pro iniquitate alterius puniri, quando alter nullo modo communicat iniquitati illius, ita vt possit sibi imputari; Sed ille baptisandus disponit se ad gratiam, quantum potest; si ergo malitiá minister impeditur, ille punitur propter culpam alienam nullo modo imputandam. Tanquam ergo infideles puniendi sunt, qui præcepta Patrum & superiorum contemnunt, testante B. Gregorio 37. Moral. *Obedientia sola est, quæ meritum fidei possidet sine qua infidelis esse quisque conuincitur, licet fidelis esse videatur.*

Ex quorum Patrum doctrina sequitur, quod quilibet tenetur parere superiorum mandatis, non solum in eis, quæ ex sacra scriptura deducuntur, aut euidenti ratione C conuincuntur; sed etiam in his, quæ sic obscura sunt, vt nec cognitum sit, quod Deus sic, aut aliter velit. Vnde & B. Bern. vbi supra, monet; quoniam de dubiis nobis, quoad Dei voluntatem, sic dicendo. *Sed homines, inquis, facile falli in Dei voluntate de rebus dubiis perspicientia, & præcipienda fallere possunt; respondendū; sed enim quid refert tua, qui conscius non es. præsertim* cum tractas de scripturis; *quia labia sacerdotis custodiunt scientiam, & legem ex ore eius requirēt; quia angelus Domini exercituū est. Requirent legē, quā vel authētica vlla scriptura tradedit; vel ratio manifesta probauit. De huiusmodi quippe nec præceptor expectandus est, nec prohibitor auscultandus. Sed quod ita latet, aut obscurū est agnoscitur, vt in dubiū venire possit: Vtrum nā Deus sic, an aliter forte velit. Se non de labiis custodientibus scientiā, & ex ore angeli Domini rectū reddatur, à quo denique diuina petiue consilia requirētur, qui ab* D *illo cui tradita est dispensatio mysteriorū Dei? Ipsū proinde, quem pro Deo habemus, tanquam Deum in his, quæ aperta non sunt contra Deum, audire debemus.* Hæc Bernard. (Malac.)

Valde igitur notandi sunt, & tanquam de infidelitate, & hæresi suspecti, qui non solum nolunt, sed etiam nolunt obedire sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat Deo non solum super his, quæ sic in dubium venire possunt, an Deus sic, vel aliter velit; sed etiam super his, quæ aperte sacræ Scripturæ repugnant.

Item hæretici sunt censendi, qui nolunt ad requisitionem suæ Iudicis dimittere habitum inusitatum, & suspectum; in quo plures tanquam sub ouina pelle, lupi E rapaces callidæ vulpes, venenosi serpentes, dicentes se discipulos Christi, latuerunt: prout super hoc inquisitores hæreticorum certam notitiam habent, & habuerunt. De quibus pseudo-discipulis Apostolus 2. Timoth. 3. prædixit: *hoc scito, quod in nouissimis diebus instabūt tēpora periculosa.* Ne autem crederet, quod in extremis tantum temporibus, videlicet Antichristi imminerent ista pericula, dicit glossa consequenter super illo verbo: *Ex his sunt qui penetrant domos,* &c. quod in primitiua Ecclesia quidam tales fuerunt; per quales instabunt ista pericula. Sed appropinquante finali Ecclesiæ in maiori multitudine erunt. Item inusitatum habitum, voluntarie assumptū, & ab Ecclesia non concessum, licet vtilem reprobat B. Augustin. in serm. Domini in monte sic dicens: *Maxime aduertendū est, non in solo rerum corporearum*

rum nitore atque pompa, sed etiam in ipsis sordibus luctuosis esse posse iactantiam; & eo periculosiorem, quò sub nomine seruitutis Dei plures decipit. Qui autem in professione Christianitatis insuetato squalore, aut sordibus intentos in se oculos hominum facit, cum id voluntate faciat, non necessitate patiatur, cæteris eius operibus potest conuinci.

Si igitur quis ad requisitionem Iudicis, cum natione talis habitus suspectum habentis, statuerit se nolle talem habitum dimittere, & sibi de alio prouidere; constat eum non necessitate, sed voluntariè tali habitu inconsueto, quasi pro noua religione vti, sed sacris canonibus est interdictum, ne quis nouum Ordinem, aut religionem inueniat, aut habitum nouæ religionis assumat: sed, quicunque ad religionem venire voluerit, ingrediatur vnam de religionibus approbatis. Constat igitur quencunque, talem contra præceptum Ecclesiæ venire, qui sic inusitatum vestitum pro religione ab Ecclesia non approbata vsurpans, sub quo & hæretici sunt reperti, coram Iudice deponere contemnit.

†*vbi mentio huius Nicolai facta?* Item; quicunque congregationes & conuenticula facit discipulos sibi eligendo, sicut † præfatus Nicolaus de Lugduno fecit, quos per orbem terrarum circumducit, & noua eis loca construit, aut constructa recipit, in quibus eos angulariter docet; & à quorum doctrina & conuersatione nequaquam vult desistere, est tanquam vulpes callida, & rapax lupus in sua doctrina vitandus. Timendum est enim, ne forte sit de numero illorum, de quibus dicit Apostolus Actor. 20. *Scio quod intrabūt post discessionem meam in vos lupi rapaces, non parcentes gregi, loquentes peruersa, vt abducant discipulos post se.* Et multum videtur addere, & præsumptionem facere, quod talis sit perfidus & peruersum dogma doceat; si in huiusmodi conuenticulo hæretici sunt reperti, testante B. Ambrosio, & dicente in Epist. secunda ad tres imperatores. Quomodo enim fieri potest, vt quem societati hæreticorum insertum vidimus, non etiam assertorem perfidiæ iudicemus? Vnde Eccles. 13. scribitur; *Qui tetigerit picem, coinquinabitur ab ea.* Deuitandus igitur est talis in doctrina sua, qui pro ipsa secreta loca exquirit. In hoc enim obuiat doctrinæ Christi: Matth. 10. *Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine, &c.*

Rursum quod talis sit vitandus, patet per B. Ioannem in Canonica sua secunda: *Si quis venit ad vos, & doctrinā Christi non affert, nolite eum recipere in domum, nec aue ei dixeritis; qui enim dixerit ei aue, communicat operibus eius malignis,* Et 2. Tim. 1. dicebat Apostolus. *Profana autem & vaniloquia deuita; multum enim proficiunt ad impietatem: & sermo eorum vt cancer serpit: ex quibus est Hymenæus & Philetus, qui à veritate exciderunt, dicentes resurrectionem esse iam factam: Et subuerterunt quorundam fidem.* 2. Timoth. 3. *Et hos deuita.*

REFVTATIO ERRORVM, QVIBVS VVALDENSES DISTINENTVR: INCERTO AVCTORE.



ERRORIBVS hæreticorum VValdensium est subsequentibus, & aliis subscriptis obuiandum. Et notandum quod Frater Petrus infra spatium vnius anni de prædictis hæreticis reuocauit ad fidem circa sexcentos.

Primò, dicunt hæresiarchas, quos apud se Fratres nominant, & in confessione Dominos appellant, esse veros discipulorum Christi successores.

Contrà: ipsi secretò prædicant, & paucis hominibus in angulis domorum, & plerumque noctis tempore; quorum etiam occultissime confessiones audiunt: ergo non sunt successores Apostolorum Christi; de quibus dicit Psalmus & Apostolus Roman. 10. *In omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.* Et Christus Luc. 12. *Quod in aure auditis, prædicabitur in tectis.* Item, Matth. 26. *Vbicumque prædicatum fuerit Euangelium istud in vniuerso mundo, &c.* Item Matth. vlt. *Ite, docete omnes gentes.* Item Luc. vlt. *Nonne oportuit Christum pati, &c. & prædicari remissionem peccatorum in omnes gentes.* Item Christus Ioan 18. *Ego palam locutus sum mundo in Synagogis, vbi omnes Iudæi conueniunt, & in occulto locutus sum nihil.* Item, Matth 26. *Quotidie apud vos eram docens in templo. Quotidie,* contra, hæresiarchas VValdensium: qui sæpius nocte prædicant, quando familia Christiana dormit, quam inter se vocant *alienam*, & die Irrembden. *In templo* dicit, contra eosdem; qui in cameris, solariis, granariis, † stubellis, occultissimis & clausis. Ideo, non solum non sunt Apostolorum Christi successores; verum etiam sunt fures & latrones: qui lucem odiunt, ad lucem non veniunt; quia *mala sunt opera eorum, & non in Deo facta*, Ioan. 3. cap. Item Ioan. 10. *Qui non intrat per ostium in ouile ouium, sed ascendit aliundè, hic fur est & latro.* Et ibidem: *quotquot venerunt*, (ante me) id est, sine auctoritate Dei, vel Romanæ Ecclesiæ, se miserunt, *fures fuerunt & latrones.* Ipsi vero dogmata peruersa sub verborum dulcedine, & sanctarum doctrinarum specie, contra veritatem Romanæ Ecclesiæ prædicant: ergo non ab ea, sed contra eam à magistro erroris diabolo missi sunt: nec vnquam litteris, aut scripturis, aut signis probauerunt, quod à Deo missi sunt. Ergò licet quædam veritatem continentia doceant, vt sunt, non furari, non mœchari, non maledicere, non fallere, non mentiri, &c. His tamen sententiis mellitis venenum iniquitatis Articulorum hæreticorum, per sanctam Romanam Ecclesiam reprobatorum inferunt, simplices decipiunt, animarum salutem subtrahunt, & furantur, & infinita mala introducunt.

Secundò dicunt; *Sacerdotes Ecclesiæ Catholicæ sine ratione ideo non esse veros & legitimos successores discipulorū Christi; quia possident propria, quod, secundum eos, Apostoli non fecerunt, præcipiente Domino Matth. 10. Nolite portare sacculum, neque peram, neque pecuniam in zonis vestris: nolite possidere aurum, neque argentum, &c.* Et dicente Petro; *Ecce nos reliquimus omnia*, Matth. 16.

Respondetur quod idem ipse Dominus, qui ante tempus manifestæ persecutionis dixit, quod præmissum est, imminente hora passionis, horum licentiam dedit. Luc. 22. *Quando misi vos sine sacculo, pera, & calceamētis, nunquid aliquid defuit vobis?* Et respondentibus ipsis, nihil; Domin' subiūxit. *Sed nūc qui habet saccū, tollat similiter & peram &c.* Item ipse Dominus, qui ante mortem dixit coram Pilato; *regnum meū non est de hoc mundo*; post resurrectionem suam, dixit coram discipulis: *Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra.* Item Pater ad filiū Psal. 2. *Postula à me, & dabo tibi gentes hereditatē tuam, & possessionem tuam terminos terræ.* Item tēpore primitiuæ Ecclesiæ, non solum Apostolis, sed omnibus credentibus *erant omnia cōmunia; & nemo quidquā suum esse dicebat;* Vnde etiam Ananias, & Saphyra fraudem committentes, à Petro correpti mortui sunt. Si ergò sacerdotes ex possessione proprietatum non sunt sequaces Apostolorum: ergò nec Laici primorum credentium; & per con-

sequens, credentes hæresiarcharum VValdensium, etiamsi hæretici non essent, condemnati sunt, si ea, quæ magistri eorum vna cum ipsis asserunt, vera sunt, &c.

Tertiò, quia vident in pluribus presbyteris Ecclesiæ mala exempla, superbiæ, auaritiæ, incontinentiæ, ebrietatis, risæ, iracundiæ, inuidiæ, & aliorum vitiorum. Ideo plus credunt suis hæresiarchis præbentibus eis exempla bona humilitatis, largitatis, castitatis, sobrietatis, pacis amoris, mãsuetudinis & aliarũ virtutũ, quàm presbyteri prædicti: & libentius audiunt eorũ prædicationes, quam illorum; & libentius confitentur eis, quam illis; & maiorem credunt eos ex bona vita exteriori habere authoritatem absoluendi à peccatis, quam illos; quamquã non credant eos ab Episcopis Ecclesiasticis ordinatos.

Contra: Iudas Iscarioth, traditor, Matth.26. Fur, Ioan.13. Simoniacus Matth.26. *Quid vultis mihi dare,* &c. & alijs plenus vitijs, vt etiam Dominus *diabolum* appellaret, Ioan.6. *Nonne duodecim vos elegi; & vnus vestrũ diabolus est?* Hic tam scelestus cum alijs vndecim ad prędicandum mittitur. Matth.10. Prædicat, baptizat, signa facit. Et potuit vtique Dominus angelicum hominem, verum Israelitam, qualis fuit Nathanael, Ioan.1. (ad quẽ Dominus; *Ecce verus Israelita, in quo dolus non est,*) in Apostolum, vnum de duodecim elegisse; sed noluit; imò Iudam Diabolicum secum habuit, ad prædicandum misit, potestatem super virtutẽ mundi donauit. Dominus etiam leprosum sanatum ad sacerdotes misit, quanquam essent peruersi. Matth.8. Item Luc.17. Decem leprosi cum essent coram Domino, sanati non sunt, sed missi ad sacerdotes; & euntibus sanitas data est. Nam scribitur: *Et factum est, dum irẽt, sanati sunt.* Item Dominus Matth.23. Eos, ad quos vno Capitulo dicitur octies. *Væ vobis,* honorat ibidem in principio dicens: *super Cathedram Moysi,* &c. *quæ dicunt, facite.* Item, Ioan.11. *Hoc Caiphas à se non dixit; sed, cùm esset Pontifex prophetauit.* Ecce Pontifex malus, est honore prophetiali decoratus. Item Paulus in Act. Apost. c.23. *Cùm percutientis se summo sacerdoti dixisset percutiet te Deus, paries dealbate; & improperantibus ei, qui astabant, & dicentibus, tu summum sacerdotem Domini maledicis?* Respondit; nesciui, quod sit summus sacerdos Domini. Scio namque scriptum;
Exod.22. *Principem populi tui ne maledixeris.* Item filij Heli, Ophini & Phinees, mali fuerunt, & tamen sacerdotalia habuerunt; nec per Iudæos depositi sunt, donec eos Dominus occideret in bello, &c.

Quarto dicunt: *Sanctos in patria non esse inuocandos.* Ratio. *Quia absorbti sunt plenitudine gaudiorum, vt nihil possint cogitare de nobis, & his quæ nobiscum aguntur.*

Contrà: Luc.15. *Gaudium est Angelis Dei super vno peccatore pœnitentiam agente.* Si gaudent super pœnitentiã peccatorũ, sciunt vtique eam. Non enim potest quis super eo, quod verum sit an non sit, nescit, gaudere. Si ergò angeli sciunt, quòd peccatores hic pœnitent; sciunt ergò non tantum nostra opera bona, sed etiam mala. Item Apoc.1. & 3. scribit Ioannes septem Angelis, id est, septem Episcopis in Asia, quorundam bona opera, & etiam mala; & illa didicit ab Angelo; ergò Angeli sciunt nostra bona & mala. Item, Matt.18. *Angeli eorum,* id est, paruulorum, *semper vident faciem patris mei, qui in cælis est:* ergò Angeli in cælo faciem Dei conspiciunt, etiam paruulos in terris custodiunt.

Et, si dicit hæreticus; tu probas rectè pro Angelis, sed non pro animabus sanctorum. Contrà: Matth.22. *Filij regni non nubent, neque nubentur. sed sunt similes Angelis Dei:* imò alius Euangelista, *æquales* dicit. Item, si Angeli, qui nunquam fuit in corporibus, sciunt incommoda nostra, multò plus animæ sanctorum; qui cum essent in corporibus, cum corporibus passi sunt ea. Item ex quo cognoscere est bonum rationalis creaturæ, quæ hic cognoscit in via, multo plus cognoscit in patria. Ideo Christus per *cognoscere* describit vitam æternam Ioa.17. *Hæc est vita æterna, vt cognoscant te solũ verum Deum, & quem misisti Iesum Christum.* Et quia omnes fideles sunt membra corporis Christi mystici; ergò sine ipso non potest totum corpus Christi mysticum cognosci. Cognoscunt ergò sancti in patria ea, quæ nobiscum aguntur, clarius perfectius, cõstantius, quam nos ipsi, qui quales isto momento in quo sumus, futuri simus, nescimus. Ipsi verò, qui nos in Deo, & in Dei verbo æterno vident, & cognoscunt, nos mutabiles & inconstantes immutabiliter & constanter cognoscunt nos, & ea, quæ hic nobiscum aguntur, in quantum est pro gloria eorum, & pro laude Dei, Vnde Ioan.1. *Quod factum est in ipso vita erat.*

Item in inferno est cognitio; ideo potius in cælo. Primum patet Luc.16. *Eleuans autẽ diues oculos suos cum esset in tormẽtis, vidit Abraham a longè, & Lazarũ in sinu suo.* Item recordabatur se habere adhuc quinque fratres
B in domo patris sui. Nec obstat, quod scribitur Ecclesiastę 9. *Quodcunque potest manus tua, instanter operare; quia nõ est opus, nec scientia, nec ratio apud inferos, quo tu properas;* quia, hoc intelligitur de opere meritorio, & salubri. Psal.48.
In inferno enim laborabũt in æternũ, & viuent adhuc in finem Et labor eorum pessimus, & miserabilis est; maledicere Deum, inuidere bonis, & ita sel. Apoc.16. *Commandurabunt linguas suas, & maledicent viuentem in sæcula sæculorum* Psalm.111. *Peccator videbit, & irascetur.* Et hic labor non solum est eis non meritorius, imò pœna miserabilis & acerba, grauior quam Gehennalis flamma. In purgatorio etsi nun laborabũt sic miserabiliter, & damnabiliter: tamen nihil omninò merentur omnibus pœnis eorum, nec de præmio essentiali, nec accidentali. Et sicut dictum est de *opere,* ita etiam dicendum de *scientia & ratione* apud inferos.

C Patet ergo, quòd tam reprobi, quam electi cognoscunt; differenter tamen; quia electi in verbo, reprobi ex naturali discursu. Diues enim, cum nec vidisset fratres suos quinque in Abrahæ sinu, nec apud se in inferno; ergò cognouit eos adhuc esse in paterna domo. Dictus est autem infernus *terra obliuionis;* quia, et si quædam sciuntur, vt præmissum est; hoc tamen solum est eis ad maiorem pœnam & confusionem: Electis verò ad gloriam.

Item dicunt. (VValdenses hæretici:) *Si sancti orarent pro nobis, ipsi carerent gaudio.*

Contra: Matt.18. *Angeli eorum in cælis semper vident faciem patris:* qui non potest videri sine gaudio & deiformitate Electorum Item Angelus Gabriel, quando salutauit Virginem Mariam, & ei exposuit veri Dei incarnationem; non solum gaudio non caruit, imò maius ha-
D buit, quam est gaudium Angelis Dei super vno peccatore pœnitentiam agente; quæ tamen non profuit alicui ad salutem æternam, sine incarnatione & morte Christi. Plus fuit ipsis gaudium de totius mundi salute, quæ ortum habuit in incarnatione Verbi. Vnde in Christi natiuitate facta est *cum Angelo multitudo cælestis exercitus* Luc.2.
laudantium & dicentium; Gloria in excelsis Deo; qui est cantus exultationis & lætitiæ.

Item, Tob.12. dixit Angelus Raphael ad Tobiam. *Quando orabas cum lacrymis, & abscondebas per diẽ mortuos in domo tua, & nocte sepeliebas eos, ego obtuli preces tuas in conspectu Dei.* Item Ioannis Apoc.5. *Vidit Angelos habentes phialas suas* & thuribula aurea plena odoramẽtorum, & exposuit; *quæ sunt orationes sanctorum.*

E Item dicunt; *Tamen solus Deus creauit nos, redemit nos, glorificabit nos; ergo sibi soli, & nulli aliorum seruiemus.*

Respondetur: verum est, solus Deus creauit nos, sed non sine sanctis eius redemit nos, & glorificabit nos. Voluit enim ante opus redemptionis habere Patriarchas, eius aduentum, & nostram redemptionem & glorificationẽ prænunciantes in figuris; Prophetas, in promissionibus & scripturis: Ioannem qui præcurreret, Apostolos, qui Euangelium eius per totum mũdum prædicarent, & signis & prodigiis & miraculis confirmarent. Item Martyres, qui nos eorum tormentis & morte, in fide solidarent; & qualiter pro fide pugnare debeamus, instruerent. Doctores & Confessores, qui nos doctrinis & exemplis virtutum instruerent, & scripturas exponerent. Omnes

ergò

egò tales honorandi sunt, & inuocandi, & eis seruien- A dum est, quos omnipotens Deus taliter, vt præmissum est, honorauit, vt etiam eis per mortis acerbitatem sequarentur. Ecclesiast. *Gloria magna est, sequi Dominum.* Luc. 22. *Vos estis, qui permansistis mecum in tentationibus meis, & ego dispono vobis regnū, vt edatis & bibatis super mensam meam in regno meo, & sedeatis super thronos iudicātes duodecim tribus Israel.* Ecce, licet Pater omne iudicium dederit filio, Ioan. 5. tamen etiam Apostoli, imò quique perfecti, cum Domino iudicabunt. Matth. 19. *Vos, qui reliquistis omnia, & secuti estis me, cētuplum accipietis,* &c. *Et sedebitis super sedes iudicantes & condemnantes duodecim tribus Israel,* illos scilicet, qui vobis credentibus credere noluerunt. Si ergò taliter eos honorauit Rex omnipotens: quomodo non honorarent eos etiā famuli? Hester. 9. *Sic honorabitur, quemcunque voluerit Rex honorare.* B

Nunc ad illam præcellentissimam Virginem Mariam Dei genitricem, † & eam omni laude dignissimam firmissimè credamus. In Euangelio Luc. 11. cap. quando viri pessimi dixerunt de Domino Iesu. *Hic non eiicit dæmonia, nisi in Beelzebub principe dæmoniorū extollens vocē quadam mulier de turba dixit ad Iesum Beatus venter, qui te portauit, & vbera quæ suxisti;* volēs hæc mulier laudare filium, laudauit matris vterum. Latior enim fuit laus illa, qua boni filij bonam laudauit matrem; quam, si solum bonum filium commendasset. Potuit enim dixisse; Beatus es Domine Iesu, cælorum terrarumque creator; leprosorum mundator; infirmorum curator; cæcorum illuminator; surdorum, claudorum, mutorum reparator; mortuorum suscitator; famelicorum in desertis locis ci- C bator; super maris vndas ambulator; optime prædicator. Si hæc & talia, & alia, quæ Christi sunt ex æterna eius diuinitate, quā non originaliter ex homine matre, sed ex Deo patre habuit, expressisset, filium vtique sine matre commendasset. Vnde Ioan. 2. cap. cum in nuptiis Virgo pauperum defectui compatiens; dixit ad filium; *Vinum nō habēt;* dixit Dominus; *quid mihi & tibi est mulier?* quasi diceret; mutare rerum naturas eius est, qui creauit eas, Dei videlicet, quam à te originaliter, non habeo. *Nondū venit hora mea.* Quando pendentem videbis in cruce humanitatem, quam à te suscepi, durissime vulnerari. † Volens igitur mulier Euangelica prædicta, in Domini laudē amplam & latam prorumpere, ab eius dignissima genitrice voluit exordium ducere, dicens; *Beatus venter, qui te portauit, & vbera, quæ suxisti.*

† Veniamus.

† Videtur aliquid deesse.

O vos igitur VValdenses hæretici miserabiles & miseri; qui nunquam dicitis, beata & casta mater Domini, quam velut ignaram & surdam esse creditis, imò, quasi non sit laudis digna, non beatificatis, cum tamen ipsa dixerit: *Beatā me dicent omnes generationes.* Patet ergò vos non generationes, sed corruptiones esse, & pessimos corruptores. Et si vera essent vestra dogmata, iam non esset misericordiæ mater Virgo Maria: quia dicitis, si ipsa nostri misereretur, esset ipsa misera, non beata. Patet, hoc euidentissimè falsum esse. Si enim omnis misericors esset miser, quid prohiberet miserum esse Deum? ad quem David: *Miserere mei Deus.* Et Paulus vocat eum patrem misericordiarum, & Deum totius consolationis. Aliter ergò mouebatur Christus in carne mortali, cum diceret, E *Misereor super turbā: quia non habēt, quod manducent:* & aliter iam in carne glorificata. Similiter credendum est de virgine Maria, & aliis (sanctis) qui sunt in patria. Itē in Canonica 1. Ioan. 2. *Si quis peccauerit, aduocatū habemus apud Patrem Iesum Christum, iustum, & ipse est propitiatio pro peccatis nostris.* Christus Deus non interpellat pro nobis, quia est æqualis patri secundum deitatem. Interpellat autem pro nobis secundum humanitatem Christus homo. Ergo etiam Maria Virgo, & quilibet sanctus & Angelus in cælo.

Luc. 1.

Psalm. 50.

Ioan. 6.

Item dicunt hæretici; *Tamen scriptum est; Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies. Ergò non est sancto alicui seruiendum.*

Deut. 6.

A Respondetur, verum est, adoratione latriæ solus Deus est adorandus. Sed adoratione duliæ omnes hi adorandi sunt, & eis seruiendum, ad quos dixit Psalmista, *Ego autem dixi, Dij estis, & filij Excelsi omnes.* Et Boethius de consolat. *Omnis beatus, Deus.* Et si natura quidem vnus est Deus, participatione verò nil prohibet esse quā plurimos. Item, quamuis Christus solus sit ostium in ouile ouium hîc in terra militantium, & in cælo triumphantium, tamen in Apocalypsi describitur ciuitas Hierusalem habens portas duodecim secundum duodenarium Apostolorum (numerum.) Sancta ergo mater Ecclesia sobriè, piè & iustè canit ad B. Virginem, Aue maris stella, &c. Felix celi porta: Item sponsa in Canticis potuisset dixisse, Dilecte, tui amore langueo. Non sic dixit, sed sic, *Filiæ Hierusalem, nunciate dilecto; quia amore langueo.* Item diues, videns Abraham esse honora- B tum à Deo, adeò vt requies Patrum sanctorum sinus Abrahæ diceretur *Rogote Pater Abraham;* dixit, *miserere mei,* qui tamen immediatè potuisset dixisse, *Miserere mei Deus,* &c. Quartò dicunt; *Ecclesiarum dedicationes esse inutiles & ædificationes turrium, Ecclesiarum, Campanarum, ornatuum, altarium consecrationes & cœmeteriorum, cantus organorum & plurima,* imò quasi omnia, quæ pro solemnitatibus fuerint, damnant, & reprobant, dicentes *esse pompas & superbias Deo displicitas.*

Psalm. 81.

Apoc. 21.

Cant. 5.

Luc. 16.

Contra: Moyses ad mandatum Domini fecit arcam dispositionis mirandæ & pulcherrimæ vt pulchritudo Iudæorum vocaretur arca à David in Psal. 77. *Tradidit Dominus pulchritudinem eorum in manus inimici.* Item Salomon ad mandatum Domini templum pulcherri- C mum ædificauit & ornauit, consecrauit, & consecrationis festiuitatem instituit. David in Psalm. 25. *Domine dilexi decorem domus tuæ.* Et hoc templum in scriptura *sanctū* dicebatur. Vnde Psalmista, Psal. 10. *Dominus in templo sancto suo.* Item Psal. 5. *Adorabo ad templum sanctum tuum.* Item 1. Macha. 4. *Machabæi ornauerunt faciē templi coronis aureis, & dedicauerūt altare Domino.* Itē Christus Dominus veniens in Hierusalem, prius frequenter quā venit in templū, de quo Christus allegat per † Prophetas, Matt. 21. *Domus mea domus orationis vocabitur.* Imò, nunquam legitur Christus pro aliquo malo tam apertam vindictam fecisse, sicut de inhonoratione templi *faciens quasi flagellum de funiculis* (Ioan. 2.) *eiecit vendentes & ementes.*

† Isa. 56. 1. Machab. 3.

Item de ornatu vestimentorum sacerdotalium. Res- D pondetur, quod ad mandatum Domini Moyses fecit fieri Aaron Pontificalia.

Item sicut in eius Passione vestitus est alba veste coram Herode, & veste purpurea & chlamyde coccinea coram Pilato: sic ad memoriam passionis, quam sacra missa repræsentat, dicente Domino, *hoc facite in meā cōmemorationem,* sacerdos vtitur & induitur talibus vestimentis. Vestes sacerdotales significant virtutes, & repræsentant Christi vestes, quibus indutus fuit tempore passionis. Amictus quo regitur caput, significat salutem, quæ per fidem tribuitur. Ephes. 6. *Galeam salutis assumite:* Et repræsentat illud operimentū, quo velabant Iudæi faciem Christi, dicentes, *Prophetisa nobis Christe,* Matth. 26. Alba, qua tegitur corpus à sursum vsque deorsum, signifi- E cat spem, quæ ex gratia prouenit Ecclesiæ sursum, & ex meritis Ecclesiæ deorsum. Rom. 8. *Spe salui facti sumus;* Hæc repræsentat vestem albam, in qua illusit Herodem Christo, Luc. 23. Cingulus, significat iustitiam, cuius duo sunt brachia inter se constringentia, scilicet declinatio à malo, & reparatio in bono. Isa. 11. *Et iustitia cingulū lumborum eius* Et repræsentat flagellū, quo Pilatus fecit cædi Iesum, Ioan. 19. Manipolus, qui in læua manu ponitur, significat fortitudinem, quâ contra aduersa bellatur. † Philosopus, *fortitudo est virtus retundēs impetus aduersitatis.* Hic repræsentat funē, quo Christus fuit ligatus à Iudæis. Ioan. 18. Stola, siue Orarium habet duo brachia pendentia, & significat prudentiā & temperantiam. Per prudentiam discernit, quid fugiendum, & quid sequen-

Luc. 22.

† Aristoteles.

dum. Per temperantiam, qualiter moderandum. De pri-
mo Matth.10. *Estote ergò prudentes, sicut serpentes.* De tē-
perantia, quæ est, in prosperis non extolli: ad Tit.2. *So-*
briè, &c. viuamus in hoc sæculo. Hæc repræsentat ligatu-
ram, qua fuit Christus ligatus ad columnam. Casula,
1.Pet.4. quæ cætera contegit, significat charitatē, *quæ operit mul-*
titudinem peccatorum. Et repræsentat purpureum vesti-
mentum, quo milites circumdederunt Iesum, Ioan.19.

Item de cantu Ecclesiastico, quando Deo placeat, &
non displiceat, notetur verbum Moysi post transitum
Exod.15. maris rubri: *Cantemus Domino, gloriosè enim magnificatus*
est, &c. Item cecinit soror eius Maria cum cæteris domi-
nabus. Item ad clamorem Iudæorū cecidit Ierico. Item
Iosu.6. Isaias & Dauid: *Cantate Domino canticum nouum.* Item,
Isai.42. *hymnus omnibus sanctis eius:* imò plurima scriptura facit
Psal.149. ad hoc per seriem Bibliæ. Et Christus accepit cantus &
Psal.48. clamores præeuntium & sequentium in die palmarum.
Matt.21. Clamabant enim & benedicebant: *Osanna, benedictus*
Luc.19. *qui venit in nomine Domini, rex Israel, benedictum re-*
Marc.11. *gnum patris nostri Dauid, Osanna in excelsis.* Ex isto
etiam probatur, quod processiones, quas facit Ecclesia,
sunt Deo & acceptæ & gratæ, &c.

Sextò dicunt; *Quod, Papa, Archiepiscopi, Episcopi*
non habeant maiorem auctoritatem, quam sacerdotes.

Exod.18. ☞ Contra: In Exodo ad consilium Iethro sacerdotis Ma-
dian, Moyses Deo placitus elegit centenarios, quinqua-
genarios, decanos, qui iudicarent populum in causis &
casibus simplicibus. Maiora autem negotia deferebant
Psal.47. ad Moysen. Vnde Dauid; *Distribuite domos eius.* Item in
veteri Testamento in temporibus Christi, erant Hiero-
solymis summi Pontifices & Sacerdotes. Item, Matth.
16. dixit Dominus Petro: *Tibi dabo claues regni cælorum.*
Item Paulus in Epist. ad Ephes.4. *Dedit* Dominus *alios*
Psal.132. *Pastores & Doctores, alios* Euangelistas. Item Psalmista:
Sicut vnguentū in capite, quod descendit in barba, barbam
Aaron, quod descendit in oram vestimenti eius. Sicut caput
habet sensus aliorum membrorum, & non è conuerso;
sic Papa, caput Ecclesiæ, auctoritatem omnium inferio-
rum (obtinet) & non è conuerso. Et sicut in capite est
plenitudo sensuum, sic in Papa plenitudo potestatum.
Item in Actibus, 8. *Audientes discipuli, quia recepit Sa-*
maria verbum Dei, miserunt ad illos Petrum & Ioannem;
qui, cum venissent, orabant pro eis, vt acciperent Spiritum
sanctum. Ecce, quod alij discipuli facere non poterant,
principales faciebant, &c.

Septimò dicunt, *Quod ea, quæ constituūtur ab Episcopis*
& Ecclesiæ Prælatis, non sunt seruāda, eo quòd sint tradi-
tiones hominum, non Dei. Respondetur; quòd, sicut licuit
Prælatis primitiuæ Ecclesiæ, statuere ac ordinare, prout
saluti animarum videbant expedire; ita etiam licet Ec-
clesiæ Romanæ. Act.15. Item Ioan. 16. *Multa habeo*
vobis dicere, sed non potestis portare modò: cum autem ve-
nerit ille spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.
Item, 1. Ioa.2. *Vnctio docebit vos de omnibus.* Item, 1. Cor.
7. *Cæteris ego dico, non Dominus.* Ex quibus patet, quod
Ecclesia Dei non fuit, nec est contenta his, quæ Christus
præsens docuit. Et ideo potuit competentes constitutio-
nes facere illo inspirante. Matth.10. *Non vos estis, qui lo-*
quimini, sed spiritus patris vestri, &c. Item Ecclesiæ de
Iudæis, quæ minoris & auctoritatis & potestatis fuerat,
licuit constituere præter legem Dei. Hester. 9. Item, 1.
Machab. 2. & 4. Item Apostoli mutauerunt formam ba-
ptismi traditam sibi à Christo, & baptizauerunt in no-
mine Iesu Christi. Act.2. & 10. & 19.

Ad auctoritates hæreticorū, primò, Deut.12. *Non ad-*
detis ad Verbū, quod ego loquor, neque minuetis ex eo. Itē
13. c. *Quod ego præcipio tibi, hoc tantū fac, nec addes quid-*
quam, nec minues. Respondetur; quòd Iudæi non debe-
bant addere legi aliquid, ne insufficiens lex eo tempore
videretur. Item obiiciunt Isa.29. & Matth.15. *sine causa*
colunt me, docentes doctrinas & mādata hominū. Respon-
detur; quòd constitutiones Ecclesiæ nō sunt tantum ho-
minum, sed Dei, qui per ministros suos illas instituit,

A Matt.10. Non vos estis qui loquimini, &c. Luc.10. *Qui*
vos audit, me audit. Item Rom.15. *Non audeo aliquid lo-*
qui eorum, quæ per me non efficit Christus.

Item obiiciunt ad Gal.1. *Si quis vobis euangelizauerit*
præter id, quod euangelizatū est vobis, anathema sit. Res-
pondetur, præter id, id est, contra id. Item similiter res-
pondetur; Apoc. vlt. *Si quis apposuerit ad hæc:* id est cōtra
hæc. † Instituit ergò Ecclesia propter Dei glorificatio- † *Id est, censuras seu constitutiones facit.*
nem, animarum salutem, delictorum emendationem, &
peccatorum declinationem, & bonorum spiritualium &
salutarium confirmationem, & propter ipsorum amplia-
tionem & propagationem. Ecce sex causas, &c.

Octauò dicunt; *Quòd non liceat Prælatis excommuni-*
care; & quòd Ecclesia Dei non debeat malos persequi, nec
B *etiam vitare.* Non aduertentes; quod ad Dei gloriam
pertinet, quòd eius cōtumelia de medio tollatur, & con-
tumeliosi de medio sanctorum eiiciantur. Et hoc solum
magistratui Reip. commissum est, quod soli incumbit ex
officio. Item, quanto magis è vicino sunt hostes ciuita-
tis sanctificatæ, Deoque dilectæ, tanto periculosius eam
impugnant. Maximè autem sunt ei à vicino quando ipsi
sunt permisti. A maximo autem nocumento, & maxima
impugnatione maximè cauendū est eidem ciuitati, qua-
re à permistione malorum cauendum est. Isa 57. *Viam*
facite, præbete iter, declinate à semita, auferte offendicula
de via populi mei. In quo potestates sæculares, adiutores
sunt, & adiutorij magistratus spiritualis. Propter quod
inuocandi sunt à magistratu spirituali, cum pœna spiri-
tualis non timetur.

Item; Omni medicina spirituali & salutari vtendum
C est medicis spiritualibus contra morbos spirituales vi-
tiorum & peccatorum. Sed excommunicatio est medi-
cina 1. Corinth.5. Item ad Tit.1. A corpore enim huma-
no secatur membrum putridum, ne cætera inficiat, & à
grege ouis morbida, ne cæteras contaminet. Item, à con-
gregatione, collegio & ciuitate separantur & eiiciuntur
rebelles & contumaces, ne fermentum malitiæ pauco-
rum totam massam corrumpat. Quia vero medicus ge-
neris humani Christus Dominus Ecclesiæ facit de
propria carne antidotum, & de proprio sanguine siru-
pum, nullum voluit esse salutis medicamentorum exper-
tem. Etiam Deus corporibus humanis prouidit medica-
menta sufficientia; multò fortius debuit hoc facere ani-
mabus. Medicos autem corporalis non solum vtitur le-
niuis, sed quandoque asperis, sic etiam facere debet
D medicus animarum.

Excommunicatis etiam & indignis sacramenta san-
ctissima communicanda non sunt, quia à gratia sanctita-
tis remotissimi sunt; vt pote Deo rebelles & contrarij.
Iob.15. *Tetendit aduersus Deum manum suam, & contra*
omnipotentem roboratus est. Non est ergò sanctū dandum
canibus: nec margaritæ proiiciendæ sunt ante porcos.
Matt.7. & Marc.15. *Non est bonum sumere panem filio-*
rum, & mittere canibus. Sicut autem paterfamilias filium
proteruum & contumacem à domo eiicit, quem aliter
corrigere non potest. Sic paterfamilias spiritualis Præla-
tus. Matt.18. *Si peccauerit in te frater tuus, & seq. Si Eccle-*
siā non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus. Itē,
Matt.18. *Amen, amen dico vobis, quodcunque ligaueritis su-*
E *per terra.* Ioan.20. *Quorum remiseritis peccata, remittū-*
tur iis. 2 Ioan.3. *Si quis venerit ad vos, & hanc doctrinam*
non affert, &c. Et subdit causam: *Qui enim dixerit ei aue*
communicat operibus eius malignis. 1. Corint. Tulit Apo-
stolus sententiam (excommunicationis) contra fornica-
torem. Item alios excommunicauit propter hæresin. 1.
Timoth.1. quos tradidit Satanæ. Item 1. Corinth. in fi-
ne; Si quis non amat Dominū nostrum Iesum Christum,
sit anathema. Item, Gal.1. *Si quis euangelizauerit præter*
id, id est, contra id, *quod accepistis, anathema sit.* Item 2.
Thess. in fine; *Denunciamus vobis, vt subtrahatis vos ab*
omni fratre ambulante inordinatè. Item, Rom.9. *Decli-*
nate ab eis. Ista autem subtractio & declinatio debet fieri
secundum formam traditam. Matth.18.

Opponunt

Opponunt tamen hæretici contra excommunicationes huiusmodi; 1. Pet. 2. & 3. *Qui cum malediceretur, non remaledicebat*. Item, *non reddentes malum pro malo*, Item 1. Corinth. 3. *Maledicimur & benedicimus*. Respondetur non licet excommunicare amore pœnæ, sed amore correctionis & iustitiæ, sicut patet Deuteronom. 27. Luc. 11. Marc. 11. Actor. 8. 13. & 23. Galat. 3.

Nono dicunt; *Indulgentias & remissiones, quæ per Episcopos fiunt, nullius esse vtilitatis, & momenti*. Et arguunt sic; *Si benefactoribus alicuius loci remittitur tertia pars, vel huiusmodi iniunctarum pœnitentiarum; ergò remissiones illæ sunt venales. Si quis enim ouum vel obolum dederit, erit benefactor; Et, si datur illi remissio pro pecunia, venalis erit remissio, & remissionis gratia.*

Respondetur, quod Prælatus per Indulgentias & remissiones huiusmodi intendit ampliorem cultum, & honorificentiam Dei. Ad hoc enim aliqua Ecclesia ædificatur, vt honor Dei & cultus amplietur: Vt in ea talis vel talis sancti laudes digna veneratione celebrentur, vt per diuinum seruitium remissiones & gratiæ, cæteraque Dei beneficia, fidelium animabus impetrentur. Sicut igitur non pro pecunia, licet per pecuniam, ædificatur Ecclesia: sic, non pro pecunia, sed per pecuniã fit indulgentia: Et quod cum pecunia, & per pecuniam fit illa indulgentia, hoc est; quia locus huiusmodi non potest ædificari sine pecunia. Et sicut non pro aqua sed per aquam, & non sine aqua, in baptismo datur remissio peccatorum: Nec pro chrismate, sed per & cum chrismate fit confirmatio, Nec pro pane & vino, sed per panem & vinum, seu, non sine pane & vino fit missæ celebratio; sic, non pro pecunia, sed cum pecunia, & per pecuniam, & non sine pecunia, vel æquiualentis fit indulgentia, & huiusmodi remissio. Secundò arguunt sic. *Si duorum, vel plurium annorum pœnitentia in vnius oboli oblationem commutatur, & annorum plurimorum in horam breuissimam: ergò Deus defraudatur.*

Respondetur, quod ipse decus & honor diuini seruitij & cultus non solũ supplet, quod de pœnis per indulgentias subtrahitur; sed etiam superabundat: maximè cum sacrificium laudis, orationum incensa, & laudum thymiamata plus Deus diligat quam tormentorum pœnalium, siue pœnitentialiũ afflictiones. Isa. 58. *Nunquid tale est ieiunium, quod elegi per diem affligere hominem animam suam? nunquid saccum cinerem sternere?*

Tertiò arguunt sic: *Si verum esset, quod de indulgentiis dicitur; ergò eodem pretio longæ & graues pœnitentiæ, quo leues & breues redimuntur.*

Respondetur; sicut non maiorem peccatorum remissionem obtinet, qui in maiori aqua baptizatur, quam qui in minori; sic qui maiorem offert pecuniam, nõ maiorem recipit remissionem, & indulgentiam, quam qui offert minorem. Et hoc ideò; quoniam sicut non ex aqua est remissio in baptismo, sed ex virtute diuina, quæ adest clauibus, & ministro Prælatorum. In omnipotentis enim iudicio non quid datur, sed à quo inspicitur. Vnde Gen. 4. *Respexit Dominus ad Abel, &* ex eo, *ad munera eius*. Simile patet de vidua duo æra minuta offerenti. Et licet communi vocabulo dicatur ibi fieri remissio, magis tamen in veritate fit ibi commutatio. Quia enim leuius est aliquid offerre habentibus & abundantibus, quam pœnitentiales labores & molestias ferre: illa remissio reputatur commutatio pœnitentialis afflictionis in munus oblationis, &c.

Quartò arguunt sic: *Huiusmodi indulgentiæ dant impunitatem peccandi, quia homines impune peccant, si tam leuis, imò ridiculosa sit redemptio peccatorum.*

Respondetur; Quod si soli indulgentias huiusmodi suscipiunt, qui mundi sunt, & immunes à mortalibus peccatis; nulli autem certum est, quod immunis sit, & mundus ab illis. Timor enim Dei timere facit omnes quia bonarum mentium est ibi timere culpam, vbi culpa non est. Nulli ergò certum est, quod indulgentias illas percipiat. Certum autem debet esse vnicuique, se esse

A debitorem iniunctæ sibi pœnitentiæ. Quare certum est neminem propter huiusmodi indulgentias debere cessare ab agenda pœnitentia, ne committat se periculo, & inæstimabilem ignem Purgatorij incurrat pro negligentia agendi pœnitentiam. Nulli propter hoc certo & præcisè promittimus indulgentias, sed sub conditione illa, si immunes & mundi sunt à mortalibus.

Quintò arguunt; *Si indulgentiæ essent veræ, tunc insanissimi sunt, qui transfretationes, & alias longas peregrinationes suscipiunt, si tres oboli tantum eis prosunt.*

Respondetur; quod sicut in baptismo plus prodest trina immersio in aquam sanctificatã ad remissionem peccatorum; & hoc propter virtutem Sacramenti, quam quæcunque, vel quantæcunque aliæ ablutiones; in illa quacunque aqua, licet fiant pœnitentialiter, & plus valeat

B vnius peluis aquę baptismaliter vtẽtibus quam magna flumina, vel etiam totum mare aliter vtentibus: sic modicus labor, vel modica oblatio in operibus, propter quæ indulgentiæ fiunt, plus prosunt ad obtinendam remissionem, quàm magnæ oblationes, grauesque labores aliter facti: & hoc propter virtutem clauium, non propter se. Propter etiam virtutem clauium confidendum est de sanctorum suffragio specialiter, quorum veneratio fit in locis, pro quibus indulgentiæ istæ fiunt, quæ veneratoribus & cultoribus suis indulgentias & remissiones huiusmodi impetrabunt, quæ volunt, ex beneuolentia, & possunt ex gratia: & ideò verè impetrant. Item confidendum est, de meritis & suffragiis omnium sanctorum, quoniam eorum omnium generalis, aut specialis veneratio & memoria est ibi facienda. Item confi-

C dendum est de meritis Ecclesiæ, huius vox est, quæcunque orationes, vel seruitia ibi fiunt, & ex persona eius dicuntur. Item confitendum est de gratiositate & virtute diuini cultus, qui non potest esse non gratiosus apud Deum, cuius est honor & gloria. Indulgentias autem dare eius est, cuius pœnitentiales satisfactiones iniungere. Eiusdem est etiam, eas augere, minuere, & mutare, prout ad Dei honorificentiam, & animarum salutem, publicamque, & specialem, imò spiritualem validitatem viderit expedire, &c.

Decimò dicunt, *animas illorum, qui in charitate decedũt, nulla pœna Purgatorij puniendas*. Et quia ipsis arguitur; tamen rarissimè aliquis talis est sine peccatis venialibus: ergò oportet eum purgari post hanc vitam. Respondent, & maximè priores hæresiarchæ; *quod nullum*

D *sit peccatum veniale*. Et quia ipsis arguitur, de maximis peccatoribus, qui pœne nil in tota vita sua pœnituerit, sed prope finem vitæ conuertuntur: hi, quia in charitate decedunt, non debent æternaliter condemnari. Et quia hic nihil purgati sunt; non debent statim ingredi ad regnum æternum.

Respondent; *Quandocunque dimittitur alicui culpa, dimittitur & pœna*. Etiam negant purgatorium post hanc vitam, dicentes; *solũ esse duas vias, scilicet bonorum immediatè ad vitam æternam; & malorum immediatè ad mortem æternam*. Probant; videlicet Matth. 7. *Arcta est via quæ ducit ad vitam, & pauci ingrediuntur. Lata autem est via quæ ducit ad mortem, & multi ingrediuntur per eam*. Et ibi non ponuntur plures viæ, ergò tantum sunt

E duæ. Item, Eccles. 11. *Si ceciderit lignum ad Austrum, aut ad Aquilonem, in quocunque loco ceciderit, ibi erit*. Et taliter etiam negant suffragia Ecclesiæ tam militantis quam triumphantis, quæ fiunt pro mortuis.

Ita ex vno errore fiunt quatuor. Primus, quia nullum sit peccatum veniale. Contra: Qui hoc dicit, non sentit de Domino in bonitate, cum credat ipsum pro qualibet offensa irasci seruis eius ad mortem; non enim Pater misericordiarum pro qualibet offensa charissimos filios suos exhæredabit: quin potius, sicut habet gladium æternæ mortis, quo vtitur in seruos maleuolos pro magnis offensis, sic habet virgam correctionis & purgationis transitoriæ in suos filios pro leuibus offensis. Item, sicut non est ad mortem omnis infirmitas, vel vulnus, co-

poralis: sic nec omnis læsio vel infirmitas animæ est A mortalis. Item; sicut non omnis casus corporalis est fractio colli & capitis: Ita nec est semper ad mortem casus spiritualis. Prouerb. 24. *Septies in die cadit iustus, & resurgit.*

Item; sicut non proiiciuntur vasa preciosa pro qualibet inquinatione, sed purgantur: sic nec animæ, pro qualibet immunditia damnantur, sed purgantur. Ad idem patent exempla in veste, ornatu & aliis, quæ non pro
Psal. 68. qualibet macula, seu vitio destruuntur; sed, *sine per ignem, sine per aquam deduxisti nos in refrigerium.*

Item; si nullum peccatum sit veniale, nullus erit absque mortali. Psalm. 115. *Omnis homo mendax.* Et 1. Ioan. 2. *Si dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipsos de-* B *cipimus, & veritas in nobis est.* Item; quod sit aliud peccatum veniale non mortale, patet 1. Ioan. 5. & 6. Et 1. Cor. 4. *Vniuscuiusque opus quale sit, ignis probabit. Si cuius opus arserit, detrimentum patietur. Ipse autem saluus erit sic tamen, quasi per ignem*; quem creauit benignitas creatoris ad purgandas animas humanas, sicut creauit ignem ad purganda metalla.

Contra secundum errorem, qui ponitur, quod quando dimittitur culpa, dimittitur & pœna, quæro; Ad quid ergo monet scriptura ad pœnitentiam? Matt. 3. nam, si est aliquis in mortali, non est ei pœnitentia meritoria. Si verò dimissum est ei peccatum quoad culpam, non est C ei pœnitentia necessaria quoad absolutionem à pœna: cum, secundum eos, nullius pœnæ sit debitor? Item; quare his, qui magis peccauerunt, maior iniungitur pœnitentia, si tota pœna dimittitur eis cum culpa. Item; constat, quod antiqui Patres multi pœna puniti sunt, & in exilio huius mundi, & etiam post mortem, licet culpa mortalis esset eis dimissa, fuerunt in limbo, donec Christus eduxit eos. Oseæ 13. Act. 2. Apoc. 1. Coloss. 2.

A Item, si hoc esset, videretur diuina iustitia euacuari, & esset dedecus culpæ sine decore vindictæ. Item, pœna proportionalis est culpæ; sed cum peccator non imponit finem suæ culpæ, debetur ei pœna infinita & acrior, secundum quod culpa fuit maior: Ergò cum peccator imponit finem culpæ suæ, debetur ei pœna finita & transitoria, & maior vel minor, secundum quod culpa fuit maior, vel minor.

Præterea cum Deus Pater potius voluerit, quod proprius eius filius pœnam pro humano genere transitoriam solueret, quam quod eam remitteret: non est verisimile, quod ita de facili pœna peccatoribus remittatur. Et Bernardus; *Qui non parcit filio, nunquam parcet figmento,* B *nunquam parcet seruo nequam.* Si fortè dicatur; Quod pœnitentes de peccato puniendi sunt in præsenti, & non in futuro; ergò Dei misericordia erit magis propitia his, qui differunt conuersionem suam vsque in finem vitæ suæ, quam qui in iuuentute sua conuertuntur; cum puniantur hi, & non illi; Et sic Deus erit benignior in contemptores suæ benignitatis, quam in alios. Quo contra Rom. 3. *An diuitias bonitatis eius & patientiæ & longanimitatis contemnis?*

Contra tertium errorem, quod possint suffragia Ecclesiæ pro mortuis non prodesse. Nota, quod sit detestabilis, cum sæuiat in mortuos, auferens Ecclesiæ suc- C cursum his, qui igne Purgatorij cruciantur. Contra illud Ecclesiast. 7. *A mortuos non prohibeas gratiam* Vide ergò quam sit iniquum prohibere, dare eleemosinam indigenti. Prouerb. 3. *Noli prohibere eum benefacere, qui potest, si vales, & ipse benefac.* Quod autem valeant huiusmodi suffragia; patet Ioan. 11. vbi ad preces Mariæ & Marthæ Dominus Iesus Lazarum suscitauit. Item ad preces Petri fuit Thabita suscitata. Actor. 9. Ad idem 1. Corinth. 15. Si mortui, &c.

Hactenus manuscriptum exemplar.



INDEX ERRORVM
QVIBVS VVALDENSES
INFECTI SVNT.

1.



TEM suffragia B. Virginis MARIÆ & omnium sanctorum negant allegentes, *quod sint completi gaudiis cælestibus, & nesciunt quid hic agatur nobiscum.* Idcirco nec ieiunant Vigilias eorum, nec dies celebrant, nec oblationes faciunt, nec reliquias osculantur, nisi in quantum oportet, ne à Christianis notentur.

2. Hac etiam de causa Magistri eorum non iniungunt suis confitentibus AVE MARIA. Nec etiam tam ipsi, quam credentes eorum dicunt AVE MARIA, nisi rarissimè. Et si magistri eorum paruulis primò confitentibus iniungunt AVE MARIA, hoc faciunt, quia Neophytis eorum hoc nimium displicet, si quoquo modo ab AVE MARIA prohibentur; maximè cum nondum idonei sint ad capiendum, vel occultandum secreta.

3. Item dicunt, Christianos esse idololatras propter imagines sanctorum, & signum crucifixi.

4. Item cantum Ecclesiasticum & horarum Canonicarum dicunt esse *latratus canum.*

5. Item quidquid benedicitur ab Episcopis & Presbyteris, siue sit ipsa Ecclesia, siue fons Baptismi, sal, aque, herbæ, cœmeteria, paramenta, palmæ, candelæ, dicunt penitus non valere: Et si quandoque intersunt, hoc faciunt, ne notentur.

6. Item de indulgentiis & peregrinationibus, & Ecclesiarum dedicationibus nihil credunt.

7. Item de sepulturis in Ecclesiis & cœmeteriis non curant; nisi vt non notentur; dicentes, vtilius esse in locis aliis sepeliri. Idcirco quando Magistri eorum moriuntur in domibus credentium suorum: quia sunt aliis hominibus ignoti; sepeliunt eos in profundis foueis cellariorum suorum; ne, si quando necesse foret vendere domum; & alij Christiani quidpiam ibi fodientes ex inuentis mortuorum ossibus malum aliquod suspicentur, &c. Sicut frequenter in agris procurent se & in pomeriis sepeliri.

8. Item dicunt, Papam esse caput omnium hæresiarcharum; & ex eo ipso, Cardinales, Archiepiscopos, Episcopos, Imperatorem, Reges, Principes, Duces, & omnes Iudices tam spirituales, quam sæculares vna cum omnibus presbyteris esse damnandos discrentes, si possibile esset, aliquem salueri, ea tunc fides eorum esset falsa, & mala, & nulla. At hoc reputant impossibile.

9. Item, omne iuramentum credunt esse mortale peccatum.

10. Item sacramentum confirmationis non credunt; licet plurimi eorum se confirmari sectant, ne notentur.

11. Item dicunt, nihil orandum esse præter Pater noster. Ergò, plurimi eorum ignorant AVE MARIA. Non orent Psalmos ac orationes alias quantumcunque deuotas. Item dicunt, omnia verba Missæ, & omnia præparamenta ad Missam spectantia, esse de errore, præter verba consecrationis.

12. Item quidam ipsorum consueuerunt se ipsos † consecrare ad Pascha isto modo. Aliquis eorum sumit panem azymum ponens eum super paruum asserem vnum; & aquam ad vnum cochlear, & benedicit ista simul: & communicat se & alios; quo facto, tam asserem, quam cochlear in ignem proiicit comburenda. Plurimi tamen Magistrorum suorum abhorrent hoc,

† communicare, fortè.

A non habentes multam fidem in huiusmodi communione propria: sed ad communicandum in Ecclesia, * quando est populi maior pressura, ne notentur. Multi tamen ex ipsis quandoque manent sine communione ad quatuor, vel sex annos, abscondentes se in villis vel ciuitatibus Paschali tempore, ne à Christianis cognoscantur.

* a veniunt.

13. Item suadent credentibus suis ire ad communionem Ecclesiæ solum tempore Paschali, & sic colorant se, quasi sint etiam Christiani.

14. Item docent orare subditos suos in omni loco, in quo manent; & vt primum orent pro illis, qui sunt in secte, quatenus omnipotens DEVS eos ab omni malo custodiat; & quatenus nobis Christianis, quos inter se *alienos*, id est, *die Frembden*, credunt & nominant, permittat aduenire bella, famem, pestilentiam, vel alia incom-

B moda, vt in eo tempore ab eorum inquisitione & impugnatione cessemus.

15. Item processiones in die Corporis Christi & aliorum temporum, Christianorum, dicunt esse vnam *traffam*, & ridiculum simpliciter, & de candelis quas Christiani solent ibidem deferre.

16. Item de signo Crucis nihil credunt, asserentes, quod nec venerarentur illam Crucem, in qua Christus pependit; nec spineam coronam, nec clauos, nec lanceam, nec tunicam inconsutilem, si viderent; quorum omnium venerationem dicunt esse vanam & inutilem: & quod sacerdotes inuenerunt propter lucra.

17. Item excommunicationes siue Papæ, siue aliorum Prælatorum nihil omnino curant, nisi suorum superiorum.

18. Item Vniuersitates scholarum, Parisiensem, Pra-

C gensem, Vviennensem, & aliarum, reputant inutiles, & temporis perditionem.

19. Item quidquid summi Pontifices, & Ordinarij in Ecclesiis seruandum statuunt, nihil aduertunt, &c.

20. Item de Martyribus, Confessoribus, Eremitis & Sanctis, Nicolao, Martino, Hieronymo, Ambrosio, Katharina, Margarethe, & omnibus aliis sanctis, quidquid prædicatur, nil credunt, sed dicunt, quod fortassis in inferno sepulti sunt.

21. Item dicta sanctorum nihil curant, nisi quantum pro secta eorum confortenda retinent: sed tantum nouum Testamentum ad literam obseruant.

22. Item, vocant nos Christianos vulgariter die Frembden, id est, *alienos*; & se, die Kunden, id est, *notos*; quasi DEVS non nos, sed tantum ipsos noscat quoad comprobationem.

D 23. Item omne homicidium, quorumcunque maleficorum credunt esse mortale peccatum dicentes; sicut nos non posse viuificare, sic nec debere occidere.

24. Item ædificia altarium, Ecclesiarum, turrium, Campanarum, organorum, & cætera Ecclesiarum ornamenta reprobant.

25. Item omnia paramenta Episcoporum, infulas, chirothecas, * curuaturam, annulos; & eadem vocant superstitionem.

* pedum.

26. Item dicunt, quod coronas, & tonsuras clericorum DEVS odiat: eò quod non sit idem institutor.

27. Item confessionem generalem nihil aduertunt.

28. Item miracula, quæ fiunt in Ecclesia DEI Sanctorum meritis, omninò abiiciunt.

29. Item docent subditos suos ne grauiura peccata sacerdotibus confiteantur, & mittantur ad auctoritatem Episcoporum, vt mos est Christianorum; & ibi confundantur, & pecuniis exeorientur; dicentes, quod sacerdotes sint pleni auaritia.

30. Item consecrationes Clericorum, Ecclesiarum, Cœmeteriorum, & Ordines Ecclesiasticos dicunt esse insaniam & errorem; & quod Papa & Episcopi talia adinuenerint propter lucra.

3. Item improbsnt omnes religiones tam monachorum, quam sanctimonialium, dicentes, esse superfluas & inanes.

32. Item dicunt, quod Papa, Episcopi, Cardinales, &c. non habent maiorem auctoritatem, quam simplices sacerdotes.

33. Item dicunt; quod nemo possit à dæmone obsideri, & vexari, & quod talia sint vana vesania, quæ circa dæmoniacos peraguntur.

34. Item asserunt, quod omnes, qui destruunt siue consilio, siue auxilio vel fauore sectam illam, cæteris profundius condemnentur.

35. Item dicunt, quòd illa secta sit vera & vnica fides Catholica, extra quam nullus possit saluari.

36. Item deridunt Christianos, qui eligunt sibi Apostolos, prout mos est fieri in Ecclesiis DEI & Christi; & qui vigilias sanctorum ieiunant & festa celebrant; Etsi ipsi propter colorem similia faciunt, dicunt se hoc solum ad laudem DEI, & non sanctorum facere.

37. Item alios complures articulos habent, qui in prædictis includuntur, & faciliter ex ipsis eliciuntur.

IN EODEM CODICE SVBIVNGEBANTVR SEQVENTIA.



NOTA. Quidam sunt hæretici alterius sectæ pessimæ, qui tenent quosdã diabolicos articulos, quorum paucos subscribam. Primò, adorant luciferum; & credunt eum esse DEI fratrem, iniuriosè de cœlo detrusum; & se cum ipso regnaturos; pueros eorum ei immolant. Ipsum piu diutius rogant; prius quam baptismalem abluunt, chrisma salis fricatione abluunt: ad loca subterranea, quæ communiter *der Buhteller*, quo nescio inuentore, dicuntur, conueniunt; promiscuas concupiscentias, & abominabiles luxurias exercent. B. VIRGINEM post CHRISTI partum dicunt non mansisse castam, sed plures filios habuisse: Corpus CHRISTI, & omnia alia Sacramenta non credunt: Possiee oculos tempore eleuationis obstruunt. Hæc & similia innumera, dimissis, asserunt & confirmant, &c.

Sapiens igitur homo ille, qui omnibus aliis explosis solos illos articulos firmissimè tenet, qui per Romanam Ecclesiam publicè prædicati & determinati sunt, fuerunt, & erunt in CHRISTO IESV Domino nostro.



MODVS

MODVS EXAMINANDI HÆRETICOS.

VANDO producitur suspectus aliquis de A hæresi; quæratur primò; scis quare sis captiuatus? Item, sciuerunt quid alij de tua captiuitate? Item, audisti ne ab aliquo causam tuæ captiuitatis? Si dicit, nescio: dic; dicitur de te, quod ex informatione quorundam secretorum Magistrorum, quibus in simplicitate tua confisus es, à fide Christiana publica, & manifesta parumper aberraueris. Quidquid post hoc dixerit, siue sic, siue aliter, statim procedatur secum ad iuramentum, nisi adeo iuuenis & puerilis existat, quod etiam iuramentum quid sit, & cuius vigoris non intelligat.

Forma autem iuramenti primò in communi proponatur his verbis: Ecce tu iurabis, quod velis putam veritatem dicere tibi notam, de re, & de omnibus aliis, de quibus hîc requisitus fueris. Si iurare noluerit, plus suspectus erit. Et vide ne tibi subripiat, quasi volens iuramenti causam & inquisitionem, vtpote vel compellentem vel iubentem, retorquere. Postquam autem induxeris eum, quod sponte velit iurare: Ipse sponte, & per se digitos imponat, & formam verborum non mutet. Ibi sit cautus, propter versutias vulpium fraudulentas.

Forma autem iuramenti vulgaris est ista: Ich Hans schuuere ein End Gott dem Allemachtigen, meinem Herrn von Menk, vnd den gegenuuertigen Herrn an seiner statt, daszich vuil sagen eine lautere Barheit, ohn alles Gefehr, aller der Dinge, die mir vuissentlich sind, der ich hie gefragt vuidt, von mir, vnd allen anderen Zeuten, als mir Gotth belff, vnd sein heilige Mutter an meinen lexten Zeiten.

Si scis, quis sit, quis vocetur, à quibus parentibus, & vnde natus, vbi nutritus, & qualiter conuersatus, tanto melius. Si nescis, sic interroga. Quod est tibi nomen? vnde es natione, vel oriundus? quis fuit Pater tuus? quæ mater? qui fratres, quæ sorores? Cuius artificij es? & cuius erat Pater tuus? Es tu ne vnus ex notis hominibus, Bistu nicht ein Runder? Es tu de secta Vvaldensium?

ALIVD CAPITVLVM.

INTERROGA QVASI AFFIRMATIVE EX SVPPOSITO SIC.

VOTIENS tu confessus hæresiarchis, id A est, illis bonis hominibus, qui ad te venerunt occultè dicentes, se loco Apostolorum in mundo de loco ad locum ambulare, prædicare; & confessiones audire? Quotannis es tu iam hîc residens? Quotennis eras, quando primo fuisti eis confessus? Hinc computare potes, quandiu fuerit in secta. Primò adde; quando es his vltimo confessus? Quales reputasti illos, quibus sic confessus fuisti? Habuerunt coronas Clericales, vel vestes sacerdotales? Quid iniunxerunt tibi pro pœnitentia? Tenuisti pœnitentiam illam, vel impleuisti? Iniunxerunt ne etiam aliquod AVE MARIA? quanto tempore debuisti illam pœnitentiam implere? Credidisti tu, quod possent te absoluere? Verú melius, quam nostri sacerdotes, vel æqualiter? Quis primo induxit te in sectam, vel in vitam illam? Quot hæresiarchis es confessus? quod fuit] nomen] primi, quod secundi, quod tertij? &c. Fuerunt parentes tui illius sen- B sus, sectæ, opinionis, vel vitæ? Quotiês sumpsisti corpus Christi? Et tu confessus etiam nostris sacerdotibus? Es tu etiam confessus nostris sacerdotibus te fuisse talis opinionis? quare non es confessus? Hinc concludere potes, quod sumpsit corpus Christi in peccato mortali, & in excommunicatione Papali. Quotiens audiuisti prædicationes eorum? Vbi primam? In quot domibus istius loci? In quo † coramodo istius domus? fuit die, vel nocte? mane vel vespere? Qui fuerunt tecum? Quotiens audiuisti inter amicos tuos taliter dici: quando nostri sacerdotes prædicauerunt, & ipsi interfuerunt. Ille sacerdos bene prædicauit, sed multa mendacia admiscuit? sicut tibi videtur? Quid prædicauerunt? Post hoc, vade ad articulos, & primo principales.

† *In vuelchẽ Zimmer oder Gemach.*

Primus articulus, de Purgatorio. Sic interroga. Quid prædicauerunt Magistri tui, vel illi, quibus es confessus, de Purgatorio? Est ne aliquod Purgatorium? Est ne aliquod Purgatorium post hanc vitam?

Bibl. Patr. Tom. 4. p. 3.

Secundus articulus, de suffragiis Ecclesiasticis pro fidelibus defunctis, sic interroga. Quantum oras quotidie pro animabus parentum tuorum, vel aliorum amicorum, vel benefactorum tuorum defunctorum? quantum eleemosynam dedisti pro eis? quot dies ieiunasti pro ipsis? quid offers in anniuersariis eorum? quot missas celebrari fecisti vel procurasti pro eis?

Tertius articulus est de veneratione sanctorum, & imploratione auxilij eorum. Sic interroga. Scis Aue Maria? dicas, qualiter scis? scis aliquam orationem deuotam de aliquo sanctorum specialiter? si scis, dicas eam. Credis S. MARIAM & alios sanctos scire miserias nostras, quas habemus in terris, & compati nobis, & orare pro nobis? Quis est patronus in parochia tua? quando celebratur eius festum? Ieiunatur ne eius vigilia per Ecclesiam? Ieiunasti tu, ipsam celebrasti diem? Qualis est sanctus ille? Angelus, Martyr, Confessor, Apostolus, Virgo, Vidua? quid prædicatur de vita eius? quid prædicatur de morte ipsius? quantum obtulisti in festiuitate sua pro veneratione ipsius? Elegisti tibi Apostolum? Quis est Apostolus tuus? Interroga, quando celebretur eius festum? & alias interrogationes (fac) sicut iam dictum est de Patrono.

Quid sentis de adoratione S. Crucis, clauorum, coronæ spineæ, lanceæ, & aliorum insignium Christi & imaginum sanctorum Dat? Signasti te signo Crucis? Es tu osculatus reliquias sanctorum? Es tu confirmatus? quid est confirmatio? Visitasti tu limina sanctorum pro indulgentiis? Fuisti Romæ, Aquisgraui, Pragæ. ad ostensionem reliquiarum? Aspersisti te aqua benedicta? gustasti sal benedictum? habes herbas & palmas benedictum? habes herbas & palmas benedictas in domo tua, & candelã? Fecisti talia ex puro corde, sicut alij homines Christiani, quos tu *alienos*, id est, die frembden nominas? Vel fecisti solummodo talia ad ostentationem, ne nota-

reris ? die puram veritatem. Credis ne S. Martinom esse saloatum? & sanctam eius animam esse in regoo cœlorū? Vis hibere in nomine S. Martini ? Scis aliquam cantilenam de Deo, vel de sancta matre soa ? Cantasti etiam in die Paschæ, *Christ ist erstanden*? Quid sentis de cantu organorum, & cantu scholarium & sacerdotum? de campanis magnis, torribus, ornatibus templi, paramentis? Posset ne celebrari missa sine vestibus illis & altari? Transisti aliquoties ad dedicationes Ecclesiarum, altarium, & ad ordinationes presbyterorum, & ad primas missas nouorum sacerdotum? Si staret in volontate tua, velles libentius te, vel aliqoem amicorum soorum sepeliri in cœmeterio, vel in alio commoni loco, vt in agro, vel pomærio?

B Potest homo occidi sine peccato mortali? Peccat ne Papa, mittendo exercitus contra Saracenos, & dando Crucem contra rebelles alios? Peccant ne Imperatores, Reges condendo leges de occisione? Peccant ne Iodices & iorati condemnando impios morte, vel condemnando maleficos morti. Potest quis iurare sine peccato mortali? Quantum peccauit, qui dixit; Verè vidi illum, & non est mentitus? Credis vnum Devm, & vnum baptisma. Et sic interroga

A de aliis articulis qoibuscunqoe.

Et tuoe dic: Ecce relinqoitur tuo arbitrio, & voluntati, si velis veraciter conuerti à tuis erroribus, & ab illa & omni secta hæretica? Et amplius nunqoam communicare, nec participare aliquibus hominibus istius sectæ, qoandiu tales sunt, & super hoc facies iuramentom; & quod pœnitentiam peragere gratiosam velis. Et iurabis ex te ipso taliter: Ich Hans schuuere euid End Gott dem Allmachtigen, vnd meinem Herrn von * Mentz, vnd den gegenuuertigen Herrn ao seiner statt, oho alles Geude, dasz ich furbasz me, nimmer sommen vuil zu Zeureu, die sich nennen die Runden Baldisser, noch fein Gemeinschafft haben vuill, vueder mit ihnen, vueder mit ihren Meistern, Predigern, Beichtigern, die vueil sie also sind. Auch verschvoer ich allerleo Vnglauben der da ist vuider den offenbaren Glauben, den man gemeinigklich vberall helt in der heiligen Romischen Kir chen vnd Christenheit, vnd daszich mich vuil Gesellen zu der Busz vmb meine Missethat, vuann man meich darzo fordert, vnnd vuil dia Busz halten, vuie man mir sie aufflegt nach Gnaden, als mir Gotthelff, vnnd sein heilige Mutter an meinen lexten Zeiten.

* *Serarius lib. 5. Rerum Moguntiacarum*, Irrepsit Moguntiam his temporibus Vvaldensium hæresis adeo vt ea infames 36. ciues Bingam abducti & ibidem igne plexi sint. *Accidit hoc sub Conrado II. huius nominis qui Archiepiscopatum iniȳt M. CCC. LXXXIII. Obijt M. CCC. XCV. Quapropter cum & in hac, & in superius recitata iuramenti formula, mentio fiat Archiepiscopi Moguntini, suspicari subit scriptum hoc Moguntia primitus natum esse.*



DE

DE ERRORIBVS BEGEHARDORVM,

EX CODICE MANVSCRIPTO CONARDI DE monte puellarum canonici Ratisbonensis contra Begehardos & Beginas.



Icat enim iam dudum in Vvinensi Concilio status quorundam hominum vtriusque sexus, & præcipuè in Alemaniæ partibus, qui vulgariter Begehardi, quoad viros, & Beginæ, quoad feminas, nominantur, fuerit prohibitus, nihilominus hi homines nequaquam minorati sunt, sed tam in statu suo, quam in erroribus quotidianum hactenus acceperunt & accipiunt incrementum. Nec est, qui inter Prælatos notabilem obicem opponat. Sunt enim huiusmodi viri rusticani, & plerique mechanici, corpore robusti, & literarum omnino inexperti, ac penitus idiotæ: aut, si literas aliqualiter norunt, tenuissimum tamen est, quod sciunt. Hi opera manualia suorum postponentes artificiorum cucullati gyrouagando prouincias per diuersas incedunt, & latebras quærunt occultas, præcipuè hospitiis Beginarum inhiantes, eo quod simile suo simili complaudat. Quibus pro nocturno receptaculo in prima congressione malitiæ suæ, coloratis verbis, insanas, & vt plurimum infectiuas seminant doctrinas. At illorum in crastino promotrices, seu, vt verius dicam, copulatrices, ostiatim per domos cursitant mulierum, intimando sub arcani Sigillo asserentes angelum verbi diuini adesse occultum, quoadusqua conuenticula eisdem hypocritis placita congregentur. Quibus secretissime conuenientibus in vnum, labia suæ malitiæ resoluunt, de attributis in diuinis atque de proprietatibus diuinæ bonitatis disserendo. Et sic paulatim descendendo, affirmant, qualiter ex pietate diuina homo ad Dei imaginem creatus existat, & tantum mereri valeat per exercitium bonorum operum, vt Christo Domino nostro in humana anima sua æquè perfectus quis efficiatur. Talium etenim vnum de Sueuia natum, ego in Ratisbona reperi, qui iam prædictum & articulos alios in Clementinis prohibitos sub titulo de hæreticis ad nostrum, diligenter affirmabat.

Nec veretur quorundam illorum temeritas maledicta, de Sacramentis Ecclesiasticis iudicare, blasphemantes in perniciosum Ecclesiæ Christi scandalum, & in animarum suarum æternum periculum, Saluatoris nostri memoriale nobis relictum salutiferum, videlicet beatissimum Eucharistiæ Sacramentum, asserentes nequaquam corpus Christi verum, sub panis tam succincta quantitate posse latere, sine comprehendi. Pro cuius assertionis pertinaci perseuerantia quidam illorum in carcere Reuerendi Patris Domini Ratisbonensis Episcopi, iam præteritis temporibus fuerat exstinctus.

Blasphemant insuper sacerdotium Christi, Presbyteros in Ecclesia Dei, Deifices, quasi Deum facientes, illusiue, seu derisoriè nominando. Cum tamen Christum non faciant sacerdotes, sed per verba consecrationis à Christo instituta, sub specieb panis & vini aqua misti, Christum Dominum nostrum esse præsentem faciunt corporaliter, vbi corporaliter non fuerat prius, Spiritu sancto huius oblationis transsubstantiationem deifice cooperante.

Vidi & ego vnum illorum nomine Ioannem de Me- A chelinia, qui se sacerdotem confitens, publice Verbum Dei in superioribus Alamanniæ partibus diuulgabat, habens crebrum populi concursum, imo etiam simplicis Clerici, nobiles sequelas; qui eundem propter subtilitatem verborum, & dulcedinem eloquij sui libentissime audiebant, ac ipsum Magistrum nominabant. Cui, cum me causa experientiæ, aliqualiter applicuissem, reperi eum sacræ Scripturæ omnino ignarum, & penitus idiotam. Hic inter cætera affirmauit, corpus Christi infra triduum mortuum in limbo paterno inferni sepultũ fuisse. Eo quod diuinitas animæ rationali Christi vnita descenderit tunc ad inferna. Et quia diuinitas Christi nunquam separata fuit à corpore ipsius etiam mortuo: Igitur & tunc oportuit corpus Christi mortuum simul cum diuinitate in inferno fuisse, tanquam argueret isto modo: Vbicumque est corpus Christi, ibidem est diuinitas; & è conuerso, vbi diuinitas, ibidem & corpus Christi. Nesciuit enim se, indoctus Magister, committere fallaciam consequentis; cum esse præsentiale diuinitatis, se longe latius habeat, quã esse corpus Christi.

B Tantis talibusque seminariis tam contagiosi morbi non contenti, signis, licet sophisticis; & miraculis quamuis fictis clarescere quidam eorum laborant. Faciunt enim paria vasculorum omnino æqualium, & similium in colore & figura: quorum vnum Baccho, id est, vino delicatissimo farciunt, & cautè sub hiatu suarum vestiũ occultant: reliquum vero vacuum liquore ancillæ domus porrigunt pro aqua bibili afferenda; qua siquidem allata, subtili præstigio, oculos præsentium præstringunt, vinum pro reliquo commutando; affirmantes, tunc Spiritum sanctum aquam in vinum sua misericordia conuertisse.

Quanta etiam mala in mulierculis quorundam illorum recipiant latibula, facundissima, vt dicam, vix congruè exprimeret facundia. Quarum ipsi per cannas tracs parietes cubilium susurrando ad lectos earum, tamquam vox Angelica nocturno sub silentio loquatur puellis, vt commisceantur ad sanctæ prolis prolificationem beatam, decipere laborant. Et Deus scit, quia C non mentior, quod ego vni talium, quem deuotum & synceræ fidei æstimabam, frequentem eleemosynam porrexeram; qui vnam ex filiabus meis confessionalibus accedens, cum fictis suspitijs asserebat, sibi Spiritum sanctum locutum, quod ex commistione ipsius cum ea nasciturus esset filius, qui B. Ioanni Baptistæ in sanctitatis puritate penitus æquiualeret. Et cum illa secreto me consuleret alloquio repagula mox opposui opportuna.

Quia vero illorum Deus venter est, qui Veneris ingluuiem speciali quadam celebritate colere nituntur; igitur nonnulli ex eis commessationibus, ebrietatibus, & huiusmodi carnis illecebris inhiantes in libidines spumant, vt cum reuerentia loquar, spurcissimas, adeo, etiam vt contra naturam exercitia pessima committere crebris ausibus sint reperti. Sub illorum etiam habitu quarumlibet hæresum species, vtpote pauperum de Lugduno, & aliarum iniquitatis sectarum partitiones per ouile Christi suos Apostolos satagunt seminare.

VARIAE LECTIONES IN
OPVSCVLVM REINERI.

CVM Reinerus iam excussus esset; venit ad me ex Lambacensi Monasterio Austria, Codex ille, cuius in Prolegomenis cap. 9. mentionẽ feci: quem cum editione nostra cõtuli; & has notulas inde excerpsi. *Inscriptio est talis.* Incipit libellus de Hæreticis & erroribus eorum à Fratre Ryntero compilatus.

Col. 751. *Quid sit.*

Col. 745. v. 42. Omittitur in vtroque exemplari Sacramentum confirmationis. Quod vitio librariorum euenisse arbitror. Infra enim cap 5. specialis mentio fit Sacramenti confirmationis, quod æquè ac alia Vvaldenses reijciebant. Quod monere visum, ne quis in ipso statim limine suspicaretur, aut sex tantum Sacramenta à Reinero agnita, aut Vvaldenses Sacramentum Confirmationis approbasse. Ibid. v. 53. *Rescripsum IESV.* Ibid. v. 54. & 55. *& omnes tuos. Damascenus.* Citat enim Reinerus Damascenum, cuius sunt, quæ ibidem subiunguntur.

Ibid. v. 58. *propria facici.*

Ibid. *In admirationem.*

Col. 746. v. 40 Cod Lambacensis expresse, *ciliciũ.*

Ibid. v. 9. *Curati.* Ibid. v. 48. *Simon* Ibid. v. 49 *Iubanus.*

Ibid. v. 62. *guttuosa.* Ibid. v. 71. *datum.*

Col. 747 v. 33 *De secũda nota.* Ibid 46. *De tertia nota.* Ibid. v. 51 *Operarius in die laborans, nocte nihil impedimenté habere poterit, quin discat vel doceat.*

Ibid. v. 59. *Qui vero excusat se, quod non possit discere, dicunt ei.* Col. 748. v 2. *Exponentes sui pro porcis, accipientes,* &c. Ibid. v. 13. *quod nemo ea intelligit.* Ibid. v. 21. *quadam friuola vel falsa.*

Ibid. v. 26. *exhibent Sacramentis.* Ibid. v. 23. *Te vvein.* Ibid. 34. *Mertio nos modo.* Ibid. v. 37. *In Prouincia Prouincia.*

Ibid. v. 49 post illud *Secutũ*, sequitur in Cod Lamb. titulus rubrica notatus *Nomina Ecclesiarũ vel villarũ.*

Ibid v. 50 Stranhinge

Col. 749. v. 8. *Præter sectas Manichæorum & Paterenorum, qua occupant Lombardiam, & præter sectas Ortlibariorum, Runcariorum,* &c. Ibid. v. 28. *Quando in vna domo sunt hæretici trium sectarum, quarum quælibet damnat alteram & simul Romanam Ecclesiam impugnant, & sic sub dolo vulpecula.*

Ibid. v. 55. *doctrina ipsorum & Runcarij.* Postea subditur iste titulus. *Blasphemia & errores* Ibid. *quia ipsi doctrinam Euangelij.*

Col. 750. v. 45. post: *Pharisæorum.* Subditur hic titulus. *Hæretici damnant omnia Sacramenta.*

Ibid. v. 50. avegen. Ibid. v. 68. *nihil prosit.*

Ibid. v. 69. post, *reprobant.* Sequitur iste titulus: *De pænitentia.*

Col. 751. v. 17. post, *amplexus*, titulus. *De extrema vnctione.*

Ibid. v. 25. *praui & notorij peccatores.* Ibid. v 57. post. *Doctorem.* Titulus. *Errores circa cõsuetudines Ecclesia.*

Col. 752. v. 16. *idolatriam.*

Col. 752. v. 36. *oblationes, Pompa funerum.* Ib. v. 38. post, *animabus. Item vigilias funerum reprobant, propter insantas, qua ibi fiunt.*

Col. 753. v. 55. *per conditionem respondendo.*

Ibid. v. 27. *Syfredenses.* Ibid. *Torsonis.*

Ibid. v. 45. post, *bonum;* Titulus. *Errores Ortlibariorum.* Mox. *Ortlibarij.*

A Pag. 753. v. 70. *inter se.* Ib. v. 72. post, *Sancti,* Titulus. *Opiniones Ortlibensium.*

Col. 754. v. 11. *Sic virgo genuit,* Ib. v. 15. *& alios trahendo.*

Ibid. v. 33. *deprehendes.* Ibid v. 39. *confitentur ordinem suum initiatorem secta.*

Ib v. 67. *Et flagellatur, quando aliquis ipsorum male tractatur vel affligitur, vel cum occiditur.*

Col. 755 v. 41. post: *dicunt*: Titulus. *Diuisio Katharorum.*

Ibid. v. 45 *Baglensis.* Col. 756. v. 5 post; *intelligunt.* Titulus. *Quatuor falsa Sacramenta Katharorum.*

Ibid. *subsequenter.*

Ibid. *quando autem.* Ibid. *supradictam.*

Ibid. *totaliter homini.*

Col. 757. *Item.*

Col. 758. v. 39. *De secundo nota.* Ibid. *Similiter facit filius minor absq; Episcopo, & filio maiore.* Ibid. v. 55. *Itẽ.*

B Ibid v. 58. post: *seruitium;* titulus. *Ordinatio Episcopi antiqua.*

Ibid. v. 65. *Ad hoc congregati, & ab Episcopo ordinabantur.*

Col. 759. v. 2. *Et ita fere qualibet Ecclesia Catharorũ.*

Ibid. v. 9. *Duos habuerit Episcopos*: omissa vocula, *filios.*

Ibid. v. 11. *illa gratia.* Ib. v. 16. *quod omnes Cathari.*

Ibid. v. 16. post. *inter eos.* Titulus *De nominibus Ecclesiarum Hæreticorũ Latinorũ.* Ibid. v. 41. *Concorezo.*

Ibid. v. 50. *Dugrantia omnes simul quingenti.*

Ibid. v. 54. post. *inter eos.* Titulus. *Opiniones Katharorum.*

Ibid. v. 56. *Albanensium, qui alio modo dicuntur de Senzano.*

Ibid. v. 60. *Gelesmansa.*

Col 760. v 60. *Item.* Non, *per verbum Apostoli.* Et hæc est vera lectio. Aiebat enim delirator iste, malum

C principium denotari per illud NON, de quo 2. Cor. 1. Apostolus.

Ibid. v. 70. post; *Scribere.* Titulus. *De erroribus Ioannis de Lugduno.* Col. 761. v. 13. *sic exponit.* Ib. v. 17. *ad aliquod bonum.*

Col. 762 v. 1. Videtur legendum *prædictam,* quia vterque Codex vtitur isto compendio p̃dtm̃.

Col. 762. v. 5. *decepto errore; qui inde etiam dicit Deũ summum in malo. Sed de Christo dicit, quod in eo fuerit potentia peccandi; siue vis transgressoris.*

Ibid. v. 23. *præscit illud aliquando.* Ibid. v 26. post, *fecerunt*: non comparent illa verba: *Sicut ipse Ioannes ait;* sed v. 29. post, *aduersario suo*: subduntur ista: *Sicut ipse Ioannes de Lugduno ait.*

Ibid. v. 34. *anima Dei.*

Col. 763. v. 5. post: *E conuerso.* Titulus. *Opiniones Concorezensium.*

D Ibid v. 44. post, *Christi.* Titulus. *Opiniones Katharorum.*

Ibid v. 54. post; *dicunt.* Tit. *Concordantia Hæreticorũ.*

Ibid. v. 56. *& Carthasenses.* Ibid. *Gelesmanse.* Ibid. v. 57. *quos.*

Ibid. v. 68. *& nisi fuerit.* Col. 764. v. 1. *reuelantur* Titulus. *Errores Paterini.*

Ibid. v. 5. *Dicet Catholicus, excæcauit id est,* &c. Sic in sequentibus, quoties nostra Editio habet, *Contra;* Cod. Lamb. exhibet, *Dicit.* Ibid. v. 19. post, *puniantur.* Titulus. *Errores Manichæorum.*

Ibid.

Ibid. v. 22. *iuratoriam* Ibid. v. 23. *commatre*. Ibid. v. 26. *nihiliam ei*. Ibid. post illud; *nouem denarios*: Codex Lamb. *Sodomiam licitam esse dicunt*, & cætera ibid. loco *pecudis*, quod excursum est, habet vterque Codex; *Penidis*. Nec potest legi, *pecudis*, cum paulo post dicatur; huiusmodi puero ab omnibus lacticiniis, & quæ ex coitu nascuntur, abstinendum esse.

Ibid. *canent*. Ibid. v. 28. *ipso iure*.

Ibid. v. 69. *Si itaque elegeris*. col. 765. v. 1. *nihil dant ei advsum vel adesum*. v. 44. capitis 7. inscriptio est ista. *Quomodo Haretici noscantur*. col. 766. titu capit. octaui sic habet. *Qualiter haeretici se ingerant familiaritati Dominorum*. col. 767. v. 1. *Catholicus*

Ibid. Inscriptio capitis noni est ista. *De modo Examinandi hareticum* Ibid. v. 23. *Roma Ecclesia & fides* Ibid. v. 36 post, *tibi*. Titulus. *Interrogatio*. Ibid. v. 43. *& similium*. Ibid. v. 49 *cum gladijs, sicut & alij*

Ibid. v. 52. *nunquam recederes, sed semper*, &c. Ibid. v. 54. *nunquam reuelare*. Ibid v. 64. *quod valeat offerri*. Ibi. v. 68. *Si credat, quemlibet bonum laicum*. col. 768 v. 21. post; *vel non* Titulus. *In publica Inquisitione sic fit*.

Col. 768. v. 6. *Si iubetis*.

Ibid. *Secundum Canones videtur, quod non*, vt extra cap. *Vergentis*. *Sed contradicunt Leges* Cod. de Hæreticis L. *Manichaos*. Ibid. v. 8. *alioqui*. Col. 771. v. 11. *per sanguinem ouis*. Ibid. *tres pilos*. Ibid. v. 20. *Damones aduocant*. Ibid. v. 36. *Aliqui de Bryono qui dicitur* Schilvourk. Ibid. v. 44. post, *relinquit*. Titulus. *Examinatio Leonista Haretici*.

A Ibidē v. 64. post; *possides*. *Item si non es sollicitus quid manduces, vel quo induaris*. Ibid. *in aure*.

Ibid. v. 40. *Si semper* col 773. v. 15 post; *fidei*: Titulus. *Concordantia & discrepantia Gracorum a Christianis*. Ibid. v. 24. *Ex quibus excidunt*.

Ibid v. 43. post, *Hebraa*: Titulus. *Quid sit contra fidem Catholicam*. Ibid. v 52 *Dicere, quod homo faciat mortalis peccati actum sine peccato*, &c.

Col. 774. v. 23. *de deuotione*. Ibid v. 30. *Item quod anima alicuius, facientis eadem cum Christo*, &c.

Ibid. v. 40 *transformatum* pro, *transferri*. v. 46. sic di-

B stingue. *non enim ipse est Deus per gratiam adoptionis; sicut qui adoptatur*, &c

Ibid. v. 59. *Quod dicit, ne*.

Ibid v. 61. *Et hoc Lucifer*.

Col. 776. v. 1. *Dicere, quod hoc, quod sub cingulo à bonis fit, non sit peccatum, haresis est Elyosista*.

Ibid. v. 3 *bonum hominem peccare*.

Ibid v. 6. *non oportere*.

Ibid. v. 24 post; *impeccabilem*; additur; *sed tali plus peccatum quam aliis*.

Ibid. v. 27. *Oribleni*.

Ibid. v. 37. *matet quinque*.

EPISTOLAE SEPTEM DE VENERABILI SACRAMENTO EVCHARISTIÆ.

EX QVIBVS SENÆ REFELLVNT DELIRIVM Folmari prapositi Trieffensteinij, seu Petra Stillantis, Epistola prima propositum & expositum.

Nunc primum in lucem editæ, ex M. S. Monasterij Raittenhaslensis.

LECTORI.




IXIT circa tempora Alexandri III. Pontificis Romani Folmarus quidam, Prapositus Petra Stillantis, seu Trieffensteiny in Franconia infra Herbipolim, qui siue ex malitia, siue ex imperitia, siue ex vtraque varios Errores partim per Epistolas, partim per tractatus & libros disseminare, & cum in alias, prouincias tum nominatim in Bauariam inferre tentauit; Etiam perniciosissimum illum, terque execrandum circa venerabile Sacramentum Corporis & sanguinis Domini; quem ipse disertis verbis exponit in Epistola prima ad S. Eberhardum, Archiepiscopum Salisburgensem; & cui auditus destruendo euertendoque reliquae Epistolæ grauiter insistunt; quarum secundam non dubito scriptam esse iussu S. Eberhardi Archiepiscopi. Tertia Gerhohi, seu Gerochi, Reicherspergensis in Bauaria Prapositi est; qui & libro secundo de Inuestigatione Antichristi contra eiusdem Folmari Nestorianismos acriter disputat. Idem prastat germanus Gerhohi frater, Decanus Reicherspergensis in proprio & prolixo Volumine aduersus Folmarum. Vtrumque, si Deus volet, aliquando publicabimus; quia vtrumque iam ex vetustis Codicibus exscribendum curauimus; in quorum altero Monastery Rottenhaslensis in Bauaria inferiore; has Epistolas inuenimus: quas cum scriptoribus contra sectam VValdensium foras exire iussimus; De Gerhoho si plura desideras, Chronicon Ceicherspergense non ita pridem à Clariss. viro, Domino Christophoro Gevvoldo I. V. D. & Consiliario Bauarico euulgatum; consule.

DOMINO SVO EBERHARDO SALZBVRGENSI ARCHIPRÆSVLI FOLMARVS, DEI GRATIA, SI QVID EST;

Semper gaudere, nihil aduersique timere.

I. *Impia Folmari Epistola.*



IDEM meam de veritate corporis ac sanguinis Domini, Domino A. Eboracensi Abbati, sed & aliis literaris viris ac religiosis mandatam litteris, diligenter exposui, eosque in nullo penitus aduersos, siue diuersos inueni. Sapientes etenim huius mundi cum minimè gustent mysterij huius suauitatem, eius videlicet non intelligunt puritatem: ideoque Sacramentum hoc humilibus spiritu per Domini spiritum credimus reuelatum. Ego igitur in sacrosancto mysterio, sicut spiritualis vuæ meracissimũ sanguinem, sub vini sapore ac specie bibere me quidem, sed solum & purum, sine carne, non dubito: ita solam & puram carnem Christi, sine ossibus sine membris corporalibus, imo & sine humani corporis plenitudine, sub panis sapore ac specie manducare me credo: nec me filium hominis, sed carnem filij hominis manducare confiteor.

Vbi vero caro Christi, ibi consequenter & Christus; non pro parte, sed totus, totus seorsum in carne, totus seorsum in sanguine, totus simul in vtroque: nihilo minus separatum in altero nihilo magis in vtrisque coniunctis totus, vel integer, non ad humani corporis, vt quidam litigant, integralitatem, sed ad personæ Christi indiuiduam vnitatem arbitror referendum. Oportet enim in Sacramento hoc tam offerre bene, quam recte diuidere, & naturam verbi à corporis natura distinguere. Vbicumque enim Christus est: est totum non est: sicut vno eodemque tempore totus in sepulchro, & totus in inferno erat, sed totum non erat: eo quod trium substantiarum, quæ vnam faciunt in Christo personam, aliquid deerat.

VIRO LITERATO FOLMARO DE STILlante Petra præposito, R. Salzburgensis Ecclesiæ Frater, modicum sapere ad sobrietatem, & sanam doctrinam docere nescientes.

II. *Refutatio superioris Epistolæ.*



FLVENTA fontis vestri exerescentis, se non continentis, à Petra vestra ad nos vsque stillantis, credo irrigare ariditatem nostram, qui in montanis habitamus. Potius habete eam solus: & nihil nobiscum commune & Christianis. Inter alia, quibus acuta sapientia vestra imperitatem nostram erudire satagit, de corpore & sanguine Christi, nouam fidem, imo detestandam perfidiam sine auctore, sine exemplo nouus Euangelista prædicatis. Dicitis enim; *Credo me sub specie vini meracissimum sanguinem solum & purum bibere.* Et quia hoc totum sane posset intelligi; vt, *purum* ad sanctitatem solum referretur; ad vnius, eiusdemque Sacramenti separatam sumptionem, non ad substantiarum carnis & sanguinis diuisionem, prudentia carnis vestræ determinauit adijciendo; *sine carne.* Adhuc latet; ---- & nondum se totum prodidit error. Audi sequentia: *sic me*, inquit, *Carnem Christi sine ossibus manducare, credo.* Quid hic impia secta introducit; nisi, vt qui angustis faucibus fidei, ossium strangulationem timet in carne; fugiat etiam cruditatẽ carnis in sanguine, vel etiam in sanguine, carnes. Velletis etiam assam & coctam manducare partem carnis Christi; quia cruditatem, & membrorum grossitudinem horretis. Noli timere. Cibus est animæ, non corporis. Frangitur quidem & corporaliter, & sensibiliter in Sacramẽto fidelium dentibus atteritur, integritate incorruptibilis carnis permanente, ita vt veritas per omnia non desit Sacramento, & fides sana abominationem non pertimescat in gutture.

A

O male delicatum palatum fidei, cui vsu carnalis consuetudinis, quasi pulpa carnis Christi placet, non ossa. Date veniam dicto: indignitas quæstionis cogit. Asseritis & vos manducare totum Christum. Et, ne hoc etiam referatur ad plenitudinem substantiarum, determinatis, totum esse referendum, non ad membrorum integritatem, sed ad personæ vnitatem, propter partem. Et adiecistis; *Credo me manducare carnem filij hominis.* Quæso vbi nunc est, quod postea propter auctoritatem quasi concessistis, manducari in Sacramento totũ Christum, sed, pro parte? Quare saltem & illud non datis filio hominis? Aliud ne est, Christum manducare; & aliud *filium hominis* manducare? An non vnus, idemque est Christus, & filius hominis? Quo ducit, vel potius, quo seducit; vel seducta est vestra sibi contraria, & diffuta eloquentia?

B

Hæc omnia, licet eadem facilitate, qua probantur, respuantur; quod nec in superficie phantasiam habeant veritatis; parumper tamen interrogamus acumen tam nouum ingenij. Dicite nobis; sanguinem Christi bibitis sine carne, vt dicitis, separata substantia carnis. Sic enim vestra distinctio docuit nos intelligere. Dicite inquam; partem ne sanguinis bibitis, an totum? si partem dicite, de quo membro elicitam? De capite, an de pede? Vos me cogitis hoc dicere. Insania quandoque leuius insania repellitur, quam ratione. Credo, ad illud redibitis, vt dicatis vos bibere totum sanguinem Christi. Si totum bibitis iuxta traditionem vestram, separata carne, qualis quæso interim manet caro Christi: sicca, vel potius mortua, sine sanguine? Sane nemo, nisi insanus, hoc dixerit.

C

Sumitur itaque sanguis Christi à fidelibus non abstractus à carne, sed sanguis cũ carne, & caro cum sanguine, imo totus Christus cum integritate vtriusque substantiæ: & licet separatim, tamen non separata percipiuntur. Separatim, propter mysterij diuinam significationem, non separata, propter deificatæ immortalitatis indissolubile fœdus. Quid igitur est, quod infertis tãquam cõstet, quod antecedit? *Sic me credo carnẽ Christi manducare sine ossibus.* Quid est, *sic*? nisi: si abominabilis videatur sanguinis potus cũ carne; sit & impossibilis cibus carnis cum ossibus. O timor vesanus! ó carnalis & execranda cogitatio. Times ossa in faucibus, quæ verbo Dei vnita sunt: quæ ianuis clausis intrauerunt ad discipulos. Dic mihi, quæso, quãdo mãducas, vel potius quãdo rodis, secundum tuũ sensum, carnẽ sine ossibus, ossa qualia interim manẽt? Nuda, an statim alia carne vestiũtur? Prophana sint ista. Hoc est hæretico magis dente rodere carnẽ, quã Christiana mẽte mãducare in Sacramẽto Christũ. Cesset ergo tã cæca præsũptio, tã vana quæstio. Quia, sicut superfluæ curiositatis est quærere? Verũ, cũ Deus sit vbique, sit & in calceo; & similia? Sic nemo vel antiquorum, vel modernorum quærendũ esse putauit, tali forma verborũ? *Vtrum in Sacramento cum ossibus Christi sumitur caro?* Cũ vbique digna honestate verborũ tanta rerum maiestas ita expressa sit, vt dici oportuit; & inde amplius non dubitabit, nisi hæreticus.

D

Manducac

Manducat itaque Ecclesia carnem filij hominis, non A partem carnis, sed totum corpus, quod natum est de Virgine quod passum est in cruce;

Non siccam sine sanguine; sed cum sanguine viuam; imò † vitam carnem. Manducat, inquam, carnem, non rodit ambesis ossibus, vt vos dogmatizatis. Manducat quidem, non illam consumendo; sed in illam salubriter transeundo. Manducat totam & integram carnem Christi sine diminutione, sine diuisione; imò in carne Christum totum filium DEI, totum filium hominis ineffabili, incogitabili modo: sed eo modo, quo ipse nouit. Et totum refero non ad partem tantum pro parte, vti vos subtilizatis; sed ad substantiarum carnis & sanguinis plenitudinem, dicente Augustino: *Corpus illud dico pariter offerri in altari; quod natũ est de Virgine; pependit in cruce; quod resurrexit; quod ascendit in cælum.* B Corpus ne illud, quæso sine ossibus, & neruis peperit virgo; sine ossibus & neruis pependit in cruce? Manducatur itaque vt dictum est. & tamen viuit integer manducatus, quia surrexit occisus. Totus non pro parte, sed pro toto in cœlo, in humanâ formâ visibilis; totus similiter etiam secundum corpus vbique vno & eodem tempore in altari, in Sacramento inuisibilis. Mirum, si te attendis: mirari desinis, si Dominum consideras. Sic quoque anima Christiana bibit sanguinem Domini sui, non sugit, non elicit à carne vel totum, vel partem sanguinis, vt vestra, licet obliquè, significat inuentio: sed sine diminutione, sine diuisione, in vtroque vtriusque plenitudinem mente sumit & corpore, hoc est, sacramentaliter, & spiritualiter, vno eodemque Sacramento ineffabili. C Contra huiusmodi somnia, quæ etiam à Vetulis derideri possunt, licet rationes & autoritates abundè vel parum exercitato præstò sint, hîc interim potius subsannando, quàm disputando abominati sumus, ne tacendo ineptus consensisse videamur.

† Quia caro Christi dat vitam.

III. DOMINO A. VENERABILI Abbati Eboracensi Fr. † G. de Richerspeige, deuotas orationes cum fideli obsequio.

† Gerochus

NVPER venit in manus meas Epistola † Domino Salzburgensi destinata, in qua & vestri nominis mentio fuit, sicut videre poteritis in rescripto Epistolæ: cuius textus ita se habet: *Domino suo E. Venerabili Salzburgensi Archipræsuli, F. Dei gratia si quid est; semper gaudere, nihil aduersique timere. Fidem meam de veritate corporis ac sanguinis Domini Domino A Eboracensi Abbati, sed & aliis literatis & religiosis viris mãdatam literis diligenter exposui, eosque in nullo penitus aduersos, sine diuersos inueni;* &, &c vbi supra. D Hic perpendat sapientia vestra; vtrum nam rectè offerat, rectéque diuidat, qui, quod Dominus coniunxit, sensu carnali separat? Coniunxit quippe DEVS homo carnem & ossa in resurrectione sua discipulis suis dicens: *Palpate & videte, quia spiritus carnẽ & ossa non habet; sicut me videtis habere.* Erant enim simul in eius corpore à morte suscitato non solum caro & ossa, sed & sanguis & spiritus humanus, & diuinus; quem & insufflauit suis discipulis dicens, *Accipite Spiritum sanctum.* Cum autem separatio spiritus humani à corpore sit mors ipsius cor E poris; & item separatio carnis ab ossibus, mortem carnis operetur: cumque sanguis humanus extra carnem careat vitali spiritu, qui est anima rationalis; constat, eos rursum crucifigere, atque ostentui habere Christum, qui sic ipsũ diuidunt: sicut in præmissa legitur Epistola, quæ vt maioris habeatur autoritatis, ad venerabilem destinata est Archiepiscopum; & apud vos, aliosque literatos ac religiosos viros insinuatur approbata, in ea fide, in qua Christus contra doctrinam Pauli diuisus est.

† Litera proprij nominis est erasa. Sederat, E. seu Eberhardo, vt hoc cõstat ex his qua max sequũtur. Principiũ Epistolæ primæ supra posita.

Ioan. 20.

Ibid.

Sed nos istam fidem pro maxima reputantes perfidia, carnes Agni Paschalis non ita crudas, vel aqua coctas in Ecclesia DEI manducari credimus, vt vel sanguis eius, A vel caro eius bibatur, & manducetur seorsũ, licet in speciebus diuersis, videlicet panis ac vini. aqua misti sumatur is, qui in semetipso indiuisus atq; integer manet, totus in cœlo, totus in altari, totus in ore comedentis corpus eius, ac sanguinem bibentis: totus in corde credentis ad iustitiã; totus in ore confitentis ad salutem. Lege Ambrosium in Lucã exponentem illud Angeli dictum; *Hic erit magnus, & filius Altissimi vocabitur;* & inuenies, quod vbicunque verus Christianus, ibi Christus; quia, neque in Hierosolyma, neq; in monte hoc, vbi adorauerũt patres, adorandus est; quasi alias DEVS nõ fit: sed veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu & veritate. Igitur in veritate Sacramentorũ Christi adoratur DEVS, qui & sumitur in corpore de Virgine sumpto, & in cœB lũ assumpto. Quod corpus ore fideliũ sic manducatur, vt quod de Agno Paschali figuraliter est præceptũ, nunc verè impleatur. Neque enim ad literam fieri potuit, aut oportuit, quod illic dictũ est: *Caput cum pedibus & intestinis vorabitis.* Repugnat quippe quod dictũ est; *os non comminuetis ex eo.* Quomodo autẽ nõ cõminutis ossibus, caput & pedes vorari potuissent? At nunc in vero Agno, qui tollit peccata mundi, caput cũ pedibus, diuinitas videlicet cũ tota humanitate voratur, quia Christus integer in altaris mysterio manducatur; neque manducans manducabit illum in se, scilicet cibum carnis suæ; sed ipse mutabitur in illum, vt sit membrum corporis eius, quod est Ecclesia vna, per vnum corpus Christi redempta, & vegetata.

Luc. 1.

Exod. 12.

Ibid.

Quod autem prænotatus diuisor Christi ait; *non me C filiũ hominis, sed carnẽ filij hominis mãducare confiteor:* hinc putamus illum traxisse, quod Christus dixit: *Nisi manducaueritis carnem filij hominis, non habebitis vitã in vobis.* Nã & Nestorius hæresiarcha inde hausit venenũ sui erroris: ita vt carnẽ, quæ in altari sumitur, negaret esse viuificatricẽ, pro eo, quod esset hominis caro, inhabitatione quasi DEI sanctificata, sed minimè potens mãducantẽ se viuificare; quia, spiritus est, ait, qui viuificat, non caro. Contra cuius errorẽ in Synodo Ephesina legitur, *Ad benedictiones mysticas accedimus, & sanctificamur participes sãcti corporis, & preciosi sanguinis Christi, omniũ nostrum redẽptoris effecti; non vt cõmunem carnẽ percipiẽtes, quod absit, non vt viri sactificati, & Verbo coniuncti: sea dignitatis vnitatẽ, aut sicut diuinã possidentis habitationẽ, sed verè viuificatricẽ, & ipsius Verbi propriã factã. Vita enim naturaliter (est,) vt DEVS existens, quia propriè carni vnitus est, viuificatricẽ eam D professus est esse. Et ideo, quamuis dicat ad nos; Amen, Amen dico vobis, nisi mãducaueritis carnẽ filij hominis, & biberitis eius sanguinẽ; non tamẽ eã, vt hominis vnius ex nobis existimare debem⁹. Quomodo enim iuxta naturã suã viuificatrix esse caro hominis poterit; Sed, vt verè propriã eius factã, qui propter nos filius hominis factus est, & vocatus.* † Itẽ. *Si quis nõ cõfitetur carnẽ Christi viuificatricẽ esse, tãquã ipsius Verbi DEI patris; sed quasi alterius cuiusdã, præter ipsũ coniuncti eidẽ: secundũ dignitatem, aut tanquã secundũ quod solam habitationem habuerit, & non potius, sicut dixi, viuificatricẽ esse; quia facta est propria Verbi DEI, cui omnia viuificare possibile est, anathema sit.* Synodus hæc Ephesina vna est de quatuor Cõciliis; *quorũ, sicut B. Gregorius ait, quisquis non tenet soliditatẽ, & si lapis esse videatur, extra ædifi E ciũ iacet.* Addit; *Et quisquis aliter sapit, anathema sit.*

Ioan. 6.

Habentur hac ia professione fides, quæ exstat in Concilij Ephesini, antiqua Editionis.

Ioan. 6.

† Est vndecimus anathematismus in antiqua Edit.

Vos igitur amande, ac venerande Pater, cauete vobis, ne, cum lapis preciosus habeamini, & sitis, in ædificio DEI, alio mendaciter vulgante, credamini credere, quod non creditis. Credo enim vos, Pater, vna nobiscum, imò vna cum tota Ecclesia, vnam fidem habere, sapiendo, in nomine carnis Christi non aliud, quam carnẽ Christi. Sic enim sua verba ipse Christus intelligenda insinuat, vt non aliud caro filij hominis, aliud ipse filius hominis habeatur; vbi de hoc Sacramento ait: Commendans enim carnem filij hominis manducandam, verbis præmissis etiã hoc inter cætera dixit; *Sicut misit me*

viuens Pater, & ego viuo propter patrem, & qui manducat me, & ipse viuet propter me. Manducans igitur carnem filij hominis, manducat filium hominis; manducat panem, qui de cœlo descendit, quem Pater signauit DEVS, non materiali sigillo, sed summæ diuinitatis indelebili signaculo; quia VERBVM CARO
Ioan. 1. FACTVM EST. Et ideo; qui carnem Verbi manducat, Verbum quoque in sua carne manducat. Alioqui caro non prodesset quidquam, si non haberet in se vitam, & viuificandi efficaciam. Legite Hilarium in VIII. lib. de hoc Sacramento agentem, & inuenietis eum sentientem, quæ sentio de Verbo æterno in carne sua manducando; quod prænotatus FOLMARVS fieri posse non credidit: qui corpus Domini, quale fuit in sepulchro, putat seorsum cogitandum.

Ait enim: *Vbicunque CHRISTVS est, totus est; & si totum non est: sicut vno eodemque tempore totus in sepulchro, totus in inferno erat: sed totum non erat; eo quod trium substantiarum, quæ vnam faciunt in Christo personam, aliquid deerat.* Ad quod dicimus; quod reuera tunc ad tempus corpori defuit anima in sepulchro; & animæ corpus in inferno, seu paradiso. At nunc, neque corpori Christi anima sua, neque animæ
Rom. 6. suæ suum corpus: neque his ambobus amborum vita, non aliud, quam summa diuinitas alicui, seu aliquando abesse poterit; quia *CHRISTVS iam non moritur, mors illi vltra non dominabitur.* Non moritur, non diuidetur, non à sede sua, in qua patri
Ioan. 3. consider, mouebitur in æternum. Et tamen, sicut *Spiritus, prout vult, & vbi vult, spirat*: Sic & ipse homo, qui natus est ex spiritu prout vult, & vbi vult seipsum præsentat, vel spiritaliter, vel corporaliter, vt Ecclesia credit. Spiritaliter; vt Apostolus
Ephes. 3. ait: *habitare CHRISTVM per fidem in cordibus nostris.* Corporaliter; vt Ecclesia credit se pasci corpore ac sanguine ipsius; ipso seipsum sanctificante per manus, & orationes sacerdorum in tota Ecclesia facientium, quæ ipse iussit dicens; *hoc facite in meam*
Luc. 22. *commemorationem.* Vnde vnus ministrorum eius hoc
1. Cor. 10. facientium, ait; *Calix, cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est? & panis, quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est?* Non ait locali discretione, seu corporalis molis distensione se ipsum Christus corporaliter in tam diuersis locis vno, eodemque momento præsentat in officio sacerdotum sacrificantium, vel in ore fidelium sumptum corpus manducantium; sed ineffabili virtute, illâ fide mediante, quâ indubitanter credimus fieri Verbum veritatis dicentis; *Hoc facite in meam commemorationem.*

Luc. 22. Bene dixi, fide mediante; *quia fides ex auditu;*
Rom. 10. *auditus autem per Verbum Christi.* Et sicut non nisi auditu mediante, audibile humanum Verbum capitur; sic diuinum illud Verbum carne humana, tanquam voce corporea, sensibile factum, non nisi fide mediante capitur. Da fidelem, & sensit verum, quod dictum est; *Hoc facite in meam commemorationem.* Tolle fidem, & videbis non percepi hoc Verbum, quod
Luc. 22. non nisi fide capitur: sicut non capitur hominis vocale verbum, nisi per auditum. Tolle auditum; frustra surdo loqueris: quia non capit, quod dicis; quod tamen ex defectu Verbi non est, sed auditus. Quia Verbum sonorum, tam surdas & obturatas, quam patulas tangit aures. Ita & Verbum DEI, per id sonorum, quod est incarnatum, & specie panis velatum porrigitur manu sacerdotum fidelibus credulis, & infidelibus incredulis. Et fidelis exinde pascitur & saginatur. Infidelis, ex eodem iudicatur & damnatur, non iudicans corpus Christi, quod indignè sumit; qui de illo indigna credit: sicut iste, qui putat eum sine suis ossibus manducari; quique à carne sanguinem eius diuidit; putans illum non posse totum & integrum simul esse in cœlo, & in pluribus altaribus; cum videat sermonem de corde simul & ore hominis prodeuntem, non discindi per multas aures audientiam; sed totum & integrum peruenire ad singulos. Quanto magis Verbum DEI ex corde simul & ore Altissimi prodiens: ac tamen in ipso & cum ipso permanens, totum & integrum peruenit, quod est missum ad saluandos electos, & ab æterno in ipso Verbo dilectos. Quod licet increduli tanquam surdi non capiant: aures audiendi habentes tamen capiunt, & gustu illo sapiunt, qui requiritur; vbi dicitur; *Gustate & videte quoniam suauis est Dominus.* Psalm. 33.

IV. DOMINO VENERABILI Præposito de Richersperg, Fr. A. dictus Abbas de † Ebgra deuotæ orationis obsequium.

† Ebrach, hodie.



QVOD Præpositus de † Trieph dudum scripsit fidem suam se nobis exposuisse, noueritis non aliter, quam † subscripsimus, fuisse. Vice quadam in nostri præsentia, allato libello, dixit, hæc est fides mea; legitque ex eo in auribus nostris nobis nihil attendentibus nihilque de eo huiusmodi suspicantibus. At postquam scripta vestra, quæ Catholice aduersus eum edidistis, accepimus, ex mandato Episcopi Babebergensis egimus, vt vna nobiscum ad eius præsentiam Babeberg accederet: vbi coram non paucis religiosis & literatis viris Episcopo contra eum agente, humiliter professus est, nihil tale se deinceps sentire, nec scribere. Porrò nos his, quæ eadem scripta vestra habent, consentimus, & Catholica iudicamus, de cætero optantes & orantes diuinam clementiam, vt illuminet oculos cordis vestri ad omnem cognitionem veritatis, & amorem virtutis.

† Petra stillante. † id est, infrascripsimus, vel subitcimus.

V. FOLMARVS DEI GRAtia † Stillantis Petræ id, quod est, Prælatis omnibus in Bauaria & Austria constitutis.

† Trieff.

Semper gaudere, nihil aduersique timere.



QVI non offendit in Verbo, scriptura teste, *perfectus est vir.* A qua quidem perfectione, mea procul peregrinatur humilitas, quæ non verbis solum, sed toties etiam in scriptis offendit. Quod equidem eò periculosius est, quo error, qui scribitur, corrigitur laboriosius, difficilius reuocatur. Etsi enim *missa*, quanto magis *nescit vox scripta reuerti. Si semel emissum manet irreuocabile Verbum*; scriptum, rogo, qui potetit verbum reuocari? SANET ERGO CONFESSIO, QVÆ CORRIGI REVOCATIONE NON POTEST.

Iacob. 2. Palinodia Folmari.

Scripsi ego Domino meo quondam Eberhardo Salburgensi Archiepiscopo de corpore Domini, quod omnino non debui; asserens quod in altari esset quidem verum, sed non integrum, id est, non in omnium suorum

rum plenitudine, ac distinctione membrorum, idque videbar mihi cum multis sapere argumentis, & rationibus, imò & auctoritatibus, quas necdum fortè intellexeram, arguisse. Quod si quis improbat, & ego; si cui displicet, & mihi. Si quis eradit, & conspuit; mecum facit. Confiteor enim quia non solum modò verum, sed & plenum, perfectum & integrum in Altari corpus est Christi: ibique in humanæ substantiæ veritate, & integritate, sub aliena licet specie, mirabiliter, & inuisibiliter sumitur, qui ad dexteram Patris visibiliter dominatur. Quod, qualiter in parte sit totum, in singulis integrum, frangatur in forma, nec in essentia diuidatur confectum, sæpenumero Angelorum non admittat & numerum, & multa in hunc modum; supra omnem sensum est non solum hominum, sed, vt ego reor, Angelorum: nec habet causam nisi
B primissimè primam, voluntatem scilicet siue potentiam Creatoris. Et hoc quidem in libello, quem de carne & anima Verbi ad Gerhohum scripsi, plenius fortassis expressum est; sed absque præiudicio sententiæ melioris. Nec enim in quæstionibus & articulis fidei pudor est vel ab hoste doceri; vbi nemo debet naturalia sequi; & sensum suum quasi ex ratione defendere. Siquidem naturæ vsum, & rationis terminos, & Physicas, siue Logicas facultates, Fidei maiestas excedit: ideoque, vbi Fides quæritur, argumenta non valent. Et inde est forsitan, quod contra naturæ vsum caput igni cum intestinis & pedibus vorare præcipimur; sed, ossa non confringere, quia, quidquid diuinum, vel humanum est Christi, in sacrosancto my-
C sterio sumimus, sed minimè facti huius altitudinem inuestigare præsumimus. Experimento enim didici, quod opprimatur à gloria, qui contra legem discutit maiestatem.

IVDICIVM DE PRÆDICTA RECANTATIONE FOLMARI.

HÆc dicta sunt à Folmaro errorem suum recognoscente, non per omnia, sed ex parte. Nam sunt adhuc plurimi eius errores inserti scriptis eius, aut iam propalati verbis eius indisciplinatis; quos quia nondum recognouit, Oremus tam ipsi, quam eius fautoribus, ita reuelari veritatem, vt ex eius lumine conscientias eorum reuerberante, compellantur & sanæ doctrinæ acquiescere, vel penitus obmutescere.

VI. REVERENDISSIMO PATRI DOMINO GERHOHO Reicherspergensis Ecclesiæ Venerabili Præposito, R. Rotensium fratrum minimus, suus alumnus.

Omnia magnificè contraria vincere posse.



NVncius Præpositi de Triefinstaine transiens per nos hoc anno post Natale Domini, ostendit mihi literas, quas deferebat Solzburgensi Præposito continentes qualemcunque peruicaciam supradicti missoris sui, de hæresi, quâ se polluerat. Ostendit etiam mihi libellum, quem mittebat vobis idem erroneus, quē de carne & anima Verbi DEI, nescio an satis aptè, nuncupabat. Et in litte-
A tis quidem sic homo arrogans & fatuus nomen vestrum indignè nimis & nudè posuerat: in libello autem aperta fronte cum derisione personam vestram de prauo intellectu, & inepto dogmate multipliciter arguebat. Ergo verò non inscius, quid debeam vobis, non potui non dolere vicem vestram, sed & dolorem meum, præsertim cum ille non incidenter, sed ex longâ consuetudine famam vestram sine causâ laceraret: tacendo, sicut aut feceram, dissimulare non valui, nec volui: ne diceretis mihi; *qui non est
mecum contra me est.* Sciens ergò certissimè spiritum Luc. 11.
veritatis vsquequaque custodem fore cordis, & oris vestri; spiritum verò mendacij non parum sibi vendicare de lingua & labiis aduersarij vestri; scripsi ad eum, non tam ingenio fretus, quam zelo prouoca-
B tus, arrogantiam eius fortasse nimis inuerecundè redarguens, sed omninò digna tribuens; vt qui illud Rom. 13.
Apostoli, *cui honorem, honorem*, in suo maiore & seniore negligeret, & ipse à minore & iuniore suo nihil honoris acciperet. Quia verò zelum DEI habent multi, non secundum scientiam; ne fortè & mihi idem acciderit, misi vobis easdem inuectionis literas, vt si peccasse me iudicatis, ad pœnitentiam prouocens: sin autem, securum me litteris vestris faciatis.

VII. DOMINO FOLMARO PRAEPOSITO DE STILLANTE PETRA FR. R. VT DEI paruulus, pacem & veritatem diligere.

C



QVia senibus deferre debemus, & ado- Eccles. 32.
lescenti *vix in causa sua* loqui à sapiente permittitur, consilium mihi fuit annis præteritis, audienti sæpè & legenti maledicta vestra, & improperia multa, nec parua contra Dominum Gerhohum patrem nostrum, ætate & vita Venerabilem, quamuis non modicè cor meum conturbarent; dissimulare tamen volui, & pro
debita senibus reuerentia esse, *sicut homo non audiens,* Psalm. 37.
& non habens in ore suo redargutionem; vt possem di-
cere cum Propheta; *cum his, qui oderunt pacem, eram* Psal. 129.
pacificus. Sperabam enim, quandoquidem non estis
D penitus idiota; habetis quippe aliquid de scientiâ, quæ inflat; quamuis nihil de charitate, quæ ædificat: Sperabam dico, quod tandem aliquando terreret simul
& corrigeret vos comminatio illa totiens decantata; Psalm. 36.
quoniam qui malignantur, exterminabuntur: & quia 1. Cor. 6.
maledici regnum DEI non possidebunt, & alia multa de sacris libris, quæ aduersis conuersionem suadere nos-
cuntur. Psalm. 13.

Nunc autem, quia placet vobis imitari eos, *quorum os maledictione & amaritudine plenum est; qui viam pacis non cognouerunt; nec est timor DEI ante oculos eorum.* iamque maledicendi consuetudo quasi in naturam vobis versa est: non puto me modò disciplinæ limitem excedere; si iniuriam Patris vlterius ferre non valens; puer, senem, paruus, magnum in
oculis suis, zelans inuidum redarguo; cum Daniel Dan. 13.
iunior iudices senes, mendaces & impudicos Susan-
E nem sanctam constuprare non valentes, ideoque mendaciter condemnare nitentes innocentem, condemnauit. Quis det eundem spiritum in cor vniuersi populi, vt similiter & nunc zelo pietatis armati & animati lapidibus dignæ increpationis, & iustæ obiurga-
tionis insurgant contra omnes arrogantes, & inuidos, Psalm. 72.
& qui *iniquitatem in excelso loquuntur*, vt vtrinque *ob-* Psalm. 62.
struatur os peccatoris & dolosi, sicut tunc *obstructum est os loquentium iniqua*, vt discat non blasphemare. Non minus dignè vobis, quam illis similia facienti, similia contingerent, vt sequeremini in pœnâ, quos imitamini in culpâ. quales patres, talis filius. Illi quidem

SERAPIONIS EPISCOPI

THMVEOS ADVERSVS

MANICHÆOS LIBER.



SOLVIT errorem veritas, & extinguit fallaciam, & omnis mendacij ortum intercipit, ac prohibet. Obsecremus igitur Dominum Iesum, qui est veritas, vt illuminet mentem nostram, vt neq; fallacia mentem capere possit; nec error vincere, neque si ceperit, aut vicerit, firmam, & stabilem obtineat. Solummodo enim si apparuerit, & radios veritatis suæ emiserit, fallaciam quidem inductam dissipabit; mentem verò extra errorem conseruabit. Ipse enim clamat, ego sum via, veritas, & vita. Ipse præcipit: attendite à falsis Prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ouium, intus autem sunt lupi rapaces. Quia enim illorū modus fraudulentus erat, & mores simulati, non celauit eos veritas, sed nudauit, permittens, vt quod in mēte latet, ab eo, quod extrinsecus fictum & simulatum est, tegatur, vt ipsa fallacia deprehensa infirma fiat in eorum argumentis, ita vt neminem irretire queat.

Est igitur malitia multiformis, & multipartita, in varias argumentationes fusa. Cuius partes quædam nocentiores sunt, & magis mortiferæ: quamobrem neque minora tacenda sunt; neque maioribus parcendum; cum sciamus minores quidem partes vitij minora damna parere; maiores vero magna. Qui enim in grauioribus labitur, grauioribus pœnis punitur: & qui à maiore deceptus est, maius supplicium sustinet. Ponderantur enim fallaciæ; ponderantur etiam peccata: & qui ponderatur, pro grauitate ponderis supplicium reportat: neque quicquam qui iudicat, non ponderatum relinquit. Quin etiam vniuscuiusque, qui fefellit, fallaciam & facilitatem eius, qui deceptus est, dimensus pœnam decernit: quocirca studendum est, vt ne minima quidem fallacia capiamur, siquidem minima fallacia instar scintillæ, nacta materiam, accensionem animæ, incendiū magnæ flāmæ efficit: multi enim principio ex paruo errore cœpto, in pelagus erroris dilapsi, & effusi sūt.

Idcirco curandum est, vt ne minimo quidem errore labi contingat: pulcherrimo animæ propugnaculo ædificato, ne maiore capiamur. Qui enim in paruis labitur errore, labetur aliquando in maioribus: & qui non est seductus à paruis, erit ita contra maiora munitus, & tutus, vt ei resisti non possit. Quia igitur si multi lupi pelles ouium induti, gregem inuaderent, non sileret pastor, sed gladium vibraret, vt in tuto gregem collocaret, nudans, & patefaciens conatum ferarum: Ecce multi sunt, qui exierunt, & hic, atque illic errant, pro pellibus ouium nomen Christi induti, qui se quidem dicunt, quod non sunt, quod autem sunt, dici nolunt; sed suam improbitatem amictu nominis tegunt, qui commune quidem habent nomen, student vero, vt nomen Christi funditus deleant: qui contra Iesum militant, & Iesum inuocant. Hæc est difficillima omnium improbitas, nomine Christi appellari, & Christum oppugnare. Etenim quia non potuit peruersitas contra Deum bellum gerere, vsa est nomine, vt vsu nominis opinionem imprudentibus inijciat, vt quasi Christi familiaris hic, & illic, vt liber, eos, qui in Saluatorem crediderunt, perdat. Sic Valentinus exiuit; sic Marcion; sic Sitianus; Aliunde vero etiam Phanius. Postrema abortio improbitatis, quæ omnes aliorum improbi- *fort. Schizanius.* *Ezech. 16.*

A tates extenuauit, & maiore improbitate aliorum improbitates in secundis posuit, furor Manichæi est; & in Prophetis scriptum est, propter nimiam negligentiam Ierusalem, iustificata est ex te Sodoma. Multæ quidem paulò ante opiniones absurdæ, & falsæ extiterunt, quæ cum magnitudine prauæ opinionis Manichæorum comparatæ, moderatæ sunt, cū sint alioqui in pelagus inundantis prauitatis demersæ.

Et vt non leuiter absurda refellere aggrediamur, & nominibus eorum tantum vsi videamur sine conclusione argumenti, quæ est ἀπόδειξις, ad eorum accusationes accedere, age, conferamus nos ad rationem demonstrantem, vt illorum errores soluamus, & veritatem in medium producamus. Est igitur vitium expers substātiæ, & non per se existens, actio potius, quàm essentia, siue substantia & actio, ex electione proficiscens eorum, B quibus electio ægrotat atque actio, quæ accidit quidem, facile vero ab iis, qui ægrotauerunt, abscedit. Sin vero accidisset quidem, sed non abscederet, dici posset, non esse quidem per se vitium; neq; posse tamen substantiā esse vnquam absq; vitio. Quod si accidit electio facile autē superatur; vt rursus quod vitio subiectū erat, purum reddatur, neque vitij signa ac vestigia habeat, erit vitium neque per se nihil; neque aliquid quod per se esse queat; neque quod semper sit, sed potius deletur, & dum deletur, conuincitur non posse per se esse, & quandoque non fuisse, quin potius paulo ante ex electionis inualetudine prodijsse. Quod autem non reperiatur anima secundū substantiā mala sic natura facta, neque corpus per se, substantia malum, testantur rationes & actiones: Etenim si temperantia virtus est, corpus vero substantia malum, non posset reperiri corpus temC perans, ne corpus, quod substātia turpe & vitiosum est, corpus virtutis efficiatur. Cū enim corpus se temperat corpus virtutis factum est, & corpus virtutis est: & quia corpus virtutis est, potest esse templum. Si enim omne corpus libidini deditum esset, & non posset reperiri in corporibus temperantia, potuissemus attribuere substantiæ corporum, substantiale malum. Sin vero vsque eo processerunt corpora, & tantopere honorata sunt, ac tantam temperantiam induerunt, vt domus fiant auctoris & conclaue Domini, vt pater & filius ad ea veniant, & in eis habitare velint, quomodo non est absurdum, & ridiculum quod aiunt.

Ecce enim Paulus alicubi ait: an nescitis, quod corpora vestra templum sunt Spiritus sancti? Deus autem Prophetam promittit, inquiens: habitabo in eis, & *Ioan. 14.*
D inambulabo, & ero ipsorum Deus. Hæc scriptura & menti suadet & corporibus attestatur, & substantiale malum expellit: Studium vero actionis rem efficit, cum enim idoneam vitam & aptam reddit, tunc talis fabrica in corporibus redditur, vt possint corpora Spiritui sancto deseruire, deseruire item rationi. Quomodo igitur potest lingua cogitatis inseruire? Si enim lingua mala est, mens autem bona, quomodo potest societatem cum cogitatis habere, rationes in lucem interpretatione proferens? Sicut enim ex libidine non gignitur temperantia, sic fieri non potest, vt ex malo secundum substantiam aliquid honestum proficiscatur. Cum igitur singula membra consideraueris, auditum, aspectum, linguam, alia membra, & videris facta esse instrumenta præceptorum, quæ didicimus, tunc corpus quidem laudabis, & nō vituperabis, *1. Cor. 3.*

superabis, videbisque facta esse, hæc esse pura, ac munda: execrabilis autem fraudulentum veritatis inimicum.

Quod si quæ partes corporis semper essent temperantes, nunquam in pigritia, aliæ vero semper pigrantes, nullum partem temperantiæ amplectentes, dici posset, diuisionem esse in corporibus, & partes quasdam sic natura factas esse, quasdam vero aliter, essetq; in hoc ratio eorum infirma, non enim iam de totis corporibus eorum disputatio esset si tali hypothesi vterentur. Sed facilè rursus sic redarguuntur: Quomodo enim possunt corporum eiusdem substantiæ duæ contrariæ naturæ ab eadem substantia subsistere? eademque substantia in naturas duas diuidi? vt hæc pars sit semper mala, altera vero semper bona; & vt se recipere non possint, secum pugnent, à se intereant, in vsu atque exercitatione se interimant, cum alioqui substantia nunquam secum pugnet, seque tollat: si talia inquirantur, rursus ipsorum quæstio negatoria, & fatua apparebit.

Sin vero non sic sunt corpora, nec alia quidem semper sunt in virtute temperantiæ, alia vero semper in pigritia, sed metus est de temperantibus, ne quando propter negligentiam temperare pigrentur: Multa enim iam corpora ob virtutem temperantiæ clara, capta sunt, & ea æstus libidinis absorbuit: sed rursus spes est de impudicis, & libidinosis corporibus: siquidem multa iam quæ in pigritia & ignauia fuerunt, tantos progressus in continentia fecerunt, vt neque signa veteris incontinentiæ retineant: & ab omni ruga, & macula vetere propter reditum ad meliorem vitam liberata sint. Cum igitur ait Euangelium, quod publicani & meretrices præcedunt vos in regnum cœlorum; & cum Paulus: fide Rhaab meretrix non periit cum incredulis, cuius substantiæ vel naturæ erant corporis? si enim bonæ, quomodo fuerunt pigra? si malæ, quomodo temperata? si vero ad pigritia ab temperantiam translata sunt; & aliquando quidem fuerunt pigra, quandoque vero temperata, & potuerunt pigrari, & potuerunt temperare, id est quod testantur mutationes. Soluta est natura. Ostensa est electio, & non est corpus substantia malum: quin potius electioni deseruiens, & minister electionis, & non naturæ, idq; futurum, quod electio dederit, vt fit.

scil. corp⁹ virtutis, aut corpus vitijs,

Cum enim mens disciplinis susceptis, amore disciplinarum teneri cœpit, tunc corpus à motibus, qui illiciunt, & prouocant solutum & expeditum, tranquillitatem magni facit, & quia actionibus deseruiat, non repugnat: cum vero desidia, & mollicies animum illicit, & tanquam dissolutio, & mollitia mentis existit, tunc perturbatio corpori adscribitur; & nihil aliud inter vtrumque intermedium cernitur: estque verum quod
Ier. 21. 8. Eccles. 15. 18. scriptum est, ecce posui coram te mortem, & vitam: elige quod vis: vt quod iustum est, qui elegerit ad vtendũ, de eo ratio in iudicio ab eo reposcatur; & non coactus ad aliquid, excuset vim & necessitatẽ in eo, quod egit; neque sic natus, extra querelam, & culpam sit, quia naturæ repugnare non potuit. Cumque vtrumque in potestate habeat, & ad eligendum Dominus sit, iudicij proprij rationem reddat, & se defendat: quod enim elegit, volens elegit. Idcirco de voluntario iudicium subit, qui voluntate sua se ad actionem rerum applicauit. Si hæc non ita sunt, frustra Sancti coronabuntur; frustra mali cruciabuntur, si actionis causa non adscribitur facientibus.

Quid igitur Manichæos mouit ad inferendum corporibus accusationes, & vituperationes? quos tum quæ scripta sunt, tum quæ à priscis dicta, abundè accusant: temperantia enim, quæ in actione posita est, testimo-
Rom. 12. 1. nium tribuit corpori temperanti. Scriptura autem, quæ clamat: exhibete corpora vestra hostiam viuentem, Deo placentem; satis argumentum concludit: non enim Deus, quod non est suum, approbat, & amplectitur; neque quod ab alio fictum & simulatum est, requirit, ne qui alios de violentia accusat, ipse violentus existat; & A ne quid desideret, quasi ipse facere non possit. Si enim vult, id quod honoratum est, vt corpora sint in virtute temperantiæ, quomodo non fecit, quod volebat? Sin vero fecit quidem non ipse, sed sic sunt natura facta, vt essent mala, quomodo naturam commutauit, vt non amplius haberent naturam propriam, nec essent mala, sed essent honesta? Si autem potest natura verti, ac mutari, quomodo est natura, quæ variatur? quod enim variationes, & mutationes capit, nondum finibus, terminisq; naturæ continetur: mutatur autem corpus, & variatur: & quod fuit in pigritia & ignauia, temperat: & clamant præcepta: non fornicaberis: clamant: non adulterabis; & præcipiendo tollunt facultatem faciendi; & quod perfici poterat, hortando cohibent, & adiungendo rationem ad iudicium, vt mens in virtutem propensa, corpus etiam ad virtutem attrahat. B

Sane quidem corpora Sanctorum tantùm in virtute *4. Reg. 13.*
progressa sunt, vt honorata fuerint, & non facta vacua ab operatione, & vi diuina Mortuum iacebat corpus Elisæi, & cum iaceret mortuum, suscitauit mortuum: expulit mortem, liberauit ab obitu, reuocauit ad viuos vita defunctum, excitauit à mortuis, corpus à Deo factum. Quod si Manichæi contra hoc furentes, etiam scripturam accusant, neque legem honorant, deterreat eos simile exemplũ, faciat vmbra Petri, vt ipsos pudeat: vmbra enim erat corporis, quæ cum corpora ægrotorum *Act. 5.*
inumbrabat, eorum morbos depellebat.

Cum tales ergò sint nostræ rationes demonstratiuæ, & talis sit actio istæ demonstratiua, quomodo nõ sint absurdi, qui quæ aptari, & colligari non possunt, verbis aptare, & colligare student: aiunt enim Manichæi, Corpus C Satanæ gestauimus, anima verò Dei est, ac corpus quidem sic natura factũ est, malũ ex malo; anima verò natura facta est bona, ex bono originem trahens. Sunt igitur duo principia, & duæ substantiæ, & duo principia sunt causæ, altera quidem corporis mali, altera verò animæ bonæ. Bona igitur est anima, & corpus malum. & quomodo corpus quidẽ temperans est, anima verò sæpe pigra? quomodo vtrumq; non manat in ordine suo? sed contra potius quod erat diaboli fit Dei; & quod Dei, diaboli: & dissoluta est vulgata inimicitia; & facta amicitia, & fœdus, Deo animã dimittente, vt inseruiat diabolo; & contra diabolo corpus vt inseruiat Deo. Inseruit enim Deo, cum est temperans. Hoc autem Dei est: sicut rursus inseruit anima diabolo, cum non credit, & loquitur blasphema.

Quomodo igitur non merito moueat prudentibus ri-D sum & cachinnos tam absurdũm, & ridiculum ipsorum dogma, quod introducere studuerunt? Quod autem ea vis animorum, quæ posita est in ratione, capta est vitio intemperantiæ, potuit autem rursus, & potest intẽperanciam illã, qua tenebatur deserere; satis probat illa de filio adolescentiore apud patrem ignauia: reliquit patrẽ, profectus est ad voluptates, commoratus est in luxuria. tãdem rediit ad se, reuertitur ad patrem: dimittit turpitudinem. Procedit supplex ad preces; cõsequitur veniã: *Luc. 15.*
præcepta enim magni precij, quæ didicit, obiecit, quib. statum, quem peccatum parit, deleuit; & celebritatem lætam rationi consentaneã, & diuinã pro fletu reddidit.

Nescio an Apostolum criminantur, & in Apostolis E numerant propter noua. Si noua laudant, quid aiunt de eo propter vetera? Non enim priora cum posterioribus conueniunt. Lupus erat Paulus, & repertus est pastor: mactabat; & hodie scutum: & tanquam propugnator sanguinem gregis fundere voluit; ad extremum periculis se obijcit, & sanguinem suum profundere studuit: non enim recens natus, & cum dolore ex vtero editus, vsque ad tempus sepulturæ in eodem statu perseuerauit; sed potius varijs mutationibus ac conuersionibus vsus est. Faustum quidem finem nactus, vitę vero institutione superiori contraria vsus, non erubescit, neque tacet vetera. Laudem vitæ nouæ putauit esse, quod ex tanta peruersitate egressus, ad tantum culmen

virtutis reuersus est, & clamat: propter hoc Christus venit in mundum, vt peccatores saluos faceret, quorum primus ego sum. Sed ideo misericordiam consecutus sum, vt in me primo ostenderet Christus Iesus omnem patientiam ad informationem illorum, qui credituri sunt illi in vitam æternam. (1. Tim. 1.)

Cum autem chorum Apostolorum contemplabimur, intelligemus ex peccatoribus, & profanis hominibus fuisse collectum, qui multa olim peccauerant, & non sunt amplius errore lapsi: in quibus duo fuerunt lapsos fuisse, & non iam lapsos esse. Quod si mala natura præditi fuissent, semper peccassent, rursus, si bona natura, nunquam peccassent: si verò in multis lapsi, & cum multa peccata commisissent, eò euaserunt, vt non peccarent: & ad vitam ab erroribus liberam deuenerunt, constat naturam animæ liberi arbitrij ac voluntatis esse, non ad aliquid natura factum, sed electione mutationes capere, quocumque vult, se vertere & redire, quò reditum eligit; & interdum sic degere, interdum sic, vt vult, faciens voluntatem suam normam suarum rerum: norma enim actionis est voluntas facientis. Si autem quæ oderant, dilexerunt, & quæ dilexerant, oderunt, & non fuit sententia fixa in studio, sed instar volucris leuiter se transfert, quo desiderat, vbi est natura? oportet enim naturam quæ semper odit, semper odio habere, quod odit; & quæ semper amat, semper amare quod amauit, & non iam amare, quæ odio habuit; neque quæ amauit, odio habere: vbi autẽ sententiæ mutantur, & tot mutationes capiunt amicitiæ, quod aliud res est quàm certamen?

Habebatur aliquando Iesus odio à Paulo, & magnoperè amatus est ab eo, qui oderat: amabatur latrocinium à latrone, & odio erat virtus & tantam mutationem mens cepit, vt quod valdè oderat, magnopere amaret: hoc enim proprium est eius, qui studio virtutis tenetur, amare quidem quod odio prosecutus fuerat; & odio habere, quod prosecutus amore. Quio immò adolescentes voluptates adamarunt, & honesta odio habuerunt. Hodie cernimus eos esse in scientia & cognitione, idcirco nec agnoscuntur; idcirco secum certauerunt, idcirco nec imaginem veterem sumunt, at homines sunt, & ijdem sunt: non desierunt esse homines: manente alioqui substantia, non maneat mores. Substantiæ non sunt solutæ, mores sublati sunt: vniuscuiusque substantia existit hominis substantia; sed non iam hominem agnosco. erat libidinosus, & factus est pudicus. Latro erat, & vitam benigni & benefici imitatus est: non figuram personæ deleuit; permanent lineamenta aspectus; non abstulit aspectum naturæ.

Cum hominem video, agnosco, qualis est: cùm verò mores contemplor, admiror, non amplius agnosco: morum translatio admirationem attulit. Substantiæ quidem non sunt mutatæ, corpus enim in substantia corporis perseuerat, non aliud factum: nec enim corpus in incorporeum translatum est: nec anima alia extitit secundum substantiam. Quin potius manentibus substantijs, non permanserunt studia.

Quid igitur dicemus? si manentibus substantijs non permanserunt studia, non insunt in substantia studia. Si enim in substantia inessent, simul cum substantijs permanerent, & non mutarentur. Quod si substantiæ in natura sua perseuerauerunt, non autem perseuerauerunt studia, sed potius oculus, qui olim voluptate capiebatur, temperantiam pro claustro habuit; lingua, quæ olim prompta, & præceps fuit, & consilia præcurrens, iam fræno rationis obtemperat & confitetur, & quæ errore carent, loquitur; corpus verò paulò ante erat in motu, quiescebat, erat contractum, & postea temperatè viuit: sequitur, naturam oculi non esse appetitum, neque linguæ naturam petulantiam, neque corporis naturam pigritiam, & ignauiam. Quod si oportet in naturalibus persistere, & non hæc tacere, oculi erat videre, non quomodo videret, & linguæ. Item loqui, non quomodo loqueretur, qualitas enim motuum posita est in electione. Simplex autem, & non periculosa rerum motio membris attribuitur. Periculo igitur vacat simplex motus: incerta verò est mutatio: ac iudicium quidem & disciplina præceptionum, cum tanquam duces oculis præeunt, rectus & diuinus est aspectus vsque ad ea, quæ aspectu digna sunt porrectus. Cũ vero negligentia dominatur, turpes, & fucatæ sunt res. Sic etiam corpus, sic omne membrum actionem honorat; actionem imitatur: bonum est, quod formatum est, potest enim deseruire virtuti. Sanctæ sunt leges, curant enim vt diligentiam adhibeat, quod formatum est. Misce cum formatione legem, & videbis quod formatum est, similitudinem eius, qui formauit, habere, imitabiturque eum: sin verò formatus es, sed lineamenta formationis non reddis formato, ferè accusas, & calumniaris auctorem, & cum videris contumeliosus esse in id quod factum est, contumeliam infers ei, qui fecit.

Quandoquidem vero aliqua est animæ substantia, & non est soluta, neque soluetur substantia eius, sæpe autem soluti, & sublati sunt mores, quid quod solui potest, tanquam solui non possit, substantiale esse confiteris? Sunt sæpe numero animæ captæ quidem imprudentia, postea verò prudentiam amplexæ sunt. Et rursus sæpe prudentia illustres, quandoque in imprudentiam ceciderunt. Sæpe audiuit, homo cum in honore esset, non intellexit, comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis: (Psal. 48.) clamauit etiam Paulus: stulta mundi elegit Deus, vt sapientes confunderet: (1. Cor. 1.) igitur qui erant in stultitia, ad prudentiam deuenerunt; & qui erant in prudentia, ad stultitiam; & segnicies quidem mentem cepit ægritudine prudentiæ captam, disciplina vero mentem insipientem recuperauit, & eiecta ægritudine imprudentię, propriam valetudinem reddidit. Vitia ergo & virtutes mutationes ceperunt: cõparari possunt, & amitti: habes, & nõ habes; inuenisti & amisisti: habes, quod inuenisti, non habes quod amisisti: inter eos, qui inueniunt, & perdiderũt, numeraris: aliud est quod inuenitur & amittitur; hoc enim est virtus & vitiũ. Qui verò inuenit, & perdit, is est, qui virtuti & vitio operam dat: & vitium quidem nihil: propriè enim nihil est: non enim potest per se esse vitium, actionem verò mollitie affectionis consistentem, & voluntatis studio consultæ intereuntem sume scilicet ex iis, quæ addiscuntur, & ex motibus considera quæ foris sunt, contemplare, quæ intus; perspice cogitationes: cum sentis turbidum motum, & tumultum quendam, cum voluptas titillat, cùm iam sic in periculo verfaris, præsentia & præsidio paruæ disciplinæ tranquillitatem, & multam constantiam in anima vides, idque fit in eodem, neque multo interuallo temporis, quin potius sæpenumero temporis.

At sæpe cum anima aliquid turpe appetit, & statim se cohibet, & sedationem perturbationis sibi affert, ac continuo quæ ad temperantiam pertinent, legit, cum hoc, inquam, fit, quomodo non est admirandum? quomodo non est dicendum nihil esse, proprium animæ? sed potius proprium ab anima fieri id, ad quod se vult applicare, nullamque turpitudinem per se esse, quin immo tunc videri esse; cum cogitatione fingitur. Non sunt igitur turpia per se, sed cum mens ad ea deflexit, & facta est propensa, tunc consistunt: vnde scholis indiguit anima, à quibus acumen, & splendorem caperet. Ex quo fit, vt sæpe secum loquatur seipsam excitans; aut ab alio excitata audit, Benedic anima mea Domino, & omnia quæ intra me sunt, nomini sancto eius: (Psal. 102.) &, Lauda anima mea Dominum: (Psal. 145.) aut enim rationibus excitata, & commota fortior facta est; aut alterius monita perfectum statum ei tribuunt. Sæpius verò se ad turpitudinem incitat & hortatur, & quæ sunt absurda, sibi concedit, & clamat: anima habes bona posita in multos annos, comede, bibe, lætare. (Luc. 12.)

Si animæ, quæ sibi suggerunt inhonesta, aliæ essent,

ac

ac per se essent, aliæ vero, quæ honesta, & temperata; di- ci posset esse duo genera animarum, & rursus eos, qui hoc dicerent rideremus; esset que valdè pudendum opinionem Manichæorum: quod insanum in duo genera diuidunt, qui & sibi repugnantia loquuntur, & non tenent cum honore opinionis suæ absurdæ consensionem. Quod si eædem sunt animæ, & anima, quæ paulo ante turpia sibi suadebat, suadebit sibi aliquando honesta, & quæ paulò ante ad honestatem se excitabat, quandoque se in turpitudinem proiiciet: & quæ aliquando honesta amplexa est, honore prosecuta, aliquando illa deseruit, ipsa mutatione conuincetur liberæ voluntatis esse.

2. Tim. 4. Erat Demas cum Paolo, cum consuetudinem eius & familiaritatem magnifaciebat. Captus est cupiditate diabolica: reliquit consuetudinem Apostoli, & factus fugitiuus, ad gloriam sæculi properat; Demas, inquit, me reliquit, diligens hoc sæculum, & profectus est Thessalonicam: sequebatur aliquando Giezi Elisæum, & ad inseruiendum ei se attemperabat, & ostensa opportunitate habendi pecunias, dimisit diuina, & acceptis nummis, neutem suam vendidit, & pecunias addidit. Iudas è numero Apostolorum erat, expellebat aliquando febres, militauit contra dæmones, vnos orat ex nis, qui ætebant, Domine ecce dæmonia subiiciuntur nobis, & qui dæmonos verberaoit, paulo post hamo cupiditatis captus est: atque hi quidem tales fuerunt participatione liberæ voluntatis ad res turpes traducti.

Quid de Petro & Thome dicitur? erat aliquando piscator Petrus, & malus erat, non enim erat expers peccati, homo siquidem erat: reliquit sagenas, & pisces, & relictis omnibus sequebatur, vt solum Iesum haberet: & relictis primis, non desiderio suo frustratus, reperit, quod quæsiit, & quousque progressus est, vt audiret: Tu es Simon filius Ionæ; tu vocaberis Cephas: Matt. 16. quo nomine significat Petrum, vt audiret: tibi dabo claues regni cælorum; vt testimonium ei tribueretur, caro & sanguis non reuelauit tibi, sed pater meus, qui est in cælis. Postea lapsus est in verbo petulanti; & cum ad increpandum processisset, nec ab increpatione fugeret, audiuit: vade post me satana, scandalum mihi es, quia non sapis, quæ Dei sunt, sed quæ hominum: paolo ante claues acceperat, & pater in eo loquebatur, Petrus pro Simone appellatus. Sed pro remuneratione increpationem elegit: verumtamen facta est lapso medicina, & factus est melior, facta est increpatio Domini remedium, & mens curationem amplexa est, & magnos, ac diuinus erat Petrus: & qui lapsum curauerat, nihil damni in eo, quod prius dictum est, fecerat: vt autem Dominus traditus est, & ducebatur ad atrium Pontificis, prodidit se, timori succubuit, ille fortis Petrus tremefactus est: qui claues acceperat, periculo fuit, ne extra ianuam veritatis verum diceret: periculom fuit, ne sic verè faceret anathema, cum mortuus est: extorsit mentem, qui plena erat; ab vna puella victus est: ancillam metuit, non potuit seruæ resistere: cecidit formidine consternatus, ille in Deum pius, ille Deo charus ille qui illa insignia nouit; qui Dominum vidit: cum hæc dico, non vt eum accusem, dico: confidit enim me hæc dicere, vt veritas calumniam non subeat; pro defensione veritatis loquor: seruum veritatis adhibeo, ne mendacium vincat: ministrum veritatis pro luco. vt qui volunt Manichæi naturas esse in culpa, & in naturæ ratiooem insaniunt, Petros à me prodoctus naturam demonstret: demonstrant enim multæ eius mutationes ea, quæ libera voluntas effecit: & euanescet ortus tumor, siquidem libera voluntas præmia iudicii conficit: electione enim (id est, ratione & volontate) viuimus: electioni reseruamus officia.

Illa dicit, quæ confessus est à Deo reuelata, tu es Christus filius Dei viui.

Idcirco formido, ne in negligentia simus, si quid laboramos: vt cum non videmus moniti esse, derepente propter negligentiam in interitum cadamus. Propter

B C D

nos dicit: castigo corpus meum, & in seruitutem redigo, ne cum aliis prædicauerim, ipse reprobus efficiar: 1. Cor. 9. rationem de reprobo metuo, agnosco quod est in electione lubricum, & præceps: diligentia & accuratione proclíuitatem præmunio. Sepio facultatem liberæ voluntatis labore meditationis. Atque hæc quidem Petros, & loquitur, & scribit, & gaudet, quod & peccata ipsius, & virtutes sint explanatio dogmatum. Ob hanc causam Sanctorum prodita sunt. Quid enim eis deleret, si eorum peccata tacita fuissent? Quis illa scripsit? an mali non accusauerunt bonos? an boni peccata bonorum non narrauerunt? alii vero sua, Paulus sua, Ioannes Petri peccata, deinde Thomæ, & alius aliorum. Si enim mali accusassent, reprehenderemus odium, & de inuidentia atque liuore quereremur, quod ista dixerunt, qui oderant. Sin vero ipsi sua, aut boni bonorum lapsus prodiderunt, quin potius Spiritus sanctus, qui in Sanctis locutus est, & ipso Dominus delicta seruorum suorum exposuit, & non silentio dissimulauit? causam quærimus: non enim ea dixerunt, vt criminarentur, criminationem enim acceperunt, & repudiarunt; sed si illorom peccata tacita fuissent, fuisse natura à peccatis alienos, suspicio esset. Pro veritate igitur commemorata sunt: narratio peccatorum veritatem docet & explanat.

O rem communem mirabilem! Scripta sunt Sanctorum peccata, vt sciatur veritas: quod ex similibus nati, & similiter orti, studio virtutis excelluerunt, qui non natura vicerunt, sed virtute claruerunt: quod si apud Petrum & alios Apostolos non natura, sed libera voluntas virtutem dedoit; apud quosnam naturam peccati expertem inuenire possumus? si apud Apostolos non potuimus? vbi indagare poterimus? frustra & vanè quæ non sunt, curiosè inquirimus: en, Petrum interrogo; en Thomam excutio, non loquor vetera: non commemoro Dauid, tametsi debebam, vt à quibus optant ignorantes, inde accusationes ferant; vt de quibus libenter disserunt, ab illis redarguantur: quia enim Euangeliis studuerunt, ex euangeliis protulimus, vnde conuincantur. Idcirco enim legem sine lege loquuntur, μὴ φιλολογοῦντες: idcirco scientiam Euangeliorum non tenent, qui initium Euangeliorum non susceperunt, initium Euangelii Iesu Christi, sicut scriptum est in Esaia Propheta in principium disciplinarum repudiauerunt facto principio telarum, quæ in malitia ab ipsis texuntur.

Qui beneficium suum in enima recondit, hic sit ingrediatur, & intus, sic dicunt conuentus fiunt in ea, & celebritates, quæ Sanctos decent, & chori, qui sermono exprimi non possunt, & lætitia, quæ silentio honoratur. Statim enim iste mentem erigit, atque animam reddit aligeram & sublimem ad meliora efficit. Sane quidem, si quis illum videret, non iam seipsum aspiceret, sed pulchritudinem, quam contemplatetur, obstupesceret: cætera omnia fœda doceret. Propter illius decorem clamat, vanitas vanitatum, & omnia vanitas: omnia existimo stercora, vt Christum lucrifaciam. Si vero hic pulset, & mens cunctetur, ac somno se dedat, sicque ipse tarditatis causa emittit vocem apert mihi soror mea, sponsa, quoniam caput meum impletum est rore: & cincinni mei guttis noctis, hæc dicit, vt amicitiam declaret, & curam prouidam significet, & quod ratio exclusa tolerat: & cum fortis est, sustinet, & non recedit, donec continua petitione, & pulsu seipsam meus aperiat, præbens pulsanti.

Hoc dicit, quia negant Manichæi vetus testamentum, quod est nostri fundamentum.

E

Circumeunt autem præstigiatores, & pseudoprophetæ, ac pseudochristi, partim pulsantes, partim fodientes: ac pulsu quidem molliore vtentes, & verum pulsum imitantes, vt similitudine pulsus fortasse mens decepta, tanquam domestico, & noto aperiat. qui non recusant parietes labefactare, immò student perfodere vt per fallaciam, aut per vim mentes capiant & vero alios quidem vi, alios præstigiis fraudulentis fefellerunt

Quamobrem sapientes & honesti custodes clauium scientiam cum vigilantia miscent, vt quia vigilant, non perfodiantur parietes, quia sapientes sunt, non fallantur. Sapientia enim non præbet locum præstigiis, neque vigilantia perfodientibus; quocirca honesti, & honestæ qui sumus, mentes nostras claue custodiamus, scientia quidem fraudem vincentes, vigilia vero nos ipsi à direptione seruantes,

DIDYMI ALEXANDRINI
LIBER CONTRA MANICHÆOS.

FRANCISCO TVRRIANO SOCIETATIS IESV INTERPRETE,

S.Hieronymus lib. de viris Illustribus,



IDYMVS Alexandrinus captus à parua ætate oculis, & ob id elementorum quoque ignarus, tantum miraculum sui omnibus præbuit, vt Dialecticam quoque & Geometriam, quæ vel maximè visu indiget, vsque ad perfectum didicerit. Is plura opera & nobilia conscripsit: Commentarios in Psalmos omnes: Commentarios in Euangelium Matthæi & Ioannis, & de dogmatibus, & contra Arianos libros duos, & de Spiritu sancto librum vnum, quem ego in Latinum verti: In Esaiam tomos decem & octo; in Osee ad me scribens, Commentariorum libros tres, & in Zachariam, meo rogatu, libros quinque: Commentarios in Iob, et infinita alia, quæ digerere proprij iudicij est. Inter quæ infinita, à Sancto Hieronymo silentio præterita, numerandus est etiam liber iste aduersus Manichæos.

DIDYMI ALEXANDRINI
LIBER CONTRA MANICHÆOS.



VLLA opositio contrariorum fit ex A toto, quin sint in eis antiqua cōtrariorum communia. Verbigratia, album quod est contrarium nigro, & nigrum in iis tantum, quibus differunt, contraria sunt, cum habeant alioqui communem colorem, & qualitatem: nihil enim eorum, quæ talia sunt, priorem oppositionem, quam communitatem habet: omnia enim post illa, quæ habent prima communia, oppositionem sortiuntur: in communibus autem non est contrarietas: oportet enim colorem es- B se, & qualitatem esse, vt sit album, similiter in nigro: ad eundem modum virtus & vitium prius conueniunt in communi ratione qualitatis & affectionis, quàm sint contraria. Si igitur duo principia ingenita sunt, & hæc sunt contraria: vel ex toto sunt contraria; vel sunt aliqua eorum communia: at nihil ex toto recipit contrarietatem, habent igitur hæc communia, esse scilicet & substantias esse: & si quid aliud in eis commune reperitur: contraria vero ea facit esse alterum bonum, alterum malum: esse item alterum lumen, alterum tenebras. Prius autem cogitatur esse ea substantias, quam cogitentur esse bonum & malum. Contrarietas igitur non est circa communia, sed circa propria: positum autem est esse ea ingenita, nihil autem est ante ingenitum: at est ante hæc contraria aliquid, id scilicet, quod dixi esse in eis commune: ergo non sunt principia ingenita; quia hæc ingenita sunt contraria: quod autem inest eis commune, ante ipsa contraria est, non sunt igitur ingenita principia, quia ante ingenitum nihil est.

Sin vero dixerint, non esse contraria ratione ingeniti, reperietur igitur commune eorum hoc. Sed rursus quia malum ingenitè est malum: & bonum ingenitè bonum, reperietur ingenitum malum commune amborum: & ingenitum bonum commune item amborum. Si enim bonum sine ingenito non potest reperiri. commune autem est ingenitum: commune rursus erit, quod necessario sequitur ingenitum: hoc autem est bo-

num: si vero dicant non esse commune eorum, esse ingenitum : nam quatenus alterutrum est ingenitum, non est alterum ingenitum ; erit igitur ingenitum vel bonum, vel malum, non autem bonum & malum. Quare si reperietur bonum ingenitum, malum erit genitum.

Aliter. Omne malum est puniendum, nihil, quod puniendum est, est incorruptibile, nullum igitur malum est incorruptibile, quin sit incorruptibiliter corruptibile: nihil corruptibile est ingenitum, est autem malum corruptibile. malum igitur non est ingenitum. Nullum est malum secundum substantiam, malum autem esse, est affectum esse qualitate malitiæ scilicet. at affectum esse qualitate non est substantia, malum igitur non est substantia. Omnia contraria se vicissim interimunt quæ ingenita sunt, non intereunt, non sunt igitur contraria. contraria enim non sunt ab interitu libera. Nihil ingenitum est mutabile. mutatur autem hoc bonum à malo superatum, bonum igitur hoc non est ingenitum. Quod est ingenitum non expetit vllius interitum, malum autem expetit interitum: malum igitur non est ingenitum. Scripturæ diuinæ non solum malos, sed etiam ipsum diabolum dicunt afficiendum esse supplicio. quod autem supplicio afficiendum est, id omne mutabile est: nihil autem mutabile ingenitum est : nullum igitur ex malis ingenitum est.

Eorum, quæ ex toto sunt contraria, nihil est commune: qua omnino necesse est, vt quod vni inest, alteri non insit, inest autem bono esse ingenitum, malo igitur neutrum horum inest: quare malum non est ingenitum. quicumq; rectè aliquid expetit, si rectè expetit, expetito potitur. expetit autem Deus malitiam delere, igitur malitia deleri potest. quod si deleri potest, delebitur: deleta autem non est ingenita. Si malum est ingenitum, natura ei inest esse malum: at nemo operans secundum naturam peccat, igitur malum ingenitum non peccat: quod autem non peccat, non est in culpa, & reus, reus autem, & in culpa est satanas, satanas igitur non est ingenitus.

Diuina scriptura homines vocat suarum actionum, & studiorum filios, fœtus, vt iracundos, aut alio peccato obstrictos, ita vt propter peccatum obnoxij sint iræ supplicij de eis sumendi. & filios iræ nominat. Paulus itaque de se, & de similib. Sanctis ait: eramus natura

Ephes. 2. filii iræ, sicut & cæteri homines, qui hucusque in peccatis fuerunt. illud autem quod appositum est, natura non secundum naturam significat, sed verè. Eramus enim, inquit natura filii iræ, vt declaret, verè esse obnoxios iræ eos, qui peccant. Sicut ergo filius iræ efficimur, qui admittit peccatum, sic qui ab eo se ad virtutem transtulit, filius veritatis, ac virtutis. Sic dictum est quibus-

Matt. 12. dam à Saluatore, iustificata est sapientia à filiis eius, filios sapientiæ appellat sapientes. etenim quia, qui sunt filii alicuius, ad eo qui generauit habent, vt sint: habebant autem qui qualitate affecti sunt, à qualitate ipsa, vt tales sint, quales sunt. idcirco rectè & conuenienter filii qualitatis nominantur. Sicut enim sapientes quosdam Dominos filios sapientiæ appellauit, sic alios filios pacis nominauit, cum dixit discipulis, si ingressi fueritis in ciuitatem vel domum, & ibi fuerit filius pacis, pax vestra, data scilicet ciuitati, vel domui, requiescet super filium pacis, qui ibi erit. Rursus idem Saluator, prudentiores, inquit, sunt filii huius seculi, quam filii lucis in generatione sua: filios lucis vocat illuminatos cognitione veritatis, & operibus virtutis,

Luc. 10. quibus dicit tanquam luminibus, quia facti sunt filii lu-

Luc: 6. cis, vos estis lux mundi. eos autem, qui dilexerunt hanc vitam, & ad eam quæcumque faciunt, referunt, filios sæculi huius nominauit.

Sed licet dixerit prudentiores esse hos filii lucis, non simpliciter dixit esse prudentiores, sed in generatione sua, id est, in rebus ad hoc sæculum accommodatis, prudentiores sunt filiis lucis, sunt enim sapientes ad male faciendum, vt autem benè agerent, intelligere noluerunt, & de Iuda scriptum est, quod esset filius perditionis. Sic enim Dominus de eo dixit: nemo ex discipulis meis periit, nisi filius perditionis. Filium perditionis vocauit, quia fecit, quæ digna interitu erant, non enim dum erat vnus ex Apostolis, & vna cum illis ministrabat Saluatori, talis erat, sed cum factus est proditor filij Dei, & Magistri, amans argentum perditionis, Et quia non erat natura malus, pariter cum aliis discipulis omnibus audiuit: ecce ego mitto vos tanquam oues in medio luporum. si lupos dicit eos qui peccant, oues vero eos, qui virtuti operam nauant. Iudas autem natura malus erat, non erat ouis Christi, quia non est aptus ad vacandum virtuti, qui natura malus est. Immo nec ipse diabolus, secundum naturam malus est; sed ex mutatione liberæ voluntatis.

Sicut igitur non solum prauarum actionum & studiorum, sed honestorum filii vocantur, qui ea, vt diximus, exercerent, sicut dicebantur fœtus qualitatum, qui ab eis accipiunt, vt tales sint quales sunt, quod quidem ab ipsa qualitate proficiscitur, sit caro peccati, & corpus peccati non simpliciter dicitur, sed quia homo seruit peccato, homo enim corpore, & carne ad libidinem, & alias huiusmodi operationes abutens, corpus suum corpus peccati facit, & carnẽ carnem peccati. Sicut rursus studiosus & honestus per temperantiam, & virtutem, quæ inde sequitur, corpus suum & animam sanctificat. Virgo itaque sancta efficitur corpore & Spiritu, qui est anima, sicut Paulus scribit, cum ait oportere virginem esse à rebus vitæ huius expeditam & liberam, vt sit sancta corpore & spiritu. Immo etiam in Epistola ad Corinthios scribit : Glorificate Deum in corpore vestro. Si autem glorificatur Deus in corpore hominum, & Deus non glorificetur in malo, & non est igitur corpus natura malum quamuis malum esse faciat peccator, cum ipso vtitur peccando. 1. Cor 6.

Et paulo post eosdem rursus alloquitur, inquiens, an nescitis, quod corpora vestra templum sint Spiritus 1. Cor 3. sancti, quem à Deo habetis? si quis templum Dei violauerit, disperdet eum Deus. Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos. Et in Epist. ad Thess. scribit idem Apostolus: Deus pacis sanctificet vos per omnia, vt integer Spiritus vester, & anima, & corpus sine querela in aduentu Domini nostri Iesu Christi seruetur. Quomodo autem potest quis per omnia sanctificari, & corpus suum habere integrum, cum corpus non sit aptum vt sanctificetur, si malum est. Si enim natura malum est, non potest recipere sanctificationem. Si vero recipit, liquet non esse natura malum, cum bonitatem recipiat. quod enim natura malum est, non potest capere bonum: sicut rursus, quod natura bonum, non potest capere malum. In altera Epistola scribit idem apostolus ad quosdam : Emundemus nosmetipsos ab omni inquinamento carnis & spiritus perficientes sanctificationem in timore Dei. Hac voce *emundemus* declarauit, esse carnem aptam natam, vt repurgetur à contaminationis, quæ ex peccato ad eam accedunt. similiter spiritu & anima. Quod si caro secundum substantiam esset malum, & Spiritus secundum substantiam esset bonus, neque Spiritus inquinaretur: neque ab inquinatione mundaretur. Præcipit autem vtrumque ab inquinatione mundare, exprimens etiam modum mundationis. perficientes etiam inquit, sanctificationem in timore Dei. Illud vero etiam rectè, quod ait in timore Dei, vt doceat, habere homines à se, vt obediant, non autem ex necessitate. 2. Cor 7.

Quod si perficientes sanctificationem in timore Dei carnem nostram & spiritum ab inquinatione mundamus, perspicuum est fieri hoc accessione sanctitatis. sicut enim ab ignorantia & iniustitia anima repurgatur, cum scientia & iniustitia adest, fuga enim vitii aditum virtutis efficit, sic adueniente sanctificatione, caro & Spiritus ab inquinamento mundantur. Spiritus autem

Act. 7. in his animam significat. Sicut in Actis etiam apostolorum Stephanus & lapidabatur & erat prope moriens, preces Deo adhibens. Domine Iesu, inquit, accipe spiritum meum, nihil aliud hic dixit spiritum suum quàm animam suam. Si igitur caro & corpus quandoque peccati, aliquando sanctificationis dicitur, & ad glorificandum Deum adhibetur, nihil horum natura malum vel bonum est, sed potius vtrumque libera voluntatis potestate recipere potest. & vsus eius, qui carnem & animam habet, facit, vti nunc sit caro peccati, nunc caro sanctificationis,

Quod si ita putant, qui non intelligunt quod scriptum est, vnde proferunt, esse carnem peccati, nos tamen idipsum integre recitantes, sententiam perspicuam reddemus. Sic enim habet: Deus filium suum mittens *Rom. 8.* in similitudine carnis peccati, de peccato peccatum damnauit in carne: huiusmodi est, quod dicit: caro omnium hominum ex coniunctione viri & fœminæ exit, excepta carne primi parentis, & ea quam Christus assumpsit. non enim aliter corpus hominis fit, nisi corpora maris & fœminæ misceantur. Igitur quia Saluator ex sola virgine corpus assumpsit, quod non duxit principium ex coitu, idcirco carnem Domini similitudinem carnis, quæ ex coitu existit, vocauit, non enim simpliciter dixit, habere eam similitudinem carnis, sed similitudinem carnis peccati. similitudo autem carnis peccati caro est, hoc solum ei ex aliis carnibus defuit, quod exiit sine viri semine. oportebat enim vt qui ad salutem hominum veniebat, non acciperet corpus ex coniunctione viri; neque rursus extra successionem hominum, sicut primus homo, ne corpus eius alterius generis esse putaretur. Etenim si ipse etiam ex terra formatus fuisset, sicut fuit princeps generis humani, suspicionem cepissent, qui apparitionem per fictionem introducunt, non gestasse se & veritate corpus hominis. Rursus, si corpus ex coniunctione suscepisset nulla differentia, existimatus vtique esset obnoxius esse illi peccato, cui per successionem erant omnes ex Adam profecti & orti.

Si vero dixerint, si caro peccati est, quæ ex coniunctione viri & feminæ nata est, malæ sunt nuptiæ: audiant isti, quod ante aduentum Saluatoris qui abstulit peccatum mundi, si omnes homines, sicut, alia cum peccato agebant, sic etiam nuptias cum peccato habebant. Vnde similiter de corporibus ex connubio natus intelligendum est, quia post peccatum facta fuit coniunctio Adæ cum Eua, idcirco dicta est caro peccati. Qui enim erat ante peccatum immortalis, factus est per peccatum mortalis, atque ita successione mortalitatem habet. Similitudinem igitur huius carnis habebat Christus, tametsi caro eius non vidit corruptionem. veruntamen per aduentum Christi, sicut ab aliis rebus ablatum est peccatum, sic etiam à nuptiis, itaque nunc qui secundum Euangelium viuunt, habere possunt honorabiles nuptias, & torum immaculatum, sicut Paulus scribit fidelibus, honorabiles nuptiæ, & torus immaculatus, fornicatores autem & adulteros iudicabit Deus, distinguens enim nuptias honoratas, & eos, qui eis vtuntur: scortatoribus & adulteris, non scortationem, nec adulterium vult esse nuptias: ex quo fit, vt neque peccatum sit coniugium.

Alia cum peccato agebant, id est, nondum peccato per Christum redemptio, vel ablato: similiter nuptias cum peccato habebant. Etsi etiam homines ante Christum & agere, & nuptias sine peccato habere poterant, & iusti ipsa quoque habebant, sed beneficio Christi venturi.

Aliter etiam dici potest magis physicè, Diuina quædam res est virginitas, & tanquam in virtutibus existit, si quis igitur nuptias cum virginitate conferens, ipsas dicat peccatum esse, non absolutè sunt peccatum malum enim non comparatione boni malum est, siquidem per se tale est. si quando igitur aliquid malum dicatur cum bono collatum, ipsum etiam sic collatum, minus bonum fuerit infra bonum antelatum. Qui igitur ad Euangelium accedunt, ad id imprimis, ac precipuè accedunt, vt Deum colant, & secundum Deum sapientes euadant, hos sequitur oppugnari ab aliquibus: siquidem oportet firmè Christianam religionem suscipere.

Comparatur autem firmitas exercitatione contra tentationes suscepta. vnde necesse est eos subire certamina. & sicut qui præmia in certaminibus proponunt, si quod ratio postulat, curant, non fortuito hunc pugilem cum illo committunt & conferunt, sed proportione virium cuiusque valdè diligenter animaduersa, & considerata: sic nostri certaminis & præmii iudex, non omnes cum eisdem aduersarijs copulat, sed potius pro ætate & viribus cuiusque aduersarium exhibet. *[illegible]*

Corinthiis igitur, cum essent pueri, scribit Paulus, *1. Cor. 10.* adhuc teneri eos passionibus carnis. tentatio, inquit vos non apprehendit, nisi humana; horum enim tentationes *Ephes. 6.* & certamina ad res humanas referuntur. de se autem, & de similibus, & æqualibus, & æque robustis scribit, non est nobis colluctatio aduersus sanguinem & carnem, sed aduersus Principes, & potestates, & rectores mundi tenebrarum harum: quæ perinde sunt, ac si diceret vobis, qui altius ascendistis. non est pugna aduersus carnem & sanguinem, id est, aduersus humana, sed aduersus superiores ordines aduersariorum. hi autem sunt species rationalium prauorum, qui voluntate tales euaserunt.

Nemo vero existimet, cum diximus species rationalium prauorum, substantiam prauam nos dicere. Sunt enim species & genera etiam eorum, quæ voluntate fiunt: dicimus igitur esse species honesti iustum, temperantiam, prudentem, fortem. quia enim virtus, quæ genus est, in species distribuitur iustitiá, temperantiam, & reliquas: necesse est, qui genus participat, id est, honestus, genus sit eorum qui participant species virtutum. Similiter cum scientia genus sit Grammaticæ Musicæ, & aliarum, quæ nominantur à genere scientiæ, necesse est scientem, genus esse, quod species, quæ à scientia nominantur, continet. Cum igitur species prauorum rationalium dicimus, omnes, qui sub has species referuntur, voluntate prauos esse dicimus: ita fit, vt nomina praua, quæ diximus, non substantias declarent, sed voluntates, Diaboli enim nomen non substantiam, sed voluntatem declarat. Ac Iudam quidem cum homo aliquis esset, diabolum Dominus nominauit non propter substantiam, sed propter voluntatem, cum numerans Iudam in discipulis, dixit eis, nonne duodecim vos elegi, & vnus ex vobis diabolus est? Et subiungit Euangelista, hoc autem dixit de Iuda, qui eum proditurus erat. Si enim propter futuram proditionem diabolus vocatus est, non iam tunc diabolus erat, quando cum omnibus electus est, electus enim cum omnibus est propter virtutem, quæ tunc in eo erat. tunc autem appellatus est diabolus, quando quæ ad proditionem spectabant, operabatur. Si ergo in Iuda nomen diaboli actionem ex voluntate declarat, similiter etsi de alio quopiam dicatur, aliquid voluntatis significat, nouit autem consuetudo vsum nominis huius.

Diabolos itaque vocamus eos, qui accusant, hi illos & illi hos: vnde quia diabolus Deum accusat apud homines, & homines apud Deum, & homines apud eos ipsos inter se, hoc nomen sortitus est. quod si nomen Satanæ etiam de ipso diabolo dicitur, sciant, hoc ipsum nomen aliquid etiam voluntatis declarare. vox enim Hebraica Satanas nihil aliud significat, quam ἀντικείμενον Græce, id est, aduersarium, aduersarius autem si de homine accipiatur, idem est, quod inimicus nocens. Sicut igitur inimicus voluntate est inimicus: sic etiam aduersarius, sicut etiam horum contraria. amicus enim, & beneuolus & concors & idem sentiens, nomina sunt, quæ voluntatem declarant: dicitur enim hic amicus & beneuolus, sicut dicitur diabolus, & satanas & malus. Sicut Saluator in Euangelio præter alia, hoc etiam docuit discipulos precari, & ne nos inducas in tentationem, sed libera nos à malo. etenim & nomen mali voluntatem declarat.

Si igitur

in nis ind... sunt. Sicut ad substantiā pertinent ea, in quibus substātia est, sic ad voluntatem ea, in quibus voluntas.

Si igitur in omnibus nominibus, quibus significantur A princeps malorum, & primus, qui à virture defecit, voluntate talis est, non potest secundum substantiam esse malus: quod si dixeriat, cum esset substantia, ac natura malus, voluntate etiam habuisse illa ipsa, quibus sic nominatus est; Sciant isti, quod in iis, quæ ad substantiam pertinent, non assumitur volnntas: nullus enim dicit, volunrate esse animal, aut lapidem. hæc enim *ἰνόδ...* sunt, id est, ad substantiam pertinentia. quare nibil hic voluntatis est. in illis enim sunt ea, quæ ad voluntatem spectant, in quibus est volnntas.

Sed fortasse dicent, cur eum, qui futurus erat perniciosus, & pestifer bonus Deus produxit? sciant qui hoc dicunt, non solum nobis repugnare, sed omnibus, qui B prouidentiam Dei ponunt. Multi enim alij, qui prouidentiam ponnnt, omnes animantes rationis participes ex Deo esse dicunt, in quibus vitium oritur. Si igitur hæc de diabolo dicunt, de omnibus etiam ratione præditis coguntur hoc dicere. Nos tamen, qui istos non sequimur, dicimus, non esse auctorem vitij, qui eum fecit, qui potest sua propensione, ac nutu ad vitium venire. Animal enim rationis particeps fecit Deus, quod volebat, vt voluntate sua bonum esset, libera alioqui potestare præditum, possetque in vtramque partem flecti. volebat enim vt homo esset bonus, eligendo sponte bonum: nemo enim inuitns potest esse bonus, quin potius omnes boni volentes sunt boni. quare oportebat, vt qui voluntate sua futurus esset bonus, potestatem haberet, qua idoneus & aptus esset ad capiendum, qnod bonum & honestum esset. Consentaneum C vero erat, vt quod bonum capere poterat, posset item malnm. Sic fabricato rationis participe, vt ad capiendam virtutem & vitium vim insitam haberet, datum est mandatum, vt virtutem haberet actú. vitium vero non actu, sed sola aptitudine. Lex enim creatoris hortatur, & roborat atque adiuuat ad virtutem, dehortans naturam à vitio.

ἀμαρτία. Quamuis igitur insit potestas in corpore rationis ad capiendum vitium, non propter potestatem est malus iste: vtrorumque enim, virtutis scilicet & vitij, sunt potestates, & electiones. eligimns enim habere potestatem virtutis, vt eam actu capere possimus, eligimus etiam habere potestatem vitij, tunc enim habemus eam, cum actu virtutem habemus, neque nostra solum est hæc opinio, sed omnium, qui rectè de animalibus ratione præditis philosophati sunt. licet igitur substantiam, D quæ diabolus nominatur, Deus fecit. non tamen fecit, vt esset diabolus, sed vt virtutem suscipere posset, vt eam haberet, & vitium item suscipere, vt ab eo abstineret. Etenim quia non potest virtus cum vitio simul arripi, est autem amica Deo virtus, vtriusque potestatem

ἀσυνάρτ... immisit vtentitatione, vt potestatem quidem virtutis ad suscipiendum actum illius participaremus; potestatem vero vitij ad abstinendum à fine potestatis, qui est actns. Quare omnis particeps rationis factus est, vt esset probus, & non paruns.

Si quis igitur ratione vtentium, via auctori, & gubernatori contraria ingressus est, non est culpa fabricatoris & legislatoris, sed eorum, qui contra leges sancitas, & earum prouidentiam vires intenderunt, videmus hæc semper in nobis ipsis accidere. quæ enim filios E docemus, cum volumus eos secundum disciplinam instruere, vt disciplina vtantur, non sic tamen vtuntur, vt instituti à nobis sunt: immo contingit aliquando, vt multi filij à patribus in arte medicinæ eruditi, non vt oportet, arte vtantur, sed potius pro salubribus, quæ morbos indncunt, ægrotis adhibeant; non est tunc accusanda medicina, nec est in culpa, qui eam docuit, non enim sic is docuit, vt sic iste faceret. facit enim non vt didicit.

... Rursus leges quosdam docemus, vt iustitiam defendant, & iniustitiam repellant. Sed tamen vitiose aliqui ex ijs, qui ad studium legum accesserunt, contra, atque A didicerunt, faciunt, neque tamen continuo leges aut legislatorem criminantur: si enim leges & legislatores iniustitiæ rei essent, non punirent iniustos, siquidem hæc est legis, & legislatoris voluntas, ac sententia, puniendum esse iniustum, & Deus punit Satanam, & eos, qui leges à Deo latas, transierunt. quibusdam enim prauis dicit, mitte in ignem æternum, qui præparatus est diabolo, & angelis eius. Sciant igitur qui contra hæc dicnnt, dicere eos secum pugnantia. Si enim secundum substantiam diabolus malus erat, & à bono Deo alienus, & par viribus esse poterat, neque præparasset ei Deus supplicium; neque mittere eum in supplicinm potuisset. dicit tamen præparatum esse ignem diabolo. *Matt. 25.*

B Hoc etiam dicendum est, si bonus Deus immutabilis est, vt quidem est, & easdem vires semper habet, & non aliud alius potest, & alius aliter. futurum autem erat, vt post multam noxam, multamq; cladem eum igni sempiterno traderet, quare non hoc à principio fecit. cum se in Deum extulit, & partem eius occupauit? iustiores enim tunc pœnas in eum decreuisset, vt pote in eum, qui in maiorem peccasset. Nunc enim hominibus nocet; tunc autem istorum opinione ipsi diuinitati nocuisset, sicut ipsi sentiunt; lex autem & indignatio iustior est contra eos, qui in regem audent, quàm qui in aliquos, qui regi obediunt. Si enim sic ipsis de his sentiendum est, aut dicturi sunt ignorare tunc Deum quomodo vlturus esset, & malum impediturus; aut non potuisse: at neutrum horum bono Deo tribuendum C est, non igitur inimicus Dei ingenitè, contra eum se extulit, sed potius factus alioqui vt esset bonus, potestatem virtutis capiendæ imperfectam & mancam seruauit: potestatem vero vitij suscipiendi ad actum perduxit; vnde puniendus fuit & merito post supplicio affectus est.

Si vero illud obiecerint, quod à Ioanne Baptista dictum est, serpentes genimina viperarum, quis ostendit vobis fugere à ventura ira? facite ergo fructus dignos pœnitentiæ, & nolite dicere in vobis ipsis, patrem habemus Abraham potens enim est ex lapidib. istis suscitare filios Abrahæ: iam securis posita est ad radicem arborum. omnis arbor quæ non facit fructum bonum, exciditur, & in ignem mittitur: audiant isti, non posse eos Ioannem Baptistam obijcere, qui fuit veteris testamenti, quod non recipiunt. nihilominus tamen hæc D contra istos dicendum est, per totum contextum negare Ioannem esse natura bonos, aut natura malos, ait enim illis, facite igitur fructum dignum pœnitentiæ. Pœnitentia autem & fructus eius non cadit in malum secundum substantiam, nec in bonum natura. Quomodo enim qui semper bonus est, pœnitentia indigeat, aut quomodo natura malus bono pœnitentiæ vtetur? Qui enim secundum substantiam malus est, non potest à peccato dimoueri, nec vtilis esse in pœnitentia, tum etiam ex lapidibus ostensis dicit excitandos esse filios Abrahæ; lapides vocat obstinatos, & adhuc in peccato permanentes, si namque eos pœnituerit, & Deo crediderint, erunt filij Abrahæ, qui ideo homo Dei appellatus est qui in Deum credidit, ita vt fides ei reputata sit ad iustitiam. *Luc 3.* *Homo Dei, ia nostro exemplari amicus Dei legitur.*

E Quia vero illud etiam ab istis dici audiuimus contra eos, qui ex Abraham, & aliis sanctis viris generati sunt, quod dictum est, serpentes genimina viperarum, Abraham & Abrameos significare, intelligant isti dicere se, quæ cum consequentia capitis pugnant: arguit enim eos, quod non essent filij Abraham, sed potius genimina viperarum, dissimulata, & frustra se ex Abraham ortos gloriarentur, ait enim illis Saluator in alio capite: Abraham non fecit, quem vos patrem vestrum dicitis mentientes. Si enim filij Abrahæ essetis, faceretis vtique opera Abrahæ: sed vos ex patre vestro estis diabolo, & desideria patris vestri vultis facere. ille homicida erat ab initio, & in veritate non stetit. benè habet. *Ioan. 8.*

quod dixit, non stetit, quod quidem declarat, stetisse A ipsum prius in veritate. patrem autem eorum vocauit diabolum, propter similitudinem mu ationis & qualitatis. Quare non Abraham & sanctos cum eo viperas appellauit. vt enim filij viperarum essent, ex mutatione habuerunt, quia malis magistris vsi sunt volentes, sicut diximus.

Ait igitur illis Ioannes, quandoquidem auersi à virtute, serpentes fieri voluistis, (non enim natura tales erant) definite esse foetus viperarum, quarum qualitatem habere voluistis, quandoquidem praui ex prauis, & iniqui ex iniquis studuistis esse, sed quia dicitis ferre vos signum poenitentiæ eo quod ad baptismum venitis, hoc autem simulatè facitis, idcirco dico vobis, quis B ostendit vobis fugere à ventura ira? Quem enim peccasse poenitet, ideo poenitet, vt non amplius peccando ab ira in peccantes futura fugiat, rogat autē inquiens, quis vobis ostendit? vt si perinde, ac si diceret; qui legitimè ostenderit se à vitio recedere, non simulabit fieri hoc, vos autem hoc facitis simulatè, cum ad baptismum venitis: non igitur mundamini. Qui enim vult verè mundari, à peccatis desistit, & huiusmodi poenitentiæ fructum affert, faciens opera habitus peccato contrarij, hoc vos non fecistis, qui vos condemnastis, cum diceretis, habere vos patrem Abraham, sed hoc non iuuabit, putare habere vos patrem Abraham, sed esse eius filios fide, & fuga idolorum. Quamobrem tametsi aliquando filij Abrahæ fuistis, non hoc vos saluos faciet. eos namque qui tunc non sunt filij Abrahæ, potest C Deus filios eius facere. Quare saluus euadit, qui est filius secundum virtutem, non qui secundum carnem. Quod si fuerit secundum carnem filius Abrahæ, ne glorietur, & se iactet; potest enim quod huiusmodi est excidere, & transferri. Sanè quidem, & qui non potuerunt hoc nancisci, vt filij scil. Abrahæ essent secundum

1. Cor. 4. carnem, potuerunt nihilominus esse filij Abrahæ. Etenim Paulus quos non generauit carne, dicit in Christo; per Euangelium ego vos genui Verum cum hæc auditis, ne contemnatis, qu a ira in eos, qui peccant retardetur, iam enim in eo ipso, quod peccat nequam, præsens habet supplicium, quo afficiēdus est. Quamobrem scitote iam securim radicibus arborum propinquare radices vocat non eas, quas videmus, sed homines qualitate vitij affectos. Radix enim harum arborum est pessimus habitus, ex quo fructus non idoneus ad vescendum, sed venenatus, & pestifer nascitur. ipsum igitur vocauit fructum non bonum. Itaque quamuis securis supplicium significat, arbor vero hominem peccantem, non sunt hæ naturæ pugnantes: proponuntur enim minæ supplicij ad mutandum arbores. Qui enim minatur delinquentibus, per minas ipsas mutare vult. Quare si per communionem securis, qua sunt arbores putres exscendende, suadet ipsis, ne malum fructum ferant, sed bonum, non est natura mala arbor, neque natura malum supplicium.

Sed forrasse dicent, Si vltio mutat malos, bonum est vltionem esse; si autem bona est animaduersio & supplicium, contraria autem supplicio est promissio, & contraria non possunt simul esse bona, promissio igitur mala est, at promittit Deus hanc: non est igitur mala. quod si promissio non est mala, sed bona, supplicium est malum. quod si malum est supplicium, non Deus, sed Satanas illud infligit. infligit autem non suis, sunt enim & ipsi mali, & necesse est ipsum etiam Satanam subire supplicium. restat igitur, vt bono & non malo infligat: at fieri hoc non potest: non igitur Satanas illud infligit, sed Deus. Omne autem, quod Deo infligitur, vtiliter infligitur, cum sit bonum, vel efficiens bonum, vel prohibens malum. Deus igitur volens prohibere malum, supplicium constituit: non autem aggrederetur prohibere malum, nisi malum prohiberi posset. hoc vero prohibitum, non potest esse natura, & ingenitum. lapsi vero etiam in hoc sunt incruditi, qui animaduersionem contrariam esse promissioni putauerunt. Vtraque est enim remuneratio; promissio quidem remuneratio bonorum, quæ mercedem illis affert, animaduersio vero malorum, quæ mercedem soluit ijs, qui voluntate diuinas leges violauerunt.

HENRICVS CANISIVS AD LECTOREM.

Excuso hoc Didymi contra Manichæos opusculo, incidimus in primum Tomum Apparatus sacri R. P. Antonij Posseuini, Societatis Iesu Theologi, in quo illud ipsum Didymi opusculum typis descriptum inuenimus. Quod te nescire nolui, Lector, vt non mihi, sed R. P. Posseuino; (qui versionem Didymi calamo exaratam ad nos miserat) tanquam primo editori gratias persoluas.

TITI BOSTRENSIS, EPISCOPI

LIBRI TRES.

Vnà cum argumento libri quarti aduersus Manichæos.

FRANCISCO TVRRIANO SOCIETATIS IESV INTERPRETE.

S. HIERONYMVS CATOLOG. SCRIP. ECCLESIAST.



ITVS Bostrenus Episcopus sub Iuliano & Ioniano Principibus, fortes aduersum Manichæos scripsit libros, & nonnulla alia. Moritur autem sub Valente. Hæc S. Hieronymus. Scripsit etiam Commentarios in Euangelium S. Lucæ, qui Græcè extant in Bauarica Bibliotheca. Latinè vertit & publicauit Theodorus Peltanus Societat. Iesu Theologus. Plura de Tito Baronius Tomo IV. Annalium, anno Christi 362. num. 153. & anno 363. num. 142.

Trithem. de script. Eccles. Titus Episcopus Bostrenus, vir in diuinis scripturis eruditissimus, & in sæcularibus litteris egregiè doctus, ingenio acer & vhemens, multa fertur cudisse opuscula, quibus memoriam sui nominis cum gloria transmisit ad posteros. De quorum numero subiecta feruntur. Contra Manichæos lib. 2. Commentariorum Euangelij lib. 1. Et alia complura. Claruit anno Domini 340. Et sub Valente Imper. mortuus est. Hæc Trithemius, qui errat, cum ait duos tantum libros contra Manichæos scripsisse. Constat enim fuisse quatuor: quartus autem in nostro apographo desideratur; argumentum tamen illius superest.

TITI EPISCOPI BOSTRENSIS ADVERSVS MANICHÆOS,

Argumenta quatuor librorum.

ARGVMENTVM LIBRI PRIMI.

Argumenta hæc ex Græco versa sūt.

PRIMVS liber continet confutationem præcipuorum capitum, quæ sunt penitus aliena, & cum communibus notionibus natura insitis, & anticipatis pugnantia.

ARGVMENTVM SECVNDI LIBRI.

SECVNDVS liber docet, & explanat non peccare hominem ex quodam malo æterno, & sine principio, ac Deo contrario, quod quidem non est, & nullum esse malum secundum substantiam in iis, quæ sunt; nec vllam inæqualitatem in nostris rebus, ac vanè & valde impiè gubernationem vniuersi improbari, & reprehendi. Denique omnem de prouidentia disputationem summatim complectitur, docetque minime necesse esse suspicari, ex rebus vllum esse secundum principium Deo contrarium.

ARGVMENTVM TERTII LIBRI.

TERTIVS liber pro lege, & prophetis disputat, quippe cum totum vetus testamentum à Deo datum sit: & nihil eorum, quæ in eo facta, aut dicta sunt, probabilem accusationem eius, qui fecit, & dixit, habeat: sintque omnia cum nouo testamento consentientia, vt nec ex hac parte necesse sit cogitare aliquod secundum principium Deo contrarium.

ARGVMENTVM QVARTI LIBRI.

QVARTVS liber nouum testamentum ab illorum Blasphemia in Deum defendit: vt qui nullam prorsus communionem cum eo habeant: & frustra, ac vanè quasdam partes eius ad constituendam suam impietatem per vim trahant: quodque id, quod diabolicè subijciunt, nihil eos iuuat ad ea stabilienda, quæ contra Deum dicunt.

Iste liber quartus non comparet in nostro apographo.

TITI EPISCOPI BOSTRENSIS CONTRA MANICHÆOS,

LIBER PRIMVS.



QVIBVS studium est, causas eorũ, quæ homines peccant, à Deo remouere, aiunt, sanctum, & verum esse Deum: huc spectant tales, & hoc eis propositum est tueri. Cum enim non negant, procurare Deum res nostras, rectè, ac vere hominibus peccata eorum assignant. alio qui patum quid sanare qui voluerunt, in grauiorẽ & difficiliorem impietatis ægritudinem inciderunt; Dei prouidentiã, quæ in vniuersitate rerum cernitur, negantes. Manichæus vero, qui à barbarie & furore nomen ducit, nocentiore adhuc contra impietatẽ remedio abusus est; [illegible] cum enim demonstrare voluisset, non esse Deum auctorem mali, malum ei opposuit ingenitum, vt au, ingenito, viuum, viuo, semper obsistens ac repugnans, & nunquã non negotium & molestias inferens, quodque ab eo funditus extingui & interire nequeat, vtpote æterna, & completa substantia, tanquam ingenita: sic fugiens fumum, vt est in prouerbio, in ignem incidit. Etenim ne videatur Deus, vt Manichæus existimat, nostrorum malorum esse in causa, ex toto quodam, & integro malo apud se fructum fingit percipere. Quid enim, si res tractat Deus, vt Manichæus ait, toleranter & sapienter? at nunquam opinione huius, bello & pugna carebit; quo quid potest de Deo quod minus eum deceat, cogitari?

Quod pium quidem sit apud homines, totis viribus confiteri Deum non esse iniuriarum, & maleficiorum auctorem, prima doctrina Ecclesiæ Catholicæ studuit profiteri. Cum autem quærimus, quomodo nos peccamus nolente Deo, vt peccemus? de grauioribus nos Deum accusamus, cum à leuioribus eum, sicut ille, defendere volumus.

Sed qui viam veritatis ex sanctis scripturis & ex communibus notionibus cognitam habemus, pergamus firmè ad talem quæstionem, piam argumentationem pro Deo concludentes, nos ipsos studio veritatis accusando: non enim vt verbo accusationem eorum, quæ in nos inter nos peccamus, declinemus, decebat in Deum impios esse, poscentes ab eo, quæ sunt contumeliosiora omnibus, & quæ nequaquam sunt.

Præterea qui existimamus peccata apud homines sanabilia esse, vtpote quę non à principio quodam contra eos affluant, sed alio modo à nobis fiant, quem disputatio suo tempore explanabit, non solum non sumus in Deum impij non audentes coniecturam facere non posse Deum propter difficultatem resistere vitio, quod ei non inest, sed quæ à nobis vitiose aguntur, nitimur in eis cessare, cum iis, qui aduertunt, demonstrauius, quæ à nobis principium ducunt, vt fiant, per nos etiam, ne fiant, finem assequi, tametsi non apud omnes, non enim hoc generale in singulis est, sed in singulis eorum, qui studium adhibuerunt, iudicium tamen vniuersi est. posse esse in singulis, verumtamen qui barbarè cum impietatem excogitauit, fingens malum sine principio, contra Deum verè principio carentem, ac solum, & hoc secundum principium insanè constituens, non solum malum collocat in ordine æquali Deo, tamquam hoc honorare velit, quod scilicet odit, sed mala, quæ ex malo, quod principio caret, insanabilia penitus esse, cum necessario affirmat, facit insidiose, vt existiment qui ei credunt, iniustitiam non posse apud homines corrigi, ita vt anticipata voluptate peccatorum, pro conuersione desperatio objiciatur, quasi fieri non possit,

A vt impetus vitij, quod principio caret, coërceatur, præterquam siquis cupiditate gloriæ, quod plus boni, vt isti fingunt, habere videatur, studium adhibeat, vt, quaod fieri potest, non peccet, vt manifestum faciat, non aliundè, quam à se peccatum proficisci. Existimabitur tamen apud ipsos melior esse propter admixtionem naturæ, qui non natura, sed labore, & sudore vsus est, qui quidem putabit se laudari cum alioqui vera laude priuetur. veram enim gloriam ex labore ac studio virtutis proficiscentem relinquens, si quidem pietati erga Deum studebat, necessitatem naturæ rapinam esse falso ducit, qui vtilitatem industriæ ad impietatem in Deum adhibet, vt nec animus ignauiæ & inertiæ deditus, cum malè agit, pungatur, si quidem alteri cuidam principio actiones adscribit: neque qui studio vtitur, laude dignus habeatur, quippè qui in id cogitatione incumbat, quod est

B omnium atrocissimum, institui scilicet ad impietatem aduersus Deum.

Cum vero Manichæi rationem creationis mundi à Deo facti non intelligerent, non solum actiones hominum à ratione auersas excutientes, eo modo, quem diximus, lapsi sunt, sed etiam plurimas creaturas, immo ferè omnia in crimen vocauerunt, quæ nullam tamen vituperationem verè admittunt, mala autem hæc appellauerunt, in aliis quidem mistionem contrariorum boni scilicet & mali, vt loquuntur, mentientes, in aliis vero malum simplex, & vnius formæ reprehendentes, quantum in ipsis fuit, omnia confuderunt, appellantes mala, quæ minimè mala sunt. Si enim iniustitiam, in qua homines sunt, quæ sola est iniustitia accusarent tanquam malum, sic etiam oportebat nomen, & opinionem de ea munire, tamquam quæ esset, dum est actio, aut

C non esset, dum non est actio, non autem oportebat introducere principium ipsum contra Deum: fuisset tamen eorum error affatim circumscriptus, & terminatus; nunc autem cum ferè omnia, quæ fabricata sunt, mala esse dicant, blasphemiam in Deum in infinitum auxerunt, & producunt tanquam certa, & ratione, ac iudicio probata omnes bestias, & feras, non putantes oportere facta esse hæc à bono, non solum eorum opinione inutilia, sed hominibus nocentissima, quamuis demonstrari possint vtiliora, & commodiora esse quam ea, quæ verè hominibus conducere videantur. ac multa quidem alia connectunt ad accusationem rerum, & gubernationis vniuersi.

Dabitur vero opera, vt nihil tam eorum, quæ dicta, quam quæ dicenda sunt, disputatio non ratione conclusum relinquat. fingunt enim cogitatione duarum naturarum contrariarum admistionem, &

D his, vt eis videtur, res omnes distribuunt. vndenam, inquiunt, mala, si hæc non ex aliquo principio sunt? Si quia vero percunctetur, qualia peccata in homines consertis? quæcumque fabricatus est Deus & totam ipsam rerum compositionem ac gubernationem vituperant: vt iam siquis demonstret omnia benè, & necessario facta esse, & fieri, necesse est, excidat eis, & auolet ratio contrarij principij: cum enim ea quæ infra sunt, non intellexissent, quomodo habeant de iis, quę sunt supra, sunt commenti, neque percepissent, quomodo ea quæ videntur, disposita sint, id quod non videtur, calumniati sunt, & cum studere viderentur, vt cognoscerent, quia non cognouerunt, in maiorem ignorantiam inciderunt, etenim veluti in tenebris

quærerent,

quęrerent, quæ de iis, quæ apparent, ignorabant. non solum non inuenerunt, quod quætere videbantur, quin potius majores ignorantiæ tenebras sibi offuderunt. nos vero primo de duobus principiis contrariis, quæ ponunt, differentes ad conclusionem argumentationis de vniuerso veniemus, esse scilicet bona & necessaria omnia, & illa maximè, vt superius dixi, in quæ maximum impetum, & incursum faciunt, quasi omnium concessu mala sint, præterea etiam omnium rerum gubernationem, atque illa, in quibus seueritatem prouidentiæ, qua, quæ magis necessaria sunt, procurantur, improbant: & non solum hæc, sed de iis etiam, quæ apud homines iniustè fiunt, neque propter hæc principium mali contra Deum oportere cogitare. docebimus enim hæc etiam bonitatem Dei, qui nos fecit, declarare; & neque ab hominibus fieri secundum voluntatem Dei, nec ex principio quopiam contrario in nos ferri.

Igitur aggrediamur deinceps ad principium impietatis illorum commentitiæ, inquirentes, vtrum notiones naturales contraria principia rerum admittant, si enim ne consentientia quidem admittunt, multo minus pugnantia. scribens igitur ille ipse furens Manichæus, vbique incipit; *erat Deus, & materia, lumen, & tenebræ, bonum, & malum in omnibus summe contraria*; vt in nulla re alterum cum altero communionem, & societatem haberet, ambo ingenita, & viuentia. igitur aut disiungent se; aut si fuerint, simul amica, & nequaquam contraria esse apparebit. at patet dicere eum seiuncta esse hæc. igitur vtrumque cum altero finitum, & terminatum erit secundum substantiam, & neutrum incircumscriptum, & infinitum. circumscribere autem Deū secundum substantiam, & non nosse, & confiteri infinitum esse, quomodo non est admodum impium? quandoquidem non solum circumscribi, & terminari substantia Dei videbitur, sed à malo, vt ille ait, hoc accipere. Quod quidem extra communes notiones est, quæ menti suggerunt, vt eum vbique esse noscat, & natura incomprehensum.

Præterea etiam, si hæc necessario à se dissident, non solum Deus opinione illius insana naturæ circumscriptæ esse videbitur, sed in priuato loco esse, & residere propè contrarium. quæ enim à se mutuo arcentur, propriis, & priuatis locis circumscribuntur. excutienda igitur sunt hæc, si ambo contraria tanquam ingenita antiquiora locis erant, aliquando rursus prius erant communiter à pugna inter se libera. Sin vero disiunctio substantiæ vtriusque simul ex æternitate fuit, antiquior erat locus substantiæ vtriusque, vel simul cum illis ingenitus. si autem antiquior, vt iam ambo videantur vtriusque loci propagines, non sunt hæc ingenita, nec æterna, quod quidem locis, ex quibus hæc extiterunt, videbitur inesse. Si vero locus est simul cum illis ingenitus, erant plura ingenita, & non iam duo. necesse enim est, vt alia sint illa loca præter hæc, quæ in illis sunt, sine quibus nec esse possunt.

Ad hæc poscendum est ab istis intermedium, & vtrisque interiectum, quod alterius cum altero communitatem arceat, & prohibeat, ne finibus inter se cōmista, rursus rationem, ac naturam cōtrariorum tollant. Quid igitur erit istud, quod ambo illa disterminet, & interseptiat? opus enim habet, apud istos cuiusdam tertij commentum fabulæ. An dicturi sunt nobis, esse murum adamātinum, aut aliud quid delirum. Cuiusnam prouidentia hoc quicquid sit, interseptum esse dicent? quicumque enim contrariorum hoc assignare velint tanquam postea immissum, non reperient exitum in hac causa: neq; se hinc expedient. reuocata enim ascendendo ad antiquius, disputatio rursus deprehendet contraria inter se separata, tanquam nullo modo contraria. Sin vero neutrius prouidentia interseptum, quod declarant, esse dixerint, necessario fatentur introducere se aliquid ingenitum, quod neutrius substantiam par-

A ticipet, vt omnino dirimendo separet hæc: atque ita fiet, vt reperiantur turbam ingenitorum ponere, qui duo ingenita esse dixerunt.

Attamen hoc, quod disterminat, & interseptum est siue murus est, siue terra sine domibus, siue aliud quodlibet. nunquid, alicubi quidem habet basim, alicubi vero culmen? Atqui perspicuum est, infra quidem habere basim. Sed vbi, & quantam? supra vero culmen, sed vbi, & quantum? supra enim & infra nomina fabricationis mundi, ante fabricationem sunt apud istos. atqui oporret etiam interseptum profundius, & altius esse quam ea, quæ disterminantur, ne si quid ex parte inferiori, aut superiori deficiat, aditum contrariis præbeat, vt simul sint Si autem cum vmbra & sole comparent illud, quod interseptum vocant, putabunt quidem nihil habere commune vmbram cum sole; conuincetur tamen, deceptos esse eos turpiter à Manichæo, vmbra enim com-
B munione solis, & præsentia fieri solet mole quadam interposita, quæ communionem, & præsentiam solis ad alteram partem transmittit, nihilque aliud vmbra est, quam iudicium luminis corpore quopiam interiecto impediti, nocte enim, cum non adest lumen, nec pars vmbræ esse potest. vbi igitur vmbra est, ibi lumen, quæ enim vltra vmbram sunt, lumine collucent, præterquam, cum id, quod vmbram facit, multa altitudine superat id, quod illuminat: & malum in lumine habitans lumen esse apparebit, nisi murum maximè ridiculum positum habent. Quomodo enim vmbra esse poterit, lumine materiam ex omni parte collustrante, nisi quid in medio prohibeat, & lumen omnino ab ea excludens vmbram efficiat? in lumine non videbitur posuisse pro muro ridiculo: quod interpositum si non sit, & quam maximè disterminet, perpetua erit communitas malo
C cum lumine.

Rursus, meridianam partem malo tribuentes, somnium fabricæ describunt. vbi enim erat meridies ante meridiem? Locus autem in mundi fabrica alius alio inhonoratior non potest esse. quod enim ad læuam est in occasum aspicienti, ad dexteram rursus est aspicienti in orientem. Verum absurdissimum est hoc barbaricum dogma. duo enim prorsus principia quomodo principia sint, aut appellentur? siquidem principium est, quod omnibus est antiquius, & omnium tenet principatum, & imperium. quorum neutrum in neutro duorum esse potest. esse enim ambo eiusdem temporis, & cognata, rationem eorum inter se principatus, & excellentiæ tolli. immo quæ non solum à principatu potestatis inter se libera sunt, vtpote contraria, sed natura pugnant, quomodo cogitari possunt habere omnino
D principatum? Quod si ratio principatus neutrum horum incolume seruat, quomodo principia vocabuntur?

Quomodo rationes naturales admittent, vt sint duo secundum substantiam contraria, vbi primo quidem, nomen substantiæ commune est vtriusque? primum igitur, quatenus vtrumque substantia est, perspicuum est conuenire inter se, & non esse contraria. deinde ambo sunt animalia; præterea æqualiter ingenita. Quorum autem eadem sunt nomina, & eadem descriptio, horum substantia quomodo contraria, aut pugnans esse po-
E test? siquidem nomina res significant. dicitur enim de vno quoque quod vnumquodque est, vt, esse potest. itaque cognoscimus vim nominum esse res. vtrumque igitur eorum, quæ Manichæus contraria putat, subviuens, & ingenita nominatur, manifestumque est, cum talis error principium ducat à barbaris, esse etiam apud eos sublatam communium notionum consentionem. integra enim atque eadem est vtriusque ex æquo descriptio, quæ non modo omnem contrariorum suspicionem eijcit, sed neque differentiam vllam in iis, quæ nominant, esse permittit.

Aiunt autem Manichæi asseclæ hoc quidem bonum, illud vero malum, qualitates videlicet ante substantiam

intelligentes, nominata enim similiter in vtroque substantia, (sunt enim ambo substantia viuens, & ingenua) supernacanea est, deinceps sunt veluti qualitates contrariæ, etsi enim non decet, nominare in Deo qualitatem, esse tamen prius quodammodo est cogitatione, quam talem esse, substantia autem significatur, cum dicitur substantia viuens, & ingenita; præterquam si dicant propria accidere ambobus contraria, quod est omnium stultissimum. ingenito enim nihil accidit, cui enim non accidat esse, huic neque taliter esse acciderit, quod non est, non accidit.

Supernacanea sunt præterquã &c.

Qualitates igitur contrarias licet in rebus inuenire, substantias vero nequaquam. album enim & nigrum contraria sunt, vtrumque in corpore eadem substantia, sunt autem talia partim contraria inter se, partim non contraria, primum namque subter vnum genus sunt; vtraque enim sunt color. Deinde etsi contraria esse videntur, tamen aspectum varie delectant, neutrum enim illorum immoderatione hunc ostendit. immo etiam virtus, & vitium in anima. atque hæc quidem contraria non solum in eadem substantia, sed in vno genere nominantur. vtrumque enim est habitus, quæ tanquam accidentia insunt in anima, à qua abesse possunt, anima in qua hæc sunt, alias aliter affecta, & disposita, vt liqueat, aliud esse de substantia loqui; aliud de iis, quæ substantiæ accidunt.

Atqui fit aliquando, vt album quidem, & nigrum abesse non possint ab iis, in quibus insunt, nemo tamen ab his vnquam illa, in quibus hæc sunt, nominauit. nullus enim cum voluit significare lac, potius nomine albi abusus est, quam vsus nomine substantiæ impositospeciei, ne pro multa significare videatur, quibus inest albus color. C quin etiam coruum non declaramus nomine nigri, sed nomine auis, & speciei. hæ igitur & huiusmodi qualitates inseparabiles sunt. virtus autem & vitium in anima ex qualitatibus, quæ accidunt, sunt vt magis conueniat. vt minimè videatur substantia, hominis ab his dominari; sed oportere hanc propriè significare. nemo igitur quid est homo, ex vitio, quod alicui inest, significauerit; sed primo speciem substantiæ dixerit, deinde quis sit, adijcit; postea qualitatem in eo dicit.

Quid est homo, id est substãtia hominis.

Qualitates igitur contrariæ, sicut ante dixi, in iis, quæ accidunt. reperiri possunt partim quidem separabiles, partim vero non. in Deo autem omnis qualitas eiecta est, quandoquidem nihil eorum, quæ de eo dicuntur, D aliud est præter ipsum, simplex enim est, & compositionis expers. cogitatione tamen, vt superius dictum est, prius est esse, quam tale esse.

Quamobrem rursus dicimus, si vtraque eorum, quæ Manichæus contraria esse dicit, substantia viuens, & ingenita sunt, non enim negabunt, vel ambo bona vt magis ad id quod benè piéque sonat, propter verè bonum, ipsum contrarium, quod dicit, quod minimè est, trahatur, non enim dicemus, vel contra, si ambo mala: quod enim ingenitum est, omnino bonum est, continuo igitur Deus cum ingenitus sit, nequaquam habet hoc ipsum non ingenitum esse tanquam malum, sed tanquam bonum certè. Quæ igitur sortitio ita eandem rem, & nomen apud Deum quidem pulchram, & bo- E nam esse, contra vero malam apud malum. vt isti aiunt, in generatione quidem inueniri queat differentia, differentia tamen, & non contrarium in eo vero, quod est ingenitum esse, quid potest esse differens, nedum contrarium? Quamobrem omnino fieri non potest, vt ingenitum ingenito contrarium sit. si quid enim sit, nullum eorum debet nec esse, nec appellari contrarium, vt in omnibus rebus nulla sit cum contrario communitas, ac societas.

Scilicet ingenitũ.

Si enim non sit omnino contrarium, quatenus ei communitas cum altero est, non est contrarium. contraria tamen sunt esse, & non esse. *fortasse vero nec hæc cõtraria sunt, non enim pugnant.* quod vero est, non est contrariũ

Sunt enim in Deo simul, qui vocat ea quæ non

A ei, quod est. si autem quomodo est, penitus cum eo, quod est, conuenit, vnum & solum, quod verè est, omnibus, erit principium vt sint.

sunt tanquam ea, quæ sunt, sicut Apostolus ait.

Aiunt præterea etiam ipsi, oportere omnia, quæ sunt Deo contraria, appellare materiam, verbi gratia, si Deũ appellemus lumen, contrarium vocemus tenebras: si bonum, illud malum. Si tamen appellaremus Deum ipsam illam veritatem, patet vocandum esse contrarium mendacium. Quod autem verè est, vt opinati sunt, quomodo erit mendacium? quod enim est, si dicatur non esse, mendacium fuerit. Quod vero verè est, quod facit, vt verum sit esse aliquid, nunquam erit mendacium Si enim dicat esse, verum dicit; si vero non dicat esse, vt non dicat verum, neque dicet non esse, vt mentiatur. quod si dicat non esse, notione mentitur, non est igitur ipsum mendacium, verè enim est.

B Deinde si vocant isti bonum immortalitatem, malum vocabunt interitum, at cuius erit interitus ipse interitus? boni enim non poterit, sin erit sui ipsius interitus multis sæculis à se interiuit, & frustra, ac vanè eum esse, cogitatione fingunt, quomodo autem erit interitus, aliud namque tollit interitus, non seipsum. sin vero seipsum, neque principio subsistere potuit. videbitur enim magis sese ipse interimere, quam esse. interitus enim immortalis non potest secundum communes notiones cogitari. quod autem est ingenitum, necessario est ab interitu liberum, & æternum, vnde & immortale. supra mortale enim est quod ingenitum est. si autem hoc habet materia vt nunquam facta fuerit, quod maius est, quomodo non hoc, quod minus est, non ei inest, nunquam scilicet interitum cepisse? Si autem non capit in- C teritum tanquam æterna, neque sui ipsius est interitus, & non erit substantia ipsius interitus.

Sed qui ex Schola Manichæi profecti sunt, huiusmodi disputationes cum audiunt, vi de, inquiunt, ea ordinis perturbatio quæ in rebus cernitur? at sæpè dictum ast propter ignorantiam diuinæ gubernationis & quomodo res dispositæ sint, falsam & impiam cognitionem sibi comparasse propter inscitiam eorum, quæ scire sibi videbantur, quæ peius, quam si ignorassent, sciuerunt, & quod verius est, amisso, quod quærebant, priusquam quærerent: disputatio vero nostra cum tempus erit, quam putant perturbationem ordinis rerum, bonum ordinem esse à Deo altissimo proficiscentem conficiet & concludet; & quæ ipsi dicunt mala alia quidem in D actione tantum posita, alia vero secundum substantiam, minimè mala esse docebit.

Erat, inquit Manichæus, tempus, cum materia, sine ordine ferebatur; & generabat, & crescebat, ac multas potestates producebat; aucta igitur euehebatur nesciens substantiam boni; postquam vero magis euecta nouit terram, & lumen boni, nitebatur ascendere ad ea, quæ non erant propria, bonus vero potestatem quandam mittit, cui nomen, quod ei visum est, imponit, custodituram scilicet præscripta, re autem vera futuram ipsi materiæ illecebram & inuitamentum ad moderationem eius à voluntate alienam; quod quidem factum est, cum enim vidisset materia potastatem missam quasi adamans, concupiuit quidem eam, sed ardentiore ap- E petitu prehensam absorbuit, & quodammodo tanquam bellua ligata est, vsi autem sunt hoc exemplo, tanquam cautione potestatis missæ sopitam esse. facta igitur est, aiunt, mixtio & temperatio ad hunc modum, absorptaque potestate boni, & materia absorbente sic ex vtraque fabricatum esse vniuersum à bono scilicet. non enim malum prouidit ortum mundi, hinc aiunt alia quidem bona esse, alia vero mala facta mistione illa & duorum coitu per vim contrariam rerum, quæ hic sunt.

τὴν ὕλην.

Decernit autem omnem quidem animam esse ex parte boni; corpus vero & carnem ex parte materiæ: & iam quidem corpus animam tanquam in carcere detinere; iam vero animam detineri tãquam belluam à cantione,

Siẽ

Sic bonus cum materiam decepisset mundi, inquit, factus est fabricator, non quidem quod ipsum fabricari desiderasset, resistit enim ei, sed propter seditionem à malo excitatam, quam corrigere, & moderari cogitauerat, non tamen fieri potuisse, vt venenum mali, quod est in rebus, quas videmus, extraheretur, sequi vero hoc, vt opinati sunt, ex perturbatione ordinis, & ex inæqualitate rerum nostrarum, atque hunc quidem diuitem esse, illum vero pauperem; hunc gloriosum, illum inhonoratum, & inglorium. & quæcumque talia sunt. studium vero boni esse liberare animam à malo, & hanc quodammodo ex materia exhaurire; hoc autem fieri per lunam crescentem, & decrescentem, vt nos videre videmur, re vera, inquit, ipsa in modum hydriæ impleta, ea substantia infusa in bonum cognatum exinanitur, etsi enim non his verbis, hæc tamen vult dicere, quæ multo honestius à nobis dicta sunt. plurimum enim absurdi, & incredibilis est in eius narratione.

Quæcumque igitur alia aniliter, & commentitiè loquitur, & scribæ, sermone Syriaco vtens, quomodo terra sustinetur, non deuitans poëticam fabulam: quomodo imbres fiunt, & sudores esse principium materiæ, hæc, & alia eiusmodi, quæ præter negotium sui certaminis tractat, superuacuum esset ad confutandum proferre. oportet quæ de singulis delirè scribit, quæ omnibus nota sunt, non pati, vt librum infinitis nugis dilatent, quippe cum satis sit confutato capite insaniæ eius, reliqua contemnere. & si non contingeret, vt necessario hæc causa sermonem de prouidentia complecteretur, quo demonstrare oportet, omnia esse benè, ac diuinè ordinata, & ineffabilem Dei sapientiam prædicare, ridiculum esset vel aliqua saltem confutatione, quæ proposita sunt, digna esse putare, quæ quidem extra communes notiones congesta, sponte sua apud eos, qui mentem habent coarguuntur.

Satis autem erat, postquam non minus demonstratum est, nequaquam duo principia esse præsertim contraria, de homine iam & de reliqua fabrica disserere, nihil tamen prohibet, quin consideremus, quomodo proposita incredibilia sunt. Ferebatur inquit, aliquando materia perturbato ordine. Qua ordinis perturbatione? an secum sola? an contra aliquem? omnis enim iniustitia non est sui iniustitia, sed altero indiget, in quẽ fiat. cui igitur non erat communitas cum alio; in quem perturbato ordine ferebatur? aut quæ ratio ipsius perturbationis?

Generabat quidem, primum nequitia progrediens, & crescebat, igitur ingenita generabat, & non erit locus dicendi, æternam aliquid noui moliri. aut enim natura molietur. atque ita nunquam intermisit rerum nouarum molitionem; si modo appellare oportet nouarum rerum molitionem, contra quam negotium à Deo susceptum minimè principium temporis habeat; aut si hoc cogitatione vtens facit, rationem habet, & cognitionem; & euersa est causa nequitiæ ratione carentis. Siue igitur ratiocinatione vtens, siue motu rationis experte seditionem mouit, quæ ratio patitur, vt infinitis sæculis dimissa sit huiusmodi seditionem mouere? ex quo enim dicit cohibitam, & retentam esse, punctum temporis fluxisse reperietur, si cum infinitis sæculis præteritis comparetur. Quod enim incipit, & terminat, finitum est, qui autem sunt ex toto infiniti, æterni sunt, & ingeniti.

Præterea, si ratiocinatione vtens ad seditionem deprauabatur, quomodo non potius aggressio rei, quæ fieri non poterat, interrupta, & rescissa est? tanquam non posset contra sapientiam inuictam incursionem facere? vnde factum est, vt cauerent, ne ei rationem & cognitionem tribuerent, vt locum haberet commentum seditionis contra Deum, & necessario ab ignorantia, & natura non ratiocinante tracta, non expectabit infinita sæcula, dum se armat, & se exercitu sepit, fiat ad audaciam promptior. si enim copiosior fiebat iis, quos generabat, nequaquam tamen appetitum naturæ augebat; neque motus naturalis quicquam appetitus assumebat. neque accidisset ei primum quidem augescere, atque ita seditionem mouere, hoc enim naturæ ratione vtentis est, quæ ex proposito nequiter agit.

Quomodo autem augeri poterat nequitia (id est satanas) accessione sobolis? si enim iis, quos gignebat, ad nequitiam perficitur, imperfecta erat nequitia, & non erat in summo, & fastigio nequitiæ. sin vera erat perfecta, & summa secundum rationem propriam; rursus minimè videbitur augeri nequitia per propagationem generatorum, neque fiet audacior, & præfidentior, cum non sit particeps rationis; nec ad auxilium suum adhibebit quos genuit: alioqui videbitur antequam procrearet, imperfecta fuisse non solum nequitia ad nequitiam, sed ad vires, & robur, quod alienum est ab ingenito.

Explanans autem modum seditionis huius factæ; Qui, inquit, ex ea nati sunt, se mutuo insectati sunt, & deuorauerunt dura, & grauia passi. neq; prius destiterunt in seipsos moueri, quam lumen sero tandem viderent. his enim verbis vtitur. à se enim ipsi exagitati, cum alioqui nescirent, ita tamen ausi sunt vsq; ad lumen accedere. ecquid his incredibilius, & magis commentitium? eos, qui vnam matrem sibi adscribunt, & vendicant, & cognatione naturæ iuncti sunt, in seipsos frustra inuadere, & vicissim membra sua deuorare, & nunquam in hac re cessare? quod quidem si verum erat, præstabat ipsos à se ipsis consumi & inaniter demens Manichæus ἀταξίαν, id est, perturbationem ordinis vocat in eo quod vtile est. huic enim nequitiæ ascribit, & assignat perturbationem ordinis ante mundum, quam sic vocat, tanquam doleat, & se misereat materiæ, quod non prius à se ipsa vtiliter, & cõuenienter consumpta esset: & tanquam quidam amicus huius, mœrens, ac grauiter dolens, quod sibi nocuisset, quæ contra se vtiliter fecit, in ijs perturbationem ordinis vocat, cum deberet potius compositionem ordinis excellentissimam vocare, interire scilicet malum à seipso. ille autem ait, in perturbato ordine erant, & sibi inter se nocebant, viso lumine desinerunt.

Igitur insidiatum est lumen vtilitati, siquidem malos à mutua cæde liberauit, & tanquam medicina medici profuit ægrotis. at non conueniebat bono, vt parceret malo, & sineret permanere incolume, & non sineret à se ipso consumi. si enim ne à se consumeretur hoc prohibuit, illud plane seruauit ipsum. essetque verior ἀταξία, id est, aberratio à bono ordine hoc, quod ait, sublatam esse perturbationem ordinis. sic igitur est in libro, qui apud ipsos fertur, seditione inter ipsos orta, prodierunt vsque ad confinium, & viderunt lumen spectaculum quoddam pulcherrimum, & maximè decorum; tunc commotione sua in insaniam acti consultauerunt de lumine, quid faciendum esset, vt se cum eo, quod præstantius erat, miscerent. hoc autem cogitare non poterant, sed præ cupiditate melioris arbitrati futuram esse propriam prædam, cum multi essent, exercitum instruunt.

Manichæos, quæ sunt omnium pulcherrima, & bellissima, filijs nequitiæ testimonio suo nesciens tribuit. Etenim si quod est pulcherrimum, & maxime omnium decorum, amanter viderunt, & cupiditate incensi propriam prædam esse existimauerunt, liquet rectè sensisse. quare consilium capiunt, qui non sunt rationis participes, quomodo se ipsi cum lumine misceant, & relinquitur, vt inuidia esset, non permittere istis frui bono. non enim erat sermo Manichæi constans. Si enim contra se insaniebant, oportebat quidem dimittere eos, vt à se ipsis interirent. Si desiderio luminis tanquam elegantes tenebantur, honestum etiam erat eis concedere, vt fruerentur. decorum enim, & laudabile omnino est secundum naturam, desiderium boni, quo frui non

potuerant, ficut ait qui dogmata Manichæi scripsit, A cum alioqui desiderarent, potuerant tamen se conficere, & destruere, tale enim penitus est bonum, vt neque consumi possit, neque possint insidias ei ponere, qui eius participes sunt. Quomodo omnes simul in malitiam profecti sunt, qui non cognouerant, quis resisteret, & aduersaretur? sic enim est in libro, vnde ista Manichæi apposuimus, quod neque Deum in lumine habitare sciebant, neque se vnquam impune laturos, si in Dei domicilium inuadere auderent.

Si igitur non cognouerunt contrarium, quod obstabat eis, alienum est prorsus à ratione educere exercitum contra eos, à quibus se repelli nesciebant. par enim erat armari eos, vt aiunt ipsi, igne, & tenebris, si præuidissent se ab alienis arceri. sed quia omnino B ignorabant, non solum est credibile, sed plane sibi repugnans, armaturam, & exercitum describere, cum nullus penitus expectaretur, ad resistendum adfuturus. Non minus contrarium est dicere, cum cupiditatem luminis illos habuisse, tum apparatu bellico vsos esse confiteri. armis enim bellicis omnis hostis contra aduersarium se gerit, & munit, non contra id, quod cupit esse præmium certaminis. si ergo non erat aduersarius, quatenus ipsi ignorabant, quomodo non sunt contraria cupere, & belligerare? quomodo autem illud etiam non est magnopere repugnans, eos, qui in iis, quæ secundum naturam sunt, nunquam concordes fuerunt, inter se ad bellandum conspirasse? simul, inquit, contra lumen consilium ceperunt. Qui enim membris suis inter se vicissim pascebantur, & semper nulla vnquam intermissione facta contra se insaniebant, quomodo in eis, C quæ præter naturam sunt, ad habendam cupiditatem, & ad commotionem iræ contra Deum concordes fuerunt?

Si vero iuuit spectasse lumen, nonne oportebat duci eos à Deo ad perfectam naturæ mutationem adhibita illis curatione, ad fruendum ipso bono, hoc est, Deo perfecte? Quomodo iuuit spectaculum luminis visi profectos ad bellandum cum exercitu? quibus hoc ipsum lumen non permisit contra se ipsos furorem amplius exercere vt quidem exercere oportebat, contra se vero ipsum præter quam oportebat, permisit? Verum in his quidem commentis multum deliramenti est, quæ aliter etiam coouincimus, non posse condonari. nominant enim terram boni (id est Dei) qualem vero terram ante mundi creationem? apud eos scilicet ortum rerum anticipant nomina. prius enim quàm fateantur creasse D Deum mundum, ait absurdissimus Manichæus, esse quod nondum factum erat. terra namque si quidem fuerat, erat: Sin vero non erat facta, erat simul cum Deo ingenita. Quid vero opus erat Deo terra, qua non fuit vsus. Sed hic insipienter terram Dei vocat, antequam factum esse. nec enim ante creationem poterat testimonium dici de terra facta.

Deinde à Deo quidem creatum est lumen in aspectum cadens, ipse autem Deus lumen est intelligibile, non sensibile. vidit igitur, inquit, nequitia lumen summi boni. si lumen, quod in sensum cadit, nondum erat mundus, nec ortus mundi. Quomodo igitur vidit, quod nondum factum erat? cui enim fuisset vsui, nondum homine, qui vteretur, creato? vtilia enim vtenti cognata E sunt, non enim Deo, qui ab omni participatione sensili liber est, vtile erat. Si autem ipsum Deum; quod est lumen intelligibile, omnino vidit similitudine naturæ simile, necesse igitur erat, vt ipsa lumen sensibile vidisset. sensibile autem quorsum fuisset, & in quem vsum ante sensibilia creata? alioqui quomodo tenebræ vident lumen? si enim viderunt lumen, diabolus non erat tenebræ, magnam enim societatem, & coniunctionem habet sensus cum sensibili. naturalis coniectus oculorum propter similitudinem aspectus cum re, quæ videtur statim exprimit figuram eius propter legitimam naturæ communione. corpus enim corpus videt,

simile in simile intendit aciem, neque possunt oculi naturæ inferioris quod natura præstantius & excellentius est, videre, nedum quod naturæ contrariæ est. Si autem, quod est naturæ excellentioris, quippe cum non sit contrarium, præterquam incorporeum, ab inferiore vtpote corporeo omnino non potest videri. [illegible]. sane contrarium à contrario, si modo est, videri non potest, sunt igitur, ista quæ scilicet se vident, cognata & amica, & nequaquam contraria.

Sed plenum est commentum barbara pernicie. ait enim non solum vidit materia, sed decreuit ascendere, tanquam studium quoddam adhibens ad demonstrandum habere se communionem, & societatem cum lumine. fortasse eos, qui ex ipsa nati sunt, pœnituit, quod infinitis sæculis superioribus non fuissent experti lumen? aut quorsum, & in quem vsum volunt tenebræ inuadere lumen? an vt naturam mutent, & efficiantur lumen? an vt nutriantur lumine alimento naturæ contrario? at ignorans voluit ascendere etenim si cognouisset, ratio constaret, cur mutari voluisset. nunc autem cum natura sit nequitia & ignorans, integra euersio totius rei, & causæ est. Non fuge à contrario.

Quod autem magis à ratione auersum est, ait missam fuisse à bono potestatem, non tam lumen sensibile, sed velut diceret, sobolem Dei. hanc cum vidisset materia, concupiuit quidem tanquam amans eam; impetum vero in eam fecit, & absorbuit, & suis potestatibus distribuit. qua via fieri non poterat, vt videret missum ex natura boni, hoc inquit, effectum est, vt absorbere posset missum. vtar enim adhuc amplius eodem verbo, quoniam si vel solum vidit, quod ex substantia Dei propagatum erat, non est nobis opus alio quopiam verbo ad euertendum commentum, vidit enim omnino tanquam similis simile. Quod enim est penitus secundum naturam contrarium, & summe contrarium, nunquam videre poterit contrarium, nec appropinquabit ei, quia si vel solum videat, ratio contrarij prorsus tollitur.

Hoc autem addit cæteris, quæ dixit, absurdius, & secum vehementer pugnans, ne opus sit, vt alius contra eum dicat. amauit enim, inquit, potestatem illam visam tanquam oblita penitus naturæ propriæ, non illa quidem oblita est, quæ non erat, sed hi sunt suorum commentorum immemores. aiunt enim, priusquam hæc seditionem moueret, non habuisse cognitionem boni; ne cognitione boni naturam ab ipso accusatam ornent. Nonne amentia est, putare eam, quæ in se non habet, vnde cognoscat esse bonum, potuisse videre, & postquam vidit, desiderasse? longe enim maius est substantiam aspectu videre quam cognoscere esse. primum non solum nos, sed potestates Angelicæ excellentiores, esse quidem bonum cognoscimus ac cognitione sola ad pietatem in Deum alimur, tanto vero excellentius Angeli, quanto natura sunt excellentiores. videre autem substantiam Dei neque nobis, nec illis licet. siquidem nos quamdiu corpus secundum naturam induti sumus, nec Angelos ipsos videre possumus.

Manifestum enim est, & plane concessum, qui videt, simile sibi videre. si quis vero existimet futile esse quod dicimus, videmus enim solem, lunam, & stellas, præterea apud nos lapides, aurum, argentum, denique mare ipsum, & omnia animalia, ac nullo pacto his similes sumus: aduertat iste, quod etsi eorum quæ enumerauimus, diuersæ species sint, at horum omnium genus supremum corpus est. substantia namque partim inaspectabilis est, vt incorporea; partim aspectabilis, vt corpus. prima igitur partitio omnia hæc tanquam genus separat, & distinguit. Quare corpus, corpus videt; & quatenus corpus, simile & cognatum est videns visō, quamuis sint diuersæ horum species propter varietatem, & ornatum vniuersi.

Ridiculum

Ridiculum enim esset, si quis flos pulcherrimum aspectum habet, & ab auro differt, & quod est floridum differt à viridi, non vterque vocaretur, quod in re est, color: color enim est vterque tametsi diuersus: idem enim aspectus cum vtroque coniunctionem, & societatem habet: sic omnia corpora sunt aspectabilia, licet differentes sint species, esse autem corpora alia aliis præstantiora, nihil prohibet, quin omnia corpora sint spectabilia: ex quo fit, vt non sit quod sub aspectum cadit maximè, & præcipuè adorandum ab eo, qui illud cernit tanquam ab ipso comprehensum.

Si igitur materia vidit, quod ex substantia Dei erat, cognatione magna, & similitudine dicta, ad spectaculum venit: nec amplius opus erat dicere contra hanc fabulam, quæ consistere non potest, si vero etiam desiderauit, quod vidit, de re omnium optima testimoniū illi perhibuit homo stultus, vt videatur nomē quidem nequitiæ imposuisse ei, substantiam vero bonam esse eidē attestatus. Quid enim maius esse poterat ad probandum bonitatem, quam desiderasse bonū? Quod autem dicit apprehendisse, & absorbuisse, vt substantia Dei contraria tanquam semine fieret grauida, & distribuisse suis potestatibus: ô furorem amentis! non solum vidit, sed desiderauit, & non tantum desiderauit, sed absorbuit: & non solum absorbuit, sed etiam retinuit. Hæc omnia perspicuè non contrariam naturam definiunt, sed potius summam, & altissimam cognationem vtriusque concedunt.

Siue enim succensens, quod quidem ratiocinationis indicium est, siue desiderans absorbuit quod vidit, hæc planè ad communitatem naturæ pertineant. Si enim summè contraria fuissent, nequaquam vtraq; coiissent: vt alia omittam, neque hoc barbarus aduertit, quod potestas à Deo missa, siquidem incorporea erat, nullam partitionem recepisset, vt nullo modo posset diuidi secundum substantiam in contrarias potestates, ac multo minus absorberi, quod enim expers corporis est, quonam modo absorbeatur? si vero corporea erat, omne corpus sectum, & in frusta partitum quodammodo perit, & non potest vitam suam viuere: igitur vel incorporea erat potestas à bono missa, & nullo modo absorpta est, nec in multos diuisa est, atque ita ex toto fabula sublata est, vel corporea quædam potestas erat, & à nequitia deleta est, & interitum cepit, quod est ad contumeliam Dei sceleratius, quin potius ad euersionem fabulæ valentius, corpus enim per se diuisum, & dissipatum, ac dispersum, (mens enim non diuiditur) quas vires habet ad subigendam nequitiam, quod tantum detrimentum, & contumeliam in naturam propriam acceperit, vt videatur deletum esse, & interisse? hoc enim corporis diuisi proprium est.

Quod autem amentius est, si cum voluisset Deus terram eripere nequitiæ, ex natura propria emisit illud nudum ad contumeliam, & interitum ipsius substātiæ, tot sæculis sessurū, & habitaturum simul cum nequitia, & particeps eius futurum, ac cum ea pariter peccaturum: quod quidem, vel vnam horam, aut punctum temporis substantiam Dei passam esse, vt nequitiæ subiecta esset, & pariter cū ea deliquisset, omnem amentiam superat. quāto melius erat traditam esse terram, quam substantiam Dei comprehensam esse? si enim non fuisset ferenda incursio in terram, vt materia ordinem perturbaret, quanto minus ferenda erat tanta seruitus, & naturæ diuinæ subiectio, idque non ad breuissimum tempus, sed ad vniuersum, & immensum sæculum? vt neque nequitia peccare desisteret, &, Deus cum ea per potestatem ex se genitam peccaret.

Nequitiam vocat semper satanā. Vnde consequens est, neque Deum voluisse mittere nequitiæ ex substantia sua genitum ad peccandum cum ea, nec illud missum inductum fuisse, & obtemperasse, vt ad tantum malum, & luem proficisceretur, vt impleretur scilicet omni iniquitate, & iniustitia, simul & impietate, idq; pro terrena liberatione terræ non iam tunc

A captæ, sed capiendæ, tanquam non potuisset Deus aliter huic terræ præesse. Vide quam planè infirmum mentiatur Deum Manichæus in Deum furens, tanquam defensor possessionum alicuius pupilli, & cuius infirmitatem necessarium est confiteri, vt partes patroni impleat: vt enim contra defendens nequitiam nequaquam per se consistentem omnia quidem fecisse contra Deum narrat, seditionem, impetum in res eius, postremo, quod est omnium flagitiosissimum, obtinuisse omni sæculo substantiam eius, eamque in infinitas partes diuisisse, præfocare, & in seipsa reprimere, habereque eam sociam in omni praua actione, & intemperantia, Deum autem non potuisse locum suum vllo alio modo neque valenter eripere, neque saltem vacare à peccato quod naturam eius decebat.

B Quæ enim id quod ex ipso secundum substantiam genitum est, pariter cum materia peccat, plane in eum, qui genuit, redondant. Sic demum omnem potentiam in Deum testimonio suo tribuit nequitiæ, Deum vero dicit passum esse omnium durissima, & audet subiungere, quod potestas Dei missa sopiuit materiam tanquam belluam cantione, non solum summe contraria sermone omniprobabilitate carente miscens, & quæ nullo pacto esse possunt secundum naturam, commento suo largiens, sed contra quam vult hic etiam conficiens & concludens: ex vtrisque enim ait hunc Deū vniuersum hoc fabricatum esse. Corpus vero hominis esse quidem nequitiæ, animam vero Dei, siue cum sunt vnius formæ; siue cum iam ex contrariis composita, quorum neutrum, vt paulo post docebimus, consi-

C stere potest, corpus tamen solum, ac per se nihil mali neque cogitat, neque facit, non enim occidit, neque adulteratur, neq; latrocinatur, nec aliam iniuriam facit, cum non adest anima.

Atqui ob hanc causam excogitauit Manichæus hypostasim principii contrarii, & mixtionem contrariorum, vt causa malorum reperiretur. Sed si admixtio animæ, quæ Dei est, cum corpore, quod diaboli, causas & primordia iniuriarum, ac peccatorum hominibus præbuit, per se autem non delinquit corpus, melius erat vt anima à Deo creata non admisceretur nequitiæ non extanti: nullum enim ex peccatis quæ homines committunt, in vita cerneretur, neque penitus esset. Quod enim esset homicidium nemine occiso? Si per mixtionem contrariorum, vt est in hac fabula ridicula, non fuisset factus

D mundus, quod adulterium esset nō extante corpore, neque per se concupiscente, nisi anima, quæ Dei est, missa esset in corpus? alterum enim ex duobus relinquitur, aut dicendum esset gubernatione Dei prouida coiisse cōtraria, vt tanquam à bono Deo fieret mundus, atque ita ipse omnino malorum in hominibus author esset, siquidem volens vsus est nequitia contra eos, qui futuri essent? aut vi coactum esse à nequitia, & tam nequitiam victoriam deuicto Deo reportasse.

Sed dicam iterum, quale homicidium erat, si neque homo erat, neque gladius, nec aliud genus teli aut instrumenti ad occidendum, nisi per cōiunctionem contrariorum ædificatus esset mundus? materia enim per se, ac sola quanquam nati ex ipsa seditionem in seipsos mo-

Materiā vocat diabolū.

E uebant, homicidium quidem ignorabat: non enim habebat mortalem, quem occideret, adulterium nesciebat, quia sponsiones nuptiarum apud eum non versabantur: nec erat calumnia, omnino enim iudicare non poterat, esset cum rationis expers: cupiditas autem diuitiarum, quæ est omnium malorum radix, ne nominabatur quidem? cupiditas enim diuitiarum apud homines est propter vsum, & necessitatem, qua erat liberata materia, ambitio non participabat perturbationem rationis, quia erat in materia vacuitas rationis gulæ, ac ventris vitium, & fornicatio, ac masculorum concubitus apud eum locum non habebat, & vt summatim dicam, omnia mala, quæ apud homines feruntur, ante mundum ædificatum minimè habebat materia.

Itaque non fuit ligata commistione, sed potius contra conuenienter eidem causæ amenti, sicut equus campum nactus, cursu fertur ad iniustitiam malorū hominum, quæ enim erant ante mundi fabricationem mala, ex quo mundus est, in mundo versantur: quamuis enim ponamus, vt ille dicit, natos ex materia fecisse seditionem, & furore in seipsos fuisse percitos, & infinitis malis se vicissim affecisse, & contra lucem exercitum eduxisse, non tamen bibēs ea mala, quæ in homine numerauimus, cum illis fuisse cogitatione fingetur, quia, non poterant humana mala agi priusquā homo esset, & vbi esse potest, qui dicat, quod ligata nequitia frænata est, quæ neque malorum humanorum meminerat; postquam vero ligata est his accusatur.

Quid autem nocebat bono sola secum ordinem perturbans, & non habens, cui perturbationem ordinis inferret? euertere enim bonum nullo pacto poterat, si autem nitebatur inuadere in loca aliena, aliter impetū eius amentem reprimere oportebat: quę enim prius non nocebat, ordinem contra se perturbans, nunc quidem videtur aliud quid assumpsisse, in quod tanquam in familiare, & coniunctum perturbationem ordinis nocentiorem efficiet: continuo dicemus, quod etiam homines per seipsos malefici, volent quidem aliquid mali facere, non habentes autem in quem faciant, ociosi reperiantur, se vero ipsi beneuolè aspiciant ob concordiam ad maleficium: materia autem neque volebat, non enim consilium capiebat, cum esset expers rationis; neque poterat, cum esset sola & per se: igitur quæ à Manichęo vocatur, materia, videtur sumpsisse fere à bono per animam veriorem materiam ad operationem nequitię quā nesciebat: accusabatur enim ante mundi fabricam de perturbatione ordinis nobis ignota, & minime apparente, didicit autem operari manifesta mala, & quę cernuntur: excitauit ergo belluam cantio, & nequaquam sopiuit, vt ille dicit.

Si autem dicit noluisse Deum, vt fieret mundus, percunctandum est, quis erat, qui voluit? an malitia, quæ non habebat cognitionem? Quis est, qui ex vtrisque fecit, quæ sunt; nunquid materia? non esset in admiratione eius operatio. Sed nunquid non voluit Deus, coactus tamen est? si ita esset, magis subiectus fuisset, quam subiecisset atque superuacaneum esset illum admirari sapientiam, Dei vi coactam, & damnum eorum, qui futuri erant: quæ enim nullo modo mala erant ante coniunctionem contrariorum, neque saltem nominabantur, hæc post ortum mundi floruerunt.

Quia ab aliquo quod sine cognitione & ratione fit, non est admirabile in eo à quo fit.

An non absurdum dicere, voluisse Deum perturbationem ordinis, quæ nobis demonstrari non potest, à materia tollere, & actionis malorum, quæ videmus, & in hominibus apparent, omni ordine, & ratione carentis authorem fuisse? perturbationem namque ordinis, de qua materiam damnabat, verbo solum proferre potuit, non tamen rebus ipsius, & operibus demonstrare: mala autem ex mixtione ista, contrariorum conficta, & quæ fieri non potuit, oculis cernens insanus homo dissimulare ea non potest. Quare dum docere vult non esse Deum authorem iniustitiæ humanæ, maxime esse plane confitetur: immo plenius quam si hoc solum studeret.

Age iam, consideremus mala, quæ ab hominibus fiunt, ad quem vere pertinent. Aggredietur fortasse introducere mixtionem animæ cum contrariis, quam suspicatus est. Siue ipsa anima sit ἀσύνθετος, id est, simplicis, & vnius formæ ex bono apud ipsum, siue ex compositione contrariorum ex parte eius, quod est bono contrarium, facile secundum hoc impium fundamentū, & principium demōstrabuntur mala, quæ fiunt; est igitur anima expers corporis, quæ nullo pacto compositionē secundum substantiam, presertim contrariorū recipit. Qui enim visi sunt eam componere, non substantiā variam, & à se differentem introduxerunt, sed operationes eius ex iis, quæ videntur, descripserunt, cum non

ἀσύνθετον.

A possent exstruere vnam simplicem definitionem qua comprehenderetur.

Etsi enim variis qualitatibus, quas alias aliter recipit, à se differt, tamen secundum substantiā, quæ opus Dei est, immutabilis est, & non componitur ex diuersis: à contrariis tamen mixtionibus tātum adest, quantū abest vt ipsa per se corpus esse videatur: ponamus igitur, vt ille mentitur, si quidem hoc dicere aggrediatur, esse scilicet animam hominis compositā ex bono, & malo, nonne quod in ea est particeps rationis, opinione istius attribuendum est bono, id est Deo? quod vero ratione caret, nequitiæ: liquet, nihil aliud posse dicere, excitata ergo cupiditate siue ex corpore, siue ex ea parte animæ, quæ ad nequitiā pertinet, an fortuito actio prodit? nonne antegreditur in homine consideratio, & consi-

B lium, deinde iudicium, & electio actionis, atque ita desiderium ad effectum perducitur? crimen vero nequitiæ ex actione, non ex desiderio cōflatur, vt si manet in loco cogitatio desiderii nō progrediens ad opus per electionem partis ratiocinantis, primum quidem cito potest desinere incensum simul, & extinctum. Deinde nequaquam exstimabitur crimen non solum commune, sed neque si iudicetur secundum summum virtutis.

Apparent igitur peccata conuenienter rationi, parti animę rationis participi assignata esse, & adscripta, & non corpori, nec vlli alii parti huius animæ, vt nequitia quidem ratiocinationis expers liberata sit à culpa, atque accusatione eorum malorum, quæ apud nos sunt, quippe cum nec ipsa extet; videaturque hæc secundum

C sermonem illius, ex parte Dei depromi: licet nulla alia ratione vera vteremur. Si enim anima non discernens qualitatem cupiditatis, ad actionem sine vlla ratiocinatione procederet, affirmare quis posset quæ inconsideratè, ac præter rationem fiunt, ex parte rationis experte depromi. Sin autem sæpenumero ratio ipsa iam eligit cupiditatem, tanquam praua institutione flexa libens; iam rursus repudiat, cum aliquis metus eam refrenat, aut desiderium virtutis ad se attrahentis: liquet solū rationem esse, quæ rectè, & prauè facta sibi vindicat, & asciscit.

ἐν τῷ.

Hic versatur & vertitur ad occurrendum contra excussio eorum, quæ male à Manichæo probata sunt, non enim, vt apparet, vllum materiæ peccatum est in nostris

D actionibus, sed animæ, vel partis huius, quæ est rationis particeps quæ Manichæo authore, ad partem Dei pertinet.

Ad hæc, si accideret, vt in iis, qui pudicitiam colunt, esset insitum, non excitari cupiditatem, posset quis in impudicis liberare rationem à criminibus, quasi cupiditas rationem ex toto ab actionibus auerteret, quam cupiditatem ille dicit esse ex parte mali: sed si quis maximè apud eos, qui pudicitiā amplectuntur, hac via, & ratione eam colere reperiat, quod illi cupiditates naturę ratione frenant, & cohibent, perspicuè concluditur, rationem esse, quæ delinquit, & virtutem colit, quæ vtrumque & virtutem, & vitium nouit. Quare autem insita nobis sit peccatorum cupiditas, dicemus, cum erit oportunum, docentes, pertinere hoc maxime ad admi-

E rationem creatoris.

Quod autem nunc quæritur, si non satis confectum est, nullo modo peccata nostra esse opus alicuius materiæ, aut nequitiæ, sed contra solius rationis, licet etiam aliter confirmare quod dictum est: an aliud quid dicere possunt esse homicidium, quam malum, & scortationem, atque adulterium, & furtum & mendacium? si non aliud possunt, perspicuum est, quod mala erunt. Quid? si iudex occidit eum, qui iniuriam fecit, cædes igitur lege sancitur? atqui idem efficit, qui violentè occidit, & qui lege, sed propositum distinguit, factum: quin potius eadem est actio eius, qui cum sua, & qui cum aliena se miscet; sed propositum separat, quę similiter facta sunt.

Præterea,

Præterea, furari à Manichæo quæ sunt apud eum, vel instrumenta, vel cibos, an non videtur idem opus esse atque furtum criminosum facere? non tamen ratione idem est, sed penitus differens. Deinde, si furens homo gladium repetat, quem deposuit sanæ mentis cum esset, vt necesse sit ei, cui commissum est depositum, mentiri non se accepisse, quid verbis differt mendacium à vera perfidia, nisi proposito asseuerantium discernantur?

Ex his igitur patet actionem, vt plurimum non per se explorari, sed mentem vel cogitationem eius, qui suscepit, eadem ratio in contrariis reperiri potest, si quis enim pecuniam, vel alimentum impertiat egenti non vt illi benigne faciat, sed vt laudem eorum, qui vident, aucupetur, nonne perspicuum est, factum quidem esse pulcherrimum, & benignum, propositum tamen valde humile & criminosũ? si quis prolixe precetur, & frequenter ieiunet, religionem, & tolerantiam hominibus ostentans, liquet non esse propter opus laudandum; sed propter mentem, quam in iis, quæ fecit, habuit, vituperandum. Quin etiam si quis alius temperans sit, & à multis cupiditatibus abstineat non desiderio virtutis, sed vt pecuniæ parcat, an non satis manifestum est, hunc, qui sic est, affectione affectiones alias vincere, ipsam verò tolerantiam specie extrinsecus apparente pro nequitia animo, & proposito suscipere?

Si igitur sæpè quæ praua existimantur, ex animo facientis honesta esse apparent; vel quæ non praua existimantur, sed contra potius honesta, & bona putantur, voluntate, & proposito suscipientis coniunguntur nequitiæ, quis iam potest contradicere ex magna parte actiones non apud veritatem explorari; mentem verò esse, quæ in iis, quæ aguntur excutitur?

Quæ igitur opera ascribemus nequitiæ? illa ne, quæ videntur mala, quæ quidem sunt bona, quando ratione virtutis fiunt? Quæ vero asciscemus bona? an quæ apparent bona esse, quæ quidem ratione fiunt? igitur neutra neutri solummodo: Solum rationem, & quod in mente actionem suscipientis præcipuum est, diiudicabimus; vtrum recte suscepit, an secus, quod autem maxime principale mentis hominis est pertinere ad meliorem partem animæ, vt ille tradit, licet infinite insaniat Manichæi, non possunt negare.

Iniquum igitur iudicium pronunciauit Manichæus contra materiam, à se factam, assignans illi, quæ nullo pacto ei conueniebant, si eorum, quæ apud homines fiunt, causa erat, immò contra potius ad partem boni conuenienter rationi pertinere existimarentur, si duo quædam principia contraria sunt, vt ille insane tradit. Dicit præterea studuisse Deum, vt potestatem absorptam, quam vocat animam omnium, rursus ad se reciperet, ne quod erat ex ipso, materiæ alligatum, & in supplicio semper sine vllo fine permaneret. Quid igitur principio hoc protrahebat, vt tot sæculis neque respirare posset, & magis pateretur, quam ageret? si enim in fabula esset, Deum quidem nullam contumeliam in substantiam suam accepisse, neque vel paululum inhæsisse materiæ valde indecoræ, sed alium quendam alienissimum à natura eius, & hunc continuò ereptum esse, ita vt huiusmodi prehensio magis apparendo in speciem, quam succumbendo facta esse videretur, habuisset commentum paulum saltem ad suadendum in mendacio, nunc verò immensum sęculum ponunt, & hoc esse ex natura Dei, manere vinculis constrictum, vt ipse Deus comprehensus esse videatur propter similitudinẽ eius, qui detentus est, & quia hoc, quod captum tenebatur, ex natura eius erat, vnde maiore studio ad se ipsum, vt aiunt, recolligere desiderabat. materia autem simplex erat, & ἄποιος, vtpote magis agens quàm patiens.

Ex his perspicitur, omnia, quæ ille planus composuit, ob blasphemiam Dei composuisse, qui nihil horũ contra se fecit, itaque vult, loquit, & studet, vt ad se recipiat illam virtutem, & hæc est apud ipsos salus expectata, & beatitudo, esse scilicet redditum Deo, quod erat eius proprium, ipse igitur expectat sibi finem, sperans accipere beneficium: siquidem recuperaturus est, quod ex natura eius est, libertatem; vt quæ destruxit, ædificet, & nihil aliud & spe nutritus sedeat tolerans, & in finem intuens, vt seipsum quodammodo à nequitia liberet, quod quidem si retardetur, & non citò fiat, ipse sit, qui tarditate punitur.

Liquet enim non esse penes ipsum celeritatem finis, olim enim in hac re spem habuit, quoniã aliud ridiculum dicit Manichæus, quod cum ii, qui erant ipsius materiæ, sentirent se male perituros lumine paulatim ablato, ex aduersu machinati sunt carnis constructionem, ad vinciendas magno vinculo animas. Quare vt ille tradit, perspicuum est, quamdiu illi carnem suppeditabunt, tamdiu animæ Dei inhærescent materiæ & vinctæ tenebuntur, eritque penes illos nos circumscribi mundum tempore, & non erit in potestate boni finis eius.

Quid aliud dicere potest qui aduertit, quam quod non constat sibi Manichæus, quin potius huc, & illuc se transferens à se ipso redarguitur, qui enim ait, Deum esse fabricatum mundum; quomodo rursus ait eos, qui sunt materiæ filii, opposuisse ei carnem, tanquam particeps esset Deo cum illis fabricatio mundi, & hac quidem ratione facta Dei violentia, concedens verò illis hoc tanquam munus, non complectitur vniuersum secundum propriam voluntatem.

Tanquam autem causæ suæ & principii oblitus planus, dicit futuram esse pestiferam materiæ ademptionem, & ereptionem virtutis illi admistæ, qua posuerat frenatam esse perturbationem ordinis in illa principe materia, si enim cum adest, nequitiam ligat; rursus recedens relaxat. erit magna causa lætitię ipsi materiæ hæc ereptio, si igitur ad extremum spes ipsi est, rediturũ esse ad Deum, quod ab ipso disiunctum fuit, quod à principio decreuit, & adegit illud subire infinitis sęculis laborem inanem, & malas sordes, nõ in eo spem maximam, & beatitudinem ponere, si rursus recuperaretur? materia enim nullo pacto apparet refrenata, ac repressa, immò contra potius maiorem licentiam ad excogitanda praua opera adepta.

At oportebat; inquit, hanc ligare, cum igitur paulatim abstracta erit virtus detenta. quid fiet? liquet, rursus reuersuram esse materiam ad perturbationem, negat Manichæus: nequaquam inquit, ad extremũ enim vincet eã, facietque vt redacta in glebam à se ipsa comburatur, cur igitur non fecit hoc à principio? Vtrum non voluit, an non potuit? si noluit, quomodo rursus volet, pœnitentia ductus, iudicans, & eligens quod melius est? nonne pertinebat ad bonum aliter à principio funditus delere nequitiam, siquidem poterat; sin vero non poterat, periculum infirmitatis in auctorem mundi emergit. Quomodo ergo postea poterit? an viribus, quas non habebat assumptis, vel augescens, vel accessionem, & incrementum adhibens, si enim ambo contraria ingenita sunt, neutrum accretionem, aut imminutionem recipit.

Totum igitur commentum barbari consistere nequit, quid verò? an dicit Manichæus sensu se percepisse maiorem, vel minorem partem virtutis adnustæ materiæ ereptam, & ademptam? siquidem, ex quo luna crescit, & decrescit, Deus, inquit, paulatim recuperat quod lunæ proprium est, & tamen tot sæculis lapsis neque genus humanum numero viuentium imminutum est, nec vllum aliud genus quadrupedum diminutionem vllam cepit, quin potius quæ facta sunt solito more fiunt, & desinunt esse, & adhuc magis humanitas in multitudinem creuit, vnde igitur insanus ille opinatur paulatim auferri virtutem, quam fingit adnustam esse nequitiæ? siquidem eadem similiter se habent in mundo, eadem enim est mensura diei, eadem noctis, neque lumen magis tenue factum est, neq; tenebræ maiores, idem namque est curriculum solis, & Lunæ, id est, idem ordo, qui à principio factus est, perseuerat.

Percunctandum etiam illud, an animæ quæ peccauerunt, & infinitorum malorum in vita reæ fuerunt, dabunt pœnas eorum, quæ commiserunt? siquidē dabūt, quod quidē & ipse confitetur, cum ait, in gleba hac infigendas esse cum nequitia, reperietur Deus naturam suā punire, quo, quid absurdius & flagitiosius fieri potest? si verò impunitæ, & inultæ erunt, non solum neque dolorem, neque damnum afferet peccatum, sed etiā plus iustitiæ habere videbitur, quando quidem in hoc sæculo voluptatem afferat suscipienti; & in futuro non sit supplicii causa.

Præter hæc omnia, illud est in isto stupendum, vbi ait, quod nequitia hic occupata, id est, legata est, Deus interim profundum implet aggere, vnde materia emersit, nihil ipso in grauissima mentis alienatione intelligente, ut quod inuciebatur, si erat ex terra boni, quomodo in loco contrario recipitur? si autem ex partibus nequitiæ, quod ex parte nequitiæ est, & ei cōuenit, non includet unde exortam materiam. Sedet autem Deus, auctore Manichæo transferens semper aggeres, & paulatim quædam profunda aggeribus replens. O amentem furorem! ad quem pluribus vel saltem respondere res, est ridicula.

Si verò vultis scire dæmones ipsos non esse malos à radice, neque habere radicem vitii, & turpitudinis, sed voluntate huc processisse, cum non essent natura mali, neque natura adscripti ignorantiæ, non nox, & tenebræ secundum substantiam, sed habitu & studiis, & tractatione huiusmodi studiorum facti tales, inquiramus disputando. Cæca igitur natura neque minimum quidem aspectum habebit, & ipsa ignorantia neque stillam cognitionis sibi vendicabit, neque nox ipsa & tenebræ sic natura ortæ vel in paruum splendorē mutabuntur, apparet autem cognouisse dæmones saluatorem, ac Dominum confessos esse. Scimus, inquiunt, quis sis, filius Dei viui, cognoscere autem non potest ignorantia, neq; videre cæcitas, sciunt, & verū dicunt scientes; & non per calumniam dicunt: dicunt enim tametsi nō legitima & syncera affectione veritatem, non iam de cœca natura, aut ignorantia accusantur, alioqui ne minimum quidem vidissent; nec ei supplices fuissent: neque cessissent dicto: neque secernere potuissent eum, qui apparuit, sed potius existimassent ex suis esse, nihilque inter seipsos & illum interesse.

En, animalia non vtentia ratione sapientes ab insipientibus non internoscunt, si autem cognouerunt dæmones, & propter iudicium soluti sunt lege non internoscēdi aliud ab alio, & diiudicando agnouerunt talia, conuincitur nō naturam in hac re, sed voluntatem moderari, quamuis enim ægrotet voluntas, quamuis erret, non tamen desinit esse rationis particeps; quin potius non est hoc interemptū. Sic dæmones agnouerunt eū, rogauerunt, supplices ei fuerunt, ne iuberet eos abire in abyssum. Si erant filii abyssi, significationem cum abysso habebant, cur cognata refugiunt? cur radicem suam recusant? potius enim eam amplexi essent, arbitrantes requiem suam esse in cognatione positam, siquidē in cognatis fit recreatio; in peregrinis verò & alienis afflictationes, magis erat illis recusandus Iesus; magis recusandus hic locus, vbi boni & æqui sunt, amplectendus vero discessus in abyssum. Contra vero dum recusant, & cauent, & illuc abire detrectant, immo ob hanc causam supplices orant, satis iudicii dederunt, nullam se necessitudinem & cognationem cum loco tormentorum habere, nihil enim seipsum afflictat, & malo afficit, omne autem quod afflictatur, & malo afficitur, ab alio afflictatur, necesse enim est, quod afflictat non sit sui afflictatio, ac cruciatus, sed alterius, quod aptum natum est, vt affligatur, & malo afficiatur.

Ecce ignis, non comburit se sed aliud, neque se consumit, ecce aqua, non inundat seipsam, quæ alia inundare solet, se vero ipsa non potest, ecce aër, refrigerare se ipse non potest, quoniam omne quod facit, & cruciat, aliud quid cruciat, & dolore afficit. si autē abyssus cruciat & dæmones cruciantur ab ipsa abysso, estq; abyssus locus tormentorum, torquentur enim dæmones, nō iam torquentur à simili, sed alii cum sint, ab alio torquentur, non ab hac natura, neque substantia. quia scilicet dęmones sunt, alterius enim substantię est abyssus. Atque esse quidem dæmones alterius generis, ac substantiæ præter abyssi substantiam satis ex iis, quæ dicta sunt, perspicitur, ipsa verò abyssus locus est tormentorum, ac suppliciorum, non tamen æternus, nec ingenitus, sed postea fuit, sero tandem factus, vt esset medicina, & opem ferret peccantibus, factæ sunt plagæ, quæ sunt remedia, & auxilia erratorum, non enim vt sint mali, factæ sunt plagæ, sed vt non sint mali, verbera inducta sunt, mali enim dolore plagarum amputant, & præcidunt vitia, idcirco non querimur de abyssis, quin potius tormentis, & suppliciis scimus castigari, ac corrigi eos, qui deliquerunt.

Si autem abyssus est, vbi dæmones torquentur, & supplicio afficiuntur, & substantiā habent, quę subire potest tormenta, & dolorē sentire, & supplicia sustinent, & habent remunerationem pœnarum, quibus puniuntur, quomodo ingeniti? quomodo semper? quomodo nunquam esse cœperunt? quomodo ex se sunt, qui impatibiles non sunt? qui pati possunt? qui possunt puniri; ingenitum enim nihil vnquā mali sustinebit, nec ab vllo punietur, quin potius à se ipso principium ducens, se ipso consistit, & non ab altero cœptum est, nec ab altero supplicium fert: & cui non assignatur auctor, non assignabitur vindex, & nō iudicabitur ab altero, qui ab altero non est cœptus, ac neminem metuet, qui à nemine accepit, vt esset. Quid enim metuet, si in perfectione consistit? si perfectam consummationem habet? si à se consummatus est? si se ipso aptatus, quorum enim aptatio incommodari potest, timet eum, qui aptare potest, quod potest male affici, timet male afficientem. Si autem timent dæmones, & possunt male affici, non sunt ingeniti, quod enim ingenitum est, impatibile est, & non potest pati, quod extra naturam genitum est.

Quod autem supplicant, in sensu sunt, & sciunt, quid sint, & quod pœnas sustinere possunt, nō enim se ignorauerunt, non se impatibiles esse cogitarunt, nosse autem aliquem seipsum, & non ignorare, signum est sensus & iudicium. Si vero quia erant patibiles, formidauerunt, & formidantes supplicauerunt, & supplicauerunt ei, qui poterat, non ignorauerunt eum, qui interrogabat: ipsa enim supplicatio testatur cognouisse eos interrogantem, atque esse quidem se patibiles, non ignorauerunt, esse vero illum, qui interrogabat, Dominū, & regem vniuersitatis rerum ex supplicatione apparet sciuisse. Hæc dæmonibus dicta sunt, vt neque de dæmonibus disputatio vacaret.

Possunt & hæc addi, naturam esse sibi similem, nihilque eam à se differre, ecce ignis totus, similis sibi est, non minus calidus, quam sit ipse, neque magis, non habet plus, & minus, in naturis enim vacāt plus, & minus, vbi enim est plus & minus, non est natura, sed accessio voluntatis, si autem de dæmonibus scriptum est, ire, & assumere septem alios spiritus nequiores se, & apparet ex sermone, esse accessionem, quia hoc est nequam, illud vero nequius, differentia nequitiæ est. Vbi est natura non sibi similis, si differentia reperitur in nequitia? & differentia voluntatis, non naturæ testis est? ac de his quidem satis dictum sit.

Aggrediemur deinceps commentum primum istorum fabulæ exponere, & confutationibus refellere. Malum, inquit, erat, & ingenitum erat, erat autem & Deus bonus, & diuisa loca habitationis, & vterq; apud se ab altero seiunctus, ac separatus quidem Deus à Malo, separatus item à Deo princeps mali, & vterque apud se erat, & vterq; suis imperabat, & gubernabat, vt natus, & aptus erat, malus quidem male, bonus vero bene, malus nocens, & suis rebus nocens, & suis nocere non desinens

nens; bonus semper bonus, & iuuans, & res suas iuuans, A & nunquam non iuuans. Omnis enim vtilitas à bono cœpit proficisci: cum doctrinis pugnauerunt, extremaque sciuerunt: inuenire non potuerunt, qui à principio, quæ consectaria erant, non approbauerunt: ac parua quidem sunt hæc, & non multa, satis tamen sunt ad disputationem quæstionis: formam tantum protuli; non excurri ad multitudinem testimoniorum. Quæ enim affinitatem & cognationem cum his habent, quæret Lector, & ex his ad similia, & affinitate coniuncta legendum progredietur.

Quædam deesse videbantur hoc loco, quæ ad confutationem eorum quæ proxime ex Manichæi libro recitauerat, pertinebat quorum confutatio ordine secutura erat.

Age nunc, instruamus patemusque illorum disputationem ipsorum dogmata apponentes: malus quidem erat satanas, bonus vero Deus: & sic res erat, fabulam verto, vt fabulam rependam, & nisi opponam, quæ exponunt, non possum fabulam euertere: bonus quidem erat Deus, inquit, malus vero satanas: & nunquam non erat, erat enim semper: & à nullo profectus, erat enim, B & radix erat, inquit, erat item Dominus, & ipse erat, & radix erat; & radix bona, & radix bonorum: & omne bonum ad hoc profectum est: duæ namque radices erant; & duo surculi prouenerunt, surculi radicibus respondentes: & ab illa talia; ab hac talia fieri iactant.

Insistamus hic, deinde quæstionem aggrediamur videamusque argumentationes, & quæ dicta sunt, recordemur, vt argumentationibus conclusiones conficiamus, & ex iis, quæ diximus, fidem faciamus: dicemus enim istis: si Deus erat radix, & bona radix, & boni fructus, & ex bonis fructibus profusi; ac satanas radix erat, & mala radix, ac fructus mali ea mala radice fusi; cuius radicis Apostoli fructus extiterunt, vt ea fructibus, quod quærimus, cognoscamus? nondum à radicibus argumentum sumo, dicemus enim, mala radix nihil boni proferre potuit; neque radix bona quicquam mali. C Videntur autem Apostoli quandoque boni, quandoque mali fuisse: ac sero quidem boni, principio autem mali, mutasseque malos mores.

Si enim dicamus esse Apostolos fructus satanæ propter vetera delicta, adhibebunt eis reuerentiam propter Apostolatum, & perfectionem virtutum. Sin vero Dei fructus, quid dicent de antiquis eorum peccatis, & de antiqua vita diabolica? ad pudorem enim reuocabit eos scriptura, & eorum iudicium redarguet. Si vero non reperientes exitum, & quo se vertant nescientes, nos rursus interrogent, dicantque nobis quoque difficiles esse quæstiones ad soluendum; difficile item ratione concludere; respondebimus, non esse fructus Dei Apostolos, sed factos, & fictos, non enim tanquam fructus ex radice profusi sunt, sed tanquam creaturæ à creatore, & auctore creati, creaturæ enim eius sunt, non tanquam eius- D dem substantiæ, cuius ipse est: geniti sunt ab ingenito, cum aliquando non essent, postea facti sunt, qui vt essent quidem, ab eo, qui fecit, acceperunt, non substantiæ ex substantia, sed facti hypostases, bonitate auctoris: atque facti, ἵνα αὐτεξουσίως τὴν ἀρχὴν ἔχωσι, vt voluntate habeant principatú, ait igitur saluator, si quis vult post me venire, si vis perfectus esse, si vis sanus fieri: si is, qui fecit, sic loquitur, per quem pater omnia fabricatus est, intellige voces auctoris, in voluntate posuit leges; in voluntate legitima recondit: voluntatem agentium scit dominam actionum esse.

In Epist. Iudæ, Angelos vero qui non seruauerunt suum principatum, &c.

E Sane quidem vt nos honoraret, voluit verbum, vt communitas actionum in voluntate penderet: si volueritis, inquit, & audieritis me, bona terræ comedetis, si autem nolueritis, nec audieritis me, gladius deuorabit vos. Sed absurdum est prætermittere sermonem de improbissimis, ac præterire cõsiderationem de ijs, qui turpissime, atque effrenatissima licentia in vita versantur, ne nostrum silentium periculosissimam desperationem eis compareet: non magnopere accusant Nabuchodonosorem? non valde reprehendunt Pharaonem? non ad summum fastigium turpitudinis progressos existimant? talia enim de illorum vita, & instituto vbique iactant.

Actiones bonæ, quarũ cõmunitate cũ Deo coniuncti sumus, omnes sunt voluntariæ.

[illegible]

si igitur in illorum animis nullum studium cerneretur, alia ratio esset: sin vero in adeo malis etiam partes aliquæ eorum, quæ bona sunt, reperiuntur, sensus, perceptiones, intelligentiæ, pœnitẽtia, ac supplicationes, quid iam dicturi sunt? si enim hic turpissimus appareat habere partes quasdam virtutis, & mores aliquos idoneos, quid dicent? si enim respondebunt, mistum esse satanam, vt qui fructus ex virtute, ac vitio mistos attulerit, aut fructus hos non esse diaboli; non enim fructus misti, fructus fuerint carentis mistione, neque quod non est mistum, radix misti erit; hi autem misti esse, aliquo tempore apparuerunt, & percepisse scientias, & improbitate capti esse: hac ratione apparebunt non esse veræ personæ, sed fictæ cogitatione.

En Pharao, cum increpatur, remittit, & mollitur, flectitur mente: & percussa anima non perseuerat in duritia. Quin potius duo facit, poscit quod optat & acB cusat factum: & non viderat anima oculis capta, sed ad pœnitentiam procedens, ac petitionem, & supplicationem amplectens, & in precibus blandiens: si autem natura malus fuisset, quomodo de precibus, & pœnitentia cognitionem habuisset? si enim bona est pœnitentia, & bona item precatio: si verò natura mala, quomodo malum cum bono mistum fuit? Quomodo ex malo bonum prolatum est? Apparent non intelligere, quæ loquuntur: quin potius mente rudi, & inerudita, sputa magis verborum, quam verba proferre.

Nabuchodonosor quamuis motibus sæuus esset, & fornacem præparasset, & imaginem fecisset, & minis terreret, atque imaginẽ venerari cogeret, statim vt sancti pueri in fornacem illati sunt, & cedebat flamma, & corpora non attigit factaque est fornax Synagoga, ac pro lamentis hymni & laudes adhibebantur, neque iam C tanquam igne carnem vrente lamentatio fiebat, sed ab anima lætante cantus celebrabatur, statim inquam prospexit, quæ intra fornacem fiebant: honoratusque est Angeli spectaculo, misitque vocem: Nonne tres viros in fornacem intulimus? en, quatuor video, & quartum tanquam similem filio Dei: continuo igitur legem de hac re scribit, vt confiteantur Deum, vt testentur veritatem: fit interpres & enarrator visi. Accusabimus igitur enarrationes, an laudabimus? præclara res legatione fungi pro Christo: an hoc in malam partem accipi sinamus? si obire legationem pro diuina scriptura, & testes esse veritatis gloriosum est, obiuit autem legationem Nabuchodonosor, & scripsit, & ad vniuersam ditionẽ suam misit, sublata est natura mali: si quidem cum sciret, quod erat bonum, ad doctrinam de bono respexit: si vero doctrinam affectione turpitudinis habeta- D uit, accusatur: aliud enim est, non posse agere, quod honestum est, aliud vero scire quid est, quod honestum est, non tamen agere posse inclinationi affectus succumbentem.

[illegible]

Quod si in hominibus non sunt reperti fructus diaboli; & eorum, quos diximus, mores pudendi fuerunt, ipsorumque turpitudo conuicta est, quo demum conuertemus nos? nisi forte ad dæmones eamus; nisi forte dicant, nullum quidem hominem esse fructum diaboli, dæmones vero solos fœtus, & partes eius esse: sed si hoc dixerint, hic quoque pudendi erunt. Primum E vero audiant: si dæmones sunt fructus diaboli, & nullus homo est diaboli fructus, igitur nulla est diabolo in hac vita cum hominibus communitas: sed potius ab omnibus disiunctus est, ab omnibus alienatus est, eiectus est.

Quia vero in errore, & fallacia adhuc progredientes, magis adhuc fallacia, & mendosa verba proferunt, ne silentio prætermittamus ea: aiunt enim, quod nequitia cuncta antegressa, & sola procedens, seipsam iniuria afficiebat, & sibi nocebat: postquam vero adfuit in loco veritatis, obstupuit, & repẽtinum lumen admirata est, pugnæ suæ oblita est, sinuauit quod apparuit, rapuit lumen, absorbuit spectatum. Iam hic rursus mul-

Opera enim hominis mala opera tenebrarũ, & diaboli dicuntur, & suas secundum similitationem, &c.

secundum ea esi homini communitas cum eo. Deerant hic aliqua.

tus, & magnum ludibrium: hic omnis fabula Græca A protrita est, & victa huius fabulæ habitu: fabulæ enim fabulæ dicuntur, sed tanquam fabulis creditur: hæ autem si vt fabula diceitur, sic tanquam fabulæ crederetur, parum damni fieret: nunc vero vincit fabulas: stulti credunt ei tanquam veritati. Si enim apud se manens, vt dicitis, se ipsam obsedit, cum venisset in fines luminis, vidit lumen, & obstupuit, & à sua pugna liberata est, & adorta est lumen visum, & rapuit, quod spectauit, quomodo non apparebunt hæc non posse fieri, & falsa esse? Quomodo enim sibi ipsa iniuriam faciebat? se ipsa interimebat? se ipsa delebat? Quomodo nunc quidem absorbens, nunc vero generans, si ingenita erat? dissoluebatur enim se ipsam interimens & non iam esse poterat sibi interitum afferens. Si autem partes suas habebat intereuntes, quod pignus esse potest B satis idoneum, non totam interiturae, partibus natis aptis ad intereundum? Si autem se ipsam generabat, & esse incipiebat, & incipiens esse, generabilis erat, quomodo erat ingenita?

Quamobrem non ab alio absurda eorum opinio, sed ab eorum nugis redarguenda est: multa enim dicunt secum pugnantes: nec expectant, faciat alius, vt erubescant, sed ipsi hoc aliis inuident, & ipsi se erubescunt. Quod enim dissolui potest, & dissoluitur, & potest interire, quomodo fuerit ingenitum? quomodo à se extiterit? quomodo non ab alio originem duxerit? cum hoc quidem tale liberum sit ab interitu, & impatibile, illud vero tolli, & perire possit, cum non sit à se; quod si perit, vt dicitis, hoc enim verbis vestris definitis, ac decernitis, confitentes absorberi, & captam, atque absorptam interitum cepisse, potest igitur capi, & dissolui, & dissoluta, atque capta, non iam sustentabit C ea, quæ sunt non intereuntium: cum vero non habeat naturam ab incommodo, & interitu alienam, non iam ingenita esse putabitur: & si ingenita non est nequitia: neque ortu, neque fine carere apparebit, cùm aliàs quidem non sit, modò vero solum insonare videatur: quod enim est non est substantia, sed morbus quidam, qui substantiis accidit, qui potest à substantiis, & personis separari. Quod autem deceptor, quod est, ruina & lapsu accidit, vt esset, ipsa ruina & lapsu attestante ademptionem bonorum priorum, testatur quidem Esaias Propheta, cum ait, Quomodo cecidit è cœlo lucifer, qui mane oriebatur? cum vero hunc talem eius statum ex lapsu accidisse sciret saluator, antiquum vero statum diuinum, ac splendidissimum, & maxime decorum fuisse de eo testatur in Euangelio inquiens, ecce video satanam tanquam fulgur cadentem de cœlo: si autem sic natus erat, si sic captus natura, non diceretur tum cecidisse, tum decidisse, quod enim cadit, ex statu quopiam cadit; & quod decidit, ex quapiam abundantia D excedit.

Si nominatur in iis, qui ceciderunt, erat aliquando in statu & stabilitate: si autem in iis, qui deciderunt, accusatur, non erat inops, non erat Irus aliquando, cum affluebat bonis copiose: quibus propter morbum aliquam priuatus, in iis qui ceciderunt, numeratur, & habetur: sanè quidem affluentiam eius scriptura fatetur: si enim in eo, quod ait, quomodo cecidit lucifer, nomen luciferi affluentia erat, & qui erat lucifer, ipsam luciferi effectionem, & vim, & affluentiam, & possessionem habebat, & ab hac cum decidit, hac factus est vacuus inops quidem est illius affluentiæ Luciferi; vagatur mendicus, & est penè Irus, & in casum, ac ruinam datus, qui olim valde copiosus erat: si autem secundum Euangelium ex eorum numero est, qui cadunt, & humi iacent, & in pauimento voluuntur, stetit aliquando, & poterat dicere, Stantes erant pedes nostri in atriis tuis Ierusalem: poterat audire illud, State succincti lumbos vestros in veritate: & cum posset hoc audire, adhibuit ad cautionem, & firmitatem quod ait scriptura, qui stat, videat, ne cadat: & cum nihil munierit E contra hoc, in talibus hodie vertitur, ac voluitur: quod enim semper humi iacet, nunquam cadet; iacet enim humi: quod autem cecidit, & est humi, non deueniet ab stantibus, & erectis ad cadendum: & quod semper est in inopia, & nunquam accidit, vt affluat, nunquam cadet: semper enim nihil habet, & cadere non potest, quod nihil vnquam habuit. Quod casum, & ruinam sentit, propter abundantiam & rem amissam sentit: ac ratio quidem prima opinionem istam conuincendi talis est.

Sed quia dicunt, quod nequitia adhuc progrediens, ac se ipsam intendens ac roborans & lumini appropinquans, rapuit ex eo, absorbuit: age legationem, quam pro diabolo contra veritatem susceperunt, dissoluere ne defugiamus: extollunt enim his verbis malum: extenuant autem veritatem, & neruos tribuunt nequitiæ veritatem verò sine neruis ponunt: etenim si nequitia rapuit, lumen verò raptum est, & quod dominaturum erat, patitur; & quod patitur, patibile est: patibilis igitur ipsorum opinione Deus est. Satanas verò expers naturæ patibilis: ille quidem malè affici potest; hic vero malè afficere: si enim lumen patibile est, & ipse Deus est patibilis, cum non sit aliud præter lumen. Quod si potuit malè affici, & non à se malè affici, sed ab hoste; & pugnante, & deficere à se, & esse apud deterios, quomodo à propriis separatum est, quod naturam habet copulatricem? quæ enim secundum naturam apta nata sunt, vt à se ipsis separentur, non insunt natura: si autem ingenitum erat lumen, & erat cum ingenito copulatum, quomodo vnquam separari potuit? quomodo à se diuelli, & fieri aliud quam erat? si enim ministrauit malo, idque per vim à nequitia illatam, deinceps nequitiam eligebat, & quæ suet nequam, perpetrabat: & ignorabat se; nec se iam amplius agnoscebat, sed sui potius oblitum erat, putabat enim se tale esse, quale est malum: si ita erat, apparebunt hæc repugnantia. Quod enim ingenitum est, neque se ignorat, nec aliud erit, præterquam est, sed potius tale perseuerat, quale erat; nec vnquam à se disiungi potuit, quod nunquam cœpit esse. *μηδὲν.*

Verum quia anilia, & commentitia loquuntur, non intelligentes quæ dicunt, sed ex iis ipsis, quæ dicunt, reuicti, & se erubescẽtes, hoc etiam ad ea, quæ dicta sunt, addamus: si poterat lumen commutari, & aliud præterquam erat ipsum, fieri, & esse apud nequitiam, ac sui obliuisci, & facere, quæcumque nequitia facit, potuit hoc euenire principibus nequitiæ; vt magis potuerint mutari in bonum: si autem mutatio fieri potuit, & variatio, quomodo non melius erat ex vitio in virtutem mutari, quam ex virtute in vitiũ? Quomodo passus est Deus & permisit rapi lumen? Quomodo non prohibuit aggressionem? Quomodo non seruauit sua? Quomodo postquam ablata sunt, noluit eorum prouidentiam & procurationem habere? Quomodo non prius impetum, & conatum coërcuit? Quomodo non magis seruauit, ne caperentur, sed potius capta, & direpta auxilio non honorauit? si ideo fecit, vt lumen cum in malis esset, mala mutaret, quasi mutari possent mala, non igitur mala natura mala sunt, quæ enim mutari possunt, sponsionem in mutatione ipsa accipiunt, non esse natura mala. *Acervi. pum.*

Si autem sciebat nõ mutari, neque natura apta esse, vt mutationem caperent, quomodo frustra siuit, vt bonum iacturam faceret, & lucrum non tribueret malo? Quomodo siuit ipsa mala non mutari, se verò & sua bona mutata neglexit? Absurda est enim hæc præscriptio; ipsum esse mutabilem, quia sua mutantur; non esse autem mutabilem materiam. Atque hoc quidem sic redarguimus, vt prolixum sermonem contrahamus, silentio prætereuntes illa integumenta, quæ obtendunt, illas repugnantias & fabulas & pugnas Gigantum, vt quæ de principio rerum dicta sunt, instar cuiusdam subsidij dicta sint, habeanturque, tanquam semen quæstionum.

ANNOTA,

ANNOTATIO TVRRIANI.

Hactenus liber primus, & bona pars secundi, vt ex argumentis primi & secundi libri in principio ab Auctore propositionis intelligi potest, si cum his hactenus conferantur.

TITI EPISCOPI BOSTRENSIS ADVERSVS MANICHÆOS.

LIBER SECVNDVS.



VCIT iam nos deinceps retio disputationis ad differédum serió de Deo: fortassis enim nihil à ludo differunt, quæ hactenus ad confutationem fabulæ illius dictæ sunt: ne igitur risum moueamus prudentibus, commentum valdè sibi repugnans eccuratius excutientes quę autem à Manichæo magis mystica inuente sunt, quæ sunt complura, silentio prætereuntes, aggrediemur iam docere, nequitiam quidem nequaquam secundum substantiam existere, neque materiæ principium vllum principio carens Deo contrariú esse. Vnum vero esse principium omnium, & vnum Deum, qui omnia creauit bona, & ipsius sapientia digna.

Manichæi enim, postquam in disputatione de principiis conuicti sunt, ad hanc dubitationem tanquam difficilem ad enodandum & multas tendiculas, & captiones contra differenti præbentem deducuntur. Quęrunt enim, vnda mala existent: nos autem fidenter respondemus, cum vnus sit Deus, qui cuncta fecit, nihil quidem secundum substantiam malum esse, cuncta autem valde bona, & differenter bona, & ad varios vsus facta: nihilque eorum quæ facta sunt, sine ratione factum esse, sed vnumquodque eorum, quæ effecta sunt, paruum & magnum, in cælo, & in terra, & in mari habere in se rationem suæ essentiæ, fabricatamque esse sapientiam Dei ineffabilem vniuersum hoc tanquam integrum, & totum corpus constitutione partium, & membrorum, vt quidquid ademeris rationi eorum, quæ facta sunt tanquam superuacaneum, & inutile, totum corpus mutilatum esse videatur, siquidem quod in rebus videtur vilissimum, & despicatissimum, absolutionem corporis complet: nihilque in rebus otiosum est, neque temere, atque inaniter factum, nec ad superuacuam ambitionem interpositum.

Sola verò hominum ad nequitiam peccantium iniustitia rectè & iuste, ac vere nequitia est, non tamen ex nequitia principio carente profecta, quam Manichæus, cum non sit, esse excogitauit tanquam ab hac principio carente, quam finxit proficiscentem: vt satis in superioribus disputatio aperuit, & docebit clarius in iis, quæ sequuntur.

Quamobrem cum de hoc primo actum sit, sic via & ratione progrediemur, docentes nihil esse in rebus malum secundum substantiam, quin potius quæcunque in sæculo gubernat, ac dispensat Deus, decore, vt sapientiam eius decet, & ad vtilitatem eorum, propter

A quos hæc facit, gubernat, ac dispensat: ornatum igitur extrahit Deus, & de hoc ij, contra quos disputauimus, non fluctuant, neque tempestate iactantur, si enim mundum ornatum & decorum in inornatum mutant, de modo, & causa facti mundi confitentur, hominem verò, etsi est pars mundi, tamen quia eum ciuem rationis participem præposuit, ac præfecit Deus, in cæteris aliis, quæ neque ad nequitiam, nec ad virtutem spectant, vt gubernaret, sibi ipsi reseruauit, virtus & vitium vt in potestate eius esset, fecit, ingenerans naturæ vtriusque cognitionem vt instar oculi hanc adducens & adhibens, non solum cum perfecta scientia in vita ambularet, sed esset auctor officiorum virtutis.

Homo igitur iniustè operans, iustè de peccato accusatur. Si enim peccatum committit tanquam non possit

B ab eo se abstinere, iniustam querelam subit: sin autem cum posset non facere, facit contrarium, merito accusatur tanquam iniustitiam suscipiens, & peccatum recte ratione communis appetatur quod semper committitur, præter rationem, qua vti potuit: vt sit iam peccatum omne id, quod præter rationem fit: quemuis ea ijs, quæ sunt secundum naturam occasionem, & subsidium, accipiant; vsus enim eorum, quæ sunt secundum naturam, à ratione auersus, efficit, vt peccatum existat: ratio autem in nobis exploratrix est eorum, quæ secundum naturam sunt: ex quo fit, vt non lateant, cum committitur.

Si ergo ad exercitationem virtutis rationem nobis insitam exerceamus tanquam corpus temperato motu, sanam hanc, & beneuolentem reddemus Sin verò exercitatione, & accuratione hanc non excoluerimus, languescens obscurior efficitur, ac demum neglecte cæcatur, penes nos vero est, vbique ratione, quæ in nobis

C est, vti, & sicut, qui artem ædificandi exercent, sic norme ac regula ad accurationem virtutis adhibita, hanc rationem excolere, tanquam semina in terra sparsa, quæ cum neglecta sunt, pereunt.

Hoc loco ambiguitas quæstionis exoritur. Quare tanto periculo obiecti sumus, vt penes nos sit esse bonos, & non esse: vt non omnino boni efficiamur, sed plerumque, non tantum quandoque, mali necessarium non simpliciter, vtile periculum. alioqui à toto aberraremus, totoq; frustremur; etenim si fecisset nos Deus, vt non possemus peccare, nunquam facti essemus boni; bonus enim apud homines est, qui iustus, & temperatus est: abstinens autem ab iniustitia, fit iustus; & fugiens intemperantiam, temperatus, potestate igitur contrariorum comparatur, & acquiritur possessio contrar-

rum: vt si quis non habeat potestatem intemperantiæ, non possit fieri temperans; non enim non posse suscipere inconuenientiam, facit continentiam: nec infirmum esse ad iniustitiam facit iustitiam, sed posse facere, ratione vero abstinere, ne faciat, hæc est virtus temperantiæ, & iustitiæ; & non posse solum, sed à natura inniti, & titillari, vt aliqua vera laus sit voluisse non facere: hæc enim, & non alia inueniri potest apud homines virtus. Deus enim non est vocandus temperans, aut fortis, & alia huiusmodi; si quidem supra humanam virtutem est: etsi enim dicitur iustus, aliter quam nos dicitur, homo autem, quatenus homo, quomodo fiat bonus, quærimus: vnicuique enim eorum, quæ facta sunt, mensura naturæ decreta, & constituta, est: quam quidem transire & superare non potest; sed deficere potest perfecta, & absoluta virtus. Quæ igitur mensura homini ad virtutem definita est, & vt sit bonum temperantiæ, & iustitiæ, & aliarum virtutum? supra hæc enim vt homo sit bonus, fieri non potest: si enim temperantia est continere cupiditates voluptatum, oportet esse in potestate ea, quæ temperantiæ sunt contraria, quorum dicitur continentia, quæ est temperantiæ nomen, & officium, atque opus: non esse autem in potestate voluptates, priuationem temperantiæ planè efficit: similis ratio est iustitiæ. & aliarum virtutum.

Si quis vero contra dicat, oportuisse nos non esse aptos ad suscipienda contraria virtutibus, vt intemperantiam & iniustitiam, sicut Deus, nihil aliud dicit, quam oportere nos non esse homines: vt si quis spectaret aquilam in sublime volantem, & succenseret naturæ equi, eamque acerbe vituperaret tanquam dissimilem naturæ aquilæ, cum oporteret equum ea natura equi considerare. Sanè quidem hominem fecit Deus, qui esset homo, animam item cum corpore. quia est habitator mundi corporeus. Hic igitur si fiat bonus, quoad natura hominis patitur, spectatus & probatus reperiatur. Quomodo autem fiat homo probus, inquirendum est: atque requirendum à Deo, vtrum fecerit eum homo igitur fiet bonus, si sit temperans, & iustus: si enim liceat meliore modo fieri hominem bonum, accusandus sit Deus, qui illo modo præstantiore non fecit hominem bonum Sin autem quantum in natura hominis situm est, nihil melius, opus est homini temperantia, & iustitia, aliisque virtutibus: hic rursus quærendum est quomodo homo temperatus, & iustus esse potest? vult enim qui eum fecit, vt talis sit: igitur temperantia sine comparatione, & contentione contrarij fieri non potest; similiter iustitia: alioqui nunquam erit temperantia, neque iustitia.

Quod si hoc modo non possit fieri iustus, & temperatus, non aliter fiet homo iustus & temperatus: & tunc merito reprehendatur Deus, quia fecit, vt impossibile esset fieri hominem bonum, temperatum dico, & iustum, quo quidem modo tantum, & nullo quopiam alio futurus erat gloriosus, & sapientia auctoris sui dignus habendus. Si autem qui contra dicit, perseueret contendens oportuisse natura, & non labore fieri hominem temperantem, rursus hic omittens quid sit temperantia, ad eligendum, ac sumendum, quod à ratione auersum est declinat, tum quia ponit, & statuit, posse hominem sine temperantia & iustitia esse dignum auctore suo, qui eum fecit, tum quia non vult considerare, quomodo possessio harum virtutum comparetur, quia quod vinculo naturæ factum esset, nunquam esset temperantia, quæ minime aliter quam resistentibus voluptatibus cognoscitur; vt pugnans, & vincens eas vocetur, & sit temperantia: similiter in aliis: sic tanè hominem construxit natura quidem neque bonum, neque malum, committens rationi electionem melioris: is vero neque bonum, neque malum, quæritur quid gestet.

Cōsiderandus est puer paruus, in quo cernitur vtriusque extremi d: mptio, id est, neque bonum, neque malum esse: substantia enim huius bona est, bonitatem vero secundum virtutem nondum asciuit: sic item & aurum bonum est natura, ratione vero virtutis non est bonum, cum sit inanimatum: similiter preciosi lapides, & omnia quæ sunt, vnumquodque secundum propriam in aspectu pulchritudinem: hac ratione homo etiam pulcher est, valde pulcher substantia & essentia ipsa, bonitas vero per solam virtutem asciscitur, labore comparatur: idcirco fecit Deus, vt hoc in potestate eius situm esset, si igitur potestatem quidem dedisset Deus, non autem naturæ præfecisset cognitionem virtutis, & vitij, visus esset cæcum aurigam currui velocissimo præficere: sin vero ambo simul commisit, vit potestatem ad asciscendum, quod melius est, & cogitationem ad discernendam, & muniendam electionem, artificem quidem aurigam mentem adhibuit. Hæc autem currum naturæ saluum, & incolumem agitabit, nisi somnum in studio capiens à voluptatibus deturbetur.

Qualitates bonitatis scilicet, & nequitia, siue virtutis, & vitij, vt dicatur bonus, vel malus.

Substantia quidem & natura pulcher est homo, vt aurum, vt lapis pretiosus, vt opus Dei; bonus vero, aut contra malus, proposito: hæc enim adiacent ei, tanquam quæ fieri possunt, qualitates vero adueniunt, & adiunguntur secundum institutum, quo ducitur, & secundum electionem propositi, vt nequitia, quæ in actione consistit solum, ante actionem non existit per se: habet tamen homo potestatem nequitiæ, quam potest operari, habet, inquam, potestatem eius, non vt eam operetur, sed vt non operans eam, optimus appareat. Si enim non esset penes eum actio, videretur subire inuidentiam creatoris, vt haberet impedimentum approbationis, & priuationem libertatis, vt qui non haberet in potestate sua situm, vt esset bonus, vt iam conditio, parteque naturæ, qui in homine inferiores videntur, verissime superiores, ac valentiores essent: nunc autem nequitia minimè per vim subit, cum non sit secundum substantiam: & si homo non haberet eius potestatem, non esset penes eum fugere eam: fugit enim, non tanquam existat, quod non existit, sed tanquam id, quod ab ipso fieri potest.

Sicut apud homines fit.

Quomodo autem, qui odit malum, quod optimum est, compararet, nisi illud, quod facere poterat, volens recusaret: virtus enim in hominibus penè nihil aliud est, quàm recusatio ac declinatio vitij: temperatus enim est, qui non est intemperans; & iustus, qui non est iniustus. & similiter in aliis. Deus enim bonus est, non quia non facit iniuriam: tametsi possit, sed quia solummodo beneficus est. Quamobrem solus est bonus, in hominibus vero bonū ex fuga mali primum existit, cuius potestatem necesse est esse ei, qui vult esse bonus, vt sit penes ipsum non facere malum: etsi enim à perfecto præter fugam contrariorum requiruntur etiam actiones, fuga tamen & declinatio deterioris maius quid est ad probationem: hinc fit, vt apud homines nemo vacuus à peccato reperiatur: quippe enim probatior fit homo propter difficultatem abstinendi à peccato: quandoquidem hoc potissimum modo signatur virtus: actionem autem bonam etiam apud valde malos reperimus.

χαρακτηρίζεται.

Liquet igitur beneficium esse homini potestatem suscipiendi peccatum, à quo quidem se abstinens spectatur, & probatur, & non aliter: libera igitur potestate virtutis & vitij honoratus est homo, habens natura horum cognitionem, quæ in actionem venire possunt, & priusquam veniant, non sunt. Vbi enim erit quod agitur, si non est; qui agat? Quare adest nequitia, cum est actio eius, abest cum non est; continuo etiam Deus bonus cum sit, & solummodo beneficus, nihil mali facit, neque per ignorantiam abstinet à nequitia, neque quia deest potestas omnino ab ea seiunctus est. Quomodo enim ignoret nequitiam qui docet non adhibere eam ad actionem? Quomodo rursus rationi

consentaneum

consentaneum est existimare, qua desit potentia, Deus à nequitia abstineat? non enim ille qui est solus bonus, quia non potest iniustus esse, bonus est, sed quia perfectam potestatem habet non volendi iniustitiam.

Si autem dicamus, non posse Deum aliquid iniustum facere, rectè quidem dicimus, attamen, non posse, non ad infirmitatē referimus, sed ad summam perfectionem non volendi quod iniustum est, & ad immutabilem declinationem deterioris, cum enim sit secundum naturam immutabilis, immutabile est ei nolle quicquam mali facere. Quamobrem potest quidem, sed non facit natura immutabili non volendi malum, atque ita non est nequitia apud Deum, non solùm quia non existit per se, sed quia nec est in actione. Quia verò hominibus quodammodo non est immutabilis recusatio nequitiæ, & si quis ad virtutem ascendit, solum videtur esse nequitia dum est in actione, non autē est ante actionem, sic hominem Deus honorauerit fabricans eum ad imaginem suam vt sicut ipse libertate naturæ bonus est, sic homo libertate propositi imitator Dei esset, non abstinens à peccato, quia deficit naturæ ipsi potestas, sed libertate propositi virtutem honorans.

[illegible]

Mutatur morbus, cui, depulso morbo succedit sanitas.

Hæc autem satis, abundeque declarant tot mutationes ad virtutem, & vitium, quæ in hominibus sæpenumero reperiuntur, in quibus neutrum istorum diuturna consuetudine fixè inest. Quæcunque enim necessitate naturæ facimus, horū mutationem non recipimus. Quæcunque verò ratione propositi, & deliberationis facimus, hæc in nobis variantur, & alias aliter habent ad propensiones, quæ in proposito fiunt, non igitur peccare naturale est, & necessarium hominibus, sed voluntarium est maleficium, declarat autem labor virtutis voluntarium eorum, qui eam acquisiuerunt, in quibus si paulum negligentiæ insit, periclitatur possessio virtutis parta.

Si quis vero aduersus hoc producat eum, qui vult quidem quandoque abstinere à prauis, dicit tamen se non posse, aduertat ipse, quod sicut morbos corporis diuturnos non facile mutatur, sic animæ habitum non bonum tempore fixum non est facilis ratio depellendi in longinqua consuetudine, nisi maius aliquod bonum subeat, quo antegressum malum expellatur, hinc fit, vt sæpe aliquis cum effrenate in turpe quoddam opus impetum fecisset, vel propositum esset adulterari, solo aspectu mariti, metu cupiditatem repressit, aut memoria legum in mentem reuocata, alius cum deliberasset latrocinari, metu supplicij cupiditatem coercuit, sic peccata opera sunt affectionum, non autem ex natura efflorescunt, honoramus autem omnes, & amamus, qui æquitatis participes sumus, leges, quę maleficos sine vlla excusatione puniūt; sic communi opinione per opera confirmamus non cogi homines natura ad maleficia, sed quia proposito & deliberatione ea eligunt, supplicio dignos declarari.

Sed quia Manichæi aliter etiam nituntur conuincere duas naturas cōtrarias in nobis esse, quia aliquando quidem nos cogitamus mala, aliquando verò bona, aduertendum est, quia naturalis cognitio vtrorumque in nobis inest, necessario nos ad cogitationem eorum, quæ cognoscimus, excitari, nullā quidem iacturam, aut damnum facientes, sed potius totum lucrantes, præposito, & antelato, quod melius est. Quomodo enim in hominibus motus, & excitatio ad melius, restata esset, nisi vtrūque naturaliter cogitari posset, iustitia scilicet, & iniustitia, cognitio namq; necessaria est ad diiudicandum; cogitatio verò rimatur cognita, propositum, in quam partem vult, propendet, hæc verò non sunt partes animæ differentes, sed tanquam operationes eius, non tamen inest oculo nostro naturaliter, vt videat aliud si accidat, vel actiones malas, & bonas, ac neutrius causa fuerit, mēs enim acceptum recipit, visa diiudicat, atque discernit, sic cogitatio necessario instar oculi mouetur ad ea, quæ fieri possunt, non mouens animam ad ea per vim, sed cognitione naturali hęc attendens, continuo quidem si volumus, simul contraria cogitamus, simul tamen contraria facere non possumus.

[illegible]

In hunc modum actio quidem electione propositi decreta est; cogitatio verò naturalem cognitionem virtutis, & vitij testatur, nisi enim hæc præcognosceremus, nec ea cogitaremus, neque quod melius est, eligeremus, prægressa omnino electione deterioris, prauis institutis anticipati, quamobrem magis est studendum, & laborandum hominibus in educatione filiorum, quam agricolis in incremēto arborum. Interpretari igitur cogitationem nostram indicium esse duarum naturarum contrariarum perinde est, ac si quis diceret, esse aspectum mistionem omnium colorum, quia in hæc omnia aciem intendit. Quòd igitur necessario accepit homo vt posset peccare, sic à Deo factus, vt non aliter posset ex virtute viuere, id quòd Deus cum esset bonus & non inuidus, naturæ insitum esse voluit, & quod propter ea, quæ iniuste apud homines fiunt, nullo pacto necesse est putare materiā principio carentem & nequitiam resistere Deo, nec existimare penitus secundum substantiam, sed in actione consistere, superius demonstratum & conclusum est.

Deinceps de sanctissima Dei gubernatione, & de iis, quæ inaniter & temerarie à Manichæo in criminibus ad asserendam nequitiam obiecta sunt, pro viribus dicendum est, multam perturbationem ordinis in nostris rebus accusat, diuitias & paupertatē, sanitatem & inualetudinem, tanquam sit in eis inæqualitas, criminatur. Item illud sæpe maleficium supplicium legum effugere, innocentem verò puniri, quandoque etiam improbos imperium in alios inuadere; dicendum igitur est, productum esse hominem ab auctore suo in hanc vitam, vt nullum aliud negotium ageret, quam vt solam pietatem & virtutem compararet? hæc enim si acquisiuisset, rectè hanc vitam tranaret, his verò neglectis, periculose demergeretur deceptus, alimentum autem corporis, & vestitum, & reliquum tegumentum dedit Deus ipsi non tanquam dona præcipua, sed tanquā necessaria ad vitam hāc tuendam, vt tum corpus habet, tum horum præsidio viuat, tum impigre laborem suscipiat, & quæ dicta sunt, paret.

Lumen autem asciuit ei Corporeum naturæ eius conueniens, tum aërem ad ducendum spiritum, & aquam & quæcunque alia necessariā, hæc enim auctore Deo communia sunt naturaliter cum omnibus hominibus, nec vllus dicere possit minus luminis impartiri pauperi, neq; minus aquæ suppeditari, neque minus aëris ad respirationem, quæ est ad viuendum maxime naturalis, & alimentum necessarium; tametsi non sine sudore suppeditat, aurum autem, & argentum & lapides pretiosos qui habent, ab ipso accipiunt, non tamen plus conferre possint ad facultatem, quam superius diximus, nisi magis etiam impedire, tamen neque profectio hominibus à Deo proposita, paupertate impeditur, neque diuitiis facilior efficitur. Sed vtraque conditione studiosis & maxime industriis, ac gnauis licet constitutam viam, & destinatam conficere; paupertas enim per tolerantiam & libertatem, opulentia verò per modestiam, & cultum, honoremque auctoris bonorum, quem anteponit bonis ipsis, perficere potest, quod studet, & laborat, vt neque pauper sine difficultate, & laboribus assequatur virtutem; sed augeat studio, & accuratione, si qua in ipso inest iocuria, ne propter paupertatem aliquid illiberale faciat, & dum iniquo animo fert paupertatem, animum suum, ac voluntatem patefaciat, vt qui magis, quam Deum honoret ea, quæ à Deo dantur, neque qui diuitiis affluit, possit sibi instar rei venalis pietatem, & virtutem comparare, quin potius plus in hac re sudandū ei sit, magis enim hic, vt par est, fluctuat, & tanquam tempestate iactatur mens, cura & sollicitudine in bona externa, & in animam partita, & nisi existimet esse opus omnino πάρεργον, ἔργον vero solum amicitiam cum Deo, demergetur in amentiam integram, non intelligens, sa primo & solo bono relicto, semet mortuis diuitiis, quas cum reliquerit aliis, ipse abibit.

[illegible]

Ex æquo igitur vacat periculo via virtutis, neque diui-

ti, neque pauperi impedita. Inter se autem diues, & pauper solum differunt externarum rerum accessione, quæ nihilo plus valet id, quod propositum est, adipiscendum. atq; hoc quidem necessario diuina sapientia disposuit, quando enim pauper exercetur ad tolerantiam capiendam, videns apud alium opulentiam, animus etiam diuitis exploratur tenuitate pauperis, inutiles enim sunt opes, si non adsit paupertas, cui enim benignè faciet opulentus? & paupertas non est spectata, & probata, nisi aduersante opulentia. Denique neque diuitem esse beatum est, neque pauperem esse miserum, quandoquidem solus ille, cui accedit firma animæ secundum virtutem fœlicitas, siue diues, siue pauper sit, compos eius est, cuius causa à Deo factus est homo, vt iam opus sit à Deo accipere, vt sit, à se vero accipere, vt bonus sit, adiuuante Deo, vult enim Deus, vt homo cum sit rationis particeps, habeat aliquid à se ad gloriosam fiduciam.

Quocirca non admirabimur, neq; beatum prædicabimus virum diuitem maleficia committentem, neq; stupebimus contra Dei prouidentiam, quòd, qui talis est, diuitiis affluat. Quid enim amplius habet vir improbus diues? Quid verò non minus habet? vigiliæ enim & pericula propter pecunias; dolores vero de consumptis maiores, quam voluptates de acquisitis, non enim tam delectat, quod adest, quàm cruciat, quod abest, & semper cupiditas diuitiis augetur, ita vt sine intermissione cogitatio habitet cum affectione effrænata, corpus verò sæpenumero cogitatione contabescat. Demũ quæ videtur præstantior conditio, affluentia opum possidentis, difficilior & molestior est, quam conditio egentis, ille enim deliciis & mollitia cubilis vtens, quandoque in varios C morbos incidit, cum pauper siccitate victus necessarij valetudinem corpori asciuit: at quis dicat non esse corpus excellentius, & magis honoratum, quàm bona externa? quod si habitudo corporis valentior in iis perseuerat, qui necessariis moderate vtuntur, iis vero, qui se ad immoderatas delicias dimittunt, simul robur & firmitas corporis relaxatur, an non liquet hac parte, & hac ratione inferiores esse, diuitias paupertate? præter quam si quis reperiatur, qui egeat necessariis, quod quidem nunquam studioso virtutis accidit.

Nunquid voluptas ciborum sumptuosorum permanet cum sensu eorum, qui semper vsi sunt eis, an valde vilis efficitur diuturno vsu? vt iam nihilo plus habeant illi in eo, quod ad delitias & voluptatem adhibent, semper enim quod consuetum est, facile contemnitur. Pauperi D autem quod tenue, & vile est, propter sanitatem suauissimum est. Si quando verò sit ei, quod sumptuosum est, peregrinum, & nouum ducit ad fruendam relaxationem, vt hac ratione, qui rectè cogitet, pauperem reperiat præstare diuiti, morbus autem & bona valetudo æque necessaria sunt. Sanitas enim valet interdum ad iniustitiam & offensionem virtutis, morbus item aliquando ad euertendum, & refutandum peccatum valet, iuuatur enim sæpenumero ratio externis fluctibus, interdum experientia inualetudinis de beneficio bonæ valetudinis admonet ad declinandum maleficium, esset autem despecta sanitas, si vniuersè per se permaneret, nihilque quod eam impediret, posset contingere.

Si autem ille quidem iustus ægrotet, hic verò audax E bene valeat; ille quidem cohibetur vnda adiutus, vt vita eius querela, & reprehensiona careat, hic vero tanquam desperatus traditus est peccatis. Si rursus audax, & valde impius morbo conflictetur, iustus verò firma valetudine sit, punitur ille quidem sensu supplicij, non vt iuuetur, sed vt alios exemplo iuuet; hic verò, tanquam, qui solutis vinculis mansuete versari potest, sine ægrotatione perseuerat, quamuis vtraq; prorsus vbique vtilia sint, & miser, qui prouidentiam hinc negat, aut accusat, ille enim morbus solus mortifer est, qui animam ad auertendam virtutem male afficit, in quibus igitur ratio salua, & incolumis perseuerat, siue ægro corpore, siue sano sint, vtriusq; vtilitatem sentient, etsi enim non omnino morbus maleficum puniat, siquidem leges etiam interdum malefici effugiunt; an propterea desinet lux esse impedimentum maleficis, quia non per omnes Legi subiectos procedit? an admiratio sapientiæ Dei, hinc etiam, sicut vndique, declaratur: si enim penitus constaret, nullo pacto posse hominem effugere supplicium legum, qui quandocumque lege vetitum est admitteret, abstinere à peccato, non esset spectatum ac probatum, sed adulterinum & incertum, omnes enim metu supplicij, non odio maleficij abstinerent; oportet autem honestum, & probum magis odisse maleficium facere, quam maleficij pœnas dare, quamuis iniuste.

Hinc fit, vt maior pars maleficorum leges effugiat, quoniam non est hoc supplicium delinquentium, sed B opinio tantum vindicationis: mors enim naturalis sine supplicio etiam adueniet. Quare alia est vltio, & supplicium delinquentium, cuius effugium reperire non possunt, euadunt autem plures ex nostra vindicta vt posset latere tormentum, & cruciatus, humanæ cogitationis efficiatur. Et vniuersè quod dictum est ad furantem, & mentientem, & grauiora maleficia committentes porrigitur.

Sed dicet aliquis, magis torqueretur conscientia hominum, si nullus maleficus deprehensus puniretur, contra verò euenit, vt plane sit hortatio quædam ad maleficium faciendũ, quosdam maleficos aliquando non comprehendi legibus: vnde vtrumq; necessarium est, & incidere maleficiũ in leges, ac comprehendi ad exemplum vitandi maleficij, & effugere tormentum & cruciatum cogitationis. Homini enim ad eligendum virtutem & C vitium libero, sic facto à Deo foris accedit, vt quodammodo mens eius adiuuetur, & quasi fulciatur timore, & vacatione timoris, hortationibus, & dehortationibus, morbo, & sanitate, paupertate, opibus, & denique omnia, quæ contraria inter se videntur, consone ac conuenienter in vnum tendunt, & spectant, vt humanam mentem exerceant, & nemo sedeat somno, quin potius hinc, & illinc pulsus, & excitatus, vigilet ad officium pietatis & virtutis obeundum; si verò accidat, vt aliquis puniatur non solùm innocẽs, sed vir admirabilis, & ab eo pœnæ virtutis repetantur, quid nocuerit sustinenti? arguit quidem hoc eos, qui faciunt, non eum, qui sustinet, licet vsque ad mortem iniquum suplicium progrediatur, qui talis est, anticipatione mortis, quæ pertinent ad vitam futuram meditatus est: cui enim nihil suaue est eorum, D quæ multis iocunda sunt, nec acerbum, an non est hic ante mortem huic vitæ mortuus? Qui hic ea, quæ existimantur insidiæ factæ, loco beneficij & gratiæ ducit, qua expectat post hanc vitam maiora bona consequi, quam ea, quæ relinquere videtur, ad quæ, inimicis suis cito dimissus, tanquam beneficos ducit eos, qui Dei insidiati sunt.

Alia etiam ratione apud homines necessarium est permitti à Deo tormenta, & cruciatus, vt magis spectata ac probata sit libera virtutis susceptio, si neque mortem oppetere reformidet. Iam cum improbus, & auaritiæ deditos viderimus aliquando imperium tenere, & ad magistratus eligi, scire oportet permitti hoc prouidẽtia, ac gubernatione Dei, cum enim, qui sunt sub imperio, E peccatis abundant, iustum supplicium est iniquitas eorum, qui imperio præsunt, qui vlciscuntur, quæ faciunt & puniunt, quæ committunt: vt maxime pateat, non contingere, vt peccatum impunitum sit, rectus quidem videri potest iudex, quia ne quid mali committat, eos, qui committunt, punit. Sin autem is, qui iudicat, incipit ea mittere, quæ in aliis vendicat, & punit & quidem imperiosius, vt suadeat, se nihil mali agere, plane apparet ius firmum, & valde horribile esse incidere in huiusmodi magistratus, ad sustinendas pœnas propter improbitatem morum, feruntur autem in scripturis huiusmodi sententiæ diuinæ manifestæ contra eos, qui delinquunt.

Manichæus tamen amentissimus, vt dogma nequitiæ,

ingenitæ,

ingenitæ, & blasphemiæ in Deum apud eum firmum esset, nullam partem gubernationis Dei prætermisit, quin eum calumniaretur, videmus sæpe iustos, qui deliquerunt, sub ditione, & potestate impiorum esse, vt sic castigentur, sicut cum generosus filius, qui patri non paret, à peregrino, & hospite verberatur, vt dolor plagarū, & ignominiosa verbera adhibentis delinquētem mutent. vnum enim est ac solum, & verum, vt diximus, quod Deus ab homine in vita requirit, vt efficiat sapienti cogitatione, virtutem vlla ex parte offendat, quod quidem si attendat vel solùm hoc, beatissimus sit, quamuis nihil aliud in vita habeat, hoc si in vniuerso sermone de prouidentia commemoretur, nulla suspicio relinquetur de inæqualitate & perturbatione ordinis in iis, quæ à Deo gubernantur, si quis enim reperire posset, quod aliis laxata esset via virtutis piæ, & sanctæ, aliis vero clausa, videretur cōtra hoc caput bonorum esse in æqualitate accusatio gubernationis. Sin verò id, quo solo potest quis verè beatus esse, omnibus æque communiter propositum est, vt possit esse compos eius quam oppressionem, aut inæqualitatem poterit quis obiicere quamlibet accusandi cupidus? quandoquidem habere plus bonorum exteriorum, rursus rationibus ad æqualitatem reuocatur, vt non minus, vel etiam magis delectetur pauper iis cibis, qui ei adhibentur, quàm diues.

Similiter euenit in iis, quæ ad tegumentum corporis pertinent, quamuis viliora sint sensu informant, quæ ei consueuerant apponi, vt nemo, quod plus est, sentiat; sensu consuetudine hebetato; nec alius quod minus est, quia propter consuetudinem non percipit sensu, quod deest; hinc continuò fit, vt barbari, quod maius est, nudo corpore vitam degentes, & sine stragula veste cubantes, & asperis indumentis vtentes, nunquam paterentur, vt relinquerent rationem viuendi gratiam, vt qui propter consuetudinem, quod eis deest, non intelligunt: immò qui non possint hanc relinquere, & potius, ac libentius desinerent rectè valere, & mallent frigora, & ardorem solis tolerare.

Atque ad vitam degendam, ac iocunde quidem degendam, nemo plusquam alius habet in vita, cum munia sunt omnibus, quibus natura recreamur, accubationes, & epulares somni, communia alimenta, & eorum fructus, ac iocunditates, si quis prudenter præstantiam quidem eorum prætereat, vsum verò sensu experiatur, & probet. Communes item sunt non minus exactè animarum, & corporum dolores, atque in his quidem magis reperietur exsuperantia apud eos, qui in vita plus habere videntur. Quare cum hæc ita sint, vbi erit inæqualitas gubernatione Dei; qui varietatem, non inæqualitatem in rebus nostris posuit, aliud enim est varietas sapientiæ, quæ in mundo decorem habet, aliud perturbatio ordinis in gubernatione. Si quis reperire posset alios quidem homines natura ab affectionibus animæ & corporis liberos, alios verò non liberos, rursus alios sine cibo viuentes, alios cibo alentes, aut alios, qui nequitiam suscipere non possent, alios, qui possent, item alios mortales, alios immortales, rectè ille in æqualitatem gubernationis reprehenderet, & turbationem ordinis, quasi magis sortitione, quam ratione res, nostras Deus procuraret. Sed si idem modus in ortu omnium, vita & eadem naturæ educatio, & eorum, quæ necessaria sunt, sine quibus vita degi non potest, communis est omnibus ex æquo suppeditatio, finis autem omnium vnus, & solus, cum appareat summa æqualitas in omnibus, vel cæcus prorsus est, qui Dei prouidentiam tanquam non ordinatam accusat, vel oculis maleuolis, & inimicis res aspicit, & ob eam causam non est dignus fide, etenim si perturbatio ordinis in varietate inest, decorum varietatis, quod sapientem artificem magnopere decet, reprehendit iste. Perget etiam improbare varietatem colorum, & diuersitatem ac differentiam ciborum, ac potionum, quæ mirabiliter sensus recreant eorum, quibus adhibentur.

Hinc profecti sunt miserrimi homines, qui ad defendendum fatum videntur sibi confirmare malam inæqualitatis duobus principiis introductis, ostensum tamen est prudentibus nullam in rebus nostris inæqualitatem esse.

Quia verò bella etiam assignant, & attribuunt nequitiæ, quomodo varia fata, ipsorum opinione, multorum aliquando millium in vnum tempus, immò in vnam horam incidunt? an vnum fatum conciliat hos, & copulat inter se? an non est ridiculum existimare hoc? ex quo fit, vt inæqualitas fati, quæ est grauis morbus errantium, locum in rebus non habeat, bella autem principium sumunt ex auaritia, geruntur autem permissu Dei, malum enim horum est ipsa causa, id est, cupiditas, quæ auaritiam parit, quod quidem malum ab hominibus, non à Deo proficiscitur, vt in iis, quæ prius dicta sunt, patefactum est.

Mors naturæ est, non mali, ortus, & mors natura sunt à Deo sancita, non quidem vt pereat, qui moriuntur, sed vt apponantur iis, qui sunt, non enim esset † boni, solis hominibus, qui sunt largiri, vt sint, & nati sint, sed etiam nos, qui non sunt, creando adiungere ad eos, qui sunt nati curriculo vitæ satis decurso, vt à cursu requiescant, mortem accipiant, non, quæ eos ad pereundum ducat, sed quæ aliter singulos pro dignitate transferat, & qui non sunt, aditum habeant ad capiendum ortum, mors igitur lege naturæ sancita, non est mali quocunque modo accidat, nec enim inquirendum est de variis casibus, propter quos accidit, vnus modus communis omnibus cognoscendus est, qui est discessus animæ à corpore non sine casu quodam, & necessitate: sed expectandum est, quandiu domicilium naturale durat, & non dissoluitur, cum hoc tamen naturali domicilio & communi simul inest quidam metus, qui quidem necessario de suspecto supplicio suscipitur, non tamen ab omnibus; sed ab iis, quibus mens est prompta, & facilis ad peccatum; ad huius enim euersionem metus ille suscipitur. Qui enim degit ex virtute, is quidem peccare desiuit, & non opinatur duram esse mortem, qui verò deditus est peccatis, eadem imprudentia, qua peccat, mortē timet. necessarium tamen est, vt hanc imprudentiam hic metus consequatur, vt qui timebat id, in quo non erat timor, vere timeat, quod timere oportet, damnum inquam, ex peccato. Quia igitur gentes peccatis redundant, quorum species vna est insatiabilem esse, ipsæ sunt sibi causa supplicii, id est, mortis, quod quidem dictum est, non esse vere supplicium, quod natura est omnibus definitū, beneficio autem afficit eos, qui in bello cadunt, & eos, qui euadunt incolumes, illis quidem finem peccandi affert, his verò exemplum timoris proponit, afficit autem beneficio, licet iusti cum multitudine vulgi à vita recedant, sicut enim iniustis mors est finis iniustitiæ, sic iustis tanquam victoribus quodammodo est initium coronarum.

Vnde hoc per prouidentiam sapientissimam admirabile euenit, vt quod videtur punire, beneficium fiat, non dico videri punire per ea, quæ Deus haud dubie facit, quæ acerba, & aspera videntur, sed per ea, quæ hominibus transfugis permittit, quamobrem bellū istorum non est opus Dei, sed permissio necessaria, in speciem quidem ad puniendum peccatum, vere autem ad imponendum finem peccato, vbi quamuis iustus cadat, (iustum autem bellare non decet) maius beneficiū accipit, maius enim est percipere fructum laborum virtutis, quod piis post mortem contingit, quàm desinare peccare. Qui autem contra hæc disceptant, priusquam probent bellum esse ex omni parte malum, partem eius accusant, si enim bellorum originem ex nequitia per se existente, & ex principio ingenito duci dicūt, oportebat eos, ipsam mortem, & quidem solam vituperare, superuacaneum enim est causas bellorum excutere, & inquirere, cum quod necessario accipit, in id iudicium non cadat.

Quomodo autem possunt mortem malam dicere, quæ

† Hoc est Dei,

De bellô iniusto loquitur proficiscente ex cupiditate insatiabili, cuius sunt bella gentium.

Huiusmodi scilicet bellū quod à transfugis, & cupidis geritur.

vt Manichæus fallaciter tradit, animã à materia liberat? quare communi omnium sententia nequaquam malum est mors, quod enim necessario omnibus accidit, non est malum, inaniter autem mortem, quæ propter bella accidit, accusant, quæ nihil amplius affert, quam quod secundum naturam constitutũ est. Si quis verò ipsam causam bellorum malam esse dicat, siue ira sit, siue inimicitia, siue auaritia, non aberrabit à recto, & decenti, tribuendum tamen est hoc hominibus prauo animo affectis.

Scilicet semel mori.

Quod autem mors mala minime est, illa etiam ratione, & via probari potest, si enim mors non omnibus definita, & decreta esset, accideret, vt iustus semper laboraret in studio virtutis, nullum fructum percipiens, præter sudores; & iniustos in voluptatibus peccatorum immortalis degeret, essetque vtrumque valde absurdum, at mors iniustam voluptatem delinquenti reprimit, & cohibet; & iusto labori quietem affert. Etenim quia necessarium est, homines posse peccare, id quod est causa, vt possint ea virtute viuere: potestas autem à Deo data ad comparandam virtutem, apud maiorem partem hominum ad facilitatem peccati declinat, vt admirabilior sit virtus difficultati admista, vtilis est vtrique mors iusto, & iniusto: illi quidem quietem à laboribus affert; huic verò peccatorum finem.

Si igitur mors bona est, & non solum non mala; vt ostensum est, & non soluit animam, vt Manichæus opinatur, à materia, quæ non est, sed eo modo, quem diximus; quare principiũ nequitiæ in bellis excogitabimus? & non potius solum iniustum animum, ac voluntatem accusabimus? Quod enim inde euenit, quod quidem prouidentiæ assignabitur, iustum, non ex bello solum, sed quocunq; modo mors accidat, vniuersè bonum esse naturâ, in superioribus conclusum & confectum est. Quare bellum est accusandum, non mors, quæ inde accidit, quæ vtiliter constituta est, sed animus ac propositum non iuste bello vtentium, cuius non est auctor, qui res nostras procurat.

C

Rursus est aliud genus eorũ, quæ Manichęos dementissimus accusat, terræmotũ dico, pestem, famem ex sterilitate, ex locustis, & aliis huiusmodi, tanquam à principio contrario hæc proficiscantur; sciunt verò omnes, solere plerumque omnes homines, paucis exceptis, in rebus lætis, & prosperis laxare mẽtes, & affectionibus succumbere: nullamq; virtutis, & laborum pietatis memoriam habere, atq; hoc quidem quodammodo consentaneè accidit, postquam enim satietas ciborum & potionum immoderata propter magnam vbertatem hominibus incidit, ventre pinguiore facto, crassitudo mentis & remissio cogitationis accedit, anima autem grauata subiicitur affectibus à ratione alienis, si qua verò calamitas ex iis, quas numerauimus, accidat, minus curant ventrem homines, minusque voluptatibus inseruiunt; temperantiam autem, & pietatem pro viribus cõsectantur, & quoad fieri potest, meliores mores induunt pressi magis, quam secundis rebus lætificati. Quæ igitur nequitiæ attribuemos opinione Manichęi? illane, quæ sensui quidem acerba sunt, effectu vero valde vtilia? Quæ rursus bono? iucundane, quæ quandoque nocentissima sunt? sæpe enim, quos prosperitas ad meliorem frugem non mutauit, luctus, & calamitas conuerterunt, indigent enim homines quandoque huiusmodi admonitionibus ad excitandam mentem, & vt à multa multitudine liberentur.

D

E

Si enim videremus secundis rebus florentes, à magnis saltem iniuriis abstinere, & parua maleficia cõmittere, posset aliquis cum ratione in hæc inuehi, tanquam contra rationem acciderent, sin verò abundare semper necessariis obliuionem summam largitoris affert istis, necesse est, vt aliquando calamitatibus memoria Dei excitetur; cui oportebat sine intermissione gratias agere pro nostrarum rerum prouidentia & procuratione. Vnde admonens Deus homines, talia dispensat, ac gubernat, non perturbationi iræ inseruiens, sed curam amplectens eos conuertendi, quos opus est conuertere, nec enim excellentissimæ, & perfectæ erga homines charitatis esset humanas ægritudines præ lenitate extenuare, & incrementum eis permittere non increpando. Quin potius contra, ad inhumanitatem hoc spectaret, si cum vellet non recedere ab ea lenitate, quæ speciem tantum habet, insidiosè permitteret in dissolutionem nequitiæ omnino homines decidere. Dico autem lenia præbere ratione, & ea, quæ acerba putantur, necessario infligere, nec enim pater cum filium delinquentem verberat, inhumanus est, contra potius si hunc ad conuersionem non traduceret, paternam prouidentiam, ac misericordiã habere non videretur, nec enim medicus cum secat, & vrit vlcus, serpens inhumanus est, immò quanto magis rationem artis adhibet, tanto magis, vt ægrotum sanet, dolorem ex seuerioribus remediis inducit, tanquam interiturus sit æger ab vlceribus, nisi hoc modo auxilietur ei, sanandos vero, sectione, & vstione adhibitis.

B

Quamobrem, vt hoc exemplum docet, homines potius quàm Deus sunt, qui aspera & acerba sibi inferunt, qui vsum, & opportunitates temporis proposito proprio per affectus suos præparant: sicut enim medicus non facit, vt opus sit vrere, & tempus vrendi, sed vlcus & medicum adducis, & vstionem vocat, sic humanæ affectiones Deum accersunt ad ea adhibenda, quæ ad curationem pertinent: qui minime patiatur, quin hominibus semper tanquam opem sua prouida cura prospiciat, commisit enim hominibus vt haberent liberam electionem virtutis, ac probitatis, quod tamen in nobis est infirmum ad affectiones, fulcit, ac firmat per ea, quæ interdum ad admonendum, & increpandum manifestò adhibet, neque perpetuo, quæ austeriora, & acerbiora sunt, inducens, vt necessitate, & vi mœroris libertatem non excludat, neque rursus relinquens nobis appetitum segnitiæ omnino solutum, ne anticipationes affectionum sine curatione dimittat, vtrumque sapientia ineffabili ad vtilitatem hominum dispensat, & moderatur, cui vniuscuiusque tempus opportunum nouit.

C

Statim vt videris terræmotum, aut siccitatem, aut incursionem locustarum, simul sane omnes fere homines videas ad motum flexos, & ad supplicandum ei, qui potest hęc depellere, si autem ea, quę videri solent iocunda, & placida, humanam rationem laxam, ac remissam reddunt, molesta vero & acerba excitant, & ad statum magis pium conuertunt; an non dicat aliquis illa quidem pro corporibus, hæc verò pro animis à Deo gubernari? num igitur quæ animas ad pietatem, & virtutem commouent, appellanda sunt mala? etsi enim sensui sufferentium molesta sunt, & tristia, ad salutem tamen hominum necessario infliguntur.

D

Manichæus verò demens semper se secum pugnare ignorat, etenim si accretio materiæ nocet, quis non sentiat, contra quam dicit, accidere? augebitur enim hæc contra homines, qui semper in rebus lætis, & secundis sunt, & delitiis indulgent, & ventri, & voluptatibus infra ventrem deseruiunt, minuitur verò vehementer fame, peste, morte, quæ non permittunt proficere eam ad iniustitiam accretionis. Quamobrem consentaneum erat, vt hæc potius vocaret bona, conuenienter suo fundamento, & principio, quàm mala, sic enim meliorem rationem videretur assecutus; quàm si rursus ratione referens iocunda ad alia contraria principia, rursus mala vocasset, vtraque enim sunt bona ratione à Deo data. At ille gaudens peccato ad constituendam & conflandam nequitiam, per se, vt opinatur, consistentem, dolorem capit ex monitionibus Dei efficacibus, quibus meliores facti homines, & sæpenumero aliqui perfecte ad virtutem traducti, dogma eius falsum esse declarant.

E

Ad hæc omnia, si non accideret aliquando, vt quæ Deus communiter omnibus hominibus donat, & largitur, prohiberentur, largitionem eorum, ac suppeditationem ad vim alicuius naturæ immutabilis homines retulissent, neque cum acciperent, gratias largienti egissent, neque habentes, vnquam petissent.

Priuantur

Priuantur igitur interdum ad breue tempus, vt petant, & rursus accipiunt, vt gratias agant ei, qui dat, agnoscentes ipsum esse, qui præbet, & non alia quæpiam natura suppeditans præter Deum, expers iudicij, & immutabilis. vult autem Deus, vt ei gratias habeant homines quo digniores fiant, vt dona eius accipiant, non vt ipse fructum aliquem sibi metat, vult autem eos bona petere, vt accipientes ea, cum sentiat, qui suppeditat, qui lætatur dandis suis. sed magis lætatur, cum dat dignis. tanquã benignitas erga homines quodammodo inhonorata sit, nisi gratis & beneuolis hominibus exhibeatur. quæ valde rationi consentanea tunc apparet, cum ii, qui bona accipiunt, omnibus bonis largientem præponunt.

Et si ciuitates concidant exorta impietate, sicut nuper contigit, cum ille impiissimus dominaretur, & errorem idololatriæ recoleret, ac renouaret. peccatum interimitur, & error in Deum minuitur, nihil vero amplius accidit, quàm mors secundum naturam. & quod fit ad diuinam conuersionem, nequaquam malum est, sed contra potius bonum est, tanquam speciem medicinæ habens. malum verò tantum est, velem Dei gubernationem improbare. Qui enim procreationem liberorum reprehendit tanquam augentem materiam, cum mortem vniuersam improbet, an humanã mentem habere videtur? valde sibi ipsi repugnantia cogitatione fingens? At neque procreatio mala est, quæ facit, vt genus mortale semper viuat, & adiungit ad fabricã mundi eos qui procreantur. neque mors quamuis vniuerse inferatur, mala est; nec à Deo constituta, vt homines iacturam & damnum faciant, sed ad vtilitatem summam iustis, & iniustis decreta est.

Iulianum Apostatam dicit.

Θάνατον ἄγριον. Ac enim mala est procreatio, mali erat Manichæi natum esse quo nihil sibi repugnantius dicere poterat ipse enim putabat se verum dogma tradere. Docere autem veritatem vt putabat, quis dicat malũ esset.

Quod autem vnicuique priuatim accidit naturaliter hoc si multis conferta adueniat, naturaliter quidem contingit, nihilque amplius est, quam quod singulis contingit, sed tanto maiorem curam gubernantis, quam illud, quod priuatim accidit, significat, quanto in illo priuato minus iudicij est iudicii diuini in delinquentes. hoc autem generalius propter speciem, quam habet diuinæ iræ, morientes quidẽ beneficio afficit, sicut ante explicatum est, viuentes verò conuertit. Si quis vero obijciat, quamuis multa huiusmodi sæpenumero fiant, nihilominus tamen humanam vitã eisdem maleficiis implicatam esse, similiter hic quidẽ iudicio meo facit, vt si quis pisces in lacu, aut mari videns, existimet artem piscandi otiosam, & inutilem esse, quia pisces captos non videt, natantes in aquis videt, aut perinde est, vt si quis multos ægrotos cernens, curationem medici nihil esse arbitretur.

Cum enim multi proficiant ad pietatem, & virtutem illis pertimescendis, quæ Deus aliquando sua gubernatione operatur; qui criminãdi studio tenetur quòd profectum est, negat, & quòd multi in peccato perseuerantes, contendunt, exprobrat.

Atqui neque nos dicimus haberet talia vim cogendi multos, sed dehortandi à peccato, gratos, & beneuolos quæ ad breue tempus iniecta, celeriter quiescunt, ne magis vim afferant, quàm suasione mutant, rursus vero, quæ erant in consuetudine, exercentur, in quibus animus, & voluntas eorum, qui mutati sunt, spectatur, & exploratur, vt ii sola memoria exẽplorum infirmitatem suam fulciant, & stabiliant, qui sunt grati, & æqui. Immo verò potius dicendum est, si cum talia contingant, pauci quidem, & valde rari sunt, qui vitam mutant, an non multo plus ad nequitiam cogitatio hominum profecisset, si per hæc quæ accidunt, non fieret à peccatis auocatio.

Quod si nullus hinc vtilitatem caperet, quod quidem fatuum est dicere, præstaret reprehendere homines, qui nec hoc quidem modo iuuari volunt, quam culpã negligentiæ in Deum transferre, quasi non amplius studio, conuertendi vtentem. quia ratione vtendum est in eos qui nullum sensum talium capiunt. est autem compertum iis, qui sunt grati & æqui, non solùm aliquos ad

A perfectam mutationem in melius capiẽdam metum impellere, sed aliis etiam appetitum, & audaciam ad iniustitiam occulte imminuere.

Veniamus deinceps ad rationem creationis, quam iste planius calumniatur. ac primum de tenebris, & nocte inquiramus, quod potissimum iste mente cæcatus vituperat. tenebras enim quæ in nocte apparent, illarum tenebrarum, quas Manichæus cogitat esse quasi per se sint, intelligit esse iudicium, eius scilicet, quod non est; nihil penitus videns, nec intelligens, sed ad instar cæci hominis in res ipsas offendens, & incurrens. vocatq; tenebras, & veluti horret, vt non opus habeant disputatione, vt falsitas doctrinæ eius argumentatione concludatur, vt qui nomen rei è se ipsa vituperatæ vsurpet. Dicendum ergo est, vocare quidem has tenebras, non tamen secundum

B substantiam existere: adueniunt enim, & recedunt quotidie suntque consequentes in modum vmbræ. non sunt enim creatæ per se, vt substantia, nequaquam mũdo autem creato, est vmbra. nascitur enim homo, qui per se est, sequitur autem eum vmbra secundum molem corporis, & neutiquam cum eo ipso fabricata est, sed aduenit vt situm, & locatum est corpus, & vt est luminis circuitus, & conuersio. siquidem nox, & tenebræ, cum sit mundus corporeus, solummodo sunt cõsequentes, non autem sunt fabricatæ in modum substantiæ creatæ.

Cum enim sol diurnum cursum absoluit, & vertitur ad recessus proprios, necesse est ea, quæ sunt intra mundum, omnia inumbrari, cum sit extra, quod illuminat, sic Deo volente, caussas. Cur ita voluerit paulo post, pro viribus dicemus. Illud statim dicendum est, quæ habent

C molem corpoream interdiu in contrariam partem luminis positi vmbra iacere, & transfertur simul cum lumine in contrarium vmbra. vbi est vsq: ad meridiem sol: ibi est post meridiem vmbra. vbi autem vmbra post meridiem, sol est post hunc. vmbra vero diurna vmbra est, & non omnino tenebræ. quia quod continet cum sit vndique apertum, locis etiam, quæ vmbram habent, præbet luminis participationem. itaq: si domum quampiam ex omni parte bene claudas, & neq: vel angustus aditus lumini relinquatur, noctẽ efficies etiam in meridie. hoc autem fit in nocte sole loca sua ambiente. & circũeunte. Vnde nox est priuatio luminis: potest autem hoc, quod sit clarius percipi: si quis considerat. alicubi esse & manere noctu solem: interdiu vero nusquam esse tenebras sed penitus dissolui: & tolli. Quare substantia luminis

D facta est, non autem tenebrarum.

Considerandum verò est, quam sit necessaria nox primum, est communis requies omnibus. somnus enim diurnus magis necessitatem noctis declarat, cuius quidem tempus tam lõgum non sufficit hominibus, vt à sensibus requiescant. & diurnum somnum capere non equaliter omnibus licet: in nocte vero communis est omnibus & equalis mensura ad requiescendum, nullam inequalitatem habens ad auaritias vite, & plus habẽdi cupiditates. quod quidem non minus equalitatem creatoris testatur, tanquam vni generi hominum equaliter prospicientis. Deinde, si semper esset dies, & spatio diei non succederet nox: non possemus metiri tempus nondiuisum in partes. Diuisio autem diurni temporis facit, vt liceat tẽpus per has particulas numerare. nisi autem tempus discer-

E neretur. in multis rebus non posset hominibus ratio vitæ iniri, & constare: & quod maius est, non esset voluptas luminis fruendi. si non essent tenebre nocturne in proximo eo modo. quem diximus, lumen enim corporeum continuum neque quod lumen esset, cognosceretur: lumen enim dicitur: & est: vt à tenebris distinguatur: non igitur esset. vt esse apparet admiratione dignum à Deo creatum, nisi comparatio eius. quod videtur contrarium illud ostenderet.

Quamobrem oporaet gratias agere Deo sapientissimo creatori. cum propter alia multa. tum maximè quia fecit. vt lumen sentiremus. eo frueremur. quod quidem esse non aliter discernere potuissemus:

Est autem obstupenda ineffabilis Dei sapientia, quod cum tot, & adhuc plures necessariæ hominibus & opportunæ vtilitates ex tenebris existant, tamen quia erat nomen, & res tenebrarum, non fecit eas secundum substantiam, sed fecit, vt venirent, & recederent: vt quasi essent, ea, quæ diximus, & adhuc plura commoda præberent: & quasi non essent, minimè mundi fabricator accusaretur. extra culpam igitur & querelam est nox, quin potius, vsu est omnibus modis mirabilis.

Sed aiunt, latronem noctu latrocinari. sed quid hoc contra noctem? si enim non contingeret de die latrocinari eos, qui latrocinari volunt, oporteret tempus nocturnum accusare. Sed quia latro opportunitatem furti expectat, siue die, siue nocte incidat animus, maleficium faciemus, nō tempus; est crimini dandum. veruntamen si maleficus nocti pareret, dormiret sane, hoc enim solum nox iubet.

Præterea considerandum est, similiter inter se contraria videri lumen, & tenebras, veritatemque & mendacium, quod enim est lumen corpori, hoc est veritas animæ; & quod tenebræ oculis, hoc ignorantia, & mendacium menti. homo enim nihil aliud est quam anima, & corpus. vtrique parti suppeditat Deus, corpori lumen: per corpus enim lumine corporeo fruitur: per animam verò veritate spirituali.

Sicut autem non sunt tenebræ secundum substantiam, solum autem eas aduenire permissum est, sicut ostensum est, sic etiam mendacium non manet ab aliqua substantia per se existente, quam ille principium ingenitum vocat, neque est substātia quæpiam per se existens, ac viuēs. Sed sola cogitatione esse, cōcessum est, & aduenire, atque recedere similiter vt tenebras, idque valde vtiliter, & necessario. nisi enim cogitatio mendacij esse posset permissu Dei veritatis optio non esset in hominibus. spectata, & probata, frustra nominaretur, nisi permissum esset, esse mendaciū cogitatione. nemo enim esset amicus veritatis nisi potestatem haberet cogitādi mendacium. non dico esse mēdacium adiunctum veritati, sed quod optio veritatis non videretur esse, nisi potestas mentiendi adiaceret, quod quidem veracibus prodest, nō veritati. oportet enim eū, qui verax est, vt penes eum sit mentiri, à quo cum abstinet, verax est. Posse ergo mentiri affert hominibus, vt veritatem mendacio anteponant. Sicut positæ tenebræ, sensum luminis mouent, & excitant, tamē sicut lumen in tenebris lucet (dissoluit enim eas aduenens, quippe cum non sint secundum substantiam) sic veritas vincens mendacium, omnino conuincit, quod non est, cogitatione esse propter potestatem cogitationis, id est, quia cogitari potest. quomodo enim potest quis veritatē eligere, si suscipere mendacium non est penes ipsum?

Sensu enim percipimus lumen ab esse.

Si igitur ostendi posset esse tenebras secundum substātiam, & non aduenire, & recedere, sicut dictum est, poni etiam posset falsa, & mendosa substantia. Sin verò, nec ille, nec alius ostendere potest non dissolui has tenebras, quæ ad instar vmbræ fient, vt lumen quidem noctu existat, tenebræ verò interdiu non sint, liquet neque mendacium, quod cum tenebris similitudinem habet, per se existere instar substantiæ, sed necessario permitti, vt cogitatione tantum sit, idque ad electionem veritatis.

Quia vero lumen secundum substantiam per se extitit, plane existimare licet esse veritatem per se secūdum substantiam, vt similitudinis ac proportionis ratio limate, & perfecte seruetur, ecquid prohibet, quin Deum ipsam perseueritatem esse existimemus, & reputemus? Si enim Deus est lumen, lumen autem intelligibile, non aspectabile, lumen scilicet sicut veritas, lumen enim spirituale, nihil aliud est, quàm lumen veritatis, Deus tamen cum lumen, & ipsa per se veritas sit, à mendacio abstinet, non quia deficit ei potestas, sed quia non vult vnquam mentiri. Si autem non potest, non enim absurdum est sic loqui, ideo non potest, quia numquam vult.

Quibus enim velle, & non velle diuersè accidit, recte & rationi conuenienter his attribuitur posse, Deo autem A quoniam numquam accidit velle, confitendum est non posse eū mentiri, sic tamen, quia scilicet non potest velle, non autem quia non potest ad instar eius, cui est infirmitas, & deficit potestas, creaturam enim impediri, & constringi natura, lumen, inquam, corporeum non habere penes se, vt sit lumen, sed penes auctorem luminis esse, non est alienum à ratione sic dicere: auctorem vero subiectum esse necessitati naturæ, valde absurdum est cogitare, vt non videatur penes ipsum esse verū dicere, sed à natura per vim cogi; cum alioqui ipsum solum sit, quod quidem est, iis tamen, quæ creauit, imposuit, vt natura & necessitate essent, quod sunt. Deo tamen nemo imposuit, vt necessitate naturæ esset veritas. Supra naturam igitur est, qui naturas fabricatus est, ipse autem liber est a necessitate naturæ, sic enimvere bonum esse confitebimur.

Igitur ex ijs, quæ dicta sunt, patefit, per se mendacium non esse: mendacē vero esse eū, qui mentitur: à mentien- B te enim vocatur mēdacium: non autem mentiens vocatur ab eo, quod non est, mendacium enim nō potest esse, antequàm cogitetur, similiter tenebræ non sunt creatæ; sed subierunt, factæ vmbra vniuersi, præterquam quod tenebræ non solum subire permissæ sunt, sed valde etiā vtiliter. Cogitatio verò mendacii electionem veritatis apud homines declarat. cum vero anteponitur veritati mendacium. nocentissimū est idque valde consentanee. mendacium enim ab hominibus excogitatum est, tenebræ verò corporæ à Deo positæ sunt. idcirco oportet illud quidem fugere, hoc verò non vituperare, quod necessario à creatore positum est.

Vituperat autem non has solum iste inauditæ contra Deum blasphemiæ inuentor; sed etiam animantes, quæ naturam sæuam sortitæ sunt à creatore, more inimici, C qui omnia accusans, in creaturas Dei inuehitur. Sed blasphemiam amentem, & vecordiam istius deceptoris in huiusmodi animantibus sermo noster redarguet.

Omnes enim feras, ac bestias, quadrupedes, ac serpentes cum vituperat, perinde mihi facere videtur, vt si quis seruus deditus peccatis, & improbissimus, alia quidem Domini, & auctoris sui approbet, odio autem habeat, & criminetur flagellum solum, quod apparet, qui ipso quidem odio ostendit, quàm necessarium sit flagellum appositum. homines enim faciles, & parati ad capiendam obliuionem contra Deum, si nihil haberent in fabrica mundi, quod dignum esse metu appareret, amplius quidem procederent animo, & voluntate contra Deum, accusati vero essent non recte, vtpote nulla re earum, quæ D apparent, excitati. etsi enim natura inest nobis libertas ad eligendum quod melius est, tamen propter ignauiam facile in obliuionē incidimus. multa igitur sunt, quæ necessario cogitationem nostram ad Deū timore excitāt, sicut rursus plurima, quæ hanc cogitationē per benignitatem & boni fruendi copiam & facultatem ad agendas gratias creatori mouet. vtrisq; enim erudimur, & instituimur iis, quibus tanquā bonis fruimur; & iis, quibus tanquam horribilibus & pertimescendis conuertimur.

Quod igitur sæuum est natura, horribile est, sed non malū: malitia enim & nequitia affectio cogitationis sunt. appetitus autē naturalis sic factus, ad omni culpa, & crimine liberatus est. Deus autē misericordia erga homines motus, fecit vt metu, & horrore bestiarū ratione carentium, probitatem, quæ ad partem rationis compotē per- E tinet, consectaremur & nihil in huiusmodi bestiis ac feris malum. quod enim non nouit, quod est, quomodo malū est? vt iam non minus sic redarguatur, quod Manichæus tradit de nequitia, quam finxit, & ingenitum principium vocat. non enim tribuit ei cogitationem & cognitionem nequitiæ, ne si reperiatur habere sensum boni, hac ratione appareat, non esse nequitia. cognitio enim boni testimonium est naturæ non malæ. Manicheus verò, cum nequitiam statuit, ratione carere, & cognitione priuatam esse, eam etiam priuat cognitione eius, quod ipsa est.

Si enim sentiat, & cognoscat, quod mala est, sentiet omnino contrarium euadens bona. Siquidem malum

ratione

ratione deprehenditur sensu & comparatione boni, vt si manifestum sit malum, contrarium quoque sit manifestum: omne enim contrarium probatio, & index est contrarii, cognitione tamen & iudicio. Sine cognitione enim neutrum est alterius indicatio. Si igitur nequitia se ipsam ignorat, & cogitatione non suscipit malum, non erit nequitia: frustra, & vanè accusabitur: nequitia enim libera à ratione, similis est parenetico, id est, furioso in febre, aut in alio casu, qui. quod facit, nescit. cui omnes ignoscere consueuimus: ac magis quidem ad luctum flectimur, à nequitia eum liberantes: cum sine causa percutit, aut etiam occidit, si gladium repe-riat. Sic omnibus hoc manifesto patet: & hoc iudicium commune est ac naturæ consectarium, non nominare malum, si ignorat, quod facit. Si igitur neque id, quod cognoscit, bonum necessarium vocabitur. sequitur neque id quod seipsum & quid sit, ignorat. nequitiam esse quorum alterum neque ipse admittit. alterum vero per errorem. & contra communem existimationem statuit: sic neque fere vlla mala est, cum sit rationis expers: homo vero male moratus, malus est, qui ratione vtens capessit, quæ non ignorat: accessio enim rationis ad naturam nequitiæ crimen inducit: præparat enim ratio cognitionem actionis suscepta: quia priuatio cognitionis priuatio est culpæ & criminis. Sic homo vtrumque cognoscens virtutem scilicet & vitium, ab eo, quod eligit, nominatur: antecedit enim electioni cognitio, prius autem quam cognoscat, dum perparuus est, à neutro extremo nominatur, id est, neque bonus, neque malus dicitur. Quamobrem ex omni parte liquet, virtutem & vitium rationi, & post rationem electioni attribui: bestiæ igitur, quæ non sunt rationis participes, non sunt nequam, nec à nequitia productæ: quia si illa ita se habeat, non est nequitia.

Præterea videre licet sæpenumero, quod est in serpentibus nocentissimum: venenum dico à medicis absolutissimis ad medicinam adhiberi: & mixta cum iis, quæ possunt auxiliari, grauissimos morbos interdum depellere: & ex ipsis carnibus, aliis generibus, & herbis admixtis optimum remedium corporibus confici. Similiter in aliis bestiis: quædam enim partes, & membra & sanguis, sola, ac per se ægrotantibus conducunt. Quomodo igitur sunt ex nequitia, quæ ex parte sunt vtilia, & iuuant? Hæc igitur omnia ducenda sunt vtilia propter homines tantum; non autem appellanda sunt bona, neque mala, quæ hominibus tantum necessario metum iniiciunt, vt ad melius institutum se conuertant, & otium bestiarum, atque vocatio earum à vocando, apud homines otium, & inertiam prohibet: sunt enim posita ipsa instar flagelli apparentis in domo, vt metuant famuli, ac ministri, si quis eorum se dedat otio, aut si quis domi delinquat. Si vero contingit videre has, quas diximus, bestias nihil nocere improbis, admiremur in Domino tolerantiam malorum: nihilominus tamen considerare oportet flagellum propositum: contra vero si boni incidunt in has feras, aduertendum est, quod Dominus bono delinquenti prospicit, & cauet, non autem ei qui valde desperatus est: ille enim peccat, quæ curari possunt: hic vero reseruatur ad supplicium, quod euadi non potest, huiusmodi enim exempla permulta in diuinis Scripturis videre, ac legere licet: magna itaque cura est Deo de homine, quamobrem omnibus modis proposuit, quæ eum ad timorem mouerent, & excitarent, vt neque somnus illi à creberrima molestia liber esset, quin hic etiam à quibusdam feris, & serpentibus impeditus, cogitationem instar stimuli pungeret: ac multa quidem sunt, quæ humanam infirmitatem iuuant: vt ergo homo recordetur Dei, eiusque memoriam habeat, mirifice per ea, quæ corpore patitur, à morbis animæ liberatur: & per ea, quæ pati posset, quamuis non patiatur, ad timorem conuertitur. Incidit quoque homo necessario in morbos corporis, vt peccatum, grauissimum morbum, & qui solus vere morbus est, effugiat: qui enim non dolet, intemperans est: & qui peccat impune, funditus perit.

ἀπ:μάχ-ρου. [margin]

φοιδῖ. [margin]

Si enim tam multis, ac tantis, ad timendum propositis ex magna parte homines ex vacuitate timoris ægrotant, quomodo conuictum, & societatem inter se habere potuissent, si nullus eis metus ante oculos impenderet? mollit igitur duriorem mentem morbus, & sæpenumero naufragium mercatores periuriis assuetos mutauit, & rursus inopia opibus elatum depressit: orbitas filiorum correxit auaritiæ propter liberos deditum.

Quod si non correxit, exemplum saltem sentientibus præbuit: ac liberi quidem nullam prorsus iacturam, aut damnum fecerunt, quin immo beneficium acceperunt ab institutione malorum parentum liberati: auaritia autem fallitur.

Rursus alij cum parentes alioqui probos habeant, moriuntur, aut quia futuri erant digni genitoribus suis, ne bonorum malæ columnæ extent: aut si probi quidem sunt, euasuri tamen praui mutatione motum, si crescerent; beneficio afficiuntur, non permanentes in malum suum, omnia Deo prouidentia, & præcognitione sua gubernante. Admodum itaque necessarij sunt metus & variæ, atque infinitæ sunt causæ eorum, quæ Deus dispensat, ac prouidet; & sæpe sæpius eadem propter varias causas eueniunt: ille ægrotat propter peccata, vt conuertatur: alius propter virtutem, vt magis adhuc exerceatur: in testimonium item alius propter minimum peccatum, vt arguatur: & eiusdem casus variæ etiam causæ, ille amittit opes malè eis vsus, Deo sic illi prospiciente, ac præcauente: alius vt ad virtutem per inopiam se exerceat: alius sponte sua graue pondus diuitiarum abiicit, ne sint ei impedimento ad virtutem, neque facile quispiam perspicere potest absolutam rationem earum rerum, quas Deus gubernat, vt hominibus consulat: pauca vero quæ comprehensa sunt fidem faciunt eorum, quæ non sunt. Quædam enim ipse declarat hominibus, vt quodammodo ex iis, quæ sentiunt, ascendere possint ad eum: alia vero plurima, obscuritate contegit, ne contra se fiat magister non credendi: nec enim decebat omnium, quæ sigillatim fiunt demonstrationes à Deo poscere: siquidem huiusmodi cognitio difficilior, & peior est quam ignorantia: hac enim ratione suadetur menti, quod addiscat: alioqui, nihil horum, quæ Deus gubernat, ad iustam gubernationem referret: melior autem est in Deum fides, & charitas, & quamuis mens non perspiciat, quae fiunt, confidat tamen recte gubernanti: siquidem in omnibus rebus adduci argumentis, & probationibus, potius esset perfidia, quam fides.

Immo plerique in veros, & germanos amicos non inquirunt curiose, legitimam, ac germanam amicitiam hoc ipso reddentes, quod cum amicis sine curiositate versantur: tanquam facile accusationem perfidiæ incurrentes, si nunquam post periculum factum ipsis confidant: sic etiam Deus cum maximè velit, vt simus erga ipsum bene animati, non omnem prouidentiae suae vim & efficientiam declarat: vult enim, vt ei credamus: neque rursus omnem nos cælat, sed quibusdam exemplis quodammodo mentem nostram sustentat.

Qui igitur animo grato, & pio sunt, simul sentiunt & memoriam semper conseruant instar terræ bonæ satæ, florescentes in studio virtutum.

Qui vero mentem habent magna grauitate consuetudinis peccatorum obrutam & oppletam, aut anticipatione aliarum contra Deum fictarum cogitationum, quales Manichæus deprompsit, & quales apud alios reperiuntur: pulsatur quidem eorum mens, sed repellunt sensum exemplorum, & vtilitatem.

Atque hæc quiddem adiecta sint generatim de prouidentia Dei vniuersorum: erat autem nobis quæstio de

omnibus feris, demonstratumque est rationibus ex natura ductis neque malas esse, nec ex vllo malo principio profectas, vtiles vero esse hominibus ad incutiendum metum. Si enim, quæ in mundo facta sunt, suauia essent, & hilaritatis plena, nihilque omnino esset, quod vel sensim perterrefaceret, graue, & durum visum esset hominibus instrui ad non timendum.

Habent autem hæc etiam varietatis ornatum, & decorem cum terrore mixtum: præter hæc etiam continuo sunt alia animalia, quæ nec idonea sunt ad alendum homines, neque possunt præbere eis vestitum: neque rursus ferina sunt, & sæua, sed solum varietatem mundi supplent: manifestumque est omnia animalia mansueta, & non mansueta, & quæ sunt interiecta, vnius creatione, & voluntate permanere, nec à seipsis vicissim interire, variis modis excellenter munita: alia enim prædita sunt inuicto robore, alia vero infirmiora, velocitate naturali se tuentur: alia aliter armata sunt: & quæ videntur armis carere, alia quædam forma munitionis tuta sunt: aut enim naturam volucrum sortita sunt, aut sub terra latent: sic fabricator mundi ornatum confecit varietate, & redigens ad æqualitatem, quæ sunt diuersa, omnibus distribuit tuitionem sui, vt nullum genus horum imbecillitate naturæ proditum, pereat: ad commutationes temporum induuntur tegumentis suapte natura ortis, & pilis densis, ac duris cornus, quæ hyeme, & in æstu ad propulsandum incommodum idonea sunt, & quæ faciunt, vt facilius recubent, & requiescant, vt videatur suapte vi, & natura supposita eis stragula: ac partim quidem parum fœcunda sunt, aut tanquam difficilia ad capiendum, aut tanquam diuturnæ vitæ: alia vero, quæ facile capiuntur, & ad vtendum quotidie tradita sunt, fœcunditate sua durant, & seruantur.

Alimenta vero aliud animal alia habet, atque omnibus abunde apposita sunt, ita vt nulla herba ex iis etiam quæ mortiferæ videntur esse, natura sit mortifera quod enim alteri generi nocet, alteri prodest. Salutare autem & pestiferum simul natura quomodo hoc esse potest? differentia autem his vtentium varietatem, quæ in his inest, requirit, vt in animantibus ratione carentibus vestigium quoddam appareat rationis, legis scilicet eius, qui ea creauit: nihil enim horum ignorat, quod sibi cognatum est: neque propter naturam ferinam, & rationis expertem, quod pestiferum sibi est tanquam aptum ad nutriendum adhibet. Quin potius vnumquodque quod sibi commodum est, appetit, & prosequitur. Si enim omnis herba, & radix omnibus esset accommodata, & congruens, minus patefieret, quod lex creatoris etiam in animantibus ratione carentibus viget, & dominatur.

At vero esse hoc quibusdam nocens, aliis autem idipsum salutare, clarius sapientiam Dei in omnibus prædicat, qua factum est, vt esset in animantibus ratione carentibus vis quædam naturæ, qua ea, quæ apposita sunt, discernerent. Quæ si naturaliter in singulis non inesset, merito, ac recte ea, quæ nocent, accusarentur tanquam à nequitia edita, & orta.

Sin vero in animalibus naturalis quædam vis discernendi, iudicium præoccupauit, & vnumquodque sibi conueniens eligit, omnis videlicet herba, & radix vtilis est, etsi non omnibus: varia autem sunt varie apposita.

Hoc igitur modo Manichæi, qui omnia criminari studuit, refellenda, & euertenda est accusatio herbarum pestilentium. Sic enim & contra ferrum, & contra ignem mentitur, faciens in his contra quam vult. Qui enim accusat materiam, quam esse inaniter fingit: rursus apparet tanquam defensor, & patronus eius eis succensus tanquam malis, qui materiam consumunt: ferrum autem, & ignis seminata sunt in terra ab ipso mundi auctore, inuenta vero sunt ratione ab homine id Deo concedente. Sine his autem penitus manca esset vita hominum.

Etiam si iudicauit Manichæus nocentia esse, quia consumunt & interimũt corpora ferro & igni obiecta, quãto magis apparebunt vtilia & salutaria propter vsum suũ ad omnia necessarium. Si vero abdita sunt, & latentia in fabrica mundi, hæc autem à principio ratio hominis adinuenit, cui assignabimus rationem hominibus horum inuentricem, an nequitiæ, & materiæ quæ cognitionem non habet, vt Manichæus est author, an Deo? At perspicuum est sapientiam rationis & bonum esse, & munus boni. In quem suapte vi insiluit vnquam ferrum? quod vsui rationis tantum subiectum est, & omni arti seruit, ac ministrat.

At occidit homo ferro, inquit Manichæus: & ad instrumentum accedit malum artificium vtentis. Quasi non esset visum ferrum malum, nisi homo hoc modo ferro vteretur: Si enim vellet sicarius occidere, & ab ictu aberraret, an non liquet, animo quidem rem perpetrasse, ferrum vero extra culpam esse? sic quamuis ferro homicidium fiat, non est in crimine, & culpa ferrum, sed qui non secundum rationem vsus est ferro ad secandum; si autem ligno percutiat, aut cuspide feriat, aut propriis manibus strangulet, rursus hæc Manichæus appellabit mala, & omnia apud eum crimini potius dabuntur, quam cogitatio voluntaria.

Omnia enim, quæ dicta sunt cum ferro, neque bona, neque mala sunt: trahuntur enim, quo qui vtitur, velit, quæ vero sunt posita instar instrumentorum, & deseruiunt vtenti: quæ si homini non essent tradita, nec artificia sic perageret, nec vtilitates ex artificiis copiosas haberet? & quod plus est minime ad virtutem exercitatio adhiberetur, non habendo enim apposita instrumenta, quæ ad actionem virtutis, vel vitii accommodari possent, non haberet potestatem virtutem vitio præponendi, vt maximam iacturam fecisse videretur, & a maxima laude excidisse, si propterea videretur non admittere turpe fatum, quia non habuit copiam eorum, quibus perficeret: quod enim omnino non agit, otiosum est, & inglorium.

Sed vide, inquiet, quod ex instrumentis prouenit, magis necessarium accidit: mors enim non est inuenta ab interfectore sed a creatore sancita est: & si quis studeat ferrum, & lignum, & lapidem, & aquam, & alia eiusmodi tanquam malefica accusare, relicto principio instrumentorum, reprehendat, & accuset id, quod ex instrumentis prouenit, mortem dico: probet que non esse hanc à Deo decretam, & constitutam secundum rationem: atque ita postremo appellet mala, quæ male adiuuant mortem. Sed si nemo potest probare mortem esse malam, sed contra potius, vt copiose probatum est, vtilem esse, an non superuacaneum est accusare tanquam natura sint mala ea, ex quibus mors accidit? quæ neque sciunt, ad quæ sint adhibenda ab altero, cui tradita sunt, & ab omni culpa, & crimine sunt libera? cum oporteret hominem solum accusare, qui ea instrumenta tunc mouet, cum non licet, neque conuenit.

Sic enim verè conclusum, & confectum est, nihil in fabrica mundi esse malum, solam rationem humanam, quæ necessario potestatem accipit, aliquando quidem peccare: peccantem vero ob id solum reprehendi, quia quod deterius erat; præposuit meliori: neque contra naturam posse aliquid nouare, nec esse penes eum, vt quæ supra sunt, sint infra, sed solum facere ea, quæ secundum naturam sunt, quamuis accusetur facere præter rationem.

Sicut cædes mortem secundum naturam operatur nihil amplius faciens, quam quod est secundum naturam præterquam quod coarguit eum qui fecit: rursus adulterium, & alia eiusmodi ob eam tantum causam accusantur, quia sunt auersa a ratione. Contra naturam vero à creatore constitutam nihil penitus potest aliquid noui moliri, quippe cum lex eius, qui naturam fabricatus est, sit, &

ſit, & maneat immotabilis: in ipſis verò, quæ naturalia ſunt, peccata verſantur nullam oouitatem introducentia, ſolum arguunt & cooomcunt facientem ſponte peccare, vt qui non poſſit aliter ex virtute degere, niſi penes eius ſit cootrarium agere, quod quidem volens, & libens declinat, vt virtutem comparet: eſt igitur ſommæ ſtultitiæ, & inſipientiæ ferrum, aut lignum, aut alia euſmodi in crimen vocare, & non eum, qui his præter rationem vtitur.

Si quis vero quærat, quare occiditur homo? rurſus dicendum erit, quod ſæpius dictum eſt, quare igitur homo denique moritur? quod quidem ſi malum eſſe oſtendatur, recte culpa in eum, qui conſtituit redundat. Sin vero oon eſt mala, permiſſio tantum eius, qui res noſtras procurat, inquirenda eſt, quare homo in hoc genus mortis incidit, quæ non eſt ſecundum naturam mala: & continuo reperietur, ea multis ac variis cauſis accidere, quas enumerare curioſom fuerit.

Idem enim iuſto, & iniuſto diuerſis caoſis accidit: oon vt iuſto ſit damno; nec iniuſto, vt ſit ſupplicio, & vindictæ, (non enim quod ſecundum oaturam eſt, ſupplicium fuerit) ſed vt ſit exemplo aliis: vel ad prohibeoda mala inſanabilia: multæque aliæ cauſæ ſunt, propter quas Deus hominem occidi permittit: conſtat tamen nihil amplius, quam quod in natura decretom, & conſtitutom eſt, accidere: licet enim diuerſus caſus accidat febris, ſatietatis immodicæ, aut contra exinanitionis ex fame, frigoris, æſtus, aggeris, lapidationis, gladij, ignis, aquæ: at in his omnibus vnum eſt, quod inde prouenit: ecquid hoc? id ſcilicet, quod à creatore, recte, & vtiliter in vniuerſo genere conſtitutum eſt.

Sic igitur, ac multis etiam aliis modis demonſtrari poteſt nihil eſſe in fabrica mundi malum; neque quicquam in gubernatione diuina, quod reprehendi poſſit, ſed omnia ioexplicabili ſapientia facta eſſe, & prouidentia ineffabili gubernari, vt non ſit facile eorum, quæ à Deo facta ſuot, tum quæ ſuauia, tom quæ triſtia & moleſta eſſe videntur, rationem perſpicere, ac comprehendere: non enim vt videtur, oportebat patere omnibus diuinæ ſapientiæ indicia, & meotem Dei, quæ oec explicari, neque comprehendi poteſt, omnino nudam, & apertam eſſe hominibus, quandoquidem plurima etiam hominex regis conſilia interdum celantur, vt quod agitur, qua ratione fiat, ignoretur.

Quare non mirum eſt, ſi totius gubernationis Dei rationem non percipiunt: quod decet ſine curioſitate ſubiectos eſſe. & ſilere, & minime contra diuinam gubernationem dicere. Sæpe enim pudet nos in architectum peritum, aut ædificatorem nauis expertom, aot in fabrum ſpectatum curioſe inquirere, cum quiſque eorum, quod artis ſuæ eſt, facit; quin potius experimento conſiſi, expectamus vt opus videamus: contingit etiam aliquando, vt lapſum eorum non ſentiamus.

Quid dicemus de ſapientia Dei, qoi omnem mentem, & intelligentiam ſuperat, quam quidem oportebat ſiue eam intelligentes, ſiue non intelligentes obſtupeſcere, & honorare. Si quis vero quia rationem multorum, quæ à Deo fiunt, oon aſſequitur, decidat in abſurdas de Deo opiniones, miſerrimus, & valde ſtultus, & ioſipiens eſt, hic ipſa cæcitate mentis ſuæ tanquam doce vtens, vt Manichæus, qui inſaniam ſceleratiſſimam contra eos, qui ei crediderunt, excogitauit: qui quia oon intellexit, quomodo noſtra Deus gubernaret, ſecundum principium ingenitum nequitiæ finxit: vt ab iis, quæ ſunt ſupra, delaberetur; & ea, quæ infra, vt intelligeret ooo ei concederetur, ea in Deum vniuerſorum fingens, quæ patientiam eius altiſſimam prædicarent: diuiſit enim ea, quæ Dei ſunt, & eorum plurima ad nequitiam, quæ nihil eſt, retulit: omnibus modis in Deum blaſphemius, qui ait, opera bona Dei compoſita eſſe ex nequitia.

Quid igitur diceret de principiis corporum, quæ quatuor elementa appellari conſueuerunt, quæ qui-

A dem contraria inter ſe ſunt, & perfectè oppoſita? nullum autem horum poteſt quicquam per ſe efficere. Quid enim erit, ſcilicet ad generationem corporis ſiccum ſine humido? aut quid calidum ſine frigido? Si igitur contrariorum coniunctio efficit corpus, quænam ille ex quatuor elementis referet ad neqoitiam? aut quæ ad bonum? ſi enim Manichæus in omnibus elementis mixtionem boni & mali cogitatione fingit, neceſſe eſt diuidere quatoor in duo, & hæc ſcilicet æqualiter ſeparare; vel tria in voom: ad quodcunque referat ad bonum reperietur poſſe per ſe nocere, quia nullum ex quatuor elementis eſt purum, ac merum & non periculoſom, ac continuo quod in mixtione redundat, efficitur corpori cauſa interitus, vt aiont, qui ſunt in his periti, & exercitati.

B Si ergo calidom quidem per ſe vrit, frigidum verò refrigerat, ſiccum autem ſiccat, & humidum humorem efficit, quod horum Deo attribuet iſte planus? ipſum enim corpus totum conſentaneum eſt ex iis elementis mixtum eſſe, ex quibus compoſitom eſt, & per ſe exiſtit; vt autem vnumquodque elementum ſit ex mixtione eorum elementorum, ex quibus fit mixtio corporum, fieri non poteſt.

Quamobrem ratio non patitur, vt quodque ſingulare & indiuiduum elementum in duo contraria principia dioidatur, & mixtio cuiuſque eorum introducatur: quam enim compoſitionem excogitabit in ſicco deceptor iſte? quam mixtionem io mero, & puro igne? aut quam coagmentationem in frigido, quod ex toto frigidum eſt? ſimiliter in humido.

C Hæc enim vnius formæ, & indiuidua planè ſunt: vt nollum horum per ſe poſſit exiſtere, ſed aliis iunctum.

Inſanit igitur, & quidem grauiſſima inſania, cum partem quidem ignis dicit eſſe booi; partem verò mali: eſt autem neceſſe illi hoc facere in elementis, & diuidere, quæ diuidi non poſſunt: ſiccum enim ex toto ſiccum eſt, & per ſe ſiccitas ſimplex eſt, & vnius formæ: & frigidum neque cogitatione diuidi poteſt, cum ſit vnum, ac ſimplex ex toto: ſimiliter humidum, & calidum.

Quid igitor in igne erit Dei? & quid contra erit nequitiæ? quandoquidem neque diuiſionem recipit, neque miſtionem accepit, cum ſit purum ac merum: corpus enim diuiditur ſaltem cogitatione: merum autem e-

D lementum quomodo ex contrariis compoſitum eſſe videri poteſt? quidnam contrarij cogitare quis poteſt in puro igne.

Si igitur vnumqoodque eſt ex toto periculoſom, nullum eorum, per ſe ſecondum rationem Manichæo conueniet bono, ſed potius omnia referentur ad malum: præterea non erunt corpora ex altero compoſita, quod eſt alienum à fundamento Manichæi.

Quomodo autem videbitur ei in igne hoc quidem eſſe ſalutare, quod eſt boni, hoc verò mortiferum, & vrens, quod eſt mali, niſi inſane fingat mixtionem elementorum: ex bono, & ex malo? quod quidem ſi putes, cogetur tribuere Deo, quæ volet ex quatuor elementis, quæ ex toto, & indiuidue tali natura prædita ſunt, & cer-

E netur confiteri exiſtere ex Deo merum, & per ſe nocens: diuidit autem inſanus naturam ignis indiuiduam, dicens aliod eſſe in igne ſalutare; aliod verò vrens, non intelligens barbarus, in vſu ignis eſſe diuiſionem, non in natura ignis: huius enim nimia propinquitas pernicies eſt; moderata vero diſtantia ſecuram participationem caloris affert: cum alioqui ipſa vis vrendi ſola, quæ quidem eſt ignis, neceſſaria ſit: hæc enim mollit, & liquefacit ea, quæ ad vſum neceſſario adhibentur: vt nihil aliud ſit ignis, quam vis eius ad vrendum, & nihil aliod neceſſariom ſit ad hunc vſum, quam hoc. Manichæus vero valde ingratus, & beneficiorum Dei immemor ignem vituperat.

Si quis autem ponat quatuor elementa, ſicut ille opi-

natur, ad malum pertinere, quomodo hæc, quæ sunt singula vnius naturæ, contraria esse videantur? Si enim calidum est ex ipso, frigidum ex altero, aut contra, si frigidum ex ipso, calidum ex altero, & sic rursus in alia coniugatione hoc fundamento posito, mixtio corporum fieri non poterit: si verò excogitationem nequitiæ referat inuentionem extruendi mixtionem corporum, sapientissima apparebit nequitia, quæ alioqui cognitionem, & intelligentiam non habuit, ita vt maximam creatoris laudem, & admirationem ferat, siquidem cognouit, quomodo per se existeret mixtio scilicet corporum.

Sed quia solem honorat, & vt existimauit, decernit non habere mixtionem mali, age videamus de sole pro studio veritatis: videbitur enim esse vnius ex quatuor elementis, substantiæ, inquam, calidæ: non enim nocet subiectis, sed solum calefacit, & iuuat, quia plurimum distat: quibus autem appropinquat, vrit, & tale solum sterile reddit: & in æstate cum in terram iacit radios putos in meridie, vsque adeo eam calefacit, vt pauimentum nudis pedibus suppositum instar incendij sit.

ἀκμῇ. Sæpe autem homines in flammam solis incidentes nimio æstu interierunt non inuento prope, quod refrigeraret: efficit autem nigra corpora, & adurit, facitque planè, quod ignis solet: imò ipse ignem fœcunde generat, si quis aquam in vase vitreo soli aduerso admoueat: vis enim radij solis lucido illo aquæ & vitri coacta, & confracta, atque in angustum quidem transmissa, & adiuncta materiæ, facile ignem concipienti, simul parit ignem, & aperte suadet non volenti contendere, esse quidem solem speciem ignis, ex operibus verò splendidis ipsius creationis ipsum primum, siquidem natura ignis splendidior est omnibus.

Cum enim omnia alia elementa deorsum ferantur, solum ignis in ea quidem, quæ comburi possunt, insultat, sursum vero supra omia fertur leuitate sua, aëremque ipsum conuincit grauiorem esse, quia supra eum in sublime fertur, vt subtilior, tenuiorque appareat quàm aër propter cognationem cum sole. Vnde Manichæus eum solem facit diuinum tanquam ex natura boni, videtur similem igni facere, immò talem quendam, qualis est ignis, introducit. Sol enim substantiæ calidæ ab igne differt τῷ λίαν, efficientia verò idem operatur, nisi mensura distantiæ ea, quæ sunt opposita à validiore iactu radiorum defendat: quinimo omnibus animantibus, & stirpibus nocens existimaretur, nisi simul alia cum eo fabricator mundi ad auxilium fecisset, quæ faciunt, ne nobis & aliis animantibus noceat, hæc autem sunt latibula, & tecta: stirpibus verò aquæ sunt auxilio, & flatus ventorum.

Quare qui definiunt esse quintum elementum solem, ne contra ea, quæ clara sunt, contentiosè disputent: nec vlla fides habeatur Manichæo scelestissimo, & in Deum blasphemo, qui solem cum Deo confert, & ex substantia eius esse dicit. Omne enim, quod sub aspectum cadit, cum sit corpus, natura oppositum est inaspectabili, & incorporeo, cuius opus esse potest. & quidem opus valde mirabile, similitudinem verò naturæ nullam habere potest.

Valde difficile esset enumerare, quæcumque impia hic planus libris suis inseruit: vituperans enim res omnes tanquam malas, fructus etiam terræ tanquam nutricios materiæ accusat: ac solem quidem admiratur, & ex bono esse decernit, quæ verò sint calore, stirpes dico, & semina, non pudet acerbè vituperare, quæ quidem sine sole qui à Deo factus est, omnino non consisterent. Sicut enim nihil iuuaret sol, nisi imbres arbores irrigarent, & vtiles venti perflarent, sic imbres, & alia sine sole nihil iuuarent.

Ille igitur etiam hic vehementer secum pugnat, accusans grauiter, & ad nequitiam referens fructus terræ à sole alioqui auctos, quem valde admiratur, & honorat:

A imbres dicit esse superfluentias præsidium materiæ, qui ex amore laborant aduersus potestates boni, qui cum ita laborent, sudores eorum esse definit, id quod in eis, vt ipse putat, abundat & superfluit.

Nititur etiam docere, superuacaneos esse imbres in mare, & in loca sola, & quæ non seminantur, effluentes, tanquam aduenerit ad ratiocinandum diligenter contra Deum, quasi frustra, & profuse, ac prodige aquas consumat, qui præ summa amentia non videt, quid Deum deceat. Quod si Deus inops aquarum esset, faceret diligenter, vt accommodate ad vsum, & necessitatem effluerent. Sed quia diues est, & tam diues, quantum nemo oratione consequi potest, hæc ipsa abundans imbrium effluxio demonstrat mare, ex quo aquæ in aërem feruntur, per imbres irrigare: solitudo vero, & lo-
B cus, qui non excipit semen, necessario pluuiam accipit ad suppeditandum fontibus, & aliquando iter facientibus, vt inueniant aquas collectas. Denique vt terra expers pluuiæ sole arderet, non sanciuit: vt plurimum enim aut per flumina, aut per imbres vniuersa terra rorem à Deo accipit.

Siue igitur non pluat, præsto est Manichæus & qui eum sectantur, ad blasphemiam Iudaïcam, siue pluat, non desinit inaniter accusare, & reprehendere Deum, & panem, si in manus ad vescendum sumant, primum discipuli blasphemiæ Deum maledictis insectantur: atque iis ingrati satiantur: & quasi nihil fructus ex creaturis perciperent, linguam soli in eam acuerunt, imò in auctorem eius, & tanquam inimicissimi Dei, ea, quæ sunt creta, participant, idque succensentes, quod eis indi-
C gent.

Procreationem liberorum contumeliose vituperant, volentes, vt corpora sine ea miscerentur, qui serui quidem sunt necessariæ successionis à Deo sancitæ, sed non voluptatis, inimici autem per omnia veræ & germanæ virtutis, ac pietatis, tanquam accusantes humani generis perpetuitatem, & volentes alicubi sistere processum eius naturalem, sancientes legem Deo, & bonitati eius succensentes, quia eorum blasphemiam patienter tolerat.

Cum alioqui naturalis quidam appetitus concubitus ob eam causam corporibus constitutus, & ordinatus est, vt animalia fere necessitate motuum naturæ ad efficiendam successionem ferantur, sapientia infinita creatoris qui hoc statuit: etenim quia laboriosi sunt partus mu-
D liebres, laboriosæ item viris & fœminis educationes liberorum, valde autem necessariæ successiones, appetitus quidem naturaliter mouet, & quodammodo vim adhibet, ratio autem sancte demonstrauit præstabiliorem esse successionem voluptate: & extra culpam est voluptas corporum, siquidem rationem, & legem auctoris sequatur.

Qui autem sæpius voluptatem capientes, opus quod inde necessario prouenit, odio habent, & mandant sic commiscere corpora præter editum, vt conceptus concludant, & eneciant, & partus tempestiuos & maturos non expectare, quippe cum solum sit graue, & difficile, hi inquam, qui inimici naturæ excitati sunt, & insanire contra Deum vniuersi didicerunt. Quare in-
E quiunt, insita est corporibus libido corporum commiscendorum?

Sed quomodo esset in hominibus decor pudicitiæ priuatæ, nisi natura esset quod titillaret, & ratione coërceretur? vbi esset apud mulieres virginitas, aut apud viros intractatio nuptiarum, nisi ratio amorem sanctitatis haberet quæ naturaliter certans eos, qui recte cupiditatem insitam reprimunt & domant, victores declararet? idque non ad contumeliam naturæ, sed ad exercitationem tolerantiæ, & sanctitatis? sic sane cibis, & potionibus delectamur, non criminosa voluptate fruentes, naturalis enim hæc est, & tamen ieiuniis nos exercemus; non quod est supra naturam contra naturam exercentes, sed tolerantiam amplectentes, & Deum per

humi-

humiliationem placantes, & propitium redentes: nunquam exercitationem ieiunij susciperemus, nisi fames esset in corpore.

Vbique igitur appetitus asciscit laudem & moderati vsus ciborum & abstinentiæ pro viribus, non enim vsus eorum, quæ secundum naturam sunt, peccatum parit, vini quidem moderata potio salutaris esse potest: vitium verò ebrietatis per intemperantiam introductus.

Similiter vsus cibi secundum naturam moderati culpa vacat: gula vero arguitur, & reprehenditur propter nimium, & quia est præter rationem: sic etiam legitime, & moderate appetitu miscendi corporis, omnino caret crimine, præter legem autem, & immoderate vti crimen affert incontinentiæ. Manichæus igitur, & eius asseclæ nihil ratione perspicientes, omnia furenter contumeliis affecerunt, tanquam omnis cupiditas sit mala, cuius quidem modus, & temperamentum legitimum caret culpam, & crimen est, abstinentia vero pro viribus spectata laus est admirabilis virtutis.

Si enim quis abstinens laudabilis est apud Deum, non male in potestate eius est, id cuius abstinentia officium est perfectæ virtutis: maxima enim iactura fieret, si in potestate eius non esset, tanquam non posset edi virtus per abstinentiam: nisi enim contrarium fieri possit, non potest fieri malum: neque rursus fieri potest bonum, nisi possit malum, vt sæpe demonstrauimus. Manichæus autem bonum, & virtutem inhonorat, cum potestatem, & libertatem vituperat.

Præterea non pudet dicere animatos esse lapides; & introducere omnia animata, & quæ manifesta sunt inanimata, tanquam illa virtus boni in lapidibus etiam contineatur? qui vsque adeo quod ab ipsis honoratur, ad ludicrum & vilitatem deiicit, vt naturam boni in lapidibus inanimis ligatum esse dicat: affirmare autem sic se habere ista quæ dicit, qualis insaniæ indicium esse dicitur? si enim in lapidibus continetur, quod à Deo missum est, iam vicit nequitia, contra ligato, quod ad ligandum venerat: dicit animæ lapidum, & ignotum indicium esse sonum in aëra lapidis, & virgæ, tanquam audieris aliquando vocem ipsorum articulatam.

Est autem apud nos etiam cogitatio, & sermo animæ, qui nequaquam auditur: quod enim auditus, percusso aëre per instrumentum corporeum, auditus, quod quidem absque motu rationis in animantibus ratione carentibus inueniri potest, quæ clamant quidem sed non articulata, quia ratione priuata sunt.

Est autem proprium corporis licet sit inanimatum, percussum aëre sonitum reddere: quod enim caret corpore, non reddet vocem, quæ audiri queat, quia non percutit aërem, cum sit ab instrumento percutiente liberum.

Quamobrem incorporeæ potestates inanimatæ videbuntur, quia nihil quod sensu auditus percipiatur, ab eis ad nos fertur: quod igitur oportebat fieri indicium corporum prorsus anima carentium, vt quæ necessario aërem pulsant, (hoc enim corporis est, non animæ) hoc accepit Manichæus tanquam signum animationis: hinc etiam est, quod grauiter accusat eos, qui mactant quadrupedes & volucres, quæcunque homines ad vescendum adhibent, tanquam hæc etiam illa virtus boni animet, in eisque contineatur. Sic studet, vt modis omnibus contumeliose vituperet, quem bonum scilicet appellat: interrogandus quippe est, cuius pro curatione tradita sunt hæc à principio hominibus ad vescendum? an nequitiæ tanquam contumeliosæ in bonum? at non fuit illa tantæ rei conscia, vt quæ cognitionem non habuit: non enim alius creator mundi fuerit: neque Deus vt ait, creauit, & virtutem ex propria natura produxit ad correctionem materiæ.

Extiterunt igitur omnia animalia volente eo, qui creauit, & quæ ad alendum homines idonea sunt, & quæ

A non: nemo igitur alius procurauit, vt hæc hominibus in cibum, & alimentum adhiberentur, nisi ea quæ creauit: non enim vniuersa natura, quid ibi vtile esset, cognouisset, nisi qui eam fecit, sic sanxisset. Ex quo continuo factũ est, vt hæc fuerit diuitiarũ natura, quippe cum nũquam earum vsus deficiat, & quo magis quædam vsu consumuntur, eo sunt diuturniora: ac partim quidem alunt homines, partim vestiunt, & alia alios vsus præbent, facta homini serua à creatore: vnde subiecta sunt ei etiam, quæ sunt vasta mole, mansueta obedientia: & quæ in aëre, artificio rationis ad nos trahuntur, & quæ in aquis educuntur, atque ea magis, quæ vtilitatem hominibus explent. Sic patet, non homines sibi per vim animalia ratione carentia subiecisse, præter voluntatem eius, qui ea creauit, quin potius lex creatoris hæc eis sub-

B iecit.

Dicit etiam Manichæus impium esse bouem arationi terræ applicare, ne anima à Deo missa, valde seruitute pressa videatur: & quomodo agricultura sustentari posset? quomodo durans genus hominum perseueraret? sic Manichæus omnia præter communes notiones contra creationem variè furens finxit. Serua enim hominis naturaliter mansueta animalia facta sunt, & vsui eius destinata: non mansueta autem alia ratione serua, præter causam dictam, vt homo ratione in omnia animalia ratione carentia dominaretur Deo ob varias causas id procurante: alioqui non Leo tantum fera fortissima, aut aliqua alia huiusmodi bestia, aut serpens hominem vinceret, sed culex etiam, aut aliud ex minimis: verum natura ferarum aliter etiam quam dictum est, ad aspectum,

C & experientiam hominibus diuersis de causis necessaria est.

Sed quia ad singula, quæ ille nugatur, & fingit, respondere & occurrere delirum esse videtur, contemplandum est intelligentiam sine disputatione, quomodo vnius verbo omnia aptata sunt. Vna lex creatoris in omnibus dominatur, & nihil in rebus pugnat, neque belli indicium, vel dissensionis in creaturis apparet, quin potius omnia (homine quidem peccante) pacem inter se habent, vt quæ ab vno pacis, & quietis statutum accesserunt: à quo hoc ipsum, quod sint, à principio habẽt: conspirat enim cum rebus quæ in terra sunt, cœlum pluens, cum tempus postulat, ac rursus pluuiam sustinet, cum opus est solo calore ad maturandum: sol autem suo circuitu lege authoris constituto efficit tempestates, nun-

D quam eas commutans, quin imo vnum ordinem earum immutabilem tenet: perseueratque in natura varietas: atque vna & eadem summa conspiratio supra & infra cernitur: nox autem omni sæculo permansit sine inconstantia aduersus diem, non motu fortuito, & carente ratione diei succedens, sed sapientia auctoris addendo, & subducendo temperata, idque non alias aliter, quin potius manifestum, ac certum est tempus accessionis; manifestum item & certum tempus subductionis: rursus sol non grauatus nocti succedere: neque contumeliam ducit legem creatoris, se potius more probi serui, confecto sine cessatione vlla cursu diei, recedit, vt ei lex imposita est, diligenter se abdens, vt nox spatium sibi dimensum recipiat.

E Quid verò de terra, & mari dicam? quomodo ambo terminis circumscripta sunt? licet videre mare fluctibus elatum, longe autem ab impetu prohibitum, & vi ventorum impulsum in terram, metu autem legis retrorsum reflexum: quamuis non murus adamantinus auxilio est ei, ne mare effluat, & inundet terram, & non obediat authori suo: quinimo satis est propugnaculum terræ aduersus mare verbum eius, qui fecit, coërcetque arena, quin potius lex cohibet & foris flatus ventorum violentos, & intus fluxionem aquarum, vt nullam partem terræ mundæ aqua maris: & creaturæ quidem amicæ, & tanquam inter se germanæ vnum vere auctorem sibi adscribunt, ac profitentur. Quis enim vnquam historicus scripsit, in cœlo motum stellæ in stellam factum esse?

aut in terre animalia alterum genus oppugnaſſe, vt ipſum delerent, aut ipſa contra delerentur? ſed potius quæcumque aliud in aliud incurrunt, & inuadunt, ſapientia creaturis ſtatutum eſt hoc; vt quæ abundant, conſumantur; quæ & eſſe & conſumi, vtrumque hominibus prodeſt.

Si quis autem ad ipſa principia corporum conſideranda veniat, & quatuor elementa contempletur, quemadmodum eorum conſpiratio, ac concentus ex contrariis pendeat, magis ſtupebit conſenſum rerum, vt quæ ab vno, & ſolo hoc ipſum, quod ſunt, habeant: in his enim quatuor elementis, id quod contrarium eſt, amicitiæ cauſa eſt: & quod in eis naturę pugnat, ſummam pacem facit: quæ quidem quatuor numero ſunt, vnum vero conflatu, ac conſurſu, quin potius ſe ipſa inter ſe indigent, vt ſint; & ipſa natura contrarij ſe viciſſim adiuuant, & in ſe ipſis inter ſe abdita ſunt, & per ſe ipſa inter ſe apparent: & vt paulum dicam, neque calidum frigidi frigore frigeſcit, nec humore humidi extinguitur, neque ſiccum ab igne combuſtum eſt: nec ab humido humore perfuſum: ex his enim inter ſe conſtituta ſunt, & conſiſtunt; & in ſe ipſis mirabiliter inſunt: ac putabis quidem ſolum ignem eſſe, non tamen abſque humido, & ſicco, quibus quidem alitur, & ſplendet. Sicut alia in ſe ipſis inter ſe inſunt, tactu tantum contrarium indicantia, ſic tamen ſibi inter ſe amica, vt nullam diſcordiam habere videantur. Hæc autem ſilentio prædicant admirabilem vnius ingeniti ſapientiam, à quo facta poſtea concreta, ac mixta ſunt: non enim corpus ex vno quopiam & ſimplici elemento fieri poteſt: mixtione enim & concretione conflatur corpus: quæ autem concretio, ac mixtio eſſe poſſit ſicci tantum? quæ humidi ſolum?

Igitur neceſſaria eſt varietas ad mixtionem corporis: neceſſaria item natura contrariorum, quæ in autho-

A ris admirationem ad cogitationem vnius viget: quæ quidem non primum per ſe ſola conſtituta ſunt, atque coierunt vtrum pariter inter ſe capientia, & ſimul vt facta ſunt, ſenſibus ſunt diiudicata. Cum enim corpus per ſe extitit, ratio & mens coniuncta, & concreta, ſenſu diſcarnit: quamobrem natura contrariorum poſtea deprehenſa eſt ſenſu corporis, quod ex ipſis concretum & temperatum eſt: quæ quidem non prius ſunt, quam corpus ipſum, ſed ſimul cum eo incipiunt eſſe. Quis digne, ac meretur, admirari poteſt poteſtatem creatoris, & concordiam, ac concentum creaturarum? quàm in pace, & ſine pugna omnia, excepta iniuſtitia hominum

B Permanet igitur ac perſeuerat omnis fabrica in ſuo & ordinato motu conſeruans in ſe immutabilem legem authoris: ecquis velit, ſi ſenſus animæ ſanos habeat, cum hæc ita ſint, & infinita alia, quæ omnem mentem ſuperant, aliud principium cogitatione fingere, & hoc ſoli Deo ingenito opponere? concors enim, & conſentiens principium ſomniare ſuperuacuum eſt, cum vnum ſufficiat, contrarium vero ſuſpicari, furioſi prorſus eſt, cum vniuerſa inter ſe conſentiant, varietate quidem ornata, in quibus ſapientia veri authoris factum eſt, vt ſanitas, & tranquillitas cum auſteritate appareat, quia omnis ſuauitas nimis mera, nocens eſt, & à ratione aliena: ſeueritas

C vero, & auſteritas ſola, ſuauitatis expers, ad feritatem & inhumanitatem ſpectat. Vtrumque autem corrigit, & delectat, exhilarat, & deterret: promittit ſuauitatem, & minatur terrorem: protendit ſpem donorum, & subostendit periculum ſuppliciorum, ne ratio eorum, qui in terris verſantur, mollicia, & laxitate propriarum rerum in ignauiam demergatur; neque perpetuo metu perculſa cæca fiat. Sed potius ex vtraque parte & ad timorem Dei & ad virtutem inſtituetur.

FINIS LIBRI SECVNDI.



PRÆFATIO

PRÆFATIO IN LIBRVM III. TITI BOSTRENSIS, CONTRA MANICHÆOS.

QVÆ superioribus libris tum ex rebus ipsis, tum ex communibus notionibus dicta sunt, fortassis omnium, qui extra Ecclesiam sunt, mentem munire possunt, vt blasphemiam Manichæi in authorem vniuersi non admittat. Quia vero aliam venationem contra eos, qui intra Ecclesiam sunt grauem quidem illam & periculosam meditatus est, quædam in Scripturis sanctis dicta ad suam falsam doctrinam per vim detorquens, tempus est, vt diuinis Scripturis confutationes contra eũ agitemus, ad muniendum eos, qui ipsis Scripturis sanctis credunt, qui absurdis, & improbabilibus earum interpretationibus interdum ab illo decipiuntur: vario enim fallendi artificio errorem, quem adiutore diabolo excogitauit, firmare nititur: apud Gentiles quidem non refellens illorũ dogmata, quæ vero minora mala sunt, in maiorem molem impietatis extollens, peruersiorẽ Hellenismum introducit.

Quibus fere ad omnia consimili opinione malarum, & falsarum doctrinarum circumuinctus, accessionem fictionum suarum immittit: apud Christianos vero scilicet quæ Christianorum sunt aggressus, & probabilitate nominis Christi, & verborum scriptura, & modestiæ specie lupum quidem qui est ipse, intus tegit, pellem vero ouis extrinsecus indutus, efficitur falsa stella gregi, atque ita imprudentioribus, & minus cordatis nocet, cui propositum est, impietatem maxime omnium nouam tum a se, tum ab aliis colligere. Vt autem nullus Christianus nouitatem eorum malorum quæ collegisset, expendere saltem, & considerare aggrederetur, Paracletum se appellauit, vsu nominis, quod non solum supra hominem, sed supra Angelum est, fallaciam suam tegens, ac dissimulans, vt authoritate appellationis probabili, homines alioqui stulti, nullo adhibito iudicio, quæ dicit, amplecterentur, aliquando etiam tanquam Apostolus Iesu Christi, barbarus genere, idem genere & mente barbarus impietatem per epistolas tradit: sed de his postea.

Ex scripturis, quæ sunt veteris testamenti, illas adscribit Nequitiæ, quam vocat, legem scilicet, & Prophetas: Euangelia vero & reliqua noui testamenti a Bono data esse dicit, vt putat: sed nec hæc quidem sic inuentor blasphemiæ affirmat esse ex toto a contrario Dei vacua & pura, sed esse in his multa a materia, quam vocat, admista, oportereque his ablatis sola relinquere, quæ ad partem boni riputat pertinere.

Sic correctionem sanctarum Scripturarum, vt opinatur, solus aggrediens, & hac potissimum ratione ausus videri Paracletus, plurima quidem tollit, pauca vero noui testamenti relinquit, quæ concentum, ac concordiam cum cognatis sermonibus desiderant.

Putat quidem omnem blasphemiam eis imposuisse, vt qui illa solum reliquerit, quæ ad illa monstra, quæ fingit, trahi possint nihilo vero minus etiam hæc ipsius amentiam, & furorem summum coarguunt, vt iuuante Deo aperte disputatio cum in eis versabitur, docebit.

Ostendendum igitur primo est quam dementer in sanctas Scripturas veteres blasphemus est consentiens hactenus cũ suis antiquioribus, viris prauis, & ab Ecclesia eiectis: impietate vero omnes illos superans. Si igitur sicut Gentilis historiis scripturarũ penitus non credunt, sic etiam ille non credens scripturis, nequaquam, aut fortuito facta esse, quæ in eis narrantur, diceret, neque nos quicquã contra eum de his disputaremus: nec ipse maiorem confutationem per hæc subiret.

Sed quia veritatem Dei in eis fuisse attestatur, causam vero horum esse ait nequitiam, quæ nihil est; Age, doceamus nunc, quomodo magna opera, ac magis admiranda nequitiæ, quam ipse accusat, attribuit, quippe cæca ratione non intelligit admirabiles Dei creatoris vniuersorum gubernationes, ac prouidentias, quæ in historiis feruntur.

Ait igitur ad verbum siue ille, siue alius quispiam eius discipulus, qui caput inscripsit de prima formatione humana. Quia cognouerunt magistratus materiæ, quod si omnino pars luminis, quod in eos incidit, omnino auferretur, mors eis aduentura esset, machinati sunt descensum animæ in corpora, quæ quidem vllo modo rediret, vnde descendisset, ipsi curarent; reuersa vero, vt non reperiretur digna habitatione supera, vtpote fœditate carnis inquinata, & polluta.

Et paulo post: *Quamobrem vnusquisque eorum, qui sunt magistratus materiæ, sicut diximus prius, propter motum factum; & proterurum, qui primum apparuit ad redemptionem animæ, ianua primum aperta, præ terrore iniiciens dimissa virtute, quæ in eo erat, formauit se ipsum ad venandam animam, & imitationem sui finxit in terra, cogitque animas delinitas, vt difficile ab ea imitatione abstraherentur.*

Ac primum quidem Adam ab eis formatus, ac fictus est instrumentum cupiditatis, & esca animarũ è cœlo descendentiũ, & Machina ad trudendum eas in corpora. Primum autem considerandũ est, quantam sapientiam opinione sua adscribit, & attestatur magistratibus materiæ, quam omnino de ignorantia condemnat, & vituperat, tanquam machinatis per carnẽ descensum animæ ad eos, ne priuarentur lumine eis admisto, qui rursus redire animam non sinerent. Sin vero rediret, indigna superna habitatione tanquã sordibus carnis polluta declararetur, quasi non posset Deus animã à se creatã integre seruare victus Machinis magistratuum materiæ. Ac de his quidẽ adhuc dicere an non est ridiculum?

Quia vero ait, primũ, quod magistratus materiæ formauerunt, esse Adum instrumentũ cupiditatis, & escam supernarum animarum, didicimus hinc clare eum dicere, hominem formatũ a materia quæ minime est, qui materiæ, & nequitiæ vbique plus tribuit simulatione accusationis: nunc autem ipsam dicit hominem fecisse animal omnium animalium, quæ in mundo corporeo sunt, præstantissimum, ac maxime regium, vtpote ratione præditum, & admirabile tum ratione naturæ, tum institutis, atque exercitationibus. Quæstionem autem ponis de vniuerso mundo, quare factus est?

De homine autem, dum nititur demonstrare, non esse a Deo formatum, mouet alias quæstiones dementes. Quomodo, inquit, dedit Deus Adæ mandatũ? alterum enim ex duobus necesse est, aut cognoscebat, quod transgressurus esset, & sic non solum frustra, & inaniter dedit, sed ipse in culpa, & reus peccati illius, aut si dicatur ignorasse, necesse est dicere, Deum ignorantia præditum esse, vt iam mandatum quidem a nequitia vt opinatur datum fuerit ad insidiandum homini, & non ad alium vsum, adiutum vero magnopere fuisse, & liberatum hominem, cum crediderit consilio serpentis, quem Angelum Dei esse decernit: cæcus enim, inquit, erat: cum autem gustasset vetitum, cognouit se esse nudum, & tegumento inuento vsus est; cognouitque bonum, & malum. Sic magnam cepit vtilitatem.

Quomodo, inquit, Deum decet, vt dicat: Ecce Adam factus est tanquam vnus ex nobis sciens bonum, & malum: nunc autem ne forte mittat manum suam, & sumat etiam de ligno vitæ, & comedat, & viuat in æternum? Si enim poterat recuperare immortalitatem, inuidus fuit, qui ex Paradiso virum eiecit, & ã participatione ligni vitæ exclusit, quo participato semper immortalitatem habere poterat.

TITI EPISCOPI POSTRENSIS

ADVERSVS MANICHÆOS,

LIBER TERTIVS.

POSTQVAM autem de principio breuiter diſſeruimus, pertractemus quæſtionem de lege: decreuerunt enim amplecti Euangelium, legem vero, & Prophetas reprehendere ſtuduerunt: ac totum quidem vetus teſtamentum calumniati ſunt, Euangelia vero honorare ſe ſuſpicati ſunt, honorem potius Euangeliorum ſimulantes, vt eſſet ſimulatio inuitamentum eorum, quos deciperent: nec enim qui aſſentiuntur Euangelia, honorare ſe Euangelia confitentur, quin potius quia honorant nomen Ieſu, fingunt honorem Euangeliorum: oportebat autem eos, ſi quidem Euangelia honorabant, non circumcidere Euangelia; non demere de Euangeliis, non alia apponere, neque verbis, & propria ſententia Euangelia adſcribere: nec enim eorum lingua hæc Euangelia habet: & eorum lectionem prætermittunt: adſcripſerunt itaque quæcumque voluerunt; & detraxerunt, quæcumque iudicauerunt: & poſtea nomine appellant Euangelia, qui corpus Euangelij non ſeruauerunt, ſed potius aliud corpus litterarũ, quod vſque ad nomen tantum Euangelij pertingit, propria voluntate fecerunt: plus enim quam Gentiles Euãgelia inhonorauerunt; illi non recipiunt, & non recipiendo non corrumpunt, ſed ſolum reiiciunt; non tamen calcant litteras: hi vero cum recepiſſe videbantur, calcauerunt, inſultarunt, & adulterauerunt litteras: & quod præſtigiatores, & improbi faciunt, fecerunt: illi non crediderunt ſolum, & quibus non crediderant, de eis à ſe diſſer non patiuntur: hi vero in mediũ prodeuntes conati ſunt concentum ſoluere; modulationem doctrinis artificio fabricatis tollere auſi ſunt, præparato nomine Euangelij, vt eſſet fallaciæ cauſa: ſi enim Euangelium cognouiſſent, legem non ignoraſſent: quod ſi legem ignorauerunt, quomodo Ieſum receperunt? ſine lege enim Chriſtus non recipitur: nam qui finem deſiderat, principium inueſtigat: contra vero, qui eſt principij contemptor, vanus eſt, vane loquitur, non poteſt in finem euadere.

Si autem finis legis eſt Chriſtus, fruſtra laborant, qui legem fugiunt, & cognitionem Ieſu ſe habere profitentur. Niſi lex loquatur, Dominus non agnoſcitur: taciturnitas enim legis, ignoratio eſt prædicati: rurſus vero cognitio legis, notitia eſt prænunciati: ſi enim Moyſem audirent, crederent in eum, qui venit. Sane quidem neque ſuſcitatio creditur, niſi lex fidem faciat audientibus. Etſi quidam dicat; Mitte Lazarum, vt nunciet fratribus meis, ne & ipſi veniant in huuc locum tormenti; & reſpondente Abraham; Habent Moyſem & Prophetas, dicat: Niſi quis ex mortuis reſurgat, non credent; audiet tamen iſte; Si Moyſem & Prophetas non audierũt, neque ſi quis à mortuis reſurgat, audient. O rem mirã! neque ſi quis à mortuis excitatus nuncium afferat, ei creditur ſine lege, & Prophetis: immo neque Dominus Ieſus Apoſtolis apparere voluit tranſfiguratus, niſi adhibitis lege, & Prophetis: & qui potuit teſtimonium à patre ferre, non inhonorauit conſortionem Sanctorum, quin potius cum vellet certiſſimam fidem in conſpectu

A Apoſtolorum facere, quod in montem eos adducebat, & transfigurabatur, oſtendebat Moyſem, & Eliam, vt teſtimonio eſſet conſociatio ſanctitatis illorum: & vt ia, qui Ieſum recipit, ſocios eius ne dedecoret; ne ſi eius ſtipatores, & miniſtros paruifaciat, regem ipſum inhonoret.

Denique tantam curam legis, & Prophetarum Saluator habuit, vt nihil ex lege non perfecerit; omnia autem, quæ ſcripta erant, patrauerit, clamaretque: Non veni ſoluere legem, ſed adimplere: ingrederetur autem in templum, & turpes inde adminiſtratores domus Dei eiecerit, vt reddens domum puram, re ipſa pleniſſime perſuaderet ſe ſuorum, ac paternarum rerum procurationem ſuſcipere. Clamat enim, Domus patris mei domus orationis vocabitur; vos autem feciſtis eam ſpeluncam latronum: & quia ſunt infinitæ ſcripturæ, qui-

B bus illorum abſurda opinio redargui poteſt, nos ne prolixe ſcribentes librum in longum producamus, permittemus aliis vti verborum analogiis, nos autem breuitate vſi ad ea, quæ contra ſcripturas dicunt, pergemus. Recipientes Euangelium non recipiunt legem: quia non totum & integrum Euangelium recipiunt; alioqui legem reciperent, ſi vniuerſum Euangelium tenerent: nunc autem primo cauponati Euangelium conſentaneè legem non recipiunt. Conuincuntur igitur non tenere legem, propter latrociniũ in Euangelio. Si autem Euangelio teſtimonium tribuunt, & legem non honorant, teſtimonium inhonorant, non iam enim eſt hoc legem inhonorare, ſed potius non credere teſtanti: ac ſi vnum quidem Euangelium teſtaretur, aliud vero taceret, &

C vnius tantum dedecoratio eſſet, non tacerent alia Euangelia, quæ dedecorationem vnius communem ducerent.

Illi cauponantur Euangeliũ, quū in fabulam aliud vertũt, & cogitata ſua cũ gratia miſcent.

Si vero Marcus ait principium Euangelij Ieſu Chriſti, ſicut ſcriptum eſt in Eſaia Propheta, Matthæus autem, liber generationis Ieſu Chriſti filij Dauid, filij Abrahã; & hic quidem progenitorem Ieſu ſecundum carnem ſcit eſſe Abrahã, & Dauid honorat, coniungit Euangelium cum lege, & legem cognouit eſſe principium Euãgelij, fatetur verum ſaluator, cum ait; Qui vos ſpernit, me ſpernit: non enim vſque in legem euadit dedecus, & ibi reſidet, ſed in ipſum Saluatorem redundat. Ac Iudæi quidem audiant, ſi Moyſem audiretis, vtique me; de me enim ſcripſit ille. Manichæi vero audiant: ſi Euangelium audiretis, & legem audiretis, de lege enim ſcripſit Euangelium. Verum Iudæi quidem velo oculis adhibito, ne-

Sic Theodor.

2. Cor. 2.

Interpretatur cauponari verbum.

D que legem intellexerunt, neque nunciatum agnouerũt. Hæretici vero oculos habent cæcos, & aures ſurdas. Quia non introſpiciunt in Euangelium, legem oppugnauerunt. Ioannes enim clamat: Fuit homo miſſus à Deo, cui nomen erat Ioannes; hic venit in teſtimonium, vt teſtimonium perhiberet de lumine: cognouit teſtem, & cognouit de quo erat teſtimonium: & teſtem præſcribit inquiens: Lex & Prophetæ vſque ad Ioannem. Ioannes igitur teſtatur; & lex teſtis eſt, & teſtimonium legi perhibetur.

Vide, non credere teſtimoniis, quantum abſurdi afferat: atque hi quidem cum talia dixerint, neq; Lucas ſilet eadem enim voce vſus eſt, & aliis Euangeliſtis conſona loquitur:

ἀντιγρ. eadẽ voce patres ſcilicet, quæ Dauid ſũt Chriſti vocant ſicut Manichæi.

loquitur: narratque quod Gabriel quidem apparuit Mariæ, & cœlestem salutationem ei attulit, inquiens: Aue gratia plena, Dominus tecum; quæ cum audisset, turbata est in sermone eius, & cogitabat, qualis esset illa salutatio: & ait Angelus ei: ne timeas Maria, inuenisti enim gratiam apud Deum: ecce concipies in vtero, & paries filium, & vocabis nomen eius Iesum: hic erit magnus, & filius Altissimi vocabitur: & dabit illi Dominus sedem Dauid patris eius, & regnabit in domo Iacob in æternum, & regni eius non erit finis. Honoratur Dauid, & pater eius esse conceditur, & stat ac durat principatus eius, traditurque Domino, & finem non habet, cuius gloria perpetua est: atque hæc quidem sunt principia Euangeliorum: oportebat enim, vt ex principiis sermonem texeremus post quæ, qui pone gradiatur, consecutionem, & concentum sermonum ea vniuersis Euangeliis intelligat.

Quia vero etiam Apostoli ministri Euangelij stylum Euangelicum seruant, & Paulus quoque eum nouit, & ministerium passionum suarum in parte Euangelij metitur: ait enim. Secundum Euangelium meum per Iesum Christum: nos neque principia Apostoli prætermittemus: qui nilla commemoremus, vt omnes scripturas & principia scripturarum percurrentes, vna earum voce legem dispensemus. Scribēs igitur Hebræis sic ait: Multifariam, multisque modis olim Deus loquens Patribus in Prophetis, nouissime diebus istis locutus est nobis in filio, quem constituit hæredem vniuersorum, per quem & sæcula fecit: hoc in loco patrem filij cognouit, & patrem filij cognoscens, non partitur rem: non tacet de antiquis, non adscribit alios Prophetas, sed Deum Prophetarum, & patrem filij. Paulus non partitus est, neque diuisit; immo totum prædicat, illum quidem à Prophetis adoratum, hunc vero partu editum, atque huius quidem patrem, qui illos habuit adoratores, & sibi supplices: cui enim supplices sunt illi Prophetæ, huius filius est Christus. Si autem filium honoras, eos vero, qui patri supplicant, accusas, & conuitiis insectaris, ore effers quæ vis: succenset filius, non patitur contumelia patrem affici. Si enim pater filij inhonorationem suam ducit, quanto magis filius contumeliam patris vilitatem suam esse reputabit?

Sed vt sensim pergentes, paulatim ad erubescendum compellamus, sic aggrediemur argumentari: Si Dei est lex, quare legem non tenet? Sin vero legem criminaris, cuius verba, ac vox lex est? cuius potestate, quæ scripta sunt, locuta est lex? Hic partitæ sunt hæreses; nec iam vno modo sermocinantur, sed sibi repugnantes: ac Valentiniani quidem sic; Manichæi vero aliter: secus Marcion. Sputa non verba testimonium sunt contra legem. Valentiniani quidem, iustus, inquiunt, erat Deus legis, & cum iustus esset, non erat pater filij. Iesus, inquiunt, bonus, bonus autem & pater, ac pater quidem bonus, & bonum, quod genitum est; Deus vero legis iustus: taliter differentes non intellexerunt, qualem habitudinem habeat iustum ad bonum; neque de eo cogitauerunt: cum autem huiusmodi cogitationes concipere non potuerint, hoc solum eos interrogemus: Si iustus est Deus legis, & non est pater filij, non est iustus Iesus, quomodo iustitiam à filio requirimus, si non est genitus à iusto? Quomodo iudicat? Quomodo iudicio decernit? Quomodo commissum est ei à patre tribunal? Quomodo vnicuique reddit secundum opera sua? Quomodo verum est quod ait Paulus, iis qui secundum patientiā boni operis gloriam, & honorem, & incorruptionem quærunt, vitam æternam, iis autem, qui sunt ex contentione, & qui non acquiescunt veritati, credunt autem iniquitati, ira & indignatio, tribulatio, & angustia in omnem animam hominis operantis malum? soluta enim sunt & euanuerunt hæc verba, si definitio iusti non accomodatur, & redditur filio. Si autem iis, qui deliquerunt, constitutum est supplicium, & iustus qui præest, suppliciū metitur, contra vero honores, & munera seruantur bene

A merentis, & honor delectu, ac diiudicatione iusti ponderatur, quomodo non discindunt, & comprimunt petulantiam? Si autem talis quidem est vnigenitus, pater vero non est talis, non iam ex simili similis genitus est: non iam est imago eius, qui genuit; non figura, non splendor, non iam qui videt filium, videt patrem, si non quæcunque habet filius, habet pater, & clamat Saluator in Euangelio: O pater iuste, mundus te non nouit, ego vero te noui. Quid agemus? terga demus verbo Saluatoris, ne credamus scripto; aut habeamus in admiratione verbum, est enim verbum veritatis. Valentinos vero tanquam insanientes, & à dæmone actos extra conuentus, ac consessus sanctos, & Deum decentes collocabimus.

Sed quia aliquid indecorum nobis accidit, dum sermonem contra istos hæreticos longe protrahimus, cum
B nos negotium susceptum non eò trahat, reuocemus sermonem, & ad propositum, & institutum pergamus. His hactenus vtiliter consideratis: vt sermo de istis non omnino nobis præteritus sit. Tripartita enim nequitia contra legem locuta est, totidem ministris, & præfectis blasphemiæ vsa, Valentino quidem ad minuendam, & extenuandam legem, & separandum Euangelium; Marcione vero ad tradendum esse scripturam legis abortionem quandam; Manichæo autem ad mentiendum, esse legem cuiusdam mali, splendore carentis, & ex toto tenebriosi: talia enim agit, talia verba componit; vana loquitur, aures rudes & inexercitatas compositione verborum in admirationem traducens.

C Quamobrem percontari oportet, si malus ille sine splendore, & totus, & ex toto tenebræ, legem scripsit, quomodo non cognouit aduentum filij? quomodo eum adesse? quomodo ante euentum rerum intellexit quæ Deus consilia ceperat, & prænunciauit ea, & prædixit? manifestæ enim sunt scripturæ legis, quæ à principio aduentum filij testantur. Si enim dicent contra ea, quæ in manifesto sunt, loquentes, non prænunciasse legem, neque Prophetas præsignificasse, redarguentur non à nobis nostris confutationibus, sed ab ipsis Euangeliis apertis verbis, cum vbique clamant, nunc quidem, vt impleatur quod dictum est per Esaiam Prophetam, nunc vero non veni soluere legem, sed implere. Si vero ea his conuicti, consentiunt, quid ad hoc respondebunt? si enim nemo nouit, quæ sunt hominis nisi spiritus Dei, qui au-
D tem legem scripsit, nouit quæ erant in Deo, & sciebat, quæcumque Deus volebat, & idcirco scripsit accurate, & scienter, erat igitur ea Deo, & Deus, & in Deo: & ideo quæcumque volebat Deus, locutus est, sciens quæ in Deo erant, & non ignorans. Si autem nemo cor nostrū nouit, sed solus nouit, qui eum fecit, & latet cor nostrū alios, non potest tamen latere Deum: quæ autem volebat Deus, non ignorabat nequitia, sed sciebat, & hic quidem volebat, illa vero cognoscebat: quomodo non tribuunt nequitiæ magnam amplitudinem, quam non potuit cælare Deus de consiliis, & voluntate sua? Quomodo non detrahunt Deo, qui non potuit cælare nequitiam? ac ridemus quidem viros, qui cum aliquid contra hostes moliuntur, & machinantur, consilium excogitatum in apertum afferunt.

Qui talia loquuntur, & huiusmodi sermonem serunt, non vident facere se, vt ludibrio sit Deus, qui cum mili-
E tet tanquam dux exercitus aduersus nequitiam, & consilia sua non occulte seruauerit, ne nequitiæ patefierent. Quod si diuinæ & Angelicæ potestates non possunt intelligere, quid consilij capiat pater, solusque filius intelligit, & enarrat, Deum nemo vidit vnquam, vnigenitus filius qui est in sinu patris, ipse enarrauit, quomodo malæ potestates ea, quæ in Deo erant, cognouerūt, cum neque diuinæ potestates hæc scire possint, nisi ea tradente, & enarrante vnigenito discant? Quod autem ipsa lex omnia, quæ ad aduentum eis pertinent, prius narret; Ecce, inquit, virgo in vtero habebit, & pariet filium: alius Propheta non ignorat locum; & tu Bethleem terra Iuda

nequaquam minima es in principibus Iuda: alius locum definite, vbi positus; cognouit bos possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui: alius fugam in Ægyptum, & reditum ea Ægypto. Ea Ægypto vocaui filium meum.

Alius habitationem in ætate puerili. Terra Zabulon & terra Nephtalim viam maris vltra Iordanẽ populus, qui sedebat in tenebris, vidit lucem magnam: alius etiam præcursorem non ignorat. Vox clamantis in deserto, parate viam Domini, rectas facite semitas eius. Denique si quis vellet Prophetias ea lege colligere, totum Euangelium componere videretur conscribendis rebus in eo gestis Propheticis verbis, narrans studiose, & non sine spiritu eius disciplinas, eius doctrinas, eius baptismata, eius miracula, iudicium factum, perditionem Iudæ, quæ in patibulo facta, fel, acetum in siti porrectum, ipsam sepulturam, & monumentum, descensum ad inferos, ipsam resurrectionem, & ad extremum assumptionem: tunc enim, quod superest, clamabit; Tollite portas principes vestras, & eleuamini portæ æternales, & introibit Rex gloriæ; tunc adiunget hoc, quod à Dauid scriptum est; Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum. Si igitur Lex à Deo diligenter aduentum filij descripsit, & longinquo tempore antequam res euenirent, eas prænunciauit, non iam accusatur; non iam alteri adscribitur. Qui genuit, prædixit: Qui deliberauit, res dicto anticipauit. Deus genuit. Deus dicit: filius meus es tu, ego hodie genui te. Deus misit me. Deus per Moysem locutus est: Prophetam vobis suscitabit Dominus Deus ex fratribus vestris; ipsum audietis, quæcumque loquetur vobis: de iis ipsis omnibus Deus deliberauit; & cum deliberasset, non tacuit, consilium, ac deliberationem pronunciauit. per prænunciata fidem faciens vocatur, inquit, nomen, eius magni consilij Angelus, admirabilis consiliarius, princeps pacis, pater futuri sæculi: atque hæc quidem confutatio sic habet.

Quia vero legem attribuunt malo, quid dicturi sunt, si quis eos percunctetur, si malus mala suadet; & non potest non suadere mala, si quandoque bona suadebit, etiam bona consilia dabit? si enim dicant, aptum esse natura ad suadendum bona, ad dandum bona consilia, rursus definitionem suam soluunt: non enim iam malus est, qui bona dat consilia. Sin autem nulla bona voluntas, ac deliberatio à malo proficiscitur, cuius ordinis dicent esse illas suasiones, ac monitiones; Non fornicaberis: Non adulterabis: Non furtum facies: Non falsum testimonium dices: cuius ordinis dicent esse illud, quod scriptum est: Non facies tibi idola, nec vllius similitudinem, neque quæcumque in cœlo, neque quæcumque in terra, neque quæcumque in aquis? cuius partis esse illa dictuti sunt: Non concupisces bonum fratris tui, aut subiugale, vxorem, aut omne iumentũ? Si enim hæc honesta, & diuina, atque amabilia esse dixerint, ipsæ monitiones efficient, vt se ipsi erubescant, qui amplitudinem eius, qui monuit, ignorauerunt. Sin vero dixerint praua esse hæc, & in crimine, & prauum esse nõ scortari, & prauum, ac vitiosum esse non concupiscere aliena, & huiusmodi sunt, quæ mala sunt, aduerte, qualia bona esse intelligant: & quomodo prostitutores sunt voluntatum, & conciliatores dolorum, ac turpium cupiditatum inuentores. Qui enim legem accusant, pro vitio à lege alieno obeunt legationem.

Qui legem, quæ voluptates tollit, quæ fallaciam euertit, quæ superstitionem extinguit, relegant; quid aliud faciunt, quam voluptates domum introducunt; & cupiditates accersunt? vt autem voluptas licenter in mentes irrumpat: legem ex habitationibus eiecerunt, ne lege vsi, à lege pudore afficerentur. Sed quomodo lege eiecta aures suas venales præbent cupiditatibus: apparet lex esse interfectrix nequitiæ: hi autem indocte, & inerudite aggressi sunt accusare legem: ac lex quidem nequitiam odit, hi vero legem oderunt: euertit quidem superstitionem lex, hi vero audent legem euertere: opponamus igitur res. Si lex nequitiæ contraria est, hi autem legem oppugnant, succensent propter nequitiam, quia lex nequitiam criminatur: etenim quia non patiuntur, vt accusetur nequitia, idcirco legem ipsi accusauerunt, vt accusatio nequitiæ nullas vires haberet lege in crimen vocata. Si Lex idola tollit, & multitudinem deorum soluit, hi autem tela in legem torserunt, consentaneum erat, vt multitudinem deorum denunciarent: vt igitur multitudo deorum confirmaretur, legis præceptum apud eos vetitum est, quod ait: Audi Israël Dominus Deus tuus Dominus vnus est, & diliges Dominum Deum tuum: & ne forte aspiciens in cœlum, & videns solem & lunam, & stellas, adores ea. Contra hæc verba tela iecerunt: contra hæc præcepta exasperati linguam tanquam gladium acuerunt: idcirco à dæmonibus aguntur: & omnia venerantur, nec aliud sciunt, quam omnia adorare: ac semper se humi sternunt, & mentem habent elatam: errantque ac vagantur sensu animi: omnia pro sua licentia verterunt in deos: vicerunt Gentiles & multitudine, & vanitate, Gentiles ex Gentilibus oriundi, & magnitudine flagitij Gentilium ignorantias aliorum superantes.

Ne quis autem arte fallacissima studiose & accurate vsus dicat: Simulauit lex, & quædam pulchra furata, tanquam sua protulit, cum vellet sua flagitia honestare, & partes honestatis inseruit studio obtegendi turpitudinem aliarum partium. Age excutiamus primo, vtrum aliquid absurdum, & flagitiosum apud Legem appareat: atque ita flagitium istorum redarguatur. Secundo, si quasdam partes vitij vlciscendo dissipauit, reddens eos, qui credebant liberos ab omni parte vitij, non tam lex simulata apparebit, quin potius inimica, & hostis vitij, & nequitiæ. Tertio, si quædam honesta circumseminauit, & non omnem speciem virtutis cum littera legis coniunxit, vt quædam videatur scripsisse, plura vero reliquisse: habeat vim aliquam refutatio legis. Sin vero vniuersa, quæ honesta, & decora sunt, omnino in litteris legis posita sunt, admiremur legem, & Dei legem fateamur, dicamusque sermonem Dei esse: in hos vero accusationem à lege transferamus, quorũ sententia adulterina, & deprauata est. Quod igitur nullam partem vitij lex habet inseminatam, neque partem abstulit aliã, & alij pepercit, sed potius pura est lex, & sancta, & Dei lex, Paulus clamat: lex quidem sancta, & mandatum sanctum & iustum & bonum, &: scimus enim, quod lex spiritalis est: quod enim sanctum est, & spirituale, & bonum, ab omni turpitudine liberatum est, & nulla culpa in eo hæret, gloriaturque virtutibus, & cum Deo loquitur. Sermocinatio enim cum Deo non patitur, vt alterius ordinis sit. Sed gubernatione Spiritus sancti temperatur. Deus enim spiritus est: & qui eum adorant, in spiritu, & veritate oportet adorare. Lex autem cum spiritualis sit, sermocinationem cum Deo parat: etsi potest spiritualis alia quidem iudicare, ipse autem à nemine iudicatur, quanto magis lex spiritualis potest quidem aliorum omnium sermones iudicare, ipsa vero à nemine iudicabitur.

Quod autem omnem speciem vitij sustulit, & nullam partem prætermisit, aut neglexit, sed potius omne genus vitij vindicauit, tollens & exscindens illud, constat ex legibus ac regulis de vitio constitutis, cuius sunt species quatuor, imprudentia, intemperantia, timiditas, & iniustitia: si quid autem praui lex reticuisset, imperfecta esset lex. Sin vero vt omnes species nequitiæ præcideret, eas vindicauit, & retractauit, sequitur vitium à lege coërceri, & reprimi, quæ neque reliquias eius patitur. Vbi igitur valet, & viget lex, & suasioni neruos adhibet; ibi neque humor vitij reperitur: vbi autem debilitatur, obambulat nequitia cõpilans, & depascens, licenter gradiens, & licentiam nacta propter custodiam animæ neglectam. Clamat enim lex: Si populus meus audiuisset

audisset me, Israel in viis meis si ambulasset, pro nihilo inimicos eius humiliassem. Cum enim lex persuadet, neruos amittunt vitia humi iacentia, quæ nec animam ex aduerso intueri possunt. Si enim lucerna pedibus meis lex tua, & lumen semitis meis, omnis offensio sublata est, illuminato corde & splendente, etsi enim quis ætate illa adolescentiæ lubrica sit, custodiam tamen verborum conseruet perseuerans erectus, clamabit; In quo corrigit adolescentior viam suam? in custodiendo sermones tuos. Dauid comparans sibi viribus ad non labendum, abdendo in mente disciplinas legis aiebat; In corde meo abscondi eloquia tua, vt non peccem tibi.

Atque ita qui legem pro custode adhibuerit, intelliget, quomodo lex singulas species vitii abigit, & eiicit: imprudentiam quidem per scripturam, quæ ait Nolite fieri sicut equus & mulus, quibus non est intellectus: timiditatem vero per scripturam, quæ dicit; Ne timueris, cum diues factus fuerit homo, ne timeas probrum hominum, & vituperatione eorum ne vincaris: & time Deum, & valebis, præter ipsum autem ne alium timeas: timiditate hic eiecta, & extrusa, & robore imposito ac fortitudine immissa lex clamat; Iustus tanquam B leo confidit, qui non timet, neque horret timentum: duabus partibus vitij sublatis imprudentia, & timiditate simul tollit intemperantiam, inquiens: non fornicaberis, non mœchaberis: vbi cohibentur perturbationes, frænum temperantiæ in mente reperitur: ac tribus extinctis, extinguit etiam iniustitiam: Non facies tibi pondera parua, & magna; pondera iusta, & æqualia sint tibi.

Atque ita singulis partibus nequitiæ deletis soluta est C nequitia, quæ non potest amplius obambulare in mente. Quas igitur vitii species non sustulit lex? quas partes voluptatis non destruxit? quas timiditates, quas imprudentias non vsque adeo vindicauit tollens voluptatem, vt etiam curam oculorum habuerit auditioni non pepercerit, & linguam non neglexerit? posui enim oculis meis custodiam, & non intelligam super virginem. Sanctus vsque ad curam oculorum procedito, ne voluptas animam titillans, eam ad concupiscendum adducat: alius Sanctus clamabat, ne circumspicias pulchritudinem alienam, ne voluptas cum vestibulum animæ ceperit, spem ingressus concipiat, quin immo à ianuis repulsa insidias suas desperet: progrediens autem ad aures, & ad linguas, vigiles, & custodes membris præfecit, non cedens loco D suo; quin potius clamat: Pone Domine custodiam ori meo, ne sermo turpis sine velitate emissus inuitamentum voluptatis turpia loquenti adiungat. Habens prætetea curam lumborum, præcauit, ne mens huc & illuc agitata vincta esset, præcepit enim: Sic comedetis Pascha, lumbi vestri erunt præcincti, ne si membra habeant discincta, facili motu prehendere possimus; rursus vero in sic præcinctis optimum ordinem ad res gerendas, & ad negocia reperiamus.

Ad hunc modum partibus voluptatis sublatis, in species vitiorum partis ratione prædutæ, & in species iniustitiæ inuasit: si enim tollere, quæ sunt alterius: & per vim tollere, & inuito Domino, iniustitia est, & tollentem, quæ aliena sunt, dare ea meretricibus, vel luxuriose consumere, species iniustitiæ est, iniustus est, qui honorem Deo eripiens, lignis & dæmonibus eum adhibet; & E honorem Dei consumit, & in mente luxuriosus est: nec enim ita luxuriose viuit, qui opes consumit, vt est iniustus, qui magnas & effluentes diuitias honoris Dei ex animo delet: quamdiu enim diuitiæ cognitionis Dei in animo permanent, respondet in ea charitas erga Deum: cum autem omnes diuitiæ dilapsæ, & consumptæ sunt, & ad inopiam redacta est anima, relinquitur tunc, vt honorem Dei lignis, & arti pictoris, & sculptoris deferat. Vnde Apostolus, cum sciret ipsam iniustitiam esse culturam falsæ religionis, dixit & auaritiam, quæ est idolorum seruitus.

A Ergo quia teterrima pars iniustitiæ est ignorantia in Deum, leuius autem est delictum in homines, & in partes duas diuiditur iniustitia, in ignorantiam in Deum, & in delictum in homines, ab vtrisque principium sumpsit lex scripta: ac primum quidem clamat: Non facies tibi idoli vllius similitudinem, ne scilicet si in honorem eius qui te fecit, luxuriosus sis, totum honorem Dei funditus labefacias: iratus est autem populo iustè, cum facto vitulo clamabat; Hi sunt Dii tui Israel, qui te eduxerunt ex terra Ægypti: etenim quia dona Dei illi assignabant & attribuebant, qui mouere se non poterat, eratque flagitiosissima iniustitia diuitias beneficiorum sui auctoris arti & sculpturæ attribuere: idcirco veritas excitata, & lex scripta, & iniustitia vetita est; & qui discebat, erudiebatur: atque ita sublata prius iniustitia, quæ iram Dei prouocauit: iniustitiam quoque in hominem sustulit.

B Ac primum quidem noluit, vt amor diuitiarum in anima insideret, quoniam amor diuitiarum parit iniustitias, & cupiditas habendi diuitias generat auaritiam: radix enim malorum est cupiditas diuitiarum, erunt autem rami, & surculi cupiditatis pecuniarum iniustitia, & auaritia: & quoniam à cupiditate pecuniarum incipit auaritia & iniustitia, præoccupat Lex, prius tollit, prius denunciat, diuitiæ si affluant, nolite cor apponere: ne diuitiæ mentem cum fluxu diuitiarum confluentem fluxis diuitiis capiant. Si enim opes fluunt, & non stant, merito resistit mens, quæ statum suum fluxis diuitiis non violat, & quia tum auaritia molesta est, cum cupiditas gloriæ, cuius flos in anima prædatur, erudiuit, inquiens; Vidi impium superexaltatum, & eleuatum sicut cedros libani: transiui, & ecce non erat: vt mens nulli C gloriæ quamlibet magnæ facile flaccescenti magnitudinem suam illecta vendat, quin potius supra hæc omnia se erigens amore veritatis teneatur: idcirco moderationem honorat, & iniustitiam expellit, & diuina loca ad habitandum rependit & assignat iis, qui modestiam seruauerunt.

Sic autem clamat; Domine quis habitabit in tabernaculo tuo, & in monte sancto tuo; qui ingreditur sine macula, & operatur iustitiam: qui loquitur veritatem in corde suo, vt omni specie auaritiæ relegata locum iniustitiæ non relinquat: atque ita omnem speciem iniustitiæ sustulit lex: idcirco qui secundum legem loquitur, pro veritate loquitur: idcirco qui sunt operarii veritatis, non excandescunt, cum lex aduersus vitium loqui- D tur: loquebatur aliquando Dominus aduersus auaritiam, exasperabantur Iudæi, & moleste ferebant: amor enim diuitiarum asperos, & duros eos aduersus loquentem efficiebat: ita profecto est, cum pædagogus cum puero ignauo, & pigro disserit: odio habetur ab eo, quem instruit. Omnis enim qui motus adolescentiæ à ratione auersos exscindit, in odio est propter amorem voluptatum: ob hanc causam Lex in odium venit hæreticis. Quia contra perturbationes tendebat, contra peccata ambulabat, contra adamata disserebat, rem æquo animo non tulerunt.

Vt autem sermo, & disputatio nostra amplissima sit, & scelus hæresis, quæ iniustè ad legem vituperandam se contulit, appareat, non solum quod omnes species, & E formas vitii sustulit, dicamus, sed reddamus insuper sermonem, quod omnem speciem virtutis lex enarrat, & exponit. Si enim omnia vitia lex sustulisset, non autem omnes virtutes inseruisset, manca esset lex relicta virtutum exstructione, quæ quidem omnia vitia cum relegasset, non iam omnes virtutes animæ despondisset. Sin vero in disputatione nostra apparent, apud legē & Prophetas omnes virtutes positæ, an non oportet legem Dei admirari, & amplecti? Cum enim sint quatuor virtutes prudentia, temperantia, fortitudo, & iustitia, omnes virtutes apud legem cernuntur: Vnde qui vult esse temperatus, habet in lege disciplinas. Qui studet, vt sit prudens, adhibitis subsidiis legis, præclare se in rebus geret.

Qui vult eſſe fortis, inſtruat ſe præceptis legis. Qui vult iuſtitiam aſſequi, pondus iuſtitiæ teneat, & nihil inæquale faciet, faciens omnia ad perpendiculum iuſtitiæ: & qui factus eſt particeps prudentiæ, dicat, Dominus docuit me ſapientiam, & prudentia hominis non eſt in me, vt hac ficta & errante eiecta, & repudiata, optimam, & diuinam amplectatur.

Pudicitiæ vero exempla infinita reperiet, qui legendo quærat, vt exempla pudicitiæ exprimat, & antiqua exempla ad firmamentum, & robur caſtitatis complectatur, vt illius adoleſcentis in ipſo flore ætatis, qui fuit à fratribus venditus & ab Ægyptio emptus, qui libertatem corporis mutauit, libertatem vero animæ immutabilem conſeruauit; qui exuit pallium, ne pudicitia exueretur, cui vis quidem pallium abſtulit, neceſſitas vero non eripuit caſtitatem: qui maluit affligi, quam in morbum voluptatis incidere: maluit eſſe in vinculis, quam capi voluptate: qui inuidiam turpi actioni præpoſuit; qui exiſtimari, & non eſſe voluit: melius enim iudicauit, haberi turpis, quam eſſe, & latere: ſi enim eſſet, & lateret, metuebat teſtem Deum. Sin vero haberetur, contentus erat teſte facta inſpectante: atque pudicitiæ quidem hoc ſit exemplum.

Fortitudinis vero multa quidem ſunt alia, ſatis vero nunc ſit illud Iudith, quæ muliercula erat, & infirma erat, & non audax erat, quia muliercula erat: audax tamen fuit, & fortis, quia credibile ei fuit, quæ exſpectatione hominum fieri non poſſunt, poſſe fortitudine, quæ cum fide mixta, ac temperata, ad fidem & ſpem adduxit inſperata: muri enim aperti ſunt, & exiuit adoleſcentula, & cum ſola ancilla exiuit non formidans, quod erat in pulchritudine ſuſpectum, non metuens gladios, non timens ne in libidine eſſet, ne vis inferretur pudicitiæ: non formidans, ne quid repentinum ex gladio accideret: quin potius terrorem gladii fortitudine vincens, formoſitatem vero Deo commendans. Deum enim cuſtodem pulchritudinis dignum, cui fideret, exiſtimabat eſſe, gladios vero ſarmenta, & papyrum ducebat, animi fortitudine formidinem ſuperans: tranſiuit mulier, & non eſt iudicatum temerarium, quod auſa eſt: non fuit in ea criminatio duritiæ: nec enim imperfecta fuerunt, quæ fuerant iudicata, & decreta, vt duritia accuſetur: perfecit ea, de quibus deliberatum fuerat ad finem perducta ſunt conſiderata. Idcirco in admiratione eſt, quia prudentiam fortitudini admiſcuit, quia omne conſilium cœptum ad exitum perduxit.

Duritia enim ſuperi ſimilis patientiam imitatur

Hoc fortitudinis exemplo ſumpto, iuſtitiæ etiam exemplum ſumamus. Cum Abraham iniuria affectos vlciſcens pro eis pugnauit, & cum poſt auxilium allatum audiret à liberatis; Accipe tibi equitatum, & omnia, non in quæſtum aſpexit, ſed iuſtitiam attendit, quomodo conſcius ſe gratis cepiſſe, non debebat vendere donum, quia gratia non patitur, vt venundetur, ſiquidem iniuſti ſunt, qui dona vendunt, & non iuſte quis venalia, & beneficia venundat: veſtis, & res precioſa vendatur in foro, beneficium vero, ne habeatur vendibile, quod magno animo gratis indigenti dari debet, tale exemplum habemus; dona, & beneficia non oportere multa pecunia vendere, ſed ſeruare quemque honorem ſuum, & non prius pecunia corrumpi.

Atque hæc quidem hactenus perſecuti, probauimus vtrumque eſſe in lege, & vitij extirpationem, & virtutis officium, atq; exercitationem: atquè hæc qoidem ſatis eſſe, vt ſe iſti erubeſcant. Aliquid ſimile reddimus in Euangelio, & lege. Si enim eſſent Euangelia, & eſſet lex, & nihil lex haberet æquale Euangelio, crimini daretur diſſimilitudo. Sin autem ſimilitudo eſt, quid de ſimilitudine contendimus? cum ſimilitudo non patiatur, vt controuerſia ſit. Proclamat cognationem ſtylus, ſimilitudo germanitatem ſignificat: ad vnam cauſam aliorum omnium, partem autem Saluatoris lex, & Euangelia ducunt mentem. Lex dixit: audi Iſraël, Dominus Deus

A tuus Dominus vnus eſt. Dixit Euangelium: Nemo bonus niſi vnus Deus; clamauit Apoſtolus Paulus: Vnus Deus, ex quo omnia: ex lege, & ex ſaluatore, atque ex Paulo cognitus eſt ingenitus, & ſine patre, genitus vero ex ſinu, & filius eius, qui genuit. Rurſus hic ſcripturæ conſentiunt: Lex ait: Ex vtero ante luciferum genui te: Euangelium vero, Vnigenitus, qui eſt in ſinu patris, ille enarrauit. Sinum dicit Euangelium, & vterum lex, & filius legitimus ſimilis ei, qui ex vtero & ſinu genuit, denunciatur: ac teſtimonium quidem perhibet vox Euangelii: Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui: teſtatur etiam Dauid in Pſalmo: Filius meus es tu, ego hodie genui te. Vna vox & tunc, & nunc miſſa eſt, & vnus, qui miſit locutus quidem tunc eſt, nunc autem nobiſcum ſermocinatus, non mutatur, qui tunc locutus eſt: B Qui enim ſero tandem hanc vocem miſit, iam ante in Pſalmis eam prænunciaſſe reperitur, fuitque facta denunciatio ſanctis Angelis, vt inſeruirent filio, & religionem venerationis, atque adorationem ei adhiberent ſcriptum eſt enim: & adorent eum omnes Angeli Dei: adſtipulatus eſt huic denunciationi Paulus: immo hanc retractat, & interpretatur: ſtudetque, vt ſit interpres eius, quod prius dictum, & prout ſcriptum eſt: cum enim inquit: Introducit primogenitum in orbem terræ, dicit: & adorent eum omnes Angeli Dei. Videbiſque Apoſtolum ſtuduiſſe, vt vetera interpretaretur, & non neglexiſſe legis explanationem: aliquando enim dicit, omnia ſubiecit ſub pedibus eius, & ſtatim enarrat inquiens, cum autem dicat, omnia ſubiecta ſunt ei: ſine dubio præter eum, qui ſubiecit ei omnia, nihil reliquit non ſubiectum C illi, vt ſit Deus omnia in omnibus: quandoque dicit: Propter hoc relinquet homo Patrem, & matrem, Sacramentum hoc magnum eſt, ego autem dico in Chriſtum & in Eccleſiam.

Quomodo de dãdo & accipiendo Spiritu S. conſonant vetus & noua ſcriptura.

Atque Apoſtoli quidem interpretes ſunt veteres legis conſonantque vetera nouis: at vero, qui ſunt non Apoſtoli, accuſant vetera, qui quidem cum non faciunt, quod Apoſtoli, ſed potius cum eorum ſcripto pugnant, mentiuntur Apoſtolatum, facti Pſeudoprophetæ: explanatores enim veritatis, qui legem honorauerunt, iidem legem expoſuerunt. Hi vero qui legem criminati ſunt, legem feriunt, & eos, qui legem explanauerunt, pungũt: Parem ſimilitudinem Euangelii atque legis cognoſcunt Apoſtoli qui cum legem ſumunt, Euangelium aſpiciunt: cum Euangelium aſpiciunt, legem non tollunt: iſti vero D dum, quæ ſunt ſimilia, ſemper diſſimilia eſſe putant, & quæ ſibi inter ſe amica & germana, inimica, & aduerſaria eſſe profitentur, non quidem effugiunt, quin malitia eorum conuicta ſit: disiungere vero, & dirimere ſimilia dum ſtudent, neque tamen poſſunt: ſiquidem lex ab Euangelio diuidi non poteſt, inuidiæ ſuæ fructum perceperunt obiurgationem. Quæcumque enim de patre in lege ſcripta ſunt, hæc etiam ſunt in Euangelius: quæcumque de filio, hæc in vtriſque: quæ de Spiritu ſancto, hæc quoque in ambobus reperire poterimus: neutra enim ſcriptura non meminit de Spiritu ſancto: immo in Euangelio eſt donum, ibi eſt petitio: & aliquando dicit Dauid: Spiritum ſanctum ne auferas à me: interdum dicit Euangelium. Accipite Spiritum ſanctum, vt quod quidem habet Dauid, ne auferatur ei rogat: quod vero E hic donat, id cum ille acceperit, habeat, familiaritate etiam Spiritus ſancti animæ honorantur, nec à familiaritate eius auulſæ, neque ſine eius familiaritate permanentes.

Ad eundem modum poterit quis elaborando, de Angelis, & Archangelis, & aliis poteſtatibus, & de cœlo, ac terra aliiſque creaturis ſimilitudinem legis & Euangelii, contemplari: atque ita inueſtigando vſque ad minimum deuenire: nos vero tantam molem recuſantes, & principio tantum vſi, prouocanteſque ſtudioſos, vt ſuſcepto ad tractandum argumento ad omnia theoremata procedant, id ſolum & librum adiungemus, quod hæretici cum quadam reprehenſione accuſant, vt eorum accu-

accusationem dissoluamus, & legis dispositiones perspiciamus. Si enim illi legentes, quæ contra scripturam obiiciunt, ore contumelioso vsi sunt: aut non amentiam similitudine redarguemus, & quæ in crimine obiiciunt, apponere non dubitabimus.

Accusant enim veterem legem tanquam acerbam, & crudelem; accusant præterea veteres ministros tanquam austeriores, & magis ad obiurgationem propensos, & ab affectione misericordiæ alienos, non intelligentes, quod scriptum est: Misericordiam, & iudicium cantabo tibi Domine, neque scientes, perfectionem ratione gubernationis ex misericordia, & vindicatione pendere, idcirco cæcati, miserationes legis tacent; & vindicationem potius meminerunt, & vbique clamant. Non videtis, quia pueri parui conuitium fecerunt Elisæo, maledixit eis, & duobus vrsis tradidit pueros ad deuorandum? Non videtis, quia quibusdam militibus missus à rege ad vocandum Eliam inuitis, noluit ire cum eis ignem iaculatus est, & viros consumpsit, inquiens, Si vir Dei ego sum, descendet de cælo ignis, & deuorabit te, & quinquaginta tuos? Si huius mali accusationes, & vindictas inter vitiosa & praua referunt, quid dicturi sunt de Paulo, qui cum videret aliquando Barieu magnum qui erat cum Sergio Paulo proconsule, differentem, & artificiosa machinatione orationis mentem eorum, qui veritatem didicerant, deprauantem, non est passus, increpauit, puniuit, priuauit oculis, clamauit, O plene dolo & omni fallacia, fili diaboli, non desinis subuertere vias Domini rectas? & nunc ecce manus Domini super te, & eris cæcus non videns solem vsque ad tempus

Quid de Petro dicent, quando Ananias, & Sapphira vendita possessiuncula partem pretij sibi auerterunt, partem attulerunt? cum Ananiam iudicatum, & mendacii conuictum morte affecit. Sapphiram autem eidem sepulchro tradidit? iacebant enim mortui, verbo interfecti. Illic ignis allatus consumpsit ad Eliam profectos? hic verbum emissum in conspectu discipulorum efficit, vt qui fidem cauponati erant, morerentur. Illic Elisæus corpora puerorum bestiis dedit; hic Paulus aspectum oculorum ademit, & eum, qui videbat, cæcauit & qui talia patrauerũt, pœnas dederunt. Si igitur pœna ac vindicta in malis numeratur, mali sunt Paulus, & Petrus: sin autem boni sunt, quia Apostoli sunt, boni sunt, quia pœnas exegerunt. Quid pœnas accusas, idque Apostolis irrogatione pœnarum vlis? quod si apostolos quidem approbamus, pœnas verò improbamus, non decernunt, vel ius dicunt leges secundum personam de factis; non disceptant contra personas, sed astipulantur similitudini factorum

Sed rursus aiunt; Misericors est filius, misericors, qui Euangelia scripsit, & qui misericors est, filius est misericordis. Lex verò dura, & aspera est non parcens delinquentibus, misericordiam autem continet Euangelium, quod delicta quidem coërcet, pœnitentias vero prædicat. Ecce dicens, Petrus negauit, & Saluator pepercit, & eum, qui tam graue peccatum commiserat, dissimulat, & minas clementiæ subiecit, vt esset omnibus per vniuersam vitam exemplum, & imago clementiæ Saluatoris. Quid igitur lex? an caret imitatione exempli & non habet imaginem parem, & huic respondentem? ac Petrus quidem studio virtutis deditus, & lapsus, venia, & condonatione honoratus est: in lege autem nemo post peccatum & quidem magnum veniam sibi per pœnitentiam conciliauit? Si enim ignorant, recitabimus quod scriptum est: Miserere mei Deus secundum magnam misericordiam tuam. Et secundum multitudinem miserationum tuarum dele iniquitatem meam, & à peccato meo munda me. Tibi soli peccaui, & malum coram te feci. Si autem non ignorant, sed sciunt, silentium tenent in malo sermone.

Cognatæ igitur & germanæ sunt res, similes imagines atque hic quidem Petrus, illic vero Dauid, vt magnorum vitorum lapsus magna etiam venia curentur; & iis qui grauiter deliquerunt, magna etiam misericordia tributa sit. Si igitur admirantur Euangelia, quia Petrus misericordiam consecutus est, admirentur etiam legem, quia & Dauid misericordiam adeptus est. Si autem legem accusant, quia post tanta delicta non est Dauid data venia: neque Petrus opinione eorum querelam, & accusationem effugiet: & videbitur quidem contra solum Dauid facta accusatio; sed reipsa eadem accusatione accusabitur Petrus. Si autem dixerint, bonam quidem esse veniam, sed veniam veteris legis vsque ad vnum pertigisse, in euangelio autem multam esse veniã, & pelagus condonationis. & clamat ibi Saluator: Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos. legant vetera. & subeat admiratio eorum, quæ scripta sunt

Si autem propter desuetudinem exercitationis noluit legere scripta, etiam hic desinant accusare. Saluator dicit: venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos, neminem prætermisit, neminem reliquit, omnes complexus est: Dauid verò ait: Omnes gentes plaudite manibus, & rursus. Auribus percipite omnes qui habitatis orbem, iniqui terrigenæ, & filii hominum. simul in vnum diues, & pauper. omnes in euangelio excitati sunt; omnes in lege. neminem reliquit Euangelium: neminem lex omisit. clamauit Euangelium, agite pœnitentiam, appropinquauit enim regnum cœlorum, omnibus dimisit hanc sermocinationem; cum delinquentibus loquebatur, cum lapsis sermonem habebat, cum iis, qui iam erant rei mortis, loquebatur, libertatem per prædicationem præconciliabat.

Profectus est Ionas Niniuem, quæ erat ciuitas non parua & magna gentium frequentia habitata, edidit comminationem, non reticuit pœnam, clamauit, perterruit sermone, vidit viros, ad mutationem vitæ impulit, fecit, vt peccatum repudiarent, prænunciata comminatio abiit successit misericordia, factum est, quod vt fieret, curabatur, non enim interitus quærebatur, sed mutatio morum indagabatur, postquam factũ est hoc, & viri mutati sunt, apparuit donum Dei, clamauit iudex patrocinium suscipiens, dixit ministro suo: Si tu tristatus es pro cucurbita, pro qua non laborasti, quæ sub vna nocte nata est, & sub vna nocte periit, ego verò non parcam pro Niniue ciuitate magna, in qua habitant plusquam cẽtum viginti millia hominũ, & multa iumenta? & pepercit Deus, qui nunc quidẽ hæc dixit, in alio autẽ Propheta clamauit, inquiens: Nolo mortem peccatoris, sed magis vt conuertatur, & viuat, qui ab iis, qui sciunt laudes eius canere, in laudibus vocatur miserator, & misericors, patiẽs, & multæ misericordiæ, tam ingens enim pelagus miserationum apud Deum est, vt minimam, & breuissimã etiam flagitiosissimorum ad pœnitentiam inclinationem non relinquat inhonoratam. Achab enim fermè ad extremum nequitiæ processerat, & cum paulum compunctus esset, honorauit eum Deus, & rem ministro ostendit, & minas repressit, ac cohibuit, protrahens interim tempus supplicii, Vides, inquit, quomodo compunctus est Achab? non inducam mala in diebus eius, sed in aliis diebus, idque vt minimam aspersionem pœnitentiæ decenti honore Deus honoraret.

Sed hæc hactenus, ne disputatio de lege omnino præteriretur non tractata & excussa. Hoc solum addemus, fuisse legem vmbram futurorum bonorum, pædagogum verò adiuuare puerum, & ætatem pueritiæ quousque magister suscepta grandiore eius habitudine, maioribus disciplinis eum tradat. commodius enim & aptius hoc principio tanquam fundamento iacto, poterit quis confirmare, quomodo lex per Moysem data, gratia verò & veritas a Christo facta sit: nos autem alias argumentationes abortionis suis attingamus, proposita alia huius opinione in scripturis absona, & absurda, vt ea excussa & euoluta, quoad fieri potest, mentes illaqueatas

ex opinione amente eripere possimus.

Porrexit enim se vsque ad fabricam mundi, & hoc, quod cernitur creatum, à diabolo creatum esse vult. esseque hominem a diabolo formatum, atque animam quidem a Deo, esse tamen corpori a diabolo aptatam, & factum hominem, qui substantiam quidem corporis ex substantia diaboli acceperit, substantiam vero animæ tanquam spolium & exuuias ex Deo sumpserit, vt anima quidem sumpta sit ex Deo, traxerit verò de Deo spolium diabolus, atque ita ex substantia diaboli, & spolio Deo detracto fabricatum esse hominem ex corpore & anima constantem, atque animæ quidem non esse auctorem diabolum, neque substantiam eius fecisse, sed solius ingressus animæ in corpus effectorem esse; detractam enim tanquam spolium, vt ipsi aiunt, in carnem immisit, carnem verò ipsam, & formationem, & figuram, & talem formam, ac totam substantiam opus esse & formationes diaboli. Fatentes igitur factum esse hominem ex contrariis, neque quæ sit contrariorum ratio sciunt; neque sciunt esse quædam contraria, quæ inter se commisceri non possunt, quia nullam inter se communionem, neque mistionem habere queunt. quin potius causa sunt interitus sui in illa, quæ putatur, communione, quia non possunt simul esse, immo aliud tollitur, quia alius dominatur.

Ecce, in vno cubiculo dies & nox inueniri non potest, quia solum lumen inuentum prius sustulit tenebras. Ecce, in vna anima pudicitia, & scortatio non possunt cerni, quia sola pudicitia, si apparuerit, fugat, & amandat scortationem. ecce pietas, & impietas in homine vno nunquam erit. vbi enim pietas cernitur, neque stilla impietatis apparebit. confirmat autem Apostolus, & signat, quæ dicta sunt. Quæ inquit, societas luci ad tenebras? Quæ pars Christo cum Belial? Quæ enim sunt sibi contraria, non possunt esse sibi amica, & vnus concentus non poterit facere, vt quæ sunt vnius concentus discrepent. nec enim ex numeroso, & non numeroso vnus concentus, & vna modulatio efficitur, nec ex silentio, & locutione vna compositio fit. Vnum enim solum esse oportet, altero sublato, quod non patitur, vt simul sit. Si autem corpus esset diaboli, & anima Dei quomodo vnus concentus hominis ex eis conflatus esset? Quomodo vna amicitia, & affectio? en, aptatus, & factus est vnus homo, & concentu, ac conuenientia vnus est: ecce anima copulata est cum corpore, & illud amat, & affectione complectitur: nemo enim vnquam carnem suam odio habuit, sed nutrit, & fouet eam. Si autem alterum alterius curam habet, & dolorem corporis suum ducit anima, & non disiungitur effectionibus: sed adiungit se ad vulnera, adiungit se ad affectiones: & cum corpus dolet propter vulnera, in tristitia & molestia est anima, quæ potest esse expers doloris.

Cum verò voluptatem percipit, & à voluptate titillatur anima, etiã motus corporis participat; & titillationes simul attingit: ac similiter quidem desinit, accipit verò similiter incrementum. Cum anima, inquam, desinit perturbationibus moueri, simul desinit corpus, & conquiescit. cum verò cupiditas in anima remoratur, titillationibus etiam in corpore remoratis, corpus suauitate perfundit & inflammat: fiuntq; æqualiter titillationes, & æqualiter titillationem abiectiones, & defectiones. Si autem ex contrariis esset homo, ac corpus quidem diaboli esset; anima verò Dei, primum quidem non facta fuisset coniunctio vtriusque, nec ipsa diuturna mistio perficeretur. Secundo quamuis alterum ab altero reciperetur, & vtrumque tamen, quæ sua essent, propria, & priuata duceret, quæ verò alterius, aliena & neque voluptas corporis, animæ voluptas fieret: neque vulnera corporis dolores animæ essent: sed vtrumque per se voluptatem, & dolorem sibi impertiret. Quomodo diabolus illinc, quod suum non erat, sumere potuit? quomodo anima, quæ non est huius, sed alterius, & nullam admistionem eius habet, sed est alterius substantiæ omnino à diabolo alienæ, quomodo, inquam, in alienis & externis est? & admistionem corporis diaboli, tanquam vinculum patitur, & tolerat? & ligata est in non suo? quomodo carnem propriam esse ducit, & sanctam facit, atque eam ad virtutem præparat, vt quoad fieri potest, similem Deo efficiat? cum enim corpus castum est, & non sordidatum, neque maculatum, cum sanctum est, & honestum, cum sermo eius sanctus, & rectus, cum aspectus iustus, cum motus eius diuini sunt, quid aliud est hoc, quam similem esse Deo? ac de his quidem hæc dicta sint.

Pauca autem ex scripturis apponamus, vt appositio scripturarum illos ad erubescendum se adigat, & nobis fidem maiorem conciliet. Saluator enim cum in Euangelio de formatione viri & mulieris meminit, formationem ad patrem suum, & conditorem vniuersi referens, aiebat: qui fecit hominem ab initio, masculum, & fœminam fecit eos, & dixit: propter hoc relinquet homo patrem suum & matrem suam, & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carnem vnam, itaque iam non sunt duo, sed vna caro. Quod ergo Deus coniunxit, homo non separet, nouit cuius esset corpus, & cuius anima confitendo auctorem vtriusque, & patrem confitendo: & retinet, ac cohibet humanas cogitationes, volens, vt non possint disiungi, quæ facta sunt, non concedens, vt vlla humana sententia, ac voluntate, quæ bene aptata sunt, separare liceat, in Euangelio autem iis, qui falso videbantur eodem studio & cura teneri, occulta tamen & quæ intus erat in homine, negligebant. aiebat, stulte, nonne qui fecit, quod foris est, quod intus est, fecit? Si autem, quod intus est, anima est, quod autem foris, corpus, & qui fecit, quod intus est, animam fecit, & qui fecit, quod foris est, corpus fecit; igitur qui est animæ auctor, & effector, corporis auctor & effector est, & Deus est, qui vtrumque fecit, & aptauit, & coniunxit, qui hanc harmoniam decentissimam coagmentauit. Ipse autem Saluator quam accurationem corpori in sermonibus suis adhibet, cum ait: sunt eunuchi, qui se castrauerunt propter regnum cœlorum. Qui poterit capere, capiat: adhibens enim hanc diligentiam, & studium corpori, & efficiens ipsum sanctum & perturbationibus, ac voluptatibus vacuum, & omnem cupiditatem verbo amputans, & detondens, procurationem corporis demonstrat, & curam carnis prouidam significat; sollicitudine autem, & accuratione suam esse prædicat, progrediens vsque ad curam aspectus, ne si aspectus fortuito, ac temere moueantur, omni labe, & macula impleatur. quin immo si constanter, & grauiter cietur, in apta modestia perseueret. ait enim in Euangelio: Omnis, qui viderit mulierem ad cõcupiscendum eam, iam mœchatus est in corde suo. commotionem in corpore cum corde commetitur, & aspectum curans, communem curam adhibet cordi, commotionem aspectus commotionem cordis reputans esse, & accurationem aspectus accurationem mentis. nec enim aliter nocebit oculus, quam vt nocebit mens, quia non potest oculus deprauari, non deprauata anima; si enim anima est in æquitate, & recte videt, apte, & conuenienter oculi cernent.

Hic igitur repudians turpem aspectum oculorum, sanctum aspectum inducit, vt oculi, inquit, recta videant, & palpebræ iusta innuantur; erigit enim & extollit oculos, non permittens simul, vt flectantur, sed potius excitat, & vt erecti sint, facit, idcirco saluator gerens magnam prouidentiam, & procurationem corporum corpus gestauit, & in corpus venit. Si igitur non venit in corpore, quid dicturi sunt de cruce, & fixura clauorum, & lanceæ, & monumento, ac sepultura? Sin autem his conuicti corpus sumpsisse Saluatorem confitentur, quid dicent, si non sunt dicturi ipsum quoque à diabolo formatum esse

& non

A & non iam solum corpus humanum esse diaboli, sed etiam corpus Saluatoris benefici nostri? non enim parcent, nec abstinebunt se, quin vsque in hanc cogitationem euadant, & linguam in Saluatorem protendant. Qui enim contra ea, quæ ad illum pertinent, disputat, hic linguam acuens contra ipsum disputabit. Saluator autem baptismo etiam in Iordane abluebatur, & aquis aspergebatur, quis erat? & quid erat? Si enim corpus non gestabat, neque corpus habebat. Quid commune est spiritibus cum fluminibus? Quis angelus, quæ virtus, quæ dominatio, quis principatus, quæ potestas ad lauacrum descendit, & aquas experta est? quod si neq; virtus, neque potestas, neque thronus in aquas descendit, extra quæstionem posita est res. factum est perspicuum, quod quærebatur. immo ascendit ab aquis, tenebatur à diabolo, esuriebat, sitiebat, nauigabat, dormiebat, iter faciebat, defatigabatur, ambulabat, esuriens venit ad ficum, postremo iudicatus est, & crucifixus. quis hæc proclamabat? quis hæc testabatur? taceant linguæ, loquantur acta, Os habent res. amplius autem pulsantes, sonum emittamus, os habent scripta. & si nos taceamus, non tacent res. & si nos non loquamur, quæ scripta sunt, non possunt non loqui.

B Igitur quia sic sunt hæc. & acta fidem habent, & narratio actorum vera est, & clamant ipsæ actiones vi sua, habuisse corpus Saluatorem, & corpus mortale, & quod propter nostra corpora corpus gestauit, quod reliquum est, simile quærit, propter nos venit illius corporis sui effector, & nostrorum effector. Si enim aliud fuisset illud, curam aliis non adhibuisset corporibus. Si autem factum est, & factum à Deo, factum vero est propter nos, igitur propter propria fiebat, vt quæ propria erant, salua essent. illud fecit, illius effectione omnium suorum libertatem operatus; gratiæ igitur debentur ei, qui corpora nostra fecit, qui eorum ignauiæ, atque pigritiæ prospexit, & consuluit: qui misit filium suum in corpore, & nostris corporibus pignus dedit, vt non iam amplius flectamur, & humi cernamus, sed simus elati, & erecti communitate corporum.

Id est, sine fuisset eiusdem natura corpus scilicet humanū anima intelligenta praditū.

Illos igitur deceptores & fallaces in hoc etiam attenuemus, quod in corpora inuaserunt, & in corpus auctoris processerunt, ac contra œconomiam, & dispensationem Dei linguam extenderunt, ac contra libertatem nostram ad vsum & exercitationem linguæ loqui non dubitauerunt circulatores quidam, & circumforanei. congessimus aceruum verborum prauitatis istius. licet enim ex vno aliud accusare, immo omnia deinceps persequentes, omnia inutilia, & aliena existimare, idcirco nos omnem sermonem ipsorum huc vsque delapsi, ne magnitudinē libro præbeamus, bis hactenus dictis terminemus, facta ex paucis aliorum indicatione, & ex dictis prius eorum confutatione confecta. opus autem est diligentoria studiosis, vt omnes præstigias prætereuecti aures seruent, ne à prauitate capiantur, vt sint custodes suarum aurium, partim eas aperientes, cum verus sermo pulsat, partim claudentes, cum falsus, & dolosus, veritatem simulans laborat, vt in conclaue mentis irrumpat. multi enim ficti, & simulati pulsant aures, dicentes, ego sum Christus, & multos decipient. vnus autem solus Christus, qui est liberator, præses victoriæ, beneficus, disputatione pulsat, qui libertatem in ipso aditu conciliat, qui simul vt ingreditur, peccata excludit, qui in ingressu, amicitiam cum patre tribuit, qui mox ingrediens trophæa in anima ponit.

Finis libri tertij.



ZACHARIÆ MITYLENENSIS EPISCOPI, SYNTAGMA ADVERSUS MANICHÆOS.

INTERPRETE
FRANCISCO TVRRIANNO,
Societatis IESV.


DE ZACHARIA EPISCOPO MITYLENENSI EX EPITOME BIBLIOTHECÆ OTHONIS Gesneri.



ACHARIÆ *Scholastici (alias Sophistæ) & Episcopi Mytilenensis Dialogus, qui inscribitur Ammonius aut Philosophus, Græcè exstat Venetis apud Diegum Hurtadum. Item liber de mundi æternitate. Fertur & Romę quippiam Zacharię Philosophi exstare. Eiusdem exstat Dialogus, Theophrastus, de immortalitate animę* Vbi duplex error, primus, cum Dialogum, cuius inscriptio, Ammonius, distinguit, tanquam diuersum opus, à libro de mundi æternitate: cum sit vnus & idem liber. Secundus, cum Dialogum, Theophrasti nomine prænotatum eidem Zachariæ adscribit: Est enim Æneæ Gazæi Platonici Philosophi, relatus in tomum nonum Bibliothecæ sanctorum Patrum.

Porro Dialogum contra mundi æternitatem in latinam linguam transtulit Gilbertus Genebrardus, insertusque est in tomum quartum Bibliothecæ SS. Patrum. De eodem Zacharia hæc annotauit collector Bibliothecæ SS. PP. in Indice Chronologico. *Zacharias ex Scholastico Mitylenensis Episcopus, deputatus à Mena Patriarcha, & Concilio Constantinopolitano secundo, Oecumenico quinto, centum sexaginta quinque patrum, contra Anthymum & Theodorum sub Vigilio Pontifice, temporibus Iustiniani & Justini Imperatoris: cum Vosporio Neocæsariensi Metropolita Prouinciæ Ponti Polemoniaci, & Accacio Pessinuntino, ad notificandum Anthymo, quæ à concilio gesta essent de eius exauctoratione ab Episcopatu Constantinopolitano, & inuitare ipsum infra tres dies ad synodum ad faciendam super annunciatis congruam satisfactionem. Retulit aliis, quæ in ea re gesserant, subscripsitque Concilio post consulatum Fl. Bellissarij.* Hæc ille. Tu ipsamet Acta Concilij Quinti consule: quæ Zachariam non modo Episcopum, sed & Metropolitam Mitylenensem appellant.

ZACHARIÆ EPISCOPI MITYLENES DISPVTATIO CONTRA EA, QVÆ DE DVOBVS PRINCIPIIS A MANICHÆO QVODAM scripta & proiecta in viam publicam reperit Iustiniano Imperatore.



SI sunt in omnibus contraria principia, quæ ponis, vnum bonum, quod vocas, & alterū malum, necesse est, si bonum substantiam esse dicis, malum non esse substantiam. Si bonum dicis principium esse, malum nō esse principium: Si bonū esse ingenitum, & æternum, malū non esse sic. Si enim hæc cōmunia habent omnia, quomodo sunt cōtraria? Præterea. Contraria non quatenus substantia sunt, dicuntur esse contraria, substantiæ enim nihil est contrarium, sed aut quatenus sunt ad aliquid, aut secundum qualitatem, & accidens, aut secundum habitum & priuationem ex quo fit, vt primo & soli bono, cum nihil horum habeat, nihil sit contrarium, quia secundum substantiam est bonum, substantiæ verò nihil est contrarium. contraria enim dicuntur sursum, & deorsum non quatenus substātia sunt, sed quatenus ad aliquid. Quæ autem sunt ad aliquid, cum natura corporea adnexa sunt, non igitur in natura incorporea, & quæ omnibus antecellit & quæ intelligitur comprehendi non posse, locum habent sursum & deorsum.

Et timor contrarius dicitur fortitudini, non tanquam substantia, aliqua, sed tanquam qualitas & accidens, quod sæpe adest, & abest. fortitudo enim, & timor in anima spectantur non tanquam substantiæ, sed tanquā qualitates. Quocirca non dicuntur animæ, sed circa animam considerantur fortitudo tanquam habitus animæ, timor tanquam priuatio habitus. Sicut sanitas, & morbus in corpore. vnde necesse est priores esse habitus priuationibus. summæ igitur amentiæ esset cogitare hoc in Deo. distinctio enim boni à malo non habet locum in Deo, sed in bono, & malo actionum humanarum: bono quidem in creaturam Dei ingrediente secundum habitum; malo verò secundum priuationem habitus ex motu liberæ voluntatis accedente sæpe. bonum enim in anima, & viuere secundum virtutem tanquam optimus quidam habitus, sicut dictum est, aduenit homini: huius verò ignauia ex voluntate, & ex praua consuetudine, ac

A conuersatione mala proficiscente, malum tanquam priuatio habitus sæpe accidit.

Rude igitur est, & valde ineruditum dicere contrarium bono secundum substantiam, & per se bono malum, sicut contraria sunt sursum & deorsum; aut esse omnino aliquid contrarium bono secundum substantiam, quod est solus Deus. nemo enim bonus, nisi vnus Deus, quia ipsius bonum tantum est immutabile, tanquam primum bonus, & secundum substantiam bonus, qua ratione nihil est ei contrarium. quare malum non est secundum substantiam, ei enim quod est, opponitur diuidendo, quod non est, vnde non est substantia, quod non est. Si autem quod non est, non est substantia, & opponitur substantiæ, diuidendo, vt ais, bono, B quod est substantia, malum. malum igitur non est substantia.

Si autem hæc sic habent, & aliter bonum, quod est in Deo, consideratur, qui est bonum à se ipso motus, & secundum substantiam bonum, & quod primum bonū intelligitur; aliter verò consideratur in hominibus, quod sæpe priuationem habitus proprij voluntariam recipit. & veritas est cum iis, quæ sic intelliguntur, & dicuntur, an non est barbara, & stulta, & ex omni parte repugnans fabula de duobus principiis, quæ communes notiones non probant? Quomodo enim esse poterit ἀρχὴ, quæ non in omnibus principatum tenet? si autem necesse est, vt in omnibus principatum teneat ἡ ἀρχὴ, vnus solus erit princeps, quod principium vocamus, igi-C tur malum non est substantia, sed diuinæ legis transgressio, quę ex solo motu liberæ voluntatis ignauis ratiocinatoribus accidit, & in sola actione non obtemperantium legi Dei cernitur. vnde in ea inest, vt possit desinere, cum pœnitet sæpenumero eos, qui maleficium faciunt, & ad virtutem motu voluntatis redeunt; quod quidem documento est, non esse mala secundum naturam. Quæ enim secundum naturam sunt, vinci non possunt. Si autem mala non sunt natura, & naturarum fabricator Deus est, vnum igitur & solum principium erit, quod quia incircumscriptum est, & vbique esse intelligitur, nullum locum dat nequitiæ, quæ non est.

FINIS.

EXCERPTA EX LIBRO SANCTI HIPPOLYTI EPISCOPI PORTVENSIS ET MARTYRIS, DE THEOLOGIA & incarnatione contra Beronem & Helicem Hæreticos.

INTERPRETE FRANCISCO TVRRIANO *Societatis* IESV.

LECTORI.



QVIS quantuſque Hippolytus Portuenſis accurate explicatum inuenies apud Cardinalem Baronium Tomo II. Anno Chriſti M. CCXXIX. Summa eſt, fuiſſe Metropolitanum Arabiæ; veniſſe Romam ſum Calliſto Pontifice: honoratum ab illo, Epiſcopatu Portuenſi: ſcripſiſſe, (Euſebio id atteſtante) commentarios in Hexaemeron. Librum contra Marcionem. Explanationem in Canticum Canticorum. Expoſitionem in aliquot partes Ezechielis. Librum de Paſchate. Librum contra omnes hæreſes. Commentarios in Iſaiam, (vt refert Sanctus Hieronymus) in Danielem. In Zachariam. In Pſalmos. In Eccleſiaſten. De Saül & Pythoniſſa. De Antichriſto. De Reſurrectione, & περὶ [illegible] de laude Domini Saluatoris. Epiſtolam ad Reginam quandam (teſte Theodoreto) Orationem de duobus Latronibus. Item in Helcanam & Annam: & in principium Iſaiæ. Librum de diſtributione talentorum. Item aduerſus Valentinianos, & alia multa. Tandem Martyrium ſub Alexandro Imperatore ſubiiſſe. Hæc ſumma eorum eſt, quæ illuſtriſſimus Annalium ſcriptor ex veterum monumentis de Hippolyto memoriæ prodidit.

Porrò cum Hippolytus aduerſus omnes Hæreſes ſcripſerit, & Euſebij tempore, ipſo Euſebio teſte, multæ eius lucubrationes (quarum relatione Euſebius ſuperſedet) paſſim fuerint adſeruatæ, difficile creditu non eſt, inter illas etiam fuiſſe hoc de Theologia & Incarnatione opus contra Beronem & Helicem, Valentiniani hæretici deſertores. Ex quo opere Excerpta tibi damus: beneficio ſummi viri Franciſci Turriani, abſque quo fuiſſet: planiſſime hæc & alia multa antiquitatis monumenta perierant. Exploratum autem eſt errorem de humanitate Chriſti in diuinitatem mutata (contra quem diſputat Hippolytus) non cum Apollinari & Eutyche demum natam, & in orbem introductam, ſed longe Antiquiorem eſſe: cum illius Iuſtinus Martyr meminerit, in expoſitione fidei vbi huius ſententiæ hæreticos his verbis exagitat. *Dicite nobis vos, qui Chriſtiani profiteri ſimulatis: qui vt duas naturas tollatis, talia inueſtigatis & obtenditis: qui miſtionis & confuſionis & corporis in Deitatem, ita vt commiſceatur, mutationis, eiuſcemodi dubias ambiguitates concinnatis, qui nunc verbum in carnem conuerſum: nunc carnem in verbum ſubſtantia ſua conuerſum eſſe aſſeritis: & per id genus mentis emotiones & delirationes voſmetipſos ne tantillum quidem ſapere manifeſte declaratis: dicite ergo nobis, quomodo Verbum cælos non reliquit? &c.* Differit deinceps Iuſtinus copiosè contra hunc errorem, eumque euidenter extremæ vanitatis, & vt ſic loquar, *impoſſibilitatis* coarguit. Hæc eò notare viſum, ne quis ſuſpicaretur Excerpta hæc ex Hippolyti officina non prodiiſſe: quod refellit dogma a poſterioribus ſectariis demùm excogitatum. Fallitur, quiſquis eſt hoc animo. Nam error ille vetuſtiſſimus eſt, vt ex Iuſtino Hippolytum ætate antegreſſo demonſtrauimus.

EXCER-

EXCERPTA EX LIBRO.

S. HIPPOLYTI MARTYRIS ET EPISCOPI PORTVENSIS, DE Theologia, & Incarnatione, contra Beronem & Helicem Hæreticos.

CAPVT PRIMVM.



OLVNTATE Dei, quæ infinitæ potentiæ est, facta sunt omnia: & postquam facta sunt, salua manent singula secundum suas rationes ordinatè conseruata ab ipso Deo in immensum præponente, & auctore vniuersitatis rerum, diuina eius voluntate, qua omnia fecit, & mouet singula suis legibus naturalibus gubernata, manente cum eis immobili: infinitum enim nullo modo, aut ratione motum suscipit non habens quo, aut circa quod moueatur: motus enim infiniti natura, cui non inest natura, vt moueatur, mutatio ipsius infiniti est. Quamobrem Verbum Dei, quod verè, vt nos sumus, factum est homo sine peccato, operatum & passum humanæ, quæcumque naturæ humanæ sunt citra peccatum, & sustinens propter nos naturalem carnis circumscriptionem non mutationem sustinuit, qui est idem cum patre, in nulla penitus re factus idem carne propter exinanitionem quin potius sicut erat expers omnis carnis, extra circunscriptionem mansit: per carnem diuinè operans, quæ diuinitatis sunt & vtrumque sese demonstrans per ea, quæ vtroque modo, diuinè scilicet, & humanè, operatus est secundum ipsam verè veram & naturalem essentiam, vtrumque inquam se esse, & intelligi, Deum infinitum, simul & circunscriptum hominem, substantiam vtriusque perfectè perfectam habentem cum ipsa operatione, id est, naturali proprietate.

Ex quibus operationibus, & proprietatibus scimus manere semper secundum naturam sine mutatione ipsarum substantiarum differentiam: sed non, sicut quidam aiunt, secundum comparationem, ne eundem sibiipsi secundum idem, quod non licet, maiorem, & minorem dicamus: comparationes enim sunt eorum, quæ eiusdem naturæ sunt, & non quæ diuersæ: cum Deo autem auctore omnium factorum, & infinito finitore finitorum, & cum ipsa infinitate nulla ratione comparatur finitum: quæ naturaliter & non comparatè per omnia semper inter se differunt: tametsi facta est vtriusque substantiæ vnio inexplicabilis, & indissolubilis in vnam hypostasim: vnio, inquam, quæ omnem cognitionem omnis creaturæ omnino fugit: diuinitas enim sicut erat ante incarnationem est, & manet secundùm naturam post incarnationem infinita, soluta, & libera omni habitudine, impassibilis, incomparabilis, immutabilis, immobilis, per se fortis, & vt omnia complectar, sola est per se secundum substantiam infinitæ potentiæ & bonum infinitum.

Eiusdem ex eodem libro. CAP. II.

FActus igitur est Deus vniuersorum non mutatus vere homo secundum scripturas, sine peccato, sicut ipse solus nouit, qui est natura artifex eorum, quæ intelligentia comprehendi non possunt, qui in ipsa si-

A mul incarnatione operationem propriæ diuinitatis carni imposuit, non circunscriptam ipsa carne propter exinanitionem, neque sicut erat diuinitatis, sic ab ipsa carne naturaliter prodeuntem, sed ostensam per carnem in iis, quæ incarnatus diuinè operatus est: non enim caro facta naturæ diuinitatis, caro facta est natura diuinitas, mutata natura sua. Sed quod erat, mansit secundum naturam & operationem vnita, cum natura diuina, sicut saluator dixit; Spiritus quidem promptus, caro autem infirma: in qua operatus, & passus, quæ erat carnis sine peccato, fidem fecit exinanitionis pro nobis factæ in diuinitate, miraculis, & passionibus carnis naturaliter confirmatam.

B Ideirco enim factus est Deus vniuersorum homo, vt patiens in carne passibili, totum genus nostrum morti venditum redimeret: diuinitate autem impassibili operans per carnem miracula, ad suam immortalem, & beatam vitam reduceret, & in cœlis sanctos ordines cœlitum mysterio suæ incarnationis ad immutabilitatem roboraret, cuius opus est omnium ad eum tanquam ad caput reuocatio, mansit igitur incarnatus secundum naturam Deus supra quam infinitus habens operationem sibi cognatam & conuenientem, ex diuinitate quidem prodeuntem secundum substantiam, per sanctam vero carnem in miraculis œconomice perfectam, vt crederetur Deus esse, qui per carnem natura infirmam salutem vniuersi operabat.

Ex eodem libro. CAP. III.

C MIhi etiam, vt exemplo planum faciam, quod de Saluatore dictum est, ratio mea naturalis cognata est, & congruens, qui sum ratione præditus, & anima intelligente, cuius est operatio, qua è se anima mouetur, & prima potentia semper mobilis ratio naturalis ex ipsa manans, quæ cum verbum à me facta est, & lineis bene signata, lingua quidem instar instrumenti aliquando eam profero, & litteris artificiose per dissimilia non mutatam ostendo, vt audiatur: non enim ratio mea naturalis, est linguæ & litterarum, etsi per linguam, & litteras eam profero; sed ex me est, qui secundum naturam loquor, & eam per linguam, & litteras promo: ex mea quidem anima intelligente naturaliter semper manantem, per linguam vero meam corpo-

D ream organicè, vt dixi, quando oportet prolatam. Sicut igitur in nobis, quo ad licet assimilare (quod penitus assimilari non potest) per linguam nostram corpoream, immutabiliter facultas rationalis secundum naturam animæ profertur: sic in Dei corporatione, siue incarnatione, quæ supra naturam est, per ipsius sanctam carnem in iis, quæ diuinè operabatur, citra mutationem omnipotens, & omnium effectrix diuinitatis operatio ostendebatur, extra omnem circunscriptionem secundum naturam remanens: quamuis per carnem natura finitam elucebat: non enim potest per naturam creatam circunscribi, id quod

SI

LEONTII BYZANTINI
MONACHI, LIBRI TRES CONTRA
EVTYCHIANOS ET NESTORIANOS.

I. Contra Enantiodocetas.
II. Contra Aphthartodocetas.
III. Contra illos, qui simulabant se Chalcedonensem Synodum recipere; cum essent Nestoriani.

EIVSDEM LEONTII SOLVTIONES
argumentationum Seueri.

EIVSDEM LEONTII DVBITATIONES HYPOthetic & definientes, contra eos, qui negant esse in Christo post vnionem duas veras naturas.

INTERPRETE FRANCISCO TVRRIANO
Societatis IESV.

LEONTII BYZANTINI MONACHI
Prologus.



VM viri Deo chari, & diuinorum dogmatum studiosi disputationes, quas frequenter publicè habuimus, approbassent, hortati sunt nos, vt dubitationum, & solutionum, in iis, de quibus sæpè disseruimus, designationes quasdam scripto ipsis traderemus, vt esse eis possent, sicut quidam dixit, remedium obliuionis, excitatio memoriæ, & temporis, quod omnia obliterat reparatio. Nos vero sæpe interpellati, distulimus cum propter alia multa, tum propter duo potissimum, quorum alterum quidem erat non esse nos pares ad scribendum, quoniam nec externam disciplinam percepimus: & spiritualem doctrinam, quam diuina gratia suppeditat mundo corde præditis, nondum assecuti sumus: non enim pudet me conscium mihi esse tenuitatis meæ, cum ij, qui nunc sunt sapientes, se penitus ignorent: alterum vero, quod istorum ingrata memoria veterum laborum, quos sancti patres susceperunt, multam pigritiam animo meo ad obediendum iussu charitatis afferebat. Quibus enim non suaserunt libri tanta Dei gratia, & sapientia ac summo etiam philosophiæ, & aliarum disciplinarum studio scripti, & editi, quomodo hic meus exilis sermo ex tenuitate tum mentis, tum linguæ profectus suadere poterit? Iussis tamen beneuolis, etsi non prius, nunc tandem parere decreuimus: non enim iusserunt, vt eorum qui robusti sunt, & rectè valent, curam haberemus. Tres itaque libros scripsimus, quorum primus contrariæ, & falsi nominis scientiæ, Nestorii & Eutychis obiecta & opposita summatim continet, paucis omnes fere eorum quæstiones comprehendens. Distinguimus autem librum in capita: ita vt vnumquodque caput ea contineret, quæ ad ipsum referri poterant.

Inscriptio autem huius libri accommodate ad propositam rem subiectam adhibita est, contrariæ inter se fictionis Nestorii & Eutychis circa diuinitatem, ac humanitatem Christi confutatio, quia alter diuinitatem, alter humanitatem speciosis nominibus vsi, vt vtrique visum est, fictam tradunt.

Secundus liber est in eos, qui ex nostris accesserunt ad corruptam sententiam eorum, qui corpus Christi incorruptibile ante resurrectionem tradebant, qui ex eo vocati sunt ἀφθαρτοδοκῆται. *Iustissimè autem sunt hi accusandi, qui vnius Domini, & Dei, ac saluatoris nostri Iesu Christi differentiam, & proprietates: & operationes sciunt. Eos enim, qui naturis aduersantur, & earum differentiam negant post vnionem, ac proprieta-*

tes, & actiones in eis scelerate confundunt, non magis ridemus propter inscitiam, quàm dolemus, & miseramur propter impietatem, qui de modo vnionis naturarum dubitant, quas neque concedunt, neque panunt esse. Oportebat enim primum positum esse, & fixum ipsis, esse & seruari post vnionem naturam diuinitatis Christi, & naturam humanitatis eius atque ita inquirere postea, quomodo se habeant inter se, & quomodo sint. Huius libri stylus conformatus est in disputatione & dialogo, nihilque, vt arbitror, relictum est earum, quæ ad propositam quæstionem spectabant, & commoda erant. Ne autem personæ confunderentur, persona dubitantis habet stellam insignitam: persona soluentis dubitationes in figuram crucis. Nec ia quidem factum est temere. Nota enim stellæ significamus tenuem, & non explicatam cognitionem personæ dubitantis, defensorem autem veritatis Trophæo crucis armauimus. Est autem inscriptus hic liber, Aduersus eos, qui ex nostris se adiunxerunt ad corruptam sententiam Aphthartodocetarum, id est eorum, qui corpus Christi ante resurrectionem incorruptibile fuisse senserunt dialogus.

Tertius liber continet confutationem eorum, qui simulant se tenere magnam & œcumenicam Synodum Chalcedonensem, & sunt Nestoriani. Hi sicut & reliqui hæresum sectatores, videntur diuinas scripturas, & superiores Synodos recipere, non quidem quod secundum eas sentiant, sed vt impietatem suam ad decipiendos simpliciores hac simulatione tegant, sicut Apollinarius & Macedonius Synodum Nicænam, & Nestorius præter Nicænam etiam Constantinopolitanam: Eutyches præter alias, etiam Synodum Ephesinam. Sic etiam hi simulant sanctam Synodum Chalcedonensem, tum vt graui auctoritate personarum eius, impietatem suam celent, tum vt viam sibi muniant ad oppugnandam veritatem. Quorum versutiam cum impietate implicatam cùm detegere ac prodere vellemus ad primos patres eius impietatis confutationem reuocauimus, proferentes in apertum eorum origines, & fontes impietatis, vt sic eos semel simplici veritate claudere, & eorum fluxionem impiam interrumpere studeremus. Hoc enim modo reliquus fluxus impietatis delebitur. Siquidem natura comparatum est, vt, initiis malorum extinctis, quæ ex eis profecta sunt, simul extinguantur. Librum autem confutationum in capita distinximus adscripto numero in fronte cuiusque capitis, est autem inscriptus liber sic.

De tacita simulatione & origine impietatis Nestorianorum, & de eorum patribus patefactio, & triumphus. Eos vero, qui hunc librum lecturi sunt, rogamus, vt veniam dent, sicubi aduersariis plagam mortiferam non inflixiimus; & veritatem infirmius quam par erat defendisse videbimur. A differendo quidem pro dignitate rerum omnes similiter absumus: studio vero & amore pietatis alius alteri præstat. Vnusquisque autem vt erit præparatus, ita sanè mensuram gratiæ accipiet. Hoc etiam lectorem oratum velim, vt si quid ipsi non satis explicate à nobis dictum esse videbitur, aut propter abstrusam quæstionem, aut propter quarumdam vocum variatam significationem, ac proprietatem, ne hoc cum primum legerit, improbet. Cum enim iterum, & sæpius quæ dicta sunt animaduerterit, sententiam eorum quæ dicuntur, explanatam reperiet. Perfecta vero per se merces laboris in quærendo positi erit veritatis inuentio. Auctoritatis etiam cum iis quæ à nobis exposita sunt facientes, singulis libris subiecimus, vt veritatem testimonio antiquorum confirmaremus. [illegible]

LEONTII CONFVTATIO VTRIVSQVE FICTIONIS INTER SE CONTRARIÆ, Nestorij & Eutychetis circa diuinitatem Christi, & humanitatem.



ROPOSITVM mihi est exponere, & explanate rationem hypostasis, & substantiæ, id est, personæ, & naturæ idem enim vtraque sunt; & circa idem versantur confusam, & non explanatam apud eos, qui hoc tempore sapiens numerantur, atque alia præterea capita explicate, quæ cum prima quæstione cohærent, idque Deo iuuante, & infirmitatem cogitationum nostrarum merito præcationum vestrarum fulciente, quibus confisus ad traductionem huius quæstionis me contuli. Non ignoramus, quod qui nobis aduersantur, & quibus vnum cum virtute & cum sanctis patribus certamen est, sicut illos sic etiam nos, qui illorum disciplinam sectamur, & defendimus, inhonorant; qui nos potius nescientes honorant, dum probri quæ illis obiiciunt, nobiscum communicant. Hi enim & diuina ludunt, & theologos conuitiis consectantur; & quid mirum, si nos, qui sumus nihili, contemnunt? in quibus hoc tantum dignum est admiratione, quod omnem virtutem quæ in actione est, studiose negligunt, sequa ipsos sapiens esse iubent, & sunt tanquam ex iussione & edictu prudentia prædit; quos eruditus esse fecit velle tantum: sicut eos quidam ex hominibus vrbanis, lepide, & venuste, [illegible], id est, summos Philosophos vocauit. Sed non oportet nos propter illorum deprauatam voluntatem vel fiduciam vel certamen remittere, quinimmo contra, certaminibus vitiorum beatorum ad fortitudinem stimulari, & vegeri, vt idem eueniat nobis, quod ferro calidissimo, quod quidem aquæ frigidæ immersum, & infusum durescit.

In Lutheranos. [illegible]

Et

Et nos dum cum his certamus, ad præmium certaminis roboramur. Age ergo verbo penetranti, tanquam gladio ancipiti aciem eorum aduersus veritatem instructam à dextris, & à sinistris perrumpentes, prosternamus eos, hinc exorsi. Discipuli Nestorij in idololatria humanitatis Christi, & discipuli Eutychis in fictione, immo discipuli vtriusque fictionis, bellè enim vtrosque religiosus, & diuinus vir ἐναντιοδόξους, id est contrariæ fictionis auctores contrarios appellauit, illi quidem diuinitatem in saluatore, fictè dicunt: hi vero humanitatem. Nestorius beneplacitum, & dignitatem pro fictione diuinitatis defendit: Eutyches carnem ineffabilem, pro naturali, & nostra. Sic honestis nominibus, & verbis decoris tanquam fictis coloribus fœditatem contrariæ quidem impietatis, sed tamen æqualis, honestare nituntur. Quasi studium nobis sit elegantia nominum vtendi, & non potius faciem veritatis verè auream aspiciendi, qua nihil est amabilius. quamuis nihil elegans, & splendidum accedat. Nec enim ornamentis indiget, quæ naturali pulchritudine splendescit: nec verborum, quasi pigmentorum fucata & fallaci specie. Hi igitur secum & cum veritate pugnantes bellum in eam per contraria partiti sunt eisdem propositionibus ad suum vterque finem abutentes, ita vt consensio impietatis contrariè dissentientium vno argumento veritatis a discipulis eiusdem veritatis conuellatur, & concordia prauitatis copiosam victoriam pariat: quibus enim argumentis alterum istorum, qui impietate connexi sunt, refellimus, eisdem etiam alterum simul refutauimus. Est autem aduertendum idem euenisse circa incarnationem Eutychi cum Nestorio, quod in trinitate Sabellio cum Ario: illi enim per contraria in malum æquale ceciderunt. Sabellius quidem propter substantiam, in vnam hypostasin confudit hypostases: Arius vero propter hypostases simul cum eis substantiam diuisit. Hi vero conuerse. Nestorius quidem diuidit naturas in hypostases: Eutyches vero commiscet naturas in naturam. Quibus enim disputationibus, & argumentis à superiorum temporum hominibus trinitas diuisa est, eisdem à posterioribus œconomiam, id est, incarnationem confusam esse reperimus. Quibus autem nunc œconomiam diuidunt: his illi diuinitatem confundunt. Age ergo proferamus in medium eorum sophisticas propositiones. Et tanquam in iudicio, demus locum accusationibus eorum, atque ita quæ frustra contra veritatem vanè excogitauerunt, diluere conabimur.

Contra Eutychem disputatio.

Aiunt enim, si duas naturas in vno Christo esse dicitis, natura autem non est sine hypostasi, duæ ergo erunt hypostases. Vnum autem est vtriusque, vt dixi, certamen, quamuis finis sit differens. Illi enim, id est Nestoriani, vt cum naturis hypostases inferant: alii vero, id est, Eutichiani vt per hypostases naturas etiam tollerent, eodem argumento vsi sunt. Sed audiant, qui Eutychis partes sequuntur. Nobis enim vnum commune certamen contra vtrosque est: primum vero contra hos. Quid vos, vnam naturam esse dicitis: Non, inquiunt, sed vnum incarnatum. Nihil autem prohibet, quin vobiscum coniungamur. Vnam itaque naturam verbi, quam dicitis, à vobis datam, & concessam tenemus. De altera autem natura contendamus, quam naturam altam esse dicimus præter naturas verbi, quæ natura caro à vobis dici solet. Quid de hac carne dicitis? habétne naturam, vel substantiam, aut partem quidem naturæ: quantum autem habeat, in vestra potestate, siue dimidiam, siue tertiam partem, siue aliam minimam partem vocare libet. Et vt eadem forma argumentandi vobiscum vtar, est ne caro ἀνούσιος, id est expers substantiæ, vel expers naturæ? Quomodo nostram quæstionem effugietis? Etenim si est caro expers substantiæ, vel extra naturam; demonstrate, quæ est, & quomodo hæc habet, & nos acquiescemus. Sin autem extremæ inscitiæ est, carnem ponere, & non esse, quod dicitur: aut non dici quod est, quo modo effugietis, quam ipsi nobis propositionem obiicitis? Si enim non est caro expers substantiæ, id est, non habens naturam, non est autem natura sine hypostasi, non est igitur caro sine hypostasi. Oportet ergo vos aut naturam à carne penitus remouere: aut duas hypostases domino tribuere secundum legem vestram, quæ dicit non esse naturam sine hypostasi. Etenim si non est natura sine hypostasi, naturam autem verbi dicitis, hypostasim ergo verbo dabitis. Et relinquitur quæstio de carne. Vtrum si non habet propriam naturam, vocetur caro, & vocate, habeat etiam hypostasim aut non habens hypostasim, etiam naturam amittat, Sic igitur vos vestris dubitationibus conuicti estis. Et nulla versutia vos extra pœnas eorum criminum, de quibus nos accusatis, esse faciet. Et si vnam quæstionem solueritis, magno honore digni apparebitis. Si non est natura sine hypostasi: ex duabus autem naturis esse Dominum concesseritis: est igitur ex duabus hypostasibus. Quis igitur propter Nestorij diuisionem hypostaseon reus fuerit, vobis permittimus iudicium. Si ergo vos his argumentis reuictos dimittimus. Cum ii autem qui contrario modo atque nos, à veritate aberrant, sic disputabimus.

Eutyches vnam naturam verbi incarnatam tradebat, & hanc Catholici contra eum sumunt.

Eutyches non distinguebat hypostasim à natura, & ideo propter vnam hypostasim verbi, naturas confundebat in vnam.

ἀνούσιος, φύσεως ἄμοιρος.

Contra Nestorium disputatio.

Non est idem hypostasis, & enypostaton, id est, quod est in subsistente: sicut aliud est substantia, & aliud esse in substantia, siquidem hypostasis aliquem vnum declarat: esse autem enypostaton declarat substantiam, sed non aliquem vnum: & hypostasis quidem personam definit proprietatibus designantibus: enypostaton vero significat non esse accidens, quod in alio habet vt sit, & non in se cernitur. Cuiusmodi sunt omnes qualitates, & quæ substantiales etiam dicuntur, ex quibus nulla est substantia, id est, res per se existens, sed quæ semper circa substantiam cernitur, vt color in corpore, & scientia in anima. Qui igitur dicit, Non est natura sine hypostasi, verum dicit, non tamen rectè concludit, cum concludit, quod non est sine hypostasi, hypostasim esse: vt si quis dicat non carere corpus figura, quod verum est, deinde non rectè concludat, figuram ergo esse corpus, & non potius carni in corpore. Natura igitur, id est, substantia nunquam sine hypostasi esse poterit, non tamen natura est hypostasis, quia neque remeat. Hypostasis enim est natura, natura autem non iam est hypostasis. Natura enim rationem essentiæ recipit. Hypostasis vero rationem per se essentiæ, natura rationem speciei continet: hypostasis declarat aliquem vnum: natura, rei vniuersalis characterem (id est formam) declarat: hypostasis proprium à communi secernit. Et vt in summa dicam, vnius naturæ propriè dicuntur consubstantialia, & quorum est ratio essentiæ communis. Definitio vero hypostasis est, vel natura quidem eadem, numero vero differentia: vel ex differentibus naturis composita, communionem vero essentiæ simul etiam inter se habentia, non tanquam complentia substantiam inter se. Quod quidem sit in substantijs, & ijs, quæ substantialiter de ipsis prædicantur, quæ dicuntur qualitates, sed tanquam alterutrius natura, & substantia non cernatur per se, sed cum composita & coinsita. Quod quidem & in alijs rebus reperitur: & non minus in anima & corpore, quorum communis quidem hypostasis, propria vero natura, & ratio differens.

ἐνυπόστατον ἀνυπόστατον.

Manus non est substantia sed pars substantiæ & dicitur ἐνούσιον

Quod Christus sibi vniui non erat hypostases. sed ἐνυπόστατον.

συμποσεως.

At, inquiunt, homo etsi ex differentibus specie compositus est, neutrum tamen eorum sine altero habet essentiam. Verbum autem ante humanitatem est, & homo quidem ex imperfectis partibus constat: Christus vero perfectas habet partes: & hac ratione ne partes quidem merito vocari possunt. Quomodo igitur, compositionem hominis tanquam similem in verbo & incarnatione accipis nihil simile habentem. Hæc quidem Nestoriani, scilicet sententiæ contrariæ, & diuisionis patroni obiiciunt. Aliis enim, Eutychianis inquam, placet exemplum non sumptum aptè, & conuenienter,

ſed valde inſcite, vt & confuſio prototypi poſcit, tanquam expreſſa imago illius. Quod autem non eſt noſtrum inuentum hoc, ſed à maioribus, vt in prouerbio eſt, filius à patre, accepimus, teſtantur ſcripta theologorum, in quibus hoc exemplo hominis ex anima & corpore compoſiti in vnione vſi ſunt. Non tamen rectè faciunt, qui vim adhibent, vt ſic ſe habeat exemplum, vt prototypum. Non enim eſſet iam exemplum, niſi haberet aliquid diſſimile. Nos enim non ſumpſimus hominem exempli cauſa, quia prius eſſent partes, neque quia ſimul, neque quia imperfectæ. Concedimus enim iſtis malè feriatis, vt imperfectas vocent, cum alioqui non ſint, ſecundum rationem eſſentiæ, vt poſtea demonſtrabimus, ſed ſumpſimus exemplum ad declarandum eſſe verbum ipſi ſubſtantiæ vnitum, corpori ſcilicet ex nobis ſumpto, & nunquam ſine eo cerni, quamuis ſeruet etiam in vnione differentiam; ſicut etiam ſeruat communis homo. In neutro enim cernuntur confuſæ proprietates. Nec enim ex inuiſibili, & immortali facta eſt anima noſtra inuiſibilis, & mortalis. Neqoe verbum factum eſt viſibile, & mortale, quamuis in corpore viſibili & mortali. Vtrumque enim dictorum ſeruat integrè ſuam proprietatem, ſicut vtriuſque natura poſtulat, homo ſcilicet communis ex anima & corpore conſtans, & ſaluator in diuinitate, & humanitate ſubſiſtens: iſti vero exemplum accipiunt, non quatenus ſimile eſt, ſed quatenus diſſimile. Et male feriantur in ſuis percunctationibus, vt cum nos ſplendorem ſolis exempli cauſa in verbo, & patre aſſumimus propter coniunctionem ortus ſplendoris cum ſole, nos vexant quaſi hac ratione faciamus verbum non ſubſiſtere per ſe. Quod autem neque homo ex imperfectis partibus compoſitus eſt ſecundum rationem cuiuſdam eſſentiæ alterutrius partis, quamuis quoad definitionem totius hominis, non recipiunt partes rationem totius tanquam totius, ſic intelliges. Quid enim deeſt animæ habenti ſeparatam, & propriam vitam, ad hoc, vt ſit ſubſtantia incorporea, ſemper mobilis? Hoc enim declarat immortalem eſſe eam, & interire non poſſe. Quid rurſus deeſt corpori, vt ſit corpus? quod quidem qui definiunt, aiunt eſſe corpus triplici dimenſione; aut corpus naturale organicum poteſtate vitam habens, vtraque enim definitio aptè conueniet corpori noſtro: non ſunt igitur hæc imperfecta ſumpta per ſe, tametſi imperfecta dicuntur, quo ad hypoſtaſim totius, in quo ſunt partes: hac enim ratione, non aberrabit, qui etiam myſterium Chriſti interpretabitur. Imperfectum enim eſt ſi vel Deus nudus ſine humanitate, vel homo item nudus ſine diuinitate ſumatur, vt hinc appareat duplicem eſſe perfectionis definitionem in Chriſto, vnam, quæ ſimpliciter dicitur alteram, quæ in habitudine cernitur ſecundum magnum Gregorium. Perfectum namque eſt verbum, & plenum, & præbens perfectionem: perfecta autem eſt & anima hominis, quantum ad definitionem eſſentiæ ſuæ. Sed tamen neque verbum eſt perfectus Chriſtus, non vnita humanitate, quamuis perfectus Deus ſit, nec anima perfectus homo eſt, licet perfectam ſubſtantiam habeat, corpore non ſimul cum ea coagitato. Hoc autem annotandum eſt, quod cum definitionibus rerum non aſſumuntur tempora, neque loci. Rationem enim eorum tantum continent, ſine quibus non conſiſtunt. Præterea omnis definitio rei eſt, quæ nunc eſt, non autem eius, quæ ex ea poſtea eueniet. Alioqui nihil eorum, quæ ortum capiunt, definitionem eſſentiæ, quam habet, recipere poterit, quia nihil perſeuerat; ſed omnia mutantur in omnia, quæ ortum, & interitum ſubeunt, immo omnis ſubſtantiæ ratione præditæ, cum plus & minus ſecundum virtutem recipiant, & nunc quidem ſic, nunc vero illo modo ſe habeant, in motu cernuntur: in eiſdem enim per ſtare non eſt proprium naturæ creatæ, ſi quidem de ſolo Deo proprie dicitur: tu autem idem ipſe es.

At, inquiunt defenſores diuiſionis: corpore circumſcribitur anima, & paſſiones recipit, & dolores ſuſtinet; quare ſi ſic verbum vnitum eſt animæ, licet ibi ipſum etiam eiſdem ſubijcere, & facere verbum patibile, & circumſcriptum. Quid? nonne vos potius hæc facitis: obijciam enim quæ nobis in crimine ponitis. Siquidem formidaſtis vnire verbum carni, & toti homini, quaſi neceſſe eſſet, ſic circumſcribi, & pati. Si igitur verbum natura pati poteſt, aut circumſcriptionem loci recipit: erunt hæc in ipſo propter ipſum, & non propter vnionem cum corpore patibili, & circumſcriptio, atque ita patibile, & circumſcriptibile, quamuis non paſſum ſit, neque circumſcriptum: quod ſi natura eſt immutabile, & incircumſcriptum, & impatibile, licet ſit in corpore, ſeruabit proprietate impaſſibilitatis, & rationem immutabilitatis. Siquidem neque cum mundum crearet, & in hanc formam eum adduceret, cum prius non eſſet, ex ſupramundano, & ex ſupra quam ſubſtantia in hæc, quæ in mundo aut circa mundum ſunt, delapſum cernitur, vel ex incircumſcripto eo venit, vt circumſcriptum eſſet, quare neque prius cum mundum, & ea, quæ in eo ſunt, creauit: neque poſtea quando magnum mundum in paruo, hominem in ſe ipſo filius dei complexus eſt, circumſcriptus eſt: & quid mirum? ſiquidem & anima hominis non ſimpliciter quia ipſa eſt in corpore, hæc patitur: ſed quia natura ei ineſt, vt hæc patiatur, etiam vt à corpore ſeparata eſt: alioqui ſub aſpectum cadet, & monetur, alia eiuſmodi quæ corporis ſunt, patietur. Atqui hæc non eſt paſſa, quia hæc habet ſecundum ſubſtantiam naturaliter à Deo accepta. Patitur autem, quippe quæ habet potentias paſſiuas, cum quibus migrat à corpore, id quod animæ, quæ apud inferos ſunt, & earum vincula declarant, propter quæ illic Chriſtus adfuit, qui ſicut Petrus ait, ſpiritibus, qui in carcere erat, prædicauit remiſſionem: declarant præterea immundi dæmones qui pœnas dant, & dabunt, quamuis à corporibus humanis liberi & ſoluti. Sed patitur quidem ſimpliciter anima, quia paſſiuas potentias ad voluntatem ſuam aptatas accepit: patitur autem paſſiones corporeas propter vnionem cum corpore, cum quo colligata eſt, & propter proprietatem bonorum, in quibus degit, & verſatur: quia enim ſimpliciter innatum eſt ei pati, huius paſſionis capax eſt. Circumſcripta etiam eſt ratione exiſtentiæ. Dicitur deinde ſecundo modo circumſcripta eſſe, quatenus viuit in corpore circumſcripto. Afficitur etiam ſecundum Deum diuinis rebus, nequaquam vero propter corpus. Quomodo enim propter corpus, quod ſæpenumero reſiſtit? quin potius propter ſe & naturam ſuam, cum cupiditas quidem amore erga Deum protenditur, ira vero viriliter roborata, & non inflexa, cum cupiditate conſpirat. Ratio autem eorum, quæ non videntur contemplationes ſine inumbratione & obſcuritate recipit, & vnicè illuminatur: pulchre ante nos à quodam ſapiente dictum eſt: vnum deſiderium bonum, & æternum quo vera cognitio concupiſcitur, Has potentias animus qui ſordidat, in vitio, & ignorantia verſatur: & non ex corpore vitia punit, quamuis quædam ex ipſis per corpus patrantur: ex quibus nihil vnquam verbum Dei recipere poteſt, cum ſit natura immutabile, & inuariabile. Non tamen propter impaſſibilitatem naturæ recuſabit vnionem ſubſtantialem cum natura humana, ne recuſatio paſſio vera fore videatur, & verari in illis eſſe, in quibus animæ ſtudioſorum ipſo adiutore nihil incommodi ex corpore ceperunt, immo magis Deo pleni fuerunt vtentes corpore non aduerſario, ſed adiutore.

Si perfecta, inquiunt, eſt hypoſtaſis verbi, & perfecta item hominis, quem ſuſcepit, manſit autem verbum immutabile, caro etiam ſeruata eſt inuariabilis, quomodo non eſt pium dicere duas hypoſtaſes neutra confuſa? Videntur mihi valde malitioſe, & indoctè percontari. Siquidem quaſi nos non prius diſtinxerimus perfectū, quomodo

modo dicatur & quod dupliciter, præterea etiam quid propriè significet hypostasis, transferunt se à natura verbi, quæ commune etiam naturæ cum proprietate hypostasis significat: verbi enim naturam diximus non simpliciter naturam, transferunt inquam se ad proprium significatum hypostasis, & aiunt perfectam esse hypostasim verbi: sic vocantes naturam filii αὐτοτελῆ id est, per se perfectam, quæ non est alia præter naturam patris, designatione proprietatis secundum generationem solum differens, prædicantes proprietatem proeo, in quo est proprietas: habitudinem naturarum inter se pro iis, in quibus hæc habitudo prædicatur. Nomina enim alia declarant naturam subiectorum: alia habitudinem rerum ostendunt. Eorum autem, quæ specie differunt, ad ea quæ eiusdem speciei sunt, diuersa est communicatio habitudinum: Nam quæ habent communia speciei, scilicet hypostases, communibus ea, quæ sunt eiusdem speciei, diuiduntur inter se. Et quibus diuiduntur ea, quæ sunt diuersæ speciei, nempe naturis, his copulantur inter se, quæ sunt eiusdem speciei: numero enim discreta inter se, cum iis quæ sunt eiusdem speciei copulantur, in natura scilicet. Definitione autem copulata inter se, ab iis quæ sunt diuersæ naturæ distincta sunt. Cum ergo duæ habitudines secundum idem verbum cernantur, vna quidem secundum quam filius est idem cum patre; altera, secundum quam filius est ab eo distinctus, & vna quidem declaretur appellatione naturæ? altera vero appellatione hypostasis, commutantes isti habitudines, habitudinem distinguentem à patre carni dant, ignorantes naturam quidem totam esse Dei, quæ est substantia verbi, perfecti perfecta: proprietatem vero generationis fecisse, vt vocaretur hypostasis, & filius, sicuti rursus in patre proprietas innascibilitatis, & causæ hypostasim, & patrem ostendit: idem intelligendum est in spiritu sancto non enim natura patris, & filii & Spiritus S. vim habet complendi tanquam minus sit in vna quàm in tribus. Et hoc est natura trinitatis, quod est vnum quid eorum, qui cernuntur in trinitate, quoniam non est ex tribus imperfectis vnum perfectum, sed ex tribus perfectis vnum supra perfectum, & anteperfectum, vt alicubi dicit magnus Dionysius. Cum igitur sex habitudines contempletur, duas patris ad verbum, & verbi ad patrem: duas deinde verbi ad carnem, & carnis ad verbum: duas præterea Christi ad nos, & nostras ad ipsum, tres fiunt generales coniugationes. ac prima quidem habitudo coniugationum sic habet, sicut tertia quidem à prima, secunda vero à media: illa enim quibus extrema inter se conueniunt, contrario modo se habent, atque in media: sicut contra, media quibus enim contrarie habet ad extrema: & quibus rursus conuenienter habet ad seipsam, contrarie habet ad extrema. His breuiter dictis, conabor explanare exemplo. Sint positæ tres res, anima simpliciter, corpus simpliciter, homo ex anima & corpore compositus, & horum inter se habitudines, vt animæ ad animam; animæ ad corpus suum; hominis ad corpus simpliciter, & ad animam simpliciter. Anima quidem ad animam sic se habet, vt eadem ratione substantiæ sit vnita: differente vero hypostasi discreta. Hæc est prima, & extrema habitudo coniugationum. Anima vero ad suum corpus sic se habet, vt aduersitate naturæ discreta sit; vnita vero ratione hypostasis, quam vita ἀλληλοῦχος id est, mutuo accepta, & redita perfecit. hoc secunda eademque media habitudo seruat. homo vero ad corpus simpliciter, & ad animam simpliciter relatus, tanquam totus omnino ab istis discretus, propter habitudinem ad partes suas, secundam communionem cum ipsis facit. Quare Christus ad nos, & ad patrem relatus, tanquam totus ex patribus, propter partes suas medius est inter extrema, ex toto hypostasis, relatus ad patrem, propter diuinitatem cum humanitate; & ex toto hypostasis relatus ad nos, propter humanitatem, cum diuinitate permutatis habitudinibus secundum distinctionem, & vnionem, quas secum propter patres suas habet; & quas cum patre, & nobiscum habet propter conuenientiam partium cum extremis. Cum autem partes dicimus, audire oportet prudenter: non enim partes dicimus tanquam imperfectas natura, sed tanquam complentes personam hypostasis Christi. Sic enim à Gregorio, & Cyrillo dictum est totum non vna natura, & simpliciter, & ad aliquid, & imperfectum, & perfectum.

(Margin: [illegible] καὶ [illegible].)

(Margin: Deus, & homo extrema.)

(Margin: Partes & totum.)

Quid igitur aiunt? Nonne dicimus vnam naturam hominis, quamuis cognoscamus, differentia esse, quæ coeunt in vnum? quid ergo obstat, quin sicut hic non ad tollendum proprietatem partium naturas vocamus naturam, aliquid simile in Christo facere videamur. Quin potius conuitia facitis, & illuditis, quasi confusionem in Christo excogitemus, quia partes appellatione totius significamus. Si volebatis vocare partes nomine totius, oportebat profecto, vt totum etiam nominatione partium declararetis, atque ita nulla vobis inuidia esset. Carnem autem, vel hominem vocantes potius Dominum, totum ex parte significaretis, & non duas naturas vocantes vnam. Sæpe enim non propriè loqui discrepantiam dogmatis efficit. Vnde nos secundum scriptum, & speculationes à patribus traditas sæpe totum ex parte, & partem nomine totius afficimus, cum verbum filium hominis nominamus; & Dominum gloriæ cruxifixum confitemur. Sed non propterea communicatione idiomatum tollimus propriam rationem proprietatis alterutrius in eodem. Deinde, hæc etiam nobis per propria nomina declarantur, cum communicationem quidem idiomatum in vna hypostasi contemplamur: proprietatem vero quæ in communitate, in differentia naturarum agnoscimus. Vos, autem vtentes exemplo hominis, cum ipso prototypo exemplum simul corrumpitis. Vnam enim naturam hominis dicimus, non vt vos dicitis, qui naturam carnis in substantiam animæ trahitis, vt fiant idem: aut rursus naturam animæ in substantiam carnis, nec ex alterutra vtramcumque fieri dicimus. Naturam autem vocamus hanc non intuentes in habitudinem partium, nulla enim est ratio, quæ diuersitatem naturæ partium etiam in vnione lædat. Sed potius significationem vniuersalis, & speciei de particulari, & proprio prædicamus, quia, sicut tradunt, qui regulas disserendi discernunt: particularia quidem communicant vniuersalibus: vniuersalia vero prædicantur de particularibus: & communicatio quidem indiuiduorum ad speciem relata, est secundum naturam: vniuersalium vero communicatio ad particularia, est secundum appellationem (siue prædicationem) idcirco non recusamus vt dixi, appellatione totius appellare partem, quia vna natura totum speciei humanæ repræsentat, quia nihil eorum, quæ sub eadem specie numerantur, est aduersæ substantiæ, vnde conuenienter & apte nomine communis particulare nominatur. Non enim reperiri potest aliquis homo, qui si aduersa specie ab homine vniuersali, in Christo autem huiusmodi ordo habitudinis, non reperitur, cum non sit species Chistorum, sicut est species hominum, vt ex his Christi vnus tanquam proprie quodammodo propter vniuersalem, & communem Christum Christus ipse nominatus, vna natura dicatur ad illos, & ab illis: vt ipsum & vnam naturam & duas vocemus: vnam quidem habentem propter communitatem naturæ: duas vero propter partes eius, sicut in nobis cernitur. Cum enim causa, quæ in nobis est, non reperiatur ab illo, quod in nobis proprie & apte dicitur, ad illum non potest transferri. Manifestum autem est hic, quare homo dicitur vna, & duæ naturæ, Vnam naturam habet propter communicationem speciei: duas vero propter partes, quæ non sunt altera in alteram mutatæ: In Christo autem cum non sit species,

quomodo duæ naturæ dici possunt vna? tres enim tantum modos reperimus, quibus aliquid vna natura dicitur, aut quia est species, aut quia participat speciem: aut quod confusione ex diuersis speciebus diuersa specie effectum est, quod vtriusque particeps, nec alterum pure est. Quam naturam adulterinam vocant, qui hæc tractant.

Quot modis dicitur vna natura. Præterea, ne duæ naturæ in Christo dicantur, huiusmodi dubitationes opponitis, non enim vt duas, & vnam sicut in nobis dicatis, sed vt vnam solam: hinc enim vobis etiam non volentibus passio confusionis insuper aduenit, & nec passio diuisionis recedit. Non enim necesse est, vt vna natura vnum numero sit, quin immo tam multa, & tot numero, quot sunt hypostases complentes ipsam naturam. Consideremus etiam sic, quæ sunt eidem æqualia, inter se sunt æqualia. Describatur triangulus æquilaterus rectangulus, vt enim se habet primum latus ad secundum, & secundum ad tertium, ita se habet primum ad extremum. Sc ibe igitur tria latera, & da tres personas in vno quoque latere: & reperies, quod sicut se habet primum ad medium, & medium ad extremum, ita se habebit primum ad extremum. Quare hæc dico? Quia si datis dici vnam verbi, & carnis naturam, confitemini ante vnam esse naturam verbi, & patris, dabitis igitur vnam esse naturam carnis, & patris. At inquiunt, non dicimus eodem modo vnam esse vtriusque naturam: sed in patre & filio eadem ratione naturæ: hic autem in Christo ratione vnionis, ergo non est idem quod vnione vnum dicitur, & quod natura vnum. si autem non est idem, secundum aliud quidem illud: secundum vero aliud hoc quare erit idem vnum, & duo: vnum quidem vnione: duo vero naturis, quod si non hoc, erit idem secundum idem & vnius substantiæ, & diuersæ substantiæ, quo quid esse potest magis absurdum: Sic vobis vna natura, quam dicitis, non effugit diuisionem, quem habet natura in multitudine personarum communicantium ipsi, & confusionem introduxit in identitate naturæ compositæ, nec alterutrum vnitorum post vnionem exhibens. nobis autem vtrumque, Dei gratia, pulchrè seruatum est & differentia vnitorum, quam prædicamus etiam in vnione duplicis naturæ, & vna atque eadem persona propter concursum duarum naturarum vnitarum in vnam hypostasim.

Sicut tibi visum est, explicasti, in vno quoque hominum duas naturas, & vnam dici, ex quo quidnam sequitur nisi in Christo non duas tantum naturas confiteri, sed etiam tres. Quomodo igitur alterum confitentes, alterum recusatis? Cum alioqui ratio necessaria hoc fateri quamuis nolentem cogat? Quid nos ad hæc? Quid aliud, quam quod in eos conuenit. Sapientia fatui est, vt ait scriptura, sermones non expensi, neque considerati. Cum enim sermones suos non mandunt, & idcirco neque concoquunt, ex malis cibis insipientiæ ructationes nobis & halitus, (quomodo enim sine nausea, & fastidio dio dicam) non bene alentes emittunt. Cum enim omnis quæstio quod in dubium venit consideret, & ex concessis rationem concludat, isti (non enim sunt sapientes nisi in inscitia) quod est ab omnibus concessum, tanquam dubium in quæstione ponunt: & quod manifestum, tanquam obscurum inducunt. Siquidem natura hominis secundum communes omnium notiones animam & corpus significat: & consignificat, vt sæpe dixi, cum toto partes; isti vero quod à cogitatione omnium recessit, tanquam dubium sumunt, quasi aliquis nostrum affirmet, quod homo est aliquid duplex, vel corpus solum, vel anima sola: & ideo volunt dicere in Christo tres naturas, quasi natura hominis non satis sit ad inferendum secum partes. Duas enim naturas dicemus non Dei & carnis, neque Dei & animæ, sed Dei & hominis. Nec enim proprie est natura hominis, natura partis. quare qui dixit hominem, vel naturam hominis, naturas de-

A clarauit. qui autem Christum nominauit, neq; nomen certum & nostris notionibus subiectum nominauit, neque rem declarauit.

Declarant hoc multæ, & variæ & inter se pugnantes de eo apud Christianos opiniones, quæ non extitissent, si statim nomen Christi veritatem rei subiectæ significaret: at appellatio hominis communis est & omnibus vulgata, & maxime Christianis. Nomen vero Christi simile est nomini artis & scientiæ. Vt enim illa nomina artis & scientiæ illi tantum sciunt, qui illam disciplinam perceperunt; sic ijs tantum qui in diuinis eruditi sunt, veritas in hoc nomine abdita, explanata est. testantur ipsi verum esse quod dico, qui semper af-

B firmant ex duabus naturis constare Christum, & nunquam ex tribus naturis, quamuis animam rationis participem carni Christi tribuunt. Sint itaque isti primi auctores, & duces huius inscitiæ, & confitebuntur ex tribus eum naturis esse, & nos in eo acquiescemus, quod confitemur ea, ex quibus factus est, seruari, in quo hæc noscuntur esse, siquidem non ex tribus solum, sed ex pluribus eum esse dicere cogentur, vt demonstrabimus, quia adhuc rerum simplex, & generalis notio facit, vt cognitionem habeamus vniuersam, & non explicatam, horum autem diuisio cogitatione, ad perfectam cognitionem nos adducit eorum, ex quibus constant. Ob hanc causam diuisionem totius in partes facimus, diuidere autem in partes partium post primam

C diuisionem ridiculum est. Non enim huc vsque euadit, & hic sistit, sed in infinitum progreditur, verbi gratia, vt quod dico, intelligatur, partes hominis sunt corpus & anima: partes vero partium eius, in anima quidem substantia rationis particeps, & qualitas incorporea, & hæc partim est vis ratiocinandi quæ est princeps, partim irascendi, partim concupiscendi & harum partium illa princeps notiones format, & cogitat, & meminit: & consultat, & opinatur. pars irascendi appetit, & declinat: pars concupiscendi habet facultatem propulsandi, & efficiendi, & multa alia subter ista diuiduntur. Omittatur nunc illa quæstio, vtrum sint hæc tanquam partes in anima, an tanquam potentiæ, siue facultates: & quæ sic: & quæ secus. Non enim

D hæc agimus nunc. Rursus diuisio corporis fit in partes similes, & dissimiles; & dissimilium, in caput, & manus, & pedes: & hæc in ossa, & carnes, & neruos: & hæc rursus in quatuor elementa: & hæc in materiam, & formam. Multa etiam alia medici philosophantur de facultatibus naturalibus, ex quibus aliam vocant attrahendi facultatem, aliam retinendi, aliam immutandi, aliam secernendi. Multa vero etiam de sensu, & phantasia, & de vita & organico spiritu, qui continet animal, qui alius Spiritus est, vt aiunt, præter rationalem. Sicut ergo ad significanda hæc omnia satis est dicere carnem, vel corpus hominis: & rursus satis est nominando animam rationalem, declarare partes, in quas diuisa est, nec enim fideles loqui artificiose consueuerunt: de hoc eis placet: sic satis est nominasse hominem, vel naturam hominis ad declaranda

E omnia ex quibus compositus est, & in quibus esse cognoscitur. Isti autem talia captiose loquuntur, non vt hominem perfectum ostendant, sed vt Dominum calumnientur, & eum à salute nostra alienent, quasi vel non assumpsisset à principio humanitatem nostram, vel non seruasset incolume, quod ex nobis habuit salutis totius naturæ pignus, quod excidere non poterat. Sed sciant: quod confessio partium, vt dixi, index est incolume esse totum: iterata vero partium in partes diuisio non est dogmaticæ breuitatis, neque sermonis secundum Euangelium concisi, sed scepticæ speculationis, & artificii superuacanei, & plerisque difficilis ad intelligendum. Partes enim Christi non confusæ, sunt diuinitas, & humanitas: anima vero & corpus non sunt partes Christi, sed partes partis, quibus declaratis, per significationem perfectam humanitatis naturalis,

superuacua

superuacua est subdiuisio in naturas partium nisi post subdiuisiones quibus prius in homine communi vsi sumus, reliquam diuisionem velint inducere: vt hinc non tres tantum secundum eos, sed etiam plures naturas in Christo profiteri oporteat, quo quid esse potest magis ioculare?

κτ τρόπου.

Quandoquidem vniuersum bellum motum est de modo vnionis, quem plerique ignorant, & idcirco omnibus in dubium venit, de hac vnione philosophari oportet vt scire possimus, vtrum de hoc ipso dissentiamus, an vero nobis de hoc consentientibus quæstio sit quid efficiat vnio; & vtrum de rebus ipsis sit controuersia, an de vocibus res ipsas significantibus. Sic enim quæstione distinctè habita, & veritate rerum ostensa, qui impetite, aut impie contradicit, patefiet, vel corrigendus, vel in iudicio vituperandus. Vnionem diuinitatis cum humanitate alii secundum substantiam factam esse affirmarunt; alii secundum energiam: alii secundum voluntatem. Sunt autem qui nimiam reuerentiam in Deum vel habentes vel simulantes, nullo ex his modo factam dixerunt, sed ineffabilem esse & carere nomine affirmarunt, siue ita haberent: siue non, metuebant certè ne impietatis arguerentur. Vidimus enim etiam nunc quosdam, qui cum notionem vnionis valde expressam, & tritam haberent, ἄῤῥητον, id est, ineffabilem eam vocabant: vt non solum contrario contrarium efficerent, id est dicendo esse ineffabilem, vulgatam facerent, sed vt argumenta, quibus redarguerentur, effugerent. Sicut alii sane, vt carnem Domini magis fictè apparere, quam in ea confusionem factam esse defendere studeant, incarnatum esse vt voluit, & vt ipse nouit, aiebant. Non enim vt hæc probent, ad reuerentiam reuera à reuerentia alienam se conferunt, alioqui veritas hos ad lumen suum adduceret, sed vt licenter impietate abutantur ad honesta nomina tanquam ad propugnaculum quoddam validum, & inexpugnabile confugiunt. Vere enim neque dici nec intelligi potest vnio secundum substantiam, & substantialis, & in hypostasi. Quomodo enim quæ tantopere secundum naturam differunt, & tam longè distant, inter se coierunt, & vnita non sunt confusa; sed potius vnum est, & duo noscuntur, & nec vnitate personæ commixta sunt, neque propter proprietates naturarum in hypostases diuisa sunt. Hæc sola fides capit, & verbum diuinum, quod non pronuntiatione vocis, sed illuminatione intelligentiæ hæc declarat; & eos, qui digni sunt, doctrina non sanante, sed tacita erudit.

De eis igitur qui ex reuerentia ægrotant, donec quid eis propositum sit, non est manifestum, neque verbum faciendum est, qui vero neque ex lumine, sibi nacti sunt, fiduciam capiunt, ne quod animas tenebris circumfusas habeant, moleste ferunt, tanquam insanabiles à nobis reiiciantur: de aliis vero sic disseremus.

Contra vnionem secundum gratiam.

Qui vnionem non secundum substantiam: sed secundum operationem aut beneplacitum, aut aliam quandam huiusmodi habitudinem factam esse tradunt. ad veritatem quidem nullo modo proxime accedunt; mendacium vero, quod multiplex est, partiti sunt, aliis aliam partem eius auellentibus, & in vnam aberrationem à veritate, iterum se conciliatis.

Sola, & prima vnio diuina naturæ in tribus personis sine diuisione vlla.

Qualis enim potest esse hæc vnio, quomodo digna nomine vnionis illius supra naturam, & quæ sola est post solam, & primam, quæ non colligat res, & in idipsum adducit? Vnde admirari licet, quod cum huiusmodi vnionem isti profiteantur, & celebrant, illud non confusas esse naturas & illud immutabile earum opponunt, quam enim mutationem suspicari iure possunt in diuisione rerum, qui dignitates quidem in dignitatem confundunt, (non enim dignitates dignitas vnquam fieri possunt sine confusione, sicut neque naturæ natura sine mutatione) substantias vero separant: nec enim vnio rerum est vnio dignitatis. Alioqui cunctos qui diuinam dignitatem sortiti sunt, in vnum cum diuina substantia coniungemus, & duas naturas esse in singulis sanctis docebimus, quantitas enim dignitatis, non omnino diuidit ea: quæ secundum dignitatem differunt, sed quanta fuerit, tantum coniunget naturas, nec enim omnino eas separabit, non separato eo, quod coniungit. Quantum enim participant dignitatem, tantum participare debent rationem naturæ. Si autem cum altera persona sanctæ trinitatis copulare volunt reliquos sanctos præterquam cum Christo, sit hoc potestatis, quam habent in impietate: vocati namque sunt Dei, & filii Dei, & Spiritus sancti: sicut apostolus ait: qui adhæret Deo, vnus Spiritus est. Quomodo ergo, cum omnis creatura rationalis & beata, quæcumque est in angelis & hominibus, plena sit gratia deificante, & adoptante Spiritus sancti: solus, natus ex virgine, Deus, & filius hominis in scriptura, vocatus est; & secundum scripturam adoratur ab omni rationali natura? oportebat namque impios scire, quod etsi præcipua pars variæ distributionis inest in celsioribus comparatis cum inferioribus, commune tamen esse cum omnibus charisma dignitatis, & donum dignitatis: & vel illas cum verbo Dei, vel cum vna, quam volunt, ex personis sanctæ trinitatis, vel cum tota, veneranda trinitate coniungere in duas naturas: & duas, aut tres, aut quatuor hypostases diuidere.

ἐνεργείας.

Aut si non cum his, cum natura verbi Dei coniungere, & vel in vnum filium componere: vel ipsum vnum facere homonyme filium comparatum cum filio primogenito, hæc inouam oportebat impios istos scire, & non alia sentire, & alia loqui.

μόνος γὰρ ὁ υἱὸς τῆς φυσικῆς σχέσεως.

Cum enim vna sit naturalis habitudo filii, ex cuius habitudinis participatione omnis habitudo filii existit, necesse est hominem, quem ipsi faciunt, aut naturalem habitudinem filii participare, aut illam, quæ ex gratia sit: & vel ipsum cum vnigenito coniungere tanquam vnione secundum substantiam reddente mutuo alteri naturæ, quæ alteri insunt: aut pios esse non patientes, aperte ipsum in eundem ordinem cum aliis redigere. At hi in impietate quidem non fidenter audent natura enim malum diffidentiam creat: veritatem vero non amant: neque rursus præmia linguæ dolosæ metuunt.

De vnione secundum substantiam.

Verum isti quidem excludantur ex diuino cœtu cum parentibus huius impietatis Nestorio, & aliis, quicumque hunc docuerunt, & quos ipse docuit. Vnionis vero secundum substantiam veritas magna voce prædicetur, & de hac philosophandum est, vt ipsi veritati placet, Non enim leue periculum, si quis ab hac deflexus, & detortus in contrarium quidem, æquale vero malum, confusionem dico, incidat. Vt autem nota sit nobis differentia vnionis eorum, quæ secundum substantiam vniuntur, & non mutantur in ea, quæ ex vnione, natura mutantur: & quæ species sit prioris vnionis: & quis effectus secundę fiat iam diuisio.

De vnione & discretione.

Omnia, quę sunt, coniunguntur inter se communitatibus vniuersalibus, & rursus diuisa sunt inter se differentiis specificis, & nec vnionibus confundunt diuisum: neque diuisionibus separant vnitum. Quin potius si oportet loqui præter opinionem vulgi, secundum partes vnita sunt diuiso: & diuisa vnitæ. Vnionum autem, & diuisionum duplex est ratio. Alia enim vnita quidem sunt speciebus: diuisa vero hypostasibus. Alia diuisa sunt speciebus, vnita vero hypostasibus, & eorum, quæ vnita sunt speciebus; diuisa autem hypostasibus, partim simplicem vnionem & diuisionem habent: partim compositam, De iis igitur quæ simplicem habent habitudinem. non est nunc dicendum: non enim ad quæstionem præsentem pertinet illorum per partes explicatio: ac interim multorum cogitationem, & disciplinam subterfugere. Sed de habitudinibus secundum compositionem, id est, connexionem, vel κρᾶσιν, vel vnionem, vel quomodocumque vocare libet substantiales habitudines eorum, quæ diuersæ species

sunt, dicendum nobis est, reiectis ad eos, qui de nominibus certant, significationibus magis manifestis, aut magis proprijs, vt ipsi putant. Non enim nobis vacat ad eligendum voces, qui ad intelligendum, properamus.

Eorum igitur, quæ substantialiter sunt, & secundum substantiam vniuntur, partim etiam in vnione seruant propriam rationem essentiæ; partim confundunt, & lædunt ac tollunt, quod summum est in vnitis. Priorum igitur habitudo, quæ inter ipsa & in ipsis cernitur, vnum quidem ex vtrisque perficit: & vt ita dicam, demonstrat vnum numero esse, & ea differentiam essentiæ in ipsa eadem vnitate seruare, atque huius rei exemplum sit in animalibus quidem homo naturæ nostræ, in simplicibus autem, aut corporibus naturalibus eorum, quæ hypostasim habent, & per se esse possunt, talis habitudo inter ipsa. Vt verbi gratia, in lampade licet cernere, aliud enim est lucerna, aliud rursus substantia ignis flammea, inter se autem & in se ipsis vnita vnam faciunt ambo lampadem, Vt si quis dicat etsi durum videatur, ignis est ligneus; & lignum igneum. & hoc quidem participauit splendorem ignis: ille vero, id est, ignis terrenam crassitudinem ex fæce: & alterum alteri reddidit vicissim idiomata, cum ambo alioquin in proprietate sua fixa, & non confusa maneant. Nemo vero male feriatus, & otio abutens exemplum carpat, si quid dissimile habet proferens oleum, quod in hac vnione medium est, aut qualitatem olei subiectam, aut non durare diu, sed in cinerem redigi, memor eorum, quæ antea diximus de exemplo, & de eius definitione. eadem reperiri potest vnio ignis cum aëre & aëris cum aqua mixtio enim aquæ cum terra speciem attingit confundentem vnionem: præparatque humidis, & tenuibus, præcipuis vero secundum immutationem qualitatum, præparat inquam, mutationem summarum qualitatum, & variationem ex mutua affectione proficiscentem. Præterea enim dicere qualitates, quæ separatis substantiis. sępenumero inter se sunt vnitæ sine mixtione: sicut stellarum lucentium splendores inter se, & cum aëre vnitæ, seruant proprietatem quanti in quali, demonstrat hoc ars, quæ naturæ est imitatrix. Si quis, vt magnus Dionysius ait. multas faces accensas in vna domo includat, deinde vnam ex omnibus educat è domo: simul exibit cum hac & lumen proprium, nihil aliorum luminum sibi assumens. neque quicquam proprii luminis rursus illis facibus relinquens, & vt vniuerse dicam, nihil eorum, quæ vniuntur, mutationem, aut confusionem subit, nisi prius vtrumque vnitorum qualitates habeat passibiles, si enim non sunt eiusmodi, qualitas quidem efficiendi facultatem habens, faciet non patietur: qualitas vero passibilis patietur, non efficiet. Quorum autem communis ratio est passionem accipiendi, & reddendi, hæc secundum dominatum causarum efficientium passiones, quem habent in alterutro, aut æqualitatem patiuntur, & agunt. Sicut euenit in omnibus, quæ liquantur: & in metallis, & in iis omnibus quæ medici, vel artifices igne vtentes commiscere, & liquare ex arte solent.

ἐκ τῶν ἀσυγχύτως (margin)

His ergo prius distinctis, sciendum est, quod quæ habent vim mutandi se inter se constantia ex diuersis speciebus, & substantijs nihil purum in compositione seruant post compositionem: sed potius ars proprietates omnium miscens, & confundens, ex omnibus aliam præter omnia speciem ex toto commixtam reddidit: sitque multarum hypostaseon & naturarum commixtio, & confusio, que neque proprium hypostasis, neque quæ commune naturæ conseruat, sed aliud ex his sit, quod cum nullo eorum, ex quibus factum est, idem existit. Si igitur diuinitas, & humanitas secundum substantiam vnitæ, non seruant in vnione suam naturalem proprietatem, confusæ sunt: neque diuinitas mansit, neque humanitas, sed alia species substantiæ

A ex his, quæ non est ista, quæ vnita sunt, confecta est. Quo quid esse potest magis impium, aut magis detestabile vel cogitare tantum, ne dum sentire, & docere?

Reliquum igitur est, vt ex inuestigatione quæstionis vnionis secundum substantiam & diuinitatis & humanitatis proprietatem sine confusione secundum exempla superiora intelligamus, colligentes ex omnibus tenuem quandam imaginem veritatis omnia superantis, quæ demonstrat vnum quoddam ex his reddi, siue personam, siue hypostasim, siue atomum, siue subiectum, siue quid aliud appellare libet, non contendo. Eos enim, qui dignitate, vel autoritate, aut aliqua huiusmodi habitudine diuidente copulando

B separant, paulo ante disputatio nostra refutauit, & conuicit naturas diuidere hypostasibus, nullamque communionem vel inter se accipiendi, vel reddendi habere. Ac de his hactenus secundum paruam mensuram intelligentiæ, quæ à Deo nobis tributa est. Mittimus deinceps Lectorem ad doctrinam sanctorum Patrum, à quibus nos hæc tanquam in paruo vase ratione mentis nostræ humilis hausimus, & eos, qui studio veritatis tenentur, potare studuimus. Vos autem quibus hæc porrexit veritas, habete ea tanquam remedium obliuionis, & post meum ab hac vita recessum tanquam monumentum amoris, ne lapsu temporis effluens abeat; erudite autem audaciores, & simpliciores manu ducite ad fulgorem veritatis purum, & liquidum, qui per hæc in sanctis patribus

C cernitur, & orate pro nobis, qui hæc propter charitatem, vt conscientia testatur, & præter voluntatem conscribere sustinuimus. Deo autem gratias agimus pro omni dono eius in omnibus, in sæcula sæculorum, Amen.

Allaturus in medium auctoritates sanctorum Patrum ad confirmationem eorum, quæ scripsimus, rogo Lectorem, vt aduertat animum, prudentem enim auditorem requirit doctrina eorum, qui fuerunt admirabiles Spiritus sancti consiliarij. Laborat enim sermo auribus imperitiæ sordibus onustis exceptus. Sicut monile aureum ait sapiens in Prouerb. & sordium magni pretij alligatum, sic sermo sapiens in auribus bene audientium, auditum igitur nostrum secundum sensum diuinum, repurgemus ab omni onere ex anti-

D cipatione conflato, & mentem surdam reddente. Iam enim nubem testium, sicut Apostolus ait, producemus. Si fortè tantis cedant qui repugnant. Siquidem propter contentionem à maioribus eorum traditam non produximus auctoritatem ambiguam, aut quæ dupliciter accipi posset, nec ignobiles patres testes citauimus, sed potius clarissimos, & qui fuerunt splendidissima orbis lumina ad dicendum testimonium vocauimus. Produximusque testimonia manifestissima, & minimè dubia, vt omnem eorum aduersus veritatem ea cogitatione excluderemus. Non recitauimus testimonia, in quibus est, ex quibus, & à quibus, & de quibus (scilicet naturis) & ante vnionem, vt ipsi placet vocare, aut in vnione, & non etiam post vnionem, siquidem est secundum sapientiam istorum finis huius vnionis: sed indicauimus sanctos, qui in testimonijs

E suis dixerunt in quibus, & per quas, & vtrasque, & per ambas, & ambas naturas, & substantias existentes, & seruatas in vnione, & in tempus infinitum indiuisibiles in vnione secundum substantiam hypostatica. Si quis autem horum multitudinem, vel auctoritatem personarum, sicut ille impius, quam scriptura dicit, non reueretur, ait enim, impius est, qui non reueretur personam honorati. ipse autem ignotas auctoritates, & non vel ex ipsis cognitas vel ex aliis, his nostris contrarias producit, demonstret prius non esse illorum has nostras, & sic istas recipiemus. Quandiu enim hæ satis firmitatis habent, propter splendorem librorum, & propter nobilitatem patrum, illas vel non recipiemus.

recipiemus à principio, cum his pugnantes: vel si recipiamus, tanquam cum his consentientes, & nollo modo discrepantes recipiemus. Conari enim Tocologos ad contradictionem adducere, & dicere à se ipsis dissentire, hic conatus susceptus, hoc negotium non est contra nos, sed contra illorum, gloriam. immo vero contra Paulum, & adhuc contra Spiritus sancti auctoritatem, & Christum, q i in Paulo loquebator. Post enim apostoles, & Prophetas doctores posuit in Ecclesia Deus secundum prouidentiam Spiritus sancti, incomprehensam in opus ministerii ad ædificationem corporis Christi. Quare qui patros illos non recipit; qui in Ecclesia clari, & celebras sunt, plana ordinationi, & constitutioni Dei resistit. Quid ergo sobstantia ab hypostase differat, id est, natura à persona, ex magnis luminibus Basilio, & Gregorio licet discere: qui sub regulam, & definitionem, quæ ounc quærimos, reduxerunt, clare, & distincte docentes, quid substantia, & qoid hypostasis, & quod natura idem est quod substaotia, & idem hypostasis & persona. & quomodo: & de quibus hæc dicuntur. * Et quod trinitas contra atque incarnatio habet pronomina, & complexionem secundum adiunctionem & variationem nominum. Post hanc comparationem, prodocemus in medium alios sacros doctores vna aut altera aoctoritate recitata: quæ totam mentem sanctorum nobis ob oculos ponat. Hæ enim sufficiunt reuerentiæ, & pudori prudentium. Namqui non fuerint tales, nec vniuersus cœtus sanctorum ais persuadebit, quamuis omnes eorum doctrinas hauriamus, & in istos effundamus.

** Adde pronomina sunt, quæ ponuntur pro nominibus personarum in Trinitate est alius & alius, sed non aliud est hic: & iste & ille, in incarnatione contra, non est hæc complexio. est alius, & alius sed est aliud, & aliud, nec est hic Deus, & ille homo, sed id ipse idem est Deus & homo, non sic in trinitate, hic pater non est ipse filius, &c. in alio loco vocat hæc pronomina voces indicatiuas.*

S. Basilii ex Epistola ad Terentium,

SI oportet, vt nos etiam, quod nobis videtur, dicamos, illud dicemus, quod qoam rationem habet commone ad proprium, hanc habet substantia ad hypostasim, vnusquisque enim nostrum communi ratione substantiæ participat essentiam: & proprietatibos quæ circa ipsom sunt, est ille, & ille. Sic etiam illic ratio quidem substantiæ communis est, vt bonitas, vel diuinitas, siue aliud quid intelligatur, hypostasis vero in proprietate paternitatis, vel filiationis, vel virtutis sanctificantis cernitur. Si igitur dicunt personas esse sine hypostasi, ex se ipsa babet oratio absurdum: Sin autem concedunt esse eas in vera hypostasi, quod confitentur, hoc etiam oumerent, vt ratio homousii id est, consustantialitatis seruetur in vnitate naturæ: & pia cognitio Patris, & Filii, & Spiritus sancti in hypostasi perfecta, & integra vniuscuiusque nominatorum prædicetur.

Eiusdem ex epistola ad Amphilochium.

SVbstantia, & hypostasis banc habent differentiam, quam habent commune, singulare, id est, quam rahent animal, & ille homo. Et paulo post, qui dicunt idem esse sobstantiam, & hypostasim, coguntur, personas solum confiteri differeotes esse.

Eiusdem ex epistola Synodica, in qua fecit subscribere Eustathium Armenium, qui erat suspectus, quasi contrarium sentiret

OPortet igitur clare confiteri, quod creduut secundum verba à patribus nostris exposita in Sy-

A nodo Nicæna, & secundom sententiam ipsis verbis sanio subiectam. Sunt enim quidam, qui in hac fide verbum veritatis deprauant: & sensum verborum, quæ in ea sunt ad voluntatem suam trahunt. Vtpote cum Marcellus exponens hypostasim Domini nostri Iesu Christi, & nudum ipsum verbom impie ausus est excusare illinc accepisse principia. Ecce vnam hypostasim Domini nostri Iesu Christi dixit Doctor Basilius, qui prius definierat oon esse idem substantiam, & hypostasim.

Gregorii Theologi ἐκ τῶν κοινωνικῶν.

CRedimus in patrem, & filiom, spiritom sanctum eiusdem substantiæ, & eiusdem gloriæ, (& aliqoanto post) vnum qoidem substantia agnoscentes
B etiam indiuidua adoratione: tres vero hypostasibus, id est, personis, vel vt libet appellare, nec enim de his contendere honestum est.

Eiusdē ex epistola ad Cledonium, huius auctoritatis meminit etiam beatus Cyrillus in synodo sua.

NAturæ quidem duæ Deus, & homo, quia & anima & corpos. filii vero non duo, neque dii, non enim hic duo homines, tametsi si Paulus vocaoit interiorem hominem, & exteriorem. Et si breuiter dicendum est, aliud, & aliud sunt ex quibus Saluator constat, siquidem non est idem inuisibile cum visibili, & quod sine tempore, idem cum eo, quod cadit sub tempus, non tamen alius, & alius, absit. Vtraque enim sunt
C vnum τῇ κράσει (id est, vniona Deo facto homine, & homina facto Deo, vel si quo alio modo nominare libet. dico autem aliod & aliud contra atque in saocta trinitate: illic etiam alius & alios, ne hypostases confundamus, non aliud, & aliud, vnum namque sunt tres, & idipsum diuinitate.

Satis sunt hæc ad declarandum quam opinionem veteres habuerunt de persona, & hypostasi, natura & substantia, & quod vnio incarnationis contra atque in sancta Trinitata, se haber, quæ quidem vnio aliod & aliud demōstrat post vnionem eorum ex quibus facta est vnio. Si qoidem non est idem inuisibile, quod est visibile: nec esse sine tempore, & esse sub tempore: hæc enim nunquam inter se sunt idem, tametsi circa eundem vtraque, alius enim pater (inquit) & alius filius,
D non aliud & aliud, absit: non enim alius verbum, & alius Christus: nec alios filius natura, & alius homo positione, sed vnus & idem vtraqoe. Alius namque & alius pater, & filius, & idcirco quæ hypostases. Aliud autem & aliud Deus & homo, & idcirco duæ naturæ. Non quidem qoandoque hoc, quandoque illud: sed semper, alius quidem respectu patris: alius vero respectu carnis. Sicut demonstrabunt deinceps sanctorum patrum scripta.

Proclus Constantinopolitanus in illud, puer natus est nobis.

E

IPsa vere Deus. & vere homo patri, quatenus erat, consubstantialis, & mihi, quatenus factus est sina peccato eiusdem natoræ: diuina natura est increata: quæ, ex me sompta est, legitima, & vnus est filius non duabus naturis in duas hypostases diuisis, sed stupenda incarnatione naturas duas in vnam hypostasim œconomia. vniente.

Sancti Isidori ex epistola ad Theonem.

PAnis vocatus est Dominus, ipse se ipsum hoc nomine vocauit, secundum notionem quæ in promptu est, tanquam factus omnibus cibos salutis, secundum vero sensum arcanum, tanquam qui vniuit sibi [illegible]

S. Basilii Episcopi ex libro 2. contra Eunomium.

EGo enim esse in forma Dei tantumdem valere dico, quantum esse in substantia Dei. Vt enim assumpsisse formam serui significat fuisse Dominum nostrum in substantia humanitatis: sic qui dicit esse in forma Dei, proprietatem diuinæ substantiæ demonstrat,

Eiusdem ex libro 5. contra Eunomium

INtelligendum ergo est illud qui idem gennit, in Deo filio: illud vero, creauit, in eo, qui formam serui accepit. In his vero omnibus non dicimus duos, deum separatim, & hominem separatim: vnus enim erat. Sed cogitatione vnuiusquisque naturam reputamus.

S. Gregorii Teologi ex Apologetico.

Vnionem vocat mixtionem. HOc exinanita diuinitas; hoc assumpta caro: hoc noua mixtio, Deus & homo: vnum ex ambobus; & per vnum ambo.

Eiusdem ex oratione in natalem Domini.

MIssus quidem est, sed vt homo. Duplex enim erat, siquidem defatigatus est, & esuriuit, sitiuit; & fuit in angore, lachrymatus est lege naturæ.

Eiusdem ex oratione secunda filio.

HÆc igitur nobis dicta sint in eos, qui magnopere se iactant. Deus autem dicatur non verbi, sed eius qui cernitur. Quomodo enim proprie erit Deus Dei: Sicut & pater non eius, qui cernitur, sed verbi. Erat enim duplex. Idcirco vnum quidem propriè in ambobus, alterum vero non proprie, sed contrarie atque in nobis, Nostri enim proprie dicitur Deus: pater autem non proprie, & hoc est, quod hæreticus in errorem inducit complectio nominum mutatis nominibus propter vnionem. Signum autem huius rei est, quod quando naturæ cogitatione disiunguntur, simul etiam nomina diuiduntur. Audi Paulum dicentem, vt Deus Domini nostri Iesu Christi, pater gloriæ. Christi quidem Deus: gloriæ vero pater. Si enim vtrumque ea vnum. at non natura, sed coitione.

Eiusdem ex Epistola ad Cledonium secunda.

SIcut facta esse omnia per Christum, & habitare Christum in cordibus nostris non accipitur secundum illud dei, quod apparet, & cernitur: sed secundum illud, quod intelligentia percipitur, naturis quasi mixtis, sic & nominibus inter se circumincedentibus ratione vnionis naturarum.

Beati Greg. Episc. Nyss. ex libris contra Eunomium.

MEdiatore enim Dei & hominum, sicut Apostolus nominauit, nisi sic, sicut nomen filii demonstrat aptatum vtrique naturæ diuinæ, & humanæ: idem enim & filius Dei est: & filius hominis secundum œconomiam incarnationis factus est. Vt communione vtriusque naturæ per se ipsum vniat ea quæ natura differunt.

Eiusdem ex libro secundo.

QValis forma in passione percutitur: & qualis ex æternitate glorificatur? Manifesta sunt, hæc, quamuis nullus oratione interpretetur, quia plagæ quidem serui fuerunt, in quo Dominus: honores vero Domini, A circa quem seruus. vt propter coniunctionem, & vnionem naturarum, quæ vtriusque naturæ sunt ambo cum vno fiant communia plagis serui acceptis à Domino: & honoribus domini honorato.

Eiusdem ex libro quator.

VBbique enim prædicans vnionem humani cum diuino, nihilominus in vtroque proprium cernit.

Eiusdem ex eodem libro.

VT ex eo, quod duo circa vnum dicuntur: circa vtrumque intelligatur, quod congruit: circa diui- B num non pati: circa humanum pati œconomicè.

S. Greg. Niss. ex libro contra Apollinarium

SI igitur naturale est carni habere, qui ei præsit, sicut ait Apolinarius, præesse vero natura conuenit Deo, quomodo qui hæc concedit, docerit vnum natura ambo à principio esse? cum omnibus pateat, aliam esse rationem subiecti, & aliam præpositi? & aliud esse quod natum est, vt à duce viæ dirigatur: & aliud rursus, cui inest natura, vt sit dux, & præfectus? Si ergo in contrariis proprietatibus cernitur natura alterutrius, carnis scilicet & diuinitatis, quomodo duæ naturæ sunt vna? Quomodo diuinam, & cœlestem carnem verbo circumformat? Immò ipsum verbum ante incarnat, C non œconomicè nouissimis diebus ad nostram formam subeundam delapsum, sed potius semper hoc factum, & semper in eodem statu firmatum? Qui enim carnem dicit indigere immutabili, indigere item ductore, & præposito, carnem plane nostram dicit quæ propter mutabilitatem naturæ in peccatum cecidit. Sin vero supra cœleste, & diuinum corpus, sicut ait, contemplatur circa verbum, nec immutabilitatem ei omnino, vt consequens erat, tribuit.

S. Iulii Episcopi Romani, hanc auctoritatem Cyrillus producit in Synodo Ephesina

VNde necesse est & corporeum de toto, & diuinum item de toto dici, & qui non potest in vnitis differentiam cognoscere, & quid proprium vtriusque, in D repugnantias discrepantes incidet. Qui vero propria cognoscit, & vnionem seruat, neque naturas mentietur nec vnionem ignorabit. *Alias vnicuram.*

S. Hilarii Episcopi Pictau. qui fuit vnus ex patribus synodi Nic. ex libro IX. de fide. *Libros de Trinitate dicit.*

NOn nouit hic, non nouit viam suam, qui Iesum Christum vt verum Deum, & ità & verum hominem non nouit. & postea.

E Hæc verbum caro factum, aiebant, & homo Iesus Dominus gloriæ docebat ad salutem Ecclesiæ, ipse mediator existês in seipso, & in ipso hoc mysterio, per quod Deo & hominibus scit intermedius, vnus vtrumque, ex vnitis in hoc ipsum naturis, vnum & idem per vtramque naturam existens, verum sic, vt in vtroque neutro priuetur, ne desinat esse Deus, natus homo: aut rursus homo non sit, quia manet deus. Hæc est ergo beatitudo naturæ humanæ, Deum, & hominem prædicare: carnem & verbum confiteri: & Deum scire esse hominem: & carnem non ignorare verbum esse.

Eiusdem ex libro de fide 7.

VIdes igitur sic & Deum, & hominem nos confiteri. Et postea. Et quia vtraque ex propriis naturis constant. vnum mihi esse illum Christum memineris;

qui est vtrumque. Hæc idcirco breui exposui, vt vtramque naturam in Domino nostro Iesu Christo intelligi meminerimus. Qui enim erat in forma Dei formam serui accepit.

S. Ambrosii Episcopi Mediolan. & confessoris ex libris de fide ad Gratianum, huius auctoritatis meminit Cyrill. in sua Synodo.

SEruemus differentiam diuinitatis, & carnis: vnus enim in vtraque natura loquitur filius Dei, siquidem in ipso est vtraque natura. Et si enim idem est, qui loquitur, tamen non semper vno modo & more loquitur. Contemplare in eo nunc quidem gloriam Dei: nunc vero passiones hominis. vt Deus, diuina loquitur, quia verbum est: vt homo humana loquitur, quia in substantia secundum meam loquebatur,

Eiusdem ex tertio libro.

SEd quomodo hic se dicit filius sine auxilio esse: Quamuis ille superius, dixit posui auxilium super potentem, Distingue igitur hic naturas, Adiutorem namque habuit caro non habuit diuinitas.

Eiusdem ex libro contra Apollinarium.

Scripsit Ambros. libros contra Apollinarium qui non extant.

VErbum hæc fides generatim ad omnes spectat. Christus est filius Dei, & æternus ex patre, & natus ex virgine, quem tanquam gigantem Sanctus Propheta Dauid interpretatus est, quia solus esset duplici forma, & gemina natura, cum quo esset communis diuinitas, & humanitas, & post alia. *διμορφος.*

Vnus enim est in vtroque, id est, in diuinitate, & corpore, non enim alius ex patre, & alius ex virgine, sed idem ipse, aliud quidem ex patre, aliud vero ex virgine. & generatio generationi non præiudicat: neque caro diuinitati. *συγχέειν.*

Eiusdem ex libro ad Sabinum Episcopum.

IGitur cum esset in diuinitate perfecta, exinaniuit se ipsum, & accepit perfectam & integram naturam humanam Sicut nihil defuit Deo: sic nihil defuit perfectioni humanitatis, vt esset in vtraque natura perfectus.

Eiusdem interpretantis sententiam diuini Symboli.

EOs autem, qui dicunt Christum esse nudum hominem, vel verbum pasibile, vel mutatum in carnem, habuisse substantiam, corpus vel corpus è cœlo attulisse, vel qui dicunt mortale fuisse verbum, & opus ei fuisse, vt suscitaretur à patre, vel assumpsisse corpus inanimatum, vel hominem sine mente, vel naturas Christi commixtione confusas factas esse vnam, & qui non confitentur Dominum nostrum Iesum Christum duas naturas esse non confusas, vnam vero personam, quatenus vnus Christus, & vnus dominus est, hoc anathematizat Catholica, & Apostolica Ecclesia.

Sancti Amphilochii Episcopi Iconii ex libro contra Arianos

DIscerne naturas, Dei naturam, & hominis naturam. Nec enim factus est homo facta iactura diuinitatis: neque secundum progressum factus ex homine Deus. Deum enim & hominem cum dicis, tribue passiones carni: & miracula Deo.

A

Eiusdem ex Epistola ad Seleucum.

VT forma Dei, & forma serui in vnam personam filii & Domini Iesu Christi couenirent, sic Deum, & hominem confiteor filium Dei vnum filium, duarum naturarum, & passibilis & impassibilis, mortalis & inmortalis, tactilis, & non tactilis, principio carentis, & cœptæ, incircumscriptæ, & definitæ.

Eiusdem ex eadem Epistola.

CHristus filius Dei, qui est duarum naturarum perfectarum filius vnus, secundum diuinitatem infinitus, & incircumscriptus, omnia continens. Vnum

B quidem dico filium Dei, duarum vero naturarum, non negans diuinam. & postea

Ipse igitur Deus verbum propria facit, quæ erant templi, nihil patiens, quia in vnam personam coeunt duæ naturæ. *οἰκειοῦται*

S. Gelasii Episcopi Cæsareæ Palestinæ, & confessoris, vnius ex patribus Synodi Constantinopolitanæ quinquaginta ex interpretatione Symboli.

AT non potuit hoc facere humana lingua, infirma quippe erat natura. Venit igitur in eundem Deus & homo, vt corpus quidem ministraret: Deus autem per corpus actionem exhiberet. Duplicia omnia, & vera omnia, & perfecta omnia. Obstruatur omne os hæ-

C reticum. Nobiscum Deus: nobiscum, qui est cum patre nobiscum, qui est ex nobis. Caro mea, inquit, ex ipsis. Verum alterum quidem semper, alterum vero propter nos. Ac diuinitas quidem semper: humanitas vero propter nos.

Eiusdem ex eodem libro.

NOs autem diuino verbo illustrati, custodiamus sine contumelia nobilitatem vnigeniti, neque propter humilitatem carnis verbum repudiantes: neque propter altitudinem diuinitatis carnem contemnentes. Quin potius verbum, vt Deum carnem, vt templum Dei honoremus.

D

Augustini Episcopi Hipponensis ex Epistola ad Volusianum

NVnc autem sic inter Deum & homines apparuit mediator, vt ipse in vnitate personæ vtramq; naturam copularet. & post alia.

Cognosce duplicem naturam Christi, diuinam dico æqualem patri: & humanam, qua maior est pater, sed vtrumque simul: & non duo sed vnus est Christus: ne Deus sit quaternitas, sed trinitas.

Magni Ioannis Episcopi Constantinopol. ex Epistola ad Philipp.

E

QVia tamen formam serui accepit, id est, homo, inquit, factus est, igitur qui in forma Dei erat, Deus erat. Forma enim, & forma positum est. Si hoc verum est, & illud. Natura homo forma serui: igitur natura Deus forma Dei.

Eiusdem ex Epistola ad Timotheum, hom. 7.

QVia enim duorum naturarum medius fuit, duabus naturis affinem esse oportuit, sicut enim qui est medius aliquorum locorum, vtrique loco est affinis, sic qui vtriusque naturæ est, coniunctionem affinitatis cum vtraque natura habere debet, sicut ergo factus est homo, sic & Deus erat.

Eiusdem

Eiusdem in assumptionem.

„ET quid facit mediator? Opus mediatoris. Sicut si duo à se mutuo auersi sint, neq; reconciliari velint, accedatque aliquis, qui se medium inferat, vtriusque inimicitiam dissoluet, sic Christus fecit. Iratus erat nobis Deus; nos Deum hominum amantem auertetamus, seipsum immisit Christus medium; & vtramque naturam reconciliauit.

S. Ephræm ex homilia in margaritam.

„DVarum naturarum est particeps margarita magnæ æstimationis, vt ostendat Christum, quod cum esset verbum Dei, ex Maria ortum est. Non habuit naturam ex partes quia nec aliud animal erat. Perfectam habet duplicem naturam, ne amittat duas. Neque semideus visus est in terra: neque semihomo ascendit ad cœlos. Ex perfecto perfectus, ex homine homo, ex Deo Deus, ex virgine Christus.

Cyrilli Episcopi Hierosolym. ex quarta Catechesi.

DVplex erat Christus, homo, qui cernebatur; Deus qui non cernebatur.

Sancti Flauiani Episcopi Antiochiæ in assumptionem.

„QVis vere loquetur potentias Domini? Auditas facit omnes laudes eius? Quis verbis consequi poterit magnitudinem beneficii in nos, cum humana naturæ diuinitas copulatur, manente in se vtraque natura?

Eiusdem ex homilia in Euangelium.

„DEmonstrauit seipsum per nubem corporis, qui naturam nostram induit, vt ambas naturas eius discamus, & hominem qui cernebatur, & diuinitatem, quæ per corpus operabatur.

Antiochi Episcopi Ptolmaidis. huius authoritatis meminit Cyrill.

NE confundas naturas, & non torpebis circa œconomiam, id est, mysterium Incarnationis. Tene Deum, tribue Deo, quæ eum decent. Recipe humanitatem: redde humanitati, quæ eam decent.

Procli Episcopi Constantinop. in illud, puer natus est nobis.

„NAturas ratione diuide, & vnionem mysterii ... (id est vnionem carnis cum Deo fatere.)

Eiusdem in natiuitatem Christi.

„NIsi mater mansisset virgo, nudus homo natus esset, & partus non fuisset admirabilis. Si vero post partum mansit virgo, ille incorrupte natus est, qui ianuis clausis sine vllo impedimento ingressus est, cuius coniunctionem naturarum cum Thomas contemplaretur, clamauit inquiens: Dominus meus, & Deus meus.

Isidori Pelusiotæ ex Epistola ad Theodosium Diaconum.

NOn possunt quæri naturales demonstrationes eorum, quæ sunt supra naturam: etsi enim verbum

caro factum est, non tamen Christus nudus homo est, quin potius Deus homo factus, in vtraque natura vnus est filius.

Eiusdem ex Epistola ad Timotheum. Lectorem.

OMni custodia custodi cor tuum, ne forte vnam naturam Christi post incarnationem admittas. Vtriusque enim negatio est vnius affirmatio, vel diuina natura mutata; vel nostra imminuta. Hæc fuit Manetis Carybdis, per quam studuit, vt omnes ad gehennam deduceret.

Eiusdem ex Epistola ad Cyrillum Episcopum Alexandriæ.

QVod verus, & supra omnia Deus homo factus est, non mutatus ab eo quod erat, & assumens quod non erat, vnus in duabus naturis filius sine principio, & infinitus, recens, & æternus, nec ipse negabis, cum plurimas sancti patris nostri magni Athanasii de his habeas comprobationes, homine supra naturam diuina aggresso opera.

Eiusdem Epistola ad Leandrum.

NAtura humana, vir mirabilis, neque capax malorum est; neque naturaliter possidet mala: sed potius voluntate, & segnitie frustrationem eorum, quæ bona, & honesta sunt, sustinet, quod & primo homini euenit. Qui excidit de possessione salutis, quam illi rursus secundus de cælo homo reddidit, qui veram naturam nostram in se ipso demonstrauit. Deus enim cum vere esset, factus est verè homo, in duabus naturis vnus filius Dei non mutatus, in eo quod erat, cum factus est, quod sumus.

Scholium Leontii.

IN omnibus superioribus studuimus, vt in medium „afferremus auctoritates & beati Cyrilli, & Patrum, qui eum antecesserunt, quæ totam mentem eius & confirmarent, & interpretarentur, vt sciant omnes, quod nec ipse nec alius ex patribus illud ex duobus, aut ex ambobus ad negandum eum, quod erat in duobus, dixerunt. Multis enim eum in locis contendens aduersus diuisionem Nestorii posuit non solum, ex quibus, sed in propositione in vtrisque naturis vsus est, vt ex authoritatibus eius, quas subiunximus, facile est perspicere. In omnibus autem sermonibus eius eas tantum auctoritates, quæ nihil habent dubii, & quas nec insani praue interpretari poterunt, afferre curauimus.

Errant qui Cyrillum accusabant in hoc dogmate, vnde necesse fuit illi suos anathematismos aliosque Catholicos contra Nestorium interpretari, quos male quidam intelligebant vt Theodoretus, qui eos confutauit non intelligens, & non paucis suaserat male sentire Cyrillum

Beati Cyrilli Episcopi Alexandrini ex primo tomo de Trinitate.

ILle vere sacer, & sapientissimus Paulus, immo vniuersus Chorus sanctorum veluti duplicem sermonem nobis in filio & cognouerunt, & inducunt, postquam vnitus est carni, id est, factus sicut nos integra similitudine, solo peccato excepto.

A

Eiuſdem ex eodem libro.

„DVplex ergo eſt ſermo in filio, quare referenda ſũt „ad Deum, quæ Dei ſunt; & tanquam ad factum ſicut nos, referenda noſtra, id eſt, humana.

Eiuſdem ex libro ad Acarium.

„FRatres vero Anthiocheni ſolis cogitationibus illa, ex quibus Chriſtus eſſe intelligitur accipiẽtes, differentes naturas dixerunt, quia non ſunt idem, vt dixi, in qualitate naturali diuinitas, & humanitas, vnum alioqui filium, & Chriſtum, & Dominum; & quia vere vnus eſt, vnam perſonam eius eſſe dicunt.

Eiuſdem ex ſecundo tomo contra Neſtorium.

„SI igitur cum hominem nominas, ſcis eum eſſe natura Deum, bene habet, finem faciam. Sin vero patiens naturas non ſolum intelligendo, quæ eſt humana natura; & quæ rurſus diuina, ſed potius ſeparans, ne in vnionem coeant, manifeſte cultum Dei homini tribuis & tibi dicemus, labores fructuum tuorum comedes.

Eiuſdem ex epiſtola ad Succeſſum.

„IGitur quantum in cogitationem cadit & ſolom oculis animæ cernitur, quomodo vnigenitus factus fuerit homo, duas naturas eſſe dicimus, vnum vero Chriſtum, & filium & Dominum, verbum Dei factum hominem & incarnatum. Et ſi videtur accipiamus compoſitionem noſtram, ſecundum quam ſumus homines, ſumus enim compoſiti ex anima & corpore; & videmus duas naturas, vnam quidem carnis: alteram vero animæ, verum vnus ex vtriſque homo ſecundum vnionem facit, vt vnus ſit, qui ex corpore & anima compoſitus eſt; & non compoſitum eſſe ex duabus naturis, facit, vt duo homines intelligantur. Si enim negemus, quod vnus & ſolus Chriſtus eſt ex duabus naturis differentibus, qui poſt vnionem diſiungi non poteſt, dictum ſunt, qui cum recta ſententia pugnant, ſi totum eſt vna natura, quomodo factus eſt homo; & quam carnem ex nobis ſumptam fecit ſibi propriam?

Eiuſdem ex dialogis de Trinitate, quod vnus eſt Chriſtus.

„NVm igitur confuſæ ſunt naturæ, & ambæ factæ ſunt vna natura? Deinde, quis vſque adeo ſtupidus, & ineruditus erit, vt exiſtimet, vel diuinam naturam verbi in id, quod non erat; vel tranſiſſe carnem ſecundum modum mutationis in naturam ipſius verbi? impoſsibile enim eſt hoc.

Eiuſdem ex interpretatione Epiſtolæ ad Hebræos.

„NOn dicimos tanquam confuſionem quandam accidiſſe circa naturas, vt natura verbi in naturam hominis forte tranſiret; neque humana natura in naturam ipſius verbi, quin potius vtraque natura intelligitur, & exiſtit in definitione propriæ naturæ, atque ita vnionem factam eſſe dicimus, habitante verbo corporaliter in templo ex virgine.

Eiuſdem ex Scholiis.

„NOn eſt igitur diuidendus vnus Dominus Ieſus Chriſtus in hominem ſeparatim, ſed potius vnum, & eundem Ieſum Chriſtum eſſe dicimus agnoſcentes, differentiam naturarum, ſeruanteſque illas ſemper non confuſas.

Beati Pauli Epiſcopi Emeſæ ex homilia in Eccleſia Alexandrina ſedente Cyrillo, & laudante.

CONtinuo Petrus Corypheus, & Apoſtolorum os, „tu, inquit, es Chriſtus filius Dei viui, tu es Chriſtus, qui es duplex natura, qui factus es homo; tu es Chriſtus, & non dixit, filii, ſed filius Dei viui, agnouit etiam ſingularem perſonam.

Eiuſdem ex homilia ſecunda.

ESaias igitur prædicat Emanuelem, id eſt, Deum fa- „ctum hominem, Petrus dicit, tu es Chriſtus filius B Dei viui. Duplicem naturam, & ſingularem perſonam filii dicit etiam Ioannes Theologus, & habitauit in nobis, duas naturas vnigeniti, & vnam perſonam, manſit autem Deus verbum impaſsibile.

Cyrillus ad hæc.

ECce igitur hauſimus aquam ex fonte ſancto Doctoris inquam, antegreſsi, qui facibus Spiritus ſancti illuminatus explanauit nobis magnum & venerabile ſaluatoris myſterium.

Eiuſdem ex tomo tertio contra Neſtorium.

NOn enim quia factus eſt ſicut nos amittet eſſe „ Deum nequaquam, neque rurſus, quia natura C Deus eſt, non poteſt fieri ſimilis nobis, & recuſabit fieri homo. Sicut enim manſit Deus in humanitate, ſic cum eſſet alioqui in celſitate diuinitatis, eſt nihilominus homo: ambo itaque in eo, & vnus ſimul Deus, & homo Emanuel.

Eiuſdem ex interpretatione Leuitici cap. 4.

RVrſus in his totum myſterium ſaluatoris noſtri clare circumſpice, & emundationem per ſanctum baptiſmum. Duas enim auiculas viuas & mundas iubet capere, vt intelligas ex auibus, hominem cœleſtẽ ſimul & Deum in duas naturas eatenus diuiſum, quoad pertinet ad orationem vniuſque naturæ conſentaneam. Verbum enim erat, quod ex Deo patro ſplenduit, quod in carne ex muliere apparuit, verum non partitum eſt. D vnus namque eſt ex ambobus Chriſtus. Idcirco tanquam duæ auiculæ capiuntur, & rurſus ambæ intelliguntur vt vna, ſed tamen viuæ & mondæ.

Eiuſdem ex primo libro de adoratione in ſpiritu tomo ſecundo.

CHriſtus vero yt legis & Propheratum Dominos, „quæ ſibi videntur, ſancit: & mediator erat, concurrente in ipſo, & tanquam in vnum eunte diuinitato, & humanitate, ambæ enim & in eodem intelligitur Chriſtus.

Eiuſdem ex interpretatione Epiſtolæ ad Hebræos.

VIde igitur in duobus hitcis vnum Chriſtum, id „eſt, Deum factum hominem, & morientem quidem humane propter peccatum, vt aſperſione propri ſanguinis totam Eccleſiam ſanctificaret, manentem vero rurſus impaſsibilem diuinè.

Eiuſdem in illud, omnia mihi tradita ſunt à Patre meo.

ALiquando quidem voces mittit decentes hominem: aliquando vero res demonſtrat, quæ ſoli diuinitati debentur, vt intelligatur vtrumque.

Eiuſdem

Eiusdem ex libro secundo de adoratione in Spiritu tomo nono.

Græci aliquando diuinum librum in tomos: aliquando tomū in libros, & tomos, orationes, & libros, homilias, omnia vocare solent.

AVreum caput columnæ. Atqui & corpus aurem. Templum enim ex virgine opulentiam & diuitias habebat ex habitatione in eo naturæ diuinæ, symbolum vero diuinitatis est aurum, quod omnibus antecellit. In tali fortasse materia dico, ex argento autem, & ex duobus basia: splendidus enim, & conspicuus erat in terra Christus, iuxta illud, Deus Dominus & illuxit nobis, vt poto notionem habens duplicis naturæ; intelligitur enim Deus, & homo, hoc namquo arbitror esse habere duplicem basim ex argento.

Eiusdem ex apologetico ad Alexandrinos.

SI enim mixtæ sunt duæ naturæ in vnam mixtionem quæ sunt diuersæ substantiæ, neutra seruatur, sed potius ambæ confusæ, deletæ sunt.

Eiusdem ex eadem oratione.

ET solutum est templum tempore sepulturæ tridui, ipso volente; & rursus excitauit ipsum, & vnitus est ei arcana, & inexplicabili ratione, non mixtus in ipso, vel incarnatus, sed seruans in se ipso proprietatem non confusam duarum naturarum diuersæ substantiæ.

Eiusdem ex secundo tomo interpretationis Epistolæ ad Hebræos.

SEparantes enim duas naturas inter se, & demonstrantes nobis separatim vtramque non vnitam aliter, ut solis personis aiunt factam esse vnionem, & tanquam in sola consensione, & in eadem ratione consilii, & voluntatum nutibus secundum illud, quod in actibus Apostolorum scriptum est, multitudinis autem credentium erat cor vnum.

Eiusdem in Ioannem Euangelistam libro primo.

REtractat autem vtiliter Euangelista, quod dixerat, & quam habeat vim hæc sententia ad clariorem notionem adducit, quia enim dixerat verbum Dei factum esse, carnem, ne quis magna inscitia suspicatetur, à propria substantia recessisse, atque ita conuersum

A esse in carnem, & passum esse, quod fieri non potest: ab omni enim mutatione in aliud quid secundum rationem aliquo modo existendi, remotus est Deus, valde commodo, & opportune subiunxit statim Euangelista illud, & habitauit in nobis, vt cum intellexeris duo significata, habitantem scilicet, & in quo habitauit, ne in carnem mutatum esse eum existimes. Sed potius habitasse in carne tanquam proprio suum corpore templo ex sancta virgine, in ipso namque habitauit omnis plenitudo diuinitatis corporaliter, vt Apostolus ait.

Eiusdem ex scholijs per capita.

B VErbum enim natura Deus in similitudine hominum factum est, habitu autem inuentus est vt homo: vt cum sit alioqui vnus, in eodem ipso intelligatur vtrumque, neque nudus homo, neque rursus verbum sine humilitate, & carne.

Eiusdem ex Epistola ad Valerianum.

PLane igitur, quod ex carne, caro est: quod ex Deo, Deus. Est autem vtraque in eodem simul Christus vnus filius, & dominus cum propria carne sua.

Eiusdem ex Epistola ad Orientales.

EVāgelicas autem, & Apostolicas de Christo voces, scimus viros Theologos alias quidem facere communes tanquam in vna persona: alias vero diuidere tanquam in duabus naturis: atque eas quidem, quę Deum
C decent, diuinitati Christi, humiles vero, & abiectas humanitati eius tribuere.

Eiusdem ex Scholiis.

QVod autem remanserint naturæ non confusę, hinc sciemus, aurum enim oblitum ligno, mansit quod erat, & ditatum est lignum splendore auri, cæterum non desinit esse lignum.

Hactenus confutatio, & euersio contrariæ Nestorii, & Euthychis fictionis & opinationis circa diuinitatem Christi, & humanitatem.

LEONTII BYZANTINI
LIBER SECVNDVS.

Qui continet Dialogum aduersus eos, qui ex nostris se adiunxerunt ad corruptam sententiam Aphtharthodocetarum, id est, eorum, qui defendebant corpus Christi ante Resurrectionem fuisse incorruptibile.



OLVIMVS pro viribus in superioribus, Deo adiuuante, obiecta argumenta falsi nominis scientiæ, quibus aduersus nos etiam vtentes, qui sunt contrariæ fictionis (nō enim hoc nomine appellare eos desinemus, quia neque fas est,) simpliciores a veritate abducere se putant. Nunc autem alterius quæstionis considerationē euoluere, & explicare aggrediar, sit dux disputationis nostræ Deus & verbū & lumen, & vita, & veritas aspirans nobis intelligentiam, vt possimus recte intelligere, & expromere cum gratia, & sapientia cœlesti, quæ ad materiam propositi argumenti pertinent.

Si igitur pugnam non aduersariorum inter ipsos excitatam, viderem in ipsis illis mansisse, & non ad nos vsque progredi contendentem, fortasse lucrum ducerem pugnam, & concertationem aduersariorum: ipsi enim à seipsis percussi, & euersi nullum negotium nobis, nisi solum spectaculum belli adhiberent. Vno tantum horum interitu doleremus, qui domum quidem Dauid, sicut ait scriptura respuere ausi sunt, concordiam vero cum domo Hieroboam neglexerunt, nec illam seruarunt, sed disrupti & discissi à se & aduersus se sunt; vt liceat paulo acutioribus ex fructu arborem cognoscere, sicut saluator dixit, cùm turbulentus Spiritu, qui in eis operatur, ex tam multiplici scissione eorum maxime demonstretur: insitum est impietati studium inimicitiæ, & belli. Nunc autem inimicorum inter se maleuolentia, & dissidium nobis nocet: ô imperitiam, & facti somnia miserabiliores, quàm qui apud eos in malitia secundas tenent, qui neque quantum inimici, nostra videre, & custodire possumus. Siquidem alterius patris schismatum pater cognouit quid opus esset, & veritus est bellum aperte contra veritatem suscipere, nos vero cognitionem illorum aditum ad ignorantiam fecimus, factiq; sumus imprudentiores quàm inimici.

Cum enim Seuerus & Iulianus duo initia vnius impietatis inter se dissiderent, stulto quidem, quoad propria principia, cordate vero quoad ipsam veritatem, & de corruptibili, & incorruptibili concertarent, qui erant patris Seueri, vt verum dicam, inimicorum prauitatem in lucro ponebant, quæ enim nullus eis ante hunc dicere suasit, hæc nunc maleuolentia in suos, confiteri coegit: postquam vero in splendorem veritatis conijcere oculos cœperunt, coniectus illorum fuit causa cæcitatis quibusdam, qui ex nostris ad peiorem partem se adiunxerunt; & per vnum verbum eò deuenerunt, vt idem atque aduersarii sentirent, & propter decorem nominis totum incarnationis mysterium sustulerunt. Cum enim, vt dixi, stulte illi quoad propria principia, prudenter vero quoad causaa veritatis quærerent, vtrum corruptibile, an incorruptibile dicendum esset corpus Domini, quod ex nobis Dominus induit & suscepit: Seuerus sero quidem, tamen sensit demum seipsum, & bellum contra suos lucratus est, coactus confiteri, & prædicari differentiam & proprietates. Sit autem sapientiæ eius, & eorum qui student ei differentiam, & proprietates præ-

A dicare non de subiectis rebus; vel duas naturas confiteri recusantem, non vereri dicere duas proprietates corruptibilis, & incorruptibilis, & diuisionem mineri duorum, quā sursum deorsum versans & omnia miscens in superioribus accusabat: aut quomodo non admiremur eruditionem eius, qui participationem quidem clara voce prædicat, id autem, ex quo ducta est participatio, non solum reseruat, sed oppugnare nititur? Si enim corpus dicit passibile, & passiones ei naturales tribuit, idque post vnionem, respondeat igitur nobis iste sapiens, an non à natura naturalia proficiscantur, vt ab arte artificiosa? Verū quæ illius sunt, reseruemus longioribus libris, vel iis, qui maiore otio, quam nos abundant.

B Quid autem dices eis, qui hæc semper clara, & omnibus manifesta voce denunciabant, ac præterea operationem illam quidem esse carnis, aliam vero diuinitatis; & passionem circa corpus, & impassibilitatem circa verbum profitebantur, & si vnioni rerum communicationem etiam harum operationum concesserunt, & vt de alterutra natura reciproce propter proprietatem alterutrius in eodem variantem prædicentur: nunc autem tanquam ex necessitate sibi contra dicunt, & incorruptibili assentiuntur. De quibus nescio quid dicere debeam; admirer ne firmitatem eorum, an laudem leuitatem, qui vno verbo decoro animo auide inuitata, ad speciosam fallaciam abducti, & detorti sunt. Id quod aliis olim & nunc ac-

Actionũ rerum, id est, naturarũ.

C cidisse scimus. Iam enim nonnulli superioribus temporibus ad fallaciam Encratetarum se adiunxerunt, elegantia vocis in barathrum Manichæi præcipitati. Alii autem inquinati immunditie eorum, cathari, id est mundi vocabantur, nulla alia re nisi specioso nomine deprauati sunt. Plerique etiam recentium, & veterum, quorum numerare nomina difficile esset, suo corrupto patrocinio impassibilitatis verbi, in Nestorii hæresim inciderunt.

In summa, totas classes animarum tanquam à quadam Scylla, aut ei obiecta Charybde raptas, & submersas esse scimus inscite offensas humilibus verbis & rebus Christi Dei nostri propter eius erga nos condescensum. Quid enim aliud infinitas nationes gentium, aut Iudaicas copias in nos armauit, & furore accendit, nisi vt

D Paulus nominauit, stultitia prædicationis? Ecquis nouorum dogmatistarum eruditionem non admiretur, si secundum eorum nugas omnes Martyres celebres, & omnes Confessores, sine tormentis coronas pro pietate per has duas voces obtinere potuissent; si eas quidem didicissent? Qui autem istius magnæ sapientiæ expertes essent, recessissent per negligentiam decepti, non facti in vita columnæ fortitudinis; nullus, opinor, ex crudelissimis, & maxime maleuolis persecutoribus pœnas ab vllo Christiano repetisset, si in tribunali natum ex virgine, crucifixum & sepultum, ac suscitatum à mortuis hominem tantum fuisse confessi essent. Quiquidem etiam in nullo alio eorum, siue qui falso, siue qui vere ad vitam reuocati esse narrantur, inuidia commoti sunt, cum multi alioqui fuerint: neque vero si secundum nouam istorum sapientiam, ipsum

corpus

corpus Christi, sit impassibile & immortale, & immutabile, ex eadem potestate pendeat: inuisibile ipsum blaspheme dicere, & intactile, & non tractabile, sine quantitate, & sine qualitate, & in summa, incorporeum, quæ quidem omnia vnà cum hoc admirabili nomine incorrupti cogitant.

Quæ enim sortitio est, alia quidem ex diuinis nominibus tribuere ei, & aliis priuare? Et magnam partem dignitatis, & honoris abscindere, à supra substantiam vt ipsi opinantur, & supra naturam, & incorporeo corpore? Quis autem ex infidelibus ægrè feceiat, si dicamus corpus Christi non esse natura visum, & cibum, & potionem adhibuisse, & dormisse, ac passum esse, & quæcunque alia præter hæc humanam infirmitatem sustinuisse non pudet te. Est enim omnibus manifestum, multa huiusmodi iam facta esse lege miraculi, non ratione naturæ. Non enim eo dementiæ prouecta esset multitudo Iudæorum, si quæ ratio ipsis probasset, non fuisse simile nobis: per omnia, & reuera humanæ naturæ corpus, quod ab ipsis crucifixum & passione affectum est à discipulis sepultum: Siquidem cum plena sit scriptura sacra multis Dei apparitionibus, videra tamen licet, quæmadmodum bona Dei erga nos prouidentia, vt ratio vtilitatis eorum, quibus consulebat, postulabat, ad humanas figuras, & res, & operationes, ac sermones se accommodauerit: nihil tamen horum eos adduxit ad suspicandum de Deo humana, tametsi humanè ab eo gerebantur. Suadent Iudæis quæ ausi sunt, fuisse hominem similem nobis passibilem Dominum, quamuis non suaserunt eis miracula esse Dei præstantia naturæ vniuersis superiorem.

Sic vnigeniti verbi contra Christum impassibilitas impiorum, & carnis contra nostram salutem incorruptibilitas nunc sophistarum, vere passione, & corruptione affecta esse cognoscitur, dum illa quidem non facit nobiscum esse eum, qui est supra nos: hæc vero non sinit eum, qui nobiscum est: manere sicut nos, donec adsit tempus medicinæ, & humanitas nostra, ratione, & ordine ad id, quod supra nos est, ostendat, & excitetur. Quomodo enim similitudinem Dei habebimus non compatientes cum eo, qui passus est? Quomodo vero passus est, si non est sicut nos passus? Non igitur sicut nos passus est, si non mansit similis nobis. Glorificatus vero nequaquam est, si non accepit secundum carnem, quod semper secundum spiritum habuit.

Orthodoxus est pro τῶνε. quæ in Græco personam Orthodoxi signat vt in proœmio auctor admonuit Hæreticus est pro ſtaila, quæ hanc personam in Græco signat.

Verum quidam ex iis, qui in his sapientes sunt, nuper mecum colloquens, satis esse aiebat sumpsisse Dominum humanitatem ad saluandum nos. Orthodoxus. Quid vero, inquam ego, non sola voluntas saluti sufficiebat?

Hæt. Sufficiebat, inquit. Orth. Quomodo ergo inquam, non sola voluntate saluauit nos? Hæret. Quia non potestate, inquit, vsus est, sed potius charitate, & iustitia saluare placuit. Illud enim necessitatis herilis erat, hoc prouidentiæ paternæ. Illud solius violentiæ, hoc voluntarii condescensus. Et illud quidem ipsius solum: hoc vero etiam nostrum. Siquidem non velle simpliciter, consentaneum est Deo; sed illa etiam facere, quæ suadent, & pudore flectunt, quos saluat. Orth. Optimè, inquam, propterea enim, vt mihi quidem videtur, nouus beneficii erga nos modos inductus est post crebram & multiplicem prouidentiam ab exordio erga genus humanum demonstratam. Vt iam solum hoc salutis remedium reliquum esset. Nullum enim remedium valentius ad conuertendum ad melius reperiemus, quam mysterium incarnationis. Hac via, & ratione qui solus sapiens est, medicus animarum nostrarum passiones hominum in se recipiens, omnium infirmitatem in se ipso curauit.

Hæret. Non igitur fas est recte sentientibus aliter confiteri, quam quod ad perfectam salutem admirabile incarnationis sacramentum maxime nobis sufficit.

Orth. Nec ipse inquam, non hæc ita esse, dicere vn- A quam possim. Modum vero incarnationis, qui curiositati mentis ad maiorem explanationem abditus est, libentissime disceremus: considera mecum inquit.

Hæret. si tibi placet. Orth. Quia igitur dicis, oportebat, non solum velle, sed fecisse Deum aliquid erga nos, necessario tale esse oportebat quod fieret, vt nullam hyperbolem sapientiæ haberet. Recte, inquit. Hæt. Quoniam nec esset aliud congruentius? Opus erat illo modo, & non hoc ad perficiendum perfectè, quod studebat.

Orth. Recte hæc, inquam, dicis amice. Sed illud est multa consideratione dignum. Si enim solam carnem sibi Dominus vniuisset, an non maxima re solus nobis periclitabatur? Maxime, inquit. Orth. Anima enim, B inquam ego, vt opinor, maxime purgatione indigebat, & ob eam causam assumpta est, quia primum passa, prima etiam damnata est. Diuinè inquit. Hæt. dicis. Orth. Toto igitur homine, ex corpore, inquam, & anima rationis compote, & intelligente cõposito secundum substantiam assumpto totius hominis salutem operatus est simile repurgans. Hæt. Bellissime inquit, hæc omnia, & absolutissimè dicis. Orth. At ego illi, Igitur sicut si cum animam sumpsit, non meam animam sumpsisset: si autem & meam, non tamen per omnia secundum substantiam, sicut mea fuisset, aliud plane præter meam animam esset, quod factum est saluum. Hæret. Sane inquit: illius enim proprios animæ salus fuisset, à qua non differre reperta esset.

Orth. Ad eundem modum inquam ego, si carnem C sumpsisset non meam, si vero meam, tamen aliquantò differentem, essetque differentia, si non esset similiter passibilis; & per omnia cum iis, quæ carnis nostræ conueniens, necessario illius carnis salus esset, cui carnem sibi vnitam assimilare voluisset. Hæt. Et quis inquit, eo insaniæ processerit, vt vera esse hæc non confiteatur: & eos, qui non sic sentiunt, in damnatis non numeret?

Orth. Illi inquam certe, qui definiunt corpus fuisse impassibile, & incorruptibile. Non inquit.

Hæt. impassibile natura corpus factum esse dicimus, sed vnione cum verbo. Orth. Ego vero nihil posterius à priore differre dixi; sed eandem vim ad nocendum habere, si caro Domini penitus affinitatem cum passibilitate nostri corporis recusat.

Hæt. Quomodo inquit, hoc ais? Orth. Quoniam D non est inquam, hoc quod quæritur, vtrum vnione, an naturæ fabricatione factũ est incorruptibile, sed an naturæ nostræ notas & signo sine vlla immutatione excepto peccato seruabat.

Hæt. quoad primam inquit, ipsius naturæ constitutionem & principia ex matre Dei & sorore nostra secundum naturam, quæ omnem proprietatem humani corporis participauit. Orth. Clariorem expositionem responsio postulabat, quæ nobis dilucidius quæstionem explicaret: non enim sic simpliciter ex iis, quæ dixisti, intelligere possum. Hæt. Quid inquam, obscurius dixi?

Orth. Vtrum, inquam, corpore virginis mutato, & à propria natura virtute verbi alienato, naturam nostram sic ex ipso vtero aliter habentem vnitam esse ei dicis, E an vero manente virgine in proprietatibus naturæ principiis vero primis sanguinis scilicet virginalis trãsmotatis carnem incorruptibilem generatam esse?

Hæt. nonnulli, inquit, primi opinioni simpliciorum opinor, plusquam conuenit, adhærescunt honorantes virginem, & absurdum inde proficiscens non prouidentes, & quod si quid huiusmodi accidisset virgini, habilitate patiendi priuata fuisset. Orth. Verissima, inquam, ego dicis. Quod enim incorruptibile est, nunquam ad ferendum partum, & patiendum idoneum erit. Aduentus autem Spiritus sancti non fecit, neque prohibuit, quin virgo ad generandum apta esset, Contra potius ad conceptum sine semine prouisum supra naturam prouexit. Illud vero mihi in mentem venit,

quod si vt illi opinantur, virgo per aduentum Spiritus sancti facta est incorruptibilis, illa necessario facta est immortalitatis generis nostri radix, & non surculus diuinus ex ea productus.

Hær, Optime, inquit dicis, nec enim semel proditum est, vitam virginis naturalis habitus mutationem cepisse: puritatem enim animæ, & sanctificationem carni attulit aduentus Spiritus sancti; non autem substantiæ, aut naturæ immutationem in ea effecit.

Orthodoxus. Illud inquam adde ad superiora, quod Spiritus quidem virginem virtute grauidante impleuit, vt natura supra naturam, spicam sine aratione produceret & ramus ex radice virginali supra quam naturaliter oriretur. Hæreticus. Recte, inquit, bone vir.

Orthodoxus. Nunc vero tempus est amice, vt amanter, & placide quod deinceps sequitur, consideremus. Cum enim conueniat inter nos, eadem natura fuisse semper virginem, nec in alium naturæ statum, quam quo à principio erat transisse, pignus ex ipsa natura nostra, an non via & ordine naturæ, tempora partus seruabat? Hæreticus. Immo maxime inquit. Orthodoxus. Paulatim enim inquam in vtero virginali fictus, & formatus, proficiebat, lege partus, tanquam ad maturitatem perfectam infantis, vt ex verbis euangelii perspici potest, cum ait, & impleti sunt dies, vt pareret ipsa. Vbi circa partum, sicut circa conceptum, miraculum admirabile & nouum factum est, quod neque partus virginitatem soluit; neque virginitas partũ impediuit. Hær. Diuinè inquit, ais. Orthodoxus. Sed inquam ego, sicut conceptus supra naturam nostram factus, non fuit à natura nostra alienus, sic quidem generatio, quæ admirabilitatem habebat, non mutauit naturam eius, qui propter nos natus est, quin immo ortus est ramus, & fructus similis vtero, qui generauit. Hæreticus. Nos igitur inquit ille, sic de carne Christi confitemur, quod secundum principium conceptus simul & virginalia viscera attigit, & quod assumptum est, in incorruptibilitatem mutatum est: quomodo enim fieri poterat, vt naturam corruptibilem non deponeret, quod verbo immortali vnitum erat? Orthodoxus. Quin immo, inquam, videris mihi tuorum verborum immemor. Superius enim virginem Dei matrem immutabilem mansisse confessus es; & quod auctor temporum non recusauit, cum formatus est, habitare in vtero tempus humani conceptus. Quomodo igitur qui voluit habitare in visceribus matris, & tempora partus excepta sanctitate, tanquam pœnitentia quadam ductus, naturam corporis sui respuit: idque cum à matre, quæ eum genuit, per omnia non differret? Hæreticus. His, inquit ille, omnes communiter assentientur. Verum corpus ex vtero corruptibile, quod ex virgine sumpsit, quod statim ad immortalitatem transtulit, eorum est, qui vobis recte sentire videntur.

Orthodoxus. Et vbi, inquam ego, est ratio, & tempus vitæ communis, ac conuersationis, quæ maxime nobis vtilis, & necessaria fuit, si puncto, & momento temporis similitudo, vt ais, nobiscum ab eo demonstrata, celeriter mutata est; quando non hoc solum indigebamus, sed vt conuersaretur nobiscum Dominus; & per omnia pergeret, per quæ natura humana principium capiens, & per media progrediens, ad finem suum euadit. Hær. Quid enim inquit, ista prohibebat, quamuis vnio corpus impassibile fecisset. Orthodoxus. Et quomodo inquam, vel cum hominibus principio vixisset, vel passiones pro nobis suscepisset, si ex ipso principio vnionis negatum esset, esse similem nobis passibilem, & mortalem? Hæreticus. Passus est, respondit ille, sed non necessitate naturæ, verum ratione œconomiæ, permittente verbo, vt pateretur.

Orthodoxus. Ego inquam, quod dictum est, nihil ab ænigmate differt. Quomodo enim naturam habebat superiorem quam vt pati posset, & rursus sinebatur,

A præter naturam, quæ carnis sunt, pati? Si enim vnio verbi carni impassibilitatem dedisset, nunquam eam dono, quod semel tribuisset, priuasset. Præterea, si ex vnione verbi accepisset non posse corrumpi, tempus est, vt audeas nefariè euellere admirandum, & supra naturam vnionem. Siquidem non poterat pati, quod ex vnione erat à passione liberum, nisi vnione prius sublata; sicuti neque tenebræ vnquam erunt, nisi causa, & lumine recedente: & in summa, nihil ex causa continente proficiscens aptum natum est, vt in affectis permaneat, nisi causa adsit. Considera autem & hoc, quod si sustinuit verbum, vt cum patiente congrederetur, sustineret etiam, vt corpori passibili vniretur.

Hæreticus. Num igitur, inquit, non patiebatur caro volente verbo, sed naturæ legibus subiectus eras?

B Ortodoxus. Ecquis, respondi ego, hoc diceret? Quod non volente verbo, quicquam eorum, quæ naturaliter accidunt, carni eueniret; ac non magis ipso permittente. vt quæ naturalia erant sine peccato, caro pateretur, quæ ad patiendum natura apta nata erat. Non enim si secundum naturam erat supra quam vt pati posset, apta ad patiendum per verbum facta esset. Contra potius, aliquando passiones caro superabat, tribuente ei verbo, vt plurimum, dominatum in passiones, vt naturalis coagmentatio naturæ verbi cum carne inseparabilis esset, & semper indissolubilis; passiones vero non participare non semper corpori liceret. Non enim ex vnione habuit non pati, sed ex voluntate vniti hoc opportune, & ad aliquam vtilitatem gubernantis, ac disponentis. Nisi enim hoc verum esset, alterum duorum confiteri necesse esset, aut non passam esse quicquam penitus, quæ erat propter vnionem naturâ impassibilis; aut si passa est, ab vnione penitus diuulsam esse.

C

Hæreticus. Si igitur, ait ille, vt tu dicis, caro cum naturam haberet aptam ad patiendum, tum alia propter se, tum mortem sustinuit, exciderunt nobis, & perierunt gloriationes, quibus gloriabamur, tanquam ipsa propter nos passa fuisset.

Orthodoxus. Propter nos pati carnem Domini, inquam ego, bone vir, dupliciter dicitur, & quod permittente verbo, passio circa ipsam accidit, quia scilicet & cum prohibere posset, non prohibuit, vt magnus Athanasius ait; & quod superior omni peccato cum esset, non debebat propter se mortem, siquidem principio mors propter peccatum irrupit: & in totam naturam humanam peruasit, in quo, inquit Paulus, omnes peccauerunt, non enim est, aut fuit ab omni sæculo anima hominis voluntarii, & non voluntarii peccati pura. Immo etiam animas sanctorum parum aliquid sordium, & vitij, & si non secundum actum, saltem cogitationem admisisse dicam, Et hoc aperte licet ex Domino docente audire, cum ait, venit princeps huius mundi, & in me nihil inuenit. Cum dixit in me, & nihil plane significauit, se solum ab omni peccato etiam cogitationis liberum fuisse. Quamobrem damnatio peccati cum nullum locum in eo reperisset, substitit & circumscripta est, & à reis recessit. Mortua enim mors est cum carnem, quæ non peccauerat, degustauit. Existimare autem quod caro natura passionis expers, & immortalis quod naturæ eius non inerat, sponte admisit primum quidem hoc est ignorare velle, & non velle non esse carnis proprium, sed animæ rationalis in qua potestas liberi arbitrii & voluntatis in vtramque partem propensio, & inclinatio cernitur. Dinde faciunt eam ream, quæ voluit quod præter naturam erat, & id elegit, ad quod nata non erat. Hic autem vltimus peccati limes. Nec hoc est animaduersione prætereundum, quod cum tres causæ cernantur, & ex quibus omnis actus proficiscitur, vnus quidem est ex naturali potentia, alius vero ex deprauatione habitus secundum naturam; tertius consideratur secundum ascensum, & progressum ad melius. Ex his primus est naturalis: secundus

D

E

præter

præter naturam, tertius supra naturam est, & nominatur. Ille ergo actus qui vocatur præter naturam, qui est aberratio quædam à naturalibus habitibus, & potentiis; lædit substantiam suam, & operationes eius naturales: naturalis autem actus ex causa non impedita, & secundum naturam nixus proficiscitur. Actus vero supra naturam euehit, & eleuat, & ad perfectiora roborat: & ad ea, quæ non potuisset efficere, si in iis quæ sunt secundum naturam, mansisset. Quæ igitur supra naturam sunt, non interimunt, quæ sunt secundum naturam, sed potius deducunt, impellunt, vt & ea, quæ secundum naturam sunt, possimus, & virtutem ad ea, quæ supra hæc sunt, accipiamus.

Hæreticus. Exemplo, inquit, familiari declara, quod dicis: nondum enim mens illud percipit. Orthodoxus, Considera, inquam, sic, sicut in iis, quæ arte fiunt, videre licet, quemadmodum ars artificio mutat in aliam formam, & naturalem materiæ subiectæ deformitatem ad pulchriorem habitum, & speciem transfert, & magis ad vtilitatem euocat. Largitur enim ars, quod natura non habuit. Ad hunc modum tibiæ, & citharæ, & alia eiusmodi instrumenta vi artis sonos emittunt: sic ars fingendi cum alia, tum aurum in infinita genera animalium ratione carentium, & in formas humanas mutat. Ac rursus ars mechanica sphæras astronomicas, & horologia, & alia huiusmodi excogitauit. Longum esset, numerare formas, quibus ratio artificiosa manente natura intra fines suos, & nihil læsa, pulchritudinem, & commoditatem ex arte adhibet. Ad eundem modum, vt quæ humilia sunt, & similitudinem longe à veritate remotissimam fuerunt, cum diuinis exempli causa C conferamus, considera mihi carnem Domini saluis naturæ legibus post vnionem supra naturam, admirabilem, etiam ea, quæ supra naturam sunt, recipere: ita vt neutrum ex altero separetur, aut impediatur. Nec enim quæ supra naturam sunt locum habent non habente natura, quod secundum naturam est. Definitque miraculum esse quod miraculum est, cum id quod est supra naturam mutat, ac magnificentia, quæ naturæ violentiam adhibet, in contumeliam vertitur.

Hæreticus. Et mihi, inquit, hæc videntur. Sic tamen, vt passiones ratione miraculi carni acciderent; non posse autem pati, & immortalitas eius in naturæ legibus indissolubilibus teneretur.

Orthodoxus. Et vnde, inquam ego, hoc accepisti, bone vir? Quis fuit tibi huius nouæ, & peregrinæ sapientiæ magister? An ignoras, quod lex naturæ non est D quod rarum est, sed quod semper, vel vt plurimum cernitur, & permanet? Dominus igitur noster totis triginta tribus annis nobiscum secundum carnem versatus, non horrendo vllo modo à nostra consuetudine, humanitatem honorauit cibo, & potu, & somno, vtens & alia omnia naturaliter adhibens, quæ veritatem sumpti corporis demonstrabant, & miracula non prius quàm triginta annos natus, facere cœpit. Ne enim mihi vllus miracula Domini puerilia seniu præferat, hæc ætas perfectam virtutis periclitationem, & doctrinæ maturum tempus habebat, quando vera euangelia nobis prædicauit: & ad confirmationem doctrinarum diuinarum admirabilitate miraculorum ea, quę dicebantur, muniuit: & vsque adeo hic cernitur naturali- E bus, & citra reprehensionem corporis consuetudinibus vsus, vt existimationem voracis & vini potoris sustineret, dum similiter, vt nos, modum necessitatis expleret. Quid præterea dices, quo pacto semper in nostra forma videbatur, & cum multitudine versans, & nihil à multis habitu differens. Siquidem premebant eum turbæ, vt Petrus ait, & qui eum prodidit, signa etiam dedit, ex quibus deicidæ cum agnoscerent, propter similitudinem, vt quidam ex nostris dixit, habitus Domini cum habitu discipulorum. hæc vero ab ortu eius vsque ascensum in Crucem, & vsque ad sepulturam tridui quadam serie, & ordine naturali processerunt ad osten-

A sionem vero diuinitatis, quæ nondum etiam declarata erat, raro quo ad totam vitę seriem miracula circa corpus fecit ad ostensionem, vt dixi, diuinitatis, non ad negationem veritatis etiam corporis. Idcirco super mare ambulans non deprimitur & in monte transfiguratur: totis quadraginta diebus ieiunus, naturalis necessitatis oblitus est: ex visceribus virginalibus ortus est saluo, & integro flore virginitatis, hæc ad declarandum thesaurum diuinitatis, non ad interimendam, & mutandam assumptam humanitatem mirabiliter operatus est. Et vt breuiter dicamus, miracula diuina, & arcana, quæ faciebat, notæ & indicia diuinitatis erant; passiones vero, & ante eas conceptus, & partus, & fascię, accretio ætatis, & cætera omnia; quæ lege naturæ circa corpus eius facti sunt, verum hominem, & nostræ B substantię esse demonstrabant.

Sed quod pene mentem effugerat, illud addam. Hæreticus. Dic, inquit idem. Orthodoxus. Cogitaui, inquā ego, illud recte habere, pium omnibus videri: quod sicut Dominus omnia sua cum carne communicans, recessit à se, manetque fixus, ac stabilis in statu suo naturali, sic etiam humanitas eius perseuerans in iis, quę naturæ eius sunt, & habens naturales facultates, & actiones corporis, ac passiones communes, & à crimine alienas ac liberas nunquam deserens, & definitionem perfectionis nostræ secundum substantiam possidens, omnia bona ex verbo participauit, quin potius ipsum fontem bonorum verbum scilicet habens, mittit sese omnia, quæ verbi sunt, propter verbum. No enim existimemus, magnum aliquid de carne Dominī dicere, si ei tribuamus, quod nec ipsam honorauit, & C quod honorem nostrum abstulit, nec enim verbi erat, priuare eam nostris proprietatibus manentem alioqui nobiscum: nec erat humanitatis, affinitatem nobiscum habentis, delere similitudinem patiendi, nisi velimus excidere ab eius imitatione, & similitudine. Nec vero ea quæ communiter iusti, & iniusti etiam post resurrectionem habebunt, immortalitatem dico, & non posse interitum capere, & in primis non esurire, non sitire, non expetere somnum, tanquam grande aliquid carni Christi pronunciamus. Hic enim vere dici potest, gloria in confusione eorum, qui per honorem & nos, & carnem Domini inhonorant. Carnem quidem Domini cum eam iis, quæ nostra sunt, priuant nos vero, cum faciunt vt ab iis, quæ carnis Domini sunt, excidamus, non enim glorificabit non compatiens, quę per passio- D nem glorificat.

Hæreticus. En, nunc inquit, nolens distinxisti corruptibile à passibili: patiuntur enim in cruciatu corpora peccatorum cum ipsis animis, non tamen patiendo mortem vel interitum capient: vt hinc pateat, non esse idem corruptibile atque passibile: siquidem illa patiuntur, sed non corrumpuntur.

Orthodoxus. At ego inquam, bone vir, non hoc dico, quod omnis passio interire faciat patientem: sed talis passiones & etiam talem. Suppliciorum igitur quæ in inferis sunt, & acerbi sensus eorum non est proprium naturam subiectam corrumpere: si enim audacter dicendū est conferunt etiam aliquid tortis, & cruciatis ad permanendum, & etiam perdurandum, videre etiam licet, E quemadmodum hoc ipsum euenit in medicamentis, faciunt enim illa reminiscere etiam, & naturam fouent, cum etiam alioqui alte stimulent, & pungant: nec sinant non sentiendo marcescere, sed potius dolere conseruent, & etiam vrendo corroborent, & densent. Humanæ vero & naturales passiones carnis, quas Dominus suscepit, quodammodo erant natura aptæ ad debilitandum carnem, & defatigandum, ac dolore afficiendum, & denique ad dissoluendum, quod quidem in cruce factum esse cognouimus. Dissolutionem vero quantum in natura est, corruptio sequitur. Passiones igitur humanæ naturam possunt offendere, compositum lædere, & finem etiam, atque separationem inferre, & interitui

ſubiicere, quæ quidem omnia ſimiliter atque nos Dominus participauit ſecundum magnam Apoſtoli Doctrinam.

Hæreticus. Quid aliud inquit, his omnibus ſuadere, demonſtrare ſtuduiſti, niſi quod cum Chriſtus ſit paſſibilis, idque natura corporis, non voluntate diuinitatis, neceſſario erit corruptibilis. Non enim ignoramus te hoc moliri, quod quidem nunquam concedemus, et ſi infinita illis addas. Magis enim credendum eſt principi Apoſtolorum Petro, ac præterea Dauid regi à Deo electo, & Prophetarum principi, qui dixerunt, quod caro eius non vidit corruptionem.

Orthodoxus. Quandoquidem ab humanis cogitationibus inquam ego ſero tandem, & probabilitatibus receſsiſti, & ad ſcripturas ſacras confugiſti, & nos memoria cuiuſdam prophetici dicti contra ea, quæ à te dicta ſunt, effugerat, rogo te nunc vt hoc nobis declares.

Hæreticus. Quid, inquit, hoc eſt, quod, dicis?

Orthodoxus. Quod diuinus Hieremias, reſpondi ego, in lamentationibus locutus eſt, demonſtrans prophetice eum, qui lamentationes diſſoluturus erat, Chriſtus Dominus, inquit, in corruptionibus noſtris comprehenſus eſt. Aliud huiuſmodi reperire licet dictum ex perſona Domini per Prophetam, quæ vtilitas in ſanguine meo dum deſcendo in corruptionem, inſcriptio autem Pſalmi, & tota verborum conſequentia, docet nos intelligere Chriſtum per Pſalmum myſtice præſignatum ſecundum interpretationem Theologorum. Immo & Petrus ipſe iis, qui reſurrectionem ſaluatoris non credebant, grauiſſime, vt videmus, dicit, quod ſuſcitauit eum non amplius reuerſum ad corruptionem. Illud vero non amplius reuerſurum eſſe eū, plane declarat eum, de quo hoc dixit, non fuiſſe alienum à capienda corruptione. An igitur non putas aduerſari hæc iis, quæ à te allata ſunt? Et nos manibus vinculis quæſtionis implicare? Hæret. Per veritatem, inquit ille, multa obſcuritate plena ſunt hæc, niſi aliquem interpretem adipiſcantur, qui diſcrepantiam, quæ in ipſis videtur eſſe, ad ſcopum veritatis collineet. Orth. Age ergo inquā, bone vir, ſententiam horum obſcuritate inuolutam explica, & veritatem nobis retege, ſiue eam à te, ſiue ab alio accepiſti. Hæreticus. Non inquit, aliquam valde bellam, & ſpecioſam excuſationem inueniſſe mihi viſus es, cum contrariis auctoritatibus veritatem maiore obſcuritate inuoluiſti. Vt quæſtio quidem dubitat onem, dubitatio vero confeſſionem falſi latenter includat. Ego vero ſiue quis nobis dubium auctoritatum interpretur, ſiue non: nonnūquam à ſententia mea diſcedam, cum aperte clamet ſcriptura, quia non eſt derelicta anima eius in inferno; neque caro eius vidit corruptionem. Orth. Tanquam apta nata ad corruptionem, inquam ego, non vidit corruptionem? Aut ſi non eſt ita, reſponde.

Hæret. Tanquam non apta natura non vidit corruptionem, ſtatim, inquit ille, nihil prorſus dubitans.

Orth. Igitur inquam ego, hoc ipſum etiam neceſſe eſt te de anima prorſus confiteri, de vtriſque enim coniuncte Propheta ex perſona Saluatoris pronuntiauit gratias agens, quod anima eius non eſſet relicta in inferno; neque caro eius vidiſſet corruptionem.

Hær. Atqui, inquit, idē de anima Domini dicā, quod non habebat naturam, vt relinqueretur in inferno.

Orthodoxus. Igitur, inquam ipſe, nec ad infernum eam deſcendiſſe concedemus. Hæret. Hoc vero, inquit ille, non negauerim, verum vt teneretur ibi, non fuit apta penitus. Orth. Differt igitur aio, ab animis noſtris ſecundum naturam anima Chriſti. Hæretic. Non quia differt, inquit ille, ſed quia erat vnita Domino, non poterat in inferis detineri. Orthodoxus. Non igitur, dixi ego, propter naturam ſuam, hanc enim ſimilem cæteris omnibus animis habebat, ſed propter diuinitatem verbi, cum qua ad inferos deſcendit, non ſolum retineri poſſet, libera fuit, ſed eorum, qui illic tenebantur, credidarunt eſt vincula ſolui.

Hæreticus. Sic inquit, habet. Orthodoxus. Similia inquam ego, de carne Domini intelligere licet: quod ſcilicet quantum attinet ad ſimilitudinem carnis eius cum reliquorum hominum corporibus, ſicut mortuus eſt, ſic etiam corrumpi potuit. Non fuiſſe tamen corruptum non demonſtrat mutationem naturę, ſed omnipotentem & efficacem virtutem diuini nutus, & voluntatis. Sicut ingredi pedibus ſuper mare non fuit declaratio naturæ, ſed indicium diuinitatis. quare mortuum quidem eſſe proprium fuit naturę corporis: corruptum vero non fuiſſe, potentiam diuinitatis ſignificabat.

Hæreticus. Sic, inquit, & ipſe opinor.

Orthodoxus. Quid ergo, inquam ego illi, cum recte offers non recte diuidis, vt ait ſcriptura, tribuens quidem carni, quæ naturæ ſunt, quæ vero ſupra naturam ſunt, potentiæ verbi, quæ ſupra ſubſtantiam eſt? Hoc enim modo ſuperiorum auctoritatum diſcrepantiam ſolues, & veritatem etiam aſſequeris, comprehenſum quidem eſſe in corruptionibus noſtris ſignificabat quod naturæ inerat: deſcendiſſe vero in corruptionem, ſignificabat veniſſe ad loca, & res corrumpentes: non vidiſſe corruptionem, ſignificat non eſſe expertum corruptionem verbo prohibente, vt ſit hoc etiam cum aliis præcipuum munus gratiæ in reſurrectione, cœpta quidem in corruptibilitate ab ipſo, & in ipſo, peruadente autem, & peruaſura vſque in omnem humanam maſſam, cuius ipſe factus primitiæ, in ſe totam maſſam fermentauit.

Hæreticus. Chriſtum quidem paſſum eſſe, in diuina ſcriptura, quæ hoc dicit, audiuimus, & paſſibilem eſſe ſecundum carnem Chriſtum magnus Paulus prædicat, corruptibilem tamen eſſe Chriſtum, nulla ſcriptura ſic explanate, & nuda voce tradidit. Non enim omnino hoc declarat illud, comprehenſum eſſe in corruptione.

Orthodoxus. Nunquid igitur, dixi illi, ſolum paſſum eſſe cum ſcriptura dixit, an etiam ſecundum carnem natum ex virgine? Hæreticus. Et hoc, inquit, eorum eſt, quæ conceduntur. Alioqui quomodo intelligeremus illud: liber generationis Ieſu Chriſti? Orthodoxus. Ergo dixi ad paſſionē eius ſpectat generatio eius ab ſcriptura prædicata? Hæreticus. Aſſentior, inquit.

Orthodoxus. Quid, inquam, an non accepimus ex ſcriptura accretionem corporis eius? Hæreticus. Maxime, inquit. Orthodoxus. Illam vero, inquam ego, quam exteri Philoſophi vocant ἀλλοίωσιν, exiſtimas ex poteſtate patiendi proficiſci, an non? Hæreticus. Et vbi inquit, in ſcriptura hoc reperimus? Orthodoxus. Ab ipſo, inquam, verbo ſalutari docemur, cum aperte dicit, Spiritus promptus eſt, caro autem infirma. Et rurſus docet Apoſtolus, & ſi crucifixus eſt ex infirmitate, ſed viuit ex virtute Dei. Quid autem aliud eſt infirmitas, quàm potentiæ ſecundum habitum, variatio & mutatio? Et magnus Eſaias ait, homo in plaga exiſtens & ſciens ferre infirmitatem. Et paulo ante: & vidimus eum, & non habebat ſpeciem, neque decorem. Sed ſpecies eius inhonorata, & deficiens præter filios hominum. An aliud eſt dicere defectionem, & infirmitatem, quam immutationem, quam corpus ex paſſione ſuſtinuit colore priuatum, & colorem in corpore naturaliter floreſcentem non ſeruans, colore in intimum reuocato, & ſuperficie propter contractionem ſanguinis refrigerata, & in pallorem mutata?

Hæreticus. Optime inquit, dicis, & mihi videris imitari magnum Baſilium, paſſiones corporis Phiſicè deſcribentem.

Orthod. Nec aliud quid eorum, quæ dixi, meum eſt, omnia ex patribus accepiſſe: ſed conſideremus, ſi placet, quod ſequitur.

Hæreticus. Quid inquit? Orthodoxus. Conceſſis aperte ex ſanctis ſcripturis generatione, accretione, & immutatione,

immutatione, quæramus reliquas coniugationes, vtrum eas forte in diuinis scripturis reperire possimus.

Hæreticus. Sentio, quid hinc efficere velis. Cum enim habeas concessum motum Domini à locis in loca, conaris demonstrare de extenuatione, & corruptione, quod nunquam, vt mihi quidem videtur, concludes.

Orthodoxus. Rectè quidem, inquam ego, dicis intuens in meam infirmitatem. At veritas adiuta adiuuat eos, qui eam defendunt. Igitur videtur ne tibi esurire, & sitire esse cibi, & potionis appetitus?

Hæreticus. Videtur, inquit.

Orthodoxus. Solere autem esse appetitus earum rerum, quæ desunt. an non putas inquam?

Hæreticus. Maxime. Quid enim aliud est appetitus, quàm cupiditas eius quod deest, ad supplendum, quod effluxerat?

Orthodoxus. Pulchrè inquam, appetitum definisti. Siquidem magnus Basilius esuriisse dicit Dominum solido cibo ipsi exhalato in corpore, & quæ sequuntur perspicuè nosti. Somnum autem nihil aliud esse dicimus, quam languidum, & remissum esse spiritum sentientem, sicut & defatigationem esse musculorum, & neruorum nimiam extensionem, in his enim ea, quæ naturæ sunt, deficiunt, & imminuuntur; & indigent somno quidem ad recreandum vitalem, & sentientem virtutem? remissione vero, vt remittantur contentiones siue pedum, siue manuum, siue totius corporis ex itinere, aut ex aliis in aliis operibus contentione defessi. Cibum vero, & potionem natura requirit solidis, & humidis, ex quibus constituti sumus, digestis, & indigentibus repletione eius quod exinanitum est, & fluxit.

Hæreticus. Sic quidem, inquit ille, in nostris corporibus fit, bone vir, non tamen sic in carne Domini.

Orthod. At si non sic hæc, inquam ego, etiam in carne Domini, & ad eundem modum eueniebant, confidenter dicam, nec prorsus genitus est. Proba enim nobis alium modum. Non enim dices vnquam, phantasiam fuisse id est, manè visum.

Hæreticus. Nunquam, inquit, ille. sic insanus ero, verè siquidem hæc accidebant, sed volente verbo, & permittente carni.

Orth. Bene inquam, dixisti: nec enim meliorem immutationem assequetur, qui non dixerit, & senserit passiones naturales carni accidisse permissu verbi.

Hæret. Sic, inquit ille, credimus, Deus enim voluntate neque potest, neq, poterat ab hominibus capi.

Orthod. Concessa igitur inquam ego, bone vir, generatione, immutatione, accretione, motu secundum locum, quid prohibet, dic mihi; quin reliquam coniugationem ei tribuamus?

Hæret. Vt tu igitur, inquit, loqueris, corruptus est.

Orthodoxus. Absit, respondit. Hæret. Quomodo inquit dicis? Orthod. Quia neque fas est, inquam.

Hæret. Quamobrem, inquit? Orthod. Quia inquam, oportebat passiones nostras gustare vsque ad experientiam mortis, non tamen in corruptione manere actu, quin immo sicut in omnibus habuit quod nostrum est, & quod supra nos est, sic in morte ipsa: mortuum enim esse nostrum est, & curatio nostræ mortalitatis, non esse autem corruptum valentioris potestatis verbi erat, verbum enim experientiam prohibuit minime concedens carni, vt corrumperetur; vt primitiæ immortalitatis ab ipsa, in nos etiam transeant. Non esse igitur factam corruptionem, potentiæ diuinæ est, quæ superari non potest; & ratione miraculi, & non lege naturæ.

Hæret. Atqui, inquit ille, & nouus Adam vocatus est Dominus. Quomodo autem sic vocaretur, nisi corpus Protoplasti tulisset? Incorruptibilis autem erat protoplastus, antequam peccaret; incorruptibile igitur fuit etiam corpus Domini. Siquidem sine peccato perseuerauit semper. Orthod. Ego vero inquam, si. e corpus protoplasti corruptibile erat, siue non, nondum di-

A co, quandiu non pudet ipsos, qui hoc dicunt, immortalitatem protoplasti non tribuere Domino. Mortuum enim esse eum, necessario concedent; nisi sibi ipsis crimen phantasiæ id est inanis visi in Adam vere mortuo, inferre velint; sumpsisse vero Dominum tale corpus, quale erat non solum corpus Adæ, sed corpus nostrum, non enim propter illum tantum venit, sed propter nos etiam, valde fidenter affirmarim. Cum enim communis esset morbus, valde absurdum, & à ratione alienum erat, vnius quidem esse similem, cæterorum vero omnium dissimilem, qui quidem ad rationem medicinæ faciendæ eadem similitudine indigebant. Vnde, optime vir, corpus protoplasti incorruptibile erat; Non enim in constitutione sua habebat, vt immortalis esset, ac multo magis non habebat, vt esset incorruptibilis,
B alioqui nunquam opinor, ligno vitæ ei opus fuisset tanquam futuro immortali, vsu vitalis fructus, quo eum priuauit peccatum sicut patres dicunt, sed de his non est nunc disputandi tempus, quoniam neque dogma est hoc de Adam. Quod enim nunc in quæstione positum est, quod talem carnem Dominus sibi vniuit secundum hypostasim, qualem habuit Adam post peccatum damnatus, & nos omnes ex eadem massa. Non enim venit Dominus, vt saluaret Adam à peccato vacuum, vt eius similis fieret, sed peccato interitum, & iam lapsum, vt eum miseratus consuscitaret. Alioqui quomodo debitum pro nobis soluisset; aut ruinam resarcisset; aut norma virtutis factus esset? Et omnibus optimæ vitæ regulam in se vitam perfectissimam proposuisset? Hæreticus. Et quomodo, inquit ille, poterit aliquis vitam Domini imitari?

C Orthodoxus. Similitudo, inquam, carnis Domini cum nostra sine variatione, fecit, vt posset assimilari ei; vt liceat Paulo, & aliis exemplo eius dicere, imitatores mei estote sicut ego Christi; & ipsi Domino, discite à me quia mitis sum, & humilis corde. Immo neque mors per mortem Christi mortua à reliquis deinceps hominibus se vnquam abstineret, nisi per omnia similiter inuasisset eum, qui ante occubuit, quem postquam gustauit, vsque adeo dentes eius obstupuerunt, vt scripturæ verbis vtar, vt non amplius audeat eos attingere, qui eius similes sunt, & vt euomat eos, quos prius absorpserat. Operatio enim opitior, clare naturam medicamenti demonstrat; si quidem omne quod erat eiusdem naturæ, coegit euomere eum, qui momorderat. Deinde quomodo lex conflictus in experimento adhibito
D seruata esset, si natura, quę tentatur, non haberet similitudinem naturalem cum eo, qui occubuit? Non enim est vincere, sed vim afferre congredi præter leges certaminis; lex vero certaminis est per eum, qui antea, occubuit, superare eum, qui iam vicerat, & hac ratione, & via superiorem amissam victoriam resarcire. Quomodo nos etiam eum, qui propter differentiam instrumenti virtute præstaret, imitaremur, à quibus requireretur, vt in passibili, & corruptibili corpore similes nos incorruptibili redderemus: hoc enim simile mihi videtur vt si quis lege iuberet instrumentis lab ilibus artem fabri ærarii exercere. Etenim si ita esset, etiam aberrate
E ab imitatione Dei, à crimine prorsus vacaret. Non enim prope est exemplum. Et imitantibus, versantibusque natura infirmiore, & decertantibus abunde fuisset, quod magister naturæ excellentioris erat. Omitto dicere, quod neque leges virtutis in actione positæ, & humanæ, in corpora incorruptibili reperire licet, cui quidem, quia supra passiones humanas est, nec est fames, quia nec temperantia: neque labor, quia neque tolerantia: neque contumelia, quia neque humilitas, nec aliquid huiusmodi, ne singulis enumerandis immoremur, neque magnum aliquid dicam, si dixero, neque virtutem spectari, & certus in natura alicuius incorruptibilis, & nihil indigentis. Naturæ enim à dolore, & tristitia vacantis non est certamen: si autem non est certamen, neque victoria: si vero non est victoria, neque

coronæ. Ad huc tam absurdum, elegans nomen ἀφθαρσίας, id est, incorruptibilitatis vos adegit.

Hæreticus. Vehementer inquit ille, magnum mysterium vnionis turbat, si verbum non dedit corpori suo à principio, vt, esset incorruptibile, sed æque atque nobis ipsis in posterum hoc reseruauit.

Orthodoxus. Maiori reuerentia, inquam ego, dignū est, dicere factam esse post aliquod tempus assumptionem Domini, & ad dexteram in cœlis concessum: & non à principio vnionis. Non enim mihi fas est, alio modo eius laudem amplificare. Hæreticus. Sed si hoc inquit, factum est, nihil inde nobis amplius erit. Orthodoxus. Quare? inquam ego. Hæreticus. Quia inquit, neque sic gubernatur, neque statim iuxta ipsum primum ortum siue naturalem, siue ortum ex baptismate regnum cœlorum nobis datur. Ortodoxus. Da mihi, inquam ego, vt hoc modo habeam mysterium incorruptibilitatis, quid opus erat, vt ipse postea institutionem vitæ communis susciperet, si nos iam in ipsa secundum primam corporis eius formationem totius mysterii perfectionem habemus: Si enim hæc nun sic sunt, igitur neque totam propter nos œconomiam factam esse reperimus, sed ipsum tantum mysterii proœmium. Hæreticus. Quomodo, inquit, hoc dicis? Non enim quod dixisti, intelligo. Orthodoxus. Quod, vt tu ais, inquam ego, erit quidem incarnatus propter nos, & propter nostram inde incorruptibilitatem, versatus vero in vita, & passus, ac suscitatus nescio quaru. Si vero propositum arat suscitare eum, qui ceciderat, & ex morte redimere, atque ad vitam reuocare, & vt corpore incorruptibili facto splendesceret. Hæc nobis non aliter abunde nobis adesse potuerant quam si Dominus vnumquodque horum in propria carne demonstrasset, hæc autem omnia, vt vos putatis, à principio vnionis à Domino perfecta sunt corpore eius ex ipsa vnione incorruptibili facto. Habemus igitur ex ipso primo mysterii initio totum mysterium, superuacanea fuit reliqua deinceps œconomia. Sicut enim si primo remedio integra sanitas ægris restituatur, superuacua est postea opera medicorum semel inualetudine superata, sic si ex ipsa vnione cum carne, bonum incorruptibilitatis nobis immisit, omnis reliqua circuitio, & ambitus mysterii superfluens est. Sed existimo, euenire vobis, vt sic putetis, quod ignoratis aliam quidem esse rationem formationis corporis: alium vero modum vnionis. Atqui illud quidem ex præsentia, & aduentu Spiritus sancti extitisse: qui illud vt effector formauit: vnionem vero non ex energia, siue operatione verbi, sed ex tota, substantiali vnione. Virtus enim Spiritus sancti fœcunditatem virgini soppeditauit, vt quidam apud nos valde eleganter dixit, & formatio substantiæ corporis ex Spiritu sancto est secundum operationem eius effectricem constituta, materia autem ex virgine sumpta est. Verbum autem templum ab Spiritu sancto sibi fabricatum in ipsa prima formatione inhabitat, non expectata, vt quidam recte dixit, consummatione templi, sed primo initio ineffabilis œconomiæ, id est, in ipsa naturæ officina vnitum, totum ædificium sibi circumdedit. Non enim facto corpore, sic foris aduenit, sed seipsum circumindiuit, & naturam nostram ornat.

Proprietas igitur corporis non potest ex vnione verbi cognosci, sed ex virtute Spiritus sancti formante ipsum corpus sine primis instrumentis naturæ, vacationem vero à peccato, & totam sanctitatem, totamque vnionem cum verbo carnem sumente, esseque & vocari vnum filium, & apparere clarissima signa totius proprietatis filii, vnio verbi cum natura nostra effecit, à quibus beatitudo diuelli non potest, quia & vnio est inseparabilis. Itaque constitutionem, & proprietatem corporis ex operatione Spiritus sancti profectam esse cognouimus; vnionem vero non ex nuda operatione verbi, sed ipsius verbi substantiali vnione.

Atque hæc quidem nos cum eo, qui nuper nobiscum locutus est, disseruimus, cum eas quæstiones, quæ illi inexpugnabiles videbantur, pro viribus soluimus. Rogamus autem eos, qui hunc nostrum mediocrem librum lecturi sunt, vt ad sacros patrum tractatus recurrant: ex quibus nos etiam adiumenta cepimus, & hæc scripsimus; & auctoritates ad confirmationem eorum, quæ dicta sunt, adhibuimus. Tribuat Dominus vtrisque partibus studio veritatis & secundum voluntatem eius quærentibus & scrutantibus, vt veritatem sibi ostensam muniant. quæ est Christus super omnia Deus, cui gloria, & imperium in secula seculorum. Amen.

Eiusdem Leontii contra aphthardocetas, id est, opinatores incorruptibilitatis proœmium auctoritatum.

QVoniam gratia Christi quæstiones, quæ speciem probabilitatis habebant, pro viribus soluimus, polliciti vero sumus testimoniis veterum confirmare, quæ diximus, accipe in fidem multitudinem testimoniorum æquabilem, & modulatum veritatis concentum edentem. Si quis vero, qui conscientiam suam conculcare dicit, testimonia à nobis recitata reiicit, alia autem eorundem testium producit pugnantia, vt putat, illud primum huic dicendum est, quod qui patres facit manum secum conserere, eosque nitour in repugnantiam inter se adducere, bellum plane contra eos suscapit? neque magis nostra euertit, quam sua non probauit. Illud præterea dicimus, quod qui & verè patres Ecclesiæ, & sermonem charismatis ad docendum, in eodem spiritu acceperunt, neque cum aliis, nedum secum discrepant; nec magna res est si dicam, nec in aliis discrepant, ac minime omnium in hac quæstione, de qua disceptatur, quamuis sic videatur iis, qui meram inscitiam ebiberunt? & ebrietatem suam in firmitatem & sobrietatem veritatis patrum transfundere audent. Credendum enim est non fuisse eos, qui loquebantur, sed spiritum patris eorum, qui in eis loquebatur Qui enim non sunt huiusmodi, digni sunt, qui falsi doctores vocentur; qui eo ipso quod pugnant aduersarii, & seditionis amicum habere conuincuntur. Quomodo igitur dicet aliquis, reperimus dixisse corruptibile & incorruptibile corpus? Non aliter, quam duobus modis, quia incorruptibile secundum idioma scripturæ pro non peccare, & puro, & ab omni labe nequitiæ libero ponere consueuerunt: & tursas, indifferèter, & sine obseruatione secundum tempora idem corpus Christi vocabant & corruptibile & incorruptibile: & cum corruptibile nominabant, ad tempus œconomiæ secundum carnem respiciebant; cum vero incorruptibile, ad tempus resurrectionis, & ad infinitum deinceps sæculum. Siquis vero dicat secundum arrabonem incorruptibilitatis iam corpus habere verbi incorruptibilitatem, propter quam, licet naturam corruptibilem haberet, non est permissum, vt corrumperetur, non contendam. Quod autem hæc vera sunt, testimonia subiecta demonstrabunt quæ non inarticulatè, & confusè, sed valde perspicuè, & explanatè distinguunt nobis tempora, quibus dixerunt corpus Christi fuisse passibile, & corruptibile; & quod post resurrectionem diuitias incorruptibilitatis re, & nomine ipso comparauimus.

1. Pet. 3. Qui absconditus est homo cordis in incorruptibilitate quieti & mansueti spiritus.

Dionysii Areop. ætatis Apostolorum ex libro de diuinis nomin.

COrruptio vero infirmitas naturæ, & defectus naturalium habituum, & operationum, ac potentiarum.

Insinui

Iustini Philosophi & martyris ex oratione contra gentes.

CVm formasset Deus hominem à principio, fecit vt quæ naturæ erant, ex voluntate eius penderent; fecitque vno mandato experimentum. Fecit enim, vt si hoc seruasset, vitam immortalem sortiretur; si non seruasset, contrariam. Sic factus homo cum ad violationem mandati statim respiceret, corruptionem naturaliter admisit, corruptione autem ad naturam accedente, necesse erat, vt qui saluare volebat, ipsam substantiam corrumpentem deleret. Hoc autem aliter fieri non poterat, nisi quæ erat secundum naturam vita, copularetur cum eo, quod corruptionem cepisset, & corruptionem deleret; immortale vero in posterum seruaret, quod corruptum fuerat. Idcirco opus fuit, vt verbum in corpore esset, vt à morte naturalis corruptionis nos liberaret. Si ergo, vt dicitis, solo nutu mortem a nobis auerrit, & non accessit quidem ad eum propter voluntatem mors, nihilo vero minus rursus corruptibiles sumus, naturalem in nobis ipsis corruptionem circumferentes.

Athanasii ex libro 2. contra Apollinarium.

FOrma, quæ erat in ipso nostram formam induta nostram in illa mortem delineauit, vt in illa ipsa resurrectionem pro nobis appareret, ex inferis quidem animam, ex sepulchro vero corpus ostendens: vt in morte mortem dissolueret, ostensa anima: in sepulchro autem corruptionem dederet sepulto corpore, ex inferis, & sepulchro immortalitatem, & incorruptibilitatem ostendens, qui cum forma nostra viam nostram ambulauit.

Eiusdem ex libro de incarnatione.

PAtiens quidem corpus, propter naturam corporum mortuum est: habebat autem fidem incorruptibilitatis ex verbo habitante in eo. non enim mortuo corpore immorebatur verbum, sed erat ipsum incorruptibile, & impassibile, & immortale, vtpote Dei verbum. Immo vero quia erat in corpore, prohibebat eum a corruptione secundum naturam corporum, sicut ait illi Spiritus, non dabis sanctum tuum videre corruptionem.

Eiusdem ex eodem libro.

VNde vt demonstretur mortuũ corpus, vnum diem intermedium expectauit, & die tertio hoc omnibus incorruptibilem ostendit. Vt igitur mors in corpore demonstrata esset, tertio die hoc suscitauit. Ne autem si diutiùs maneret, & ex toto corruptum esset, non crederetur postea suscitasse illud, quasi non ipsum, sed aliud corpus gestaret. Futurum enim erat, vt aliquis propter tempus non crederet, quod cernebatur, & quæ facta essent, obliuisceretur, idcirco non amplius quam triduum expectauit.

Eiusdem ad Epictetum.

IPsum vero corpus naturam habens mortalem, supra naturam suam surrexit propter verbum, quod in ipso erat. Ac cessauit quidem a corruptione secundum naturam: indutum vero cœleste verbum, quod erat supra hominem, factum incorruptibile.

Eiusdem ex libro contra Idola.

ESt quidem homo natura mortalis, vtpote factus ex iis, quæ non erant: propter similitudinem vero cum eo, qui est, si eam Deum contemplando seruasset, corruptionem naturalem retudisset, remansissetque incorruptibilis.

Eiusdem ex eodem libro

SI autem transgrederentur, & mutati fiant praui, cognoscent sustinere se corruptionem, quæ secundum naturam inest in morte, nec amplius in vita Paradisi mansuros.

Basilii ex oratione de actione gratiarum.

SIcut igitur suscepit Dominus famem solido cibo exhalato, & sitim admisit humore corporis consumpto, & defatigatus est, musculis & neruis ex itinere nimium extensis, non diuinitate labore domita, sed corpore, quæ ex natura sequuntur, recipiente: sic & lachrymas admisit, permittens, vt fieret, quod natura accedit, carni.

Eiusdem ex epistola ad Sozopolitanos.

PRoprium quidem carnis est secari, & extenuari, & dissolui: rursus carnis animatæ defatigari, & dolere, & fame, ac siti & somno vinci: animæ verò corpore vtentis, tristitia, & angores, & curæ, & cætera eiusmodi. Horum alia quidem sunt naturalia, & necessaria animali: alia verò ex praua voluntate propter difficilem vitæ institutionem, & animum ad virtutem inexercitatum introducta. Vnde apparet, quod Dominus naturales quidem passiones suscepit ad confirmationem veræ incarnationis, & non falso apparentis, passiones verò vitiosas quæcunq; quod purum est vitæ nostræ inquinant, tanquã pura diuinitate indignas reiecit. Idcirco dictus est fuisse in similitudine carnis peccati, non enim in similitudine carnis, vt istis videtur, sed in similitudine carnis peccati. Vnde carnem quidem nostram cum passionibus eius naturalibus assumpsit, peccatum vero non commisit,

Gregorii N. zi ex oratione in Natalib. Domini.

MIssus quidem est sed vt homo, duplex enim erat, siquidem defatigatus est, & esuriuit, & sitiuit, & fuit in angore, & lachrymatus est lege corporis humani.

Eiusdem in nouam dominicam.

SI perseuerassemus in eo, quod eramus, & mandatum custodissemus, facti essemus, quod non eramus, ad lignum vitæ accedentes, relicto ligno scientiæ, & quid facti Immortales, & Deo propinqui.

Gregorii Nysseni ex libro contra Eunomium.

SIc vera vita, quæ in carne posita erat, cum post passionem ad se redisset caro, quæ circum ipsam erat, simul ab immortalitate diuina eleuata est, a corruptione ad incorruptibile euecta,

Eiusdem ex libro contra Eunomium

QVod est omnium proprium, etiam in illa carne fuisse certum & concessum est, quod pane illud quoq; corpus sustinebatur. Corpus vero habitatione verbi Dei ad diuinam dignitatem translatum est.

Sancti Ambrosii ex libro contra Apollinarium.

SI non agnoscis quod possibile est, destruxisti pietatem erga Dominum, & salutem tuam negasti, vnde insipientes hos existimare oportet.

Eiusdem ad Gratianum.

ALia est carnis infirmitas, & aliud, quod est diuinitatis proprium: ac carnis quidem mors, potentiæ

vero imortalitas. Si autem hoc fecit diuinitas, vt caro non videret corruptionem, subiecta scilicet corruptioni secundum naturam, quomodo poterat ipsa diuinitas mori?

Sancti Ioannis Episc. Const. in illud, Glorifica me pater apud temetipsum.

Qvid igitur ait hic verbum de œconomia? Quia nondũ erat glorificata natura carnis, neque immortalitate fruebatur, neque regalis solii particeps facta erat.

Eiusdem in Ioannem Euangelistam.

Sicut igitur cum contemplamur ambulantem super vndas ante crucem, non dicimus ex alia natura fuisse corpus illud, quam nostra est: sic post resurrectionem cum videbimus habere eum signa clauorum, nõ dicemus esse iam incorruptibile, propter discipulum enim hæc ostendit.

Eiusdem in eundem Euangelistam.

Sicut enim esurire non est crimen, neque dormire, sic neque desiderare hanc vitam. Christus autem corpus habuit purum à peccato, non tamen à naturalibus necessitatibus liberum; alioqui non esset corpus.

Eiusdem ex eodem Euangelista sermo.

Visus igitur est vespere; & auolauit: deinde post dies octo rursus semel, & iterum auolauit. Deinde in mari; & iterum cum magno metu. Quid autem est, manifestauit se. Et eo scilicet tempore non esset visus, nisi condescensu visus esset, quia iam corpus erat incorruptibile, & immortale.

Sancti Ephrem ex oratione de Charitate.

INcorruptio est resurrectio; sed cicatrices non deleuit, vt sint testes Dei, quod operatus est, non dedecorauit corruptibile cicatricum permansione, sed contra potius incorruptibilitate honorauit, quia à corpore corruptibili corruptionem expulit.

Cyrilli Alexan. ex interpretatione Esaiæ Prophetæ.

QVia vero conculcatis inferis, reuixit tertio die, postea vidit naturam hominis in se transfiguratam in incorruptibilitatem; & bonam volũtatem Dei patris cunctum orbem terræ dilatantem, ac multitudinem gentium, quæ illuminanda erat, & ab antiquo errore, in quo alta & educata erat, eripienda, & ad agnitionem eius, & Dei patris vocanda, reiecit laborem patiendi.

Eiusdem ex Thesauro.

QVia mortale, & corruptibile corpus & huiusmodi passionibus subiectum assumpsit, necessario cum carne passiones etiam eius suas fecit & ipsa carne eas excipiente, ipse dicitur excipere.

Eiusdem ex tomo in Matthæum.

QVomodo igitur mortuus esset immortalis, & resurgeret & morte afficeret mortem, si non assumpsisset corpus legibus mortis subiectum? Aut quomodo dissoluisset corruptionem erepto ex ea genere humano, quod sub ipsa degebat, & iacebat nisi corpus accepisset, natura corruptibile, & in propriam viam formasset?

Eiusdem ex epistola ad Successum.

POst resurrectionem verò erat quidem ipsum illud corpus, quod passum erat, sed non iam humanas infirmitates in se habebat. Non enim iam amplius famem, aut lassitudinem, aut aliquid huiusmodi sentire poterat; quin potius incorruptibile deinceps erat: neque solum hoc, sed viuificum, corpus enim vitæ est, id est, vnigenitum.

Eiusdem ex tomo Epistolæ ad Hebræos.

PErmisit quidem, vt corpus suum, mortem pateretur œconomice, vt mortuorum, & viuorum dominaretur. Quia verò corpus vitæ statim reuixit superata corruptione, quod hæc tam veneranda perfecerit, si non naturæ carnis, sed potentiæ verbi tribuamus, pij erimus.

Gregorij Theologi ex oratione in Lumina.

QVia ferre diuinitatem eius puram, non erat naturæ ortum, & interitum capientis, idcirco quæ à mixtione aliena erant, miscentur, non solum cum ortu Deus, cum carne mens diuina, cum tempore quod sine tempore est, cum mansione quod à circũscriptione vacat: sed etiam cum virginitate procreatio; cũ dedecore, quod excellentius est, quam vt possit dedecorari: & cum passione impassibile, cum incorruptibili immortale. Quia enim inuictum se esse putabat inuentor peccati, qui nos spe diuinitatis lactauerat, ipse assumptione carnis lactatur: vt tanquam Adamum aggressus, in Deum incurreret: atque ita nouus Adam veterem repararet, & damnatio carnis rescinderetur morte per carnem perempta.

Cum hæc ab illustribus Ecclesiæ patribus vno consensu dicta sint reperiuntur profecto eodem spiritu pleni fuisse eadem omnino ii ipsi sentientes. Volebam equidem, si fieri potuisset, omnia omnium testimonia subiicere, sed ne lector propter multitudinem cunctaretur legere, studuimus, vt nonnullorum & pauca in medium afferemus, quæ formam, & regulam veritatis, quæ in ipsis omnibus fuit, continerent, hominem laboriosum ad eorum integros libros transmittimus, in quibus quod perfectum, & limatum est, magis quam in nostris libris reperitur.

FINIS LIBRI SECVNDI.

LEONTII BYZANTINI
LIBER TERTIVS.

De Nestorianorum impietate secreto tradita principio, & de eius parentibus triumphus.



GGRESSVRVS adiungere hunc tertium librum duobus meis superioribus tum in gratiarum actionem Deo tum in triumphum de impiis & ad eorum vituperationem, precabor Dominum, vt etiam nunc adsit, nobis adiutor intelligentiæ, & verbo suo verbum nostrum gratia Spiritus sancti afflata dirigat. Si enim adiuuãte nos Deo, tum alia omnia, tum hoc, quod in manibus est, aggrediemur & nobis erit integra merces ipsum adiumentum laboris, & iis, propter quos scribimus, erunt pignus vtilitatis si non pro dignitate pares, saltem pro viribus nostris: nos autem aliter etiam in præsentia excusamur. Vetus enim debitum afferimus, quod ante cætera omnia debita soluere æquissimum est. Quod quidem iam pridem solui debuit, sed propter magnam inopiam vix nunc, & non, vt dignum erat, solui cœpit.

Quoniam contra quos paulo ante volui columnam Deo ponere, & triumphum de ipsis agere, qui non amplius impietatem celant, & in abdito seruant, & multos in fallaciam occultando inducunt, sed è longinquo apparent, eò magis fugiendi, & auertendi, ex horum cœtu, & numero aliquando fui. Cum enim tunc adolescens essem, & tempus, & rationem mihi surripuerunt nullo instrumento malitiæ ad hoc efficiendum non adhibito. Proposuerunt enim dogmatum absolutionem, quæ ego postquam hoc specioso verbo, tanquam summo digito, delibaui, factus sum auidus, & vt animo prompto essem, nihil in me desideratum est. Illi vero me tanquam cæcum alicuius viæ cupidũ nacti, conati sunt in barathrum impietatis suæ deturbare. Sed adfuit mihi superne gratia, quæ me ex mediis dentibus rapuit iam paratissimum illorum venationi, & ardentissimum virtutis & peregrinationis propter eam suscipiendæ desiderium mihi iniecit. Et quomodo qui fuit populi Israelitici in solitudine illa ductor, non erat peregrinationis meæ futurus comes? Qui me non prius dimisit, donec in manus diuinorum virorum tradidit, qui non solum totam illam lippitudinem depulerunt, & repugnarunt, sed oculum animæ sacro lumine impleuerunt ex libris diuinæ sapientiæ: ex quibus illi veritatem, & reliquam virtutem hauserant, quibus meas actiones, & cogitiones castas effecerunt. An non merito me homines grati extremæ impietatis accusauissent, si hæc silentio penitus præterire voluissem?

Quod autem à principio, & quo lucem vidi, mihi aspectus lucis munere Dei redditus est, non composui orationem in gratiarum actionem, excuset me quidem Deus; excuset vero etiam vnusquisque ex iis, quos Deus diligit. Non enim propter ingratam memoriam, sed ne ex gratiarum actione accusationem præproperæ, & petulantis scriptionis sumpsisse viderer, orationem continui. Nunc autem nata causa iusta, quæ excitauit, & connectere non permittit, studui vt & debito, & desiderio satisfacerem. Ero autem maioris auctoritatis præ omnibus tum ad faciendam fidem eorum, quæ dicenda sunt, tum ad cohibendum pudore impios, si forte velint, experientia enim, vt aiunt, firmior est verbis. Adsit Christus testis, & pater eius, non esse me de ipsis locuturum aut odio aliquorum, aut in gratiam aliorum, sed quia misereor primum quidem illorum ipsorum, deinde vero quia multitudinem eorum, quos deceperunt semper defleo. Tertio volui opem ferre ad præcauẽdum iis, qui sunt in præsenti fere periculo labendi, quibus hunc librum tanquam remedium veneni commiscere volui. Præterea etiam, quia metuebam iudicium, si miseria ipsa, à qua liberatus fuissem, non misericordes nos fecisset. Vt si non aliud, hunc saltem fructum ei qui rederint, & seruauit, offeram, fructum dico præcauere aliis. Ne verò ipsi moleste ferant, si efferre volui, quæ ipsi non horruerunt sentire. Age ergo afferamus in medium ab ipsis contra veritatem excogitata, quibus vsi sunt in eos, qui misere eorum laqueis irretiri & capi cœperunt.

1. Primum igitur artificium simulationis dignum malitia eorum est, quod cum sanctos ecclesiæ doctores, & à Deo datos non recipiant, simulant verbo se neq; Theodorum, neque Diodorum primos impietatis suæ fontes recipere.

2. Quin etiam magnam Synodum, & plurimorum Episcoporum Chalcedonensem pro alio quouis initiamento simplicioribus proponunt, non quidem sentientes cum ea, nescio enim an vlli alij primas partes sentiendi contra eam concedant: grauem tamen personam eius in suo actu sibi per simulationem imponentes, latent in ipsis negotij suscepti initijs, cum vero semel suaserint Synodum recipere, aut nacti sunt aliquem, qui recipiat, percunctantur, quemnàm ex patribus solitus sit, & placeat tractare, & exercere: deinde, si forte respondeat, quem percunctati sunt, aut magnum oculum ecclesiæ Ioannem, aut duo magna lumina, duos, inquam, illos Cappadociæ aut clarissimum luciferum Athanasium, illi continuò mutant quidem personam non enim patiuntur ne nominari quidem solùm, ne tamen in ipso primo congressu deterreant, quem illaqueare volunt, atque ita auolet, boni, inquiunt, sunt isti patres, non tamen meliores quam nostrates. si vero roget nomina, lege prius, inquiunt, & tunc cognosces, quales, & quanti sint, quorum miser, inquiunt, ne nomina quidem adhuc didicisti.

3. Multa enim alia munera, & auxilia pollicentur; & opes imperatoris, si egeat, & primum gradum in magistratibus, & eruditorum, quos habent, conuictum. O malorum immensitatem, non prius discedunt, quam succumbat siue inscitiæ, siue indigentiæ, siue assentationi, siue alijs quæcunque illaqueare solent eos, qui non omni custodia cor suum custodiunt.

4. Deinde postquam captum tenent, & obedientem, in quibus volunt, habent, si monachus sit, hortantur ad legendos libros Gentilium, si tamen idoneus ad eos legendos videatur; & postquam simplicitatem ordinis monastici multum irriserunt, quod nihili sit ieiunium, vel vigilia, vel secessus, (siquidem virtuti practicæ, id est, in actione positæ obtrectant, & neque nomen eius pati possunt æquo animo) ad mutandum habitum hortantur quod sit ad studium virtutis politicæ, id est, quæ in ciuitate versetur, impedimentum, promittunt se in ordinem Clericorum eum cooptaturos, aut alio modo auxiliaturos, modo fiat particeps impietatis eorum. Sin autem sit sæcularis, dona et accommodata promittunt, non quidem verum dicentes, hoc enim est in eorum malis beatum, sed sic tamen eum fallaci spe seducentes

cogunt inhiare ipsis. Atque hæc quidem etsi breuiter recensentur, tamen tempus vrget.

5. Vnum igitur aut alterum cum commemorauero, ad magnum magistrum insipientiæ istorum me conuertam. Cum enim viderent ipsi quotidie apud fideles iustum odium contra ipsa impia dogmata, & contra principem, præ fidem impietatis eorum augeri, aliquid valde acerbum contra vitam suam excogitant. Dicunt enim nobis in actu suo personati, Valeat Nestorius; eorundem dogmatum erit pater, qui fuit & illius pater.

6. Quod verò est his admirabilius (etsi enim volebam prætetire, non tamen sinor) cum versutam malitiam Manichæorum imitati essent, nec enim aliter ipsis viuere licebat, sicut illi se in electos, quos ipsi vocant, & in indifferentes, sic hi seipsos partiti sunt in imitatores ipsius Nestorij, & communionem ac societatem eius magni facientes, & inanathematizantes Nestorium, simulantes autem Ecclesiæ communionem. Quód vero hoc confingam, testis est, qui occulta videt. cum enim quidã ex fidelibus coactus esset ab ipsis, vt cum ipsis communionem haberet, & clero Ecclesiæ adscriberetur, postquam viderunt eum ex isto horribili ausu factum pigriorem; quid, inquiunt, mœres, si Ecclesia tanquam prætono vteris, & clero tanquam exercitu, & fidem nostram habes, & communionem nobiscum amplecteris; Ille autem cum in dubium de hoc ipso, quod audiebat, veniret, diceretque fieri non posse, vt cum ipsis & cum Ecclesia communia haberet, non oportet, inquiunt, te moleste ferre hanc œconomiam. Panis enim in typum corporis Christi propositus plus benedictionis participauit quam panis, qui in foro venditur, & quam panes, quos Philomarianitæ offerunt in nomine Mariæ

7. Tempus est iam, vt laudes magni doctoris Theodori narremus, hunc enim aiunt esse illum, quem magnus Ioannes, vtpote ex proposito monastici instituti lapsum, & qui promissionem abiurauerat, duabus Epistolis tanquam duobus funibus fortibus, & prælongis lapsum in profundum intemperantiæ, extrahere studuit.

8. Hunc aiunt non amplius quam decem & octo annos natum in scripturas debacchatum esse; non enim nisi debacchationes scripturarum, interpretationes quas in eas composuit, appellare possum.

9. Aiunt hunc, cum vellet rapere oculum Ciliciæ Tarsum, postquam Diodorus, qui fuerat huic malorum, & impietatis auctor, & dux, ac pater, ab hac vita recessit: a Theophilo Alexandrino prohibitum fuisse, ne hoc auderet; ad eum enim legationem miserunt, qui tyrannidem patiebantur.

Hinc Theodorus cognominatus Antiochenus.

10. Hic execrabilis in celeberrima Ecclesia Antiochiæ, vt quondam vocabatur, nunc autem Theopolis, cum explanaret scripturas, ausus est cum multa alia, tum vocem θεοτόκος idest Deipara, vituperare, vt ita inde totum contra se populum commoueret.

11. Hic scelestus in omni praua interpretatione scripturarum labores sanctorum doctorum, qui in eis laborarunt, nunquam irridere, & illudere desinebat. Videor autem iam affici, vt dixit Basilius, ex pugno; ac plaga, corrigens homicidam. Sed age transi, & interiorem ornatum lauda, & cerne quod secreto ipsi seruant, & à vulgo remotum, abditam dico, & penetralem impietatem. Non effeeram tacenda, vt dici solet, sed execrabilia dogmata [illegible] apertam. Nemo iniquo animo quæ dicentur, ferat. Quoniam non sumus nos auctores horum malorum, quæ audientur; neque causas præbuimus dicendorum. in multis enim libris mysteria eorum impia feruntur. siquidem & ipse precarer, & optarem, vt silentio, & tenebris huiusmodi impietatis mysteria contegerentur, nunc vero non vt vos malorum discipulos facerem, sed potius vt a grauibus malis liberarem, ad has me narrationes contuli, summo studio eos fugiens, & omnibus quam possum maxima voce dicens, fugite vos, fugite, a præruptis, & barathris longe fugite. Libros, omni hæresi impiarum doctrinarum plenos fugite.

12. Hic sapiens, vt appellabunt, qui eum studiose sequuntur, & magnus Theodorus, quia parum erat ei cum hominibus certare, aggreditur, & audet contra gloriam Spiritus sancti, cum omnes quidem scripturas altas, quas sancti afflatu eius tradiderunt, humiliter & demisse interpretans; tum vero à numero sacrarum scripturarum diuine præscripto & indicato eas separans.

13. Magnum Dei seruum Iob columnam fortitudinis animatam, & spirantem duobus fere millibus versuum perscriptam contumeliose arguebat, & scripturam Spiritus sancti de eo abrogabat, quam Iacobus frater Domini in epistola sua Catholica confirmans aiebat. Patientiam Iob audistis, & finem Domini vidistis. Non enim aliunde neque patientiam audiuimus, neque finem eius spectauimus, nisi ex scriptura, de eo.

14. Ob quam causam, vt arbitror, ipsam epistolam Iacobi, & alias deinceps aliorum Catholicas abrogat, & antiquat. Non enim satis fuit illi bellum contra veterem scripturam suscipere ad imitationem impietatis Marcionis sed oportuit etiam contra scripturam nouam pugnate, vt pugna eius contra Spiritum Sanctum clarior, & illustrior esset.

15. Inscriptiones Hymnorum, Psalmorum, & Canticorum penitus eiecit, & omnes Psalmos iudaice ad Zorobabelem, & Ezechiam retulit, tribus tantum ad Dominum reiectis.

16. Immo & sanctorum sanctissimum canticum canticorum ab omnibus diuinarum rerum peritis, & ab omnibus Christianis laudatum, omnibus ecclesiis cuncti orbis notum, & Iudæis inimicis crucis Christi in admiratione habitum, libidinose pro sua & mente & lingua meretricia interpretans, sua supra modum incredibili audacia ex libris sacris abscidit.

17. Et quid non erat acturus, qui in eo agebat, impietatis inuentor, & pater? Duos igitur libros Paralipomenon primum, & secundum similiter, malum malo addens, & insuper Esdram.

18. Diuinas igitur scripturas aggreditur, & ex duobus generibus splendidioribus contra Spiritum Sanctum certandi laudatum sibi aufert: à secundo abstinet, & aliis cedit, an vt in eis luctentur, & vincant? Nequaquam. Sed quia, vt existimabat, certamen contra scripturas sanctas finitum sibi & peractum erat, secundum cursum primo æqualem conficit, & ne in singulis aggrediẽdis defatigaretur, contra primam religionis Christianæ informationem stat, & Deificum Symbolum eorum, qui regenerantur, tollit: fidem, inquam, Synodi Nicænæ, non solum mutilans ipsam, sed omnem penitus fidem destruens, & aliam præter illam tradens, pro nihilo ducens illa tanta lumina, neque tam audax facinus perhorrescens: aliud enim, vt dixi, Symbolum fidei vel potius dicam perfidiæ edit, qui post fidem in Deum patrem, & vnigenitum filium, & Spiritum sanctum scripsit credete & in Dominum Iesum Christum, introducens quartam personam in sanctam trinitatem, & in duas personas Christum & Deum nostrum diuidens, ac vero quidem Deo, quæ diuina sunt, tribuens, proprio autẽ Christo, quæ hominem decent, & humana sunt, & inprimis ortum ex virgine. Audet & aliud malum non secundum ad impietatem, aliam enim Missam effutiuit præter illam quæ à patribus tradita est ecclesiis, neque reueritus illam Apostolorum, nec illam magni Basilij in eodem Spiritu conscriptam. in qua Missa blasphemiis, non precationibus [illegible] id est, mysterium Eucharistiæ oppleuit, an vt alius Antichristus adhuc expectetur, prius est, qui sic Christum oderit, & quæ Christi sunt, mutare nitatur? Non equidem puto, Satis, inquam, est hic, vt in omnibus loco, & vice illius sit.

16. Audi præterea & alia eius, quæ bonum erat, & maxime optandum etiam non audire. Iudicium Dei in omnibus sanctis scripturis clara voce denunciatũ, quod nec

iis,

iis, qui à Christianorum religione procul absunt, inanditum, quod est firmamentum stantium; & lapsorum erectio, & peccantium medicina, & diaboli dignus finis; quod neque diabolus, & dæmones negare ausi sunt, cum saluatori dixerunt, quid nobis, & tibi Iesu fili Dei, venisti ante tēpus torquere nos? Hoc iudicium, & gehennam, & tenebras, & stridorem dentium, & alia quæcunque impiis & peccatoribus scriptura sancta minatur, ridet miser, nec ipse iudicium expectans, & aliis, ne metuant, iubens, quæ vt ipse putat, tantummodo minas habent væ væ. Sed suadebit ei experientia, quia minas non timor, & hæc litteris mandare non est veritus impius, & vere à metu vacuus, & veteteræ motam ignitorum irridens, à cuius facie sicut in diabolo sublata sunt iudicia Dei.

20. Propter hæc te diligunt miseri, qui sunt tuæ sectæ. hoc tu illis pharmacum ad eximendū timorem Dei confecisti vere amarum, & lugēdum pharmacum. Hæc fuit Eunomii impietas, quam imitatus es, de quo quæ dicebantur, incredibilia erant, donec, (vtinam nunquam) hæc in libris tuis posita sunt. Et Eunomium, qui præcipiebat dare locum passionibus, & non exibere molestias menti, doctrina tua superauit.

21. Tuus discipulus fuit Barsumas, Persidem prace gubernauit dogmatibus tuis impiis, & sublata differentia in vna degenda; qui legem tulit, vt nullus ex clero, nedum Laicus, abstineret à lecto non legitimo, neque à polygamiis, id est multis coniugiis, ebrietates enim, & comessationes dona Dei esse existimabat.

22. Libros tuos ii qui tuæ sectæ sūt in sermonem Chaldaicum, & Armenicum verterūt, qui hæresi Ariana peiorem ac magis impiam gentibus tradiderunt. Siquidem hoc imitari studuerunt Ariani, nisi quod hi barbaros occidentis, illi gentes orientis vtrinque ad suam impietatem adduxerunt.

23. Parua hæc. Tu vero adde mihi, fictum esse peccatum Adæ, idq; Deo auctore, vt iudicium iniquissimum, in Adam, qui non peccasset, sed per calumniam damnatus fuisset, & exilium ei decretum, iusta, & probabilis causa redimendi mundum fieret. An non propter hāc radicem malorum & reliquæ deinceps impietatis hominum Christus venit, vt Adam ouem, à compascuo centum abductam, & aberrantem tanquam bonus pastor saluaret?

24. Adde, si vis, angelos vnà cum tuis tenebris creatos, non enim fuit apud te idoneus, & auctoritate dignus satis enarrator naturæ eorum Dauid, qui in Dei laudem fidibus in spiritu in Psalmis canens, qui facit, inquit, angelos suos spiritus, & ministros suos flāmam ignis. Quod cum ait, creat, præteriti temporis est, quod propria scripturæ sanctæ consuetudine præteritum tempus significat; vt cōtinuo docet, cum subiungit, qui fundat terram, id est, qui fundauit. neq; te mouent, cum alia in scripturis angeli tanquam lumina apparuerunt, & vt fulgura fulgentes.

25. Adde Manichæorum tenebras substantiales primas ante visibilem creaturam, aut non creatas nunquam subsistentiam habuisse, aut à Deo factas esse.

26. In illo præterea insipienter sapientiam simula, quod ais Antichristum diaboli non esse puniendum, sed corrumpendū, & in nihilum redacturum; vt manet ad animas bonum ex bono, metus scilicet Dei, quem aliunde non erant habituræ: non ex iudicio, hoc enim sustulisti, non ex fœlicitate fruēda, nō ex naturali & recōdito desiderio erga Deum, sed ex solo Antichristi in nihilum interitu.

27. Da deinde, non quicquid est, esse ex Dei creatione, & prouidentia, sed multa inutilia suborta esse ex accidenti & consecutione rerum, non facta Deo volente, sed ex natura rerum, Deo non prohibente: Licet et nos lapsus temporis, si totam vindemiam in tua vinea Sodomorum faceret propositum.

28. Tu vero non defatigaris voluptatem ex tuis impietatibus capiens, ó ingenium malorum feracissimum, & vltimum, Deum putas non esse bonum οὐσιῶδες, id est, secundum substantiam, nec esse ipsum fontem & principium omnis boni, omnisque virtutis omniaq; bona ex ipso substantialiter manare. Dic nobis, vnde accepit bonum? Ipse enim non est opinione tua, per se bonum, & quæ huius boni origo, & principium? Nihil, aut parum abes à magniloquentia Marcionis, & principiorum eius.

29. Accedit iam nostra oratio ad ipsum summum fastigium tuarū impietatum, vnde tibi effectus est homo ad Trinitatis æquationem, vt sit huius animatum idolum, vitæ infinitæ omnium, quæ sunt, æquatum, quod exhibes, vt pro Trinitate ab omni creatura visibili & non visibili nunc, & in posterum colatur? Neque lex Moysis tibi suasit cum iussit, Dominum Deum colere, & ei soli seruire? Neque Saluator, qui hoc tentanti obiecit? ἐνδεί-ξει.

30. Tu vero, vt dixi, fingis creatum esse ab ipsa Trinitate alterum animatum idolum Christum tuum, ipsam Trinitatem calumniaris quasi doceat colere creaturam. Quod nihil differt à vetere errore, quo homo à Deo excidit, & creaturæ pro creatore seruiuit. Nisi grauiorem hunc errorem illo vetere nolimus. Non enim doces, vt hominibus solum hoc veniat, sed post Trinitatem omni creaturæ à Trinitate creatæ. Non enim Deo homini facto doces, sed hominis appellatione Dei honorato cultum in æternum adhibere. O te præconem horum malorum euangeliorum. Prædicas, referendum esse cultum ad Christum tuum, quod perinde est, vt si prædices cultum, qui referetur ad Trinitatem, referendum esse exempli causa ad regem. Libenter autem percunctabor te, quomodo, aut quem ipse Christus tuus adorabit? Si enim seipsum, valde ridiculum est; sin autem Trinitatem, per medium aliquem; non enim idem per seipsum, si solus ex omnibus hunc honorem habet, reperitur neminem colere; quoniam ipse solus non habuit tuum mediatorem, & reperitur aliqua præscriptio cōtra Deum, quam tu Christo tribuis, cum eum facis solum honorari, & non honorare, qui sic honorauit.

31. Quam suauis & dulcis es, honoratum, & speciosum ortum, & educationē huic homini applicas, & paulo feri excellentiorem ortu prophetico. Quod scilicet verbum Dei secundum præcognitionem in ipsa formatione quæ in vtero fiebat, vnionem ei commodare voluit, cognoscens nunquam à proposito circa virtutes discessurum esse. Scilicet si-ne media-tore.

32. Ignorantiæ etiam caligine eum tegis nihil scientem præterquam quod verbo ei secundum dignitatem vnito videbatur. Quomodo ignorantia oppletum introducis eum, & non peccato? Ex ignorantia enim peccatum, sicut ex fonte fluuius manat: aut fortasse docebis ignorantiam ei opem tulisse, quia vt plurimum, veniam fert, quod per ignorantiam sit præter rationem, si non sit quidem valde graue. Vsque adeo autem ignorasse eum dicis, vt cum tentaretur, nesciret, quis esset, qui enim tentabat. & à peccato κατὰ διάνοιαν, id est, à peccato cogitationis concedis nec ipsum mundum fuisse, nedum Sanctos, neque ipsum peccatum cogitationis peccatum esse putas.

33. Non horres docens molestiores fuisse illi passiones animæ, quam corporis, sic enim perspicue ais, & ratione fortiore voluptates subigebat.

34. Concedis progressu virtutum paulatim purgatum esse, & aptiorem factum quotidie ad suscipienda diuinitus bona, quæ ei vt homini adiutura erant.

35. Baptizas eum, vt ex eo tempore, ac non prius perfectus secundum virtutem legis, Christus vocaretur perfectus; & ad euangelicam vitam aggrederetur, & hanc compleret. Nonne dicis tempus etiam fuisse illi ob hanc causam contractum in breuius: Prouisset enim defatigari spacio temporis; & idcirco breuem salutis viam, id est crucem adinuenisse.

36. In crucem inuitum cum agis pro se quidem non mi-

nuus quam pro toto mundo moriturum, tanquam non posset aliter gloriam ascensus in cœlum, & consessus ad dexteram Dei assequi, nisi per martyrium consummatus. Nescio quis vir est, & vide, qui tam ingens à te negotium suscipit, œconomiam ita magnam, & eximiam, vt non naturam hominis, sed omnem naturam creatam longe superet.

37. Timuit mortem, non tanquam exprimens nos in se ipso & soluens timorem nostrum in se, sed tanquam hanc crucem fugiens; quam nunquam sponte sustinere voluisset, nisi tuam longam, & prolixam admonitionem nactus esset, quam à te fictam angelo attribuis. Nec enim angelos calumniari recusas, quando hymnum angeli diuinum, & quem in laudem victoriæ Christo, vtpote Deo, cecinit, mox per hunc admirabilem, & supra naturam actum timoris, verè veri timoris, nos ab acerbo, & crudeli hominum tyranno morte liberaturo, tu tanquam timido cuipiam, & effœminato, & penitus sui amico, saluatori ab angelo in modum consolationis adhibitum esse insanè & delirè dicis. Illud enim, apparuit angelus Domini confortans eum, tum alij patres dixerunt, tum Cyprius sene a apparuit hymnos canens, & diuina loquens. Et ad probationem huius contemplationis produxerunt, quod Moyses à Deo eruditus in magno illo cantico dixit, & confortent eum omnes angeli Dei. Vt autem tu impiè dicis, opus illi fuit longa consolatione angeli, qui animam Christi timore mortis absorptam, & tristitia prostratam, celeriter erigeret, & recrearet; erat enim in summo discrimine; & omnia in eo erant agitata, & quassata. Falsa hæc esse dicis, magno hoc emissem, magnique æstimassem. Nunc autem testes sunt præclara, & admiranda tua certamina contra incarnationem verbi, & bella ficta quidem & simulata contra hæreticos aduersarios, verè autem contra veritatem suscepta, quam cum oppugnare propositum tibi esset, & susceptum perfici non posse cognosceres, inscriptionem belli contra veritatem inscriptione belli contra hæreticos commutasti. Immo & deliramenta tua contra Magusæos hæc prædicant, & reliquæ falsæ tuæ scripturarum enarrationes; nusquam enim non sunt isti admirandi labores peruulgati, qui à Paulo quidem Samosatensi ortum duxerunt, per internectos verò ad Diodorum peruenerunt, qui tibi fuit malorum tuorum dux. Sic autem à te elaborati, & culti sunt, & tantam magnitudinem incrementi acceperunt, vt tuos largissimus fluuius fontem impium operiat.

38. Riuus fuit à tuo fonte ductus, & fossa angusta, quæ non potuit capere totam impietatis tuæ fluxionem, Nestorius. Et si potuit capere, non tamen audere, & fontes tuos omnibus profundere, non quidem pigritia voluntatis; excusabo enim: sed quia non habebat locum propter multitudinem hominum, qua erat constipatus. Tu vero quia erat tibi quietus cum impietate coniunctus, totum eius riuum ebibisti. Ille autem postquam vnum ex too cœno, & ex tuis luculentis dogmatibus reiectum suasit, sibi in commune proposuit, & solam vocem θεοτόκον, id est, Deiparam prohibuit, artificiesé contra initia veritatis insistens, & primo Dei nostri secundum carnem ortu, totam deinceps mysterij consecutionem destruens. Captus tamen est; & summum supplicium subiuit eiectus ex cœtu diuino cum impietatibus, in quibus à te sumptis cultus eius elaborauit: pœnasque doctrinis tuis dignas persoluit. Satis sunt hæc ad repræsentandum istius viri impietatem, quæ vt est in prouerbio, ex vnguibus Leonem demonstrant. Si quis vero hæc non credit, sunt enim fictura digna, vt non credantur, non vitupero, neque queror, quod hoc accidat. Quia non videri hæc incredibilia ostendit eum qui facile credidit, non esse expertem huiusmodi malorum. Quod enim est paratum, & in promptu vt assensum habeat, etiam est paratissimum ad experientiam. At nos experientia, quam ex libris eius collegimus, & quam ex iis, qui eum studiosè

A imitati sunt, audiuimus, non permittit non credere cùm alioqui velimus. Quomodo vero possem non credere, qui malorum experimentum in me ipso habere visus sum?

39. Isti vero (non enim sunt sapientes, nisi ad nocendum) quia non possunt hæc defendere, obijciunt nobis magnum Basilium, qui ad Diodorum scripserit, & quædam eius de Trinitate scripta approbauerit, non enim de Incarnatione possunt dicere, quosdam etiam patres, qui de eo scripserunt, aut meminerunt, circumferunt.

40. Origenem vero non admirantur, quoniam Gregorius, qui à miraculis faciendis cognomentum duxit, in oratione, quam in discessu suo composuit, infinitas laudes eius persequitur. Et quid dico Origenem? Quan-
B doquidem Apollinarius, qui omnino ex aduerso et à veritate aberrauit, gloriatur innumerabiles epistolas ad eum scriptas esse Athanasij magni, & Serapionis, & aliorum, quicunque fuerunt tunc fulgentia sidera, & veritatis propugnatores, & si quis in manus sumat ecclesiasticam historiam, quam Timotheus Apollinarij discipulus composuit, nullum alium finem tanti laboris propositum ipsi reperire, quam commendationem Apollinarij, quam ex eo collegit, quod ab ipso, & ad ipsum infinitæ epistolæ scriptæ & rescriptæ essent, qui mihi videntur eadem ratione Demam nobis commendaturi, quia Paulus eum Romanis commendauit; & Iudam choro Apostolorum annumerare, quia ipse cum Saluatore cibum sumpsit: sed audiant à nobis, quod si scriptis epistolis maiorem reuerentiam, quam veritati adhibere volunt, non solum Theodorum, aut Diodorum, sed & alios multos, & quos nec ipsi volunt, comprobare cogentur.

41. Quale præterea est illud, in quibus, inquit, corrigitis Theodorum, aut Diodorum, in eisdem etiam reliquos patres reos esse reperimus. Et proferunt nobis ex Serapione quidem illud, Deus hominem induit; ex Basilio autem, homo Deifer, & illud vtrumque ex Gregoriis, quorum alter quidem dixerit, Dicatur Deus non verbi, sed eius, qui cernebatur; alter vero, & ferox lino.es, circa quem Dominus, & quasdam reliquorum patrum similes voculas veluti vnguibus corradunt, cuiusmodi est, Suscepit, assumpsit, induit, & duplex erat, & alia eius-
D modi, quæ differentiam naturarum Christi secundum substantiam vnitarum declarant. Et præter cætera omnia, Cyrilli hypostases, & hominem ex virgine, & templum ex virgine. Deinde mixtionem & communionem, & naturalem cohæsionem, & Deificationem, & sanguinem Dei, & crucem, & passionem, & quod plus est, secundam verbi secundùm carnem generationem, cum iidem alioqui dicant, non tamen isti audiunt. Et quid opus est dicere de vnione secundùm substantiam, & de hypostasi duarum naturarum, quibus nihil est magis vnum, & naturaliter cohærentius?

Primum igitur, illud est consideratione dignum, quod non est nobis de vocibus controuersia, sed de modo totius mysterij Christi. Hoc autem non simpliciter ex hac, aut illa voce, aut ex quibusdam verbis est approbandum, aut accusandum, sed ex primis principiis. Circa hæc
E enim omnis hæresis controuersatur. Post principia enim omnes inter se de vocibus conueniunt, ita vt ipsarũ scripturarum voces sibi vindicent eas ad proprium scopum accommodantes. Quæ vero sunt horum principia? modus scilicet vnionis secundùm substantiam, & secundum habitudinem factus; vt esset in humanitate perfecta verbum, quod in nobis homo interior secundum Apostolum συνυπάρχων, id est, consubsistens, & ad ad totius definitionem pertinens post vnionem, sicut patres, qui Paulum Samosatensem deposuere, enunciarunt. Sed neque eos, qui è contrario nobis stant contra veritatem, qui voces sibi vt arbitrantur, aptas proferunt, curamus tanquam eis nos vtentes cum ipsis, aut fictionem naturæ, aut confusionem profitemur, neque quæ à nobis ipsis

prosequuntur ad defendendam, quam putatis, fictionem diuinitatis, aut vanam spem vestram in homine puro, tanquam à patribus prolata, admittimus; quia, vt dixi, non de vocibus nobis est disceptatio, sed de ipsis rebus, & harum vnione, & naturali cohæsione, quam patres secundum substantiam factam esse senserunt: vos autem secundum habitudinem, & voluntatem eam introducitis: & ista vnione anthropolatriam per vim munitis, quo quid esse potest magis impium? Solius enim impietatis Pauli, Marcelli, Photini, Nestorij, & Theodori erat sic sentire, qui apertè Christum hominem tantum esse definierunt; quod quidem vnusquisque priuatè, & in commune omnes diuini Ecclesiæ magistri concordi sententia accusarunt, & exploserunt; ac maxime postrema omnium Synodus Chalcedonensis, omnium Sanctarum Synodorum antegressarum sigillum & obsignatio, quæ vestrum propugnaculum impietatis funditus euertit, & Symbolum fidei roborauit, atque vestræ impietatis euersorem, illustribus præconiis prædicauit vere Leonem, qui contra Eutychem dolosam vulpem iuste surrexit, & abditam impietatem confutationibus dissipauit, & extinxit, quem Synodus laudibus, quæ eum decebant, celebrauit.

quare in Synodo Calced. non fuit damnatus Apollinarius neque Theodorus Mopsuestia, neque Diodorus.

42. At illi quidem, inquiunt isti, damnati sunt, horum vero nullus. Hoc ô boni viri, non ex innocentia reportarunt, sed ex nimio studio, quod, vt laterent, adhibuerunt; non enim patiebantur efferri in vultus impietatem, quia neque sibi tutum esse sciebant. Præterea Ariana tunc hæresis feruens, & tanquam vehemens flamma Ecclesias depascens, multis otium dedit ad latendum interea, vt Apollinario, & Macedonio impijs. Conuenit hîc illud in arte medicinæ tritum dicere; cum duo morbi in corpore dominatum obtinent; vehementior obscurat minorem. Hac ratione, & via Apollinarius tanquam quidam splen creuit, (vt secundum vestrum doctorem dicam, & aliquid, etiam in arguendo vobis largiar) in totius corporis ægrotationem magnitudinem præter naturam capiens. Eodem exemplo possum vestra conferre. Studium patrum in maxime necessariis, & maxime vrgentibus rebus occupatum, fecit vt vestræ impietatis parentes, & authores laterent, præsertim cum in iis, quæ ad Trinitatem pertinebant, fingerent se vna cum ipsis aduersus hostes Trinitatis pugnare: & eo modo beneuolentiam simularent, specie, ac simulatione idem sentiendi latebras sibi præparantes. Difficillima enim res est ad deprehendendum malitia simulatione beneuolentiæ tecta.

43. Verum in anathemate infœlicissimi Nestorij (verè enim infœlix est, qui solus cædis supplicium sustinuit, cum ab aliis pugionem tulisset) ipsi simul eiecti sunt. In discipulo enim perfecto, vt ait scriptura, sicut magister eius est, fructus laborum suorum decerpserunt. Tametsi hoc si quis inquirat, reperiet eos accusatos cùm ab aliis multis frequenter, tum ab ardentissimis impietatis vestræ insectatoribus Cyrillo, & Proclo. Ex quibus ille totam accusationem contra eos instruxit. Quamuis quidam defensionem scribere voluerunt, quæ copiosius argumentum accusationis afferebat. Hic autem, id est, Proclus Epistolam ad Armenios scripsit. Huic Epistolæ subiecit capita blasphemiarum Theodori ad ostendendum illius impietatem. Quid autem opus est dicere de Sancto Rhambulo episcopo Edesseno, viro, vt aiunt, Propheta? cuius fiduciam, atque confutationem postquam qui tunc erant impietatis Theodori sectatores, pati non potuerunt, post multa pericula illius, dolo aggrediuntur, vni ex ijs, qui intus erant, negotio commisso. Si igitur hac via vobis persuaserimus, & tandem mutari volueritis, veritatem magis quam personas honorantes, hoc melius, & Deo gratias agemus: sin minus vos quidem deflebimus fletu, & lamentis dignos; nos vero faciemus, vt ipsi ex Deo pen-

A deamus, & in beata spe nixi nunquam desistemus ab ea, quam patres nostri habuerunt, & hanc amantissimè per successores intemeratos nobis transmiserunt, & tradiderunt, hoc solum lucri à nobis reportantes, vt depositum eorum sine offensione custodiamus, quod Ecclesia Sancta sine imminutione, & accessione custodire perseuerat, & perseuerabit vsq; ad magnum & illustrem aduentum magni Dei & Saluatoris nostri Iesu Christi, cui gloria & imperium in sæcula. Amen.

PROLOGVS AVTHORITATVM THEOdori, & aliorum hæreticorum.

B EX blasphemijs Theodori pauca ex multis proponere studuimus, ad ostendendum fatuitatem eius surdam circa dogma, vt ex his fidem faciamus, nihil contra eum nos finxisse, aut contra eos, qui cum eo sentiunt. Si enim facile esset scripta eius reperire, non pigeret nos, in omnibus capitibus de quibus eum accusauimus, ipsum illum testem producere. Quia vero nos vix & magno labore, & multis cogitationibus vsi librum eius contra Incarnationem reperire potuimus; vehementer eum obseruant, & cauent nullius libros cum ijs, qui non sunt in illis instituti, communicent: ob hanc causam ea solum, quæ contra Incarnationem saluatoris dixit, nunc colligere potuimus; si quis vero non adhibuerit fidem, & ei vacat, & est animus, quærat quæ vanè elaborauerit in Genesim, & in Librum

C contra Iob, & prauam interpretationem in Epistolam ad Hebræos, & in Epistolam ad Corinthios, & ad Galatas, & quæ contra Magusæos scripsit, & præmeditationem exsecrantem in sacros Psalmos, & quæ pro Eunomio contra Basilium scripsit: Sic ego voco totam eius apologiam omni accusatione plenam: item enarrationes turbidas, & blasphemas in Euangelium Matthæi, Ioannis, & Lucæ, & ipsorum Sanctorum Apostolorum, & Euangelistarum superbas quas ausus est, reprehensiones, & alia eius opera, ne singula enumerem; & videbit profundum omnis impietatis Marcionis, & Valentini; adde etiam execrabiliorem, & magis impiam sententiam, & susceptum scelestius, quam Manichæi, fontis malorum: nos vero, vt diximus, ne

D videremur, quæ contra eum à nobis dicuntur, sine testibus dicta relinquere, multis vitus, & cogitationibus vsi, solum quod incarnationem composuit, reperire potuimus. Si autem Dominus permiserit, & tempus nos non deficiet, alium librum contra eum componemus, in quo per otium vnamquamque impietatem eius ex ipsius libris colligemus, & cũ quo ex hæreticis vnaquæque cognationem habeat, ex authoritatibus eius demonstrabimus. Quin etiam totam eius amentiam, & quam habeat contra omnes patres sententiam in omnibus contrariam eis, ex sanctissimis eius operibus ostendemus. Adhæc, confutationibus aduersus eum vtemur. Nunc autem contenti sumus ea accusatione breui contra

E eum composita, ne penitus latens, simplicioribus noceat; cognoscant, qui eum sectantur, hunc se commendare, & defendere, cuius nec impietatem facile est assequi, vel si quis maxime velit.

Theodori Hæretici ex libro eius contra Incarnationem. 7.

Lege S. Thomam lib. 4. contra Gentes c. 34. ubi cōtra Theodorum istum & Nestorium doctè disputat.

SI enim intelligamus, quomodo fit inhabitatio, sciemus etiam modum, & quæ differentia modi. Inhabitationem igitur alij quidem dixerunt factam esse substantia, alij vero energia. Excutiatur igitur, an aliquid horum sit verum. Ac primum nobis illud sit concessum, vtrum in omnibus inhabitat, an non? Sed quia in omnibus, manifestum est, hoc enim tanquam quid eximium, Sanctis Deus pollicetur: *ἐμπεριπατήσω ἐν αὐτοῖς.*

aut denique his, quos velit ipsi dedicatos esse. Aut quid igitur promittebat, cum ait, Inhabitabo in eis, & inambulabo, & ero eorum Deus, & ipsi erunt mihi populus: tanquam largiturus illis aliquid egregium, siquidem omnes homines communiter hunc participant? Quare si non in omnibus inhabitat, hoc enim manifestum est, non dico in omnibus quæ sunt solum, sed nec in omnibus hominibus, oportet esse propriam quandam rationem inhabitationis, qua in illis adest solum, in quibus inhabitare dicitur. Atqui dicere substantia quidem inhabitare Deum maximè indecorum est. Necesse enim alioqui sit, in his solis substantiam eius includere, in quibus inhabitare dicatur: & erit extra omnia alia, quod absurdum est dicere in natura infinita, quæ vbique est, & nullo loco circumscribitur, aut si dicant, vbique Deum esse ratione substantiæ, necesse erit eum omnibus inhabitationem eius communicare, & non solum cum hominibus, sed cum animantibus ratione carentibus, & cum inanimatis; si dicamus inhabitationem eius substantia fieri. Vtrumque horum est indecorum. Dicere enim inhabitare in omnibus Deum absurdum esse certum est manifeste, & substantiam ei circumscribere, non decet; immo impium est: dicere igitur fieri substantia inhabitationem, stultissimum est.

Idem dici potest in energia, siue operatione. Aut enim rursus necesse est operationem illi circumscribere in his solis, (in quibus scilicet inhabitat) & quomodo verum erit, omnia Deum procurare, & omnia gubernare, & in omnibus ipsum operari, quæ conueniunt? Aut impartientes omnibus ipsius operationem, quod quidem decens est, & consequens, siquidem omnia ab eo infirmantur, vt vnum quodque consistat, & secundum naturam suam operetur, in omnibus inhabitare eum dicemus. Igitur neque substantia, nec operatione fieri inhabitationem Dei dici potest. Quid igitur relinquitur? Qua ratione vtemur, quæ in his videatur seruare proprium? Manifestum ergo est, quod oporteat dicere fieri inhabitationem εὐδοκίᾳ, id est, beneplacito: εὐδοκία vero, id est, beneplacitum est optima voluntas Dei, quam faciet in iis acquiescens, qui studuerunt se ei dicare ἀπὸ τοῦ εὖ καὶ ἀρεστὰ δοκεῖν αὐτῷ περὶ αὐτῶν, id est ex eo dicto verbo, quod bene, & bona placeant Deo de illis, sic verbum secundum consuetudinem scripturæ accipitur. Sic ait Dauid, non in fortitudine equi voluntatem habebit, nec in tibiis viri beneplacitum erit ei, beneplacitum est Domino super timentes eum, & in iis, qui sperant in misericordia eius, hoc dicit, quia non alios vult adiuuare, neque cum aliis operari, nisi cum iis, qui timent eum, hos magni æstimat, hos adiuuare, & protegere illi placitum est. Sic oportet dicere de inhabitatione. Infinitus enim cum sit, & natura incircumscriptus, adest omnibus, beneplacito autem ab aliis longe abest, aliis proximus est. In hanc enim sententiam dicitur: prope est Dominus contritis corde, & humiles spiritu saluabit: & alias: ne proiicias me à facie tua, & Spiritum Sanctum tuum ne auferas à me. Proximus fit affectione iis, qui hac propinquitate digni sunt; & rursus longinquus efficitur peccantibus; neque natura separatus, neque hac propinquior factus, habitudine vero voluntatis vtrumque efficiens. Sicut igitur beneplacito efficitur propinquus, & longinquus, (liquet enim ex iis, quæ dicta sunt, quid dicamus εὐδοκίαν, id est, beneplacitum, idcirco enim quid sententiæ hoc nomen declararet, omni diligentia interpretati sumus.) Sic etiam beneplacito facit inhabitationem, non quidem circumscribens in his substantiam; vel operationem, ab aliis vero separatus, sed potius omnibus adest substantia, separatus vero habitudine σχέσεως, id est, affectionis ab indignis. Hoc enim modo magis seruatur illi incircumscriptio, si videatur non tanquam cuidam necessitati seruire incircumscriptioni naturæ suæ. Si enim qui vbique adest substantia, adesset etiam beneplacito aliter rursus seruire necessitati reperiretur, non iam secundum voluntatem præsentiam exhibens, sed habens volontatem infinitati naturæ consequentem. Quoniam vero omnibus adest natura, & separatus est voluntate à quibus vult, nullam vtilitatem indignis à præsentia Dei reportantibus, vera & integra incircumscriptio naturæ ei seruatur.

Si igitur aliis quidem adest beneplacito, ab aliis vero separatus est, vt si substantia à reliquis separatus, cum his esset. Quemadmodum igitur inhabitatio fit beneplacito, sic beneplacitum, modum inhabitationis variat. Quod enim inhabitationem efficit Dei, & quod ratione substantiæ vbique præsentem, in quibusdam & valde paucis inhabitantem facit, hoc prorsus modum inhabitationis χαρακτηρίζει, id est, designat. Sicut enim substantia omnibus præsens, non in omnibus inhabitare dicitur, sed in iis, quibus adest beneplacito; Sic quamuis inhabitare dicatur, non tamen omnino æqualitas inhabitationis reperitur, quin potius modus inhabitationis consentaneus erit beneplacito. Cum ergo vel in Prophetis, vel in Apostolis, vel denique in iustis inhabitare dicitur, tanquam in iustis εὐδοκῶν, id est, beneplacens, inhabitationem facit, veluti in virtute præditis acquiescens. In ipso tamen (Christo scilicet) non sic dicimus factam esse inhabitationem, nunquam enim eò dementiæ procedemus, sed tanquam in filio. Sic enim beneplacens inhabitauit.

Sed quid est, tanquam in filio? Quia scilicet cum inhabitasset, totum quem assumpserat, sibi vniuit, & fecit eum comparticipare totum honorem, quem, qui inhabitabat natura filius, communem cum eo habere voluit. Vt ad vnam quidem personam pertineret secundum vnionem cum ipso, sic autem omnem principatum eum eo communicare, & sic omnia in eo agere voluit, vt iudicium totius mundi, & examinationem, per ipsum, & aduentum eius facturus sit. Ita scilicet vt differentia in iis, quæ secundum naturam propria sunt, intelligatur.

Eiusdem ex eodem libro.

Sicut igitur etsi in futuro corpus & anima nostra perfectè spiritu gubernabitur, velut primitias tamen quasdam ex parte hinc habemus, quatenus spiritu adiuti non cogimur sequi cogitationes animæ: sic Dominus etsi postea omnino habuit in se Deum verbum vniuersè operantem, & omnem operationem ab eo inseparabilem, antea tamen habuit quam maxime operantem in se plurima, quibus opus erat, sinebaturque interea ante crucem propter vtilitatem propter propositio virtutem pro nobis implere, incitatus vero ab eo in his, & confirmatus ad perficiendum, quæ facere oportebat. Habuit enim statim à principio cum in vtero formaretur, vnionem eum ipso. Cum vero eius ætatis fuit, quæ natura in hominibus idonea est ad discernendum prauum à recto, immo ante illam ætatem breuius, & celerius quam reliqui homines facultatem discernendi ista ostendit. Siquidem aliis hominibus non omnibus similiter vno tempore vis discernendi ingeneratur: alij namque velocius maiore prudentia ea quæ conueniunt, assequuntur; alij diutius exercitatione hoc comparant. Quod quidem eximiè ipsi præ cæteris hominibus celerius quam pro communi reliquorum hominum ætate euenit. Sane oportebat consentaneè, vt plus aliquid in iis quæ ad hominem pertinent, haberet, atque eo magis, quod non ex coniunctione viri & mulieris secundùm communem hominum naturam formatus erat, sed diuina Spiritus sancti operatione.

Habuit etiam propensionem non vulgarem ad meliora ex vnione cum verbo, qua habitùs est dignus secundùm præcognitionem filij Dei, qui à principio sibi eum vniuit. Propter hæc omnia statim cum discretione cepit

magnum

magnum odium mali, vehementi & indissolubili amore se Deo adiungens operationemque verbi proposito suo congruentem recipiens, immutabilis deinceps ad deterius esse perseuerabat, tum quod ipse hac voluntate esset; tum quod operatione verbi Dei hoc illi propositum seruaretur. Capessebat autem facilitate absolutissimam virtutem, siue cum legem seruaret ante baptismũ, siue cum vitam communem in statu gratiæ post baptisma susciperet, cuius nobis formam præbebat, via quædam nobis ad hoc factus. Sic deinde post resurrectionem, & ascensum in cœlos demonstrauit se ex propria voluntate dignum vnione, qui hanc antea assumpserat in ipsa formatione beneplacito Domini, & perfectam deinde exhibet vnionis ostensionem, nullam habens separatam, aut abscissam operationem verbi Dei, qui Deum habebat omnia in seipso operantem propter vnionem cum eo.

Hæretica interpretatio loci Isaiæ. Sic igitur ante crucem quidem & esurire videmus, & sitire, scimus, & timere intelligimus, & ignorare reperimus. Siquidem propositum virtutis è seipso συνεισέφερε id est, conferebat, testis horum est Esaias Propheta, cum ait, quoniam antequam sciat puer cognoscere bonum & malum repugnabit malo, vt eligat bonum scilicet discretione illud quidem odio habens: hoc vero diligens. Discretione enim inter meliora, & deteriora facta electio fit. Quomodo igitur priusquam sciat puer, hoc fit? Id est, priusquam ad eam ætatem veniat, in qua reliqui homines quæ agenda sunt, discernere consueuerunt. Quippe cum plus aliquid, & eximium quid ille præ cæteris hominibus haberet. Et enim si adhuc apud nos sæpenumero reperiuntur pueri quidem ætate, multam vero intelligentiam præ se ferentes, ita vt in admirationem adducant eos, qui vident, quia maiorem quàm pro ætate prudentiam ostendunt, multo magis oportebat, vt ille homo cæteros omnes homines ei similes superaret.

Eiusdem ex eodem libro

ἐπιτείνοντος τοῦ ὑπ᾽ αὐτῷ Πνεύματος. Hæretica interpretatio loci Euangelici. IESVS autem proficiebat ætate, & sapientia, & gratia apud Deum, & homines. Ætate quidem proficit, processu temporum; sapientia vero, secundum progressum temporum intelligentiam acquirens; gratia autem, suscipiens virtutem & intelligentiæ, & cognitioni consentaneam, deinceps gratiæ quæ illi erat apud Deum, accessionem & incrementum accipiebat. Et in his omnibus proficiebat apud Deum & homines. Homines quidem progressum videbant: Deus vero non videbat solum, sed testimonio approbabat, & in iis, quæ fiebant, cooperabatur: Illud igitur est etiam manifestum, quod tanto perfectius, & maiore facilitate virtutem exequebatur, quam reliqui homines exequi poterant, quanto Deus, qui in principio ipso formationis eius sibi eum vniebat, maiorem è se cooperationem illi præbebat, ad perficiendum, quæ opus erant ad salutem omnium omnia illius gubernans, & ad perfectiora incitans, ac labores illius, siue ad animam, siue ad corpus pertinerent, ex maiore parte alleuans. Atque ita complexionem virtutis maiorem, & leuiorem illi conflabat.

Eiusdem Hæretici ex eodem Libro.

VNitus enim fuit Deo à principio assumptus secundum præcognitionem, in ipsa formatione in vtero facta vnionem sortitus. Habitus vero dignus vnione, omnia adeptus est, quantum par erat adipisci hominem vnigenito, & omnium Domino vnitum, tanto maioribus donatus præ cæteris, quanto magis eximia vnio ei accidit. Donatus igitur est inhabitatione Spiritus primus ante cæteris, donatusque est hac, non similiter vt reliqui. Hic enim totam gratiam Spiritus in se recepit; alus vero ex parte præbuit totius Spiritus

A participationem. Sic autem factum est, vt totus spiritus in eo operaretur, Qui igitur loquebatur, quatenus vox sonabat, homo erat. Vis autem eorum, quæ dicebantur, multiplex, & varia.

Eiusdem Hæretici ex libro 8.

Hæretica interpretatio loci Euangelici. ET ego gloriam, quam dedisti mihi, dedi eis. Quamnam? Nempe participare adoptionem. Hanc enim accipit ipse secundum humanitatem baptizatus primum in Iordane, in quo nostrum baptisma, tanquam in figura exprimebatur; & regeneratio confirmabatur testimonio vocis, eius qui dixit. Hic est Filius meus dilectus, in quo bene complacui: & spiritus descendens mansit super eum, sicut futurum, erat, vt nos etiam in B ipso hunc spiritum participaremus; qui quidem excellentius præ nobis, per vnionem cum verbo, ipsi aduenit hæc participanti, quæ filius secundum naturam.

Eiusdem ex eodem Libro.

EX omni igitur parte manifestum est superuacaneam esse, & indecoram, atque discrepantem confusionem, cum vnaquæque natura in se indissolubiliter maneat. Rursus manifestum est, aptam & congruentem esse vnionem. Per hanc enim naturæ copulatæ vnam personam secundum vnionem constituerunt. Quare quod Dominus in viro, & vxore ait, quamobrem non iam sunt duo, sed vna caro; dicere nos consentaneè possumus secundum rationem vnionis, non sunt iam duæ C personæ, sed vna, scilicet naturis discretis, vt enim illic in viro scilicet, & vxore non lædit numerum duorum, quod vna caro dicatur, manifestum est enim quatenus vna dicuntur caro: sic hîc non lædit differentiam naturarum vnio personæ. Cum enim naturas discernimus, perfectam naturam Dei verbi dicimus, & perfectam personam: neque enim licet dicere hypostasim sine persona. perfectam vero etiam naturam hominis, & personam similiter. Cum tamen ad copulationem respicimus, vnam personam tunc dicimus.

Eiusdem ex eodem libro.

EOdem modo hic propriam dicimus verbi Dei substantiam propriam etiam hominis, discretæ enim D sunt naturæ: vna vero persona vnione constituta. Quare hic etiam cum naturas discernere aggredimur, perfectam personam hominis dicimus: perfectam item diuinitatis. Cum vero vnionem spectamus, tunc vnam personam prædicamus ambas naturas compositè humanitate honorem a creatura accipiente, & diuinitate omnia quæ oportebat, in ipsa operante.

Eiusdem ex libro 9.

Hæretica interpretatio loci Euangelici. HIc igitur, illud factum est, non aliter dici posse reperimus, quam pro eo quod est τὸ δοκεῖν. id est, videri quidem in scriptura diuina, & maxime in Domino superius in aliis diligentius docuimus, quatenus enim apparebat, siue videbatur, verbum caro E factum est, videri autem siue apparere non significat hic, non accepisse carnem veram, sed non factum esse carnem Quando enim dicit, accepit, non secundum speciem apparentem, sed secundum veritatem accepisse dicit, quando vero dicit factum est, tunc κατὰ τὸ δοκεῖν, id est, secundum speciem apparentem, non enim mutatum est verbum in carnem. Aduertenda est igitur mens Euangelistæ, sic enim vim dicti cognoscemus.

Ex eodem libro.

Significat Hæreticus. QVod nobis dicitur secundum habitudinem in loco, hoc in Deo dicitur secundum habitudinem

secundum habitudinem voluntatis intelligi quod ait scriptura, verbum caro factum est.

voluntatis. Sicut enim dicimus in nobis, γέγονα in hoc loco, hoc est, factus sum, profui; sic in Deo dicimus, γέγονε, id est factus est in hoc, quia quod in nobis facit transitus ex loco in locum, hoc fecit voluntas in Deo qui secundum naturam vbique est.

Eiusdem ex libro siue serm. 10.

APparuit autem ei Angelus de cœlo confortans eum & factus in agonia prolixius orabat, & factus est sudor eius sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram. Intelligimus ergo ex his sustinuisse quidem Christum manifeste certamen non vulgare.

Eiusdem ex eodem.

QVam vero consecutionem habebit quod dictum est, qui descendit de cœlo, & est in cœlo? Alterutrum enim altero tollitur. Descendisse de cœlo tollit esse in cœlo; & esse tollit descendisse. At descendit quidem secundum inhabitationem in homine; est autem in cœlo secundum incircumscriptionem naturæ omnibus præsens.

Eiusdem ex eodem.

COnsideremus igitur, quis homo est, de quo obstupescit, & admiratur, quod scilicet vnigenitus voluit eius meminisse, & visitationem eius facere, quod autem non est dictum, in superioribus demonstratum est; quod autem neque de vno quopiam è vulgo, & hoc liquet: vt vero omnia omittamus, quod est omnibus credibilius, Apostolicum testimonium amplectamur.

Ex libro siue sermone 12.

IDcirco non dixit, locutus est nobis ἐν τῷ υἱῷ: id est, in filio cum articulo Græco, sed ἐν υἱῷ, id est, in filio sine articulo, (quod quidem dictum absolute poterat significare vtrumque in eodem) κυρίως, id est, principaliter significans filium verum scilicet cum articulo, filium verum dico, eum, qui naturali generatione filiationem habuit; consequenter vero significans eum, qui filiationem συνεπιδέχεται τῇ σημασίᾳ, id est, filiationem consuscipit significatione, & secundum veritatem dignitatem participat vnione cum verbo facta.

Eiusdem ex eodem.

NVnquid desistent deinceps à pugna inuerecunda? Discedent ne in posterum à vana contentione reuerentes quod aperte dictum est? multos enim, inquit, filios in gloriam adduxit, ecce igitur Apostolus, qui in ratione filiationis numerat cum multis hominem assumptum, qui non similiter vt illi, filiationem participant, sed quatenus per gratiam filiationem assumpsit, sola diuinitate naturalem filiationem habente. Liquet enim illud, quod præcipua ratio filiationis præter cæteros homines inest in ipso ex vnione cum verbo: vnde in voce filii simul cum eo intelligitur, & simul accipitur. Sed contra aiunt, si dicamus duo perfecta, necessario duos filios dicemus. Sed ecce, filius dictus est in diuina scriptura, sublata diuinitate cum reliquis hominibus secundum idem collocatus, & numeratus, neque continuo dicimus duos filios. Vnus vero filius concedetur, quia diuisio, siue discretio naturarum necessario debet permanere, & vnio personæ insolubiliter custodiri, & postquam dixit multos filios in gloriam adduxit: subiungit, authorem salutis eorum per passionem consummare. Videte quomodo perspicuè dicit consummasse verbum per passiones hominem assumptum, quem authorem salutis eorum vocauit, quippe qui primus hac salute dignus habitus, etiam aliis fuit salutis causa.

Eiusdem ex eodem sermone siue oratione.

HIs enim omnibus secundum expositionem nomen filii imponunt, cum enim sint humana quæ dicuntur, æquum esse iudicabant vti hac voce, quam quidem contigit esse eius appellationem: & quod nomen Iesus appellatio assumpti, sicut in Apostolis nomen Petri aut Pauli, aut aliud huiusmodi, sic ei impositum est post ortum ex Maria.

Eiusdem ex eodem.

SEd hoc dicunt, quod nomen Iesus significat Saluatorem. Saluator autem quomodo, inquiunt, dicatur homo? obliti, quod Iesus dicebatur filius Naue, & quod magis mirandum est, non sic ex quopiam casu fortuito vocatus est in ortu suo, sed mutato nomine a Moyse. Liquet autem nunquam illum passurum fuisse, vt hoc nomen homini imponeretur, si necessario diuinam naturam significaret.

Eiusdem ex eodem.

MVltifariam multisque modis olim Deum locutus Patribus in Prophetis, in nouissimis diebus locutus est in filio. Aperte hic, cum ait in filio, in homine dicit.

παντός;

Eiusdem ex eodem libro.

QVare non solum filium vocat separans eum à verbo, sed plane ostenditur collocare eum secundum rationem filiationis cum reliquis hominibus, qui filiationem participauerunt. Siquidem gratia etiam ipse filiationem participauit, non naturaliter ex patre genitus, habens tamen præ reliquis excellentiam, quoniam ex vnione cum verbo comparauit filiationem. Quod quidem magis propriam participationem te ipsi largitur.

τῇ συνα-φείᾳ.

Eiusdem ex eodem.

ET vocabis nomen eius Iesum; hic erit magnus, & filius Altissimi vocabitur. Ecce igitur quemadmodum Euangelizans ortum ex Maria secundum carnem, Iesum quidem vocari iubet, filium vero Altissimi vocandum esse prænuntiat. Consentaneè illud quidem imponi iubet tanquam nomen nati; hoc vero vocandum esse prædicit, quia erat honoris Symbolum nomen, quem honorat confirmabat deinceps rei participatio.

Eiusdem ex eodem libro.

MAnifestum autem est, quod in distinctione naturarum necessario nobis obseruatum est scire, quod Deus verbum secundum naturalem generationem filius esse dicitur, homo autem multo maiore dignitate filii, quam secundum ipsum conueniebat, frui dicitur propter copulationem cum illo filio.

Ex libro siue serm. 13.

QVi manifestatus est in carne, iustificatus est in Spiritu, iustificatum esse in Spiritu dicit, siue tanquam qui ante baptismum legem, quia conueniebat diligentia, seruauit; siue tanquam qui post baptismum vitam in lege gratiæ, adiumento Spiritus sancti cum multa accuratione gerebat.

Eiusdem ex Eodem.

NEc enim quod à Ioanne dictum est ei, ego opus habeo à te baptizari & tu venis ad me, tollet, quin homo sit, qui baptizatur. Conueniet autem etiam secundum rationem humanitatis, quandoquidem secundum ipsam virtutem multo præstantior erat quam Ioannes, & propter naturam diuinitatis habitantem in eo non supra Ioannem tantum, sed supra omnes homines, immo supra creaturam dignitatem habere iuste agnoscebatur.

Ex

Ex eodem libro.

QVamobrem cum Dominus vellet in vsu cibi tolerantiam, & virtutem ostendere, hoc, inquit, non postulat necessitas, vt fiat. Sed docens minus se cibum curare, & nihil magis quam virtutem honorare, ait illi, non in solo pane viuit homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei.

Eiusdem ex eodem libro.

HOc enim diabolus studuit suadere illi, quod nulla esset Dei cura de eo, id circo aiebat, si Filius Dei es, fac hoc: id est, demonstrare ipsa, quod curam de te habet Deus. Ipse autem Diabolus magna promittebat, vt per illam suasionem à Deo illum alienaret & disiungeret: per promissiones vero sibi conciliaret, & adiungeret, & prima tentatione panem proponit, vt voluptate ad experientiam prouocaret.

Ex eodem.

QVocirca Dominus cum eum ter vicisset, victoriam de eo reportatam nobis donauit. Cum enim non petisset a Deo, vt fieret panis, demonstrauit se vincere voluptatem: cum vero non proiecit se deorsum, gloriam neglexit, suadens omnibus, non se hanc curare: tertia tentatione cum vicisset bona huius mundi, demonstrauit se proprietate in Deum nullis bonis mundi huius superari.

Eiusdem ex lib. 14.

HInc igitur tantus honor habitus est homini, qui habitus est dignus inhabitatione diuina, & vt sederet ad dexteram Patris, atque ab omni creatura coleretur: nec enim Deus sic simpliciter, & sine aliqua vtili ratione hominem assumeret, sibique vniret, faciens vt ab omni creatura adoraretur, iustumque esse vellet, vt naturæ intellectiles eum colerent nisi quæ circa illum facta sunt commune omnis creaturæ beneficium essent.

Ex eodem libro.

HOc ipsum dicemus iuste etiam in Domino, quod Deus verbum cum sciret eius virtutem, vt qui secundum præcognitionem statim a principio in ipsa formatione voluit inhabitare in eo, & sibi eum vnire habitudine voluntatis, maiorem quandam gratiam ipsi præbebat, vt pote gratia in eum collata, ad homines deinceps manatura. Vnde & propositum ipsi circa honesta sincerum, & incorruptum seruabat. Non enim hoc dicemus, quod nihil propositum habebat hic homo, sed potius, quod propositum sibi habebat quod honestum erat: immo plurimus illi honestatis, & virtutis amor secundum propositum inerat, & vehemens odium in contrarium. Seruabantur autem illi integra, quæ ad propositum pertinebant, a diuina gratia, sciebat quippe Deus optime a principio, qualis esset, & ad huius rei confirmationem multam ei operam inhabitatione sua pro salute nostra adiungebat. Vnde non potest dici iniustitiæ esse, aliquid eximium præ cæteris omnibus tributum esse homini à Deo assumpto.

Eiusdem ex libro 15.

CVm igitur interrogant, an sit Maria ἀνθρωποτόκος ἢ θεοτόκος, id est, hominipara, an Deipara, dicatur à nobis vtrumque, illud quidem natura rei; hoc vero relatione. Hominipara quidem natura, quandoquidem homo erat qui in ventre Mariæ fuit, & ex eo prodiuit. Deipara vero quia Deus erat in homine, quem peperit: non circumscriptus secundum naturam, sed in ipso existens secundum habitudinem voluntatis.

Eiusdem ex eodem libro.

MAgis enim perturbabatur dominus, magisque certabat cum passionibus animæ, quam corporis, & fortiore ratione voluptates coercebat, diuinitate scilicet media adiuuante eum ad perficiendum.

Eiusdem hæretici Theodori ex libro quarto contra Apollinarium.

DIxisti dedisse tibi quosdam ex nostris, quæ à nullo data sunt eorum, qui studuerunt Ecclesiasticam sententiam amplecti. Percunctabamur enim, an confiterentur, deum verbum factum esse hominem? Aut quomodo induxisti, illud dederunt? Aut quis mente præditus dicat, vt vos dicitis, verbum factum esse hominem, nisi prius ex amentia vestra ægrotet, nos enim assumpsisse quidem hominem asseueranter dicimus, factum vero esse hominem, vt vos sentitis, nunquam dicere possumus.

Eiusdem ex eadem tractatione liber tertius, tanquam ex persona Christi sit ait.

EGo, quem videtis, nihil quidem facere possum secundum propriam naturam, quippe qui sum homo, operor vero, quia manens in me pater omnia facit, quia enim inquit, ego in patre, & pater in me, deus autem verbum vnigenitum in me, patet quod pater cum ipso in me & manet, & opera facit. Neque mirandum est, quod hoc in Christo existimemus, cum ipse aperte dicat de reliquis hominibus, qui diligit me sermonem meum seruabit: & pater meus diliget eum: & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus. Si enim apud vnumquemque talium pater, & filius mansionem faciunt, quid mirum, si in domino Christo secundum carnem, ambo simul existimentur manere communione secundum substantiam, admittente, sicut consentaneum est, communionem participationis.

Ex eadem tractatione libro 4.

QVi est, inquit, ante secula, factus est in nouissimis, hoc rursus dicit tanquam quidam hoc dedissent, & hoc dicerent, cum nemo eorum, qui pii esse studuerunt, morbo binus dementiæ laborare voluerit vt diceret eum, qui est ante secula, factum esse in nouissimis diebus.

Et post alia.

IGitur sequentes leges vestras, & conuersionem acuminis tui, immo euersionem amplectentes, & approbantes, age confundamus omnia in ipso: & nulla sit deinceps distinctio non formæ Dei, non forma serui, non templi assumpti, non habitantis in templo, non templi soluti, non excitantis templum, non, consummati in passionibus, non eius, qui consummauit, non memorati, non memorantis, non visitati, non visitantis, non minuti paulominus ab Angelis, non minuentis, & non gloria & honore coronati, non coronantis. Non constituti in opera manuum Dei, non constituentis, non accipientis ea in subiectione, non dantis subiectionem.

Quid est homo quod memores eius.

Ex libro 3. eiusdem tractationis.

SEd Deus & ex Deo, consubstantialis patri inerat (ô admirande) in genito ex Virgine, & ab Spiritu sancto secundum scripturas formato, & in ventre muliebri concreto, vt par erat, postquam simul vt formatus est, accepit, vt esset templum Dei, non tamen existimandum est nobis genitum esse deum ex Virgine, nisi putandum est nobis idem esse genitum, & quod est in

genito, templum, & verbum, quod est in templo, neque, vt tu loqueris, dicendum nobis est vllo modo, genitum ex Virgine Deum esse ex Deo consubstantialem patri. Si enim non est homo, vt dicis, assumptus, qui ex Virgine natus est; Deus autem Incarnatus est, quomodo genitus, Deus ex Deo & consubstantialis patri dicetur, cum cato non possit hanc vocem admittere; Est enim fatum dicere, esse Deum ex Virgine genitum. Hoc enim nihil aliud est, quam dicere Deum esse ex semine Dauid, ex substantia Virginis editum, & in ipsa formatum, siquidem quod ex semine Dauid, & ex substantia Virginis concretum est in materno vtero, & virtute Spiritus sancti formatum, ex Virgine factum esse dicimus.

Eiusdem ex quarto libro contra Appollinarium.

HOminem vero, de quo hæc ait propheta, aperte declarat Beatus Paulus assumptum ab vnigenito hominem esse, cum enim, dixisset, testatus est autem in quodam loco quis dicens, quid est homo, quod memor es eius, aut filius hominis, quoniam visitas eum, minuisti eum paulo minus ab Angelis, gloria & honore coronasti eum, & constituisti eum super opera manuum tuarum, omnia subiecisti sub pedibus eius: subiungit, eum autem qui modico quam angeli, minoratus est, videmus Iesum propter passionem mortis gloria, & honore coronatum, clarè demonstrans quod Iesus est homo, de quo beatus Dauid loquitur admirans, quod diuina natura passa est memoriam, quidem eius haberi, & eum visitatione sua dignum habuit, ac paulo quidem minus ab angelis minuit, ac fecit, vt gustaret mortem, gloria vero, & omni honore induit; ita vt Dominum vniuersorum per copulationem cum eo declararet.

Eiusdem ex interpretation Psalm. 8.

PRopter hoc igitur differentiam hominis assumpti tantam nobis Psalmus demonstrat. Reperiuntur autem hæc diuisa in nouo testamento. Dominus quidem priora in Psalmo ad se ipsum refert, & de le accipit, in quibus ait se esse authorem creaturæ, magnificentiamque habere supra cœlos euectam, factumque se mirabilem in vniuersa terra. Apostolus vero secundam partem Psalmi de homine accipit & interpretatur, qui tanto beneficio filii dignus est habitus. Quomodo igitur non est perspicuum, quod diuina scriptura plane docet eos alium esse Deum verbum, alium vero hominem, ille memor est; huius memoria habetur, ille visitat; hic quod tanta visitatione habitus sit dignus, beatus prædicatur. Ille beneficij gratia paulo minus ab Angelis minuit; hic beneficium fert in huiusmodi minutione. Atque ille quidem gloria & honore coronat, hic autem coronatur, & in his laudatur. Ille constituit ipsum super omnia opera manuum suarum, & omnia subiecit sub pedibus eius. Hic autem habitus est dignus, vt horum Dominus esset, quorum prius potestatem non habebat.

" Atque hæc quidem impius Theodorus rabie in magnum Deum, & saluatorem nostrum Iesum Christum percitus blasphemè scripsit, dicens alium Deum verbum, & alium Iesum Christum: illum beneficio afficientem, hunc beneficio affectum, illum saluum facientem, hunc saluum factum. Qui autem hæc dicit, manifesto negat salutem per Christum allatam. Qui enim ab alio beneficium accipit, idest, qui factus est saluus, quomodo poterit alios saluos facere? Qui hæc sentiunt, cuius corpus & sanguinem se putant in communione sumere eius, qui beneficium contulit, an qui beneficium accepit? Si Dei verbi beneficium conferentis, quomodo hoc dicunt non confitentur eum incarnatum esse? Si vero beneficium accipientis, inanis est eorum spes Anthropolatriam profitentes. Et qui in homine spem collocant, maledicti sunt. Qui coluerunt, & seruierunt creaturæ præter creatorem, qui est benedictus in sæcula, Amen.

Necessarium existimaui, eius, qui fuit princeps authoris huius impietatis, paucas authoritates apponere, ex quibus licet perspicere, connexos fuisse ipsos in hac impietate.

Diodori ex libro primo contra Synusiastas.

HOrtor vos, vt muniti sitis, & firmi ad diligentem cognitionem dogmatum, perfectus ante sæcula filius, perfectum, quod ex Dauid assumpsit: Filius Dei, Filius Dauid. Dices mihi, duos igitur filios prædicas. Duos filios Dauid non dico, non enim dixit Deum verbum filium Dauid. Sed neque duos filios Dei secundum substantiam dico: nec enim dico duos ex substantia Dei, cum dico Deum verbum ante sæcula habitasse in genito ex semine Dauid.

Eiusdem ex eodem Libro.

GRatia filius, homo ex Maria natus, natura autem Deus verbum: illud gratia & non natura; hoc autem natura, & non gratia. Sufficiet corpori ex nostro genere filiatio secundum gratiam, gloria, immortalitas, & quod templum Dei verbi factum est. Ne eleuetur supra naturam: & Deus verbum loco actionis gratiarum, quam debemus, ne contumelia afficiatur, & quæ contumelia? Componere eum cum corpore, & existimare opus illi esse corpore ad perfectam filiationem. Nec enim ipse Deus verbum vult esse filius Dauid, sed Dominus. Corpus vero vocari filium Dauid non modo non inuidit, sed propter hoc venit.

Et post alia

ET quando de generationibus secundum naturam, fuerit sermo, ne filius Mariæ putetur Deus verbum, mortalis enim mortalem generat secundum naturam, & corpus generat consubstantiale. Et duas generationes Deus verbum non sustinebat, vnam ante sæcula, alteram posterioribus temporibus.

Eiusdem Diodori ex eodem libro.

SI quis voluerit Filium Dei Deum verbum nominare κατ᾽ χρηστικῶς, idest, per abusionem, filium Dauid propter templum verbi Dei ex Dauid, nominet, & genitum ex semine Dauid filium Dei gratia, & non natura vocet, non ignorans patres naturales nec ordinem peruertens, neque dicens incorporeum, & ante sæcula esse ex Deo, & Dauid, passum, & impassibilem.

Eiusdem ex eodem libro.

FIlius Dei propter nullum: caro filius propter filium, & quid dico propter filium? Propter nos caro. Et ne existimetis blasphemum esse verbum, petite demonstrationes. Si homines non peccassent, non opus fuisset lege, iusto enim non est posita lex. Si non amisissent peccatum qui erant in lege, non opus fuisset gratia. An quia non poterat lex peccatum occidere, non propter nos carnem sumpsit, vt morti, & sententiæ mortis remedium afferret crucifixus, & mortuus, ac suscitatus? Si non fecisset progressum fallacia, & sententia mortis contra nos, quid opus erat ista serratoris œconomia? Quid opus erat induere corpus? Nonne propter nos carnem accipit?

Sed tempus iam vocat nos vt primum parentem huius impietatis, a quo semina acceperunt, in medium afferamus. Hic est Paulus zizaniarum diaboli amatum, Samosatis ortum. Immo & Nestorij, qui fuit postremus illius

A illius radicis surculus, fructum pestilentem oportet publice vituperare, vt inter extrema par illustre, & blasphemum duorum interiectum, Diodorum dico & Theodorum, aptè & appositè locutum noscatur. Fortasse sero tandem poterunt ab ebrietate ad sobrietatem redire, si semel intellexerint, ad quos, & quantos malorum suorũ patres eorum prima cognatio pertineat; & quod ex illis hic postremus per intermedios ramus impietatis natus est, cuius fructum certatim metentes, satiari properant. Est autem proposita vtriusque confutatio Pauli scilicet & Nestorij ex testimonio publicè proposito, vt aiunt, ab Eusebio, qui tunc, florebat in iudicandi potestate, postea autem præfectus fuit Ecclesiæ Dorylensium, qui diuino zelo, vt B testantur, incensus primus hæresim Nestorij, & Eutychis deprehendit, & conuicit infinitis periculis pro pietate obiectus. Audi igitur eum, quibus, & cuiusmodi blasphemiis ex Paulo Samosatensi collectis, Nestorii blasphemias contexit, & vnam vtriusque mentem amentissimam esse demonstrauit. An vero ab harum Sirenum cantibus Theodori dico & oiodori canticum mortiferum discrepet, iis, qui sine periculo audire & iudicare possunt, iudicium committimus.

Testimonium in loco publico propositum, & in Ecclesia publicatum.

ADiuro eum, qui hanc chartam accepit, per sanctam C Trinitatem, vt ostendat Episcopis Presbyteris, diaconis, lectoribus, Laicis habitantibus Constantinopoli, ad huc etiam, vt exemplum eius det illis ad confutationem Nestorii hæretici, quod sentit idem cum Paulo Samosatensi anathemaozato ante annos centum sexaginta ab Episcopis Orthodoxis. Sunt autem, quæ ab vtroque dicta sunt, hæc.

Paulus dixit.

MAria non peperit Verbum. Nestorius consentiens, dixit, non peperit, ô bone Maria diuinitatem. Paulus dixit, nec enim erat ante sæcula. Nestorius dixit, & matrem ex tempore attribuunt Deo auctori temporum. Paulus dixit, Maria verbum suscepit, & non D est senior verbo. Nestorius dixit: quomodo igitur Maria antiquiorem se peperit? Paulus dixit, Maria peperit hominem nobis æqualem, Nestorius dixit, homo, qui natus est ex Virgine. Paulus dixit, præstantiorem in omnibus, quia ex Spiritu S. & ex promissionibus, & ex scriptis gratia in ipso. Nestorius dixit, vidi enim, inquit, Spiritum descendentem tanquam columbam, & manentem super eum, quod ei donauit assumptionem. Præcipiens Apostolis ait, quos elegit per Spiritum S. assumptus est, hunc dico Spiritum, qui tantam Christo largitus est gratiam. Paulus dixit, ne autem ex Dauid vnctus, alienus sit à sapientia, neque sapientia in alio sic habitet. etenim in Prophetis erat, magis autem in Mose, & in multis dominis, magis autem in Christo tanquam in templo. Et alibi dicit, alium esse Iesum Christum, & alium Deum verbum. Nestorius E dixit, non esse possibile eum qui est ante sæcula, alud genitum esse, idque diuinitate.

Ecce aperte dicit Nestorius, non est natus ex Maria, qui est genitus ex patre. Ecce conuenit cum Paulo hæretico, qui ait alium esse verbum, & alium Iesum Christum, & non vnum, vt fides recta prædicat. Hactenus testimonium.

Pauli Samosatensis.

HOmo vngitur; verbum non vngitur, Nazaræus vngitur, dominus non vngitur. Etenim verbum maius erat Domino Christo. Christus enim per sapientiam magnus factus est verbũ autem ἄνωθεν, id est, de supernis: Iesus autem Christus homo hinc. Maria verbum non peperit, nec enim erat ante sæcula Maria, non est senior verbo Maria; sed hominem nobis æqualem peperit, præstantiorem vero in omnibus, quia ex Spiritu sancto.

A *Eiusdem ex Dialogo contra Malchionem.*

VT nec vnctus ex Dauid alienus sit à sapientia, neque sapientia in alio habitet.

Eiusdem.

QVi videbatur, non erat sapientia, non enim poterat reperiri in figura, siue habitu; nec in spectatione viri, maior enim est iis, quæ spectantur.

Nestorii

MAgna res fuit Virgini Christiparæ parere humanitatem diuinitatis Dei organum, quod satis ei erat ad honorem excellentem genuisse scilicet mediatorem dignitate Dei copulatum.

B . Hæc nos pauca ex multis contulimus & comparauimus, vt ostenderemus consensionem, & conuenientiam horum cum antiquis hæreticis eorum patribus, potest, qui voluerit, legere Epistolam encyclicam scriptam contra Paulum Samosatensem à Sancta Synodo depositum, & dialogum, quem contra eum Malchion presbyter disputans scripsit. Certo enim cognoscet, quam verus illius discipulus sit Theodorus; fere enim eisdem verbis vtitur, vt horum libri non scripti, sed transscripti videantur, vel potius illa Pauli translata a Theodotio in sua. Quomodo autem de vnione sancti Patres, & Ecclesiæ, quas gubernant, à principio senserint, ex Sancto Synodo contra Paulum Samosatensem habita, clara licet cognoscere, in quibus, præter alia, de his eum accusant his verbis: Ait igitur in commentariis, (de Paulo loquuntur) seruare dignita- C tem.

Et post alia.

SI autem secundum formationem, & generationem copulatus erat, homini hoc accidere: & rursus, non enim congeneratam fuisse cum humanitate sapientiam, vt nos credimus, substantialiter, sed secundum qualitatem.

οὐσιῶσθαι,

Et post alia.

QVid autem vult dicere aliam esse, & diuersam formationem Christi à nostra, volentibus nobis in hac maxima vna re differre ipsius constitutionem à nostra quod scilicet in ipso sit verbum, quod in nobis homo interior.

humanitatem atebat Paulus vnitam esse cum sapiẽtia, sicut discipluarum cum discẽte per participationem,

Et postea.

D SI dicere habitasse in eo sapientiam, sicut in nullo alio; hoc modum quidem inhabitationis eundem declarat, mensura vero, & multitudine excellit; verbi gratia, duplo plus, aut quomodocumque amplius, vel minus duplo quam alij, cognoscente ipso à sapientia. Hoc autem nolunt Catholici, & Ecclesiastici, Canones, sed potius illos quidem participasse sapientiam foris inspirantem, quæ alia est apud ipsos ipsam vero sapientiam per se ipsam substantialiter in corpus ex Maria venisse.

Et post alia.

AC dicunt, non esse duos filios, si autem filius est Dei Iesus Christus, filius vero etiam sapientia, & aliud est sapientia, & aliud Iesus Christus, duo sunt filii.

Et postea.

E COpulationem vero cum sapientia aliter intellige, secundum disciplinam, & participationem, non autem secundum substantiam in corpore formatam.

Et post alia,

NEque Deus, qui corpus humanum ferebat, & induerat, passionum humanarum principaliter expers erat; neque corpus humanum diuinorum operum principaliter expers erat in eo, in quo erat, & per quem hæc opera faciebat. Formatus est principaliter vt homo in ventre: & secundario Deus erat in ventre συνουσιωμένη τῷ ἀνθρώπῳ, id est, copulata substantia eius cum homine.

οὐσιωθέντα

Nos dicimus quod homo exterior & interior sunt vna persona, sic Deus verbum, & humanũ quod negat hic Paulus;

Confutatio ex Actis contra Paulum Samosatensem à Malchione.

NOnne ante dicebam, quod non concedis filium vnigenitum, qui est ex æternitate ante omnem creaturã, in toto Saluatore οὐσίᾳ, id est, vnitum esse secundum substantiam?

Xx

Sancti Gregorii ex epist. prima ad Cledonium. Allata sunt in Synodo Ephesina contra Nestorium habita.

Lex parturitionis est, gestare in ventre, & libere. Athanas. aduersus eos, qui dicunt Christum esse vnam naturam compositã. Anima & corpus partes hominis sũt, quia neutrum horum sine altero consistit, neque naturæ definitionem conseruat. In Christo autem neque caro est pars verbi, neque verbum pars carnis: vtrũque enim horum perfectam naturam ostẽdit. Aliud est enim ex duabus partibus essentiam absoluere, vt in homine, aliud duas essentias coniungi, quarum vtraque perfecta sit in Christo.

SI quis non putat sanctam Mariam esse θεοτόκον, id est, Deiparam, separatus a Deo est. Si quis tãquam per eamem Virginis transisse, & non in ipsa formatum dixit, diuinè simul & humanè, diuinè quidam, quia sine viro, humanè vero, quia lege κυήσεως, id est, parturitionis, similiter impius. Si quis formatum esse hominem, & postea subisse Deum dicit, damnatus est, non enim est hoc generatio Dei, sed fuga agenerationc. Si quis introducit duos filios, vnum quidem ex Deo patre, secũdum vero ex matre, & non vnum & eundem, excidat ab adoptione filiorum promissa recte credentibus. Naturæ enim duæ Deus, & homo: siquidem homo est anima & corpus: filii vero non duo, neq Dei: B nec enim hic in anima scilicet & corpore duo homines, etsi sic Paulus appellauit quod est intra hominẽ, & quod extra. Denique si summatim dicendum est: aliud quidẽ, & aliud ea, ex quibus Saluator: siquidem non est idem inuisibile, quod visibile: nec idem sine tempore, quod sub tempore: non autem alius, & alius, absit. Vtraq; enim vnum in vnione Deus quidem factus homo: homo vero, factus Deus vel Deificatus: siue quo alio modo nominetur. Dico autem aliud quidem, & aliud, contra atq; in Sancta Trinitate, illic enim alius, & alius, ne hypostases confundamus; non autem aliud, & alius, vnum enim & idem diuinitate, tria. Si quis tanquam in Propheta dicit, secundum gratiam operatum esse, & non secundum substantiam copulatum, & conformatum esse, sit vacuus à meliore operatione, immo plenus contrario. C Si quis non colit crucifixum, sit anathema, & numeretur inter Deicidas. Si quis ex operibus perfectionem assecutum esse: aut post baptisma, vel post Resurrectionem filium esse adoptatum à Deo, sicut Gentiles quos falso ascriptos inter Deos introducunt, sit anathema, quod enim cœpit, vel progressum facit, vel perficitur, non est Deus, etsi propter ostensionem sui paulatim factam sic dicatur: sed qui erat natura Deus generatur homo, vt vnus sit vtrumque, perfectus in omnibus, naturalem, & verissimam generationem demonstrauit.

S. Gregorij Episcopi Nysseni ex Catechetico.

SEd parua, inquit, res est & facile præfinita, humana natura; infinita vero diuinitas. Quomodo igitur in- A finitum indiuiduo circumscribi potest? Et quis hoc dicit, quod circumscriptione carnis tanquam in vase quodam infinitas diuinitatis comprehensa est? Nec enim in vita nostra natura intelligens intra terminos carnis includitur. Quin potius magnitudo corporis suis partibus circumscribitur: anima vero motionibus mentis per omnem creaturam se facultate sua explicat, vsque ad cœlos ascendens, super abyssos inambulans, in latitudinem orbis perttadens; & ad inferiores partes terræ per curiositatem penetrans. Sæpe etiam miracula cœlestia considerat nihil a naucula corporis retardata. Si autem anima hominis corpori secundum necessitatẽ natura admixta vbique secundum potestatem adest, quid necesse est dicere natura carnis coercen diuinitatem, & non potius per exempla, quæ capere possumus, coniecturam quandam de diuina incarnatione ducere?

Non perficiebat sapientia & gratia Christus secundũ humanitatem nisi & vniuersaliter.

B

S. Ephram ex oratione in Margaritam contra Marcionem.

QVæ vides, & attrectas, sint tibi testimonium, natura scilicet, quam nescis explicare, quod filius sine semine nascitur, & duo contraria secundum substantiam conspirarunt ostensa hypostasi in vnaquaque natura.

Ex Synodica epistola S. Cyrilli ad Nestorium.

SI vero vnionem secundum hypostasim vel tanquam impossibilem, vel tanquam indecoram recusemus, incidimus in errorem dicendi duos filios.

S. Isidori Eremitæ ad Archibium Presbyterum contra Nestorium.

C

DIxisti te non intelligere illud, in quo habitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter; ego vero arbitror dictum esse corporaliter pro eo, quod est substantialiter. non enim operatio diuinitatis, quam substantia diuinitatis parit, templum illud purum, & impollutum gubernabat, sed substantia, quæ infinitas operationes habet: non particulare charisma, sed fons bonorum. Sic inquit, qui simul cum patre regnat, & gubernacula cœlestium tenet, & terrena moderatur, homo factus est.

Arbitror per omnia demonstratum esse, opinionem Theodori, & sectatorum eius eandem esse, quæ Pauli Samosatensis; & à Sanctis patribus differre, eisque aduersari. Pendeat ex potestate legentium adhærere veritati, & dare huic, vt ferat præmium victoriæ.

LEONTII BYZANTINI LIBER ADVERSVS EOS, QVI PROFERVNT NOBIS QVÆdam Apollinarii, falso inscripta nomine Sanctorum Patrum.

Nunc primum ex M. S. in lucem editus

Interprete Francisco Turriano Societatis IESV.

AD LECTOREM.

H*ÆreticOS cum veteres tam nouos non tantum impostores, sed &, vt sic loquar, suppositores esse testantur tot partus, quos magnis Authoribus quantumuis inscijs, & inuitis per summam fraudem subiecerunt, quorum in hoc genere technis prodendis integrum hunc librum elaborauit Leontius: qui etiam in libro de Sectis seu Hæresibus Actione VIII. hunc in modum scribit.* Adferunt (*Hæretici Eutychiani*) aliud quoque dictum, velut à beato Iulio profectum, quod extat in Epistola scripta ad Dionysium Corinthi Episcopum, cuius initium est: Miror de quibusdam audiens; estque dictum huiusmodi: Necesse est eos, cum duas naturas dicunt, vnam adorare, alteram non adorare, ac in diuinam quidem baptizari, in humanam vero non baptizari, aliaque plura ista hæc continet Epistola. Sed nos argumentis plurimis conuincimus, illam Epistolam non esse beati illius Iulii, sed Apollinaris, primum ex eo: quod si quis eam subtiliter consideret, nihil Iulii nomine dignum habeat: quin & septem illæ Epistolæ, quas eius esse dicunt, Apollinaris sunt. Deinde, quod in eadem Epistola corporis mentione facta, nusquam id mente preditum, vel animatum dixerit. Erat autem in more patribus illius sæculi, vt sicubi corporis mentionem facerent, idipsum mente præditum, animatumque dicerent: quod quidem vsque adeo verum, vt reformidantibus eis hoc crimen, ideoque deinceps illas voces: mente preditum & animatum, adiicientibus, nulli posteriorum libri reperiantur, qui hanc veterum appendicem non habeant. Præterea inde etiam non beati Iulii, sed Apollinaris esse demonstratur, quod Nyssenus ille Gregorius in opere contra Apollinarem aperte multa recitet, quæ hac Epistola continentur, eaque, seu praua refutet. Potest & aliunde conuinci, quod beati Iulii non sit: Aiunt enim Actis Synodi Ephesinæ sub beato Cyrillo, insertam: quod quidem aperte mentiuntur. Nam ibi nihil tale in textu reperitur: sed alia quædam inserta est Epistola velut à Iulio scripta: nec ipsa Iulii, sed Timothei (*Apollinaristæ*) quemadmodum de multis exemplaribus intelligi potest. *Hæc Leontius.*

Similia author incertus fragmenti contra Acephalos, quod infra inuenies: qui cum ostendisset, Epistolam, quæ circumferebatur nomine S. Athanasii ad Iouinianum imperatorem esse Apollinaris, idque ex ipso Timotheo Apollinarista, qui indicem librorum Apollinaris confecerat, hæc de Iulio Romano subiicit. Sic etiam in Iulio Romano, quem falso supposuerunt, non solum ex inscriptione coarguitur eorum calumnia, sed ex ipso genere dictionis, quæ phrasis dicitur, *Vide cætera in citato fragmento. De Nestorianis Euagrius lib. 3. cap. 31.* Sanctorum Patrum libros sæpe deprauarunt, multosque Apollinaris libros Athanasio, Gregorio Thaumaturgo, & Iulio, inscriptionibus commutatis attribuerunt, quibus quidem libris plurimos in suum impium errorem induxerunt. *Eandem Epistolam falso adscribi Iulio, docet Eulogius Patriarcha Alexand. apud Photium in Bibliotheca.*

G*Ennadius de Script. Eccles. Iulii Epistolam pro legitima & genuina habuit. Sic enim scribit de Iulio.* Iulius Vrbis Romæ Episcopus scripsit ad Dionysium quendam de Incarnatione Domini Epistolam vnam quæ illo quidem tempore vtilis visa est aduersus eos, qui ita duas per incarnationem asserebant in Christo personas, sicut & naturas. Nunc autem perniciosa probatur. Fomentum enim est Eutychianæ & Timotheanæ impietatis. *Sed illustriss. Baron. Annal. Tertio, anno Christi 352 merito oscitantiæ arguit Gennadium, quippe qui de re tam graui, sibique incomperta tale iudicium tulerit: Nam si quando ipsam Epistolam legisset, nunquam futurum fuisset vt tale aliquid de Iulio Chartis mandaret: è vestigio enim imposturam deprehendisset, non secus ac Leontius & Euagrius.*

Notat idem Baronius quod Leontius ait patres sicubi corporis mentionem facerent, idipsum mente præditum animatumque appellasse, id non tantum propter Apollinarem, qui post Iulium vixerit, sed etiam propter Arium factum esse, quem eiusmodi quoque blasphemiam (nimirum de corpore sine mente aut anima per Christum assumpta) effutiisse constat ex Concilio secundo Nicæno, Can. 2. Actio 6. Lege, si placet, S. Thomam libro 4. cont. Gentes cap. 32. vbi contra hoc dogma Arii & Apollinaris ex instituto disputat. At satis de his.

Ergo contra illos, qui Appolinaris scripta specioso Sanctorum Patrum nomine lectoribus venditabant, suscepta est haec lucubratio à Leontio, siue essent Eutychiani siue Nestoriani, siue Appolinaristæ, siue alterius nomenclationis Sectarij. Redarguit autem hunc hæreticorum fucum adductis Appolinarij dogmatibus, partim ex ipso Appolinari, partim ex discipulis eius: si enim quæ in Athanasii, Iulij, aut alterius Orthodoxi patris genuinis monumentis leguntur, repugnantiis, quæ Apollinaris aut Sectatores eius tradunt, & si rursum, quæ Apollinaris suis in operibus scribit, consentiunt cum illis, quæ reperiuntur in libris Athanasio, Iulio aut Thaumaturgo adscriptis, manifestum relinquitur, opera illa falsò Sanctorum Patrum nomina præferre. Si qui studiosius veritatis est, *ait author fragmenti contra Seuerianos*, conferat eum reliquis Athanasii dogmatibus, & reperiet, dissimilia esse: etsi igitur hæc à dogmatibus Athanasii discrepant, & propinqua sunt dogmatibus Apollinarii, & hæc collatio satis est ad demonstrandum veritatem: nos tamen seposita collatione, veritatem tenemus lecto indice Timothei: *Nam Timotheus Apollinarista in Indice diserte profitebatur, non Athanasium, sed Apollinarium sermonis illius quem hæretici Orthodoxis obiectabant, authorem esse. Sic Leontius ostendit Epistolam ad Dionysium non esse Iulii, sed Apollinaris: quia citatur ab Apollinarista Valentino tanquam Apollinaris, non tanquam Iulii. Notabit autem Lector nonnulla ex Leontii libro pro vsu huius temporis I. Inconstantiam Apollinaris circa doctrinam suam de corpore Christi, quod negabat de D. Virgine assumptum, addebat que aliquid verbi in carnem Christi conuersum fuisse: atque adeo carnem statuebat consubstantialem Deo. De quo videatur S. Thomas lib. 4. contra Gentes cap. 13. Etsi postea, vt est error variabilis, in hac absurdissima sententia non videtur perstitisse ex qua successu temporis Eutychianismus pullulauit. Deinde pari leuitate de anima Christi sensit & scripsit. Diuinitatem enim in carne Christi vicem animæ subisse cum Ario docebat: postea euidentia argumentorum conuictus animam quidem in Christo inesse concessit, sed mentis & intellectus expertem: Quam mutabilitate Apollinarem egregie exprimunt & imitantur nostri æui hæresiarchæ, præsertim Lutherus: cui solemne fuit in se & contra se dicere, vt ex tomis eius ingentes contradictionum tomi collecti fuerint.*

Secundo obseruetur dissensio Apollinaristarum inter se mutuo, quæ extitit, cum ex ipso hæretico spiritu, qui non est alius, quam spiritus vertiginis & contentionis: tum ex inconstantia Apollinaris in sua doctrina. Hinc Valentinus insurrexit aduersus Timotheum, eiusque socios & Magistrum Polemium: isti vicissim arma sumpserunt contra alios eodem Magistro & Doctore Apollinari gloriantes, eo prorsus modo, quo hac tempestate Lutherani Prædicantes sese mutuo immanissimis conuiciis exagitarunt, variisque bellis exercuerunt, & adhuc exercent, sine vlla spe pacis aut concordiæ nec tertio illud prætereatur, dum sese inuicem accusant, quasi opera Apollinaris corruperint, partimque additione, partim vero detractione deprauerint: quid familiare eius Prædicantibus huius ætatis circa Tomos Lutheri, & confessionem Augustanam: De quo nihil addo. Multa enim nuper de hoc argumento disputauit Iacobus Gretserus in Academia Ingolstadiensi Professor Theologus lib. 2. de Iure prohibendi libros noxios cap. XI. Lepidum & illud est, quod vt Apollinaristæ suum Apollinarem beati, *imo &* beatissimi *encomio cohonestarunt, & ita Lutherani Prædicantes suo Luthero eiusdem nominis honorem largiuntur, quem tam beatum esse, quam est Apollinaris aut Arius libenter agnoscimus, & vbique profitemur: Illud denique aduertat Lector nostros Hæreticos eodem genio pulsos sua aut veterum sectariorum commenta nominibus sanctitate præstantium virorum ornasse, quo Eutychiani, Nestoriani, Apollinaristæ aut horum similes olim impulsi fuerunt, vt operibus Apollinaris nomina Iulii Pontificis Romani, Athanasii, aut Gregorii Thaumaturgi præscriberent. Sciscitare ex illis cuiusnam sit Epistola, quæ S. Vdalrici nomen præ se fert? cuius libri de imaginibus sub specioso Caroli Magni tegmine veniunt generis eiusdem non pauca: de quibus itidem Gretserus lib. 2. cap. 5.*

LEONTII

LEONTII BYZANTINI

LIBER IN EOS, QVI PROFERVNT NOBIS QVÆDAM Apollinarii, falso inscripta nomine Sanctorum Patrum.



QVIDAM ex hæresi Apollinarij, vel Eutychis, vel Dioscori, cum vellent suam hæresim confirmare, quasdam orationes Apollinarij Gregorio Thaumaturgo, aut Athanasio, aut Iulio inscripserunt, vt simpliciores fallerent: quod quidem perfecerunt. Authoritate enim huiusmodi personarum fide digna multos Ecclesiæ Catholicæ capere potuerunt. Et apud multos ex rectè credentibus reperire poteris librum Apollinarij cui titulus ἡ κατ᾽ μέρος πίστις, fides particularis, inscriptum Gregorio. & quasdam eius Epistolas inscriptas Iulio: & alias eius de Incarnatione orationes vel expositiones Athanasio inscriptas. Cuiusmodi est quæ inscripta est expositio. consentiens cum expositione trecentorum decem & octo: neque solum has, sed alias huiusmodi. Fiet autem tibi hoc manifestum, & cuius veritatis studioso ex iis, quæ in medium afferemus tum ipsius Apollinarij, tum discipulorum eius, ex quibus est cum aliis Valentinus,

Valentini Apollinaristæ capita Apologeta.

COntra eos, qui dicunt, dicere nos esse corpus consubstantiale Deo.

Ex epistola B. Athanasii ad Epictetum Episc. Corinth.

HÆc autem vnde exierunt? Aut qui inferi eructarunt hoc, vt corpus ex Maria diceretur consubstantiale diuinitati verbi?

Ex eadem Epistola.

SI verbum est homousion id est, consubstantiale corpori, quod ex terra naturam habet, est autem verbum homousion patri secundum confessionem patrum, erit igitur ipse pater homousios corpori ex terra facto; & quid Arianos accusatis, qui dicunt filium creaturam, cum dicat etiam ipsi patrem homousioo creaturis?

Domini Apollinarii ex Epistola ad Serapionem.

ACcepi litteras charitatis tuæ, Domine, & ad negotium, quod quærebat, qui Epistolam attulit, quantum potuimus, dedimus ei operam. Epistolam vero Domini mei Corinthum missam, magnopere approbauimus. Eorum autem qui dicunt carnem Deo consubstantialem, magnam insaniam damnauimus.

Et rursus ex eadem Epistola.

VNione enim verbi diuina facta est caro, non natura; quare in vnione habet, vt perseueret diuina esse, sicut ipse ait: Spiritus est qui viuificat carnem. Non enim potest corpus fieri incorporeum, vt alij stulte dicunt.

Ex epistola ad Dionysium, cuius principium est, mihi argumentum amicitiæ, &c.

MIhi & argumentum amicitiæ pietas est & inimicitiæ nulla occasio in eos, qui pietatem custodiunt. Nihil nouum à me vllus nunc quærat, neque requirat, vt

A veritatem reticeam, tanquam ex hac reticentia, paceni ædificet. Quod autem nemo nobis hæc obiicere potest, quæ contra quosdam dicta sunt, manifestum est ex iis, quæ semper scripsimus, neque enim Saluatoris è cœlo esse; neque carnem eiusdem substantiæ esse cum Deo, quatenus est caro, & non Deus: Deus autem, quatenus vnita est diuinitati in vnam personam.

Ex alia epistola ad eundem, cuius principium, admiror, &c.

ADmiror cum de quibusdam audio confiteri quidem Deum in carne; labi autem errore in diuisione prauè à Paulianistis introducta.

Et rursus ex eadem Epistola.

B COncessum est vt certum, corpus esse ex Virgine, diuinitatem è cœlo. Corpus formatum est in ventre Diuinitas non creata, æterna, & in compositione perseuerat corpus esse corpus: & diuinitas diuinitas. Si vero scriptura consueuit dicere, totum Deum & totum hominem, sequamur diuina verba: & ne patiamur impatibilia.

Ex epistola Basilij ad Terentium.

ACcusat Ioannes soluentem Iesum, hi autem manifeste Iesum soluunt, cum confitentur vnionem cum corpore, non enim idem sibi ipsi vnitur: neque consubstantiale consubstantiali, sicut istos non piget dicere. Nec enim hæc est compositio nec copulatio, quia nihil ipsi copulatur, sed alterum alteri. Si autem consubstantiale quidem est verbum corpori, corpus vero consubstantiale verbo, C vtraque autem sunt inaspectabilia, sicut ait scriptura, nemo vidit Deum: neque videre potest, non igitur apparuit, nec attrectatus est, qui inaspectabilis erat, neque verax est Ioannes, qui ait, quod vidimus, & manus nostræ contrectauerunt.

Et rursus ex eadem Epistola.

SI quis vero vel duas personas dicit Iesum, vel carnem consubstantialem Deo, & non carni nostræ, vel è cœlo descendisse, & assumptam esse ab eo qui de cœlo descendit, dicens esse diuinitatem patibilem, sit anathema.

Ex Syllogismis, id est, ex conclusionibus rationum.

SI verbum est homousion corpori, id est, vna substantia cum corpore, & nihil ipsum sibi vnitum est, est au- D tem vnitum corpori, non est igitur homousion ipsi corpori. Si corpus est vna substantia cum verbo, non est spectatum, & contrectatum, vtrumque enim est inaspectabile, & non apparens, siquidem sunt homousia, id est, vna substantia, ait enim Ioannes, vidimus, & contrectauimus; non est igitur homousios spiritus domini, & corpus; sed potius quod inaspectabile, & non tactile est, vnitum est aspectabili, & tactibili in vnitatem: quemobrè in hoc se licet spectabili corpore spectabilis, & tactibilis factus est. Qui dicit corpus homousion Deo, blasphemia afficit Deum incorporeum, quasi corpus habeat, quoniam filius homousios patri proprium habet etiam vnitus carni, & non quia est homousios deo, idcirco dicitur sit à proprio corpore, ne corpus existimetur esse homousion, id est, vna substantia cum Deo.

Apollinarius, & qui meræ sunt, hæc sentimus de Incarnatione.

CArnem homousion nostræ carni assumpsit ex Maria verbum Dei viuens in vnionem cum diuinitate ex principio conceptionis in Virgine: atque ita factus est homo, quoniam caro & spiritus est homo secundum Apostolum: & hoc est verbum carnem factum esse, vnitum esse carni, vt humanus spiritus; vocatur enim homo similis nobis, caro. Dominus autem, est supra nos homo, quamobrem & cœlestis est propter proprium spiritum cœlestem, cui prudentia carnis non aduersabatur: atque ita destruebatur in Christo peccatum; & dissoluta est fiors ex peccato & nos facti participes huius operis, fide saluamur, & cum simus ex patre terreno, efficimur similes cœlesti. Anathema igitur sit, qui non dicit carnem ex Maria; & qui dicit eam carnem esse naturæ non creatæ, & homousion Deo, immo & qui dicit diuinitatem esse passibilem, & ex ipsa esse passiones animæ.

καταχρή- ματος.

Et ego Iobius Episcopus

COnfiteor Dominum Iesum Christum à sæculo quidem Deum verbum sine carne, nouissimis sæculis carnem ex sancta Virgine vnisse sibi, & esse vnum & eundem Deum, & hominem vnam hypostasim compositam, & vnam personam indiuisibilem mediam inter Deum, & homines, & coniungentem creaturas diuisas cum creatore, consubstantialem Deo secundum diuinitatem ex paterna substantia existentem, & consubstantialem hominibus secundum carnem ex natura humana ipsi vnitam, adoratum, & glorificatum cum propria carne, quoniam per ipsam facta est nobis redemptio à morte, & cōmunio cū immortali: caro enim summè vnita verbo, & nūquam separata non est hominis, non serui, non creatæ personæ, sed ipsius Dei verbi, creatoris, consubstantialis Deo, id est, incorporeæ substantiæ ineffabilis patris, Et vero qui dicunt, aut docent carnem verbo summè & nunquam separatam esse consubstantialem Deo, id est, substantiæ incorporeæ, hos tanquam dissensiones, & scandala præter doctrinam Ecclesiæ, quam à principio didicimus, facientes in Ecclesijs declinamus secundum Apostolicam prædicationem, & alienos existimamus, quia antiquæ traditioni, & Ecclesiasticæ paci aduersantur.

Valentinus Christianus contra ea, quæ prauè, & impiè à Timotheo, & eius socijs, & à magistro eorum impijssimo Polemio docebantur.

QVia Timotheus primus discipulus Polemij præ multa væcordia contra Ecclesiam excitatus, docet contra veritatem impietatem Polemij magistri sui, insane instruens socium suum Cataphronium, sicut ipse scribit alijs suæ sententiæ Paregorio, Vranio, Diodoro, & Iobio, sic inquiens, quod caro Domini vnione ad verbum θεολογου-μένη, & consubstātialis Deo, [illegible], manet natura, & nobis consubstantialis. Et rursus ex persona Cataphronij, quem instruxit, sic ait: quod oportet confiteri idem esse vnione carnem, quod verbum Dei, & de ea tanquam de verbo loqui, & tanquam verbum coli & adorari; & tanquam verbum consubstantiale Deo credi. Et adhuc aliquid magis impium quam hoc, Timothee, quod carnem, quam Dominus noster Iesus Christus ex sancta Virgine gestauit, inaspectabilem facitis, siquidem, vt vos dicitis, caro est sicut verbum Dei consubstantialis Deo, per quam nos salutem consecuti sumus: & credimus, quod cum verbo Dei simul adoratur, & prædicatur, ac laudatur caro Domini, quam ex Virgine assumpsit, per quam nobis semper μεσιτεία, id est, mediatio à viuifico Dei verbo in perpetuum gubernatam. Atque ita persona existit Dominus noster Iesus Christus ex carne, & verbo: vnione enim Deus habetur, non autem natura. Quocirca in vnione esse perseuerat, sicut ipse Dominus ait, spiritum esse, qui viuificat carnem. Non enim fieri potest, vt fiat corpus consubstantiale Deo incorporeo propter vnionem, sicut infamè, & impiè Timotheus & Polemius, & eorum asseclæ varijs modis & artificijs dicunt, dum volunt adiungere corpori laudem, & gloriam quod sit incorporeum, quod fieri non potest: honorari tamen, & laudari gloria & laude Dei incorporei, hoc fieri potest, & decens est diuinitati corpus gestanti. Atque ita adoratur, & colitur ab omni creatura tanquam creator, & verus filius Dei carnem gestans, & non homo Deiferus.

Quæ igitur tanta inscitia, immo perfidia vestra: Timothee, tua, & tuorum & magistri vestri Polemij, vt dicatis quod est per se alterius substātiæ corpus, esse per se eiusdem substantiæ cum diuinitate propter vnionē; & quod est per se immutabile, dicatis per se mutatum esse, siquidem vt vos dicitis, sicut verbum Dei, consubstantialis est caro: & ipsi contra vos dicitis; & ipsi vobis anathema dicitis: & sicut temulentus, & ebrius nescit, quid facit, aut dicit; sic & vos nescitis, quæ dicitis; neque de quibus affirmatis, quos hoc dogma impium à vobis sæpissime traditum redarguit. Discite igitur ô infideles, quod vnio non est homousion, id est, vna eadem natura; nec homousion, id est, vna eadem natura est vnio: quia nihil secum vnitur, vel copulatur, sed aliud cum alio vnitur, vel copulatur, quod est verbum Dei, quod seipsum vniuit carni: & hoc est, quod dixit diuinus Euangelista: verbum caro factum est, & habitauit in nobis, scilicet vnitum esse verbum carni animatæ.

Carnem animatam ponebat Apol. sed non animatam anima rationali.

Deinde, neque hoc scitis, ô infideles, quod natura & substantia idem est maxime in Deo incorporeo, & æterna diuinitate adorandæ Trinitatis, corpus autem, quod gestauit Dominus nec æternum, neque incorporeum factum est ex vnione, idcirco nec homousion, id est, nec vnius substantiæ cum incorporea substantia. Dominus autem æternus est, & ante carnem consubstantialis Patri: & cum carne idem consubstantialis Patri. Non erat caro consubstantialis, amictum enim & vestem, ac tegmen mysterij ocultati assumpsit: & pro hominibus obtulit. Et per hanc carnem hominibus apparuit. Nec enim aliter spectatores Dei fieri poteramus, nisi per corpus. Rursus autem etiam nobis consubstantialis est Dominus secundum carnem: non secundum diuinitatem. Nec enim diuinitas ex muliere, absit: neque caro è cœlo nec æterna: vt vos dicitis infideliter, & impie contra veritatem, tanto artificio propriam impietatem tradentes, & ab ipsa veritate confutati, & conuicti tanquam malefici, infideles, & mendaces. Facite, vt intelligatis, quod vnio naturam honorauit, nón autem fecit corpus consustantiale Deo, sicut vos fingere audetis, qui à veritate lapsi estis: & condescensum verbi ad vniendum sibi corpus propter nostram salutem nimio Dei erga homines amore factum contumelia efficitis, cum dicitis factum esse corpus consubstantiale diuinitati impatibili propter vnionem, quod omnem separat impietatē, quāuis velint millies facere se sapientes prauè, & dolose scripturas diuinas interpretantes, & libros beatissimi patris nostri, & magistri Apollinarij: vt nos redarguunt, quæ à vobis apposita sunt, quæ ipsi adscripsistis ad decipiendas animas simpliciorum, in caput vestrum, siquidem veritati repugnatis, qui scitis alioqui durum esse contra stimulum calcitrare, & multo circuitu vsi estis. Sicut Iudæi qui scelus in carnem Domini ausi sunt, perierunt: sic vos, qui propter carnem Saluatoris scandalum incurristis, quamuis multi sitis, pro nihilo propter impietatem vestram reputabimini.

Non assumpsit carnem vt per eam appareret, sed vt carnē & animam, id est, naturam humanā à peccato liberaret, docto consentas hoc Athan quod Apoll. carnē susceptam faciebat instar vestis & tegminis.

Laudes hæretici discipulos, hæreticum magistrum extrans, quo Apollinarium, sic defenderent, vt alij Origenem tempore Hieronymi, quasi istorum libri ab alijs corrupti essent suppositis falsis dogmatibus.

Si vero curiositatem, & infidelitatem ex anima eieceritis intelligetis Deum in corpore apparuisse, ac spectatum esse, & corporis communionem ad participandum diuinitatem habuisse: corpus enim sumptum ex sancta

Virgine

virgine non ipsum per se salutem confert, sed ex congressu spiritus, non vt corpus vile habeatur, sed vt Spiritus magis glorificetur. Ne igitur ad decipiendum simpliciores, quæ beatissime pater noster & magister Apollinarius apposuit mutare in vestram blasphemam appositionem, velitis, illa enim recte, & piè apposita erant à Sancto, & diuino viro, quæ habitudinem & honorem declarabant, & non naturam. Quæ autem vos infideliter, & impiè apposuistis, consubstantiale declarant, natura enim & substantia, idem sunt, vt antea dixi. Et omnes veræ fidei confessores hoc sciunt.

„ Vos autem contentione, & æmulatione, atque inuidia à principio in sanctos Episcopos commoti, ac pessimum certamen contra veritatem certantes, & Ecclesiam Christi scindentes, in tantam impietatem conuersi estis, B vt corpus patibile consubstantiale impatibili diuinitati propter vnionem factum esse dicatis, quod fieri non potest, & impium est dicere esse corpus hominibus, & Deo homousion. Et quomodo videbunt, in quem compunxerunt? Si enim corpus aspectabile consubstantiale est Deo inaspectabili, vt vos dicitis, vtraque iam sunt inaspectabilia, sicut scriptum est: Deum nemo vidit vnquam, neque videre potest. Dominus autem Iesus Christus secundum diuinationem quæ ex patre erat ex æternitate, inaspectabilis: secundum verò carnem, quam ex virgine gestauit, aspectabilis. Vtraque ergo componantur in vna persona, & veritas non dissoluetur. Quare neque Christus est duæ personæ, neque caro vna substantia cum Deo, cui præerat verbum.

„ Quicumque igitur huius non factitiæ, & veræ, atque C Apostolicæ fidei sunt confessores, ne recipiant libros Timothei, & Polemij, & eorum, qui eos sequuntur, vaniloquia, sicut Apostolus præcipit. Illud præterea in memoria habemus, quod idem Apostolus dixit, hæreticum hominem post vnam, & secundam admonitionem deuita, sciens quia subuersus est, qui huiusmodi est, & delinquit, cum sit suo iudicio condemnatus. Timotheus autem, & Polemius non solum hæretici, sed calumniatores declarati sunt: beatissimus enim magister noster Apollinarius blasphemos, & insanos scripto vocauit eos, qui dicunt corpus esse diuinitati homousion. Et beatus Athanasius Episcopus noster sanctissimus, tanquam ex inferis produsse ait eos, qui ausi essent dicere corpus ex Maria diuinitati consubstantiale. D Ignorarunt Timotheus, & Polemius magister eius, & qui eorum Sectatores erant, quod vnius personæ verbi Dei, & carnis à verbo fabricatæ adoratio ad Deum incarnatum pertinet; non autem ad carnem, Nec enim verbum propter carnem adoratur, sed caro verbo coadoratur tanquam amictus, & vestis, vt antea dixi. Quicumque igitur in hac regula, & in hac fide vera, & Apostolica, & simplici noluerint insistere, & incedere, sint anathema. Videte canes: videte malos operarios, videte concisionem: nos autem sumus circumcisio, qui spiritu Dei seruimus in Christo Iesu, non in carne confidentes.

Timothei Apollinaristæ Episcopi Beryti ad Homonium Episcopum Apollinaristam, in quibus sunt testimonia Apollinarij. E

„ FRater Agapius cum ad nos venisset, audissetque de tomo à nobis composito de diuina Incarnatione Verbi ex variis libris beatissimi magistri nostri Episcopi Apollinarij, rogauit nos, vt partem ex eo ei excerperemus, cum nostra subscriptione ad faciendum fidem. Fecimusque id acceptis his ex Epistola ad Serapionem. Hæc autem recte & ipse dicis, non sumus æquales nos & Christus. Dicere autem, quod non est nobis caro Christi consubstantialis, quia est caro Dei parua explanatione indiget: melius est dicere, carnem quidem assumpsit nobis consubstantialem, vnione autem diuinam reddidit. Idem & tu dicis, quod non ideo est nobis consubstantialis, quia caro Dei, sed sic explanatius dici potest, natura quidem consubstantialem nobis esse carnem, vnione vero A esse diuinam, & per vnionem habere differentiam. Hæc cum frater quem dixi, à nobis accepisset, ad vos profectus ostendit vobis, quæ cum tu, mi Domine Homoni, vidisses, tabulam scriptam ei dedisti, in qua sic erat. Ego Homonius Episcopus, confiteor, quod Verbum Dei carnem ex Maria accepit nobis consubstantialem: si quis autem carnem vnitam Domino quacumque ratione, & modo, homousion Deo esse dicit, anathematizamus.

Quia igitur naturam carnis recte confessus es nobis esse homousion nullo autem modo συνουσιῶσθαι, id est esse factam consubstantialem diuinitati, scripsisti. sed solùm vnionem nominasti, qualis fit hominis sancti cum Deo non in vnam vitam, & hypostasim copulati, sed à diuina natura separati, cum tamen beatus Episcopus magister B noster Apollinarius dicat in variis libris carnem Domini communia habere nomina & proprietates verbi, manere autem in vnione tamen neque mutatam, nec à natura propria alienatam, & verbum etiam nomina carnis, & proprietates habere communia, manereque in Incarnatione Verbum, & Deum, neque mutatum, neque in habitum corporis transfusum. Fac igitur vt nobis explanes, vtrum ignorans quæ de sancta, & salutari Incarnatione Verbi à diuino patre nostro dicta sunt, hæc anathematizasti, an verò sciens, tanquam non benè dicta explosisti, & hos in hoc loco accusasti tanquam hæresim amplexos, & prædicatorem pietatis cum ipsa pietate anathematizasti. Dixit enim in libro, qui incipit, sanctum, recte à principio dicitur Christus secundum corpus, sepa- C ratim non licet dicere corpus Christi creaturam, cum sit inseparabile necessariò ab eo, cuius corpus est; communicatur tamen cum eo nomen increati, & nomen Dei, quia copulatum est cum Deo in vnitatem.

Et post alia.

„ SIc & deo homousios Christus scilicet secundùm spiritum inaspectabilem, συμπεριλαμβανομένης τῷ ὀνόματι καὶ τῆς σαρκός, id est, simul sumpta carne per communicationem nominis, quoniam vnita est Deo homousio.

Et rursus.

D HOminibus homousios comprehensa diuinitate cum corpore, quoniam consubstantiali nobis vnita est, non mutata natura corporis in vnione consubstantiali cum deo, & in communicatione nominis homousij: sicut neque natura diuinitatis mutata est in communicatione humani corporis, & nominatione carnis consubstantialis nobis.

Rursus in alio libro siue sermone, cuius principium est, caro, & quod præest carni, vna persona, hæc ait.

SIne peccato igitur erat dominus Iesus Christus, tanquam deus & cum carne, consubstantialis soli deo E ante secula creator. Caro autem vt caro dei, deus, vt consubstantialis deo, pars vnita ipsi consubstantialis deo non separata, nec enim separatim, neque ἰδιαζόντως, id est, per se mouetur, sicut homo animal αὐτοκίνητον, id est, quod per se operatur. deus enim communicatione carnis homo, cum alioqui non sit homo per se, caro autem communicatione dei deus, cum alioqui non sit per se deus. Et omnia carni conuenientia vnitate carnis habet deus, & quæ dei propria, vnione cum deo facta assumit caro.

Iterum in alio libro inscripto laudatio Mariæ, & de incarnatione, sic ait.

„ MAius iam videlicet Maria corpus propter verbum vnitum, non dico maius suo tantum corpo-

ἰδίαν

συμπεριλαμβανομένης θεότητος τῷ σώματι τὸ ἴσχμονται(?), verbũ intelligit, quod Apollinarius docebat esse vice, & loco mentis, quâ carebat anima Christi secundũ impium Apollinarium.

re, sed maius igneis, & angelicis, nulli enim ex illis vnitus A est Deus. Nullum ex illis corporibus viuificat mundum, nullus ex Angelis æquatur Deo, sicut qui compositus est ex corpore, & diuinitate se exæquat Deo, cum ait, sicut pater habet vitam in semetipso, sic dedit & filio habere vitam in semetipso.

Et post alia iterum.

» ET cum vides in te Spiritum operari eiusmodi operationem, quæ separari possit existimas te diuinū esse, vt pannus à corpore tuo detractus morbos sanare possit? At quod vnitum est Deo inseparabiliter, & idem ipsum cum illo propter vnionem substantialem factum, (verbum enim, inquit, caro factum est) hoc tu non diuinum, neque Deum esse suspicaris?

Rursus in alio libro, cuius principium est, non voluntas vescendi carne apud Deum. Sic ait.

» NOn quidem, quod vtrumque sit è cælo, sed vnitum cœlesti, & factum vna persona cum illo, cœleste secundum vnionem est: & tanquam cœleste saluat virtute cœlestis.

φιλίας. *Et in epistola ad Dionysium, cuius principium est, mihi amicitiæ fundamentum est pietas, paulo post sic ait*

» QVod autem nemo nobis hæc obijcere potest, quæ contra quosdam dicuntur, ex ijs, quæ semper scribimus, C perspicuum est, qui neque carnem Saluatoris è cœlo esse dicimus, neque consubstantialem Deo, quatenus est caro, & non Deus, sed Deum, quatenus vnita est diuinitati in vnam personam.

Rursus in alio libro, cuius principium est, laudamus decenter Dominum nostrum Iesum Christum, sic ait circa finem.

De Eucharistia. VIuens autem Christus corpus πνευματικόν, id est, spiritale, & spiritus in carne diuinus, mens cœlestis, cuius vt participes efficiamur, precamur, sicut ait scriptura, nos mentem Christi habemus. Caro sancta diuinitati σύμφυτος, & quæ in ijs qui eam participant, diuinitatem firmat, fundamentum D æternæ vitæ, auctor immortalitatis, hominibus æternæ vitæ creator.

ἀρχηγός. δημιουργός.

Iterum in alio sermone Syllogistico, id est, disputatorio, composito in laudem Ioannis Euang. cuius principium est, per verbum omnia facta sunt secundum Euangelistam, sic ait.

» QVomodo non Deus verus, qui ait, tanto tempore vobiscum sum, & non cognouisti me Philippe? significauit fuisse conuersationem tanquam hominis cum hominibus tamdiu, & hominem Deum esse ostendit. Quare non est verendum dicere huiusmodi hominem consubstantialem Deo, specie paterna diuinitatis cognitum, sicut materia corpore. E

Rursus in ijs, quæ deinceps sequuntur, sic ait.

τὸ δυνάν ἀνθρώπινον. NEc igitur humanum quod factum est diuinum, & exæquatum Deo in efficiendo, & renouando, quia diuiditur secundum corpus à Deo, idcirco facit, impossibile esse, & vt altera natura id quod humanum est Christi secundum corpus, in æqualitate Dei circumscribat circumscriptione hominis, tanquam corpus hominis, & non Dei.

Et rursus in alio sermone syllogistico, cuius principium est, quod habet differentem vitam, differentem actionem &c. sic ait.

VIuificat ante nos caro eius propter consubstantiatam cum ea diuinitatem: quod autem viuificum est, diuinum est, diuina igitur est caro, quia cum Deo copulata est: & ipsa saluat: & nos salui efficimur participantes eam tanquam cibum: quod autem vim alendi habet, & in eo, qui aliter efficit, consubstantiale est ei, & non similiter alitur. Præterea si quod viuificum est, non viuificatur, non est consubstantiale ei, quod viuificatur, alioqui esset corpus mortis, cui opus esset viuificari, vt B est nostro corpori, at non est corpus mortis, sed vitæ corpus Christi; non est igitur diuinum consubstantiale humano.

συνουσιωμένον.

Et in libro ad Flauianum, cuius principium est: adhuc & nunc ab hominibus vilibus percutitur Christus, post multa sic ait.

MVlto magis in coniunctione incorporei cum corpore manet natura vnitorum. Siquidem corpus corpus est, & incorporeum incorporeum: & summa vnione dicitur Deus corporatus, & corpus deificatum: & quatenus quidem Deus corporatus, homo, vtrumque est: quatenus vero corpus deificatum, Deus, rursus vtrumque est.

ἄκρᾳ τῇ κράσει.

Deinde paulo post.

IAm desinit corpus esse formatum, & esse in forma serui, sed honoratum est vnione naturali cum increato, & secundum ipsum ortum ex virgine non est mutatum ex creato in increatum, sed vnitum increato, & Deus secundum vnionem Dei, increatum est quatenus Deus, & qua non potest esse corpus patris: non enim corporatus pater, hac ratione nunquam ingenitum dicetur, neque propria natura ingenitum, sicut neque genitum Dei, nec vnione factum ingenitum, sicut filius, & fœtus naturali vnione & à principio cum genito.

σεσωματωμένον.

Et in libro contra Diodorum primo post sermone de Trinitate cap. 14. sic ait.

EXimium, & admirabile erat, ac semel, & non iterum factum vnio Dei cum Carne, quam nequaquam anima tua recipit, nec eorum, qui te ad hanc impietatem, & Antichristi infidelitatem abducunt: & ludis summam vnionem, & dicis, non manere amplius propria Dei, & propria carnis, si sit vnio, sed solui summam vnionem Dauid, si confitemur summam vnionem secundum Carnem ex Dauid.

Et capite. 27. ait.

SVccenses igitur, quia non concessimus gratia Dei accepisse immortalitatem, Carnem illam ex semine Dauid, « quod si de causa interrogemus, respondemus, propter summam vnionem.

Rursus capite. 61.

ET non pudet dicere eandem naturam esse, sed generationem differentem, cum vanum sit & superuacaneum ortum ex virgine introducere, si quod genitum est, non sit dignum generatione, & ortu, sed idem cum genitis ex viro, & muliere: & irridet summam vnionem tanquam summam impietatem, quam tamen diuinæ scripturæ aperte introducunt, quæ neque faciunt humanum delere quod Dei est, neque diuinum euertere, quod humanum.

Et in

Et in ſecundo libro contra eundem Diodorum capite 22. ſic ait.

" ET quia hortatis nos, vt reſpondeamus, quomodo ſemen Dauid, quod eſt ex diuina ſubſtantia? Audi, quoniam ſecundum incarnationem, quomodo creatum eſt increatum? tanquam Vnitum increato. Quomodo creator mundi, qui eſt fructus ventris Dauid? tanquam vnitus creatori. Quomodo quod ex Abraham, eſt ante Abraham? tanquam vnitum ei, qui eſt ante Abraham.

Ibidem capite 35.

" SEd qui hæc migatur, dicat quomodo quod eſt cum Deo copulatum ſecundum vnitatem perſonæ, non eſt Deus cum ipſo? quomodo quod eſt increato vnitum ſecundum vnitum vitalem, non eſt increatum cum ipſo? Si enim non eſt communis nominatio, nihil erit ſic *[illegible]*, id eſt, vnitum. Eſt autem à ratione alieniſſimum, nominibus corporis nominare incorporeum, cùm dicimus, verbum caro factum eſt, nomine autem incorporei non nominare corpus: ſecundum tamen vnionem, quæ cum illo eſt. quod ſi miratur iſte, quomodo quod creatum eſt vnitur in appellationem increati, multo magis alius meritò mirabitur, quomodo quod increatum eſt, appellatione carnis creatæ vnitum eſt.

Et in epilogo ſiue peroratione eiuſdem libri ſic ait.

[illegible] SI verbum caro nominatum eſt propter vnionem, ſequitur, vt caro etiam nominetur verbũ propter vnionem: vt autem verbum, ſic increata; non quia non fuerit creata, ſed quia ex vnione oſtenſa eſt verbum.

Rurſus ait deinceps.

" SIcut homines conſubſtantiales ſunt animantibus ratione carentibus, diuerſæ verò ſubſtantiæ, quatenus rationis participes: ſic & Dominus conſubſtantialis hominibus ſecundùm carnem: diuerſæ verò ſubſtantiæ, quatenus verbum & Deus.

Et in oratione diſputatoria cuius principium eſt; quæcunque duo vniuntur aut ſpecie, aut conſpiratione, duo manent ſic ait.

" [illegible] ORganum, & quod mouet inſtrumentum, vnam naturaliter perficiunt operationem. Cuius autem eſt vna operatio, vna etiam ſubſtantia eſt, vna ergo ſubſtantia facta eſt verbi, & inſtrumenti.

Rurſus in Dialogo, cuius principium, Deum vel hominem dicis Chriſtum, paulo poſt: percunctante aduerſario, quomodo corpus, & Deus, & creator, & Dominus? Reſpondet.

" QVia Dei corpus, & creatoris, & Domini vnitatem habebat, quam non reperimus eſſe hominis ad Deum.

Rurſus in oratione, quæ incipit, bonum fidei ſeruemus, ſic ait prope finem.

MIſeri, & vere humiles, & abiectas animas habentes, qui ita venerabile, & magnum, & ſupramundanum *[illegible]* paruum exiſtimant.

Sufficiunt hæc iis, qui non ſunt nimium rudes & tardi, ad oſtendendum Apollinarii eſſe epiſtolas, quæ nomine Iulii feruntur, præter eas epiſtolas Apollinarii de quibus Athanaſius, & hiſtorici meminerunt. Diſcipuli enim Apollinarii antiquiores ſunt omnibus, qui his vſi ſunt, quas vt veriſimile eſt, qui à Iulio per ſchiſma diſceſſerunt, inſcripſere. neque ſolùm hoc, ſed ſunt ex Orthodoxis, qui inſcriptione decepti, rectas eas eſſe intelligere, & dicere perſeuerabant propter perſonæ auctoritatem fide dignam, alioqui magis omnium Orthodoxorum eſt, agnoſcere illos ſermones proprii doctoris eſſe. Ne autem ex ſolo teſtimonio diſcipulorum, ſermones ipſius Apollinarii agnoſcamus, quamuis aliqui eos Iulio, quamuis Gregorio, quamuis Athanaſio falſo inſcribant, ſed etiam ex eodem genere ſermonis & ſtilo, age præter auctoritates quas diſcipulo eius, quos prius diximus, protulerunt, integros, & totos eius ſermones in medium producamus, vt qui ſtudio veritatis cognoſcendæ legerint, certiſſimum habeant hæc, & illa falſo inſcripta eadem eſſe.

APOLLINARII EX ANtiquo exemplari reperto in Bibliotheca Andreæ Epiſcopi Eccleſiæ Sidoniorum.

Dominis meis honoratiſſimis Epiſcopis Diocæſareæ in Domino ſalutem.

EXpectabamus, litteris noſtris ad vos miſſis, vt, ſimiliter à veſtra charitate litteras acciperemus, Domini honoratiſſimi: quales ſemper à beato Epiſcopo Athanaſio accipimus, qui ſcit nos & in dogmatibus cũ ipſo conſentire, & in omnibus morem ei gerere. Quia verò non reſcripſiſtis, exiſtimaui fortaſſe prolixitatem Epiſtolæ nõ declaraſſe nobis noſtram mentem, ac ſententiam, an clare ſcribimus conſentanea communi magiſtro noſtro & veſtro. Dico igitur hæc de diuina incarnatione, quandoquidem de his multis tumultus non à nobis, ſed ab aliis, quos taceo, exercitatus eſt. Confitemur, nõ ad hominem ſanctum vniſſe verbum Dei, quod erat in Prophetis, ſed ipſum verbum carnem factum eſſe, non aſſumpta mente humana, mente mutabili, quæ turpibus cogitationibus captiua ducitur, ſed diuina mente immutabili, & cœleſti. Quamobrem non corpus inanimatum, neque ſenſu, & intelligẽtia vacuum habuit ſaluator. Nec enim fieri poterat, vt cum Dominus propter nos factus eſſet homo, corpus eius eſſet ſine intelligentia. Cum eſſet vere filius Dei; factus eſt filius hominibus: & cui vnigenitus filius Dei, factus eſt ipſe primogenitus in multis fratribus. Vnde non alius erat filius Dei ante Abraham; alius vero poſt Abraham: ſed vnus perfectus vnigenitus Dei, perfectus autem diuina perfectione, & non humana. Cum iis, qui ſic ſentiunt, cõfitemur nos communionem habere. Cum iis vero, qui contra ſentiunt, & ſcribunt, communionem non habemus.

Eiuſdem de fide ex parte.

QVoniam quidam moleſti nobis fuerunt conati euertere fidem noſtram in Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, tanquam Deum incarnatũ, dicentes eſſe hominem cum Deo copulatũ, idcirco confeſſionem fidei, quæ dicta eſt, facimus eiicientes infidelem repugnãtiam, & ſpecioſam eius diſſimulationem, cum dicitur, quod Deus totum hominem aſſumpſit. Quandoquidem totus homo non eſt purus omnis peccati in hac via ſecundum ſcripturas, quia non poteſt facere, vt actiones ſuæ cum diuinis actionibus in vnum, & idem cõſpirent: & ob eam cauſam neque eſſet liber à morte. Deus autem humanæ carni vnitus puram habet propriam actionem, cum ſit mens inuicta, quæ paſſionibus animæ, & carnis ſuccumbere non poteſt: & quæ carnem, & motus carnis diuinæ, & ſine peccato moderatur. Et nõ ſuccumbit morti ſed eam ſoluit. Et eſt vnus verus, qui ſine carne in carne apparuit, perfectus vere, & diuina perfectione "

non duæ personæ, non duæ naturæ perfectæ per se, quia neque fas est dicere duos filios: neque quatuor adorare, Deum, & filium Dei, & filium hominis, & spiritum sanctum, neque hominem aute spiritum sanctum glorificare. Quamobrem anathematizamus eos, qui hominem ponunt in diuinis laudibus cum Deo, & filio aute spiritum sanctum. Hominem vero totum assumptum a Deo ad salutem dicimus esse vnumquemque nostrum, qui sanctificati sumus, & similitudinem cœlestis hominis accepimus, & deificati sumus ad similitudinem vere, & natura Dei, secundum vero carnem hominis Domini nostri Iesu Christi,

Et in cap. antegresso.

CONfitemor vnum Deum verum vt monarchã, & vnum filium verum Deum ex vero Deo, naturaliter paternam diuinitatem habente, id est, consubstantialem patri, vnum spiritum sanctum natura & veritate omnia sanctificantem, & deificum ex substantia Dei per filium, eos vero qui filium, vel spiritum sanctum creaturam dicunt, anathematizamus. & eos, qui dicunt non fuisse aliquando filium, vel spiritum sanctum. Confitemur autem omnia esse creata, & seruata a Deo per filium in spiritu sancto & sanctificata. Adhuc cõfitemur filium Dei factum esse filium hominis, qui non nomine, sed veritate carnem ex Maria virgine assumpsit, & esse vnum perfectum, non duo perfecta; eundem filium Dei & filium hominis, vnam hypostasim, & vnam personã, & vnam adorationem verbi & carnis. Et anathematizamus eos, qui duos dicunt, & differentes adorationes faciunt, vnam diuinam, & vnam humanam, & eos, qui adorant hominem ex Maria tanquam alium præter Deum ex Deo. Confitemur passionem Domini secundum carnem, resurrectionem in potentia diuinitatis eius, ascensum in cœlos, aduentum futurum gloriosum ad iudiciũ viuorum, & mortuorum, & ad vitam æternam sanctificatorum.

Eiusdem Apollinarii ex sermone siue libro in traditione renuntiationis, & fidei, cuius principium est, hominem à Deo lapsum tenebat Diabolus, qui deceperat.

SI homo est ex toto, & idem Deus, mens pia hominẽ quidem non adorans, Deum vero adorans, reperietur eundem adorare, & non adorare; quod fieri non potest, & idem seipsum homo quidem, non existimabit adorabilem, non etiam impius erit; Deus vero sciet se adorabilem: est autem impossibile eundem esse adorabilem, & A non adorabilem, est igitur impossibile, eundem esse Deũ & hominem ex toto: sed in sola vnita natura diuina incarnata: vt qui adorant, in Deum à carne inseparabilem aspiciant, & ne aspiciant in vnum quidem non adorabilem, in alterum vero adorabilem: nec in ipso esse vnum quidem qui non patiatur se adorari: alterum vero qui adorationem admittat ad salutem adorantium, sed potius vnum esse reuera secundum substantiam, & nullo modo duos quosdam in personis per se existentibus secundum proprias mensuras, & dignitates.

Arbitror enim, qui non fuerit nimis contentiosus, non posse his cum ratione aduersari, & contradicere, quin potius futurum esse, vt continuo, & vt ita dicam, non violenter, veritati assentiatur: & omnibus suffragiis fa- B teatur Apollinarii esse epistolas, vel sermones de incarnatione, quæ Iulii, & Gregorii, & Athanasii falsò esse feruntur. Non est nobis mirandum, si Valentinus, & Timotheus discipuli Apollinarii vnus homousion, id est, consubstantiale confitetur: alter non confitetur, & vtrique ex magistro inter se certant, & contradicunt. Siquidẽ alias magis impias blasphemias eius exponit Gregorius cognomento Theologus in epistola ad Nectarium tanquam ex libris eius. Affirmat enim, inquit, carnem secundum œconomiam ab vnigenito filio assumptam reformationem naturæ nostræ non esse aduentitiam, sed à principio in alto esse naturam illam carneam, & paucis interpositis, subiungit: & nondum hoc graue, sed illud est omnium durissimum, quod ipsum vnigenitũ Deum, C iudicem omnium, auctorem vitæ, euersorem mortis, mortalem esse affirmat, & sua propria diuinitate passionem suscepisse, & in illa morte corporis triduo diuinitatem quoq: cum corpore mortuam esse, atque ita à patre rursus à morte excitatum. Alia vero, quæ huiusmodi absurdis adiungit, longum esset dicere [illegible]

Non est igitur mirum, si per minorem impietatem intermediam, quæ ponebat esse corpus diuinitati homousion, id est, consubstantiale, ad maiores progressum fecit adiungens ignorantiam ignorantiæ, & impietatem impietati. Ac videtur quidem Timotheus esse, cui magis quam aliis & fidentius arcana illius impietatis, & fraudulentiæ committerentur. Hac enim de causa potuit accipere a beato Athanasio literas commendatitias ad occidentales tanquam contra iniquitatem Arii pugnans: & ab illis rursus literas tanquam ad episcopum missas afferre. Sed non perpetuo latuit hæc illius insidiosa simulatio: iterum enim post obitum Athanasii missus Romam, depositus est ipse, & qui eum miserat, Apollinarius.

LEONTII

LEONTII BYZANTINI

LIBER QVI INSCRIBITVR: SOLVTIONES ARGVMENTATIONUM Seueri.

Interprete Francisco Turriano Societatis IESV.

LEONTII BYZANTINI

LIBER QVI TITVLVS, SOLVTIONES ARGVMENTATIONUM Seueri.

Psal. 63.



QVÆ antea à nobis secundum veram doctrinam ex sanctis patribus collecta sunt aduersus Nestorij, & Eutychis sectatores, sufficiunt per gratiam Dei absolutæ, & perfectæ confutationi inanium argumentationum falsi nominis scientiæ. Quia verò inuentores malorum, sicut Apostolus ait, defecerunt scrutantes scrutationes, ita vt plerisque videntur nouis quibusdam argumentis, & quæ in nostris hactenus confutationibus non contineantur, nunc vsi esse, necessario, vt vos, qui secundum Deum diligitis, hortati estis; subiecimus nunc, quæ in illis quidem continentur, sed non subtiliter excussa sunt: vt cum hæc præter illa superiora contra falsi nominis scientiam argumenta, vt opinor, B non ignobilia habueritis, veritatem defendatis. Aggrediar autem ad solutiones, eo ordine, quo dubitationes exstructæ sunt, easque maiore artificio disserendi expediam, & dirigam.

Oppositio Acephali.

CVm verbum assumpsit naturam humanam, assumpsit ne naturam, quam contemplamur in specie, an naturam quam in atomo?

Occurrit Orthodoxus.

QVid aliud existimas esse hanc præter illam?

Acephalus.

QVòd vnam contemplemur in multitudine; alteram in vno numero.

Orthodoxus.

AT non respondisti ad id, quod interrogaui: Non enim est quod quæritur, an in multitudine, & in vno hanc contemplemur: hoc enim concessum est; sed an hæc sit illa; & illa hæc, an alia? Hanc enim cerni in vno, vel in pluribus, facit cerni illa, in quibus est, plura, vel vnum; sed non facit cerni naturam vnum aut plura. Sicut in albedine, & in albo fit, vna scilicet albedo est, siue vnum, siue plura sint, in quibus est albedo. Quod autem hæc ita sunt, ex eo manifestum est, quod eadem definitio naturæ redditur in A multitudine, & in vno: quam definitionem reddideris de natura simpliciter, hæc ubi reddetur de natura, quæ in aliquo cernitur. Nec vnam facit multas esse, quod multi hanc participant; neque multas facit esse vnam, etsi vnus participat has, si sit, qui hanc participat, ex diuersis compositus.

Acephalus.

ALiquam igitur assumpsit naturam? — τινὰ;

Orthodoxus.

MAxime, sed tamen, quæ est eadem cum specie.

Acephalus.

QVid verò est præter hanc hypostasis?

Orthodoxus.

QVòd participare eam, alium facit, sed non varium. — ἄλλον οὐκ ἀλλοῖον.

Acephalus.

NOn est igitur alius ab alio?

Orthodoxus.

NOn certe, quandiu non est homousios, neque separatus a per se subsistente, & composito, hæc C enim faciunt hypostases.

Acephalus.

NOn igitur erat humanitas Christi diuidens proprietatibus distinguentibus proprium humanitatis ipsius Christi a communi?

Orthodoxus.

IMmò maxime. Sed non hoc respiciendo verbum, sed respiciendo genus hominum, ex quibus erat secundum corpus. Siquidem ipsum verbum proprietatibus distinguentibus a communi diuinitatis tanquam filius, & verbum discretum, non est his ipsis à sua humanitate discretum sed potius his quidem à patre, & spiritu sancto: illis vero matre, & hominibus: proprieta-

Esse subsistentem & separatum & per se subsistentem faciunt hypostasim esse. Sic humanitas Christi non erat hypostasis, sed in hypostasi, nec erat alius homo ab alio verbo, quod fuisset esse alium ab alio. Summa Græce ἄκρως, vocat diuinam personam diuinitate vnitam, & proprietatibus personarum distinctam,

tibus extrema distinguentibus, communionem secum & vnionem recipit, consubstantialitate quidem extremorum, diuersitate verò partium vnitus, & diuisus, & distinguens extrema contrarie. Illic enim, scilicet in mysterio Trinitatis, eandem substantiam vnit, & diuersam personam distinguit: hic vero contra, scilicet in mysterio incarnationis, diuersitatem substantiæ separat, & eandem copulat.

Acephalus.

AT, illud numquam dices, quod hypostasis declarat diuisum, & per se existens, numerus autem & maxime duorum, aliud quid præter hoc significat. Omnis enim numerus in quantitate, sola autem vnitas est expers quantitatis. Si autem vnitas est expers quantitatis, & idcirco indiuidua, numeri igitur duorum, & omnis numeri est quantitas, & diuisio.

Orthodoxus.

IGitur quia numeri, & proprietatem eius meministi, necesse est illud dicere, quod numerus dupliciter dicitur, vnus simpliciter, & per se ipsum, alter vero in habitudine, & in rebus cernitur. Sicut album, & albedo, & albefactum. Ipsa ergo natura numeri per se neque copulat neque diuidit, nec enim habet res subiectas, sed sicut supra, & infra relate ad habitudinem ascendentis, & descendentis dictum est, ipsum vero simpliciter dictum, neutrum est, quia vtrumque recipit: & supra quidem dicitur respiciendo infra: infra vero respiciendo supra: distinguitur autem habitudine descendentis, & ascendentis. Sic numerus ipse per se neque diuidit, neque copulat, sed vtraque recipit qualitate habitudinis, vt numerus duorum, vel trium, vel quatuor, & deinceps. Si enim vnitates ipsas consideres, ex quibus constat numerus, in has diuiditur: si autem vniuersitatem harum: ex his copulatur. Duo enim & duo, verbi gratia, componunt numerum quatuor: numerus vero quatuor in duo, & duo diuiditur. Quare nihil verius, quam naturam numeri nihil habere definitum, neque diuisum, nec vnitum: sed in complexione rerum & compositione hoc consistere: ineruditum igitur est, statuere, vt naturam numeri necessario sequatur diuisio rerum: ac non potius naturæ rerum vel vnitarum, vel diuisarum numerus imponat signum declarans quantum rerum subiectarum, alia ratione, & non numero eas diuidente, & copulante: vt taceam, quod ipsam naturam numeri, qui hæc tractant, ad quantum referentes, aiunt, quantum, aliud esse continuum, aliud discretum, & quantum aliud quidem constare ex partibus habentibus positionem: aliud vero ex non habentibus. Decem enim cubitos dicimus continui. verbi gratia ligni, non diuidentes simul cum numero vnitatem, quæ est in ligno decem cubitali. Et rursus cum dicimus decem modios, in diuisione esse hos scimus. Similiter igitur & in alijs rebus.

Id est. sine habitudine superioris, & inferioris, nihil dicitur nec supra, nec infra.

Si ergo numerus imponatur naturis, non præcipue quantum earum, sed diuersitatem generis constituit, vt cum dicimus equi, & hominis, & bouis naturas tres, non diuisionem earum secundum quantum, sed diuersitatem secundum speciem significamus. Tres verò homines, si ita accidat. Petrum, & Paulum, & Ioannem cum dicimus, magis diuisionem eorum secũdum quantum, & quòd tot sunt, declaramus, sicut in sancta Trinitate. Tres enim hypostases confitemur, vnam autem harum naturam, & substantiam denunciamus, nullam quidem harum non substantiam esse agnoscentes, non tamen assignamus eis numerum discernentem quantitatem substantiarum, quia hoc modo diuersitatem substantiarum simul induci scimus. Quod quidem cum Ariani scirent, hypostasibus, quæ in substantia diuina sunt, nomen substantiarum imponebant, connectentes hoc modo diuersitatem substantiæ. Sic & in œconomia cum dicimus duas naturas, diuersitatem earum, non diuisionem declaramus, excludentes inde numerum hypostaseon, quiuis non sint sine substantia: sicut illic exclusimus numerum substantiarum. Tametsi nulla hypostasis diuina sit sine substantia, sicut nec hic neutra natura sine substantia scientes bene, quod in diuisis hypostasi, & substantia, vt hoc equo, hoc boue, & hoc homine, natura non diuisionem, sed differentiam declarat, sicut & hypostasis diuisionem, & non quid subiecti proprie demonstrat, siquidem in ijs, quæ non per se cernuntur sed simul: & inter se sunt, & fiunt, natura non separatum, sed differens declarabit siue in Theologia, id est, in Trinitate, siue in œconomia, id est, in mysterio incarnationis, siue in omni re.

Acephalus.

PLane hypostasis, & substantia, siue natura in Theologia non est idem: in œconomia tamen idem sunt inter se. Si enim naturas notauit nouitas mysterij secundum diuinum Gregorium, nouabit, opinor, etiam appellationes, vt secundum ipsum, vtrisque aptetur alterius ratio & definitio.

In Theologia, id est, in mysterio Trinitatis.

Orthodoxus.

HOc vero nescio quasi nimiam amentiam non superat. Definitiones enim rerum synonyme prædicantur de ijs, quæ sunt eiusdem generis, & de ijs, quæ sunt eiusdem speciei, vt ij qui in his sunt valentes, demonstrant. Si enim definientes simpliciter substantiam dicamus declarare essentiam alicuius, omne illud, cum quo commune erit nomen substantiæ, communis erit definitio, quamuis magna sit substantiarum differentia: existere enim dicimus substantiam, & Deum & Angelum, & hominem, & animal, & arborem, & communis in omnibus redditur definitio substantiæ, quæ declarat, existere ista non autem declarat, quid ista, aut quomodo. Hæc enim propriæ cuiusque rei definitiones declarant. Sic autem esse manifestum faciunt categoriæ de generibus ordinatis subter alia synonyme prædicatæ: prædicantur autem & genera, & differentiæ de speciebus, & de indiuiduis: similiter enim participant substantiam, & animal, & corporeum, & incorporeum, & rationale, irrationale, & sensile & intellectile, & non hoc magis, illud minus, sed similiter, & communiter, & vt semel dicam, participant ἰσοτίμως, præterea etiam demonstratio, quæ vocatur διάλληλος reprehensa improbata est apud eos, qui rationem demonstrandi tradunt: qui enim hac demonstratione vtitur similiter facit, ac si quis enunciet, & postea testem enunciationis producat, & fidem haberi sibi iubeat, quia ipse dixit. Si ergo non vniuersalibus rationibus, & definitionibus substantiæ, & hypostasis, siue personæ, & naturæ in Trinitate sancta, & viuifica, & in mysterio incarnationis verbi vnius ex sancta Trinitate personæ demonstrationes patrum procedunt, neque processerunt, non erit hoc demonstrare, sed quasi sortiri: reddat enim aliquis rationem, quare in Trinitate substantia siue natura commune, & hypostasis, siue persona proprium definiat & declaret, non sic autem in mysterio incarnationis conueniat: dicere enim quod propter nouitatem mysterij incarnationis aliter hæc in Trinitate, aliter in incarnatione definiũtur, primum quidem eorũ est hoc, qui ignorant, maxime omnium mysteriorum mysteriũ esse ipsum Deũ, qui ipsis etiam sanctis Seraphinis obtegitur, ad quem, vt magnus Gregorius dixit, mysteria, quæ hic sunt, spectant. De quo merito omnis quidem sermo tacebit, omnis vero agitatio mentis quiescet ad id proficiscens quod supra rationem, & mentem est. Et occultus autem Dei mysterium patefactum, incarnationis scilicet, tanto magis apertum

ὁμοίως τὸ εἶναι, existentiam.

ἐξ ἴσου τιμῆς, ex æquo.

Id est, definitio æqualiter conuenit omnibus, quibus cõuenit definitum, hoc est participare definite species & indiuidua genera & differentias, id est, æqualiter, vt necesse est in definitionibus.

Demõstratio διάλληλος, id est, ex se dubia fidẽ facere volumus.

Hoc vocat Apost. mysterium à seculis absconditum, nunc autem manifestatum Sanctis.

apertum est quam illud Trinitatis, quando magis quod erat supra naturam, ad apertum naturæ processit, Nunquid vero sola definitio hypostasis, & substantiæ in incarnatione nouatur. An omnis etiam vox, & omne nomen, & verbum? Et ista sortitio huius, & non omnium? Sed non habet hoc naturam, & idcirco neque sermonem, vt magnus Basilius dixit.

Acephalus.

In homil. in Natiuitatem Christi Theologiam vocat mysterium Trinitatis.

IN Theologia quidem omnes patres vno consensu hypostasim à substantia plane differre, id est, personam à natura eadem ratione enunciarunt, qua proprium à communi differt, in incarnatione vero non est ab illis hæc regula seruata. Sed hypostases sæpe numero pro naturis, & rursus naturas pro hypostasibus sumunt: vt hac ratione idem esse vtrumque pateat. Beatus Cyrillus, Si quis, inquit, diuidit hypostases. Et rursus, naturæ remanserunt non confusæ, id est, hypostases. Et magnus Athanasius duas personas in Christo esse affirmat. Nunquam hoc patres fecissent, nisi definitiones horum nominum in incarnatione nouari cognouissent.

Orthodoxus.

ἀνείμε τῷ σκεπτικῷ.

Vtimur nomine secundum conuersionem, vt si dicamus animal rationale pro homine.

AT ego non dicam nouari definitiones nominum, sed potius vsos esse nominibus istis in rebus differentibus. Aliud enim est vsus nominum, qui fit multis modis; aliud vero, quod proprie & definite ipsis nominibus significatur. Siquidem & secundum translationem, & homonymiam, & conuersionem, & alijs modis diuinæ scripturæ, & sancti patres, & communis consuetudo nomina vsurpant; non tamen communem horum definitionem reddunt. Sane Apostolus homines vocat partes hominis, hominem exteriorem & hominem interiorem; non tamen qui sic loquitur, definitionem totius hominis in parte ponit, etsi vtramque partem nomine totius appellat. Sicut rursus totum vocare solet nomine partis. Similiter fieri solet in alijs scripturis diuinis, vt omnes sciunt. Hoc modo igitur consueuerunt patres vnamquamque naturam hypostasim, vel personam appellare non solum in mysterio incarnationis, sed in Sancta Trinitate, sicut nulli patres ipsum hominem dixerunt ex duabus hypostasibus constare, non tamen arbitramur dixisse eos participare naturam, definitionem hypostasis, id est, personæ. Qui omnes vnum; & eundem Dominum esse statuentes, illud, alium & alium, proprium est hypostasis propriè dictæ, de ipso nomine hypostases negauerunt. Non tamen intelligentes habere naturam, communem definitionem cum hypostasi. Cum igitur simpliciter, & libere sermo per nomina procedit, nihil prohibet vti nominibus indifferenter: cum vero de dogmate agitur, & quæstio est, tunc tacitis homonymijs, proprias significationes ex ipsis definitionibus sumere cogimur, ne vllo modo vsu nominum indifferenter ipsarum rerum limata veritas lædatur.

Id est, negantes alium & alium in incarnatione, non negauerunt aliud quod naturam significat, quia non intellexerunt communem esse definitionem naturæ cum hypostasi.

Acephalus.

SImplicia non sunt composita, & idcirco definitionem simplicitatis non recipit natura compositi. Hoc si ita est, calumnia est in eos, qui dicunt vnam naturam Christi compositam, existimare vllos simplicem ipsam ab alijs, & non compositam dici.

Orthodoxus.

NAtura compositi non est eadem cum natura compositorum. Sicut enim natura vinculi non est eadem cum natura eorum, quæ sunt vinculo alligata: sed potius natura vinculi est, quæ fœmina, si ita ponamus, vel mas vocatur: alia vero natura est lignorum alligatorum verbi gratia, aut vasorum, quibus est iniectum vinculum, sic non est idem natura compositionis & vnionis cum natura compositorum, & vnitorum. Compositio enim, & vnio vel ad habitudinem pertineat, vel ad substantiam: & vel secundum appositionem, vel mixtionem, vel congeriem, vel coagmentationem, vel agglutinationem, vel confusionem, vel immissionem, vel nescio quas alias naturas differentes vnionum fieri dicunt, quæ vnionem sub vnam speciem referunt. Natura vero eorum, quæ vnita, vel composita sunt, vel quomodocumque inter se aptata, aliam definitionem rerum recipit, & hoc est primum vniuscuiusque vnitorum: nisi fortè confusio accidit vnitis. Quomodo igitur dicis vnam Christi naturam, & hanc compositam? Aut enim est compositionis, aut compositorum, aut eius, quod ex compositione, & compositis effectum est: at si hanc compositionem vnam naturam Christi dicis, definitionem vnionis reddes, non definitionem vnitorum. Sin vero vnam naturam Christi dicis naturam compositorum, in toto Christo duæ erunt naturæ, non vna. Siquidem neutra in naturam, & proprietatem alterius secum compositæ mutata est, sed potius in vnione differentiam harum seruat. Si autem vnam naturam Christi vocas, quod ex compositione, & compositis constat, non naturam Christi, sed manis hypostasim & esse, & vocare decet. Siquidem natura Christi non potest esse eiusdem naturæ cum patre, secundum quod est eiusdem naturæ cum matre: neque rursus cum matre, secundum quod est eiusdem naturæ cum patre. Quomodo igitur vnam naturam Christi vocas & hanc compositam? Cum appellatio Christi non naturam, sed hypostasim significet, circa quam naturæ cernuntur, & in quibus persona distinguitur: illud vero quomodo præterire possumus, in quo nouæ sapientiæ nouus reuera partus cernitur?

Immissio quæ Græcè dicitur φύρσις, vt enim frumentum immittitur massa.

ἀπεξέτασ;

Acephalus.

OMnia, inquit, singularia habentia tanquam alicuius naturam, etiam vna natura dicuntur, vt sol vnus, cœlum vnum, & idcirco vna natura solis, & cœli, & similium.

Orthodoxus.

AT num ignoras, optime vir, quod natura solis eadem est quæ astrorum? & cœli natura eadem, quæ in reliquis cœlis? Sicut splendor, aër, & aqua, & horum concretiones commune habent in tali natura; esse autem hunc, aut hunc in propria, & separata definitione hypostasis significatur. Si quis enim sic definiat cœlum, esse circulum extra vniuersum: vel communem complexum intellectilium & sensilium, non substantiam eius, sed hypostasim declarasti. Item si solem definias, esse sidus, interdiu lucens, aut habens mediam regionem inter planetas: Rursus hypostasim solis, sed non naturam declarasti: natura enim vniuscuiusque hypostasis secundum communem definitionem reddi intelligetur, vt quod igneum, vel aëreum, vel terrenum, vel aquaticum, vel rationale, vel irrationale, vel animal, vel non viuens, vel sensile vel intellectile: hæc enim proprietates *vnismui*, id est, substantificè naturam subiecti patefaciunt: quibus si apponatur quod propriè vtrumquodque distinguit, hypostasi in alicuius designat. Falsum ergo est, quod sumis, vnumquodque singulare naturam habere singularem, Contrarium enim naturam habet communionem secundum eandem speciem, hypostasem vero propriam, quæ propriam eius à communi separat notis, & proprietatibus vim separandi habentibus, Sicut enim Paulus, & Petrus non sunt nomina naturæ, sed hypostasis, sic sol & luna, & lucifer & cœlum. Et hoc aliquid volatile, & terrenum, & aquaticum tanquam efficiens proprium, à communitate substantiæ proprietate hypostasis diuiditur, & separatur,

καλεῖ ἰδοτι

Vt album contrarium est singulari nigro, & natu am habet communem albedinem, quæ est species coloris & nigrum commune habent colorationem diuersum.

Acephalus.

PLerosque sanctorum patrum scimus & ante Nicenum concilium & post concilium, repugnasse quibusdam vocibus superiorum sanctorum patrum, quod hæreses callidè, & malitiosè quibusdam eorum vocibus & significationibus vsæ essent. Propter hanc causam arbitramur beatum Cyrillum quibusdam vocibus patrum non vsum esse, & potissimum voce duarum naturarum, cum Nestorius vbique has ad diuidendum vsurparet, & male potestate veterum abuteretur. Quod quidem nunc etiam nos verentes, ex duabus quidem naturis, non tamen in duabus naturis existere Christum definimus.

Orthodoxus.

NOn est hæc defensio, & excusatio honesta, & opportuna, sed potius reuerentia omnis reuerentiæ expers, propter eos, qui malitiose vocibus Theologorum vsi sunt, ipsas diuinarum auctorum voces recusare. Non solum enim vocibus patrum hæretici, sed scripturis ipsis, vt eis visum est, abusi sunt; alioqui secundum regulam vestram liceat imitari Marcionem, & abrogare multa, quæ in scripturis sunt. At non hoc in diuina scriptura, nec in patribus, qui celebres sunt, facere fas est: sed potius sicut inhærere menti eorum, sic etiam sacris eorum vocibus maxime decet, & prauas hæreticorum expositiones expurgare declaratque easdem significationes, aliter verò hæreticos accipere. Omnis enim vox recipit mutationes in contrarium & prauas interpretationes. Sic reperimus magnum Athanasium defendisse Dionysium, & beatum Cyrillum non semel excusare voces, immo addere, sicut Nestorio videbatur. Et non hoc solum, sed in multis, quin potius in omnibus suis libris duas naturas confitetur. Si autem omnino hoc valet, vt posteriores, quasdam voces clarorum virorum, qui antecesserunt, deuitent, liceat nobis, quia Eutyches, & eius sectatores malè vsi sunt hac voce, vna natura incarnata, hanc defugere; aut si non defugimus, liceat nos approbare, qui dicunt esse Christum in duabus naturis. Etenim si vsque ad Cyrillum processissent hæreses, & deinceps cessassent, & non esset exortus, & deprehensus celeberrimus hæreticorum Eutyches, fortassis hoc nobis, quod dicis, faciendum esset. Sin autem post Cyrillum fuerunt hæretici, sit in potestate posteriorum, quædam, quæ quidam veteres, vt dicitis, non dixerunt, rursus dicere, præsertim postquam hæc sunt in Synodis definita. Solutio enim omnis dubitationis eorum, de quibus ambæ partes dubitauerunt, secundum canones Ecclesiasticos est Synodorum iudicium, & qui Synodis repugnant, non iam contra aliquos, sed contra omnes Christianos seditionem faciet. Quod nobis non eueniet, qui veritatem contentioni anteposuimus.

Acephalus.

NAturas sola cogitatione etiam nos consideramus, has igitur vnientes ambas, vnam deinceps esse dicimus, & hanc compositam esse, & vocari dicimus. Qua enim ratione vos hypostases cogitatione considerantes & has vnientes, in vnam hypostasim eas componitis, eadem & nobis naturæ in vnam naturam compositæ, non confusæ, diuisionem declinant, & vnionem ostendunt. Si vero nos propter compositam naturam de confusione accusamur, & vos hanc accusationem non effugietis propter hypostasim non simplicem. Quibus enim rationibus hypostasim hypostases in congregantes, has immutatas esse demonstraueritis, hæc nobis satis sint ad componendum naturas in naturam, & seruandum sine mutatione in huiusmodi compositione quæ vnita sunt.

Orthodoxus.

COgitationem patres, & doctrina vera duplicem esse dixerunt: vna enim est voluti ἐπίνοια quædam, & ἐνθύμησις, id est, quædam accessio notionis & considerationis, quæ vniuersam, & indistinctam rerum contemplationem & cogitationem euoluit, & explanat, vt sensui quidem videatur esse simplex, agitatione tamen mentis reperitur multiplex, & varia: altera est fictio cogitationis secundum implicationem sensus, & imaginationis, ex ijs quæ sunt componens ea quæ non sunt, & esse videntur. Huiusmodi est fictio fabulosa Hippocentaurorum, & Sirenum, & aliorum huiusmodi: accipiens enim partes ex totis, & ex partibus aliud componens, multa licen-
B tia, & facilitate ea, quæ nusquam in hypostasi & si bstantia cernuntur, cogitatione finxit, & materijs informans imagines figurauit.

Vtra igitur consideratione harum cogitationum accipis naturas duas? Si enim priori, definies Christum esse congregationem considerationum, & non coniunctionem naturarum. Hæc enim est natura eorum, quæ sola cogitatione contemplamur. Si autem altero modo cogitationem accipias, non rebus neque contemplationibus, sed mendosis, & inanibus fictionibus sensum impleuisti; & sane quidem nihil hoc ab idololatria differat, posteaquam patres nostri venerandi non desierunt naturas esse cogitatione; sed harum diuisionem secundum priorem rationem cogitationis exposue-
C runt. Quando enim dicunt, naturæ differunt cogitationibus, simul diuiduntur nomine: vt dictum sit, cogitatione diuidi causa distinguendi à diuisione secundum actum: quam procul relegantes, actu quidem naturas esse, & vocari enunciauerunt harum vero diuisionem secundum cogitationem acceperunt, quæ rebus non sunt diuisa, ratione tanquam diuisa, ponentes propter differentiam, & proprietatem eorum, quæ vnita sunt, immutabilem, etiam post vnionem. Quomodo igitur sola cogitatione naturas cognoscis? & actu cognoscuntur? Quomodo has cogitatione accipis; & nec ista cogitatione seruas; sed potius eas in vnam naturam nescio quomodo cogitatione, an actu
D commisces, & confundis? Quamuis cogitatio & in ijs, quæ per se sunt, & in iis, quæ non sunt, post horum complicationem, & vnionem, hæc cognoscit, & confitetur. Quandoquidem etsi confusio circa ipsa acciderit, scit tamen cogitatio illa, ex quibus, cognoscere, & discernere. Sola ergo cogitatione naturas cognoscere, facit non esse eas, neque substantiam habere, vel confusas esse, & deletas. Post vnionem vero neque hoc eis tribuere, (vt scilicet cogitatione diuisæ sint) reddit eas magis à substantia vacuas, quam sunt ipsæ contemplationes, magisque corruptas, quam quæ confusa sunt.

Vnde vero tibi, aut à quo accepisti vt Christum ex hypostasibus componeres, cum hypostasis, vt antea diximus, quod diuisum est, & quod per se existit, declarant? Quando enim cognouisti diuisas naturas, & per se existentes, vt his copulatis tradas ipsum ex hypo-
E stasibus constare? Nec enim ante vnionem hoc fas est dicere, siquidem non audes dicere, prius formatum esse hominem, & postea fuisse Deum: neque rursus prius est idem facere diuidi cogitatione, & diuidi energia, id est, actu. Non enim quæcumque de cogitatione prædicantur de subiectis cogitationi rebus hæc prædicabuntur, idcirco cum diuisio secundum actum hypostases habeat & ponat, diuisio secundum cogitationem numerum hypostaseon non recipit. Sicut enim maius secundum cogitationem in patre & filio quod propter naturam causæ dicitur, non inducit maius natura, sic quod secundum cogitationem diuiditur, non inducet vnquam simul diuisionem secundum actum, & idcirco neque hypostases inducet.

Quis

Quis autem ex grauissimis viris, & à risu maxime abhorrentibus, non magnopere vis rideat, vel potius non luctum, & profundam noctem induat, considerans tantam vestram fanitatem, vt taceam impietatem; Cum enim ea quæ simul sunt secundum naturam & tempus, ante, & post non recipiant, neque sic Cyrillus illud post vnionem dixerit, vos tamen non veremini hoc dicere. Si enim non est eorum, quæ sunt simul, vnio & vnita, quando non tanquam res, sed tanquam vnitæ res accipiuntur, vbi est alterius essentia, humanitatis scilicet, ante vnionem, vt illud post hanc tanquam dogma tradans? Quando facta vnio cessauit? vt alius effectus huius non in ipsa sed post ipsam, & præterquam ex quibus est, existimetur esse? Non enim est vnio, sicut natura eorum, quæ facta sunt, & non amplius sunt, qualem esse aiunt naturam temporis. Quis autem factam cessare fecit? & quare?

Consideretur, quod deinceps sequitur: nisi forte ab vnione cœpit, & in confusionem desijt: quod quidem volentes dicere, parturiós quidem, sed onus animi abrumpere non audetis, nescio an propter intolerabilem impietatem: an quia effugere, quin redarguamini, non poteritis. Sic enim habet res, alterum impium est dicere, & intelligere; alterum verum dicere fas est, & sanctum intelligere. Quin potius intelligere quod est pium, iustum est, confiteri vero, salutare, sicut Apostolus ait, Nos igitur cum non vnionem personarum, sed naturarum profiteamur, quomodo vos quod non est concessum, tanquam concessum concluditis? Quanta sermonis licentia, dicere confusionem, & non confusum idem ipsum efficere? Si enim secundum istos non confusum duas naturas vnam facit, hoc autem ipsum confusio facere scitur, dicant, quæ differentia est confusionis, & non confusi? Simile enim faciunt atque personæ, & hypostases Nestorii, ponunt eas diuersas: postea dicunt se non diuidere. Quid enim aliud faciet vnquam, qui actu diuidit? Si autem neque diuisionem faciunt hypostases secundum illos, nec confusionem vna natura secundum hos inducit, dicat aliquis, qualem alium vult esse diuisionis, vel confusionis effectum? Et si qui vnit quidem & non confudit; vel alterutrius naturæ proprietatem seruat, non autem diuidit, pie facit, quomodo duas naturas deuitantes, tanquam necessario numerus duorum secundum ipsos diuisionem inferat, duas proprietates dicere non refugiunt? Aut quid hoc est, quod loquuntur, cum nunquam contradictio simul vera sit vt Dialectici demonstrant, quasi illi aliud quid contrarium dicant; vos vnam naturam contra eos, qui duas naturas dicunt, defenditis. Aut enim idem est atque, duæ & frustra cum his pugnatis; aut non est idem, sed tanquam vna contra duas contradictoriè assumitis. Et sic frustra adiectum est illud, incarnata. Sin autem nec vnam simpliciter, neque duas vnitas hoc significat, inter vnam autem, & duas nihil est medium, quid reliquum sit, vos videritis: plane namque duplum aut dimidium vel tertia pars vel alia quæcumque proportio superparticularis inter vnam & duas assumpta est. Hoc vobis, adiunctio vocis incarnatæ declarabit. Omnino autem sequetur diuisio, si præter vnam aliud quid cum ea assumatur. Sed hæc sufficiant. Quomodo autem, & qua ratione cum verbum Dei, & humanitatis perfectionem habeant, & nihil eis desit, non hypostases, sed substantias ad concursum vnitorum patres assumunt, cum neutra eorum sit *ἀνυπόστατος*, id est, sine substantia, in primo capite eorum, quæ paulo ante in dubium venerunt, & deinceps, & in primo libro tractationis nostræ contra Enantiodocetas (id est, auctores contrariæ fictionis) copiosissime, Deo adiutore, scriptum est, idcirco eadem repetere, & iterare excusatum volumus.

Acephalus.

CVm duplex sit rerum & nostra constitutio, ex communi, & ex proprio, vt omnibus manifestum est, omnes enim communem substantiæ participamus, & propria ratione hypostasis sumus hoc, quod dicimur, quid ex communibus, aut propriis alterutri naturæ earum quæ ad vnionem Christi sumuntur, deest? Si enim nihil deest, magis verum est dicere naturarum quam hypostaseon vnionem: ex quo sequitur, vel eos, qui dicunt duas naturas post vnionem, duas etiam hypostases dicere: aut si deuitant numerum hypostaseon, pari ratione communicationis idiomatum, cedere etiam iis, qui dicunt factam esse vnam naturam ex duabus. Si autem qui hoc dicunt, accusantur, quod confusionem inducunt, quomodo non sunt etiam accusandi, quod hypostases confundant, qui ex hypostasibus hypostasim faciunt?

Orthodoxus.

AT ignoratis, ô sapientes, qood alia est definitio naturæ, alia autem ratio œconomiæ, id est, incarnationis. Vnde partim quidem tanquam de omnino diuisis naturis loquimini, separantes hypostasibus naturas partim vero tanquam tradentes ex totis confusis vnam naturam carnis & diuinitatis factam esse. Si igitur fuit aliquando, cum non erant hæc vnita, consideret quis ea tanquam penitus separata. Sin autem vnionem verbi scimus simul exstitisse, cum exstitit humanitas, quomodo quæ nunquam inter se fuerunt separata, subibunt rationem penitus diuisorum? Cogitatione ergo hæc, & ratione poterit aliquis diuidere, non tamen sensu, & actu, atque hoc post vnionem, & non priusquam vnita sunt. Vniuerse enim accipere diuisionem ante vnionem absurdum est, vel certe accipere antequam alterum existat, oon est fas. Siquidem neque priuationem accipere licet ante habitum, ac nihilo plus, quam habitum ante ea, in quibus cernitur habitus. Non enim hæc talia simpliciter dicuntur, sed ad aliquid, & aliquando, & quomodo, vt primum, si est aptum natum ad capiendam priuationem; deinde, si in illo tempore priuationem cepit, in quo poterat habere; deinde si in loco, in quo aptum natum erat, & vt natum erat. Non enim si quis aliquid non habet, continuò hac re priuatus est. Sed quod aptum natum est ad volandum verbi gratia, & in hoc tempore, oon enim antequam vestitum sit alis; & vt à natura habet, non enim sine illis, sine quibus non; & in hoc loco; ad volandum enim in aëre, & non in aquis natura aptum est. Sic igitur & in diuisione; non enim prius cogitatur, quam res, in quibus consideratur, nec antè ipsam vnionem. sed quando res, & post earum vnionem & sicut ei natura conuenit, id est, cogitatione, & non actu. Non enim humanitas vnita à diuinitate actu separatur, sed diuisione cogitationis, non re antecedente, nec harum vnionem, sed in ipsis considerata propter immutabilitatem, & nequaquam sequentur ea quæ sequuntur ex diuisione secundum actum. Alioqui idem erit diuisum cogitatione, atque diuisum actu, quod est absurdum. Immo neque prorsus erit diuisio secundum cogitationem, si non sunt actu ea, de quibus est cogitatio, cum vnius sunt hæc simul, & in eodem.

Non enim sine alis secundum naturam natus, sine quibus auis volare non potest, dicetur inuolucris, id est, priuata volatu.

Ex diuisione enim secundum actum sequitur vt humanitas actus fuerit à diuinitate separata, & Christus non fuerit Deus, & homo.

Si quis igitur rationi vnionis subiiciat ea, quæ sunt vnita, videbit, quod quæcumque alioqui perfecta ad constitutionem alicuius sumpta sunt, hæc manentia perfecta partes fiunt totius, ex huiusmodi partibus constituti: ita vt prius cogitentur res, & postea horum vnio, postea distinctio secundum considerationem. Cum enim non possit mens hæc tria simul considerare, quæ sunt simul, in parte considerat. Propter hoc in modo vnionis, sed non in ratione naturæ verum esse consideramus sermonem nostrum, non quod hæc contraria inter

ἑνώσεως. διάκρισις. Sententia. γρ. Graecum

Non secundum rationem naturalis necessitatis, sed solius charitatis Dei erga homines modum unionis dicentes verum dicimus. Hoc enim declarant, quæ sequuntur.

se sint, id est, natura, vnioni; sed quod sint differen A tia, & circa eundem, & eiusdem, sed non id ipsum, neque communis horum ratio. Hoc autem & ipsi confitentur. Siquidem vna secundum ipsos natura ex duabus, propter vnionem vna dicitur; etsi confusionem, quæ eam sequitur, non intelligunt. In ratione igitur naturæ diuinæ & ipsi concedent habere vnionem aliquid non communicabile, alioqui non erit condescensus charitatis, sed Physica alti cum humili, id est, diuinitatis cum humanitate coniunctio, siue copulatio. Et quis est, qui tantopere altitudinem diuinam ignoret, aut humanam humilitatem tam parum consideret, vt existimet has naturas naturali inter se propensione recipere communionem & vnionem, cum tantopere à B mixtione alienæ sint? Ego vero tantum abest, vt dicam habere verbum Dei in definitione naturæ vnionem cum natura nostra, vt nec animæ humanæ vnionem corporе naturaliter sine virtute diuina fieri dicam: & quid dico animæ humanæ vnionem, quando neque mixtionem elementorum sic simpliciter sola natura fieri dicam, cum potius ratione diuina, quæ præstantior, & valentior est quam natura, ad ordinem, & concentum adduci. Quin igitur modus vnionis, & non ratio naturæ magnum pietatis mysterium continet? omittamus considerare de natura vnitorum, & de perfectione eorum: non enim sunt hæc præsentis quæstionis: illud enim Theologiæ est; hoc vero Physicæ contemplationis. Et illud quidem contra Arianos accommodatius C considerabitur; hoc vero contra eos, qui penitus naturæ nostræ assumptionem negant: & illud demonstrat, quomodo se habeat natura verbi vnita respectu patris; hoc autem declarat, natura nostra vnita quomodo se habeat respectu nostri, sed non quomodo partes eius se habeant cum ipso comparatæ. His inquam omissis, de modo vnionis, & de confecto per eam excutiamus.

Tres igitur opiniones de vnione naturarum in Christo supra confutatæ sunt, diuidens, confundens, & quæ propriè dicitur vniens: in duabus hæretici luserunt, & ludunt, pulchrè enim diuinus Gregorius prius eos notauit. Vnio enim diuidens, ad habitudinem D pertinens, & nec à principio naturas copulans, res separatas relinquit, nec eis quæcumque sunt communia, neque quæcumque sunt propria, tribuens, aut vicissim reddens, vt iam hinc duæ penitus species, & inter se diuisæ statuantur. Hoc excepto, qood hæc opinio diuisionem naturarum inumbrat & tegit vnione secundum dignitatem, & voluntatem, & ταυτοβουλία, atque ita decipit insipientes. Altera autem opinio, huic prorsus contraria, & confundens, omnia delens, vnam rem adulterinam fingit, & cogitatione format: in neutro eorum, quæ vniuntur, proprietatem purè seruans, sed hoc esse illud concedens, & illud hoc, & idcirco nec hoc, nec illud esse. Adulterinum enim esse demonstratur omne id, quod ex confusione existit, nihil habens purum, nec in sua proprietate stabili fundatum. Vnio autem inter has me- E dia neque confusa, neque diuisa, nouit quidem ea, quæ vnita sunt, perfecta esse secundum suas proprietates propter immutabilitatem: communia vero hæc & vnius esse facit propter ipsam substantialem vnionem, vt sint illa quidem propriè propria alterutrius, communia totius; hæc vero communia totius, propria alterutrius propter proprietatem non confusam in alterutro. Non enim fieret mutua communicatio idiomatum, nisi in vtroque maneret & in vnione proprietas immobilis. Est igitur huiusmodi vnio magis vna, quam illa, quæ omnino diuidit: & copiosior, quam illa, quæ penitus confundit, vt quæ neque faciat penitus idem esse, quæ inter se vnita sunt; neque penitus diuersum.

Si igitur nec omnino idem, nec toto diuersum reddit, quod ex ista vnione existit, quærendum est, A qua ratione idem, & qua, diuersum. Doctrina igitur veritatis idem quidem secundum hypostasim nouit; diuersum vero secundum naturam, contra atque in Trinitate sit, vt Gregorius notauit. Si autem hoc aduersarijs non probatur, concludant ipsi, quod deinceps sequitur. Si enim non sunt idem hypostasi, concedent ergo natura esse idem. Si autem hoc, vna scilicet & eadem erit ratio diuinitatis, & humanitatis propter vnionem. Et sic hoc, idem erit vnio & natura. Commune enim est in ambobus prædicatum. Sicut enim quorum est natura vna, horum est eadem ratio; sic necesse est, quorum est vnio simul, & in eodem, horum secundum ipsos sit & natura communis: & vice versa, quorum natura vna, horum sunt hypostases differentes, quia nullam naturam vna persona circumscribit. Hinc autem quid concluditur? Nempe vnam esse naturam carnis & diuinitatis, duas vero hypostases. Si autem neque natura, neque hypostasi & numero vnum sunt, quæ coierunt, vbi erit identitas per vnionem vnitorum? Si autem & natura & hypostasi sunt vnum inter se, vbi ratio immutabilitatis, & non confusio in vnione seruabitur?

In Trinitate enim alius & alius, non autem aliud & aliud, id est, diuersum.

Quod autem fieri possit, vt ex imperfectis, & perfectus idem efficiatur, testantur, qui sub Christo ex sanctis mortui resurrexerunt. Tales enim ipsos aliquis secundum partes perfectos vnio per resurrectionem reddidit, quales natura in vtero formans copulauit. Id ipsum in communi resurrectione futurum esse credimus. Corporum enim quæ iam soluta, & corrupta sunt eorum qui nuper vixerunt, vel recenter mortui sunt, imperfectorum, & perfectorum eandem ex resurrectione concretionem faciendam esse credimus, ex quibus demonstratur, quod ex rebus, quæ prius hypostasim habuerunt, contingit fieri hypostasim sine mutatione, & si hoc, ex toto in Christo non conceditur. Quia non fuit prius formatus. Non tamen quia non fuit formatus, naturam Christi vnam ex duabus sine confusione factam esse, nec in alia quacumque natura cognouimus, ne dum in Christo, in quo vel cogitare tale quid non potest, qui prius est. Si enim natura dicitur παρὰ τὸ πεφυκέναι τί, id est, ab eo, quod aptum natum est, nulla autem natura apta nata est ad habendum contrarium, & oppositum, vna autem natura Christi secundum ipsos, hoc passa est, non erit igitur vna natura. Si enim insitum sit huic tali naturæ, vt visibilis sit, non est insitum eidem, vt sit inuisibilis, & si insitum est ei, vt sit mortalis & corruptibilis, non est insitum illi, vt sit incorruptibilis, & immortalis, alioqui erit eadem ratio contrariorum. Sed absurdum est hoc. Si enim contraria recipit ἀνὰ μέρος, id est, vicissim, at cum aliud horum habet actu, non iam contrarium actu habere vnquam potest. Dicant igitur, an non visibilis & inuisibilis, mortalis, & immortalis, circumscripta, & infinita, & in summa generabilis, & ingenerabilis simul & in eodem vna natura Christi ab ipsis conceditur? Vna quidem hypostasis, & persona possunt, simul, & in eodem contraria, & opposita prædicata recipere, vna vero natura, vt dictum est, non nata & apta est ad contraria & ad opposita sibi. Prius enim à seipsa deficiet, quam hoc patiatur. Atque hæc quidem contra illos.

recenter.

Non fuit ante vnionem formata humanitas Christi.

φύσις.

Quod autem nonnulli dicunt, quia humanitas Christi non fuit prius formata, neque prius in se habuit hypostasim, neque perfecta assumpta fuit, sed in verbo habuit hypostasim, idcirco vnam hypostasim amborum facere. Hoc quidem ex parte verum est, ex parte non. Etenim non habuisse in se hypostasim, neque prius formatam esse, nos etiam dabimus: fieri vero propter hoc vnam hypostasim amborum, tanquam non posset aliter fieri, neque possent Deus, & perfectus homo sic vniri, hoc non dabimus. Quid enim sic, aut illo modo haberet amplius erit Deo ad vnionem? Nec enim tempus vnionis,

vnionis, vel locus, vel imperfectio corporis, sed ipse modus vnionis vnum Christum fecit. Non igitur propter impossibile, sed quia non decebat nudam esse vnquam, & sine diuinitate humanitatem Domini, ideo reiicimus anteformationem. Iis autem, qui dicunt, ex hypostasibus sequitur anteformatio, & scire aliquando nudum hominem, & alium, atque alium Christum, & verbum: sin autem non prius formatus est, nec ex hypostasibus est: si autem non ex hypostasibus, nec hypostases sunt: quomodo enim, nisi ex his hæc? quandoquidem neque si ex his concedatur hypostasibus, iam necesse est & hypostases dare, vt demonstratum est: quod si ex hypostasibus dicunt, cur non magis ex personis; & si hoc dicunt, cur non ex filiis altero Dei filio, altero virginis dicere audent? Nihil autem potest esse magis hæreticum, neque quod propius ad impietatem Nestorii accedat, quam sic intelligere & loqui, quamuis ex diametro cum Nestorio pugnare isti videntur; vt audacia cum timore pugnat. Sunt autem hæc species communes vitii, & nimium ac parum contra se, & contra virtutem seditionem mouent.

προδιάπλασις.

Id est, ex hypostasibus hypostases.

Sed hoc aduertere oportet, quod hypostasis non simpliciter, neque præcipue perfectum declarat, sed quod per se existat; secundo autem loco perfectum. Natura vero quod per se existit, nequaquam declarat, propriè autem perfectum. Siquidem proprietates, quæ ad rationem hypostasis sumuntur, faciunt esse vnum quemque, aliquem ab aliquibus; quæ vero sumuntur ad rationem naturæ, non faciunt esse aliquem, sed aliquid ab aliquo. Quæ igitur sunt solius, solum etiam esse faciunt. Quæ vero communiter existunt sunt communia, nihil eorum magis vniuersale vniuersalibus dicitur, quamuis comprehenderit omnes, sub eadem specie contentos.

προηγουμένως principaliter.

τινὰ ἀπό τινων.

ὁ τὶς τινα ἀπό, τινὸ ἀπό τινος.

Et hoc etiam non est ignorandum, quod ea quæ naturam resignant, constituunt substantiam; quæ autem signant hypostasim velvti accidentium rationem habent, siue sint separabilia, siue inseparabilia, & in vtrisque substantiis scilicet, & hypostasibus, simplicium simplices sunt proprietates; compositorum compositæ. Sicut in homine, & in definitione eius substantiam quidem eius signant animal, quod est contrariorum capax ἀνὰ μέρος, id est, diuise, siue vicissim, aut per partes, rationale, mortale. Hæc enim est substantiæ eius definitio ἀπταιστος, id est vera: hypostasim vero signant figura, color, magnitudo, tempus, locus, parentes, educatio, institutio vitæ, & quæcumque sunt his consentanea, quæ simul in vnum coacta, aiunt in nullo alio vere dici posse, & tamen hæc sunt vnius hominis, τοῦ τινὸς δηλονότι, huius scilicet, & proprietates naturæ illa proprie participant, quæ sunt eiusdem substantiæ, siue naturæ. Proprietates vero hypostasis illa etiam participant, quorum ratio diuersa est, postquam in vnionem alicuius & coagmentationem naturalem assumptæ sunt. Sic igitur fit in Emmanuele, vna quidem hypostasis diuinitatis & humanitatis est, & idcirco quæ prædicantur tanquam de hypostase, communia sunt vtriusq; naturæ; non autem est vna natura, ac proinde neque proprietates tanquam naturæ: etsi enim omnia dicuntur de eodem tanquam de vno, non tamen secundum idem, neque tanquam de vna natura. Vt idem est visibilis, mortalis, & immortalis; tactilis, & non tactilis, non secundum idem, nec eadem ratione: quia igitur est vnus & idem, tanquam de vno omnia dicuntur sed tamen secundum aliud, & aliud. Ob hanc causam, non tanquam de vna & simplici natura hæc dicuntur, sed de diuersis, & compositis, & seruantibus in vnione naturalem suam proprietatem.

Id est, huius alicuius, siue alicuius huius.



LEONTII BYZANTINI

LIBER, CVI TITVLVS, DVBITATIONES Hypotheticæ & definientes, contra eos, qui negant esse in Christo post vnionem duas veras naturas.

Nunc primum in lucem editus.

INTERPRETE FRANCISCO TVRRIANO Societatis Iesu.

Id est, expositis & concessis.

EIVSDEM DVBITATIONES HYPOTHETICÆ, & definientes contra eos, qui negant esse in Christo post vnionem duas veras naturas.

I.



SI quæ sunt omnino eadem, sunt vnius naturæ. hæc autem ipsa etiam vna natura dicuntur: quomodo, quæ non sunt omnino eadem, vel vnius naturæ erunt, vel vna natura dicentur.

II.

Quorum vna est natura, communis est ratio: quorum autem communis ratio, eiusdem substantiæ sunt: non est autem secundum ipsos diuinitas Christi eiusdem substantiæ cum humanitate, non est igitur vna horum ratio. quorum autem non est vnquam vna ratio. horum naturæ semper scilicet erunt differentes.

ὁμοούσιος ἢ ὕπαρξις.

III

Si qui dicunt Christum esse ex diuinitate, & humanitate, etiam ex duabus naturis esse dicunt, & idem significare ambo ipsis videtur, quomodo dicentes Christum esse post vnionem in diuinitate, & humanitate, B non cogentur dicere ex datis ac concessis à se in duabus naturis esse? Idem enim etiam hic, quod ambo ista declarant.

IV.

Si ii, qui dicunt Christum ex duabus naturis, ex diuinitate, & humanitate dicunt, & qui dicunt ex diuinitate & humanitate, ex duabus naturis eum dicunt, & diuinitatem, atque humanitatem post vnionem etiam dicunt: duas igitur & ipsi naturas post Christi vnionem quoque dicunt, si vero negant dicendum esse duas naturas in Christo post vnionem; igitur negant dicendum esse in Christo post vnionem diuinitatem & humanitatem.

V.

Si cognoscunt non esse confusa in vnione, quæ coierunt: duo autem sunt quæ coierunt, vt ipsi fatētur: quomodo quæ in vnione non sunt confusa, etiam post vnionem non cognoscunt duo esse? Si autem cognoscunt, C quomodo non confitentur? Sin vero confitentur, quomodo numerare hæc recusant, quorum naturæ proprietatem non confusam post vnionem sciunt? Quod enim confitentur, inquit beatus Basilius, numerent etiam.

VI.

Si ex duabus naturis dicunt Christum, duas autem naturas Christum non dicunt: ex his quidem, non autē hæc dicunt Christum, dicant igitur, vtrum ex quibus constituunt Christum, etiam in his cognoscere eum vo-

A lunt? Si enim non sunt in eo ea, ex quibus ipse est, vel nequaquam sunt vel in altero sunt, scilicet in aliquo præter ipsum & quis erit hic, clarè doceant.

VII

Si in iis, quæ sunt eiusdem substantiæ cum dicitur vna natura, non identitatem subiectorum principaliter declarat, quomodo in ijs, quæ sunt diuersæ substantiæ duæ naturæ non differentiam, sed separationem necessario significant?

VIII

Si necessario numerus diuisionem secum infert, numerus igitur erit causa diuisionis; non autem diuisio causa numeri, & ex duobus alterum erit necessarium, vel nihil numerari eorum, quæ sunt vnita, vel nihil vniri eorum, quæ numerantur; at quomodo non hoc ridiculum erit talem potestatem tribuere numero? Cum omnis numerus quātum in rebus, non autem naturam, vel qualis sit harum habitudo, demonstret.

IX

Si vnio, & vnita sunt eorum, quæ ad aliquid dicuntur, quæ autem sunt ad aliquid, simul sunt, & semper. Simul igitur & semper vnio, & vnita. Sin autem vnita desierunt, desinit etiam cum ipsis vnio.

X.

Si numerus omnino separat numerata, nō solum numerus naturarum separat naturas, sed & numerus proprietatum omnino separabit. Quomodo igitur qui dicunt duas proprietates, non erunt ipsi subiecti causæ diuisionis?

XI

Si secundum Gregorium Theologum contra est in Trinitate, quam in mysterio incarnationis saluatoris, tres autem hypostases semper, vnam autem naturam in trinitate confitemur; quomodo non duas quidem naturas, vnam vero hypostasim in carnatione concedemus? Si quidem contra est, omnium contraria conuersio secundum totum.

XII.

Si alius, & alius pronomen est hypostaseon secundum eundem Gregorium, aliud vero & aliud pronomen naturarum; semper autem est primum in Theologia, id est, in mysterio Trinitatis, semper igitur secundum in incarnatione. Si autem semper secundum in incarnatione, semper ergo naturæ. Si quidem semper sunt pronomina earum.

XIII.

XIII.

Si idem est dicere aliud natura, & aliam naturam semper autem vere dicitur primum in diuinitate saluatoris, & humanitate, semper igitur secundum necessario vere simul dicitur in eisdem.

XIV

Si non est idem simplex natura, & composita, simplex autem natura verbi vnam solam naturam declarat composita secundum ipsos natura Christi non vnam naturam declarabit; quod si simplex & cōposita vnam naturam secundum ipsos declarat, dicant differentiam naturæ Christi secundum ipsos compositi, & naturæ simplicis verbi.

XV

Nominum, & verborum partim quidem habent pronuntiationem plurium, significationem singularis, B vt Thebæ castra? partim vero contra, pronuntiationem singularis, significationem vero plurium, vt chorus, & exercitus, & ciuitas: dicant igitur, quomodo vna composita natura ab ipsis dicitur siquidem, sicut apud patres natura composita natura duplex dicitur, non habet locum, vt compositam naturam, vnam existiment, quia neque duplicem, eritque inanis eorum concertatio aduersos duas naturas, ipsi enim scilicet patres significationi singulari sensum plurium reddiderunt, sin autem, sicut habet appellationem singularem, sic volunt significationem esse singularem. iidem ipsis significat simplex & composita natura. Et superuacanea est vox compositi. Eadem enim notio ipsis redditur ex simplici, & ex composita natura. Si autem neutrum ex dictis est, adulterinam igitur & confusam vnam naturam ex duabus naturis confingunt, qualis natura mulorum & aliorum eiusmodi excogitata est, & quale apud Gentiles describitur multiformium & contrariorum animantium monstrum.

XVI

Si dicere vnam naturam verbi incarnatam, contrarium est atque dicere duas naturas vnitas, alterutrum necesse est, aut carnem hanc non esse naturam, neque naturam carnis habere, aut cum alioqui sit. non tamen dici esse, quod est, eligant sapientes, vtrum harum impietatum malint, naturam hanc non esse carnem. an carnem non dici naturam.

XVII

ἀντιστρο- φὴν ἀντι- διαστολήν. Vna natura verbi incarnati triplicem habet notionem aut enim dicitur κατὰ τὴν αὐτὴν στροφὴν, id est, secun- D dum reciprocationem, hoc modo est vna natura verbi incarnata, quia incarnata rursus vna natura est, hoc est, nuda corpore sicuti æris statuæ vna natura est æris figurata, aut dicitur secundum mutationem substantiæ vt vna natura verbi carnea facta, vt si quis dicat, vnam naturam aquæ lapidescentem: aut dicitur, quod vna natura verbi cum sit, non sola, & per se, sed cum carne consideratur. Si igitur secundum primas notiones vnam naturam verbi incarnatam dicunt, ex eo ipso, quod dicunt, ipsorum impietas redarguitur, cum Apollinario enim & cum Eutychete mysteriū incarnationis tollunt. Si autem secundum extremum significatum dicunt, quomodo natura verbi cum carne, cum natura carnis, quæ cum verbo est, vna est secundum naturam? aut quomodo si non est vna secundum naturam, natura E vna dicetur?

XVIII

Quæ proprie inter se sunt opposita, totam negationem toti affirmationi opponunt; vt affirmationi dicenti, Paulus Apostolus est, opponitur negatio, quæ dicit, Paulus Apostolus non est. Sic igitur & duabus naturis vna natura opposita est. Si enim vna natura est Christus, non est duo. Et si duo, non est vna. Si autem vnam dicentes, aliud quid addunt, non iam dicuntur ἀντιθετικῶς, id est, opposite, sed aduerse, & secundum periphrasim, & confessio duarum naturarum constat ipsis A ex nomine, & ex definitione: ex nomine quidem naturæ verbi, ex definitione vero carnis animatæ anima rationali, & intelligente, hæc enim est definitio naturæ humanæ. Quomodo igitur dicentes definitionem naturæ, appellationem eius recusant? aut quomodo appellationem vtriusque naturæ concedentes, numerum repudiant? Respondeant isti, qui neque quæ ipsis conueniant, neque quæ repugnent, intelligere possunt.

XIX.

Simplex natura non est eiusdem substantiæ cum composita, si autem simplex est natura patris, composita vero Christi natura, non est igitur natura Christi eiusdem substantiæ cum natura patris. At ipsi simulant homoousion esse patri Christum, & nobis homoousion eundem. Dicant igitur, an possit vna, vt ipsi dicunt, composita natura Christi, ex toto esse homoousios patri, & ex toto rursus nobis? Et an non hoc nos etiam ad patris consubstantialitatem reuocet? Quod si dicant non ex toto vnam naturam Christi patri, & nobis esse homoousion, id est, eiusdem substantiæ, relinquitur vnius naturæ dimidium esse patri homoousion, & dimidium nobis: at quid aliud est hoc, quam diuidere, quam ipsi dicunt vnam Christi naturam in naturam eiusdem substantiæ, diuersæ substantiæ, & in partes complentium ipsis vnam naturam compositam. Est autem impietatis Apollinarii, & insaniæ Arii negant perfectum in diuinitate Christi, & in humanitate eius.

XX.

Si Deus, & homo etiam secundum ipsos, vnus Christus C etiam post vnionem dicitur, natura vero vtrumque, quomodo non duæ naturæ vnus Christus post vnionem? Siquidem nunquam sunt idem natura Deus & homo: neque eadem natura vnquam, qua quidem est Deus, hoc est & homo.

XXI.

Si qui dicunt homoousion, & homoousion Christum post vnionem, ad aliud, & aliud, referentes dicunt, id est, ad patrem, & ad nos, nequaquam vero pater, & nos homoousij: sumus igitur neque quod est nobis homoousion, erit vnquam homoousion homoousion patris. Si autem homoousia vnius naturæ sunt & dicuntur, non est autem homoousius etiam secundum ipsos diuinitas humanitati, quæ vero sunt diuersæ substantiæ, differentis naturæ sunt, quæ sunt alia D secundum naturam, erunt etiam naturæ scilicet diuersæ.

XXII.

Proprietates non suæ, sed aliquorum sunt proprietates, si vero sunt duæ etiam secundum ipsos proprietates post vnionem, duo igitur sunt post vnionem ea, quorum sunt proprietates, at duas proprietates qui dicunt naturales has dicunt, dicant igitur an duæ proprietates naturales non sint duarum naturarum proprietates. Si autem duas proprietates naturales post vnionem confitentur: semper igitur erunt duæ naturæ, siquidem & duæ harum naturales proprietates.

XXIII.

Differentia necessario est differentium differentia. E Differentiæ enim constituentes distinguunt, quæ secundum substantiam differunt. Dicant ergo an dicentes differentiam diuinitatis, & humanitatis, non dicant naturalem differentiam etiam post vnionem? Si vero naturalem dicunt differentiam, naturarum differentiam necessario dicunt. Si vero hoc, duas igitur naturas differentes & ipsi post vnionem dicunt. Siquidem duæ naturæ naturali differentia necessario duæ naturæ sunt.

XXIV

Si secundum veritatem, & sanctos patres, hanc habet differentiam substantia ab hypostasi, quam habet

commune à proprio vna, natura verbi, non dicitur vna cum carne sed cum patre? cum ipso enim habet vnitatem naturæ, & identitatem. Si autem vna natura est & dicitur cum patre manifestum euadit, quod nunquam natura vna cum carne dicetur. Si autem verbum non vna natura cum carne dicituur, liquet, quod neque caro cum caro verbo vna natura dicetur. Si autē neque verbum cum carne, neque caro cum verbo vna natura dicitur, inter vnam autem, & duas nihil medium est, manifestum est, quod negatio vnius naturæ confessionem duarum naturarum secum ex consequenti infert.

XXV.

Si hypostasis verbi proprietatem à patre distinguit, hac autem proprietate à patre distinguente, quæ est hypostasis, alius est à patre; non autem hac distinguente proprietate à carne distinguitur, quomodo alius erit verbum à carne; vel tanquam hypostasis ab ipsa separabitur; Si autem non hac proprietate à carne distinguitur, alia scilicet proprietate naturæ distinguetur quæ cum patre copulans, à carne eum distinguit. Hinc igitur patefit, quomodo duas quidem naturas in Christo dicimus, vnam vero hypostasim? quoniam proprietate distinguente à patre vnitur cum carne; sicut sane proprietate naturali vniente eum cum patre differentiam à carne habet. Et sicut est vna natura cum patre propter eandem vnitatem naturæ; sic etiam non est vna natura cum carne propter naturalem, & immutabilem proprietatem huius in vnione cum verbo.

XXVI

Si omnia eiusdem substantiæ, ratione naturæ vnita sunt, & idcirco dicuntur vna natura; quæ autem diuersæ substantiæ sunt, vnione, non natura vt copulentur, apta nata sunt, non est autem idem vnio & natura, non est igitur idem, quod ex vtrisque fit. Si autem quæ natura copulat, natura vna dicuntur, vnione copulata, hypostasi quidem, sed non natura ac substantia vnum esse dicentur.

XXVII

Communiter ab omnibus concessum est, nomen hominis naturam declarare, Pauli autem, & Petri hypostasim. Secundum autem beatum Cyrillum nomen Christi neque vim definitionis habet; nec alicuius substantiam declarat, vt hominis, & equi, & bouis, & vniuscuiusque eorum, qui sub eadem specie continentur; igitur non est idem hominem simpliciter dicere, & Christum. quomodo igitur exemplum hominis, quod nomen naturam significat, ad personam Christi transfertis; cum nomen Christi secundum doctorem non naturam, sed hypostasim declarat? Si vero dicitis ipsum Cyrillum, & alios patres vsos esse exemplo hominis ad rationem vnionis, non hominem simpliciter, sed aliquem sumunt; hic autem hypostasis est. Aduertite autem, quod in duobus hircis ipsum Christum describit. Sicut igitur hic non ad hypostases hircorum refert exemplum, sed ad differentiam viui, & immolati, sic etiam hic non ad interimendas naturas, sed ad vnitatem personæ imago alicuius hominis ab ipsis patribus sumitur. Quod autem hic aliquis homo ex duabus naturis, & duæ naturæ est & dicitur ab eisdem patribus, ex scriptis eorum multis locis probari potest.

Leuit.16. in ma. Vide Epist. 39.S.Cyr. è ms.

XXVIII.

Dici Christum ex duabus naturis, aut tanquam ex principiis, aut tanquam ex ipsis partibus vnitis intelligendum est: tanquam ex principiis; ex hypostasibus potius quam ex naturis erunt principia eius. Siquidem principia eius secundum diuinitatem, pater; secundum humanitatem mater. Qui autem est ex his tanquam ex causis, manifestum est, quod non est eadem. non enim est pater, neque mater. Si vero tanquam ex partibus, quomodo non sunt in toto partes?

A Aut quomodo totum non est in partibus? Si enim neque totum est in partibus, neque pars in toto relinquitur, vt antea dictum est, vel minime esse hæc, vel in altero præter Christum cerni diuinitatem Christi, & humanitatem; & in aliis Christum, & non in diuinitate, & humanitate eius, hoc autem non solum humanitatis eius, sed ipsius diuinitatis verbi essentiam tollit.

XXIX

Quantum in rebus non solum existit ex numero definito, vt duorum, vel trium, vel quatuor, & deinceps: sed ex non definito, vt sunt multa, pauca, plura, pauciora, & similia, & ex analogia, siue proportione, vt maius, minus æquale, ad aliquid, & ex voce, quæ vocatur indicatiua, vt hoc, & illud, & hæc, & aliud, B & diuersum; aut ex ordine, vt ante hoc, & post illud, & à principio, & postea. & ex aliis etiam modis, vt consentaneum est. si igitur omnes modos declarantes res, sciunt isti diuidere res declaratas, ex eo ipso redarguitur eorum absurdum, etenim ipsi vnam, & vnam dicunt, & naturas infinite, & proprietates, & hoc, & illud, & aliud, & diuersum, ac diuersum, & maius, & minus, & æquale, & ad aliquid, & ante hoc, & post illud. Sin vero non omnes modos, sed numerum definitum tantum præsertim numerum duorum ponunt diuidere, sortiri est sic loqui. Dicant enim ipsi, cum multis modis quantitas subiectorum declaretur, quare solus numerus duorum, suspicionem diuisionis, quam tantopere metuunt, ipsis inijcit, cum aliter in re & veritate sit? Duo enim simul, quæ numerantur, sed non separata secundum vim colligentem huius numeri magis demonstrant, C quàm numerus vnius; & vnius solutus per se consideratus.

XXX

Si omnis compositio singulariter effertur, & numerum eiicit ex compositis, alterum duorum necessarium erit, aut non esse compositum corpus nostrum, & totum hominem; aut non prædicari de corpore, & toto homine secundum ipos numerum. Dicant igitur, an non significent nobis numerum compositorum hæc, quæ sic in scriptura sunt: posuit membra, vnum quodque eorum, in corpore: & multa quidem membra, vnum vero corpus. & illud, dinumerauerunt omnia ossa mea: & foderunt manus meas, & pedes, & effusa sunt omnia viscera eius. Immo in amba- D bus partibus hominis tria numerat Apostolus, animam, & corpus, spiritum, quæ fermentata sunt secundum parabolam saluatoris in farinæ sata tria. Et rursus, glorificate Deum in corpore vestro. & in spiritu vestro, quæ sunt Dei. Et iterum de eisdem, hæc autem sibi inuicem aduersantur. Dicant ergo, an non sunt quæ, & hæc, & sibi inuicem aduersantia species numeri? Dicant præterea, qui duo in tecto & duæ in mola, quorum vna assumitur, & vna relinquitur? Præterea, dicant, an non intelligit Dominus esse hominem duo, corpus scilicet & animam? Ex quibus corpus quidem occidere possunt, qui insidiantur: animam vero non potest insidijs occidi, ambo vero in gehenna pereunt, si digna esse interitu iudicentur. Si enim dicamus naturam temporis continuam magis veritam, E postea in duodecim horas à Domino diuisam esse: vel rursus sicut ipse dixit, totam legem in his duobus mandatis pendere, charitatis in Deum, & in proximum, fortassis ipse Dominus nobiscum crimen diuisionis non effugiet, qui diem in XII. horas diuisit, & totam legem in duo generalia mandata. Denique qui studiose scripturam, & patres legerit, varium, & multiplicem vsum numeri reperire poterit in simplicibus, in compositis, in vnitis, in diuisis, in iis, quæ sunt per se, & iis, quæ cogitatione considerantur. qui varius vsus vsque ad ea progreditur, quæ sunt penitus sine hypostasi, illud etiam non est ignorandum, quod similiter apud

apud simpliciores, quasi aliquid differat dixere duo, & ambo, & vtraque, & in ambobus, & per ambo. Hæc enim omnia, & quæ huiusmodi sunt idem sunt inter se, licet partim quidem horum in communi consuetudine, partim vero apud elegantiores reperiantur. Sicut multa alia huiusmodi mulos partibus orationis declarantur. Diuinus igitur Apostolus varium vsum horum in eisdem rebus variat cum ais, qui fecit vtraque vnum & rursus, vt condat duos in se ipso, & quæ sequuntur, & reconciliaret ambos, vt verissimum sit, nec in diuina scriptura, nec in A sanctis patribus facere hæc differentem sensum in significatione differente. sed potius in quo vnum horum reperitur, idem declarari, differente horum omnium significatione. Nos vero gratias Deo pro ijs, quæ hactenus dicimus, agentes, hic finem dubitationum finie. Non enim propositum nobis fuit libros scribere, sed tradere studiosioribus adiumenta, & semina perfectioris retractationis horum, vt possint scire sapientes, qui non de omnibus dubitant, esse alia, quæ vt magis à nobis dubitentur, ipsi digni sunt.

Finis dubitationum Leontij Byzantini.

AD LECTOREM.



CVM Leontius in libro de Hæresibus Act. 8. percenseret, quanam Seueriani argumenta ex libris Patrum obijcere solerent: sic inter cætera scribit. Producunt & aliam auctoritatem ex Erechthio, cuius inter Patres nec auditum est vnquam nomen. Adeo quidem, vt cum Timotheus contra Synodum scripsisset, & auctoritatem Erechthij citasset, Cyrus, qui apud ipsum Presbyteri loco esset, his ad eum verbis perscripserit: mallem hoc te corrigere: nam Erechthii nomen inter Patres auditum nunquam fuit. *Hæc Leontius de Timotheo hæretico Seueriano, de cuius opere aduersus Synodum Chacedonensem fortaßis fragmentum est hoc, quod inter clarißimi Turriani schedas repertum, ad calcem Leontij adijcere placuit; vt Leontio de Erechthio & Timotheo scribendi lux inde accendatur.*

AVCTORITATES SANCTORVM PATRVM CONTRA EOS, QVI DIVIDVNT in duas Naturas vnum Dominum Iesum Christum post vnionem: Collectæ à quodam Hæretico, siue is Timotheus, siue quis alius fuerit.



BEATI Erechthij Episcopi Antiochiæ in Pisidia ex homilia recitata in sancta Epiphania in Ecclesia Constanonopol. sedente beato Episcopo Proclo. Ex magno Propheta Esaia audiuimus, cum ait, Puer natus est nobis, & filius datus est nobis, cuius Principatus super humerum eius; & vocabitur nomen eius Magni Consilij Angelus, admirabilis, consiliarius, princeps pacis, pater futuri sæculi. Ne igitur aliquis Iudaicus surculus vos decipiat, sic enim appellandi sunt, qui hæreticos sectantur, quasi alius sit, qui natus est, & alius, qui in eo habitauit Deus; & quasi duæ sint eius qui natus est, naturæ. Si quis enim hoc de Emmanuële dicere ausus fuerit, oppone ei hoc solum nomen, memoria huius nominis erit ei frænum silentii. Non enim duas naturas, sed Deum incarnatum Virgo mysticè peperit, cum Spiritus sanctus in eam superuenisset. Et enim si Christus esset fœtus feminis hu- B mani, concederem fructum secundum naturam imitari radicem. Sin vero est ex Spiritu sancto secundum vocem Archangeli, Deus est qui natus est, quia Deus est causa ortus.

Beati Theodoti Episcopi Ancyræ.

QVa de causa passiones hominum fecit proprias? Quia volebat passionem passione tollere, & morte mortem consumere, & quia voluit similia similibus expugnare, propriam facit crucem: propriam facit alapam: suum facit vinculum, & ligationem. Et factæ passiones Dei potestatem acceperunt contra passiones? Non enim natura Dei affecta est iniuria, neque propria mutatione passiones suscepit. Et vires acceperunt à Deo passiones contra similes passiones. Deinceps enim mors tanquam Dei facta, mortem delet, & mortuus tyrannidem mortis dissoluit.

Cyrilli en Epist. ad Successum.

QVid necesse est parti eum in propria natura, si dicitur post vnionem vna natura filij incarnata? & paulo post, temerè nugantur, qui aiunt sequi, oportere eum in propria natura sustinere passionem, supposita carne, circa quam accidere parti, consentaneè intelligetur, verbo remanente impatibili. Sed non propterea extra passionem eum ponimus. Sicut enim factum est corpus proprium eius, sic omnia corporis, excepto solo peccato, nihil ominus eius esse dicentur secundum œconomiam, *οἰκείωσιν*, id est, appropriationem.

Beati Theodoti Episcopi Ancyræ.

TAnquam vnum & eundem esse diuinè quidem glorificatum, & humanè patientem: omnes nobis fatebuntur, qui vnionem diuinitatis & humanitatis fatentur. Quod enim vnitum est, non iam duo, sed vnum nominatur. Quod si vnum, quæ rursus, *παρείσδυσις*, id est, occultus aditus. Quod vnumquodque priuatim consideras? ergo soluis vnionem. Fieri enim non potest, vt seruetur vnio, & vnumquodque priuatim spectetur. Quin potius quod vnitum est insolubiliter, vnum factum est, & non sunt iam duo. Sed cogitatione, inquit, separo. Igitur eadem cogitatione vnionem soluisti, vt enim separas alterum ab altero, sic vnionem scindis. Quid igitur dissoluis œconomiam saluatoris, cum duo intelligis, & vnionem reiicis? Et paulo pòst: si enim ratione vnis, ne scindas cogitatione. Sin vero cogitationibus scindis, vnionem negasti. Ne igitur ad naturas separatas deducas cogitationem, Deo summam vnionem operante crede miraculo, & ne scruteris ratiocinationibus quod factum est, ne dissoluas miraculum, dum contendis reperire rationem. Non enim manet admirabilis ratio, si noscitur.

κατ' ἰδίαν.

Eiusdem; Vbi est qui diuidit Christum? Vbi qui mysterium nostrum vertit in homonymiam, cum vnum Christum dicit, & duos subiicit, vnum quidem seruum,

A alterum vero Dominum; vnum patientem, alterum non patientem. Quæ vtilitas vnius nominis, duabus rebus subiectis?

Eiusdem, Quomodo propter nos factus est pauper, dicant, qui humanitatem à verbo diuidunt? Qui vnitum disseparant memoria duarum naturarum? Qui duo quædam dicunt Christum, & vnum sola cogitatione ad apologiam afferunt?

Annotatio in præcedens fragmentum.

B



VT hodie hæretici citant sanctos Patres ita & olim citabant; perperam nimirum impudenter & deprauatè. Nihil opus exemplis. Vel iste quisquis fuit, satis exempli suppeditat: qui tam audacter S. Cyrillum & Theodotum Ancyranum testes laudat, quasi Seuerianæ impietati patrocinaretur. De hoc Cyrilli fuse disputat Eulogius Patriarcha Alexandrinus apud Photium in Bibliotheca. Ex Concilio Chalced. Act. 1. Damascenus lib. 3. de fide Orthod. c. 7. & alij.

De Theodoto Ancyrano hæc Gennadius in Catalogo scriptorum Ecclesiasticorum. *Theodotus Ancyranus Galatiæ Episcopus, scripsit aduersus Nestorium adhuc* C *Ephesi positus librum redargutionis & confutationis, Dialecticaquidem arte ordinatum sed auctoritate sanctarum scripturarum detextum: multis enim assertionibus vsus est antequam scripturarum testimonia poneret.* Hæc Gennadius. Subscripsit hic Theodotus in Concilio Ephesino cum reliquis Episcopis ex auctorationi Nestorii. Exstat tom. 2. Synod. Ephe. edit. Peltani. ca. 10. De eodem Trithemius lib. de scriptoribus Ecclesiast. Clarus fuit inter patres Concilij Ephesini; in quo tres eius leguntur Homiliæ: vna contra Nestorium: duæ in Natalem Saluatoris nostri.

NOTÆ

NOTÆ IN LIBRVM PRIMVM LEONTII.

CLARVIT Leontius iste sub Iustiniano Imperatore, huius nominis primo, patria Byzantinus: malè enim apud Cyrillum in vita S. Sabæ cap. 95. *Byzacenus* fuisse scribitur. Monasticam vitam professus est in Palestina, in Noua Laura S. Sabæ: cum tribus socijs quorum vnus erat Nonnus, cuius non sine Elogio meminit Leontius in præfatione sui operis. Quæ fortè caussa est, cur Leontius in Codice Bauarico nominetur *Hierosolymitanus*: nam Laura Sancti Sabæ Hierosolymis procul non aberat: Hinc fortassis librarius, aut alius quispiam, Hierosolymitani titulo eum cohonestauit, cum reuera Byzantinus esset. Ingressus est autem Lauram cum socijs sub præfecto Paulo; qui, vt ait Cyrillus in vita S. Sabæ, *erat quidem Romanus genere, sed simplicissimus & ab omnibus negotijs alienissimus.* In cuius locum subijt Agapetus. De quo hæc Cyrillus: *cum Agapeto Lauræ commissa esset præfectura, inuenit quosdam ex fratribus (erant autem hi quatuor à Paulo Abbate admissi, qui fuit simplicissimus, nec bene examinati) tanquā virus sub labris quadam Origenis occultantes. Inter quos primas partes obtinebat Nonnus Palestinus;* quem, vt & Leontium aliosque, hæresi Origenistarum infectos miras turbas in Monasterijs Palestinæ excitasse idem Cyrillus in vita S. Sabæ sæpius memorat: vt & in vita S. Quiriaci Anachoretæ.

Addit; illos non tantum Origenis, sed & Theodori Mopsuesteni dogmata defendisse: quod mirum videri potest; cum Leontius toto libro tertio eius operis quod nunc vulgamus, Theodotum Mopsuestenum, Diodorum Tarsensum, eorumq; discipulum Nestorium acerrimè opugnet; & tanquam omnis impietatis magistros detestetur. Vt in alio opere, quod de sectis edidit, quod Ioannes Leunclauius Græcè & Latinè primus publicauit, Latióque donauit. Et cum in eodem libro actione vltima Origenem & Origenistas ex professo refellat; difficilè creditu est Leontium hac labe fuisse inquinatum: nisi quis dicere velit, hæc non serio ab illo scripta: nam si qui Hæretici vnquam fuerunt, quid aliud in ore, aliud in pectore ferebant: in his certè Origenistæ postremi non sunt censendi; aut Leontium post librum illum de sectis euulgatum in hæresim Origenicam incidisse. Et hæc dicta sont in eius gratiam; qui Cyrilli narrationibus fidem præbere velit: nam & libro. 3. præsentis operis num. 40. fatetur Leontius Originem è veritate excidisse. Quod non videtur dicturus fuisse si Origenis erroribus adhæsisset.

Apud Surium Tom. 6. & Tom. 5.

Scribit idem Cyrillus Ioannem Silentiarium literas dedisse ad S. Quiriacum Anachoretam; quibus rogabat Deum impensius oraret; vt Origenistæ; *qui erant in noua Laura cum Nonno & Leontio, vincerentur, & summam illam amitterent arrogantiam.* Illum autem respondisse: *ne animo angamur, ô pater, cito enim videbimus Nonnum quidem & Leontium è vita excessisse miserrimè; lupos autem qui versati sunt in Laura turpissimè illinc expelli.*

Præter libros, quos nunc primum publici iuris facimus ex Schedis Francisci Turriani doctissimi & clarissimi Theologi, & de Societate Iesu: beneficio & liberalitate R. P. Antonij Possevini: qui Schedas illas Turriani malè, nescio vbi: qua ab aqua: quà à blattis & in eis passim acceptas, nobiscum candidè communicauit: scripsit Leontius librum de Hæresibus decem capitibus, seu, vt ipse vocat, Actionibus constantem? quem ex tenebris in publicum extraxit Leunclauius: vt paulo antea dicebamus. Esse autem Auctorem libri huius hunc nostrum Leontium probatur primo ex cognomento Byzantij. Secundo, ex ipso disputandi genere. Est enim argutum, doctum, planeque Philosophicum; Leontium enim Theologicis & Philosophicis disciplinis excellenter excultum fuisse; vt cætera argumenta deessent libri profecto quos nunc publicamus, abundè id docent. Tertio ex titulo libri: qui est iste: Λεοντίου σχολαστικοῦ βυζαντίου σχόλια ἀπὸ φωνῆς Θεοδώρου, τοῦ θεοφιλεστάτου ἀββᾶ καὶ σοφωτάτου φιλοσόφου, τήν τε θείαν καὶ ἔξωθεν φιλοσοφίαν ἐπεγνωκότος γεγονότος. *Leontij Aduocati Byzantini, Scholia seu Scola, excepta ex ore Theodori religiosissimi Abbatis, doctissimique Philosophi, diuinis pariter externisq; litteris eruditi.* Nam iste Theodorus alius non est quam ille cuius Cyrillus in vita S. Sabæ & S. Quiriaci sæpius meminit: quemque cum Nonno & Leontio non semel Origenicæ hæreseos, & seditionum in Monasterijs concitatarum insimulat: qui postea ex Monacho, Cæsareæ Cappadociæ Antistes creatus est, vt idem Cyrillus testatur.

Porro Scholasticum reddit Leunclauius *Aduocatum*. Non male: nam inter cæteras hanc etiam notionem Scholastici vocabolum habet: vt multis exemplis ostendit Cuiacius, ad lib. 12. Cod. Iustin. titulo 61. Leg. 2. & ad Nouellam 80. Vide Baron. in Not. ad Martyrol. Rom. die 6. Februarij. Sed cum Scholastici nomine significentur quoque Rhetores, & declamatores litium fictarum: vt ex Tacito, Plinio, Sancto Hieronymo & alijs Cuiacius & Baronius demonstrant: in certum relinquitur: hanc an ne illam significationem vox *Scholasticus* habeat, quando tribuitur Leontio: qui tamen antequam Monasticam vitam complecteretur: forensium actionum non videtur fuisse expers: quem incautum & improuidum Nestoriani in suam nassam pellexerant: vt ipse scribit libr. 3. ex tribus qui iam prodeunt.

Præter hæc librum aduersus Philoponum elucubrauit: de quo Nicephorus libr. 18. cap. 48. *Quinetiam post illud eruditi quidam homines, ea quæ perperā à Philopone prolata sunt, refellerunt. Et cum plerique alij ea scriptis suis oppugnarent, tum Leontius Monachus omnium maximè egregium librum triginta capitum contra illum conscripsit: quo simul & hæresin illam prorsus euertit: & piam nostram sententiam valde confirmat* Hæc Nicephorus.

Exstat in Bibliotheca Bauarica num. 117. eiusdem Leontij insigne volumen aduersus Eutychianos, seu Seuerianos & Nestorianos, in octo libros distinctum quorum primus hanc habet inscriptionem, Sexaginta tres ἀπορίαι, seu quæstiones propositæ illis, qui vnam in Christo naturam statuebant: huiusque dogmatis refutatio & testimonia sanctorum Patrum.

Secundus. Aduersus illos, qui duas in Christo hypostases ponunt, nullamque compositionem in illo admittunt.

Tertius. Redargutio eorum, qui asserunt duas, & non vnam hypostasin in Christo, idque ex ipso Incarnationis mysterio probare contendunt.

Quartus. Redargutio eorum, qui duos filios ex Incarnationis mysterio introducunt.

Quintus. Redargutio eorum, qui beatam virginem θεοτόκον, seu Deiparam nominare abnuunt.

Sextus. Demonstratio aduersus eorum impietatem, qui impudenter naturalem diuinitatem Christi veri Dei nostri negant.

Septimus, Demonstratio impietatis, qua laborant ij, qui fatentur quidem Christum Incarnatum, fuisse hominem, θεοφόρον, *Deiferum*, sed non Deum.

Octauus. Refutatio eorum, quibus solenne accusare illos, qui dicunt, vnum ex sancta Trinitate passum esse in carne.

Hoc tantus thesaurus adhuc in Bauarica Bibliotheca latet. Vtinam eruditus interpres existat; qui eruat. Eruditum postulo; quia Leontius eruditissimus est & semper illis in argumentis occupatur, quæ etiam accutissimos Scolasticæ Theologiæ professores exercent: videturque Leontius eò omnem suam operam & industriam conuertisse: vt Euthychis, & Nestorij sectatores extinderet, funditusque exstirparet. Indicio sunt tot in illos scripta volumina: tanto doctrinæ & ingenij apparatu. Scripsit autem Leontius tres libros, quos nunc à nobis lector accipit, ante quintam Synodum Constantinopoli sub Iustiniano coactam: nam Synodum Chalcedonensem nominare solet postremam. Sed satis de Leontio.

Nunc breues notulas accipe, quas fere Turrianus margini suorum aduersariorum adscripserat: sed eas huc transferre placuit: quod oræ libri earum vix capaces essent: idque hoc etiam nomine libentius fecimus, quod Græca nonnulla admixta sint: quæ Latinis obscurioribus aliquid, vt spero, lucis accendent,

col. 658. v. 2. Et sunt tanquam ex iussione) ἴσον ἐπιτάγματος αὐτοῖς.

Ibid. v. 10. aliter. πατρεφιλοσόφους, id est, *putres philosophos.*

col. 959. Abbas Nonnus) Aliter depingitur Nonnus iste a Cyrillo in vita S. Sabæ & S. Quiriaci.

col. 96. v. 51. Definitio vero hypostasis) Hypostasis significat substantiam particularem, non quocumque modo, sed quatenus est in suo complemento, id est, per se separatim & incommunicabiliter existens. Quatenus vero venit in vnionem alicuius magis completi, non dicitur hypostasis. Anima & corpus, ex quibus homo componitur & completur in specie seu natura humana: sunt ἐνυπόστατα. Conuenit cum his definitio Damasceni in Logica, cap. 44.

Ibid. v. 45. Rationem essentiæ recipit.) τὸν τοῦ εἶναι λόγον.

Ibid. Hypostasis vero rationem per se essentiæ.) τὸν τοῦ καθ' ἑαυτὸ εἶναι.

Ibid. v. 46. Declarat aliquem vnum.) τὸν τινα δηλωτικόν.

Ibid. v. 53. Communionem vero essentiæ.) τοῦ εἶναι.

Ibid. Simul enim inter se.) ἅμα γὰρ ἐν ἀλλήλαις.

Col. 963. Duplicem esse.) Duplex definitio perfectionis in Christo, altera simplex dicta: altera, in habitudine: simplex ad diuinitatem verbi spectat: illa, quæ in habitudine consistit, pertinet ad vnionem verbi cum humanitate.

Ibid. Hoc autem annotandum est.) Aduerte, quod definitiones non inferunt simul cum definitis loca & tempora, nec enim, quæ definiuntur, constant ex his, quamuis in his: hominem enim definientes, animal rationale mortale dicimus, quando autem natum sit, aut vbi existat, non subijcimus: essentiam enim animalis solum significamus, relictis, quæ in omni re creata coniunctè intelliguntur: quæ sunt tempus, & locus: sine tempore enim & loco nihil rerum creatarum dicere aut intelligere possemus.

Col. 962. v. 31. naturaliter.) οὐσιωδῶς, q. d. essentialiter.

Ibid. v. 42. propter vnionem cum corpore.) διὰ τὴν κρᾶσιν τοῦ σώματος. q. d. propter mixtionem cum corpore.

Ibid. v. 45. ratione existentiæ.) ὑπάρξεως λόγῳ.

Ibid. v. 53. contemplationes.) αὐλους ἐμφάσεις. vocat τὰς θεωρίας τῶν ἀοράτων ὄντων τῶν μὴ βλεπομένων, considerationes inuisibilium vel non apparentium, vt S. Paulus ait.

col. 963. v. 35. caussæ hypostasin.) vtitur vacabulo *caussæ* pro principio, more Græcorum.

Col. 964. v. 34. communicatio quidem indiuiduorum.) communicatio indiuiduorum ad speciem est secundum naturam, & non secundum appellationem, quia indiuiduum naturaliter participat speciem, quæ cum ipso communicatur secundum naturam sed non prædicatur indiuiduum de natura, directa scilicet & visitata prædicatione, non enim dicimus: Homo est Petrus. Contra vero fit in communicatione vniuersalium ad particularia. Est enim hæc communicatio secundum appellationem seu prædicationem: cum vniuersalia de particularibus directa prædicatione prædicentur? dicimus enim Petrus est homo.

Col. 964. v. 58. ab homine vniuersali.) ἀπὸ τοῦ καθόλου ἀνθρώπου

Col. 965. v. 20. scribe igitur tria latera) △ Pater. caro, Verbum. △ Pater. caro △ Verbum.

Verbum caro Pater

Col. 965. v. 59. nisi in inscitia.) σοφοὶ τὴν ἀπαιδευσίαν.

Col. 966. v. 1. namen certum.) κλῆσιν ὁμολογουμένην.

Ibidem. v. 9. nominis artis.) τεχνικὸν καὶ ἐπιστημονικὸν ὄνομα.

Col. 998. v. 45. vnita non sunt confusa.) κεκραμένα οὐ συγκέχυται, vtuntur Orthodoxi scripto vocabulo κράσεως, q. d. mixtionis, in mysterio Incarnationis explicando: sed vtuntur sensu bono & commodo vt præcise vnionem significet. Photius de Eulogio Patriarcha Alexandrino. κέχρηται δὲ καὶ τῷ ὀνόματι τῆς κράσεως ἐπιτηδείως μέν. *Vsus est & Craseos vocabulo: sed pie, testatus se id non vsurpare more amentis Apollinarij: neque impij Eutychetis: sed vt pietatis regula præscribit.*

Ibid. v. 69. per partes explicatio.) ἐξάπλωσις εἰς τὰ κατὰ μέρος.

Col. 969. v. 9. quod summum est in vnitis.) τὴν ἀκρότητα τῶν ἑνωμένων.

Ibid. v. 17. talis habitudo.) ποιὰ σχέσις. *habitudo qualificata.*

Ibid. v. 18. lucerna.) λυχνίς.

Col. 970. vnumquoddam.) ἕν τι τοῦτον εἶναι ἀποτέλεσμα.

Col. 976. v. 38. S. Iulij Episcopi Romani) Alibi, nempe in libro de sectis actione octaua, negat Leontius hanc Epistolam in Synodo Ephesina citatam. tom. cap. 7. esse Iulij Romani Pontificis: sed ait esse Timothei Apollinaristæ. Verum Elogius Alexand. Patriarcha apud Photium non diffitetur à Iulio scriptam illam Epistolam, quæ est, vt ipse loquitur ad Decium, seu vt habent Acta Concilij Ephesini, ad Prosdocium: citatur autem in Concilio non is, quem Leontius adducit locus, sed alius; vt Concilium cum Leontio conferenti patebit.

Notæ in secundum librum Leontij.

Col. 985. v. 28. Insitum est.) πεφυτευμένης τῇ ἀληθείᾳ τὸ φίλαιχθρον καὶ τὸ πολυμερές.

Col. 988. v. 6. nullam hyperbolem.) ὥστε μηδεμίαν ἔχειν σοφίας ὑπερβολήν Hyperbole sapientiæ, fuisset, si corpus natura impassibile passum fuisset. Quia enim crederet? Etsi enim credimus, quæ sunt supra naturam, quam videmus; & supra rationem, quam attingimus, non tamen sunt contra naturam & contra rationem simpliciter.

Col. 992. v. 63. altè stimulant.) τὸ βάθος κεντρίζοντα.

Ibid. v. 70. Quantum in natura.) ὅσον γε ἐπὶ τῇ φύσει.

Col. 995. v. 12. rationem formationis corporis.) διάπλασιν τοῦ σώματος.

Ibid. d. 15. sed ex tota & substantiali.) ἀλλὰ καὶ οὐσιώδους ἑνώσεως.

pag. 1000. circundedit.) περιῆψεν.

Ibid. seipsum circumnduit.) ἑαυτὸν περιῆψας.

Ibid,

Ibidem proprietatis filij.) υἱικῆς ἰδιότητος.

Ibidem vnio verbi cum natura nostra) συμφυὴς ἑνώσις τοῦ λόγου. Producit deinceps Leontius testimonia sanctorum Patrum, qui probandæ veritatis modus scriptoribus, qui aduersus Nestorianos, Eutychianos, & Iconomachos pugnarunt, admodum familiaris fuit: vt intelligere licet ex operibus S. Damasceni sancti Athanasij Sinaitæ, & ex ipso Concilio Ephesino, etsi nec ipsi Eutychiani segnes erant in adducendis patrum auctoritatibus, sed more omnium hæreticorum vel sup positis, vel male intellectis prauéq; detortis: maxime autem gloriabantur testimoniis Gregorii Thaumaturgi, Athanasii, Iulii Pontificis Romani, Cyrilli Alexandrini, & Erechthii, hominis plane obscuri, & Eutychiano fermento infecti, vt apud Photium ostendit Eulogius, Patriarcha Alexandrinus, cum ex testificatione aliorum, tum ex propriis Erechthii scriptis.

NOTÆ IN LIBRVM
tertium Leontij.

Col. 1004. v. 55. quod sit ad studium) ἐμπαθιον πολιτικῆς φιλοσοφίας.

Col. 1005. v. 9. in actu suo personali.) δ' ἐνεργείᾳ αὐτοῦ προσωπικῇ.

Ibid. v. 14. sicut illi se in Electos) εἰς τοὺς ἐκλεκτοὺς [illegible].

Ibid. v. 37. qui promissionem abiurauerat) τὴν ἐπαγγελίαν ἐξομοσάμενος *fœdifragus factus.*

Col. 1006. v. 62. aliam Missam) αἰνεσιν.

Col. 1007. v. 21. qui præcipiebat.) Aiebat Eunomius, [illegible]

Ibid. v. 27. à lecto non legitimo) κοίτης ἀθέσμου.

. Ibid. v. 55. tenebras substantiales.) οὐσιῶδες σκότος [illegible].

Col. 1009. v. mox per hanc admirabilem.) διὰ τῆς θαυμασίας ταύτης [illegible].

Ibid. v. 21. confortans eum.) [illegible].

Ibid. v. 39. contra Magusæos.) Suidas Terbo, *Persæ & Magog*, ait Persas dictos esse Magusæos.

Intelligit autem Leontius tres libros Theodori περὶ τῆς ἐν Περσίδι μαγείας, de magia in Perside: ipsosque Persas Magos nominat Magusæos: meminit huius operis Photius in sua Bibliotheca.

Col. 1010. v. 17. qui omnino ex aduerso.) κατ' διάμετρον αὐτῷ. Etiam hic liquet Leontium Origenis Sectatorem non fuisse, saltem cum hæc scriberet: cum Origenem errorum arguat.

Ibid. v. 53. quibus nihil est magis vnum.) ἑνικώτερον καὶ συμφυέστερον.

Ibid. v. 65. secundum habitudinem.) σχετικὴ καὶ γνωμική.

Col. 1011. v. 64. Rhambulo.) Hunc alii vocant Rabulā.

A Col. 1012. v. 12. Prologus auctoritatū Theodori,) Benefactum, quod Leontius impii Theodori impia dogmata commemoraturus, se & lectorem suum præmunit: similia Theodori dogmata prodiderunt ex ipsis Theodori libris, cum alii, tum Pelagius Potifex in Epistola secunda ad Episcopos Istriæ: vbi, inter cætera, ista leguntur. *Hæc de innumeris pauca prætulimus, vt quasi per foramen angustum, quantum nimium barathrum intus lateret, monstraremus: ecce quales plusquam decem millia libros Theodorus scripsisse perhibetur. Pensate, quæso, si non tanto acriora tormenta promeruit, quanto plura conscripsit? sed hæc illius dicta quæ prolata sunt, vtrum eius sint fortasse dubitatur. Patrum, si placet scripta proferamus Armenia quippe Episcopi Proclo Cōstantinopolitanæ vrbis Episcopo, libellos contra Theodorum porrigentes, dixerunt: Fuit autem aliquis pestis homo, magis autem fera, hominis habens formam diabolicam,*
B *mentito nomine Theodorus, qui schisma & nomen Episcopi habuit, in angulo & ignobili loco orbis terrarum latitans, in Mopsuestano Ciciliæ secundæ vel oppido, verè quidem & principaliter à Paulo Samosateno descendens, licet Photino & ceteris hæreticis: hic in libro de Incarnatione Domini nostri* IESV CHRISTI *in toto proposito eisi verbis inuenitur vsus.* Hæc & plura alia in suis litteris Pelagius Pontifex, consentientia cum his, quæ Leontius adducit ex Theodoro à quo Nestorius suam impietatem hausit: Theodorus autem à Diodoro Tharsensi, omnesque à Paulo Samosatensi, vt productis testimoniis copiosè demonstrat Leontius.

Col. 1014. v. 5. nullam vtilitatem indignus) οὐδὲν τῶν ἀναξίων ἀπὸ τοῦ [illegible] τὸν Θεὸν [illegible].

Ibid. v. 30. fecit eum comparticipare,) παρεσκεύασε δὲ
C αὐτὸν συμμετασχεῖν [illegible] φύσει μετέχει.

Ibid. v. 33. secundùm vnionem.) γνωμικὴν καὶ ἀξιωματικὴν, non hypostaticam & substantialem. Ita enim hæreticus Theodorus hæreticè sentiebat.

Ibid. v. 37. quæ secundum naturam propria sunt) ἐν τοῖς κατὰ φύσιν χαρακτηρίζουσι.

Col. 1015. v. 43. intelligentiam acquirens) τὴν σύνεσιν προσλαμβάνων.

Ibidem relatione) ἀναφορᾷ, nam secundum Theodorum Hæreticum, Deus verbum erat in illo homine, quem D. Virgo peperit, κατ' ἀξίαν, secundum dignitatem, κατὰ σχέσιν γνώμης, secundum habitudinem voluntatis, κατ' ἀναφορὰν, secundum relationem, κατ' ἐνέργειαν, secundum operationem, idem omnino plu-
D ribus verbis significari: ponebat itaque vnionem ἀξιωματικὴν γνωμικὴν, [illegible], σχετικὴν, ἀναφορικήν.

Col. 1023. v. 11. ab Eusebio.) Huius Eusebii celebris mentio est passim apud veteres, maximè in concilio Chalcedonensi, Act. 1. Indefessus Nestorii & Eutychetis oppugnator fuit.

Ibidem, v. 41 matrem ex tempore) μητέρα χρονικήν.

Col. 1024. v. 65. secundariò) κατὰ δεύτερον λόγον.

Finis Notarum in Librum tertium.

ANASTASII ABBATIS,

LIBER CONTRA IVDÆOS.

INTERPRETE FRANCISCO TVRRIANO,
Societatis IESV.

Initium deest in Ms. . . . . A

REGNVM, quod Deus promisit se daturum Christo propter nos facto homini, regnum Christianorum est, quod tradidit Imperatoribus Christianis, cum quibus Christus regnat, quo regno nullum aliud est splendidius, neque diuturnius vnquam fuit. Regnum enim Israëlitarum non durauit mille annis, tot alioqui miraculis illustre ab exitu ex Ægypto vsque ad Titum ac Vespasianum. Item Babyloniorum & Medorum & Persarum regnum consumptum occupatumque est à barbaris Turcis. Similiter regnum Macedonum sublatum est de medio, Imperium Romanorum, id est, Christianorum, vtpotè, in quo Dominus Christus simul regnat, vsque ad consummationem sæculi non præteribit, quin potius, vt Rex regum & Dominus dominantium, hoc regno reget populum suum vsque ad secundum adB uentum, cuiusmodi secundus aduentus non erit reliquus alteri populo: tunc hoc regnum tanquam pater futuri sæculi solus obtinebit, quando omnes resurgemus, sicut
Esa 9. Rom 14. 1. Cor. 15. scriptum est: Surgent mortui, & excitabuntur à monumentis & sistemur ante tribunal Iudicis incorrupti, quando inimicos suos, qui noluerant eum regnare neque credere ei, dissipabit & puniet, & regnabunt cum eo, quicumque crediderant ei, & præcepta eius rectè seruarunt:
Sap 3. Dan 7. sicut ait Salomon in Prouerbiis: & regnabit in eis Dominus in sæculum, & ecce cum nubibus cæli veniebat, & vsque ad antiquum dierum peruenit, & ipsi adhibitus est honor, & regnum & omnes tribus seruient ei, regnū eius regnum perpetuum, & potestas eius in generationes & generationes, quod non præteribit.

Sed fortasse dicat Iudæus nondum venisse Christum, sed extremis temporibus venturum. Sed quid quæso fa-C cturus, cum iam erunt tempora sublata? Si respondeat Iudæus, quod instauraturus sit gentem Iudaicam, quæ ratio est, aut quod consilium, quæ ipsius iussu & authoritate deleta sunt, ea restituere ac renouare? nusquam enim dictum est, post interitum mundi fore aliam Iudæorum constitutionem huiusmodi ac fabricationem,
Malac 4. hoc verò Propheta dixit: *Mittam vobis Eliam Thesbiten,*
† μὴ ἐλθὼν. *priusquam veniat dies Domini magnus, * non veniens affligam vniuersam terram.* Si quem expectatis Christum, † Elias est, qui non ad instaurandum, sed ad affligendum & percutiendum venturus est, quemadmodum non Christus, sed Elias dicitur, neque in Bethlehem nascitur, vt Propheta de Christi ortu prædixit, sed Thesbis.

Hinc patet eum S. Greg. lib 2. ep. 37 Nasatā In deum primi insseris, quod Elias altare erexerit, Christianos ad cultum Elias inuitande

Præterea, qui dixit *mittam, &c.* sane alius est ab eo, qui mittitur, quod autem dixit, *non veniens percutiam terram totam,* nempe per Eliam facturum se hoc testatur, quo perfecto hanc mundi constitutionem soluet, & interitum ac consummationem adducet; quorsum ergo D nasceretur postea Christus ad cuius vtilitatem aut voluptatem? Quod autem alius sit Christus alius Elias, perspici potest ex interpretatione Danielis regi Babyloniorum facta de lapide, qui factus est ingens mons: *In diebus illis (inquit) regum illorum suscitabit Deus regnum, quod in sæculum non interibit, & ipsum suscitabitur in sæcula.* & quod vidit rex ex monte lapidem absque manibus scissum qui perfregit imaginem, & factus est lapis mons ingens & repleuit terram, quatuor regna dicit, Babyloniorum, Medorum, Macedonum id est, Græcorum, quartū regnum audax & fortissimum, quod Daniel vocauit ab interitu & successione liberum & alienum ἀδιάφθορον καὶ ἀδιάδοχον. Christi regnum est, quod tribus illis substitutū.

Malach 4. καὶ ἰδοὺ ἐγὼ ἀποστέλλω ὑμῖν Ἠλίαν τὸν Θεσβίτην, πρὶν ἐλθεῖν τὴν ἡμέραν κυρίου, τὴν μεγάλην, καὶ ἐπιφανῆ, μὴ ἐλθὼν καὶ πατάξω τὴν γῆν ἄρδην.

A Si vero dixerit Iudæus, regnum illud ferreum, Augusti regnum fuisse, quæro, quid confecit aut domuit Augusti regnum, aut aliorum regum, qui victi fuerunt? tametsi enim Romani Iudæos, aliasque gentes vicerunt ac deleuerunt, tamen ijdem rursus victi sunt, eorumque imperium & principatus sublatus est. At regnum Christi nullum interitum vnquam capiet, neque desinet esse. illud enim κραταιὸν apud Danielem inuictum remanet, indomitum, nullumque habens successorem, quod quidem est nomen & regnum Christi, & fides nostra in eum.

Notandum sicut regnum Babyloniorum & Medorum ac Macedonum interpretandum est regnum successorum in Babylonijs, Medis & Macedonibus, sic regnum Romanorum. Vnde propterea Christianorum, quod Romanis successit accepimus, est quasi vnum idemque sit. vnde qua Daniel de regno quarto Romanorum dicit, vtrimi communiter in regnum Christi quod est idem quartum ratione successionis.

Quod gentiles & reges atque Imperatores fidem nostram, id est, Christianorum oppugnarunt, quam tamen extinguere non potuerunt, quin potius illi interierunt, hæc vero quotidie magis splendet ac dilatatur. Itaque B si velit Iudæus limatè atque subtiliter intelligere illud Prophetæ tempus, cum ait, *in diebus illis suscitabit Deus regnum,* accipiat necesse est dictum hoc de regno inter illa quatuor ostensa, non enim deinceps postea reperietur. Vt enim maiores vestros, ô Iudæi expectantes iam præteritum tempus fefellit, sic nobis eueniet: quare si creditis Christum esse, hinc quærite, id est, ab hoc regno: post illud enim non reperietis. Ex his igitur constat, quod Propheta dixit: *Dominus dixit ad me filius meus es tu, ego hodie genui te, postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatē tuā* & quæ sequuntur, de œconomia, & humanitatis filij Dei mysterio dicta esse, quæ ad affectum perducta sunt, & hoc Veritas ipsa atque Prophetæ testantur.

Nunc autem ostendam Christum hunc ante mundi fabricationem genitum esse, essèque Deum; sed prius
Dan 2. Psal 2. quæram à Iudæis, Dauid Rex, idemque Propheta quem C habuit Dominum: nempe quod omnes confitentur, eum qui cælum terramque fecit, & præter eum neminem alium Dominum, vide ergo, quemadmodum filium Dei Dominum suum appellat, cui pater dixit, postquam humanitatem ex Maria Virgine sumpsit, post passionem ac resurrectionem & ascensum in cœlos, dixit, inquam *sede à dextris meis, donec ponam, &c.* Dauid enim nō ascendit in cælum.

Verùm fortasse dicet Iudæus, sedere Christum ad dexteram Dei vsque ad extremum aduentum temporalem per Prophetas promissum, tanquam non antè venerit. Sed quemadmodum, quæso, si ita est, *sede* dicitur sedenti? & quomodo, aut cur inimici & infensi ei qui nondum venerit? hoc enim quod dixit, *sede,* tāquam redeunti à terra in cælum rursus dixit, quatenus etiam ante secundum aduentum super inimicos *sedet,* ita vt sint Iudæi, Christi inimici: & subter pedes Christianorum, ab eis calcati vsque ad extremum tempus, quando eos concul-D catio iusta manebit, tempus enim quod expectant citissimè adfuturum, illud erit, quo ipsi vnà cum deceptore suo in ignem conijcientur.

Rursus Dauid in eodem Psalmo sustinens personam
Ibidem. patris de filio & verbo Dei sic ait: *Ex vtero ante luciferum genui te:* quod quidem de Adam non potest accipi, qui sexto die effectus est, Lucifer vero quarto. Quid si de vestro κακοζήλῳ accipiatis Iudæi, at hunc non dicetis filium Dauid esse, qui diu post Luciferum natus est, restat ergo vt Deus de filio suo dicat, *ante Luciferum genui te* Conue-
Prouerb. 8. nit, quod ait Salomon de hac generatione æterna filij Dei, antequam montes fierent, antequam fontes, &c. & quem genuit Deus, ante mundi effectionem, misit
Psal. 77. filium suum. Item Dauid Psalm. 77. *Deus,* inquit *iudex etiam*

dicium tuũ Regi da & iustitiam tuam filio Regi, quod quidem non posse de Salomone accipi, probat quod paulò post sequitur; *dominabitur à mari vsque ad mare, &, ante solem permanet nomen eius, & ante lunam in generatione & generationem.* Ecce ergo quemadmodum Dauid & Salomon docent genitum esse ex parte filium ante mundum effectum, modo autem quo ipse solus nouit.

Adhæc quæritur à Iudæis, vtrum hominem tantum dicant suum ἰ'Ἀ…, velut vnum è numero Prophetarum, si concedant, vt quidem concedunt; nos enim accusant, quasi plures deos introducamus. conferamus in medium dicta Prophetarum: & si Deum esse prædicarunt eum, qui expectabitur adfuturus, profectò qui venit, & a nobis Christianis colitur, cui credimus, is B verus Christus est, & quem Iudæi expectant, Antichristus. Psal. 17. At ergo Propheta; *Benedictus, qui venit in nomine Domini, Deus Dominus & illuxit nobis*; Deum & Dominum appellat, siue ergo venerit & apparuerit, siue venturus sit, non iam vester Christus est, sed noster, id est, Christianorum, siquidem vos non Deum sed hominem solum ponitis. Esa. 35. Esa. 9. Item Esaias; non Angelus, non legatus, sed ipse Dominus veniet & saluabit nos: & illud: Puer natus est nobis & filius datus est nobis, & vocatur magni consilii Angelus, admirabilis, consiliarius, Deus fortis, potestatem habens, princeps pacis, &c. At qua ratione homo, vt Iudæi volunt, esse potest Deus fortis præpotens, princeps pacis, pater futuri sæculi? Item Abacum. *Deus à Theman veniet* †. *Citat Hieron, pro Baruch, non e Græcis confuso Baruch 3.* Et Hieremias clamat? C Hic est Deus noster, & non æstimabitur alius aduersus eum. Hic adinuenit omnem viam disciplinæ & tradidit illam Iacob puero suo, & Israel dilecto suo. Post hæc in terris visus est, & cum hominibus conuersatus est. Psal. 66. Psal. 95. Esa. 59. Et Dauid: Viderunt omnes gentes salutare Dei nostri, &: Dicite inter gentes, quoniam Dominus regnauit, Dominus, inquam, regnauit per fidem. Esaias Ab ortu solis vsque ad occidentem gloriosum nomen meum in gentibus. Osee. 2. & Oseas, Vocabo non populum meum, populum meum, id est gentes: misericordiam consecutam non misericordiam consecutam, id est, Synagogam Iudæorum.

Item Iacob benedicens filiis, sic de Christo vaticina- D tus est. Genes. 49. *Non deficiet princeps de Iuda, neque dux de femoribus eius, donec veniat, cui repositum est*, id est, Christus, *& ipse est expectatio gentium.* prouidebat enim animo cæcitatem Iudæorum: quare frustrà expectant Iudæi, quem expectant: quem enim Christum gentes expectabant venit. idcirco defecit princeps ex Iuda & dux. Quod verò, quem Iudæi expectant, impostor sit, non solum verba & dicta scripturæ sanctæ, sed res ipsa testatur in cuncto orbe. Dixit enim Dominus: Matth. 24. *Cælum & terra transibunt: verba autem mea non transibunt.*

Luc. 19. Videamus, quæ ista verba sint, quæ dixit non transitura. Dixerat de templo Iudæorum: Amen dico vobis non manebit lapis super lapidem, in ipso, hoc perductum est ad exitum: an non dixit venturos esse Romanos, & gentem Iudæorum, & ciuitatem & regnum sublaturos; Matth. 11. quod quidem perfectum est a Vespasiano & Tito, præ- E tereà dixit: Luc. 16. *lex & Propheta vsque ad Ioannem Baptistam*, & cessabunt: quæro an non hoc perductum est ad effectum? Certè est: proferant aliquem post Baptistæ tempus Prophetam. Ostendant aliquem post passionem ex Iudæis Prophetam. Vbi regia, vbi Iudices, vbi principes, vbi templum, vbi tabulæ, vbi sacrificia, vbi altare, quod fecit Moyses vbi virga quæ floruit, vbi arca & manna, vbi illa in templo ὁμονίαις, *ὁμονοίας … ἀγιασμοῦ* vbi lustratio sanctificationis, vbi ignis de cælo descendens, vbi vel vnum habent Prophetam hodie in cuncto orbe? certè habent neminem: vt trium puerorum verbis vtar, non est in tempore hoc, princeps aut Propheta, aut dux, & quæ sequantur coram Daniel. 3. Deo &c. Quem deniq; locum habent ex iis, quos Deus dedit illis? Certè nullum, quin potius ex omnibus eiecit eos, nobisque dedit illos: si enim montem Sinai dicas, vbi lex data est? at illic Christus colitur hodie: si Iorda- A nem, quem transiuit olim populus Israel: at Christo illic baptizato, nostis est sanctus & religiosus. Similiter in Ierusalem & Sion, Christi tormenta & cruciatus adorantur. Item mons Oliueti in honore habetur post Christi ex eo loco ascensum in cælum, & in Bethlehem, post Christum in eo loco ortum: idem ibi, sicut in cœlo, celebratur semper: immò si orientis, occidentis, totiusque mundi partes ac regiones lustremus, vbique reperire licet, ritus falsamque religionem gentilium atque Iudæorum sublatam, Christum verò, & quæ ad Christum pertinent, credi, teneri & coli ac confirmari.

Quod si Christiani vexamur persecutionibus, & captiui tenemur, non est exprobrandũ hoc aut mirandum: illud potius est admiratione dignum, quod fides nostra à tot hostibus oppugnata non labefactatur, sed stat, imò neque imperium nostrum cessat, neque Ecclesiæ clauduntur, quin potius inter medias gentes, mediosque persecutores, ecclesias tenemus & ædificamus, CRVCESQVE figimus ac ponimus, & sacris operamur. Prætereà dixit Dominus Christus, *prædicabitur Euangelium in vniuerso mundo*, an nõ perductum est ad exitum? Item illud: Matth. 24. *& portæ inferi nõ præualebunt aduersus Ecclesiam*, id est, aduersus fidem nostram, en hoc falsum exoor? an non extiterunt plurimi hæresiarchæ, tyranni potentissimi, & Reges impii, qui fidem oppugnarunt, neque tamen potuerunt vincere eam, & extinguere? Matth. 16.

Dixit quoque nobis, qui in eũ credimus, *eritis odio omnibus hominibus propter nomen meum*: an non omnes gentes propter nomen Christi nos odio habẽt & abominantur? Matth. 10. Et si hæc taceant Iudæi tamen lapides clamabunt. Videmus enim non extitisse à sæculo gentem vllam diutius ab omnibus oppugnatam, neque tamen vnquam deletam, præter gentem Christianorum, quæ non superasset, neque emersisset, nisi manus Domini seruasset, & seruaret nũc. Estq; illud admirabile, quod nullus Christianorũ Imperator traditus est in manus barbarorum, ab iisque occisus, cum tamen tã multæ gentes, imperiũ eorũ oppugnarent: neq; solum non potuere Imperatorem tollere, sed neq imaginem ac signum crucis ex numismate Christianorum, quamquam id non pauci Tyranni conati fuerint. Est autem hoc maximum argumentum veritatis nostræ quã tenemus: etenim nisi fidem nostram inter ceteras omnes elegisset & comprobasset, nunquã eam inter medias gentes, velut lupos, seruasset integram & saluam, neq; permisisset Deus, vt falsa fides vbique terrarum dominaretur, nisi esset œconomis aduentus in carne Christi filii Dei; vnde Euangelium vbique gentium receptum creditumque esse, certissimum atque verissimum testimonium est, non esse aliam fidem religiosam subter cœlum præter nostram. Quod si fides nostra est æterna, inuicta, & quæ deleri non potest, idem de Christianorum imperio affirmandum erit. idque designat signum Christi, quod ex nummo deleri numquam potuit: quemadmodum Iudæi qui crucem Christi odio prosequuntur & contumeliis, ceciderunt & iacent † quemadmodum crucem ex nummis tollere non possunt; Imo vero si cruce carent, improbant & reiiciunt, quod testatur crucem Christi fidemque eius dominari in æternum; quicumque enim illam oppugnarunt, & delere voluerunt, quæso vbi sunt? Vbi Diocletianus, vbi Nerõ, vbi Vespasianus, vbi Herodes, vbi Maximianus, & cæteri omnes qui Martyres occiderunt, fidem verò labefactare non valuerunt?

Inter alia præterea quæ Dominus Christus dixit, quæ quotidie impleri videmus, illud est etiam quod dixit, *qui non reliquerit patrem & matrem, &c.* nos autem videmus innumerabiles, relictis parentibus & fratribus, cæterisque bonis externis mundo renunciantes Christum sequi. Item dixit, *vobiscum sum vsque ad cõsummationem sæculi* quod quidem quotidie præstat non sinens fidem nostram euacuari. Quis igitur est, qui cernat tam multa ante 800. annos prædicta, eademque quotidie ad exitum perducta, qui non credat, aut qui in eum scandalizetur?

Si quærant Iudæi, cur Prophetæ de Christo loquens

Secunda quæstio tes non sunt de eo apertè loquuti? Nempè quia cùm Christus finem legi & sacrificiis allaturus esset, si apertè de his dixissent Prophetæ, statim eos Iudæi lapidibus obruissent, eorumque libros propheticos combussissent, ex quo magnum incommodum caperemus. Iam diu enim Iudæos tefellimus dictis Prophetarum pudoreque afficimus; Ait enim Dauid: inclinauit cœlos & descendit. Et Esaias: Ecce virgo concipiet & pariet filium. Item Propheta: *Psal. 17.* *Esai. 7.* *Baruch 3.* hic est Deus noster, non æstimabitur alius aduersus eum. Et paulo post: In terris visus est, & cum hominibus conuersatus, atque aliter cerni non poterat Deus nisi corpore sumpto: & Dauid Dominus regnauit, decorem indutus est.

Psal 92. Adhæc Moyses postquam vidit gloriam Dei, ita vt B non possent filii Israel intendere in faciem eius reuelatam *Exod 34.* *Deut. 18.* dixit eis. Prophetam suscitabit Dominus Deus ex fratribus vestris tanquam me; id est, quemadmodum facies Moysis splendore affecta est, & quia non poterant splendoris vim ferre filii Israel, faciem velauit, atque ita cum illis colloquebatur, sic Christus filius Dei pro veste habuit templum corporis, tegens diuinitatem suam, factus mediator Dei & hominum, melior mediator, inquam, quam Moyses, excellentior enim est Dominus seruo. Conciliauit ergo homines Deo, & Deum hominibus: igitur tanquam me, dixit, tum propter velamentum carnis, tum propter mediationem, tum quia, qui non audierit Prophetam illum, peribit de populo anima eius, tum *Esai. 35.* quia ipse est, qui liberauit Israelem, qui factus est homo *Osea 2.* & cum hominibus versatus, & non alius. Esaias etiam: C non Angelus, non legatus: sed ipse Dominus veniet, & *Psal. 95.* saluabit nos: & quod credituræ essent gentes, Iudæi vero defecturi, Oseas ait: & vocabo non populum meum: populum meum, nempe populum gentilium in eum credentium. Et Dauid, quia Deus propter gentes erat humanitatem sumpturus, dixit: Regnauit Deus super gentes: at cur non dixit: Regnauit super Iudæos? Quod sit Deus omnium Rex, perspicuum est: verum à gentibus non cognoscebatur, antequam crederent, idque propter idolorum cultum, quo tenebantur, in quo dæmones tyran- *Psal. 85.* nidem exercebant: at per mysterium incarnationis liberauit nos ab idolis, fuso suo sanguine in cruce, atque ita regnauit super nos, qui in eum credidimus. Idcirco ait, D omnes gentes quascumque fecisti venient, & adorabunt *Psal. 33.* coram te Domine, nempe, quicumque ad eum per bap- *Esa. 1.* tismum accedunt, sicuti idem Propheta dixit: Accedite ad eum & illuminamini, & facies vestræ non confundentur. Et Esaias ait: Lauamini mundi estote, & auferte iniquitates vestras ex cordibus vestris: & qui in ita accedunt, mercedem fidei accipiunt nempe sine cultura legis per fidem saluari: quicumque autem nunc accedere ad eum noluerint, in altero sæculo vel inuiti eum cum magno pudore, metu & tremore adorabunt, sicuti Propheta dixit: Domine excelsum brachium tuum, & non cognouerunt, id est, nunc non crediderunt, cum vero cognouerint, reuereantur, id est, in futuro, sæculo, quem nunc non crediderunt Christum esse tunc, cogituri sunt, cum ab eo E æternis suppliciis afficientur.

Quod autem ex Sion manifestandus erat Christus, quod celsissimus est, & quod ipse fundauit Sion: dixit Dauid: Mater Sion dixit, homo & ipse natus est in ea, & ipse fundauit eam Altissimus. Quod esset baptizandus in Iordane, & testimonium paternum, prædixit idem Dauid. Vox (inquit) Domini super aquas, & Deus gloriæ intonuit, Dominus super aquas multas. Quod per baptismum erat diabolum, eiusque potestatem labefactaturus, prædixit etiam cum ait: Contribulasti capita Draconum in aqua. Item quod in mari erat, velut in pauimento ambulaturus, quod sanaturus morbos multos in populo, quod pro mundo mortem subiturus, hæc omnia prædicta fuerunt ante. Iob: qui extendit cœlum solus & ambulauit in mari velut in pa- A uimento, & Esaias, Oculi cæcorum aperientur, & lingua balborum soluetur, tunc claudus saliet vt ceruus. *Esa 35.* Item aduentum Christi in Ierusalem ad parendum sedentis in asino prædixit Zacharias. Gaude filia Sion, prædica Ierusalem; Ecce rex tuus venit iustus & saluans, ipse mansuetus sedens super subiugalem & pullum, præterea quod laudandus celebrandusque esset à pueris, infantibus Iudaicis, Deo eos docente, prædixit Dauid. *Psal 8.* Ex ore infantium & lactantium profecisti laudem. Item *Esai. 53.* Esaias, Languores nostros tulit, & dolores nostros ipse portauit, & pro nobis doluit. Quod prodendus erat *Psal 2.* a Iuda vno ex duodecim prædixit idem Dauid: Quare fremuerunt gentes & populi, &c. Congregati enim sunt in veritate contra filium Dei, qui est Christus; Herodes & Pontius Pilatus cum gentibus & populis Israel. *Psal 21.* Idem de eo: foderunt manus meas & pedes meos, & dinumerauerunt, &c. ecce passionem in Cruce, item potionem aceti & fellis idem Propheta prædixit: in escam meam fel, & in siti mea potauerunt me aceto. An mentiti *Psal. 68.* sunt Euangelistæ nostri, qui similia atque Prophetæ dixerunt; quod si mentiti sunt superest vt Prophetæ quoque mentiti fuerint, qui similia prædixerunt.

Psal. 87. Iam de sepultura Dauid ait. Posuerunt me in lacu *Iob 38.* inferiori, in tenebrosis & vmbra mortis. factus est homo sine auxilio inter mortuos liber, id est, sine peccato: & Iob ait: Aperiuntur tibi metu portæ mortis, Ianitores inferni videntes te timuerunt, id est, potestates aduersariæ dæmonum, quæ apud inferos sunt. C Quod autem in cruce pendens multa corpora sanctorum suscitauit, idem Dauid prædixit: qui educit vinctos in fortitudine, similiter eos qui exasperant, qui habitant in sepulchris: item de resurrectione eius post *Osee 6.* triduum Oseas ait: quæramus Dominum & sanctificabit nos post biduum, & tertia die resurget. Quod anima eius non est relicta in inferno, neque caro eius *Psal. 15.* corrupta, Dauid testatur. Non derelinques animam in inferno, neque dabis sanctum tuum videre corruptionem, &c. quæ quidem non sunt accipienda de Dauide, qui postquam generationi suæ seruiuit, voluntate Dei mortuus est, & appositus ad patres, viditque corruptionem. Deus autem in mortuis positus non vidit corruptionem; ipse enim Deus humanam D naturam quam sumpsit, suscitauit. Et alibi: erit requies *Esa. 11.* eius honor: requies, id est, sepultura: honor, id est, resurrectio.

Iamne est, qui hæc audiens de Christo, non confiteatur Deum verum esse, qui, vt mundum saluum faceret homo factus est, qui idola destruxit, sacrificia dæmonum sustulit, & aras eorum subuertit? Vbi sunt sacrificia Ægypti? vbi vaticinia Memphis? vbi Sebenytus quæ Simonem colebat, vbi Naphis, quæ vnum venerabatur, vbi solis adoratores, vbi Dianæ templum, vbi Cizyci vaticinia Apollinis? vbique enim Deus colitur, postquam Christus aduenit: & cruci affixus est. Quæ cum ita habeant, tamen non pudet Iudæos appellare nos idolothytas & idololatras. Verum mirum non est, omnis nam- E que meretrix, mulieri, quæ coniugio libera est, nomen suum imponit, appellatque meretricem, qui cum non pepercerint Esaiæ, Hieremiæ, reliquisque Prophetis, atque adeo ipsi Christo, quid mirum, si neque nobis parcant? qui si ea potestate præditi essent, qua nos Christiani, neminem profecto nostrum inter eos viuere sinerent, vt nos eos sinimus.

Quia vero Iudæi quærere solent, cur non aperte ac nude de Christo locuti sunt Prophetæ, rursus ab eis vicissim quæram ego, quomodo non iidem Prophetæ ipsos Iudæos de Christo monuerunt vt cauerent, venturum enim esse hominem, qui appellaretur Iesus cui crederent, quia impostor esset: quin potius nolentes credere in verum Christum, & Deum quem Prophetæ prænunciarunt, impostorem non Christum expectant.

Si

Quæstio Iudæorum, Cur Cruces & signa veneramur.

* Si quæsierint Iudæi à Christianis, cur cùm Deus præceperit non adorare ligna, aut lapides, aut denique opera hominum, ipsi colamus & adoremus cruces & imagines, respondeant ipsi vicissim; cur librum legis adorant, qui ex corijs pellibusque immundis constat. Cur etiam Iacob adorauit in summitate virgæ Ioseph? quod si responderint, tametsi librum legis adorent, tamen non adorare eos naturam pellium, sed virtutem verborum, & Iacob adorasse non lignum virgæ, sed ipsum Ioseph, qui virgam tenebat: sic nos igitur Christiani non naturam ligni adoramus, absit; sed Christum in eo crucifixum, & quemadmodum si Iudæi reperirent nunc tabulas duas, & duos cherubinos aureos, quos fecit Moyses, item arcam, adorarent quidem ea, venerantes Deum, qui ea iussit fieri, sic cùm imagines adoramus, non veneramur lignum, absit, sed Christum honoramus & sanctos eius, † neque picturas colimus, sæpe enim imagines vetustas aut deletas renouamos, aut etiam cùm putrescunt & carie consumptæ sunt, comburimus, aliasque nouas facimus ad memoriam tantum conseruandam.

† Per se scilicet & absolute absque habitudine ad prototypum.

Daniel. 3.

Sed respondeant Iudæi, cur imaginem Nabucodonosor Babylone adorauerunt, præsertim cum haberent illic Danielem, & alios Prophetas, qui eos docerent. Atqui cùm imaginem Christi Christianus adoro non dico, *gloria ligno, aut picturæ*, sed *gloria Deo sanctorum*. At Iudæi, cum imaginem Nabucodonosor adorarunt? dixerunt, gloria Nabucodonosor: item cum crucem adoro, non dico, *gloria ligni*; at vos Iudæi, cum vitulum adorastis, dixistis, hi sunt Dij tui Israel, qui eduxerunt te ex Ægypto, propterea nos Christiani iam plurimis annis captiui & multis calamitatibus afflicti Deum non negamus. Quod si nonnulli negarunt non tot quidem numero, quòt Iudæi Babylone Deum negarunt, atque ij quidem neque tormentis neque cruciatibus affecti & scissi, sed ad verbum solum, & nisi tres illi pueri fidem seruassent, vbi vos seruastis, qui tot alioqui miracula videratis vbique in Ægypto, in mari Rubro, in Eremo, in columna ignis, in nube luminis, in monte Sinai quando vlli Deus tanta ac talia bona contulit? quando sic cum vllo locutus est, cum tot signis, cum tubis angelicis legem ferens, manna præbens, Prophetas mittens, gentes subiugans, Allophilos delens, tabulas addens, tabernaculum vestium describens, Moysen, velut alterum Deum suo loco ponens, vobisque præficiens? O cæcitatem & amentium Iudæorum, ô sceleratam mentem & peruersam! ô ingratos animos Iudæorum! considerent Iudæi quid de ipsis Iudæis testantur Prophetæ, quales sitis & fuerint tunc, cum Deum colebant Hebræi. Itaque Moyses ait: generatio peruersa sunt, non est fides in ea: & rursus generatio praua & peruersa hæc reddit Domino. Item Isaias: filios genui & exaltaui, ipsi vero improbarunt me & reiecerunt: Bos cognouit possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui, Israël autem me non cognouit, væ genti peccatrici, populus plenus peccatis. Item rursus: Audite verbum Domini, domus Sodomorum, attendite legem Dei populus Gomorræ. Vide ergo quemadmodum Iudæos vocat Sodomitas, infideles, idolothitas & ingratos, peruersam generationẽ, filios reprehensione dignos, sacrificantes dæmonijs & non Deo, derelinquentes Deum, qui fecit illos, qui defecerunt à Deo, qui seruaunt eos.

Exod. 32.

Deut. 32.

Esai. 1.

Ibidem.

Si euoluamus & excutiamus literas sanctas, non reperiemus de vlla gente talia ac tanta dicta, idque iure & merito, siquidem 52. annis fuerunt Hierosolymis sacrificantes idolis de templo Dei, qui sub Manasse rege templum & ciuitatem Dei profanârunt, ob quam caussam tradiò sunt semel & iterum à Deo Babylonijs in seruitutem, inde verò post 70. annos reducti ac reuocati. Quæramus ergò ab eis post reditum Babylone, ac post instauratum templum Hierósolymis, cum iam non idolis, sed Deo sacrificarent in eo, quod ita graue peccatum A commiserint coram Deo, vt iam octingentesimus annus & amplius agatur, ex quo illos Deus dispersit, & Titum atque Vespasianum ad vastandam vrbem vocarint, qui, vt auctor est Iosephus scriptor Iudaicus, centum myriadas Iudæorum Hierosolymis ceciderunt, templumque incenderunt, & altare, & sancta & vrbem deleuerunt; agiturque iam, vt ante dixi, octingentesimus annus vastitatis & seruitutis ac dispersionis: ac cum maiores vestri bis ducti captiui Babylonem, bisque templo vastato, item bis ipsi in gratiam cum Deo redierint, templumque illic fuerit ædificatum, quod ita magnum peccatum commisistis, vt non amplius templum vobis Deus instaurare voluerit, neque amplius B vos ab inimicis & hostibus reduxerit? an idolis sacrificastis, vt maiores vestri, filios & filias? an imaginem vt illi, adorastis? nequaquam: an idolum posuistis in templo, vt Manasses? nequaquam, an Prophetas occidistis? nequaquam. Cur igitur derelicti estis à Deo. Sanè quamuis vos nihil dixeritis, lapides clamabunt, quod scilicet, ex quo Christum crucifixistis, derelicti estis; ob hanc causam hactenus & in perpetuum derelicti, dispersi, nudi, eiecti è templo & ciuitate Ierusalem remanebitis.

Hinc patet quo tempore vixerit Anastasius.

Maiores itaque vestri, qui vitulum fabricati sunt, qui tam multa scelera patrarunt, qui imaginem auream coluerunt, qui immolarunt filios & filias suas dæmonibus, septuaginta annis & centum in Persica Babylone supplicis C affecti, reuocati sunt & reducti; vos autem qui Christo credere recusastis, non septuaginta aut centum annis solùm, sed vsque ad consummationem sæculi repulsi & abiecti eritis nos contra, gentes, filij Christi vocati sumus, eique seruimus, eumque colimus & celebramus cum Patre & Spiritu sancto in sæculo seculorum, Amen.

Quæramus præterea à Iudæis † τῷ χριστῷ suo, quem expectant. Vtrum Iudæis futurus sit, legem Moysis tenens, an Christianus. Quod si responderint, Iudæum ex Iudæis fore filium Dauid, seruatorem legis & sacrificiorum renouatorem, generisque Iudæorum dicant, quot anni fluxerint à captiuitate Iudæorum sub Nabu- D chodonosor. Sane fluxerunt mille anni, & amplius Quod si Christus, quem Iudæi expectant, Iudæus erit, & sacrificia renouaturus est, non tamen venit, quomodo Daniel Propheta ait, didicisse ex Archangelo Gabriele breuiatas esse vsque ad Christum ducem 70. hebdomades annorum in populum & in ciuitatem sanctam, vt compleretur peccatum: & paulò post: vt signaretur visio, & Prophetæ, vt vngeretur sancta sanctorum, & tolleretur sacrificium, & libatio ex lege. Quando sublatum est sacrificium & libatio? docete igitur, qualisnam Christus venerit vnctus sanctus sanctorum post 70. hebdomadas, id est post, 360. annos à Daniele, qui sacrificium & libationem substulerit.

3. Quæstio. Si desit vnctio, per quã Messiam intelligunt vt patet ex demonstratione Basilij Seleuciensis contra Iudæos de aduentu Saluatoris.

Dan. 9.

Quod si dicant nondum venisse Christum, sed venturum, ostendant, quis Christus, & qualis venerit post 390. annos à Daniele vnctus sanctus sancto um: at non E poterant alium ostendere ac proferre, qui hæc fecerit, nisi Christum Dei filium. Rursus si dicant, suum, quem expectant, Christum facturum sacrificia ex lege, mentitus ergo est Daniel; Præterea si nos in errore sumus, qui testamentum Christi teneamus, & Christus vester, quem expectatis, vetus testamentum, Moysisque legem renouaturus est, vbi quærendum est testamenoim illud de quo Hieremias dixit: Ecce dies veniunt & disponam domui Israel testamentum nomini, non secundum testamentum, quod disposui patribus eorum, quando eduxi eos ex terra Ægypo: post datam enim legem Iudæis dixit Deus per Esaiam & Michæam: *ex Sion exibit lex, & verbum Domini de Ierusalem*. Quamobrem cùm Christus venit, legem nouam tulit, & veterem impleuit.

Exprobrant nobis Iudæi, quod in homine damnato spem collocemus. Sed vter est excellentior homo, an serpens æneus, quem Iudæi suspensum colunt? Sed au-

diant; ſuſtulerunt Iudæi in crucem quendam dictum Ieſum Chriſtum, an non? & quam ob cauſam? Verum quia legem non ſeruabat, & violabat Sabbathum? & de quo Chriſto prædixerunt Prophetæ, venturum extremis temporibus, vendendum eſſe & quanti, item damnandum ad mortem, manus & pedes eius clauis transfigendos, felle & aceto potandum, & latus lancea aperiendum & cælum tenebris obſcurandum? & non poterunt non eſſe vera quæ Prophetæ prædixerunt. Hæc ergo quid? in noſtro Chriſto ad exitum perducta ſunt, an in veſtro perducenda ſunt? quod ſi in veſtro ſunt perducenda ad effectum, igitur & vos in homine damnato ſpem ponitis, ſin autem hæc completa ſunt in noſtro Chriſto, aſſentimini veritati: quod ſi in neutrum conueniant hæc, ergo Prophetæ mentiti ſunt. Quod ſi conuicti, licet inuiti, confiteamini tamen Chriſtum noſtrum à maioribus veſtris morte affectum eſſe tanquam legis violatorem, & ſceleratum: adhibeamus Prophetas & videamus vtrum talis eſſet. Sanè nemo eſt in terris qui ſit à peccato alienus (inquit ſcriptura) & ſordium purus, tametſi vita eius vnius diei ſit, tamen de Chriſto ait Eſaias; *Eſa. 5.* tanquam ouis ductus eſt ad cædem, & tamquam agnus coram tondēte mutus fuit, propter peccata populi mei ductus eſt ad mortem, & dabo impios pro ſepultura eius, & diuites pro morte ſua, eò quod iniquitatem non fecit. Et quia nemo eſt abſque peccato, præter Deum ſolum, ſequitur, Deum verum eſſe, quem vos cruci affixiſtis, peccatum enim non fecit, neque inuentus eſt dolus in ore eius.

Sed videamus quid prætereà Prophetæ dicant de Chriſto noſtro mortem paſſo, vt ſaltem multitudinem *Zach. 11.* Prophetarum vereantur Iudæi. De venditione & pretio 30. argenteorum Zacharias & Hieremias Prophetæ locuti ſunt. Et acceperunt triginta argenteos pretium appretiati, quod appretiarunt filii Iſrael, &c. De falſis teſtimoniis prædixit Dauid: *Pſal. 34.* Surgentes in me teſtes iniqui, quæ ignorabant, interrogabant me, retribuerunt mihi *Pſal. 17.* mala pro bonis. Et quod ſpontè hæc perpeſſurus erat, *Eſa. 50.* prædixit idem. Tergum meum dedi in flagella, & maxillas meas alapis, & faciem meam non auerti à dedecore & ſputis. De ſpinea corona Hieremias. Spinis iniquitatum ſuarum coronarunt. Et quod principium ſalutis noſtræ, id eſt, crucem in humeris ſuis portauit; *Eſa. 9.* Eſaias dixit: Puer natus eſt nobis, filius datus eſt nobis, cuius principatus in humeris eius, id eſt, crux. Item quod Deus verè erat ante ſæcula Chriſtus, & in medio terræ ſalutem operatus, Dauid ait, Deus Rex noſter ante ſæcula, *Pſal. 73.* operatus eſt ſalutem in medio terræ. De manibus & pedi- *Zach. 13.* bus transfixis Zacharias: plagæ eorum in medio manuum mearum, quibus affectus ſum in domo dilecti mei. De *Zach. 12.* latere lancea aperto quod aqua & ſanguine manauit, Zacharias: Aſpiciens in eum, quem confixerunt: & Moyſes delineauit fluxum aquæ ex latere; percuſſit enim ille pe- *Exod. 17.* *1. Cor. 10.* tram, vnde ſtatim manauit aqua ad ſeruandum populum; petra autem erat Chriſtus.

Rurſus Moyſes de cruci affixo, & de perfidia Iu- *Deut. 28.* dæorum ita ait. Videbitis vitam veſtram pendentem, & *Deut. 21.* non credetis. Item illud; maledictus qui pendet in ligno, in figura dictum eſt Chriſto, qui factus eſt male- *Num. 21.* dictum propter nos, & vt Iudæi confidebant ſerpenti æreo ſuſpenſo in ligno, eratque inter cæteras omnes beſtias maledictus ſerpens, cuius imago, quæ certè non mordebat, afferebat ſalutem iis quos ſerpens verus momorderat; ſic Chriſtus, qui alienus erat à peccato, & pro peccatoribus ſuſpenſus, vitam mundo præſtitit: ad hæc de tenebris illius dici, cùm in crucem ſublatus eſt Chriſtus, & de voce miſſa ab eo, quando emiſit ſpiritum, & de terræ motu Eſaias Propheta loquitur: Sed *Eſai. 13.* & luna obſcurabuntur, & ſtellæ non dabunt ſplendorem ſuum. Dominus autem ex Sion clamabit, & mouebitur cælum & terra. Et Dauid. Dedit vocem ſuam *Pſal 17.* Altiſſimus, & commota eſt terra. Et Zacharias. Veniet *Zach. 14.* Dominus Deus, & omnes ſancti cum eo, & in die illa non erit lumen, & non erit dies, neque nox, & ad veA ſperam erit lumen, & dies ille notus Domino. Ab horà enim ſexta vſque ad horam nonam tenebræ fuerunt in vniuerſa terra. Zacharias ergo crucifixum quoque Deum & Dominum appellauit: & ſi hæc dicitis de veſtro Chriſto, quem expectatis, dicta eſſe, vos quoque in homine crucifigendo, tanquam reo confiditis: at non eſt alius qui prædictus prænunciatuſque eſt à Prophetis: quam Dominus noſter Ieſus Chriſtus filius Dei, qui deſcendit de cœlis, & carnem ſumpſit ex Maria Virgine: id propter totius mundi ſalutem, ſicuti vaticinati fuerant de eo ipſi Prophetæ, quorum nos teſtimonia & prædictiones protulimus, & congeſſimus. De aſcenſione verò in cœlos, & de ſeſſione ad dexteram patris Zacharias prædixit. In die illa (inquit) ſtabunt pedes Domini in monte Oliueti, è *Ibidem.* regione Ieruſalem ad orientem. Et Dauid: aſcendit ſuper *Pſal 17.* B Cherubim & volauit, volauit ſuper pennas ventorum & *Pſal. 46.* aſcendit Dominus in voce tubæ. Et illud: Dixit Dominus *Pſal 109.* Domino meo, ſede à dextris meis, &c. quod aſcendit, *Epheſ 4.* quid eſt niſi quod deſcendit prius?

Verùm producamus alios teſtes præter Prophetas prædictos, qui teſtes aduentum Chriſti in carne ſubſecuti ſunt, ſiquidem vos etiam Iudæi habetis in commentariis; quæ dicturi ſumus: maiores enim veſtri illis temporibus victi, tamen vt inuicti eſſe viderentur, neque ſe victos eſſe conuinci & coargui poſſent, iudicio ſuo, iuſſerunt, vt nemo Iudæorum conſcripta haberet Chriſti geſta, neque quæreret, aut legeret vllo modo, ne ſtudium & diligentia notitiam illis afferret. Verùm hoc vobis dicimus, quamuis pro veſtro more, celare veritatem cogamini. Agite ergo, nonne audiſtis Magos oraculo diuino commotos à Perſide olim veniſſe, ſtella *Matth. 2.* C duce, cum muneribus, vt adorarent Chriſtum noſtrum? Cum quibus veſtri ſacerdotes cum Herode tunc Rege congreſſi, percunctanteque illo, vbi Chriſtus naſceretur, reſponderunt: *in Betlehem ciuitate Iuda*, ſicuti dicunt Prophetæ, deinde Herodem, inuidia regni exorientis commotum, tantam puerorum cædem feciſſe. Deinde *Matth 3.* Ioannes Baptiſta nónne ex Iudæis oriundus eſt ad quem maiores veſtri miſerunt, qui percunctarentur, vtrum eſſet ipſe Chriſtus, qui quidem reſpondit, non eſſe, ve- *Ioann. 1.* rum indicans Chriſtum, dixit; Hic eſt agnus Dei qui tollit peccata mundi.

Prætereà Nicodemus princeps veſtræ gentis, & Na- *De Simone ſponſ. vide notas in initio incap 17. lib. 8 Conſtit. Apoſtolic. Clementis,* thanael, atque Ioſeph Arimatheus, & Bizas ac Alexander, qui cum eo in nuptijs Simonis Galilæi pranſi ſunt, cùm aquam in vinum mutauit, tum ſeniores illi, qui à D Centurione legati miſſi ſunt ad Chriſtum, propter filium Centurionis, dignus (inquiunt) eſt, cui hoc tribuas; *Ioan. 2.* amat enim gentem, & Synagogam ipſe ædificauit no- *Luc. 7.* bis. Item regius ille Anthypatus fratres Iairi archiſyna- *Luc 8.* gogi, an non recepit filiam à mortuis reuocatam pre- *Luc 8.* cibus Iairi? Accedit etiam teſtis Caiphas pontifex ve- *Matth. 21.* ſter, qui conſuluit vnum hominem mori oportere, ne *Matth. 26.* vniuerſa gens periret. Quid dicam pueros illos veſtros infantes, qui olim clamabant: Oſanna filio Dauid, *Luc. 18.* *Matth 21.* benedictus qui venit in nomine Domini, Rex Iſrael. *Matth. 26.* Quid Iudas diſcipulus, cui triginta argenteos dediſtis, vt illam vobis traderet? Quid dicam de militibus, quibus nummos dediſtis, vt affirmarent veniſſe nocte diſcipulos qui Chriſti corpus furto, vobis dormientibus, tollerent. *Matth. 28.*

E Item Ioſephus auctor & ſcriptor veſter de Chriſto *Ioſeph anti. l. 18 c 4 Recit eteniā Euſeb hiſt lib 1. c. 11 Vide Baron an. 34. qui teſtatur hoc teſtimonium inuentū eſſe eraſum à Iudæis.* ait: fuiſſe virum iuſtum & bonum, diuina gratia oſtenſum ac declaratum, qui plurimos ſignis & miraculis iuuaret; cuius veſtimenta partiti ſunt Iudæi, vt prædixit Propheta, & ſuper ea miſerunt ſortem: cuius manus & pedes transfixerunt, cui fel & acetum adhibuerunt in ſiti. De quibus dixit Moyſes. Videbitis vitam veſtram ante oculos veſtros pendentem, & non credetis; quod ſi credidiſſetis Moyſi, vtique Chriſto crederetis: verùm maiores veſtri illi ſubiecti eſſe noluerunt, ſed potius repulerunt eum, & conuerſi ſunt *Deut. 28.* *Exod. 32.* corde

corde in Ægyptum dicentes Aaroni: fac nobis deos, qui nos præcedant: huic enim Moysi ignoramus, quid acciderit ei, & fecerunt vitulum in diebus illis, & sacrificauerunt idolo, & lætati sunt in operibus manuum suarum, & vertit illos Deus & tradidit eos, vt seruirent militiæ cæli, sicut scriptum est in libro Prophetarum, non
Amos. 5. sacrificasti mihi 40. annis in Eremo domus Israel, & recepistis tabernaculum Moloch, & astrum Dei vestri Rempham, imagines fecistis vt adoraretis eas, & transferam vos vltra Babylonem in tabernaculum testimonij, quod in Eremo factum est, sicuti facere iussit Moysi is, qui cum eo loquebatur Deus, secundum exemplar quod illis descripsit, quod maiores vestri introduxerunt cum Iesu filio Naue in possessionem gentium, quas eiecit Deus in conspectu patrum vestrorum, vsque ad dies Dauid, qui inuenit gratiam coram Deo, & petiit, vt reperiret tabernaculum Deo Iacob.

Esa. 66. Salomon autem ædificauit ei domum, sed Deus altissimus non habitat in templis manufactis, sicuti ait Propheta; Cœlum mihi thronus, terra autem scabellum pedum meorum: nonne manus mea fecit hæc
Act. 7. omnia? O Iudæi duræ ceruicis, incircumcisi corde, &
Esa. 66. auribus, semper vos Spiritui sancto resistitis, exemplo patrum vestrorum, qui occiderunt eos, qui prænunciauerunt aduentum iusti, cuius interfectores & proditores fuerunt patres vestri in Ierusalem: similiter eorum filii atque imitatores nullam prædictionibus Prophetarum fidem adhibentes, legem, quam in *dispositione Angelorum* accepistis, minimè seruastis. Ait itaque Spiritus sanctus per os Dauid Prophetæ. Hodie si vocem
Psal. 94. eius audieritis, nolite obdurare corda vestra, sicut in exacerbatione secundùm diem tentationis in deserto, vbi tentauerunt me patres vestri, probauerunt & viderunt opera mea. Quadraginta annis infensus fui generationi huic: & dixi semper, hi errant corde, ipsi vero non cognouerunt vias meas sicut iuraui in ira mea, si introibunt in requiem meam: sed non omnes qui egressi sunt ex Ægypto introierunt exacerbauerunt enim non credentes neque obtemperantes. Quibus vero infensus fuit 40. annis, nisi iis, qui peccauerunt, & non obedierunt? quorum cadauera prostrata sunt in deserto quibus iurauit non introituros in requiem suam, nisi iis qui non obedierunt? & videmus non potuisse introire propter incredulitatem, præter Caleph filium Iephon & Iesum filium Naue, sexcenta millia interierunt, totidem enim millia egressa sunt ex Ægypto, cum enim petere ab ipsis Deus, vt in terram promissionis proficiscerentur, parere noluerunt, excusantes metum & hostium robur, quamobrem consumptis illis ad vnum, filios, eorum loco, introduxit cum Caleph filio Iephon & Iesu Naue, qui eos in requiem perduxit. Et quamuis requiem dixit Dauid de terra illa (in ea enim requiescere fecit Ie-
Ibidem. su Naue) tamen in requie erat ipse etiam Dauid, cum hæc dicens, requiem promisit; Hodie si vocem eius audieritis, & cæt. Igitur relinquitur alius Sabatismus, & alia requies, quæ est fides in Christum, sicut dicit
Hebr. 4. Hieremias Propheta: Ecce dies venient, & disponam
Baruch. 2. domui Israel, & domui Iacob testamentum nouum; in eo quod dixit, nouum, antiquauit primum, non secundum testamentum, quod disposui patribus eorum, die, qua apprehendi manum eius, vt educerem ex terra Ægypti, quoniam ipsi non expectauerunt testamentum
Ierem. 31. meum, & ego neglexi eos, dicit Dominus, quia hoc est testamentum, quod disponam domui Israel, dans leges meas in mentem eorum, & in corde eorum scribam eas, & ero illis in Deum, & ipsi erunt mihi in po-
Rom. 10. pulum: igitur fides ex auditu, auditus autem per verbum Dei; oportet enim primùm audire, deinde mente
Rom 4. & corde amplecti Dei verba, & credere, sicuti Abra-
Rom. 3. ham credidit Deo, & reputatum est illi ad Iustitiam,
Galat. 3. quoniam non iustificabitur ex operibus legis omnis ca-
Deut. 27. ro, quicumque enim ex operibus legis sunt, sub maledicto sunt: scriptum est enim, maledictus qui non permanet in omnibus, quæ scripta sunt in libro legis, vt faciat ea. Quod autem in lege nemo iustificetur, apud Deum perspicuum est: quia iustus ex fide viuet in ipsis. *Rom 1.*
Abraham autem credidit Deo, & reputatum est illi ad *Rom 4.*
Iustitiam: prouidens autem scriptura, quod ex fide in- *Galat 3.*
stificat gentes Deus, prænunciauit Abrahæ: cognoscitur ergo quod qui ex fide sunt, hi sunt filii Abrahæ. Abrahæ vero dictæ sunt promissiones & semini eius: non dicit: Et seminibus, quasi in multis; sed quasi in vno? Et semini tuo, qui est Christus: hoc autem dico testamentum ante confirmatum in Christum. quæ post trecentos triginta annos facta est lex, non irritum facit promissum: & vetus scriptura testamentum Dei appellat promissionem factam Abrahæ, promisit enim Deus per semen Abrahæ benedicendas esse gentes; hoc autem semen esse Christus est, per ipsum enim promissio ad exitum perducta est. Nam si ex lege promissio, hæreditas non est ex promissione. Abrahæ autem per repromis- *Ibidem.*
sionem, donauit Deus semen. Quid igitur lex? propter transgressiones posita est, quoad veniret semen, quod promissum est, posita est lex ad studium & accurationem generis eius, ex quo erat semen illud profecturum secundum carnem: posita vero est administris Angelis subseruiente vero huic positioni ipso Mose.

Ecce Iudæus nominaris & acquiescis legi, qui lege gloriaris, per transgressionem Deum dedecoratus. Cir- *Rom. 8.*
cumcisione enim prodest, si legem obseruas, si autem transgressor legis es, circumcisio tua præputium facta est, sicut ait Hieremias: Omnes gentes circumcisæ carne, domus vero Israel circumcisa corde. Circumcidi *Ierem. 9.*
Deo est circumcidi præputium cordis vestri. Per legem enim cognitio peccati: nunc autem iustitia Dei manifestata est confirmata à lege & Prophetis. Iustitia autem *Rom 4.*
Dei per fidem Iesu Christi in omnes & super omnes qui credunt: iustificamur enim gratis gratia eius per redemptionem in Christo Iesu, arbitramur ergo fide iustificari *Ibidem.*
hominem absque operibus legis: quid Iudæorum tantum Deus, & non gentium? certè & gentium, quoniam vnus Deus, qui iustificabit circumcisionem ex fide, & præputium per fidem: legem igitur euacuamus per fidem? *Ibidem.*
absit imò legem statuimus. Quid enim dicit Scriptura? *Rom 4.*
credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad iusti- *Psal. 31.*
tiam, ait enim Dauid: Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata, Beatus vir cui non imputauit Dominus peccatum. Lex (inquit) peccantibus supplicium infert: ait Propheta beatos prædicat eos, quibus remissa sunt peccata; hæc igitur beatitudo in circumcisionem, an in præputium tendit? Respondemus, Abraham reputatam esse fidem ad iustitiam Sed *Rom. 4.*
quomodo reputata est in circumcisione, an in præputio? perspicuum est, non in circumcisione, sed in præputio; & signum accepit circumcisionis signaculum iustitiæ fidei, quæ erat in præputio, vt sit pater omnium credentium ex præputio, vt reputetur & illis ad iustitiam, & sit pater circumcisionis, non iis tantum qui sunt ex circumcisione, sed iis, qui sectantur vestigia fidei, iis, inquam, qui sunt in præputio patris nostri Abrahæ, non enim per legem promissio Abrahæ aut semini eius, vt hæres esset mundi? sed per iustitiam fidei: lex enim iram operatur, siquidem consuetudo legis est punire violatores: vbi enim non est lex, neque præuaricatio Ideo ex fide, vt secundum gratiam sic, vt fieret firma promissio omni semini non solum ex lege, sed ex fide Abrahæ, qui pater est omnium nostrum, sicut scriptum est, patrem *Genes 17.*
multarum gentium posui te ante Deum, cui credidit, qui viuificat mortuos, & vocat ea quæ non sunt, sicut ea, quæ sunt: Qui contra spem in spe credidit, vt fieret pater multarum gentium, secundum quod dictum est: sic erit semini tuo: & non infirmatus est fide: nec con- *Gen. 15.*
siderauit corpus suum iam emortuum, centum iam natus annos, **vuluam Saræ emortuam**, in promissione etiam Dei non hæsitauit diffidentia, sed confortatus est fide, dans gloriam Deo: plenissime sciens qu a

Rom.4. quæcumque promiſit, potens eſt & facere. Ideo& re-
Rom.9. putatum eſt illi ad iuſtitiam, non eſt autem ſcriptura
tantum propter ipſum, ſed propter nos, quibus reputa-
bitur credentibus in eum, qui ſuſcitauit Ieſum Chriſtum
Dominum noſtrum à mortuis. Non enim omnes Iſraë-
litæ ſemen Abrahæ ſunt, non enim natura, ſed virtutis
Geneſ.21. cognationem quærit Deus, neque quia ſunt ſemen
Abrahæ, omnes filii Dei, ſed in Iſaac vocabitur tibi ſe-
men, id eſt, non filii carnis, hi ſunt filii Dei, ſed filii pro-
miſſionis reputantur in ſemen: appellat autem filios
carnis natos ſecundum naturæ ordinem filios vero pro-
miſſionis, eos, qui ſecundum gratiam fidei dati ſunt. Pro-
Rom.9. Geneſ.18. miſſionis enim verbum hoc eſt: ſecundum hoc tempus
veniam, & erit Saræ filius? cum nulla eſſet naturæ ſpes,
ſic diuino munere & magnificentia factus eſt Abraham
pater

Quare ergo Iudæe gloriaris, quaſi ſolus appelleris
ſemen Abrahæ? Nam & Iſmael Abrahæ filius fuit, &
quidem primogenitus. Quod ſi exiſtimas illum electum
eſſe ex cognatione, neque ad eam pertinere quia eſſet
ex matre non libera & ingenua ortus; at Scriptura non
ex matribus, ſed ex patribus ſolet genealogiam texere,
& qui nati ſunt ex Chetura libera & ingenua, ſemen
Abrahæ minimè appellantur. Similiter de 12. filiis Iacob
ex diuerſis matribus natis, ex quibus 4. fuerunt ex an-
cillis nati, omnes autem Iſrael appellati ſunt: nihil ex ſer-
uitute materna accipientes: non ſolum autem illi, ſed &
Rom 9. Rebecca ex vno concubitu Iſaac patris noſtri habens.
Cum enim nondum nati fuiſſent, aut aliquid boni egiſ-
ſent aut mali (vt ſecundum electionem propoſitum Dei
maneret) non ex operibus, ſed ex vocante: dictum autem C
Geneſ 25. eſt ei: Maior ſeruiat minori an exiſtimas Iudæe propter
Saram præpoſitum eſſe Iſaac Iſmaeli & filiis Cheturæ;
Quid dices de Rebecca? Hic enim vna mater eſt, vnus
pater, vnus conceptus, gemelli ſunt filii id enim ſigni-
ficat: ex vno concubitu habens eodem tempore vtrum-
que concepit, verum alter charus Deo fuit alter minimè.
Neque expectauit Deus rerum experientiam, ſed potius
differentiam vtriuſque prædixit, antequam in lucem
editi eſſent. Prædixit autem prouidens ac proſpiciens
vtriuſque propoſitum, non enim iniuſta eſt electio, ſed
Rom 9 cum cuiuſque hominis propoſito faciens, ſicut ſcriptum
Malach 1, eſt, Iacob dilexi, Eſaü autem odio habui; Quod enim à
Gen.21. Deo dictum eſt Abrahæ, in Iſaac vocabitur tibi ſemen,
doce,, vt quis ſit benedictionis particeps, non opus eſſe D
Rom.9. illi genere, non enim naturam Deus attendit, ſed fidem,
Oſee 2. & virtutem requirit, ſicut in Oſee dicit: Vocabo non
plebem meam, plebem meam: & non dilectam, dile-
ctam, & erit in loco, vbi inuentus eſt ipſis, populus
meus ipſi vocabuntur, nos filij Dei viuentis: quoniam
gentes quæ non cognouerunt iuſtitiam, apprehende-
Rom.9. runt iuſtitiam. Iſraël vero conſectans legem propter iu-
ſtitiæ, in legem iuſtitiæ non peruenit. Quare, quia non
ex fide, ſed ex operibus legis, exiſtimaunt enim ſufficere
ſibi viuere ex lege ad comparandam iuſtitiam, fidemque
contempſit: quamobrem munerum fidei non ſunt facti
Ibidem. participes: impegerunt enim in lapidem offenſionis,
Eſa 8. ſicut ſcriptum eſt, Ecce ego pono in Sion lapidem offen-
ſionis, & petram ſcandali, & quicumque crediderit in
eum, non confundetur: offendere ſolent & impingere,
qui alior ſum ſenſum propheticarum Scripturarum ac- E
cipiunt, & in via promouere ac progredi nolunt, quod
quidem euenit Iudæis qui intenti ſuperfluis legis, lapi-
dem à Prophetis prædictum ac prænunciatum, videre
noluerunt. Quanquam planè vaticinati ſunt Prophetæ
Rom.10. magna bona conſecuturum, quiſquis hæc crederet.
Zelum enim Dei habent, ſed non ſecundum ſcientiam.
ignorantes enim iuſtitiam & ſuam quærentes ſtatuere,
iuſtitiæ Dei non ſunt ſubiecti: finis enim legis Chriſtus,
ad iuſtitiam omni credenti: lex enim omnes nos, id eſt,
Eſa 28. omnem naturam hominum ad Dominum Chriſtum di-
1 Petr 2. rexit; ergo qui credit Chriſto, ſcopum legis implet, quo-
Pſal.117. Matth. 21. niam ſcriptum eſt; Ecce pono in Sion lapidem angula-

A rem, electum, honoratum, & qui credit in eum, non con-
fundetur. Nobis igitur honor credentibus, non creden-
tibus verò lapis quem reprobauerunt ædificantes, hic
factus eſt in caput anguli, & lapis offenſionis, & petra 1 Petr.2.
ſcandali: nos autem qui credimus & baptizati ſumus,
genus electum, regale ſacerdotium, gens ſancta, popu-
lus acquiſitionis, qui virtutes annunciauimus eius, qui ex
tenebris vocauit nos in lucem ſuam, qui aliquando non
populus, nunc autem populus Dei, qui non conſecuti
miſericordiam, nunc autem miſericordiam conſecuti
quos vocauit non ſolum ex Iudæis, ſed ex gentibus, ſicuti
ait per Oſeam: Vocabo non populum meum, &c. & erit Oſee,2.
in loco vbi inuentus fuerit ipſis, populus meus vos illic
vocabuntur filii Dei viuentis: quicumque enim ſpiritu
Dei aguntur, hi ſunt filii Dei: finis enim legis Chriſtus ad Rom 8.
B iuſtitiam omni, credenti. Moyſes enim ſcripſit, quoniam Rom 9
iuſtitiam quæ ex lege eſt, qui fecerit homo, viuet in ea. Rom. 6.
Lev 18
Quæ autem ex fide eſt iuſtitia, ſic dicit. Ne dixeris in Ezech 20,
corde tuo: Quis aſcendit in cœlum? id eſt Chriſtum de- Deu.30.
ducere. Aut quis deſcendet in abyſſum? hoc eſt, Chri-
ſtum à mortuis reuocare: ſed quid dicit? Prope eſt ver-
bum in ore tuo, in corde tuo, hoc eſt, verbum fidei, quod
prædicamus. Quia ſi confitearis in ore tuo Dominum
Ieſum Chriſtum, & in corde tuo credideris quod Deus
illum ſuſcitauit ex mortuis, ſaluus eris. corde enim cre-
ditur ad iuſtitiam, ore autem fit confeſſio ad ſalutem.
Dicit enim Scriptura, quod qui credit in illum, non con- Rom.10.
fundetur, ipſe enim Dominus omnium diues in omnes, Eſa.28.
qui inuocant eum, & erit omnis, qui inuocauerit nomen
Domini, ſaluus. Quomodo igitur inuocabunt, in quem
C non crediderunt? quomodo credent ei, quem non au- Rom 10.
dierunt? quomodo autem audient ſine prædicante? quo-
modo vero prædicabunt, niſi mittantur? ſicut ſcriptum
eſt ſpecioſi pedes Euangelizantium bona. Et quidem in
omnem terram exiuit ſonus eorum, & in fines orbis ter- Eſa 52.
Pſal.17.
re verba eorum, &c. Verum non cognouit Iſrael. Eſaias Eſa 53.
ait: Domine quis credidit auditui noſtro, & brachium Rom 0.19.
Domini, cui reuelatum eſt? Ego prouocabo vos in non Deut 32.
gentes, quoniam in gente ſtulta irritabo vos: gentes ſtul-
tas vocauit nos? ſiquidem ante fidem ſtultitiam declara-
uimus, eramus enim aliquando, id eſt, antequam crede-
remus, ſtulti inobedientes, errantes.

Magno quidem dolore affecit Deus Iudæos, neque
enim tam graue atque moleſtum eſt illis, diſperſos eſſe,
D templumque vaſtatum eſſe, atque eſt quod gentium
pietatem & ſplendorem vident. Eſaias audet dicere: Eſa 65 1.
Inuentus ſum ab iis, qui me non quærebant, palam ap- Rom.10.20.
parui iis, qui me non interrogabant. Comprehendit
eodem loco Eſaias prædictionem pietatis cognitionis
Dei in gentibus, & crudelitatem Iudæorum. Quod enim
ait, *audet*, declarat, non timuiſſe eum Iudæos furentes, &
cædis auidos, quin potius confidenter auſum fuiſſe gen-
tium ſalutem prædicere, & Iudæorum perfidiam præ-
nunciare. Ad Iſraelem verò dicit Moyſes, tota die ex- Eſai.65 2.
pandi manus populo repugnanti, & contradicenti. Ad Rom 10.21.
hunc modum Prophetæ Iudæos accuſant, & fidem gen-
tium prædicant ac prænunciant: dico autem Dominum
Ieſum Chriſtum miniſtrum fuiſſe circumciſionis propter Rom 15.8.
veritatem Dei, ad confirmandas promiſſiones patrum,
gentes autem ſuper miſericordia laudabunt Deum. Deus De circumci-
E enim Abrahæ promiſit benedicendas eſſe gentes in ſe- ſione.
mine eius: accepit autem Patriarcha & vniuerſum genus
illius circumciſionis ſignum. Oportebat igitur ſemen il-
lius ſecundum carnem, ex quo ad gentes benedictio ma-
naret, habere ſignum cognationis, vt demonſtraretur
clariſſimè veritas promiſſionis, & gentes, quæ gratiam
accepiſſent, laudarent eum, qui tantam humanitatem
præſtitiſſet, quam idem per Prophetas appellauit fidem
& ſalutem gentium, ſicut ſcriptum eſt: Propterea con- Rom 15 6.
fitebor tibi in gentibus, Domine, & nomini tuo canta- Eſa 15 10.
bo, & rurſus: Laudate Dominum omnes gentes lau- Pſal.116 1.
date eum omnes populi. Et Eſaias: Et erit radix Ieſſe, & Eſa.11 10.
qui ſurgit ad dominandum gentibus, in ipſo gentes ſpe-
rabunt

rabunt, sicut scriptum est: Videbunt quibus non nun-
Esa 52 13. tiatum est de eo, & qui non audierunt, intelligent. Cùm
autem rursus introducit primogenitum in orbem terra-
rum, vt adorent eum omnes Angeli Dei, sic Deus per os
Psal 88 16 Dauidis ait; Semel iuraui in sancto meo, si Dauid men-
tiar semen eius in sæculum manet, & thronus eius vt
Sol in conspectu meo, & vt Luna perfecta in æternum,
& testis in cœlo fidelis. Et rursus: ponam in mari manum
eius, & in fluminibus dexteram eius, &c, ipse inuocabit
Psal. 88. me, pater meus es tu, Deus meus, protector salutis meæ.
& ego primogenitum ponam illum excelsum præ regibus
terræ, qui est Dei verbum, & filius vnigenitus sæculorum
auctor, & effector omnium.

Vnde autem in orbem intrat? quomodo primoge-
nitus, vnigenitus? Et si post sumptam humanitatem
Angeli eum adorauerint, ante humanitatem non omni-
no eundem hoc honore prosecuti sunt? Vtique erat vt
Ioan 1. Deus, & in orbem intrauit vt homo, in mundo erat
& mundus per ipsum factus est, & mundus eum non
cognouit. in propria venit, & sui eum non receperunt.
Si autem in mundo erat, quomodo intrauit? Si autem
intrauit, quomodo in mundo erat? atqui erat in mundo
vt Deus, intrauit autem vt homo, ad eundum modum
vnigenitus est vt Deus, primogenitus vero vt homo in
multis fratribus. Sic etiam semper colebant eum Angeli,
erat enim semper Deus: adorarunt vero etiam vt homi
nem: vt ad Angelos quidem dixit: qui facit Angelos
suos spiritus, & ministros suos flammam ignis: ad filium
Hebr. 1 7 vero ait: Thronus tuus Deus in sæculum sæculi, virga
Psal 44.7. rectitudinis, virga regni tui, dilexisti iustitiam, & odisti
iniquitatem, propter hoc vinxit te Deus oleo lætitiæ præ
participibus tuis: demonstrauit per hoc apertè, Angelos
quidem naturam habere creatam, vnigenitum vero fi-
lium increatam & æternam: quatenus enim Deus, sem-
piternum habet thronum, & regnum principio & fine
carens: illud autem; dilexisti iustitiam, & odisti iniqui-
tatem, & quæ sequuntur; secundum humanitatem dicta
Esai.17 16. sunt: siquidem Propheta Esaias de Emanuele præ-
dicens, hæc adiecit: antequam sciat puer bonum aut
malum, nollet prauitatem eligere, vt eligat bonum Et
vnctio non est diuinitatis, sed humanitatis: oleum (in-
Hebr 1.9. quit) exultationis præ participibus, particeps quidem
sumus nos, non quidem diuinitatis, sed humanitatis,
sicuti scriptum est: qui sanctificat, & qui sanctificatur:
Hebr.2 11. ex vno omnes, & hoc humanitatem designat, est enim
creata humanitas assumpta, vnus quidem nostrum, &
ipsius humanitatis auctor; verum per illum sanctifica-
Ibidem. mur. Propter quam causam non confunditur fratres
Psal 2.23. eos vocare, dicens: Nuntiabo nomen tuum fratribus
meis, in medio Ecclesiæ tuæ laudabo te: Et iterum:
Psal 17.3. Ego ero fidens in eum. Et iterum: Ecce ego & pueri
Esa 8 18. mei quos dedit mihi Deus. Si autem Dominus & effe-
ctor omnium, & propter suorum seruorum salutem
carnem assumpsit, & homo factus est absque peccato ex
Maria semper virgine, & cum seruis suis vescens, &
bibens, & sedens, eorumque ægrotos curans, pro nobis
passus, non veretur vocare fratres etiam istos, pro qui-
* pueros. bus passus est, perspicuum est, quod fideles non solum
Hebr.2 14. fratres, sed & † filios. Quia ergo pueri communica-
runt carni & sanguini & ipse similiter participauit ea-
dem: vt per mortem suam destrueret, quod habebat
mortis imperium, id est, diabolum & liberaret eos, qui
metu mortis per vniuersam vitam obnoxii erant serui-
tuti. Et quemadmodum poterat ipse frater non vocari,
aut non nos filios vocare legitimè, nisi eandem ipse in-
duisset naturam, quamobrem hanc indutus, mortis do-
minatum atque potestatem destruxit, & metum nobis
impendentem exemit: semper enim mortem metuebā-
Hebr.2.16. mus. Non enim Angelos apprehendit, sed semen Abra-
hæ apprehendit: etenim si naturam Angelorum assum-
psisset, mori non potuisset, quia vero humanum corpus
accepit, per passionem quidem debitum hominum
soluit, per corpus vero quod passum est, resurrectio

A propriam potestatem ostendit. Vnde debuit per omnia
assimilari fratribus. Similiter enim atque nos cibum Hebr 2 17.
sumpsit, labores sustinuit, doluit, lacrimatus est, & mor-
tem subiit: vt misericors fieret & fidelis Pontifex in iis
quæ ad Deum pertinent ad propitiandum pro peccatis
populi: in eo enim in quo passus est ipse & tentatus, po-
tens est & in eis qui tentantur, auxiliari. Et hæc secundum Ibid 2. 18.
humanitatem dicta sunt: neque enim Pontifex est vt
Deus, sed vt homo; neque vt Deus passus est, sed vt
homo; neque per experientiam didicit nostra, sed vt
Deus & fabricator omnium cognoscit omnia clarissi-
me: nunquid ad aliquem Angelorum dixit aliquando:
Sede à dextris meis, quoadusque ponam inimicos tuos
scabellum pedum tuorum: non enim vt Deo tantum Ibid 1.13.
dicit, sede à dextris meis, quomodo enim diceret? si-
B quidem thronus eius in sæculum sæculi, sed vt homo
hunc honorem accepit, quatenus vero Deus, æternum Ibid.2.6.
habet thronum. Et rursus: quid est homo quod memor
es eius, aut filius hominis quoniam visitas eum? minuisti
eum paulò minus ab Angelis, gloria & honore corona-
sti eum, & constituisti eum, &c. Eum autem qui modico
quam Angeli minoratus est, videmus Iesum propter pas-
sionem mortis, vt absque Deo pro omnibus gustaret
mortē, gloria & honore coronatum, non quidem quan-
tum ad naturam diuinitatis diminutus est infra angelos,
sed quoad passionem humanitatis: vt igitur inferior erat
Angelis propter passionem mortis, quandoquidem na-
tura angelica immortalis est: ipse autem quatenus homo
passionem sustinuit absque Deo propter salutem omniū.
omnia enim quæcumque mortalem naturam habent,
hoc remedio egebant, remedio, inquam, humanitatis
C Christo, sola enim diuina natura non egebat, hoc enim
significat, *absque Deo*. gloria vero & honore coronatum
vt hominem post resurrectionem & in cœlos ascensum,
diuinam gloriam recepit, & factus est maior Angelis, *Pro omnibus gustaret mortem absque Deo.*
sedem enim supra principatū, & potestatem, & domina-
tionem, & virtutes, & omne nomen, quod nominatur
non solum in hoc sæculo, sed in futuro? in eo enim quod
subiecit ei omnia, nihil prætermisit non subiectum: nunc
autem nondum videmus omnia subiecta. in tempore
autem illo, id est, in sæculo futuro, omnia tenebit sub
suo imperio; subiicientur enim tunc qui nunc contradi-
cunt & repugnant: verbum enim Dei caro factum, mor-
tis imperium deleuit: deleto autem promisit nobis resur-
D rectionem, cum ipsa vero resurrectione coniuncta est
immortalitas, in qua inest illa patrum nostrorum requies
& vita æterna per fidem promissa, & omnium simili fide
sperantium Dominum nostrum Iesum Christum filium
Dei. Etenim si fuisset in Ierusalem perfecta requies, illā
nos Iesus filius Naue requiescere fecisset, sed non dedit
Deus Abrahæ vestigium pedis; neque illius filiis fide si-
milibus dedit in ea hæreditatem in sæculum, quin potius
inquilini in ea & vbique exiguo tempore hinc excedi-
mus relictis rebus terrenis; illic autem consistit immor-
talis requies, cuius hæredes existunt, quicumque fide
audierunt hodie, secundum Dauid, neque obdurarunt
cor, sicuti improbi patres illi in exacerbatione secun-
dum diem tentationis: vt enim in præsentem breuem
E requiem non sunt ingressi per fidem, quin potius ipso-
rum cadauera prostrata sunt in deserto: eorum vero loco
ingressi sunt in eam filii, sic in æternam requiem promis-
sam ore Dauid à Deo illi sunt in resurrectione ingressuri
qui audito nunc verbo fidei & suscepto illuminati
fuerunt, qui autem non crediderunt, & Deum tentā-
uerunt, in ignem æternum mittentur, perpetuò pu-
niendi. Hoc autem ne ignoretur quod patres vestri
omnes sub nube fuerunt, & omnes per mare transie-
runt, omnes in Moyse baptizati sunt in nube & in mari,
omnes eandem escam spiritualem manducauerunt, bi-
berunt enim ex spiritali sequente eos petra, petra au-
tem erat Christus. Hæc, inquit, nostrarum rerum typi
erant, mare enim imitabatur baptismum, nubes desi-
gnabat gratiam spiritus, Moyses vero sacerdotem, virga

crucem, Israël vero qui transiuit, designabat baptizatos, Ægypoij persequentes, dæmonum erant figura: ipse Pharao imago diaboli: post transitum enim Israelitæ liberati sunt Ægyptiorum potestate; item manna de cœlo acceperunt in typum quendam panis cœlestis, id est, corporis Christi: præterea petra imago erat lateris Christi; manauit enim præter spem aqua, sintque illis petra quod nobis Christus: consequebatur autem illos non petra, sed diuina gratia Christi filii, & verbi Dei quæ fecerat, vt petra illa præter omnem spem aquam emitteret, etenim si petra eos sequeretur, aut aqua ex petra, quomodo iterum aquis eguissent?

Act. 13.16. Viri Israelitæ, & qui timetis Deum, audite: Deus elegit patres vestros, & plebem ex alto in peregrinatione, in Ægypto, & brachio excelso eduxit eos. Et 40. annis circumduxit eos in deserto, & deletis septem gentibus in terra Chananæa, dedit illis in hæreditatem terram earum gentium, & postea annis trecentis quinquaginta, dedit eis Iudices vsque ad Samuelem Prophetam. Et exinde petierunt regem, & dedit eis Deus regem Saul filium Cis virum ex tribu Beniamin annis 40. post cuius obitum suscitauit pro eo regem Dauid, cui testimonium tribuit, dicens: Esai. 11. 3. Inueni filium Iesse virum secundum cor meum, qui faciet omnes voluntates meas, ex semine cuius secundum promissionem salutem Deus attulit Israel prædicante Ioanne ante faciem eius baptismum pœnitentiæ Israeli. Cùm impleret autem Ioannes cursum suum, dicebat: Quem me arbitramini esse, non sum ego: sed ecce qui venit post me, cuius non sum dignus soluere corrigiam calceamenti pedum eius. Viri fratres filii generis Abraham, & qui in vobis timent Deum, vobis verbum salutis huius missum est. Qui enim habitant Ierusalem, & principes eorum hunc ignorantes, & voces Prophetarum quæ per omne Sabbatum leguntur, compleuerunt ad effectum perducentes eas. Et nullam causam mortis inuenientes in ea petierunt à Pilato, vt interficeret eum. Cumque consummassent omnia quæ de eo scripta erant, deponentes eum de ligno crucis, posuerunt in monumento. Deus verò suscitauit eum à mortuis, qui visus est per dies multos in Sabbatis eorum à Galilæa vsque Ierusalem. Cuius rei testes fuerunt in populo, in discipulis Apostolis, visusque post resurrectionem 40. diebus, colloquens cum eis de regno cœlorum, qui quidem nobis nunciarunt, & vobis similiter nunciamus eam quæ ad patres nostros repromissio facta est: quoniam hanc Deus adimpleuit filiis vestris, resuscitans Iesum, sicut & in Psalm. 2. scriptum est. Filius meus es tu, ego hodie genui te. Quod autem suscitauit eum à mortuis, amplius iam non reuersurum in corruptionem. Ita dixerunt: Quia vobis dabo sancta Dauid fidelia. Ideoque in alio Psalmo ait? Non dabis sanctum tuum videre corruptionem, Dauid enim voluntate Dei dormiuit, & appositus est ad patres suos, & vidit corruptionem. Quia verò Deus suscitauit à mortuis, non vidit corruptionem, Notum igitur sit vobis, viri fratres, quia per hunc vobis remissio peccatorum annunciatur, & ab omnibus, quibus non potuistis in lege Moysis iustificari. In hoc omnis qui credit iustificatur. Videte igitur ne superueniat vobis quod dictum est in Propheta: Videte contemptos, & admiramini, & disperdimini; quia opus operor ego in diebus vestris, opus quod non creditis, si quis enarrauerit vobis. Esaias autem clamat pro Israël, dicens: Si fuerit vniuersus Israël, sicut arena maris, reliquæ saluæ fient: verbum enim abbreuiatum, & contractum faciet Dominus in terra, vt à principio prouidit Deus eos, qui fideles & qui perfidi futuri erant; & quod primogenitus filius Israel abiiciendus esset, introducendus vero in eius locum populus gentilium obscurè atque rectè hæc per Prophetas prædixit etenim si cognouisset suam eiectionem atque repulsam, gens Iudeorum, inuida & consceleraта, libros ipsos Prophetarum combussisset: quia tolerare non posset aduer-

A sum se scripta ferri, ex quo magnum incommodū cepissemus, hæc ergo causa cur recte & obscurè scriptæ sint prædictiones propheticæ: quæ si non credat Iudæus, credat Prophetæ dicenti: neque audisti neque cognouisti, neque a principio aperuisti aures tuas, intellexi enim quod repugnans repugnabis. Esai. 14. 11. Et nunc quidem quia Deus ex muliere genitus est scandalizaris; in eremo autem olim cum Deus inuisibiliter absque corpore versabatur vobiscum, & admirabilia illa facta edebat, quare contra Deum cogitabas? quomodo contra Moysen fremebas, ita vt parum abfuerit quin lapidaris eum? quomodo relicto authore beneficiorum tantorum in Ægyptum reuerti cupiebas? perspicuum itaque est eundem esse te neque mutatum. Qui tunc duri cordis, & ingratus in beneficium tuum, idem nunc qui olim B dum tentabas & aiebas: Est ne Dominus in nobis, an non? Exod. 17. 7. idem nunc facis cum propter nos homo factus est: cui potius deberes hoc nomine totus gratias agere, sicuti facere solemus in medico corporis, cùm frequenter ægrum reuisit, & nullam rationem dignitatis & honoris sui habens inspicit & attrectat ægritudinem, & graues odores profert, vt sanitatem restituat laboranti; quod si hæc ita habent, quid de Trinitate dubitas? cur non adoras filium? cur non credis Spiritum sanctum? De Trinitate. At, inquis, vnū Deum prædicat Scriptura, mitte Esaiam, Dauid, vniuersam Scripturam, quæ clara voce Trinitatem Dei prædicat, ingredere in tabernaculum Abraham, & attentè considera, qui erant illi, qui illi apparuerunt & quot; & quæ ac qualia locutus fuerit Patriarcha, cui tanquam perfectam cognitionem consecuto, C velut tres apparuerunt, & velut vnus loquebatur, similiterque idem Abraham sermonem suum accommodauit vt pluribus, & vni. Declinate (inquit) Domine ad me, quid esse potest admirabilius? Genes. 18. quid quod magis Trinitatem declaret? cùm enim ait, declinate, diuersitatem personarum significauit, cùm vero ait, Domine, naturam vnam vnumque dominatum. Quod si dicas, vnum Deum esse, duos vero reliquos Angelos, deliras, quando enim serui cum Domino sedere permissi sunt: quomodo Dominus apparuit duobus tantum comitatus Angelis satellitibus: ex eo igitur tempore sancta Trinitas vnius honoris atque solii cognita fuit Abrahæ. Sed quærit adhuc Iudæus, si in Trinitate Deus vnus adoratur, cur non apertè hoc Israeli expositum est à Pro- D phetis: Audi, quia diu olim populus in Ægypto fuerat, vbi falsam religionem multitudinis deorum ex Ægyptiis didicerat, ἐμόσχευε ... [illegible] Deus qui omnia ad vtilitatem gubernat, noluit apertè & explanate de Trinitate doctrinam tradere, ne occasionem hinc acciperent multos deos introducendi, atque ita ad errorem Ægyptiorum redirent, quamobrem mysterium Trinitatis sapientissime adumbrauit: etenim si à principio limatè & absolute de Trinitate sermonem fecisset, omnino refractarius & contumax Israël ad pristinum malum reuerteretur: etenim si nihil tale audiens, ipsius vnius Dei singulis horis obliuiscebatur, prorsusque ex Ægyptia impietate & superstitione pendebat, quod non fecisset si statim de Trinitate audisset: profecto tales deos cogitasset, quales in Ægypto celebrantur. Sed age, Iudæe, quandoquidem Christus, se, vt affirmas, hominē aiebat esse, non Deum, E cur ipsum in crucem egisti: cur tanquam sceleratum, & legis ac Sabbatorum violatorem occidisti? an violauit Sabbati religionem, quia paralyticum sanauit, quia decumbentem in lecto liberauit, quia mortuum iam quatuor dies ad vitam reuocauit: quæ hæc iniquitas? qui animal quod in fossam ceciderit, extrahit Sabbato, Luc. 13. religionem eius non soluit, neque legem violat & soluat ac violet qui vitam restituit cadaueri putrescenti: corruptum & peruersum iudicium, ô amentiam Iudæorum! ô pecudes, qui pecudem præstare homini iudicatis! Sed cur ita pertinaciter, Iudæe, miser & fatue honorem Sabbati defendis, cùm olim Deus iussisset Sabbatum celebrare quietumque agere? Si vero infantis

nati

nati octauus dies in Sabbatum incideret, nihil prohiberet, quin eo die infans circumcideretur, plane declarabat, cum tandem veniret circuncisio octaui diei, qui est dies sanctus Dominicus, qui septimum proxime sequitur honorem Sabbati tollendum esse: aptissime vero dici potest Circuncisio huius nostri diei, in eo enim ad vitam redijt Christus & peccatum circumcisum est, dæmonumque elatio repressa est, immo sublata, quid vulns? olim Deus religionem Sabbati tollendam esse designauit, cum circuncisione infantum octauo die, vt ante diximus, tum non minus Hieremiæ verbis, cum promisit per eum daturum se Testamentum nouum, ne ergo moleste feras, si cum alijs quoque & sanctitas Sabbati translata est, noui enim Testamenti noua oportet esse eius decreta & dogmata: nouum autem illud omnino est, quod nunc additum est: diuersum aspectu & reipsa ab eo quod iam præterit, quod quidem declarauit Dominus, cum dicit: Disponam Testamentum nouum, non quale disposui patribus vestris, cum eduxi eos ex Ægypto. Quod si hæc ita habent, quid mirum si Sabbati religionem sublatam videritis, si circuncisionem mutatam, multaque alia Mosaica? etenim si Mosaica illa & vetera præscripta ac decreta semper fuissent permansura, fixa & immota, nunquam Deus per Hieremiam dixisset transitura esse vetera & alia pro illis noua successura: quale autem esset hoc nouum Testamentum, & quo in loco dandum Esaias dixit: Ex Sion inquit, exibit lex, & verbum Domini ex Ierusalem. Sed vide Dei sapientiam: quia enim prouidebat perfidiam & contumaciam tuam, per Hieremiam de nouo Testamento admonuit, per Esaiam locum declarauit, in quo huiusmodi nouum Testamentum erat condendum. Frustrà igitur Iudæe Sabbati religionem tenes, frustrà circuncisionem iactas, qui enim nouum Testamentum dedit, hæc omnia sustulit, & irrita fecit. Præterea cum circuncisio signi causa data sit, quid circuncisione gloriaris? quid te hoc nomine effers in incircuncisos? Tu cogeris circumcidi carne, ego verò circumcidor corde, ne praua cogitem: quod autem huiusmodi circuncisio Deo sit gratissima, audi quid dicat accusans Israelem per Hieremiam, omnes gentes incircuncisæ carne, domus verò Israel incircuncisa corde. An circuncisio cordis iustificare potest? refer te ad Patriarcham Abraham, & videbis eum non circuncisione, sed sola fide iustificatum. Abraham, inquit, credidit Deo & reputatum est illi ad iustitiam, ergò sancita est postea circuncisio ad cognoscendum & discernendum fideles, quando cum gentilibus versarentur, & vt in mentem veniret Dei cuius rei fidem facit res ipsa, cùm enim in eremo populus Israël solus 40. annis versatus est, nullis alijs gentibus admistus, non fuit opus circuncisione, quare incircuncisi fuerunt, quicumque in eremo mortui sunt, postquam verò Iesus Naue Iordanem cum populo traiecit, iussu Dei sunt circuncisi, fac (inquit Deus) cultros lapideos, & sedens circumcide filios Israel, qua igitur de causa......................

Baruc. 2. 33.

Cur Sabbatum translatum in Dominicã, &c.

Esa. 2. 3.

Ierem. 9.

Rom. 4.

Iosue. 5. 2.

Hic in Ms. lacuna erat.

Quæstio.

Cur suillo Iudæi non vescuntur? non quidem vt ipsi dicere solent, quia immundus sit sus, alia enim sunt impuriora quibus vescuntur, alia rursus puriora, quibus minime vescuntur, vt gallina quæ omnibus sordibus alitur, à qua non abstinent Iudæi, & hirundo auicula mundissima, & qua abstinent: ergò iussit Deus per Moysen abstinere à suillo; quia cùm Iudæi erant in Ægypto, vescebantur suibus, bouem autem & capram & canem pro Dijs habebant Ægyptij, vnde βοζοῖαι quia bouem & κυνῖται quia canem colebant, dicebantur: quare Iudæi Ægyptiorum mores, vtpote cum quibus versabantur, tenebant: Deus ergò cùm ex Ægypto eos eduxisset, velletque eorum cogitationes abducere ab vsu Ægyptiorum & vita, iussit illis vt quæ illic religioni habebantur & pro Dijs, ea mactare & comedere, vt vel sic fieret, ne ea amplius colerent, suem verò quia comedebant Ægyptij, iussit Iudæis ne comederent, non quia

A immundus esset sus, sed ne in mentem veniret consuetudinis & vitæ Ægyptiæ, & vt coacti non vesci sue, reliqua animalia mactarent & comederent, vt bouem, capram, ouem quæ pro Dijs colebant: hæc ergo causa est cur iusserit Deus non vesci suibus, non autem quia sordidi sunt & immundi, siquidem sunt alia immundiora quibus Iudæi vescuntur, quæ tamen Deus non fecit, neque nominauit immunda: imò hæc animalia non ad vescendum tantum à Deo data sunt; sed ad alios necessarios vsus, vt bos ad arandum & vehendum, aliaque opera rustica, ouis ad lanam, & lac, similiter capra ad lac, caseum, pilos, item canes ad custodiendam domum, gallina ad oua, sus verò nullum alium vsum habet, quàm ad vescendum, itaque immundum illum faciunt Iudæi, B ne emant illum & alant, vt sunt illiberales, etenim si velint eum alere, idem pastus est ouis, capræ & suis. Audi quid dicat Scriptura: Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona.

Genes. 1.

Quæstio.

Si quæsierit Iudæus quemadmodum Christianus ex gentibus filius Abrahæ sit, respondebit; secundum fidem: sicut dictum est Abrahæ: patrem multarum gentium posui te. Sed tu Iudæe quemadmodum filius Abrahæ es? nonne Isaias dixit † populo tuo? Pater tuus Amorræus & mater tua Cethæa: quare ergo secundum fidem sum filius Abrahæ, tu verò Amorræus & Chetæus moribus?

† Mendum apographi Esaias pro Ezech. 16.

Ezech. 16. 3.

Quæstio.

Deut. 21.

Si quæsierit Iudæus, quomodo credis in crucifixum? Audi Scripturam dicentem: maledictus omnis qui pendet in ligno. Sed dic tu Iudæe, quomodo credis tu C serpenti æreo suspenso? cum sit serpens maledictus in omnibus bestijs, cuius serpentis imago erat ille æreus, quod vitam præstitit maioribus tuis, etenim vt serpentis qui non mordebat: contra morsum serpentum, remedium vitæ afferebat, sic Christus omnis peccati expers sublatus in crucem pro peccatoribus vitam mundo tribuit.

Num. 21.

Quæstio.

Deut. 18.

Si quæsierit Iudæus, quemadmodum natus ex Maria Deus sit, cùm nos dicamus, prædixisse de eo Moysen Prophetam suscitabit vobis Deus ex fratribus vestris sicut me, ipsum audite: Videtur ergò Moyses homo fuisse & Deus. Respondebimus quærentes, quando hoc dixerit Moyses, antequam ascenderet in montem, & mutatus esset aspectus eius, ita vt non possent intueri in eum Israë-D litæ propter splendorem vultus, nisi habuisset velamentum, an vero postquam factum est hoc? nempe postquam hoc euenit: hic igitur filius Dei cùm habitauit in nobis, habuit templum corporis sui pro impedimento, tegens suam diuinitatem: igitur quemadmodum in Moysen non potuerunt propter gloriam vultus eius intueri absque velamine abiecto, similiter filius Dei humanitate texit diuinitatem.

Exod. 34.

Quæstio.

Si quæratur causa obscuritatis Prophetarum à Iudæo: respondebimus, quod prouiderit Deus genus Iudæorum pertinax ac durum esse: quia enim dicunt Iudæi paucos ex ipsis prædicationem accepisse, aliquos vero omnes fugere tanquam fraudem, idcirco iam olim prædictio hæc docuit, tametsi Iudæi numero E ac multitudine arenam maris superarent, non tamen omnes salutem consecuturos, præter eos qui fuerint fide præditi: verbum enim abbreuiatum quod faciet Dominus, vocauit fidem: itaque qui qui fidem capiunt, hi sunt, quos Propheta reliquias appellat, qui per fidem salui erunt. Nescitis in Elia quid dicat Scriptura, qui deprecatur Deum pro Israel? Domine Prophetas tuos occiderunt, & altaria tua suffoderunt: & ego relictus sum solus, & quærunt animam meam. Sed quod dicit ei oraculum? Reliqui mihi septem millia virorum qui non curuauerunt genua Baal. Illo, inquit, tempore multa millia erant Israelitarum, & omnes vocabantur Israëlitæ; verùm Deus se Deum vocauit septem millium, cæteros omnes reiecit: Propheta tamen hoc ignorabat, & in seipso putabat seruatas esse pietatis & cultus diuini reliquias, quare nihil mirum si vos Iudæi ignoratis eos, qui

Verbum abbreuiatum.

Rom. 9. 28.

Esa. 10. 22.

Rom. 9. 27.

3. Reg. 19. 10.

Rom. 11. 3.

ex vobis Christo crediderunt, quos populum Deus vocat. Sic in hoc tempore reliquiæ secundum electionem gratiæ factæ sunt, gratia autem non ex operibus, quoniam quæ ex operibus, non est gratia: & sicuti tunc ait, ex multis millibus, 7. millia tantùm relicta fuisse ab impietate libera, sicut nunc plures sunt qui non crediderunt, pauciores verò qui crediderunt & diuinam gratiam consecuti sunt: non enim iustificauit eos vita secundum legem, hoc enim significat ex operibus legis, sed Dei gratia saluos fecit, idcirco gratia vocatur ipsa salus: quia gratia ex liberalitate Dei allata est, sicuti scriptum est:

Esa. 59. 20. Rom. 11. 26.

Veniet ex Sion qui eripiat & auertat impietatem à Iacob, & hoc illis à me testamentum, cùm abstulero peccata eorum: quod si secundum legem vitæ donaret peccatorum remissionem illis, profectò id propheticus sermo dixisset, si vero lex punit transgressores, semper autem Iudæi vocati sunt violatores legis, perspicuum est, Prophetam declarare remissionem, quæ per Baptismum tribuetur. Vocat autem omnes credentes, Israel, siue ex Iudæis, siue ex gentibus oriundos, secundum nobilitatem fidei cum ipso Israele coniunctam. Quod ergo quærit Israel secundum carnem, hoc non est assecutus: cur non est assecutus? quia non ex fide quærit, sed ex operibus legis, electio autem assecuta est per fidem, reliqui

Esa. 6. 9. Rom. 11. 8.

verò excæcati sunt, id est, relicti sunt in perfidia, sicut scriptum est: dedit illis Deus spiritum compunctionis, oculos vt non videant, & aures vt non audiant, vsque

Matth. 13. 13. Act. 28. 27. Psal. 68. 23. Rom. 11. 9.

in hodiernum diem. Non enim Deus fecit, vt non crederent, sed permisit, id est, dimisit. Spiritum compunctionis vocauit, mentem obstinatam, atque ἀμετάβλητον, vt enim qui rectè perspicit, quæ debet non flectit se ad deterius; sic qui dedit se sceleri ac malitiæ, studio non se flectit ad virtutem. Alius quoque Propheta ait: incrassatum est cor populi huius, & auribus grauiter audierunt, & oculos clauserunt, & lumen videre noluerunt. Et Dauid ait: Fiat mensa eorum in laqueum & captionem, & in scandalum, & in retributionem illis. Obscurentur oculi eorum, ne videant, & dorsum eorum semper incurua .... Quod Iudæi contra legem dies festos suos agitent. Siquidem lex iubeat non solum tempus, sed locum seruare vt est in lege de Pascha & Pentecoste: quod autem obseruatio loci magis necessaria esset, ita vt obseruatio temporis non excusasset, non obseruari locum, constat ex Num. 9. cùm immundi illi accessissent ad Moysen, qui illo die non poterant facere Phase, homo qui fuerit immundus in itinere procul in vobis aut in generationibus vestris, faciet Pascha in mense secundo, &c. id est, vt Chrysostomus interpretatur libro secundo contra Iudæos, qui voluerit peregrinari, & primo mense ab vrbe abfuerit, is in secundo mense Hierosolymam veniat, transeatque tempus præscriptum, vt locum seruet: quod quidem non ex lege solum, sed ex prophetis quoque intelligi potest. Cùm enim barbari cogere vellent Iudæos, dum captiui tenebantur, vt organis musicis canerent dicentes: Canite nobis, &c. quia legem nouerant, & sciebant non licere id facere extra vrbem; aiebant: Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena? Item, tres pueri aiebant; non est in tempore hoc Princeps neque Propheta, neque locus ad sacrificandum coram te, & inueniendum misericordiam, quia scilicet non sacrificabant, cùm non esset templum. Et in Zacharia ait Dominus: Nunquid ieiunium ieiunastis septuaginta annis captiuitatis? quomodo ergò tunc Iudæi ieiunant, cùm maiores eorum, neque ieiunarent, neque sacrificarent, neque dies festos agerent in terra aliena. cùm tamen expectarent se redituros ad vitam secundum legem, isti verò minimè docere possunt se redituros? item ex eo quod de se narrat Daniel, in diebus illis, inquiens, ego Daniel eram lugens tribus hebdomadibus, &c. constat neque Pascha illic seruasse, neque ieiunium lege præscriptum ieiunasse, siquidem diebus azymorum non licebat ieiunari ex lege. Atqui si segnes quidam & ignaui

Hoc videtur in mss. lacunæ fuisse. Chrys. lib. 1. cont. Iudæos, eiusmodi obiecit Iudæis, quod ... das lege ignominia nefarium, & Dei precepta contemnunt. Vos Spiritui sancto resistitis semper, nempe sua auertentes quod Dei voluntati contrarium est. Idem Chrys. lib. 4. in princip. eos igitur ne legere quidem extra ciuitatem fas fuit Hebræis, quomodo legem formare potuerunt extra ciuitatem? Ibi dicit quod Propheta a cantarent, quod foris legerent legem, & appellarent confessionem. At Paulus ait Actor. 15. habet Moyses in singulis ciuitatibus, qui eum prædicant, & legitur enim per omne Sabbatum Moyses, & c. Psal. 136.

A aut etiam impii fuissent, qui hoc dixerunt aut fecerunt, existimari potuisset non seruasse illos legem propter ignauiam aut contemptum; at si pii in Deum ac Dei amantes erant, quique animas pro Deo ad mortem obtulerunt, perspicuum est, quod non seruarunt legem, non propter ignauiam fecisse, sed quia ex lege didicerant, non esse hæc seruanda extra Ierusalem. Cur autem sacrificia constituerit Iudæis, ex eo constat, quod non permisit, nisi postquam dæmoniis sacrificarent: itaque fecit exemplo medici, qui vt maius malum vitet ac caueat quod æger minatur, permittit illi potionem frigidam, alioqui incommodam & insalubrem. sed rursus idem aliquando hac arte vtitur, affert domo vas, in quo aquam frigidam præbet ægroto, iubens clam ministris, vt vas adhibitum frangant, vt ex insperato ab illa cupiditate bibendi abducatur; sic Deus permisit sacrificare. verùm nusquam

B nisi Hierosolymis: quam vrbem subuertit, vt vel inuitos sic abduceret à sacrificiis: medicus ergò est Deus; vas, Ierusalem; ægrotus populus: potio aquæ frigidæ, permissio ac potestas sacrificii. Et nisi retrahere eos velleta sacrificiis, quorum in vnum locum conclusisset sacrificiorum religionem quia vbique est Deus? quem locum tandem demonstrauit? Et quid est admirabilius, cunctum orbem patere Iudæis, vbi non liceat sacrificare, vrbem vero, in qua solum licuit, nulli eorũ patere? Erat ergò vrbs quidem quasi [illegible]; qua euersa, omnis cultus lege descriptus sublatus est: igitur si Iudæum conuincere voluerimus, rogemus eum, cur ieiunet, cùm nõ teneat vrbem. Si dicat, expectare reditum in eam: ergò quoad redeas, quiesce: sic enim fecerant

C sancti illi tres pueri, Daniel & alii.

Cùm videmus aliquos semper dicere verum neque mentitos vnquam, quamuis inimici sint; nisi amentes simus, credimus, cùm quid affirmant: Contra verò cùm in aliquo mendacio deprehenduntur, esto, verum dicant aliquando; non credimus. Videamus ergò Christi prædictiones cuiusmodi sint, & quàm veræ. Accessit mulier habens alabastrum vnguenti, & cæt. dico vobis quoad prædicabitur Euangelium in vniuersa terra, & quod fecit hæc mulier narrabitur in memoriam eius, &c. quod ad exitum perductum esse admirabiliter testantur Ecclesiæ omnes cunctusque orbis: cùm enim plerique reges post plurima beneficia collata in vrbes & gentes, post multa bella gloriosè confecta, & partas victorias ex memoria

D deleti sint atque ignorentur, item reginæ, multæ eædemque præpotentes post multa in suos beneficia neque de nomine sciantur, tamen hæc tenuis muliercula solo vnguento effuso ita clara extitit, tantumque sibi nomen fecit, vt eius fama in cuncto orbe percrebuerit. Itaque neque ignobilitas personæ, neque paucitas testium, decem, inquam, hominum, neque obscuritas loci; in domo enim Simonis leprosi neque facti tenuitas quid enim præclari ac magni erat oleum effundere? neque longinquitas temporis, neque quidquam aliud potuit delere memoriam, & obliuione obruere, quin potius omnibus regibus & regnis nobilior clariorque nunc est. Et quis hoc fecit nisi is, quem mulier hoc officio prosecuta est? quod quidem neque facere neque prædicere humanæ facultatis fuit: etenim de se prædicere, non caret admiratione, de aliis verò prædicere & facere, longè admi-

E rabilius est. Item prædixit Petro, Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt, &c. quàm vera extiterit hæc prædictio, testatur exitus rerum: neque enim bella, exercitus, reges, tyranni, hæretici, omnia genera tormentorum, non intestinæ pugnæ, sed neque domesticæ inter propinquos & necessarios atque amicos, hæc; inquam, omnia non potuerunt Ecclesiam labefactare: idque in initio, cùm erat exigua & infirma, & animi auditorum imbecilli: ne enim dicere vllus posset vnquam, Ecclesiam constitutam esse & stare atque sustentari pace regum, alioqui ruituram; idcirco permisit Christus tunc cùm erat infirmior, oppugnari & quati vndique. Considera mihi quot apud

Græcos

** Dan. 3. ὥς τι ἐξ... De Paschate vide Num. 9. Zach. 7. Dan. 10. In diebus illis ego Daniel lugens panem desiderabilem, &c. Dum initiatur, a tertia die mensis primi vsque ad vigesimum quartum eiusdem, in quo tempore diesque dies azymorum, quibus non licebat ieiunare a decimo quarto vsque ad vigesimum primum, & post 21. dies alios quoque diximo ieiunasse. Tres pueri, Daniel, & alii quamuis expectarent reditum in vrbem post septuaginta annos, habebantque de eo clarissimum testimonium & promissionem, tamen nihil eorum neque exercere audebant extra vrbem, vt audent nostri temporis Iudæi, quibus nulla spes reditus reliqua est, nec eam ostendere possunt. Prædictiones Christi. Matth. 26. Ibid. 26.*

Græcos Politiam constituere voluerint, Zeno, Plato, Socrates, Diagoras, Anaxagoras, & infiniti alij, qui tantum abest, vt perficere potuerint, vt plurimi ne eorum quidem nomina sciant aut teneant. itaque tenenda est ratio Gamalielis, qui cum vellet continere Iudæos, sanguinis Apostolici sitientissimos, attendite, inquit, vobis, quoniam si ex hominibus est hoc opus, dissoluetur, si autem ex Deo, nemo poterit dissoluere: commemorat autem exempla Theudæ & Iudæ Galilæi, quos dæmon protulerat, atque commouerat, vt Christus videretur vnus ex illorum numero in aduentu suo, sicut duo quoque latrones ad crucem adegit, volebat enim comparatione mendacij veritatem obscurare. Præterea dixit: Non veni mittere pacem in terram, sed gladium, non dixit; τὴν γνώμην σου id est, propositum atque consilium tuum quodque erat cordi, sed finem atque exitum rerum; Veni enim, ait ad separandum hominem aduersus patrem suum, & sponsam, &c. scilicet accidebat in eadem domo esse fidelem, & infidelem, velleque patrem pertrahere filium ad infidelitatem. ergo hoc est quod ait: tanta vis erit Euangelicæ prædicationis, vt filij patres, & filiæ matres negligant, & parentes ipsi liberos: non enim suos tantum deserent, sed animas quoque profundens, & omnes cruciatus sustinebunt, vt non amittant pietatem: hoc scire & facere, non erit humanæ tantum facultatis: vnde enim sciebat, suauiorem se fore parentibus, quàm eisdem filios eorũ, desideratiorem mulieribus quàm viros earum, maiori reuerentia habendum, quam parentes à filijs? idq; non vna in domo aut ciuitate, aut regione, neque in vna gente, sed in cuncto orbe ad exitum perductum videmus, & quotidiè perduci. Deseruntur enim propter religionem Christi parentes, filij, omnia denique ab ijs, qui solo Christo contenti, illa omnia contempserunt. Igitur qui hæc de muliere illa prædixit, & de Ecclesia, atque de hoc bello, idem prædixit templi deuastationem perpetuam, quæ cur non est credenda? præsertim post tam longinquum tempus exitus rerum cætera quæ prædixit, manibus teneantur? Sed quia Euangelio credunt, doceamus ex Prophetis, quibus maximè credunt, neque vrbem, neque templum, recuperaturos vnquam. tametsi ad Iudæos potius pertinebat docere, se esse recuperaturos, siquidem nos habemus testimonium temporis nobiscum faciens, illi vero nihil, imo ipso exitu rerum coarguũtur, ita ad Iudæos pertinebat docere ac probare instaurandam esse vrbem: siquidem in iudicijs hoc seruari videmus, si quis literas proferat, aduersarius vero reprehendit, cogitur refellere, aut alios testes producere. quare producant Prophetam aliquem in medium, qui prædixerit instaurationem vrbis: etenim si præsens Iudæorum seruitus atque calamitas finem vnquam habitura erat, nemo ignorat quin necesse fuerit à Prophetis id prænunciari, cum esset vetus apud Iudæos consuetudo, vt tam prospera quàm aduersa prædicerent Prophetæ, idque propter ingratitudinem & impudentiam: quia enim statim post accepta beneficia auctoris eorum immemores erant, & dæmonibus ascribebant ea, vt cum egressi sunt ex Ægypto, & mare diuisum est, obliti Dei, dijs falsis causam assignabant, & Aaroni dixerunt: Fac nobis deos, qui nos præcedant. Et apud Hieremiam aiunt: Postquam cessauimus sacrificare reginæ cœli, & libare ei libamina, victi sumus, & in gladium & famem incidimus; ergo vt neque res lætas neque calamitates tribuerant idolis, sed Deo; has propter peccata; illas propter eius benignitatem; idcirco prænunciabant ea omnia Prophetæ, quod ex Esaia perspici potest. Annunciaui, inquit, tibi euentura, & feci vt audires, ne quando dicas, Idola mihi fecerunt, sculptilia & fusilia iusserunt. Præterea quia post euentum rerum impudenter querebantur, quod non audissent, idcirco etiam non solum prænunciabant futura, sed testes quoque adhibere solebant. Sic Esaias: Adhibui testes, in-

Marginal notes (left column): A; Act. 5.; Matt. 10.; B; C; D; Cur Prophetæ dati Iudæis.; E; Exod. 32.; Ier. 44.18.; Esa. 48.5; Esa. 8.2.

quit, fideles homines Oriam & Zachariam filium Barachiæ sacerdotem, neque hoc solum, sed etiam in tomo nouo Prophetiam scripsit, qui non corrumperetur ante exitum rei, sed testari posset ante exitum prædictum esse. atque hoc quidem perspici potest ex tribus seruitutibus, quas pertulerunt, ac nullam absque prædictione loci, temporis, personæ & generis ipsius mali, & reditus siue liberationis, aliorumque omnium, prima fuit Ægyptia seruitus, quam prædixit Deus Abrahæ. Scito, inquit, prænosces, quod peregrinum futurum sit semen tuum, &c. quo in loco numerum annorum habes 406. annos, & genus seruitutis. non enim solum dixit captiuum ducent, sed affligent. genus vero afflictionis exposuit Moyses: paleas non dant seruis tuis, & iubent lateres facere, & verberabant quotidiè, &c. Gentem quam seruituti afficient, iudicabo ego. Ægyptiorum in mari rubro interitum designat. Deinde reditum prædicit & modum: redibunt, cum multa, inquit, supellectile. Secundam seruitutem, Babylonicam, inquam, prædixit Hieremias notans tempus & vrbem, & vnde essent reuocandi. Cum impleti, inquit, fuerint 70. anni Babylone, visitabo vos, &c. Idcirco Daniel non prius preces pro captiuis Deo adhibuit, quàm videret impletum numerum annorum, ne frustra deprecaretur, fecitque quod nos facere solemus, cum seruus à Domino in carcerem coniicitur, non statim accedimus deprecatores, sed postquam iam dies aliquot pœnas luerit, cum, inquam, temporis adiumento vti possumus. Tertia captiuitas seu seruitus fuit ab Antiocho Epiphane. occiso enim Dario rege Persarum ab Alexandro, & hoc postea defuncto, quatuor reges successerunt, ex quibus vnus fuit Antiochus, qui multo post tempore templum incendit, & sancta sanctorum vastauit, ac sacrificia sustulit, Iudæosque subiugauit; quæ omnia diligentissimè vsque ad diem vnum prædixit Daniel, quando & quomodo euentura erant, & quemadmodum & vbi interiturus ille, quarum rerum visionem parabolicè Daniel tradidit, vocans regem Persarum arietem, Alexandrum hircum, post eius obitum 4. regum successionem, quos cornua appellat, prænunciat, ex quibus vnus erat Antiochus Epiphanes, in quem desiit Prophetia, post multa de bello Ptolemæorum, & Seleucorum interiecta. ergo de Antiocho sic prædicit; brachia ex ipso surgent, & profanabunt sancta, & transferent quotidianum sacrificium, & populus cognoscens Deum præualebunt, &c. quod de Machabæis dicitur: tandem mutationem temporum describit, & liberationem Iudæorum post suppliciorum perpessionem, Angelo misso ad eorum auxilium: deinde prædicit quanto tempore erant hæc mala duratura, scilicet mille ducentis nonaginta diebus, id est, tribus annis cum dimidio & paulo amplius: prænuncians vero liberationem, subiunxit: beatus qui sustinuerit & peruenerit ad dies 1335. addit 45. id est, mensem cum dimidio, quo tempore commissum est prælium, & parta victoria. Veniamus igitur ad eam seruitutem & calamitatem, in qua nunc sunt Iudæi quæ à Daniele prædicta est, nusquam vero liberatio. Abbreuiatæ inquit, sunt super populum hunc 70. hebdomades &c. à Cyro quidem vsque ad Antiochum & captiuitatem sub eo 494. anni fluxerunt, ex quo constat non prædici à Daniele illam deuastationem, sed eam quæ facta est a Pompeio & Tito & Vespasiano: deinde docet, ex quo tempore sint numerandæ hebdomades annorum 69. id est, 483. anni non quidem à reditu Babylone, sed ab exitu sermonis respunsi & ædificationis Ierusalem: non est autem ædificata sub Cyro, sed sub Artaxerxe Longimano, μετὰ γὰρ τὴν ἐπάνοδον rediit Cambyses, deinde Magi, post eos Darius Hystaspis, postea Xerxes Darij filius, deinde Artabanus, post hunc Artaxerxes Longimanus, qui fuit rex Persidis 28. anno regni huius Neemias reuersus vrbẽ instaurauit, vt Esdras nobis diligenter scripsit. Si igitur ab hoc tempore nu-

Marginal notes (right column): Esa. 30.8.; De tribus seruitutibus Iudæorum.; Gen. 15.13.; Exod. 5.; Exod. 12.; Ier. 25.12.; Dan. 8.; De 70. hebdomadibus Dan. 9.

meremus 485. annos, ſanè deueniemus ad hanc deuaſtationem, quæ nunc durat, idcirco ait: ædificatur platea & murus, poſtquam, inquit, inſtaurata erit vrbs. Et ab eo tempore ſunt numerandæ hebdomades, videbiſque hanc captiuitatem nondum finitam, quod ipſe Propheta prædixit: deſtruetur, inquit, vnctio & iudicium, &c. & paulò poſt; neque erunt amplius reliquiæ, neque radix amplius pullulans, &c. & infra: tolletur ſacrificium & libatio, & adhuc in templo abominatio deuaſtationis vſque ad conſummationem temporis, conſummatio dabitur in vaſtationem. Cum conſummatio auditur, nihil reliquum eſt quod expectetur, abominationem deſolationis vocat ſtatuam quam in templo poſuit, qui vrbem vaſtauit, idcirco, Dominus cuius aduentus fuit poſt Antiochum Epiphanem prædicens futuram captiuitatem, docenſque de ea locutum Danielem, cùm videritis, inquit, abominationem deſolationis ſtantem in loco ſancto, qui legit, intelligat: quia enim omne idolum, omniſque figura ſeu imago hominis apud Iudæos abominatio appellatur, in ænigmate ſignificauit ſtatuam illam, ſimul etiam quando & à quo eſſet futura captiuitas. Quod autem hæc de Romanis dicta ſint, Ioſephus etiam Iudæorum ſcriptor teſtatur: quid ergo reſpondere poſſunt Iudæi, ſi Prophetæ reliquas captiuitates temporibus circumſcripſerunt, hanc verò nequaquam, imo vero contra ita prædixerunt illam, vt vſque ad conſummationem duraturam eſſe pronunciarint? † Sed age à rebus ipſis ſumamus teſtimonium, etenim ſi nunquam conati eſſent inſtaurare templum: fortaſſe dicere poſſent: Si voluiſſemus inſtaurare, omnino perfeciſſemus: nunc autē oſtendam illos non ſemel aut iterum, ſed ter conatos, nihil profeciſſe, ſemel quidem ſub Hadriano, quæ cauſa fuit, vt iratus Hadrianus reliquias templi omnes deleuerit; ac ne amplius ſimile quid auderent, ſtatuam ſuam in tēplo collocauerit; quia verò videbat ſtatuam iniuria temporis aliquando collapſuram, ipſis reliquiis vrbis nomen impoſuit ſuum tanquam ſigillum & characterem impudentiæ Iudæorum & victoriæ ſuæ: vocabatur enim Ælius Adrianus: poſt hunc tempore Conſtantini cum idem tentaſſent, deſectis auriculis, inuſtaque eorum corporibus hac nota non obediendi, circunduci eos fecit, tanquam fugitiuos & Maſtygas, vt exemplo eſſent cæteris, deinde noſtra ætate ante vigeſimum annum, cum conuocaret eos, & inuitaret Iulianus ad ſacrificandum idolis, addens, ſic coli ſolitum eſſe Deum à maioribus Iudæorum, vel inimici confitebantur, quod nos nunc docuimus, extra vrbem ſanctam non licere ſibi ſacrificare, quare petierunt à Iuliano, ſi vellet eos ſacrificare, reſtitueret vrbem, inſtauraretque templum, poneret aram, oſtenderet ſancta ſanctorum, tunc ſe more maiorum ſacrificaturos, perſuaſere Iuliano: ſperabat enim ſic eos paulatim ad cultum idolorum pertrahendos, itaque poſt magnos ſumptus, magnoſque apparatus, magnis architectis vndique accerſitis, cum aggrederentur fundamenta iacta olim aperire, magnis aggeribus effoſſis, repente fundamenta flammas ignis

Matt. 24.

Ioſeph antiq Iudaic. li. 8. c. 14.

† *Quoties tentauerint Iudæi inſtaurare templum Hierol. Hæc eſt Chryſoſt. l. 2. in fine de ſynagogis Iudæorum & in 3 lib ait, quod in eis pater afficitur contumelia, filius laceſſitur conuitijs, Spiritus ſanctus contemnitur lib. 3 quod Hier c 7. promittit Deus parcere ciuitati ſi Sabbatum ſeruarent, at nunc ſeruant, neque tollunt onus in eo; neque tamen parcit. In eodem lib. quod tempore Chryſoſt Iudæi habebant ſacerdotem, ait enim, profecto palam eſt, quod ſacerdos qui apud iſtos nunc eſt, impurus ſit ac nefaſtus, illegitimus atque profanus. Denique non propitiat, ſed prouocat in eod 3. in fine de ſynagogis. Et enim ſit tam tunc erat ſpelunca latronum templum, cum ſtatum ſuum obtineret, nunc etiam ſi lupanar, ſi tranſgreſſionis locum, ſi diaboli ſpeluncam, ſi animarum exitium dixeris, ſi totius perditionis præcipitium ac barathrum, denique quidquid addideris, minus quàm pro dignitate dixeris, Malach. 1. De ſacrificio Miſſa.*

A euomuerunt, quibus plurimi conflagrarunt, atque hoc quidem tunc accidit cum non erant imperatores Chriſtiani, cum florebant res gentilium, cum Chriſtiani exagitabantur, & latitabant, ne dicere vnquam poſſent Iudæi, à Chriſtianis ſe fuiſſe prohibitos ab iiſque interruptum opus. Sed age: eſto, tempus um Iulianus reſtituiſſet Iudæis, aramque ædificaſſet illis, vt mentiuntur Iudæi, an poterat ignem è cœlo educere? qui cùm non erat, impurum erat ſacrificium, ſicuti cum filij Aaron interierunt, quia alienum ignem adhibuerunt. Sed producamus alios teſtes Prophetas. Poſtquam Iudæi reuerſi ſunt Babylone, & templum inſtaurarunt, & ſacrificia fecerunt; Malachias Propheta planiſſimè res noſtras prædixit, eamque deuaſtationem

B quæ nunc durat, & ſacrificiorum veterum ceſſationem. non itaque cito Prophetam Eſaiam aut Hieremiam, ne reſpōdere poſſint Iudæi prædictionem vaſtitatis exitum habuiſſe in captiuitate Babylonica. ergò ait Malachias, accipiam ex vobis perſonas veſtras, dicit Dominus omnipotens, quoniam ab oriente ſolis vſque ad occidentem nomen meum glorificatum eſt in gentibus, & in omni loco thymiama offertur nomini meo, & ſacrificium purum, & vos profanatis eum, &c. quod ſi non ſit ſermo de noſtro ſacrificio, ſed de Iudæorum, ſequitur vt Prophetia Malachiæ cum lege pugnet; cum enim Moyſes iuſſerit in vno loco ſacrificare tantum, Prophete dicit, vbique ſacrificatum iri. At non

C pugnant: de alio enim ſacrificio loquitur Moyſes, de alio Malachias, quod ex multis ſignis colligi, & perſpici poteſt; ex loco, non enim ait in vna ciuitate, ſicut de Iudaico ſacrificio, ſed vbique ab oriente ſolis. &c. ſignificans quantum terrarum ſol illuſtrat, tantum occupabit prædicatio; ex perſonis ſacrificantibus. non enim dixit in Iſrael, ſed in gentibus, ex genere ſacrificij quod ſignificauit, eum dixit purum, tanquam ſacrificium prius impurum fuiſſet, non quidem natura, ſed διὰ τῶν προσάγοντων ſacrificantium. idcirco enim dixit Deus: thymiama abominatio eſt mihi; alia etiam ratione dici non poteſt ſacrificium hoc noſtrum purum, illud verò impurum, comparatione ſcilicet: tanta eſt noſtri præſtantia & excellentia maior, ſicuti Paulus

D ad legem cum gratia comparans: non eſt, inquit, glorificatum, quod eſt glorificatum, propter excellentem gloriam. ſic in ſacrificio noſtro, quod non per fumum, nidorem, ſanguinem adhibetur, ſed per gratiam ſancti Spiritus. Idem prædixit Sophonias: apparebit Dominus in omnes gentes, & deſtruet Deos gentium omnes, & adorabunt eum vnuſquiſque ex loco, &c. cum quibus verbis & ſententia valdè congruit illud Pauli: Apparuit gratia Saluatoris omnibus hominibus, ille duxit in omnes gentes erudiens nos, vt abnegantes impietatem, & vt deſtrueret omnes Deos gentium.

2. Cor. 3.

Sopho 2. 11

Tit. 2. 11.

Quod ſi Iudæi peccata ſua in cauſa dicunt eſſe, cur non patriam & vrbem recuperent, cogemus eos quod ita magnum ſcelus commiſerint, vt commeruerint

E perpetuum exilium. an prius iuſti erant aut parum ſcelerati? certè Ezechiel duas meretrices inducens Oollam & Olibam: & Lupanar, inquit, ædificaſtis in Ægypto, & Deos alienos colebatis. item poſt diuiſi maris, ſciſſæque petræ miracula, aliàque multa, vitulum adorarunt, Moyſen lapidarunt, aliiſque modis occidere tentarunt, Deum blaſphemiis affecerunt, Beelphegor initiati ſunt, filios & filias dæmoniis immolarunt, denique omne genus ſceleris nefarij commiſerunt. præterea per Prophetam Deus 40. (inquit) annis offenſus fui generationi illi, & dixi: Semper hi errant corde, quemadmodum vos non abiecit: tunc Deus, quin potius poſt tanta ac tam grauia crimina, tot miracula edidit, eaque beneficia contulit, quæ in nullum hominem collata vnquam ſunt: Relicta Moyſi nube, loco tecti, columna loco facis, hoſtibus ſponte cedentibus ac ferè voce ſola victis; neque armis neque

Ezech. 23.

Pſa. 94.

neque copijs fuit opus, siquidem solo clangore tubarum muri ruebant, *Psa. 77.* cibus admirabilis & diuinus, de quo Propheta admirans: Panem, inquit, Angelorum dedit eis. quare igitur nunc cum neque idola colunt, neque liberos mactant, neque Prophetas occidunt, neque alia huiusmodi committunt, tamen in perpetua seruitute sunt? Etenim si propter peccata iratus esset illis Deus, debuit tunc magis; si tolerabat eos tunc, nunc magis oportuit, tunc non ita grauia committunt. Verum intelligo quod crimen sit, quod ego patefaciam, imo potius res ipsa declarat. postquam Christum occiderunt, non est illis reliqua excusandi causa. tunc enim B in seruos peccabant, vt Moysen, Prophetas alios; nunc vero in ipsum caput Christum. Agite Iudæi; si impostor erat quem occidistis, quemadmodum Phinees vnius *Psa. 105.* cæde facta, Deum cæteris iratum placauit, & sacerdotium meruit. Stetit, inquit, Phinees, placauit, & cessauit quassatio. Vos autem post interfectum & in crucem actum impostorem, & Dei aduersarium, vt dicitis, non modo nullo honore affecti estis, sed potius ex eo tempore in summis calamitatibus & miserijs, ac seruitute estis, maioribus, quam dum filios immolabatis, ac Idola colebatis. Iam per Hieremiam promisit Deus parsurum se ciuitati, si cessarent Iudæi onera tollere in Sab- C bato: *Ier 17. 24.* neque tamen hîc in gratiam cum Deo redeunt; quia scilicet hoc crimen cætera omnia superat, quod nisi commisissent, nunquam vsque adeo auertisset illos Deus, *Isa. 48. 11.* tametsi infinita alia patrassent, quod ex eo perspici potest, quod per Prophetas sæpè ait, mille supplicijs maiores eorum dignos fuisse. Verum ego, inquit, facio propter nomen meum, ne profanetur in gentibus. Et rursus: Non propter vos ego facio domus Israel, sed propter nomen meum, perinde atque si diceret, grauioribus supplicijs eratis digni. verum ne quis dicat Deum esse infirmum, neque potuisse illos eripere malis, atque idcirco reliquisse eos hostibus, ob D hanc causam adsum illis & eripio. Quare si impostor fuisset ille quem in crucem egistis, & si infinita alia crimina commisissetis grauiora prioribus, tamen liberasse vos omnino, ne nomen suum blasphemaretur, ne ille magnus quis existimaretur, diceretque aliquis propter illum vos hæc perpeti mala. Neque dicere possunt Iudæi, vt andent nonnulli dicere, accepisse has calamitates ab hominibus, non à Deo, verum illatas esse à Romanis propter Dei iram & ἐγκατάλειψιν; vel ex eo intelligi potest, quia si fuissent illatæ ab hominibus tantum, non progressa fuissent mala, sed ponus terminata fuissent ipsa vastitate. Sed ponamus, vrbem, tem- E plum, & aram illos euertisse; nunquid potuerunt homines Prophetas tollere omnino, ne amplius essent? potuerunt sancti Spiritus gratiam delere? nunquid alia sistere? vt vocem quæ ex propitiatorio ferebatur, energiam in vnctione, manifestationem in lapidibus sacerdotis? etenim politia Iudæorum non omnia principia & origines ducebat ex terra, sed pleraque ex cœlis, vt cum sacrificandum erat, ara quidem in terra erat, & ligna, & culter, & sacerdos: ignis vero quo erat hostia consumenda, è cœlis ferebatur deorsum. F item si quid erat discendum, è medio Cherubim & propitiatorij vox ferebatur, qua futura prædicebantur. Similiter in lapidibus pectoris erat quidam splendor, qui præsignificabat futura, quod vocabant δήλωσιν. Adhæc cum erat facienda vnctio, Spiritus sancti gratia descendebat, & oleum † saliebat. Ac Prophetæ quidem his subseruiebant, resque istas administrabant: item nubes & fumus adyta replebant. itaque ne Iudæi desolationis causam assignent hominibus; considerent non solum vrbem & templum euersa esse, sed illa quoque sublata quæ ortus & origines ducebant è cœlo. Si vero dicant Iudæi, nihil se horum habere, qui non teneant metropolim; doceamus, non esse causam cur his careant, euersionem templi. sanè quidem cum vaticinabatur Moyses, neque templum

Alludit ad 12. gemmas Rationalis, quarum fulgore quomodo futura manifestabantur, vide Ioseph. antiq. lib. 3. c. 9. & Philonem lib. de monarchia. ἀγγελία. [margin note beside the lines on the stones of the breastplate]

A erat neque ara, quin potius infinita & incredibilis impietas Iudæorum, tamen non ideo aberat Prophetiæ charisma, imo cum Moyse fuerunt alij septuaginta Prophetæ; præterea incenso templo Babylone, nonne Ezechiel & Daniel Prophetæ fuerunt procul à sanctis sanctorum in media regione barbarorum & impurorum hominum prædicebantque multa & admirabilia, Deumque videbant, quantum licebat? Perspicuum itaque est propter Christum ab eis occisum hæc mala euenisse, quod ex ipsis etiam Prophetis perspici potest, *Esa. 53.* inter quos Esaias clarissime causam tantorum ma- B lorum exponit his verbis, quæ sequuntur, quibus prædicit commune omnium beneficium, per Christum, & ingratitudinem Iudæorum. Liuore, inquit, eius sanati sumus omnes, salutem ex cruce profectam designat.

Deinde docet, quales nos eramus: omnes vt oues errauimus; deinde modum supplicij exponit: tanquam ouis ad occisionem ductus est, & velut agnus coram tondente eum mutus, sic non aperuit os suum, in humilitate eius iudicium sublatum est. *Matt. 27.* Cernitur hoc in Euangelio: Cum enim esset Iesus in iudicio Pilati, testimoniumque contra eum dicerent, C nihil tamen respondit. Deinde designans iniquitatem iudicij, ait: In humilitate eius sublatum est iudicium: perinde atque diceret: Nemo causam eius defendebat, neque suffragabatur, quin potius omnes testimonia falsa comprobabant; quia scilicet nolebat se vlcisci Iesus: etenim si voluisset, omnia muuisset, ac tremefecisset, qui quidem cum in cruce erat, saxa dirupit, & solem obscurauit; noluit tamen: sed potius moderatè & toleranter ferre. idcirco dixit: in humilitate eius sublatum est iudicium eius. Deinde docens non esse illum hominem ex numero aliorum, subiunxit: Generationem eius quis enarrabit? tollitur D altera vita eius. Hoc est quod Paulus dixit: *Coloss. 3. 3.* Vita vestra est absdondita cum Christo in Deo. cum Christus apparuerit, vita nostra, tunc & vos apparebitis cum ipso in gloria. Deinde post iudicium illud iniquum, post mortem, post ascensum, postquam, *Esa. 53. 8.* inquam, dixit: Tollitur à terra vita eius; subiunxit: Et dabo impios pro sepultura eius, & diuites pro morte eius

Sed rursus doceamus, legem non posse extra vrbem Hierosolymam exerceri, neque vim habere, nisi in Ierusalem. *Quod lex extra Ierosalem non poterat exerceri.* Idcirco enim a ebat minitans: Non visitabo super filias vestras, cum fuerint fornicatæ, & E super sponsas vestras cum adulterauerint. *Osee. 4. 14.* Quod quidem ex lege intelligi potest; erat enim lex quæ iubebat, vt si mulier adultera esset, & adulterium suspicaretur vir, tamen neque testis esset, neque ventrem ferret vt coargueretur, adduceret eam vir ad sacerdotem & offerret munus eius, conueniens quidem rei tristi & malæ suspicioni, nempe farinam hordeaceam absque oleo & thure. Deinde accipiet, inquit, Sacerdos aquam puram in fictili, & in eam parum terræ ex pauimento sumptum, injiciet, & sistet mulierem, adiurabitque eam, & dicet: Si non es transgressa, &c. *Num. 5. 17.* F Si autem es transgressa, & polluta, tecumque alius rem habuit, det te Dominus in maledictum & iuramen unum in toedio populi, id est, vt dicant alij; Ne patiar quod illa passa est, cum incenderit Dominus ventrem tuum, & intrabit aqua maledicta ad inflammandum ventrem tuum. & eueniet, & si polluta fuerit mulier, intrabit aqua probationis, & inflammabit ventrem eius. Quia igitur ductis Iudæis captiuis cum non erat illis tabernaculum neque sacrificium, nihil horum fieri poterat, idcirco Deus minabatur, inquiens: Non visitabo filias vestras, quando adulterauerint. Ex quo perspici potest clarissimè, ex loco vim habuisse legem. *Osee 4. 14.*

Doceamus ex alio loco sacrificia & sacerdotium Iudæorum cessasse; neque amplius renouanda. Ait enim

Psa. 39. 6. Dauid: Multa fecisti tu Domine Deus meus mirabi-
lia tua: & cogitationibus tuis non est qui similis sit
tibi. Annunciaui & locutus sum. Demirans Prophe-
ta & obstupescens, nihil de mundi fabrica, subiunxit,
de terra, mari, aquis, & igne, non de illis in Ægypto
editis miraculis, non de multis aliis; Sed quid? Sa-
crificium & oblationem noluisti, cernebat enim ocu-
lis propheticis vocationem gentium, & quemadmo-
dum non solum gentes, relicto idolorum cultu, sed &
Iudæi, relictis sacrificijs & holocaustomatibus alijs-
que corporeis, ad nostram doctrinam & religionem
traducendi erant. Ergo demirans tantam ac tam stu-
pendam mutationem rerum, & quemadmodum ex
dæmonibus homines velut Angelos effecturus erat, &
vitam introducturus cœlis dignam, idque sublato sa-
crificio vetere, & alio introducto, scilicet Christi cor-
pore, in hæc verba prorupit: Multa fecisti tu Domi-
ne, &c. Deinde: Sacrificium & oblationem noluisti,
Heb. 10. 5. Psa. 39. 7. corpus autem perfecisti mihi, corpus Christi designat,
quod fuit commune totius orbis sacrificium & hostia,
quæ animas nostras purgauit, peccatum deleuit, mor-
tem extinxit, cœlos aperuit, multorumque aliorum
Rom. 11. 33. bonorum spem et ulit, quod Paulus sciens clamabat
his vocibus: O altitudo diuitiarum sapientiæ & scien-
Psa. 39. tiæ Dei: quam incomprehensibila sunt iudicia eius!
Deinde sequitur in Propheta: Quoniam holocausta, &
pro peccato non postulasti: tunc dixi, Ecce venio, sci-
licet in absolutiora illa & rudiora ac crassiora vetera
per ministros suos dedit, celsiora vero & quæ huma-
nam naturam superant, per seipsum, vnde Paulus:
Heb. 1. 1. Multifariam, inquit, multisque modis olim Deus lo-
quens patribus, &c. nouissimè vero diebus istis locu-
Ioan. 1. 17. tus est nobis in filio. Et Ioannes: Lex per Moysen data
est, gratia vero & veritas per Iesum Christum facta est.
Deinde ne existimaret quis, nouum Deum quendam
Psal. 39. 9. Heb. 10. 7. esse hic, subiunxit: In capite libri scriptum est de
me, proinde atque diceret: Iam olim me prænuncia-
runt Prophetæ, id est, meum aduentum, notitiamque
meæ diuinitatis in principio bibliorum hominibus de-
derunt, scilicet cum ait Deus: Faciamus hominem ad
Gen. 1. 26. imaginem & similitudinem nostram. In ænigmate filij
diuinitatem significauit. deinde vt doceret huiusmodi
mutationem politiæ non esse contra Dei voluntatem,
ita vt veteribus sacrificijs sublatis, aliud succederat,
postquam dixit: In capite libri, subiunxit: Vt facerem
voluntatem tuam, Deus meus, & legem tuam
in medio ventris mei. Deinde declarans quæ illa esset
voluntas, prætermissis sacrificijs, non commemora-
tis oblationibus, neque laboribus, aut sudoribus,
Psa. 39. 10. aut operibus, ait: Annunciaui iustitiam in Ecclesia
magna, non dixit: Dedi, sed εὐηγγελισάμην, scilicet
quia non propter officia, virtutes, labores, obse-
Rom. 3. 21. quia, sed gratis tantum genus nostrum iustificauit.
Quod Paulus declarauit, dicens: Sine lege iustitia
Heb. 10. 5. Dei manifestata est, iustitia autem per fidem Iesu
Leuit. 16. 14. Christi, non per laborem vllum aut fatigationem.
Hoc testimonium citans Paulus, dixit: Vmbram ha-
Heb. 10. 5. bens lex futurorum bonorum, non ipsam imaginem
rerum, per singulos annos eisdem ipsis hostiis quas of-
ferunt indesinenter, nunquam potest accedentes per-
fectos facere. Ideo ingrediens mundum: dicit: Ho-
stiam & oblationem noluisti, corpus autem aptasti
mihi. Ingressum in hunc mundum vocat aduentum
in carne; non quod locum mutaret: quî enim posset,
qui vbique est? sed quia sic se nobis ostendit & ap-
paruit. Verùm quia pugna nobis est non solum cum
Iudæis, sed cum gentilibus, & multis hæreticis, videa-
mus, cur cum infinita alia testimonia haberet Paulus
ad probandum, otiosam esse legem, & veterem illam
politiam cessasse, huius meminit. Quod quidem non
temere, neque casu, sed incredibili quadam pruden-
tia fecit, & admirabili ratione. quod enim alia habe-
ret testimonia ad hunc locum, & quidem longiora,

A sciunt omnes. Esaias enim ait: Non est mihi voluntas
in vobis, plenus sum holocaustomatibus, &c. Et Esa. 1. 11.
alias: Non vocabo te nunc Iacob, neque laborare te Esa. 43. 22.
feci Israel, non honorasti me sacrificiis, &c. Et Iere-
mias: Vt quid mihi thus ex Saba affertis, & Cyna- Ier. 6. 20.
momum ex terra longinqua? Et alius Propheta: Au-
fer à me tumultum carminum tuorum, & Cantica
lyræ tuæ non audiam. Et Dauid: Non accipiam de do- Amos 5. 23.
mo tua vitulos. Cùm ergo hæc aliaque multa testimo-
nia haberet Paulus, quibus Deus sacrificia, Sabbata, Psa. 49. 9.
Neomenias, dies festos Iudæorum reijcit, tamen illis
B prætermissis hoc solum citauit; scilicet quia ex Iu- Esa. 1. 15.
dæis ij qui ad contradicendum exercitatiores sunt,
dicere solent, veterem politiam solutam esse, non
quidem quia non esset perfecta & absoluta, & neque
quia altera melior introduceretur, sed propter im-
probitatem & nequitiam sacrificantium. Sic enim ait
Esaias: Cùm extenderitis manus vestras, auertam
oculos meos à vobis. Deinde causam reddit: Manus Psa. 49.
vestræ sanguine plenæ sunt. Itaque non sacrificia, sed
sacrificantes accusat. Dauid similiter: Non accipiam
de domo tua vitulos, &c. deinde subiunxit, pecca- Psa. 39. 7.
tori autem dixit: Quare tu enarras testamentum
C meum per os tuum? Tu odisti disciplinam. Quo in
loco non sacrificia, sed ipsos sacrificantes reprehen-
dit. Quia ergo hæc Iudæi obijciunt, Paulus vt eo-
rum impudentiam retunderet, hoc testimonio vsus
est, quo doceret illam politiam, quia imperfecta &
inabsoluta erat, repudiasse Deum: non enim est hic
vlla accusatio offerentium, sed imperfectio solum
oblationum & sacrificiorum notata. Sacrificium, in-
quit, & oblationem noluisti, corpus autem perfe-
cisti mihi, holocausta, & pro peccato non postulasti:
atque hoc interpretans Paulus, ait: Aufer primum, Heb. 10. 5.
vt sequens statuat, cum enim dixisset, Sacrificium &
D oblationem voluisti, deinde: Corpus autem perfe-
cisti mihi, docuissetque alterum sacrificium introdu-
ctum; nullam imposterum spem reliquit de restituen-
do illo primo sacrificio, idemque explanans Paulus di-
xit: Per hanc oblationem sanctificatos nos esse volun- Heb. 10. 10.
tate Christi. Si enim, inquit, sanguis hircorum & tau- Heb. 9. 13.
rorum & cinis vitulæ aspersus, inquinatos sanctificat
ad emundationem carnis; quanto magis sanguis Chri-
sti, qui per Spiritum sanctum obtulit semetipsum,
emundabit conscientiam vestram ob operibus mor-
tuis? Satis igitur demonstratum est, vel hoc testimonio,
sacrificium illud vetus cessasse, alterumque pro eo in-
E ductum, neque amplius illud esse renouandum atque
restituendum.

Doceamus idem de sacerdotio; cessasse inquam,
& pro eo alterum successisse, quod constabit, si do-
cuerimus post Aaron & sacerdotium illud, post sa-
crificia & oblationes illas, alium sacerdotem succes-
surum fuisse non ex illa tribu, sed ex alia, ex qua nun-
quam fuit sacerdos; non secundum ordinem Aaron,
sed secundum ordinem Melchisedech, etenim si do-
minaturum esset sacerdotium illud vetus, non se- Psa. 109.
cundum ordinem Melchisedech, sed secundum or-
F dinem Aaron, erat dicendum. Ergo ait Dauid: Di-
xit Dominus Domino meo. Si fuisset priuatus, for-
tasse impudentes Iudæi dixissent, de homine dictum
esse hoc: nunc autem Rex quem potuit dicere Do-
minum, nisi solum Deum? hominem enim nun-
quam Dominum vocasset. Deinde de quo homi-
ne dicere potuit Dauid, Sedere ad dexteram illius
gloriæ? Præterea ne quis existimaret infirmum es-
se illum aut parum potentem, subiunxit: Te-
cum principatus in die virtutis tuæ, quod magis
ac magis declarans addidit: Ex vtero ante luciferum
genui te. Ante luciferum verò nullus homo
genitus est. Tu es sacerdos in æternum, secundum or-
dinem Melchisedech. Quæro a Iudæis si non erat ve-
tus sacerdotium tollendum, quorsum alium sacerdo-
tem

tem ſecundum ordinem Melchiſedech introduxit? Ad hunc locum deuenit Paulus: vt oſtenderet ſacerdotij noſtri excellentiam ſupra vetus: quæ quidem maior excellentia in ipſis typis rerum deſignata fuit ſiquidem Abraham pater Iſaac, auus Iacob, progenitor Leui locum laici tenuit in Melchiſedech: quandoquidem decimas ei dedit, vt dare ſolent laici ſacerdotibus, & à Melchiſedech benedictionem accepit, vt etiam ſolent laici à ſacerdotibus. Si igitur perfectio & conſeruatio per Leuiticum ſacerdotium erat, (populus enim in ipſo legem accepit) quid neceſſe erat alium ſacerdotem ſurgere ſecundum ordinem Melchiſedech; & non ſecundum ordinem Aaron dici? id eſt, ſi res Iudæorum, eorumque politiæ perfectæ erant, ac non potius lex, vmbra erat futurorum bonorum, imo ipſa omnia perficiebat, neque erat alteri ceſſura, neque ſacerdotium prius tolli de medio & alterum ſuccedere debebat: quorſum Propheta dixit: Tu es ſacerdos? &c. erat enim dicendum: Secundum ordinem Aaron. Perſpicuum ergo eſt alterum ſacerdotium priore præſtantius ſucceſſiſſe. etenim ſi typus iſte excellentior erat Iudaico ſacerdotio, profecto multo magis erit veritas ipſa, quod quidem Paulus his verbis dixit: Et amplius adhuc manifeſtum eſt, ſi ſecundum ſimilitudinem Melchiſedech exurgat alius ſacerdos, qui non ſecundum legem mandati carnalis factus eſt, ſed ſecundum virtutem vitæ immortalis. Dixit: Non ſecundum legem mandati carnalis: quia nihil carnale iuſſit: non enim immolare oues aut vitulos, ſed virtute Deum colere, cuius cultus præmium poſuit vitam immortalem. Virtutem quoque ſeu potentiam dixit, quia mortuos nos propter peccata. ipſe veniens ad nos, reuocauit ad vitam, duplici cæde facta, peccati, & mortis carnis. Itaque quia hæc attulit bona, ideo dixit: non ſecundum legem mandati carnalis, ſed ſecundum & ....

Prophetam ſuſcitabo ipſis ſicut te ex fratribus eorum. Non hoc dixit Moyſes populo vt alioqui debebat, tunc cum à Deo illud audiuit, ne ſcilicet de Ieſu Naue acciperent: quamobrem expectauit, quod ille eſſet à ſe electus quod continet hiſtoria Num. atque ita deinceps Deuteronom. dixit: Prophetam ſuſcitabit tibi Dominus Deus tuus ex fratribus tuis, &c. & in extrema parte Deuteron. Non ſurrexit Propheta in Iſrael, vt Moyſes, &c. non ergo de Ieſu Naue accipi poteſt. Adde quod neque legiſlator fuit, neque vt Moyſes Deum vidit ....

Dixit Deus: Faciamus hominem ad imaginem. Item in Geneſ. Ecce Adam quaſi vnus ex nobis factus eſt. Et in eodem libro: Venite deſcendamus, & confundamus linguam. Non noſtro more loquitur Deus: vox enim propter auditum, & auditus propter vocem: vbi autem non eſt aër, neque lingua, neque auditus, neque porus, qui ad ſenſum qui in capite eſt, ſonum deferat, non eſt vllus verborum vſus. Ergo ſermo Dei eſt diuina voluntas, ſeu ipſius diuinæ voluntatis communicatio [illegible] ergo vt doceret Scriptura, non tantum voluiſſe Deum, vt fieret mundus, & creatura, ſed vt fierent atque in lucem ederentur omnia [illegible] idcirco ſermonem ſic conformauit: alioqui potuit dicere, ſicuti cœperat: In principio creauit. & deinde fecit ſolem, & fecit ſidera. Nunc autem cum Deum introduxerit colloquentem, profecto deſignat eum cum quo ſermonem habet, tametſi taceat. Sic itaque excitat Scriptura ad inquirendum perſonam, cum qua diſſerit Deus. In eodem libro apparuit Deus Abrahæ. Et ecce tres viri. Paulo poſt: Domine ſi inueni gratiam, &c. Et eodem: Pluit Dominus à Domino vbi [illegible] ſignificatur. cum duabus autem perſonis introducitur etiam tertia [illegible] vt Dauid: In lumine tuo videbimus lumen id eſt, Spiritum ſanctum: per Filium enim vt Patrem, ſic & Spiritum ſanctum planius nouimus........ ....

Ex Athanaſio libro de Incarnat. contra Iudæos. Cuius ortus oſtenſus fuit toti orbi teſtificante ſtella. Moyſes à parentibus abſconditus fuit, Dauid in vicinis quidem cognitus, ſiquidem Samueli non erat notus, qui rogauit patrem eius, verum eſſet illi alius filius. Abraham poſtquam factus eſt magnus, cognitus fuit à finitimis. Quis antequam noſſet vocare patrem aut matrem regnauit, de hoſtibus triumphauit, vt Chriſtus victis dæmonibus, & idololatria ſublata? Etenim Dauid triginta annorum erat cum regnare cœpit. Salomon † 55. Ioas quidem 7. Ioſias circiter 7. tamen potuerunt appellare patrem & matrem. Quis Rex fuit in Iſrael aut Iuda, in quo omnes gentes ſpem poſuerint, & pacem habuerint? An non potius Ieruſalem ab omnibus vndique gentibus oppugnabatur? ab Aſſyrijs, Ægyptijs, Babylonijs, Syris? Dauid Moabitas debellauit, Ioſias finitimos cauebat, Ezechias Senacherib timuit, Moyſes cum Amalech pugnauit, Amorrhæi Hiericunthini Ieſu reſiſtebant. Quis Propheta, aut ſanctus, aut Patriarcha pro ſalute fuit in cruce morte affectus? quis deſcendit in Ægyptum, & ſuo deſcenſu idolorum cultum ſuſtulit? Moyſes in Ægypto fuit: ſed nihilominus fuit idololatra. Abraham quoque deſcendit, ſed idola non euertit. Quis ſanctus in Scriptura pedibus & manibus perforatus in ligno ſuſpenſus mortuus vnquam eſt? Abraham in lecto mortuus eſt. Iſaac & Iacob extendentes pedes in lecto mortui ſunt. Moyſes & Aaron in monte, Dauid domi abſque inſidijs: quamuis autem quæſitus eſſet à Saule, tamen nihil ab eo paſſus eſt. Eſaias ſectus eſt, ſed non in ligno ſuſpenſus eſt. Ieremias contumelijs affectus eſt: ſed non eſt ad mortem damnatus. Ezechiel paſſus eſt: ſed non pro populo, ſed potius quia prædicebat futura aduerſus populum. Præterea hi quos diximus homines tantum erant: at quem Scriptura paſſurum pro omnibus præſignificauit, non homo tantum, ſed vita omnium dicitur reliquis hominibus ſimilis. Videbitis, inquit, vitam veſtram pendentem ante oculos veſtros. Et illud: Generationem eius quis enarrabit? Omnium quidem ſanctorum poteſt aliquis omnem à principio ſtirpem & ortum repetere, & diſcere, quis, & vnde. At eius, qui vita eſt, nemo. Quæ vnquam mulier abſque viro potuit generare? Abel nonne ex Adam, Enoch ex Iared, Noe ex Lamech, Abraham ex Thare, Iſaac ex Abraham, Iacob ex Iſaac, Samuel ex Elcana, Dauid ex Ieſſe, Ezechias ex Achab, Ioſias ex Amos, Eſaias ex Amos? At generationem Domini noſtri Ieſu Chriſti nemo poteſt enarrare ſecundum carnē, quia ſcilicet nemo eſt, qui poſſit oſtēdere patrem eius ſecundum carnem: quia non fuit corpus ex viro. ſed, ex Virgine ſola, Præterea Eſaias: Veniet & ſaluabit nos: aperientur oculi cæcorum, & aures ſurdorum patebunt. Sanatus quidem eſt à lepra Naaman: ſed ſurdus non audiit, neque claudus ambulauit. Mortuum ſuſcitauit Elias: ſed viſum non reſtituit cæco à natiuitate atqui vt non tacuit Scriptura de leproſo & mortuo viduæ: profecto neq; tacuiſſet de cæco, & claudo. relinquitur ergo non fuiſſe hæc facta, niſi cum venit Dominus in carne, cuius aduentus hæc ſigna prædicit Eſaias. Quid ergo debuit facere Chriſtus quod non fecerit? Non vocauit gentes? Non abſtulit Prophetiam & regnum? non euacuauit mortem, aut quid reliquum eſt quod non ſit impletum? Hoc eſt quod Iudæos conuincere debet, quod ſenſus ſcripturarum tam mirificè conſpiret cum exitu rerum, & cum ordine temporum, vt ait Tertullianus. Idem lib. 3. contra Marcio. Conueniunt autem in decimum caput Danielis. Si nondum, inquit, venit Chriſtus creatoris, propter quem hæc paſſuri prædicantur, cum venerit ergo patientur, & vbi tunc filia

Heb. 5. — Genes. 14 — Pſal. 109 — Heb. 7. 15. — Hic videtur deeſſe — Deut. 18. 15. — Num. 27 — Deut. 34. 10. — Gen. 1. 26. — Gen. 3. 22. — Gen. 11. 7 — Gen. 18 — Gen. 19. — Pſal. 35. 10. — Ex hic in ſ. loco — Mat. — Exod. 2. — 1. Reg. 16. 11. — Gen. 12 — Eſa 24. — 2. Reg. 5. 4 — 3. Reg. 18 42. — Deu. 28. — Eſa. 53. 8 — Eſa. 35. 5 — 4. Reg. 5. — 3. Reg. 17 — Eſa 35.

que locona est in ms Quasi quaenetur & forte etiam quadam ex praecedentibus videntur esse notasin ad dictam ta alte rius non autem ipsius Anastasis

Sion derelinquenda, quæ nulla hodiè est? vbi ciuitates exurendæ, quæ iam in tumulis? vel dispersio gentis, quæ tam extorris? Redde statum Indææ, qoem Christus creatoris inuenier, & alium contende venisse ....
....

Esaias de Ierusalem spirituali: Dilata locum tentorii. Non possunt hæc intelligi de templo Ierosolymitano, sed de Ecclesiis Christianorum, qoæ multo maiores & ditiores sunt: & altare habent venerabilius ædificato templo Hierosolymitano. Post illud ab Assyriis incęsum: Quis vestrum, inquit Deus, qui vidit hanc domum in gloria sua priore, & quomodo videtis nunc quasi non sit coram vobis? Viuo ego, dicit Dominus, quod magna erit gloria domus istius, nouissimæ plus quàm primæ, multo enim maiores & ditiores sunt per cunctum orbem Ecclesiæ quæ altare venerandum habent in Dei gloriam, quàm templum illud Hierosolymitanum: si illud secundum nunquam amplius erat instaurandum, postquam esset dirutum, & prophetauit
Aggæi 2 Dan. 9. Daniel. ergo templum nouissimum, de qoo prophetat Aggæus, non est Hierosolymitanum: de secundo autem templo non potest intelligi: illud enim comparatum cum priore quasi non erat. Non ergo gloria illius erit supra prioris gloriam, Relinquitur ergo vt intelligatur de nostra Ecclesia Catholica, per cunctum orbem diffusa.

Item: Ecce ego paro tibi carbunculum: tanquam de ciuitate pulcherrima futura, de Ecclesia gentium loquitur, quàm prius apellauit humilem & vacillantem, quæ non erat consequuta consolationem, quod non potest conuenire in Hierosol. terrestrem, quæ legem & Prophetas habuerat. Necesse est ergo, vt de ædificio spirituali ciuitatis spiritualis intelligatur. Item Esaias cap. 56. Introducam eos in montem sanctum meum. De alienigenis loquitur, qui-
Deut. 23 3 bus lex prohibebat ingredi templum. Noo ingredietur (inquit) Ammonites & Moabites in Ecclesiam Do-
Esa. 6 7. mini.

Quare necesse est non de templo Hierosolym. intelligere. Et paulo post similiter: Domus orationis [id

A est templum) vocabitur cunctis populis. Vbi cum dicit de omnibus gentibus sine vllius gentis exceptione, necesse est de templo Ierusalem spiritualis, & non de templo Ierusalem terrestris intelligi.

Esaias cap. 61. Et venient alienigenæ pascentes oues *Esa. 61. 5* tuas. Clarè hic, vt annotauit Cyrillus, significat futurá esse traoslationem legis & sacerdotii: Non enim amplius ex tribu Leui erant futuri pastores & sacerdotes. quod si alia erit lex, & aliud sacerdotium, ergo & alia hostia, & aliod templum, quare illa Ierusalem, cuius ædificatio supra prophetabatur, non terrestris est intelligenda, sed spiritualis.

Esai. cap 60. Arietes. Nabaioth ministrabont tibi. *Esa. 60.* offerentur accepta in altari. Significat gentes sacrifica- *7.* B turas esse Deo sacrificiis acceptis, quare non de sacrificiis legis intelligi potest, neque de altari terrestris Ieru- *Esa. 66.* salem, ergo spiritualis. Et cap. 66. Et adducent omnes *20.* fratres vestros de cunctis gentibus donum Domino. De gentibus dicit, qui non erant prius donum Deo oblatum, neque erant populus Dei, vt quidem erant Iudæi: & hos vocat fratres, sicut suprà iusserat appella- *Es. 66.* re, inquiens: Dicite iis, qui vos oderunt: id est alienige- *5.* nis, fratres nostri estis: cum tamē scriptum esset in lege *Exod. 23 32.* Moysis de alienigenis: Et non loqueris eis pacifica, Hi *Deut. 7.* ergo sunt dona Deo, & vt suprà dixit cap. sexagesimo: *2.* accepta in altari, ipsi enim sunt hostes spirituales. De *Esa. 66.* his ergo gentilibus subiungit: Et assumam ex eis in sa- *21.* cerdotes, & Leuitas, qui quidem ad templum Ierusa- C lem terrestris noo possunt secundum legem Moysis pertinere.

Esaias. 65. Ecce ego creo Ierusalem exultationem. *Esa 65. 18.*

Psal 86. Fundamenta eius in montibus sanctis: diligit *Ps. 86. 2.* Dominus portas Sion. Et ipse fundauit eam Altissimus, *Amos 8. 2.*

Amos 8. Venit finis super populum meum, & ecce *Amos 9.* vas aucupis. non adiciam vltra, vt pertranseam eum. *11.* Et cap. 6. In die illa suscitabo tabernaculum Dauid, *Amos 8.* quod cecidit, cap. 8. In die illa occidet sol in meridie, *9.*
....

Cætera desunt.



COLLECTA-

COLLECTANEA QVAEDAM
INCERTI AVCTORIS CONTRA
Seuerianos & Acephalos.

FRANCISCO TVRRIANO INTERPRETE.


SEVERVS in libro contra Cæsareum Grammaticum obiicit Cathnhcis percunctando qui vnam naturam dicunt in homine alioqui composito ex corpore & anima duabus substantiis, & dicunt, esse eundem modum compositionis in mysterin incarnationis, & in homine, quare non simpliciter confitentur vnam substantiam in Christn, siquidem dicunt idem esse substantiam, & naturam? Hætetici enim quod primum, & proprie, ac maxime substantia est atomum, id est, indiuidoum, libenter confitentur, de natura autem neque Peripatetici tradunt, fortasse quia iudicauerunt nnmen substantiæ & nomen naturæ differre.

Sciendum est, quod patres Concilii Chalcedonẽsis, sequentes patres Cnncilu Nicæni, dixerunt idem esse naturam, & substantism: aliud vero esse præter substantiam atomum, & hypostasim. Philosnphi vero externi vnam primam substãtiam esse dicunt atnmum, & non idem esse substantiam & naturam. Hęretici autem Eutychis & Seueri τῦ ἐκεῖνου discipuli non sequuntur sanctos patres, qui dicunt idem esse substantiam & naturam, & aliud præter hæc. atomũ, & hypostasim: nec externos Philosophos. qui atomum vocant primam & maxime propriam substantiam, non autem primam naturam. Seuerus enim, vt dixi, & qui eum sequuntur, idem dicunt esse naturam, & bypostasim & atomum. Substantiam. & hypostasim & atomum idem esse nolunt dicere, sicut dicunt sapientes Gentilium.

Ex Pamphilo.

INquit Aristot. Substantia est propriissime, & primum, & maxime dicta, quęnec de subiecto dicitur, neque in subiecto est. Propriissime dixit, quia proprie dicitur & non secundum metaphoram: primum, quia non per medium aliquod intelligitur, sed ipsam primum cognoscimus. Cum dixit maximè. significauit multnrum opinionem. In libris enim eius τελειοτέροις id est, absolutioribus non indiuiduam. & particularem vocat primam substantiam, sed vniuersalem, hoc est, genera & species. Non est in subiecto, quia nõ est accidens. Accidentia enim vtpotè quæ in substantia cernuntur, in subiecto dicuntur. Illud autem; Neque de subiecto, significat. non prædicari de aliquo, neque subdiuidi in aliam substantiam, quia est indiuidua, & particularis.

De differentia substantiæ, & naturæ.

PHilosophi externi aliud dixerunt significare nomen substantiæ, & aliud nomen naturæ, vt eorum definitiones declarant. Doctores vero Ecclesiæ indifferenter vsi sunt his nominibus. Vnde & nos consequentes indifferenter vtimur his nominibus in diuinis dogmatibus de Christo saluatore nostro. Possumus etiam alio modo limatius differentiam horum nominnm expromere. Reperimus enim nomen naturæ per abusinnem dici de iis, quæ non habent hypostasim, &

A de iis, quæ spectantur in substantia, & hypostasi. Nomen vero substãtiæ de iis tantum, quæ sunt ἐνυπόστατα, substãtiam enim nunquam dicamus ἀνυπόστατον, id est, carere hypostasi, siue nõ esse per se. Naturas vero multas reperimus, quæ per se sine substãtia nunquam subsistunt, vt naturam iræ, dilectionis, temporis, mendacii, & verbi nominat beatus Basilius contra Eunomiũ scribens: magni, inquit, preciũ esset falsa dicere, si simul cum iis, quæ dicũtur, periret natura mendacii. At non habet hoc naturam. Et rursus idem; tractus aquæ demonstrat fontem, sermonis autem natura demonstrat cor, vnde manauit.

De hypostasi Christi similiter ex Pamphilo.

B VNam hypostasim, quam in Domino Christo vt profiteremur, doctores Ecclesiæ tradiderunt, vtrum oporteat nominare substantiam, an accidens, ex iis quæ supra dicta sunt, possumus reperire solutionem quæstionis positæ. Diximus enim significare substantiam τὴν ὕπαρξιν, id est, essentiam vniuscuiusque rei; hypostasim vero multitudinem proprietatũ χαρακτηριστικῶν Rursus demonstrauimus, quod substantia significat communem naturam indiuiduorum, quæ est sine proprietatibus signantibus siue separantibus hypostases. Hypnstasis vero significat proprium, & indiuiduũ proprietatibus ἀφοριζόμενον, id est, separatum. Substantia igitur commune significat; hypostasis vero τὸ ἴδιον, id est speciale, siue particulare. Non est autem idem commune, & speciale, ergo non est idem substantia cũ hypostasi. Idcirco non debemus hypostasim Christi, C quatenus est hypostasis, simpliciter dicere substantiam. Ac rursus si bypostasim Christi, quæ composita est, substantiam appellamus, necesse est & ipsam substantiã compositam, & indiuiduam ponere. Et hoc, si verum est, qnomodo erit immutabilitas, & non confusio in naturis ex quibus diuina, & supra naturam vnio facta est; quomodo eadẽ natura erit creata, & increata? Viuifica, & viuificata? Homousios Deo patri secundum diuinitatem; & homousios nobis secundum humanitatẽ? Prnpter hæc, & ea, quæ superius dicta sunt, quod non nporteat profiteri in Christo substantiam compositã, necesse est dicere hypostasim Christi, accidens vero lõgè abest vt dicere debeamus, διὰ τὸ ὑπερτελῆ καὶ ὑπερ... ...τῆς θείας φύσεως, id est, propter naturam diuinam plusquam perfectam, quæ omnem essentiam intellectilem sensilem infinito interuallo superat. Ergo quia neque simpliciter substantiam, neque accidens nominare licet, D restat, vt vocemus apotelesma duarum naturarum vnitarum, id est, substantiarum cum proprietatibus, diuinitatis scilicet, & humanitatis, vt sit hypostasis Christi res composita substantialis vel indiuidua, quæ in duabus naturis cognoscitur.

Quomodo substantiam antiqui quatuor modis diuiserũt.

EX Heracliano. Dicuntur, inquit substantię incorporeæ. Dicitur etiam substantia materia, similiter

AAa iiij

substantia dicitur forma, & vtrumque ex materia, & forma. Substantia & substantia vt forma idem cū natura. Substantia incorporea, & substantia ex materia & forma cum proprietatibus intellectæ indiuidua dicuntur, id est, hypostases. Si autem compositum ex materia & forma vniuersaliter intelligatur, aut tanquam materia, aut sicut dicuntur substantiæ incorporeæ vniuersaliter, neque hypostasis, neque natura dicitur, sed substantia tantum. Exempli gratia. Quercus arbor quatenus est in hoc loco, huius proceritatis, & cum aliis proprietatibus, hypostasis est, quatenus vero quatuor elementis aduenit talis forma, quæ quercum in generatione fecit, secundum hanc formam dicitur esse natura. Non autem secundum materiam, id est, quatuor elementa, neque secundum rationem communem quercus, cuius sunt participes omnes quercus, natura, aut hypostasis dicitur, sed substantia tantum.

QVOD IMPOSSIBILE EST ESSE NATVRAM COMPOSITAM ex creato, & increato, & quod Apolinarius ad tollendum duas naturas peperit vocem naturæ compositæ in Christo, & ante Apolinarium Manichæus.

Præterea Ariani, quos secuti sunt Entyches & Seuerus.

GREGOR. Nazianz. de Spiritu sancto probat commentitium esse vnam naturam ex diuinitate, & creatura compositam esse.

Cyrillus ex libro contra Synusiastas.

Δεῖ γὰρ τὴν πάντων ἐπέκεινα καὶ ἀνωτάτω φύσιν σώζεσθαι καθαρῶς καὶ ἁπλῆν, ἀμιγῆ ἑτέρῳ, καὶ τὸ μὴ συντεθεῖσθαι δοκεῖν ἐν οἷς ἐστιν, ὡς ἑαυτῆς ἔχουσαν προσθήκης δεηθεῖσαν τινὸς καὶ ἀσυμφυοῦς αὐτῇ πράγματος εἰς κοινωνίαν ἐλθεῖν τὴν ἐν ταυτότητι φύσεως ἤγουν οὐσιότητος. Oportet. n. in illa, quæ omnes transcendit, supremaque natura purè conseruare simplicitatem, & ne cum alio permisceatur, neue composita censeatur in iis, quæ in se continet, quasi additamento quodã alicuius rei sibi non cognatæ indigens venerit in communionem secundum identitatem naturæ siue substantiæ. Aduerte hic, quemadmodum negat doctor Cyrillus fieri posse, vt diuina natura siue cum se ipsa, siue cum alia diuersa componatur in identitatem naturæ, siue substantiæ.

Ambrosius in libro contra hæreses.

DVces horum sunt, qui diuinitatem, & corpus Domini dicunt esse factum vnius naturæ: legi enim quod non credidissem, nisi legissem: legi inquam, scriptum; Instrumentum, vnius naturæ fuisse in Christo.

Apolinarius ad Petrum.

NAtura quidem Deum, & natura hominem Dominum dicimus, vna vero natura συγκεχύσθαι, id est, commixta, humana & diuina. Item Apolinarius: De incarnatione. O noua fides, & admiranda mixtio! Deus & caro vnam naturam ἀπετέλεσαν, id est, effecit. Eiusdem Apolinarii contra Diodorum ad Heraclium. Alterius, & alterius naturæ vnam, & eandem esse adorationem nefas est, hoc est, creatoris, & creaturæ, Dei & hominis. Vna vero est Christi adoratio, & ideo in vno nomine, intelligitur Deus homo: non est igitur alia, & alia substantia Deus & homo, sed vna secundum compositionem Dei cum corpore humano.

Tempus oportunum est comparandi quæ aduersarii proferunt ex sermone perperam inscripto Athanasio, cum sit planè Apolinarii, vt testatur iodex librorum & sermonum Apolinarii, quem Timotheus discipulus eius conscripsit, imò etiam, quæ ex sermone Iulii Pontificis Romani proferunt, qui etiam Apolinarii est falso inscriptus Iulio, vt ex cognatione sermonum dignoscatur legitimus pater auctor. Sic ergo habet testimonium, quod ex sermone Athanasii falso recitant. ἐκ τῆς τῶν λόγων συγγενείας.

Apolinarius ex Epistola Athanasii ad Iouinianum Imperatorem.

QVando venit plenitudo temporis misit Deus filium suum factum ex muliere, &c. Et esse ipsum filium Dei, & Deum secundum spiritum, filium hominis secundum carnem, non duas naturas vnum filium, sed vnam naturam Dei verbi incarnatam, & adoratam cum carne vna adoratione. Hæc tanquam Athanasii recitata, si quis studiosus veritatis est, conferat cum reliquis Athanasii dogmatib⁹, & reperiet dissimilia esse. Et si igitur hæc à dogmatibus Athanasii discrepant, & propinqua sunt dogmatibus Apolinarii, & hæc collatio satis est ad demonstrandam veritatem, nos tamen seposita collatione veritatem tenemus lecto indice Timothei, vt supra diximus.

Sic etiam in Iulio Romano, quem falso suppusuerunt, non solum ex inscriptione coarguitur coram calumnia, sed ex ipso genere dictionis, quæ phrasis dicitur. Nec enim Romani vocquam huiusmodi inscriptione vtūtur, cum ad aliquem episcopum scribunt, quamuis sit ex primariis, nedum cum ad presbyterum scribunt. Nec ipsa phrasis conuenit, tanquam conuersa de Latino, cum sit nimis Græca. Sic enim scribit Apolinarius, (non Iulius) ad quendam Dionysium, ad quem huiusmodi inscriptionem facit; Domino meo desideratissimo, & comministro Dionysio Apolinarius. Sic autem πλαστογραφοῦντες, id est, falsarii fecerunt inscriptionem, Iulius Episcopus Romæ in Domino salutem, & post procemium, & multa alia, subiecit hæc Apolinarius: Necesse est eos, qui duas naturas dicunt, vnam quidem adorare, alteram vero non adorare: in diuinam quidem baptizari, in humanam vero non baptizari. Si autem in mortem Domino baptizamur, vnam confitemur naturam impassibilis diuinitatis, & passibilis humanitatis. Hæc tanquam ex Iulio producunt.

Adiungamus nos istis ea quæ sunt Apolinarii, vt demōstremus, quanta sit propinquitas, & cognatio Apolinarii cum Diodoro. Quomodo, inquit, non est res impia aliam substantiam creatam, vel seruam habere, & eandem adhiberi adorationem creatori & Domino. Et iterū in libro de incarnatione. Impossibile est eundem esse adorabilem, & non adorabilem, ergo impossibile est eundem esse Deum, & hominem, sed in vnitate commistæ naturæ, diuinę, incarnatæ. Hęc sunt Apolinarii admiranda, sicut Polemon discipulus eius ait. Hæc habent maximam similitudinem cum iis, quæ ab ipsis ficta sunt tanquam Athanasii, & Iulii essent. ἐν μονάδι.

Manichæus Scelestus ex Epistola ad Conarum Saracenum.

CVm Iudæi vellent aliquando lapidare Christum, & audaciam sceleris sui ad effectum perducere, demonstrauit clarè substantiam suam superni luminis filius, & transiens per medium eorum non videbatur. Natura enim expers materiæ quę speciem carnis prę se ferebat, non erat quidem aspectabilis, nec attrectabatur, quia nullam habebat communionem materiæ cum experte materię, vna enim natura erat totum, quamuis forma carnis videretur.

Eudoxy

Eudoxij Constantinopolitani Ariani in libro de incarnatione.

CRedimus in vnum solum verum Deum, & patrem solum principium ingenitum, & sine patre, & in vnum Dominum Iesum Christum vnigenitum quidem, vt præstantiorem omnibus post cum creaturis, primogenitum vero vt eximium, & primarium in creaturis, incarnatum, & non humanatum, non enim animam humanam assumpsit, sed factus est caro, vt per velum siue tegumentum nobis loqueretur Deus, non duas naturas, quia non erat perfectus homo; sed pro anima erat Deus in carne, vna totum natura secundum compositionem. Respondeat igitur quomodo passibilis, & mortalis poterat esse consubstantialis impassibili & immortali.

Quod Ariani vocarent naturā cōpositā vsi fuit.

Lucij Alexandrini Ariani in oratione in Pascha.

QVomodo igitur opus fuit anima, vt perfectus homo simul cum Deo adoraretur? Idcirco clamat Ioannes, Verbum caro factum est, pro eo, quod est, compositum est cum carne, non cum anima, sicut dicunt, qui nunc fidem cauponantur, sed vnitus est corpori, & vnus factus est cum eo: alioqui quomodo est Christus si non est vna persona, vna natura composita, sicut cognoscimus hominem ex anima & corpore compositum? Sin autem habuit animam, sicut prædicant, qui dogmata adulterant, pugnant igitur motus Dei, & animæ: vtrumque enim per se mouetur, & ad diuersas actiones ducitur.

QVOD QVIDAM PATRES REPVDIARVNT NOMEN mixtionis: in mysterio Incarnationis.

Ambrosius de diuina Incarnatione.



EOs autem qui dicunt nudum hominem Christum, aut passibilem Deum, aut mutatum in carnem, aut duas naturas Christi secundum mixionem confusas vnam substantiam factas esse.

Chrysostomus ad Cæsarium monachum.

HOc est absurdum Apolinarij amentis, hæc est hæresis impijssima introducentium mixtionem, & compositionem.

Cyrillus de fide.

EGo mixtum non recipio, alienum enim est ab Apostolica fide, & recta Dei traditione. Mixtio enim interitum naturarum operatur.

Eiusdem ad Orientales.

EOs vero, qui dicunt, quod mixtio, aut confusio, aut φυρμὸς, id est conspersio, siue fermentatio facta est verbi cum carne, sanctitas vestra reprimat.

Quod tota diuinitas toti humanitati vnita est, & non pars parti, sicut Ariani, & Apolinarius dicunt, & qui particulares substantias profitentur ex Cyrillo ad Theodosium a. Gregor. de Baptismate. Ex Dionys. Areop. in Eccles. Hierar. c. 3. de communione, diuinæ

A autem bonitatis, &c. Ex Basil. in epist. ad Sozopolitas ex Epiph. in Ancyroto. Ex Athan. de salutari aduentu περὶ τῆς σωτηριώδους ἐπιφανείας. Omnia accepit ex virgine quæcumque à principio ad constitutionem hominis formauit Deus χωρὶς ἁμαρτίας, id est, præter peccatum, οὐ τῆς θεότητος μεταποιηθείσης ... ἀλλὰ τῆς ἀνθρωπότητος ... ἐργασάμενος κατὰ τὸ αὐτοῦ θέλημα, non quod diuinitatem transmutarit, sed quod secundum voluntatem suam, ipsam humanitatem innouarit.

Atque hæc quidem hactenus in eos, qui dicunt sumpsisse hominum corpus inanimatum, contra eos vero, qui dicunt particularem substantiam verbi particulari naturæ hominis vnitam esse, & non confitentur totam diuinitatem in singulis personis diuinis esse nihilo deficiente, ea quæ sequuntur, pugnant, ex Apost. in epi. ad
B Coloss. Quoniam in ipso habitat plenitudo diuinitatis, & paulo post, videte, ne quis vos, &c. ex Dionys. Areop. c. 2. de vnitis, & discretis, hoc enim & in alijs à nobis excussum & demonstratum est, &c. Eiusdem circa finem, eiusdem cap. has nos communes, & vnitas τῆς ὁλότητος, id est, vniuersitatis, &c.

Ex Eulogio Alexandrino.

COntra eos, qui dicunt, si dicitis habere Christum duas substantias, necessario sancta Trinitas σεσάρκωται, id est, incarnata est. Hæc sunt, quæ aduersarij obijciunt, sic stultis enim opinantur partibilem esse substantiam diuinitatis, & partem spectari in Patre, partem in Filio, & partem in Spiritu sancto: tanquam
C vnaquæque persona ex parte, & non in omnibus proprietatibus diuinitatis agnoscatur. Nos autem non eo impietatis processimus, vt partitionem & sectionem in diuina substantia esse existimemus, sed dicimus vnamquamque hypostasim characteristicam, habere notiones diuinitatis nulla deficiente, vt bonum, potestatem creandi, & quæcumque sunt circa naturam increatam. Sic enim dicimus Trinitatem esse homousion, id est, consubstantialem, quia eadem substantia ex toto in tribus personis agnoscitur. Si quidem pater perfectam habet diuinitatis substantiam, similiter Filius, similiter Spiritus sanctus, vnde perfectus Deus Pater, perfectus Deus Filius, perfectus Deus Spiritus sanctus. Consentit his Paulus prædicator veritatis, cum ait; In ipso enim habitat plenitudo diuinitatis corporaliter. Non enim dicit patrem incarnatum esse, sed quod tota diuinitas in tribus personis est, nihilo deficiente, in Patre, & Filio, & Spiritu sancto in vnaquaque perfecte secundum vocem Domini, qui dixit; Omnia patris mea sunt,
D id est, quæcumque sunt notiones substantiæ patris, hæc verbi Dei etiam incarnati sunt, non quod pater sit filius, aut filius pater, hæc enim nomina habitudinem inter eos significant. Quomodo igitur non dicemus substantiam diuinitatis esse in Christo plenè sine defectu, siquidem perfectum eum esse dicimus? Quomodo autem perfectum etiam hominem confitentes, non omnem substantiam humanitatis in ipso esse confitebimur? Non enim partem eius assumpsit vt ait Appollinarios, carnem sine anima, sed totam substantiam, id
E est, carnem animatam anima rationali, & intelligente. Hæc enim communiter in singulis hominibus perfecte existens οὐσία εἰκότως ἂν εἴη, id est, rectè est substantia. Singuli enim distinguuntur, siue separantur inter se non substantia, sed proprietatibus consequentibus, siue comitantibus magnitudine, colore, & vt vno verbo dicam, characteristicis personarum qualitatibus. Quomodo enim ex duabus naturis Christum esse dicent, nisi nomen naturæ pro substantijs intelligant? Non enim audebunt dicere pro hypostasibus characteristicis dici ex duabus naturis, ne cogantur dicere ex duabus personis. Hypostasis enim characteristica persona intelligitur: dico autem hypostasim characteristicam, siue in charactere, ne fraude hæreticis consueta

Characterem vocat proprietatē distinguentem personā à persona.

hypostasim sine charactere supponant. Tunc enim significationem substantiæ fert hypostasis. Quomodo autem consubstantialem patri, & nobis Christum post vnionem ponunt, & non sunt stupidi confitentes quidẽ duo consubstantialia, negantes vero duas substantias?

Contra particularem substantiam humanitatis in Christo.

SI separantes cogitatione proprietates accidentes, & in seipsa naturam Petri considerantes, sic dicimus, quod est animal rationis particeps, & mortale; eadem autem definitio naturæ humanæ simpliciter à nobis redditur: eadam igitur erit ratio naturæ simpliciter, & naturæ in aliquo consideratæ: quomodo igitur dicitur, quod non potest natura alicuius singularis communis esse? Et si communem naturam non assumpsit Christus, me non assumpsit; quod si me assumpsit, assumpsit igitur & Iudam: respondeamus & nos, naturam quidem assumpsisse, non autem proprietates hypostaticas: hæ enim faciunt Iudam, & illum, & illum: quoniam vniuersalia non inferunt particularia, particularia vero inferunt vniuersalia, vt omnibus liquet. Quamobrem cum dicimus fieri vnionem ex communibus substantijs, non cogimur inferre hypostases, quæ sunt sub ipsis substantijs, vt calumniatores nugantur. Si filium habentem in seipso naturam diuinitatis perfectam, nulla re defectam, supra quam plenam, factum esse hominem dicimus, quid cogit nos, qui hoc dicimus, Patrem, & Spiritum sanctum ad humanationem necessario deducere? Petro enim crucifixo, & Paulo capite amputato, & vtroque plenam, & totam communem naturam hominum habente quid hoc reliquis nocuit, qui sub eandem naturam referebantur? Non naturarum, sed hypostaseon proprietates docemur, ait Greg. Nazian. in 4 lib. contra Eunomium. Sic enim ait de Patre, & Filio, & Spiritu sancto, quod per hæc nomina non naturarum differentiam docemur, sed personarum proprietates γνωριστικάς, id est, notionales.

Quomodo oporteat intelligere energiam id est; operationem in Deo. Chrysost. in epist ad Coloss.

HAbet, inquit, energiam illa substantia, scilicet diuina, & quæ est energia? Ergo in illo est motus. Quare non est immutabilis. Quod enim mouetur, non est immutabile, mouetur enim ea immotione, & tamen mouetur, & nunquam ἵσταται, id est, sistit motionem. Quali ergo motione? Dic mihi, apud nos enim septem sunt motus sursum, deorsum, retro, intro, ad dextram, ad sinistram, circulo. Est præterea accretio, decretio: sed nullo horum motu mouetur, neque quasi motu mens mouetur, absit: multis enim absurdis motibus mouetur mens. Deinde si velle est ἐνεργεῖν, id est, operari, cum omnes homines velit Deus saluos facere, quomodo non fiunt salui? Ergo non sufficit ad energiam, velle? Quomodo igitur dicit scriptura, omnia quæcumque voluit, fecit? Et Leprosus dixit Christo, si vis, potes me mundare. Si igitur simul vt vult, sequitur hoc, scilicet mundatio, quid restat dicendum?

Dionys. Areop. de diuinis nominibus. cap. de paruo & magno, simili, diuerso.

QVid est, quod Theologi dicunt, ad omnia procedentem, & aiunt moueri immotum? An non est hoc intelligendum, vt Deum decet: Moueri enim ipsum, piè existimandum est, τὸ κατ' εὐθὺ, ἢ ἀλλοίωσιν, ἢ ἑτεροίωσιν, ἢ τροπὴν, ἢ τοπικὴν κίνησιν, non motu recto, non rotando, non ex vtroque composito, non moto mentis, non motu animæ, non motu naturali; sed moueri Deum est εἰς οὐσίαν ἄγειν, id est, facere esse, & continere omnia, & omnia procurare, adesse omnibus præsentem τῇ πάν-τῃ ἀσχέτῳ περιοχῇ, καὶ ταῖς ἐπὶ πάντα τὰ ὄντα προνοητικαῖς προόδοις καὶ ἐνεργείαις, comprehensione illa, quæ coerceri nequit, & prouidentiæ suæ super omnes res creatas quasi progressionibus & operationibus.

Eustathij episcopi Beryti Apologia, siue defensio epistola Leonis Pontificis Rom. contra Timotheum delurum.

COgnosce ex ijs quæ sequuntur horum dogmatum ἀκρίβειαν, id est, limatam, & perfectam rationem, nam cum dixisset: operabatur enim vtraque forma cum alterius communione, quod habuit proprium, subiungit: verbo quidem operante hoc, quod est verbi, corpore vero perficiente quæcumq; erant corporis. Cum dixit, τοῦ λόγου κατεργαζομένου, id est, verbo operante, τὴν αὐθεντίαν καὶ ἐξουσίαν, καὶ τὸ ἀδούλωτον, id est, auctoritatem, & potestatẽ, & libertatem diuinitatis significauit, quæcũq; enim sunt verbi, hæc sunt ἀρχικὰ καὶ βασιλικὰ, id est, principalia & regia: non subiunxit autem, corpore ἐργαζομένου, ἀλλὰ ἐκτελοῦντος. id est, corpore operante. sed perficiente quæcumque sunt corporis, vt tibi significaret, quod corpus ad voluntatẽ verbi vniti, cuius erat factum proprium, mouebatur κατὰ τὴν ἀκολουθίαν τῆς φύσεως, ὅτε ἐδόκει τοῦτο τῷ θείῳ λόγῳ· οὐ γὰρ ἀφ' ἑαυτοῦ τὰ φυσικὰ οὐδὲ τὴν ὁρμὴν ἐποιεῖτο, ἢ τὰ ἔξωθεν προσπίπτοντα, ἀλλὰ τοῦ λόγου συγχωροῦντος οἰκονομικῶς, id est, secundum ordinem naturæ, quando hoc placeret verbo, non enim ex seipso ad naturales passiones ciebatur, aut ad ea, quæ extrinsecus accedebant, sed verbo permittente œconomicè. *Apologia in locum epist. Leonis.*

Idem Leo.

EX nobis ipsis minor patre humanitas, ex patre vero æqualis ipsi cum patre diuinitas.

Scholium.

ADuerte hîc, quod diuinitas, & humanitas non significant personas, sed substantias, quarum differentiam postquam dixit, subiungit statim vnionem secundum hypostasim in Christo.

Item vnam personam dicit; aliud tamen est illud, vnde in vtroque commune est, quod ad contumeliam, & passionem pertinet, scilicet humanitas; & aliud illud, vnde commune fuit, quod ad gloriam: scilicet diuinitas.

Cyrillus in illud: & nunc anima mea turbata est.

SIcut œconomicè permittit carni interdum pati, quæ sunt propria, sic rursus permittit animæ propria pati, & vbique mensuram exinanitionis seruauit, quamuis esset Deus natura, & supra omnem naturam.

Idem in Ioannem.

CVm Christus secundum naturam non modo Deus sed & homo fuerit: ideo subit cum alijs ea, quæ sunt hominum. Quando enim in ipso incipiebat commoueri tristitia; iamque sancta illius carne ad lachrymas propendente, haud sinit, vt more nostro id agat immodicè. Infremit autem spiritu, hoc est, virtute spiritus; & quodammodo propriam carnem reprehendit. Illa vero motionem diuinitatis sibi vnitæ non ferens tremit & turbatur. Hoc enim significat illud: & turbauit semetipsum. Quomodo enim alioquin turbatio in illa existeret? Turbatur autem aliquo modo inconsumpta semper & tranquilla natura. Caro itaque redarguitur à spiritu, vt doceatur ea, quæ supra naturam sunt; sapere.

Cyrillus contra Nestorium.

DEus secundum naturam vita postquam factus est vnum cum carne, viuificam eam reddidit, quare quamuis dicat oohis: nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis. &c. non tanquam vnius cuiuspiam ex nostro numero hominis carnem esse existimabimus. Quomodo enim caro hominis natura erit viuifica? Sed tanquam propriam verè factam eius, qui propter nos factus est & vocatus filius hominis.

Ex S. Maximo.

NAtura quidem non est ἀνυπόστατος, id est, non caret hypostasi, neque hypostasis est ἐνυπόστατος, id est, non est in hypostasi, hypostasis enim est omne quod per se existit, & propriam habet ὕπαρξιν, id est, existentiam. ἐνυπόστατον, vero, id est, existens in hypostasi, est quod per se quidem ex toto non existit, sed in alio spectitur, vt species in indiuiduis, aut cum alio differente secundum substantiam ad generationem totius alicuius compositum: cum enim fit concursus differentium substantiarum ad compositionem vnius alicuius, vt aque natura concurrens simul ad generationem totius, assumens proprietatem distinguentem & separantem ab homogeneis non per se καὶ ἰδικῶς, id est, particulariter, sed in vnione καὶ συνυπάρξει, id est, in coexistentia, est ἐνυπόστατον, id est, in hypostasi, & non est hypostasis, quia non per se existit. Si vero sic vnita est natura humana, neque propriam & separatam existentiam habuit, sed simul cum composito & coexistente habuit esse: ambæ autem redditæ siue constitutæ sunt vna hypostasis: vnita enim inter se illa quæ concurrerunt, vnam habuerunt communem hypostasin, & propria alterius partis, quæ illam ab homogeneis separant, facta sunt propria verbi. Quod enim est per se, & separatim consistit, hoc est hypostasis, siquidem hypostasim vocant, qui de his philosophantur, substantiam cum proprietatibus, numero ab homogeneis differentem. Caro igitur verbi non fuit hypostasis: neque enim vel tantillum, quam sola cogitatione fingi potest, per se ipsam penitus extitit separata, proprietatibus eam ab homogeneis separantibus, vel habens [illegible], proprium separatum à communi, sed potius ἐνυπόστατος, id est, in hypostasi existens tanquam in ipso, & per ipsum accipiens existentiæ ortum & facta ipsius secundum hypostasim caro, & cum ipso secundum hypostasim vnita verbo proprietate eum à reliquis hominibus separante: communem enim carnis & diuinitatis secundum vnionem factam esse dicimus concursu ipsarum naturarum secundum vnionem naturalem, id est, veram, & realem; vnam Christi hypostasim completam, communem vero dico tanquam vnam & eandem partium ἰδικωτάτην, id est, specialissimam ex vnione hypostasim declaratam, quin potius vnam & eandem hypostasim verbi nunc, & prius, sed prius quidem simplicem, & non compositam, postea vero sine mutatione compositam assumptione carnis animatæ anima rationali.

Vna Christi hypostasis completa facta est communis vtriusque naturæ.

Quod in creaturis non existant per se, quæ communia & vniuersalia dicuntur, in sola autem diuina natura seruatur proprie vnum re, & veritate.

ADuertendum est, quod in nobis, & in omnibus creaturis communitas ratione, & cogitatione spectatur, & consideratur, diuisum vero re; contra vero in diuinitate; illic enim inuenitur vnum re propter coæternitatem, & identitatem operationis, & voluntatis,

A & bonitatis; cogitatione vero reperitur diuisum, in solis enim proprietatibus paternitatis, filiationis ac processionis spectatur, & in eo, quod est esse principium, & esse ex principio, esse ingenitum, & genitum, & procedens, in his & solis est differentia. Non enim distantiam loci, sicut in nobis, possumus in diuinitate incircumscripta dicere, neque differentiam voluntatis, aut virtutis, aut sententiæ, quæ quidem in nobis generant diuisionem realem. Alio etiam modo hoc considerandum est, quod in Trinitate tres quidem hypostases cognoscimus, vnam vero substantiam, & diuinitatem, sed non cogitatione illud vnum diuinitatis, & substantiæ spectamus, sicut in nobis vnum substantiæ, & humanitatis, id est, communitatem, quin potius in diuinitate, scimus esse vnum re & veritate, quia nunquam B fuit, quando non esset in tribus personis, quas credimus, vna diuinitas. Nec vnquam in pluribus, aut paucioribus fuit, nec erit, contra quam in nobis, fuit enim quando non erat in Petro, verbi gratia, & in Paulo, & in Ioanne communis natura, sed in alio, vel alijs, & erit rursus in alijs, & fuit aliquando, cum in nullo fuit: quomodo igitur non sola cogitatione spectabitur, & considerabitur creata natura, quæ vniuersalis, & communis ijs, quæ non sunt, dicitur, vel ex alio in alium transiens, quorum nihil in vera, & increata natura euenit?

Basilius ad Amphilochium de Spiritu sancto.

C AN intelligunt ὑπαρίθμησιν, id est, supernumerationem scilicet Spiritus sancti diuisionem communis εἰς ὑπο[illegible], id est, in subiecta & contracta? at non credam eos eo dementiæ progredi, vt dicant Deum vniuersi tanquam communitatem aliquam sola ratione spectari posse, in nulla autem hypostasi existentem, in subiecta diuidi.

Aduersarius ad probandum superiora.

Scholium.

ADuertendum est, sic opinari eos, qui dicunt substantias μερικάς, id est particulares.

Anastasius contra [illegible]

D SI enim impossibile est cogitare corpus sine loco & sine alijs, extra quæ esse non potest, quamuis non habet corpus substantialem constitutionem sui in ipso loco; quomodo non erit magis impossibile naturam aliquam sine indiuiduis, cogitare per se non existentem, nec intellectualem?

Scholium.

QVomodo ponerent Ariani particulares naturas, ex Damasceno etiam licet intelligere in libro contra Acephalos, sic enim ait: sed quod non oporteat dicere naturas particulares (has enim tanquam hypostases per se existentes ponebant) hinc intelligimus, si naturas E particulares in sancta Trinitate confitemini, diuersæ substantiæ eam esse sentitis: & iterum Arius suscitatus est. Ac rursus si singulis personis S. Trinitatis propriam substantiam tribuitis; has autem consubstantiales esse secundum communem substantiam confiteamini, idem autem sit, (vt dicitis) substantia & hypostasis, erit igitur opinione vestra quaternitas hypostaseon: trium quidem particularium, vnius vero communis: similiter quaternitas substantiarum & vnaquæque hypostasis duarum naturarum & hypostaseon, vnius quidem communis, & vnius particularis. Eruntque eiusdem substantiæ, & diuersæ; eiusdem hypostasis, & diuersæ hypostasis. Ecquis non ridebit; Imo vero flebit in tanta insania &c.

OPPOSITIO EX PERSONA SEVERIANORVM CONTRA FIDEM ORTHODOXAM, cum responso incerti Auctoris.



SCIO plane, id quod negari non potest, quod vos Chalcedonenses Cyrillum Archiepiscopum Alexandrinum habetis magistrum, & columnam fidei Orthodoxæ, sicut & nos. Hic autem sanctus vsus est exemplo hominis è nostro numero, loquens sic de vnione in Christo in epistola secunda ad Successum: Sit: inquit, nobis exemplum homo similis nobis. Duas enim naturas in eo intelligimus, vnam quidem animæ, alteram vero corporis, & quæ sequuntur. Ego vero hoc exemplo dogma nostrum confirmare possum. Sicut enim Petrus vnus & idē est, & duas naturas habet, naturam dico animæ, & naturam corporis, & nec anima eius conuersa est in corpus, neque corpus in animam, sed remanserunt in eo duæ naturæ, natura animæ, & natura corporis, immutabiles, non confusæ, neque diuisæ, tamen ex vtrisque naturis animæ & corporis constitutus est Petrus, constitutaque est ex duabus naturis vna hypostasis, & vna natura composita, sic Christus vnus & idem est, & habet naturas duas, naturam dico diuinitatis, & naturam humanitatis: & neque diuinitas eius conuersa est in humanitatem: neque humanitas mutata in diuinitatem, sed manserunt in eo duæ naturæ immutabiles, non confusæ, neque diuisæ. Veruntamen ex vtrisque naturis constitutus est Christus, factaque est vna hypostasis, & vna natura composita.

Ego vero tibi respondeo, quod Petrus non est anima sua, neque suum corpus. Et à me interrogatus, responde, quæ est animæ definitio? Necesse est dicas, animal rationale, immortale. Quæ rursus definitio corporis? Animal dices irrationale, mortale. Quæ vero definitio Petri? Animal rationale mortale: vides, quemadmodum Petrus definitionem corporis recipit? Accepit ex definitione animæ rationale, & abiecit immortale, ex definitione corporis accepit mortale, & reiecit irrationale.

In Christo tota hypostasis est Deus, & tota homo, totus Deus, totus homo.

Tredecim capita, in quibus demonstratur, quid dissimilitudinis habeat exemplum hominis cum vnione in Christo.

Anima Petri non est ante corpus eius, diuinitas vero Christi est ante humanitatem eius. Anima Petri non est hypostasis sui corporis; Deus verbum factum, est hypostasis suæ carnis. Hypostasis Petri non erat ante compositionem animæ cum corpore; Hypostasis Christi erat ante vnionem diuinitatis cum humanitate. Petrus

A non est anima sua, neque suum corpus, quia non recipit definitionem animæ, neque definitionē corporis, sicut ante demonstratum est; Christus vero est Deus perfectus, & homo perfectus, quia recipit perfecte definitionem diuinitatis, quæcūq; illa sit, quamuis nobis ignota, & perfecte definitionem humanitatis, quæ est, animal rationale. Petrus non recipit duo contraria secundum naturam, verbi gratia, non potes dicere, est rationalis, & irrationalis, mortalis, & immortalis, passibilis, & impassibilis, corporeus, & incorporeus, & alia similiter; Christus autem recipit duo contraria. Secundum enim naturam est idem creatus & increatus, æternus, & sub tempore, circumscriptus, & incircumscriptus, impassibilis, & impassibilis, immortalis, & mortalis, visibilis

B & inuisibilis, & similia. † Petrus non est in anima sua eiusdem substantiæ cum animis aliorum hominum, nec est homousios in corpore suo cum corporibus reliquorum hominum; Christus autem est homousios in diuinitate sua cum patre & spiritu sancto, & in sua humanitate homousios cum matre, & nobiscum. Petrus non dicitur anima corporata, id est, facta corpus: neque corpus animatum, id est, factum anima; Christus autem dicitur, & est Deus factus homo. Anima Petri compatitur corpori suo, & recipit passiones, & dolores eius; Deus autem verbum non est compassus cum carne, neque passiones eius, & dolores communes habuit, sed potius patiente carne propria, Deus verbum mansit impassibile tanquam Deus. Mors Petri separatio est animæ à corpore; mors vero Christi non est separatio di-

C uinitatis ab humanitate, sed potius separatio animæ à proprio corpore, remanente inseparabili ab anima sua, & à corpore suo. Et in anima sua prædicauit inferno animis quæ ibi erant ab Adam vsque ad descensum suum illuc, & in sepulchro seruauit corpus suum incorruptum, & post triduum sepulturæ surrexit incorruptum, & copulauit illud cum propria anima, & perseuerat in posterum inseparabile ab ea in sæcula. Petrus autem melior est sua anima, & suo corpore: partes enim eius sunt; Christus autem non est melior diuinitate sua, aut humanitate sua: Quia non sunt proprie partes eius, vnaquæque enim earum est species specialissima, quatenus de pluribus differentibus numero prædicatur. Ambæ partes Petri sunt creatæ, anima scilicet & corpus: Partes autem Christi altera est increata, scilicet diuinitas, altera creata, scilicet humanitas.

** Vide naturas sub finem primæ partis.*

SANCTI

SANCTI NICEPHORI PATRIARCHÆ CONSTANTINOPOLITANI, OPVSCVLA QVATVOR.

CONTRA *ICONOMACOS.*

I. Duodecim capita contra participes Apostasiæ de Incarnatione Christi.

II. Decem Syllogisticæ demonstrationes, de differentia imaginis Christi & Crucis.

III. De Cherubinis à Moyse factis.

IIII. Ex libro S. Nicephori de Imaginibus.

Interprete Francisco Turriano Societatis IESV.

Omnia nunc primùm ex m. s. in lucem edita.

AD LECTOREM.



ÆC quatuor opuscula Nicephori habemus beneficio R. P. Posseuini Societatis IESV, qui optimè de Antiquitate adeóque de Ecclesia Dei mereri cessat. Is hæc à Turriano translata, ad nos Venetiis misit. Nos publico bono communicamus omnibus. Quis Nicephorus hic fuerit, si quis quærat, dicimus esse illum Sanctitate conspicuum Patriarcham Constantinopolitanum, cuius memoria tam apud Latinos in Martyrologio. 13. Martij, quàm apud Græcos in Menologio 2. iun. celebris est. In Menologio, quod tom. 2. Antiquæ Lect. edidimus, hæc de S. Nicephoro: Sancti Patris Nicephori Patriarchæ Constantinopolitani, qui fuit temporibus impij Imperatoris Constantini cognomento Copronymi, ortus & educatus in vrbe regia Constantinopoli, claris parentibus Theodoro. & Eudoxia. Fuit autem Theodorus Scriba regalium edictorum, qui delatus, vt cultor diuinarum imaginum, flagris cæsus, exul missus est in vrbem Nicæam, in qua multas ærumnas perpessus migrauit. Eius filius Nicephorus in numerum scribarum aggregatus, cùm omnia stercora & telas aranearum arbitratus esset, secessit in Propontidem, vbi dum sibi ipsi & Deo vacaret, mortuo Tarasio, beato illo Constantinopolitanæ ciuitatis Patriarcha, in demortui locum eligitur, regnante Nicephoro Imperatore, patre Staurati. Peruenit autem vsque ad Imperium Leonis Sanctarum imaginum oppugnatoris, qui religiosissimum Michaëlem ab Imperio expulit, ab hoc impio Tyranno exul factus beatus Nicephorus & in carcerem coniectus, exacto septuagesimo anno, in manus Dei spiritum commendauit, cum nouem annos in Patriarchatu, tredecim vero in exilio vixisset. Hæc Menologium. Theophanes ponit annos quatuordecim exilij, quem Baronius sequitur, & ait diem obijsse anno Christi, CXXVIII. Scripsit Sanctus Nicephorus Epistolam Synodicam ad Leonem III. quæ extat apud Baronium anno DCCC. XL numero vigesimo, item aliam ad eundem, quæ extat, de qua vide Baronium ibidem. Scripsit quoque chronographiam ab Anastasio Bibliothecario Latinitati donatam, quæ extat tum alibi, tum in Bibliotheca Sanctorum Patrum, & nos manuscriptam habuimus. In Zonaræ magno canonum volumine extant item Sancti Nicephori Canones. Item Epitome Gesneri citat Sancti Nicephori librum hac inscriptione: Aduersus Mamonæ dicta contra Incarnationem Christi. Liber Græcus Romæ in Vaticana Bibliotheca. Qui tractatus sine dubio, hic ipse est, quem primo loco, inter quatuor opuscula Sancti Nicephori damus.

SANCTI PATRIS NOSTRI NICEPHORI

Patriarchæ Constantinopolitani capita XII. quibus redarguuntur Principes Apostasiæ, qui in sacram & omni macula carentem fidem impegerunt, euertentes mysterium salutaris incarnationis Christi Domini & Dei nostri, vnde secundum diuinos Canones & pias leges à Catholica & Apostolica Ecclesia alieni sunt, & cum eis nec in Ecclesia nec in iudicio communi & populari loqui licet.



1. RAOITIONEM, quam à principio sancta Dei Catholica & Apostolica Ecclesia & omnes Christiani seruauerunt, & seruant, hi imprubauerunt, & reiecerunt. Omnibus autem liquet, quod vetusta & prisca Ecclesiæ traditio valentissima est, & omni demonstratione euidentior & firmior, vt sancti patres nostri docent Apostolica oracula sequentes: magnus enim Apostolus traditiones tenere iubet quia, accepistis, inquit, scripto & sine scripto. Et si quis præter hæc Euangelizat vobis, anathema sit.

2. Item sanctas & œcumenicas Synodos abiecerunt, primam quidem Synodum repudiauerunt, obijcientes Eusebium Pamphili magistrum, & eos qui cum eo sentiunt, qui fuit Arianæ insaniæ princeps, & plura & peiora quàm omnes Ariani in filium Dei & Dominum nostrum Iesum Christum & Deum contumeliosè & impiè protulit, & eum creatum ac factum esse malè & impiè docuit, vt tum cætera eius scripta declarant, tum epistola, quam ad Constantiam Reginā dedit, in qua incircūscriptum contra Christum Saluatorem nostrum vanè effutiuit. Qui autem impium eius dogma amplexi sunt, & aiunt pœnituisse eum, & à Synodo susceptum esse, sciant falsum esse, siquidem post aliquot annos cum nonnulli ex simplicioribus eum in Ecclesia commemorarent, coacta est Synodus Alexandriæ, & istis quidem pœnas cōstituit, memoriam verò eius ex Ecclesia deleuerunt, & tanquam ab hac sancta Synodo eiecti nequaquam in Ecclesia memoria eius habetur. Qui autem à sancta Synodo eiectos suscipiunt, eodem anathemate damnantur.

Constantia Augusta, vxor Leciny Ex 7. Synod. Sess. 6.

3. Præterea à sancta Synodo tertia anathema in eos decretum est, siquidem ipsa sancta tertia Synodus prędicauit circumscriptum esse Christum Deum nostrum secundum carnem, & in eos qui hanc vocem non reciperent, anathéma decreuit.

4. Deinde eædem anathemata sont in hos sancita à sancta & magna Synodo qoarta, quæ hoc dogma tradidit, esse Dominum nostrum & Deum Iesum Christum ex duabus naturis & in duabus naturis, & in vna persona perfectum in diuinitate, & perfectum in humanitate, quod nihil aliud est, qoam confiteri incircumscriptum esse secundum diuinitatem, circumscriptum verò secundum humanitatem. Perfectum enim in vtrisque non aliter seruari potest. Hi verò explosa Synodo incircumscriptum ei tribuunt in omnibus.

5. Tum etiam quæ rectè & piè à patribus sanctæ sextæ Syoodi tradita & decreta erant, hæc respuerunt, & conculcarunt. Hi enim diuini pattes nostri cum in quibusdā venerandarum imaginum picturis agnum etiam depictū reperissent, ad figurandum agoum Christi, qui tollit peccatum mundi, hunc quidem tanquam figuram & vmbrā omiserunt; gratiam verò & veritatem præferentes, decreuerunt, vt ex eo tempore deinceps humana tantum figura effigies Saloatoris poneretur.

De imagine Christi sub forma Agni, vide Bellar. li. 2. de Sāct. ca. 8 & Iacobū Gretserum, de S. Cruce tom. 5. lib. 2. c. 12.

6. Ad hæc sanctam œcumenicam septimam Synodum Nicææ secundò habitā reiciunt, quæ canonicè & diuinè coacta est, consedentibus reliquis Apostolicarum sedium præsidibus, in cuius definitione omnes subscripserunt, qui nunc ab Ecclesia defecere, protritis propria chirographis & gratia in ipsos collata spreta & repudiata, & gratia spiritos sancti amissa, atque inani & humana opinione diuinæ & veræ sententiæ præposita. Hæc autem sancta Synodus consuetudinē, quæ à principio in Ecclesia viguerat, Apostolicè, & more patrum dogmate decreto sanxit, eos verò qui diuinam Saluatoris nostri œconomiam, id est, mysterium incarnationis reijcerent & contumelia afficerent, anathemate affecit, tanquam sceleratè & impiè manus Ecclesiæ Christi afferre ausos.

7. Hi rursus incarnationem verbi Dei propriè & non fictè neque falsa specie factam, negaoerunt, impia dogmata impiorum Manichæorum docti & secuti, profitentes & nugantes incircumscriptum esse Christum secundum humanitatem, & fictè ac inani specie factam esse diuinam incarnationem, & œconomiam, & idcirco imaginem Christi *idolum* vocare ausi sunt, sibi ipsis & Christianis crimen idololatriæ inferunt, accusantes Christum, quasi noo potuerit nos ab idolorum cultura liberare, quamobrem tanquam gentiles à fide alieni damnantur.

8. Item negata fide Christianorum, quæ ab omni macula vacat, & antiqua traditione, templa veneranda funditus demoliti sunt, aras euerteruot, indumenta sacra in medio fori incenderunt, & reliqua vasa sacra comminuerunt, cum quibus crucem Christi & Dei nostri protriuerunt & dissiparunt, peiora quàm Iudęi & gentiles aosi in fidei nostræ signa; quę quidem à principio pij Imperatores & Sacerdotes, alijque viri Dei amatores, desiderio & fide in Christum fecerant & ei obtulerant.

9. Item authores & duces fuerunt mutilandi membra Christianorum & sanguinem eorum fundendi, & vt cædes nouæ ac inopinatæ fierent, & vincula, custodiæ, fames, exilia, & publicationes bonorum, siqoidem cum essent plani, id est, errones, veneficiis & præstigiis vsi, impios propter peccata nostra magistratus ad cædem piorum amplius incitabant, pollicentes eis diuturnitatem vitæ & felicitatem, quorum mendaciuoi & fallaciam, finis calamitosos, & durus exitus eorum, qui decepti fuerunt, conuicit.

10. Accedit etiam quòd libros sanctorum Patrum, quos ad doctrinam & Ecclesiæ vtilitatem ediderunt, improbaruot & corroperunt.

11. Præterea facti duces Apostasiæ, & seipsos sponte ab Ecclesia separantes, & coitiones facientea ab Episcopis, qui tunc erant, per sacros Canones deiecti fuerunt.

12. Denique postquam penitus à fide Ecclesiæ Catholicæ defecerunt, & omnes gentes & leges & mysteria Christianorum conculcarunt, & omnem traditiunem Apostolorum & patrum contempserunt, ipsosque nostros sāctos patres anathemate affecerūt, ab Apostolicis & magnis præsidum sedibus, atq; ab omnibus Christianis ciecti sunt, nullamque communionem neque consortium cum piis habent, quin immo mille mala meriti mille anathemata subierunt à sancta Dei Catholica & Apostolica Ecclesia, & à spe atque salote Christianorum disiuncti & alienati sunt, quamobrem etsi aliquando vllo tempore pœnitentiam innumerabiliom blasphemiarum suarum & flagitiorum atq; impietatum cepisse hostes Christi videantur, tamen non sunt ad recipiendum

dignì

digni apud Deum & apud Catholicam & Apostolicam Ecclesiam; non enim est pura eorum pœnitentia, quamuis conuersionem promittant, sed potius fictio & simulatio; talem enim fuisse scimus Manichæorum impiam & tenebris inuolutam superstitionem, cuius isti participes & magistri fuerũt: lex enim est apud eos, & iis, quos docent, propositum est decretum, vt cum à Christianis deprehensi fuerint, & reposcatur ab eis ratio nefarij erroris eorum, negent & reijciant sua dogmata, & rursus tempus nacti & libertatem adepti, ad vomitum suum redeant errorémque suum & fœtorem retineant, & ei adhæreſcant. Quocirca qui hoc recipit, interitus eorum consors est, & infinita anathemata meritus. Quod autem ex Ecclesia Catholica eiecti sint, apertè testantur literæ sanctissimi & beatissimi Pōtificis Senioris Romæ, id est, primæ & Apostolicæ sedis, præterea etiam legati eius & Apocrisarij, qui non solum communionem cum eis non habuerunt, sed nec in aspectum, nec in sermonem eorum venire voluerunt, & cum eis comprandere penitus recusarunt. Propter hæc igitur omnia nos etiam cōmunionem eorum auersamur, & cum eis versari recusamus, ne similiter eadem iudicia subeamus, & ab Apostolicis sedibus alieni & extranei reperiamur, & quod grauius est, à regno Christi Dei nostri excidamus, condemnati in ignem sempiternum relegemur.

Scholium Turriani in Nicephorum.

ADuertendum est quomodo & qua ratione Eusebius imaginem Christi tollebat, non quidem quasi idolum esset, & cultus eius cultus idoli, minimè, sciebat enim traditionem Apostolorum de veneratione sanctarum imaginum Cæsareæ Palestinæ, vnde & ipse erat, & vbi beatus Petrus prædicauit, relictam, & semper cōseruatam, & in Ierosolymitana Ecclesia, vnde verbum Domini in vniuersam terram exiuit, iuxta Prophetiam Esaiæ, immo in tota Syria; sed tollebat secundum dogma Arianorum, quia aiebat incarnatam formam in naturam deitatis mutatam esse, sic enim scripsisse in Epistola ad Constantiā Augustam vxorem Licinij testatur in septima Synodo Nicææ secūdò habita, actione sexta, Epiphanius Diaconus, & ibidem Gregorius Episcopus Neocæsareæ, qui bonam partem epistolæ recitat, in qua suadet Constantiæ ne imaginem Christi habeat, quia non posset, vt ait, effigiari forma seruilis post resurrectionem in Domini & Dei gloriam translata, post mortis victoriam, post ascensum in cælos, & cum Deo patre à dextris consessum. In hac Epistola scripsit Christum esse ἀπερίγραπτον, vt Nicephorus Patriarcha Constant. testatur, hanc hæresim renouauit nostra ætate Brentius, fortassis eam ex Eusebij epistola, quam dixi, ad Constantiam, hausit. Redarguit igitur hæc hæresis Ariana Iconomachos Lutheranos: Ariani enim quamuis Christum vnam naturam compositam facerēt, quam hæresim postea Acephali repetiuerunt, & ideo imaginem Christi tollendam tradebant & profitebantur, quia humana natura in diuinæ naturæ gloriam mutata nullo modo effigiari posset, tamen nunquam traditionem quam ab Apostolis in Ecclesiis relictam & omni tempore retentam & cultam in Ecclesiis Catholicorum esse sciebāt, tollere aut negare ausi sunt, & imaginem Christi non propter crimen idololatriæ, vt dixi, sed propter incircumscriptum tollebant, nunquam itaque crimini idololatriæ, quod Lutherani obijciunt, illis, alioqui insanis, in mentem venit. Deinde quod illi imprudentes committebant cùm imaginem Christi tollebat, hoc ipsum Lutherani nescientes committunt, cum imaginem Christi tollunt. Negant enim mysterium incarnationis reipsa, licet verbis confiteantur, vt ex his capitibus Nicephori Patriarchæ colligi potest, sed meliùs & luculentiùs ex dialogo eiusdem eruditissimo contra Iconomachos, qui Orthodoxus inscriptus est, cum scriptū sit de Christo: & adorent eum omnes Angeli eius, sicque nullus homo imaginis suæ prototypon, nec vllus homo reperiatur, quin eius forma effingi possit, sequet Christum vtpote qui debuit per omnia, sicut Apostolus ait, fratribus assimilari, prototypon esse imaginis suæ, tametsi verbis scriptum non sit. Quare cum quærit hæreticus, vbi scriptum sit de adoranda imagine Christi, respōdendum est, ibi scriptum esse, vbi scriptum est, adorandum esse Christum, siquidem inseparabilis est à prototypo effigies eius. Etsi enim nūquam scriptum est verbis Christum esse imaginis suæ prototypon; multa tamen alia similiter non sunt scripta verbis, quæ idem valēt, atq; illa quæ scripta sunt, vt homousios, theotocos, quæ vocabula necessitas aduersus hæreticos adinuenit: ad hūc modum hæresis Iconomachorum fecit, vt diceremus prototypon imaginis Christi, quod eandem vim habet, vt illud, quod scriptū est. Etenim si non est Christus prototypon imaginis suæ, ergo nec incarnatus est, manétque incircumscriptus infinitate diuinitatis suæ, quod si factus est homo & in nostra natura, & more nostro apparuit, cur non tribuimus illud quod omni homini, vt ratio similitudinis postulat? Hactenus Nicephorus Patriarcha eruditissimus & grauissimus author.

Hæc Turrianus.

ADdam in hoc Scholio si quid forte aliquos ex Lutheranis moueat quod Germanus Patriarcha Cōstant. de origine & authore Synthæresis Iconomachorum scribit author grauissimus, & qui ætatem Synodi Nicææ secundæ antecessit, ait enim fuisse authorē quēdam Episcopū Natoliæ ciuitatis in prouincia Phrygiæ indoctum, qui in lectione sanctarum scripturarum in solam inquit & nudam contemplationem, & intelligentiam litteræ intentus tradebat noua, præter ea quæ sanctè & pie tradita sunt. Iste contra traditiones patrum instruxit, & armauit, quem alij ab eodem Satana instigati secuti sunt, qui sanctarum imagines in idola conuertere nituntur. Quibus, inquit, hic author & Patriarcha Germanus, dicendum est, si, vt vos dicitis, imagines sanctorum instar idolorum prohibetis, ferè summa & potissima fidei euerteris: dicturi enim sunt non semper Gentiles, siquidem Christiani etiam dicent, quod nihil iam deinceps firmum traditio Ecclesiæ habere poterit quæ superiora improbauerit. Reuera enim omnibus fidelibus & orthodoxis liquet & cōstat, nos adorationem nostram, & culturam in solam sanctam Trinitatem, diuinitatem vnam corde & ore confiteri, imagines vero sanctorum propter desiderium solum honorandi eos prodierunt, sicut in tabernaculo effigies Cherubinorum, qui imagines erant cœlestium potestatum.

EIVSDEM NICEPHORI DE CHERVBINIS A MOYSE FACTIS.

I. ATVRA Cherubinotum aut vna est, aut non vna in multitudinem dispersa, & omne quod Cherubim nominatur, aut sub intelligentiam cadit aut sub sensum. At si Deus dixit Moysi de cadentibus sub intelligentiam, fac, est Moyses effector incorporeorum. Quod autem sensu comprehendi potest duplex est, vnum quidem artefactum; alterum vero quod arte fieri non potest: hoc sanè est quod à Prophetis videtur, & Symbolicum propriè dicitur. Quod autem arte fieri potest, non videtur esse vnum quid, est enim aliud alterius arte facti imago tanquam imago imaginis, & figura figuræ; aliud vero tanquam imago alicuius rei naturalis facta nullo intermedio ad similitudinem prototypi: Vtro igitur modo facti sunt Cherubini quos Deus dixit Moysi? Nempe quatenus sensu percipi poterant: quid igitur horum, vtrum quod arte fit, an quod non? Symbolicum vero sermo diuinus distinxit, non enim est hic sermo simplex & non varius. Vel nemo potest dicere hic scripturam Symbolicam esse. Non enim scriptum est, visio, quam vidit Moyses, sed fecit Moyses secundum exemplar. Si igitur non hoc modo, id est, symbolico, dixit, liquet dixisse commodo, quo propriè dicitur artefactum. Si igitur diuina Scriptura introducit Moysem spectatorem eorum, quæ à Deo primum facta sunt, nec enim dixit: vide Cherubinos & facies, sed dixit secundum exemplar tibi monstratum, relinquitur fecisse Moysem Cherubinos, quatenus artifex ad artefactum refertur: quare quæ à Moyse facta sont, imagines imaginum fuerunt, Angelo enim adumbrante exemplar Cherubicum ipsi Moysi ostendebatur, qui igitur Cherubini artefacti à Moyse ostensi sunt: omne autem artefactum alicui simile est: lectus enim alteri lecto similis, siue secundum mentem, siue secundum sensum: Cherubini igitur facti sunt alieni similes: & rursus, Cherubini vel sub intelligentiam cadunt, vel sub sensum, atqui de cadentibus sub intelligentiam non dixit Deus Moysi, fac, restat igitur vt de cadentibus sub sensum, & artefactis dixerit. Rursus, Cherubini similitudines sunt, vel symbolicè vel secundum sensum, at si nõ sunt symbolicè, relinquitur vt sint secundum sensum. Præterea nomen Cherubim aut dicitur secundum substantiam, aut quatenus respicit substantiam. At non est iussum Moysi vt faceret quæ secundum substantiam essent, relinquitur igitur iussum esse, vt facerent quæ ad substantiam respiciunt: omnia quæ ad imaginem alterius imaginis facta sunt, aut sunt corporea, aut incorporea; at incorporea non sunt, cum igitur Moyses Cherubinos corporeos fecit, vel sub intelligentiam, vel sub sensum cadentes fecit, at sub sensum cadere, quæ sub intelligentiam cadunt, impossibile est, sensibilia igitur sunt, quæ Moyses fecit, Symbola autem sunt quæ dissimiliter per ænigmata nos ad ea, quorum Symbola sunt, reuocant. Hæc est enim proprietas Symboli, & quæ non singulariter & vno modo ostenduntur à Deo iis quibus ostenduntur. Hoc enim est etiã proprium Symboli, vt Deum alius vidit in solio, alius ex electro vidit Imagines autem dicuntur quoniam cum similitudine quanta esse potuit, nomen prototyporum acceperunt, quod quidem imagines consequitur. Hæreticus. Si imagines & similitudines vocare oportet, quæ sunt effigiata ac figurata secundum speciem & formam Cherubinorum, quandoquidem omnis imago similis est prototypo, perspicuum est Cherubinos ab authore vniuersi factos, eandem figuram & formam habere, atque illos quorum prototypa esse dicuntur, & nominantur. Si enim hæc illis similia sunt, non differunt ab illis figura & forma. Si autem non sunt similia, non habent figuræ imagines orthodoxas, eorum quæ sunt partim natura & per se figurantur, partim $^{\text{~}}$ & secundum accidens, natura quidem & per se illa, quorum visio apta est ad perceptionem, positione vero & secundum accidens, sicut substantiæ incorporeæ. Atq; illa quidem priora necessario imagines ipsæ sequuntur, cum sint corpora, & vmbram habeant adiunctam. Eorum quæ corpore vacant, non necesse est imagines esse, sicut nec est impossibile esse, posse enim esse concedit sermo diuinus. Nemo enim dicet non potuisse Deum iubere Moysi vt faceret, nõ quæ ipse primum fecit, sed eorum similitudines. Licet enim per dissimilia Symbola assimilare incorporea, authore magno Dionysio, vt cum similitudo ignis & electri ad Symbola, ac signa virtutum & operationum nos reuocant. Imago enim vel est solius figuræ, aut figuræ & formæ, aut solius operationis, aut horum triom simul coeuntium: solius figuræ, vt lapidis vel ligni imago, formæ autem & figuræ, vt pingere hominem nihil agentem, solius operationis, vt substantiarum incorporearum, figuræ, vt si quis Gabrielem Archangelum pingeret salutantem virginem, trium autem, id est, formæ, figuræ & operationis, vt si quis Dauid Regem pingeret saltantem ante arcam. Quare effigies substantiarum incorporearum imagines erunt figuræ & formæ secundum accidens, operationis autem & actionis propriè & per se. Moyses igitur si non fecit Cherubinos, mentiuntur scripturæ, si autem fecit, omnino iam erant, non enim quod non erat factum est, hæc autem quæ fecit, non sunt, quæ primum facta sunt, neq; symbolica: relinquitur igitur, vt fecerit, quæ figuris & materijs effinguntur, quamobrem Cherubini Moysis & facti sunt, & fuerunt, & similitudines vocantur, & imagines honorantur.

Quod boni & venerandi fuerunt Cherubini.

II.

FVitne bonum facere Cherobinos, an malom? At si non fuit bonum, apage cum hac ignorantia. Quare fecit eos Moyses ille amicus Dei? & non solum is, sed Deus ipse Moysi iussit facere? Si bonum fuit facere, qood igitur factum est, bonum est. Si vero vtrumque bonum, facere scilicet & factum, igitur bona est factio. Liquet enim quod in ijs quæ sunt eiusdem ordinis; quale vnum est vel bonum, vel malum, talia sunt reliqua. Fecit Aaron idolum, si eum forte omnino interroges, malum hoc esse pronunciat, quare contraria hic sequẽtur in factionibus, & in faciente, & in factis imaginibus. Si igitur contrarium est bonum non bono, contraria autem sunt in his venerari & non venerari: Si igitur in factis à Moyse est facere, & bonum facere; in factis vero ab Aaron est non facere, & non bonum facere, alterom consequetur veneratio, alterum conseqoetur contrarium: quod enim fecit Aaron, consequetur vt non habeat venerationem, quod vero factum est à Moyse, consequetur vt habeat, aut hæc à Moyse facta non erant veneranda, sed potius quod Aaron fecit, omnino necesse est hoc esse venerandum, vtrumque enim esse non potest, vt habeat scilicet venerationem & non habeat. Quare si in Aaron negotio conuenit, in Moyse igitur conuenit affirmatio, sunt autem

eius, & instrumentum similiter & materia. Causa vero efficiens, id est Iudæi, & finis, malum. Ostēsum igitur est in omni bono effectu quomodocumque facto, causam exēplar, & causam formalem necessariò bona esse, sicut in omni malo effectu, vtcumque existat, exemplar causa, & formæ causa omnino mala sunt. Si autem & medium inter bonum & malum, id est neutrius particeps, in omni eiusmodi effectu exemplar, & species siue forma erunt talia, qualia postulat consecutio superius dicta. Imago igitur Christi, quæ effectus vocatur, aut bona est, aut mala, aut neutrū: si mala, apage cum ista blasphemia: si Christus est exemplar, demonstratum est in omni malo effectu, omnino malum esse exemplar. Si autem neq; bona, neq; mala est, sic etiam sequitur absurdum, erit Christus neque bonus neque malus. Relinquitur igitur vt sit bona. Si exemplar bonum est, vt Christus, effectus, autem vt imago, mala est opinione vestra, vide quæ sequūtur. Causa & effectus sūt ad aliquid, ex his autem vt vos dicitis, causa est bona, & effectus malus, bonum igitur & malum sunt ad aliquid: quæ autem sunt ad aliquid, eorum esse dicuntur, quorum sunt, malum igitur est boni malum, & bonum mali bonum.

Rursus bonum & malum sunt eorum quæ sunt ad aliquid, quæ autem sunt ad aliquid, eorum esse dicuntur, quorum sunt; cernuntur autem quæ sunt ad aliquid in omni habitudine, & ea cōsequitur amicitia, & coniunctio, igitur bonum & malum sunt nobiscum copulata & amica. Præterea causa & effectus opinione vestra sunt bonum & malum, hæc autem sunt contraria, igitur causa & effectus sunt contraria. Quæ autem contraria sunt, se interimūt, causa igitur & effectus interitum sibi inter se afferūt, quod si hoc verum est, Christus igitur imaginem suam tollit & interimit. Et rursum causa & effectus sunt eorum, quæ sunt ad aliquid, non sunt autem horum bonum & malum, non sunt igitur hæc, id est, bonum & malum causa & effectus. Ac rursus non sunt contraria causa & effectus, sunt autem contraria bonum & malum, non sunt igitur causa & effectus bonum & malum. Adhæc causa & effectus habitudine coniunguntur, bonum autem & malum minimè, non sunt igitur causa & effectus bonum & malum.

De Adoratione.

CAPVT VI.

PRæterea, Imago Apollinis est ne colenda, an non? Quod si neutrum dicatis, id est, neque colendam neque inhonorandam, erit necessario vobis tale prototypum. Si autem imago Apollinis inhonoranda est, an quia aurū est, an quia tulit speciem prototypi, & appellatione nihil ab eo differt? quatenus enim materia est, bona est, & quia prototypum inhonoratum est, inhonoratione digna est. Quia si Apollo est exemplar imaginis causa, quale est exemplar, talis est omnis effectus, id est, inhonoratus. Imago igitur Christi vel honore digna est, vel dedecore, vel neutro, si dedecore, nō quatenus aurū, aliud absurdum sequitur, erit inhonoratum quod accepit pro causa exemplar, est autem Christus causa vt exemplum participet speciem ac formam prototypi, non est igitur primum, quod dedecore dignum est, imago, sed Christus, quo nihil esse potest magis absurdum & blasphemum. Relinquitur igitur vt imago Christi colatur, & honoretur. Vt autem neque honoretur, neque inhonoretur, paulo ante & modo confectum est dici nō posse, neque vos dicitis, sed potius dicitis inhonorandam esse. Si ergo inhonorato prototypo, necesse est eius similitudinem inhonorari, ratio reciprocationis postulat, vt honorata similitudine, colatur & honoretur prototypū, honor enim imaginis ad prototypum transit. Ponamus esse imaginem Iouis & Petri, & hominis nec honorati nec inhonorati. At imago Iouis, quia prototypum contumeliosum habet, & rursus nō est media inter honorata & inhonorata, sequitur vt sit inhonoranda, quoniam nomē Iouis qui est prototypū, participat. Rursus homi-

A nis, qui neque honore, neque dedecore dignus est, imaginem vbi pones? In honore, an in dedecore? Non dices in honore, neque rursus in dedecore. Quid enim iniqui fecit vt odio habeas? Prototypum vero imaginis S. Petri iustumne est colere an non? Esse dices. Quid igitur cultum & venerationem exēpli moraris & recusas? Si enim prototypum colis, liquet, quod exemplum quoq; colis. Si enim hominis medij imaginem neque colis neque vituperas, quem colis & honoras, quomodo eius exēplum inhonoras? Si autem dicas te nec honorare, nec inhonorare, si propter prototypum, oportebat illud etiam, nec honorare nec inhonorare; si vero quia simpliciter imago aurum, aut argentum est, hac ratione neque simulacra dæmoniorum confringere iustum erat, & absurdè Moy-
B ses hæc confregit. Sin vero propter prototypum iustè confracta sont; igitur imago sancti propter eum honorabitur, si enim hāc imaginem sancti non sequitur honor, nec illas dæmoniorum sequetur dedecus. Sin vero illas sequitur cōtumelia; & hanc sequitur veneratio, hæc est enim lex reciprocationis in contrarijs, oportet igitur omnium sanctorū imagines colere: si enim aurum alioqui bonum & Dei creatura cum speciem & nomen dæmonis accepit, factum est malum, & execrabile, sic cūm sit bonum, & nomen formamque sancti accipit, quomodo non efficitur melius? Quod enim melius est, magis amat bonum, quàm malum, & vnumquodque magis ad sibi cognatum, quam ad cōtrarium habet cōuersionem. Hoc in vasis & in domibus, & in vestibus euenit, si hæc
C sanctis adhibentur, aut in eorum nomine ædificantur, sancta sunt & veneranda, & omnis diuinæ gratiæ plena. Si autem consecrantur dæmoniis, profana & execranda.

Cum sint duo circa corpus, vmbra scilicet, & imago, vmbra quidem tenuem significationem hominis ostendit, est enim vmbra priuatio luminis à corpore facta, Imago vero id quòd pictum, vel fictum est, apertè & clarè demonstrat, & effigie exprimit, & in se prototypum ostendit. Si igitur quasi semper existit, vt imago, præstantius est eo quod quandoque est, vt vmbra, & quod per se est excellentius, quam quòd per priuationem, & quod lucidum, magis eligendum, quam quod obscurius, & tenuius; imago igitur præstantior est vmbra: atqui vmbræ sanctorum vtiles sunt, igitur sanctorum imagines multo sanctiores erunt. Quod si sanctæ sunt, liquet venerandas & colendas esse,

D Interrogatio, quomodo Christum Deum & hominē imagine exprimis, cum hæc separari non possint? Resp. Quid igitur? Est ne homo corpus solum, in anima etiam corporis & figuræ expers? An igitur impedimentum est anima, quin hominis imago fiat? An potius adiuuat & plures habitus imagini imponit, vt habitum operantis, incedentis, aspicientis? si enim sine anima pingeretur & fingeretur, nihil horum pingeretur neque fingeretur: sic in Christo diuina substantia non solum non prohibet, quin imago Christi fiat, sed potius ornat imaginē ostendens resurgentem ex sepulchro, assumptū in cœlum, & sanantem morbos: Christus vel habere dicitur imaginē, vel non: si non habet, quid de eo quod non est, disceptatis? Nemo enim sic insanit, vt quod non est, tollere contendat. Si autem corpus Christi dixeris esse imaginem
E Christi, ipse quidem corpus proprium vocat. Cōstantinus vero Iconomachus, imaginem Christi vocat, quod nobis dedit Christus ad mādducandum, quomodo igitur idem dicitur corpus Christi & imago Christi? Quod enim est alicuius imago, hoc corpus eius esse nō potest; & rursus, quod est corpus, non potest esse eius imago. omnis enim imago alia est ab eo, cuius imago est. Quod si filium dicit scriptura imaginem patris, at si nō natura, hypostase tamē & persona differt filius à patre. Si igitur sanctum corpus, quod in cōmunione sacra sumitur, imago Christi est, aliud dicitur esse præter corpus Christi, nullū enim corpus alicuius est imago eius, sicut imago: si vero pars Christi est, & nō aliud præter Christū, secidet corpus in duo: quin potius Christ⁹ habebit μίαν σωμάτων,

A id est, partes corporis. Homo inquiunt, est imago Dei, at imago Dei, & secundum imaginem Dei, non sunt idem, sicut opus quod fit secundum volũtatem Dei, & voluntas Dei, non sunt idem neque notionibus neque verbis: at nullus ex patribus dixit hominem esse imaginem Dei, sed secundum imaginem Dei, quod de libera potestate voluntatis Dei intellexerunt. Si autem homo est imago Christi, vtrùm secundùm diuinitatem, an secundùm humanitatem? Si secundùm diuinitatem, primum omnino fuit esse Dei; & quomodo erat Adam imago Christi qui post multos annos factus fuit homo? Si autem quatenus erat Christus homo, imago eius est homo, liquet quòd quatenus Christus est homo, dicemus Petrum esse imaginem eius, si autem hoc ita est, nõ solũ Petrus est imago Christi, sed nihilominus Christus est imago Petri,
B & Petrus imago Iudæ, & omnes aliorum inter se imagines. Alij dicunt, quòd Christus nullam habet imaginem, nec eam quæ ex coloribus fit, nec eam quæ ex figura sine coloribus. Omne igitur corpus non animatum vocat figuram & formam: imaginem autẽ habet omne quod figura & forma circumscriptum est, igitur omne corpus animatum necesse est habeat imaginem; si igitur omne corpus animatum habet imaginẽ, ergo cuius non est imago, neque corpus animatum est hoc. Quod si non habet imaginem Christus, neque corpus animatũ est: at habet corpus animatum: igitur habet imaginem. Et si Christus non habet corpus animatum, neque homo habet: at Christus Deus & homo est, omnis autem homo, qui corpus animatum est, figuratur & imaginem habet: Christus igitur qui Deus & homo est, imaginẽ habebit. Interrogant, qualem pingis & figuras Christum? Pannis inuolutum, an baptizatum, an crucifixũ? Tu vero quam partem membrorum Christi colis? Si vnum Christum
C tu colis, qui hæc omnia operatus est, & ego vnum Christum figuro, & pingo, qui hæc omnia operatus est.

De circumscripto & incircumscripto.

Cap. VIII.

CVm duæ naturæ sint in Christo, quia neutra ab altera secundum hypostasim aliena est, appellatio vero Christi non separans naturas particulariter, sed toti hypostasi cõueniẽs, ambas naturas significare creditur, liquet si Christus creditur circumscriptus esse; etiam naturæ, ex quibus constat, erunt circumscriptæ. Cum duæ naturæ sint in Christo, quia neutra ab altera aliena est, liquet cũ vos dicitis, Christus crucifixus est, & passus est, & fuit tempori subiectus, naturas simul crucifixas esse & passas: alterum enim è duobus necessarium est opinione vestra, [aut diuinitatem vnà cum carne Christi passam esse, & eidem tẽpori subiectam fuisse, aut cogitare, nec in carne eius hæc fuisse: in quibus enim negatum est circumscriptum, in eisdem negatum est spectabile & tractabile: aut rursus, cum duæ naturæ sint in Christo, quãdoquidem appellatio Christi neutram solam præter alteram significat, liquet, quòd cũ Christus dicatur Deus, & filius Dei, dicatur inuisibilis, & immotabilis, erit hæc omnia natura humana, siquidem neutram naturam separat appellatio Christi. Sed aduertẽdum est quod circunscriptum reperitur dictum vel modo, † vel tempore, vel comprehensione circũscriptum est: cum igitur quãtuor sint significata huius vocis, patet totidem esse differentias circũscripti. Quot modis enim dicitur vnum oppositorum, totidem dicitur alterum. Quia igitur in rebus aliæ sunt materia, aliæ habẽtes materiam, quæcunq; materiam habẽt, loco & tempore sunt circũscriptæ, & nostra intelligentia comprehensæ sunt: loco quidem, quia distantia & dimensione comprehensæ sunt, tempore vero; quia omnia quæ materiam habent in tempore facta sunt. Sunt autem comprehensione mentis terminatæ, quia nihil prohibet ea, quæ materiam habent, agitatione mentis & operatione indagare & circunscribere. Circunscriptione autem sensus perspicuè licet videre vnũquodque eorum, quæ materiam habent, circũscriptum, ac definitum, sensu quidem tactu, quæcũque tractari & tangi possunt; aspectu, quæcũque aspectabilia sunt; manifestum est igitur omne corpus materia præditum necessario circunscriptum esse: nequaquam vero circunscriptus est Deus, nulli enim modo circũscriptionis subijcitur, non loco, non tempori, non reliquis. Quæcunq; vero naturæ expertes sunt materiæ, infra diuinitatẽ, quæ supra substantiam est, sunt. Hæ igitur partim circũscriptæ sunt, partim incircunscriptæ, tempore quidem, tanquam quæ sub tempore sunt, comprehensione mentis, vtpote quæ finitæ & terminatæ sunt, & definiri possunt, non enim effugiunt circũscriptionem finiti & terminati. Hoc autem circunscriptione eius, quod mente percipitur, comprehensum est. Sunt autem incircunscriptæ loco, & cõprehensione sensus, quia colore & figura carent. Loco autem quia carent magnitudine, & mole, & dimẽsione: etsi enim Angeli dicũtur esse in loco, non tamen dicuntur loco circunscribi, propter aliud enim dicuntur esse in loco, & non quia circunscribuntur: sic etiã anima est in corpore, sed neque circunscribitur anima corpore, quia non potest ipsa esse, aut operari per se in alio corpore, nisi in quo est. Angeli vero quia nõ possunt ipsi esse, nec operari, ne vno quidem momento in diuersis locis; hoc enim est solius Dei. Hoc autem cum esse in loco dicimus, non propriè dicimus, sed quia loco certo, & definito, & non vbiq; operãtur: quod vero substãtiæ incorporeæ non possunt circunscribi, perspicuum est, locus enim semper corpora continet intermedia superficie. Locus enim est terminus continentis, quatenus continet ea quæ cõtinentur. Natura autem Angelorum incorporea est, etsi cum non est corpus, non est superficies, cum vero superficies non est, neque locus est, vnum enim horum cum est, etiam reliqua consequuntur.

† *vel loco.*

EX LIBRO S. NICEPHORI DE IMAGINIBVS.



Tqui diuini Cherubini simplices sunt & materiæ expertes, ac sine forma, & figura, ac proinde incorporei; & tanquam incorporei loco circumscribi naturaliter non possunt, sicut ante dictum est. Et si enim aliquando Angelos alicubi in corpore apparuisse audiuimus, nemo tamen aliud quidpiam significari suspicetur, quàm quia natura sunt ignoti, apparuisse figuratos symbolicè ijs formis, quibus ministeria mandata apud eos, qui in terra sunt, quibus præsunt, obeunt, & eatenus dici in loco esse, quatenus non alibi oracula edunt, aut aliud quid operantur, quod quidem soli diuinæ naturæ, & quæ omni intelligentiæ antecellit, inest Neque sic apparuisse rationem incorporei vidit. Nec enim existimandum est substãtiam cœlituum formis animalium, & ferarum, aut pennis auium exprimi, sed nutu Dei, cui omnia sunt facilia, sic figuratos & in imaginibus ostensos esse. Perspicuum igitur est ijs, qui aduertunt, posse diuinum in suscepta tractatione, esse archetypum, principium, & exemplar, quod per se existit, eius formæ, quæ ab ipso exprimitur, & exempli, quod ei assimilatum est, causa: definitio autem imaginis hæc erit, vt in iis quæ arte fiunt, explicari potest, similitudo archetypi, quæ in se totam speciem siue formam figurati per assimilationem exprimit, sola diuersitate substantiæ secundùm materiam ab eo differenti; aut imitatio archetypi, & assimilatio, substantia, ac subiecto differens; aut sic, effectus artis secundùm imitationem archetypi formatus, substantia autem & subiecto differens. Si enim non in aliqua re differret, non imago, nec aliud quid præterquam archetypum esset. Sic igitur imago similitudo, & forma est ab iis quæ per se sunt, expressa. Idolum vero fictio eorum quæ non existunt, neque per se sunt. Cuiusmodi sunt formæ quædam, quas gentiles fatuæ & impiæ tanquam Deo carentes fingunt, vt Tritonum, & Centaurorum, & aliorum. Sic imago, & Idolum distinguuntur. Quare qui horum differentiam non approbant, neque tenent, meritò idololatræ vocari possunt Ac imagines quidem bonorum & malorum imagines sunt, de quibus dissimiliter existimandum est. Bonorum quidem imagines honorandæ sunt; malorum vero repudiandæ, & æque atque idola fugiendæ, & potissimum, quibus aliquid, ex priscis venerationem idolorum impie adhibuerunt: Deum vniuersorum, & primam causam ignorantes. Quod quidem fecit tum hominum, cupiditatibus, & terrenis rebus seruientium, affectio erga suos, tum tyrannis, io fines, & iura iusti honoris dominata, idcirco nunquam in aliquo ex bonis idolũ dicetur, quia imparticipata est maximè hæc vox in Ethnico cultu, qui dæmonibus adhibetur, sicut Apostolus ait. Arbitror non esse nunc inopportunum nostro sermoni addere hoc, habere scilicet imaginem ad archetypum habitudinem causæ & effectus, quare necesse est, esse & dici eorum, quæ sunt ad aliquid. Quæ autem sunt ad aliquid, ipsa illa quæ quidem sunt, aliorum esse dicuntur, & reciprocatur ipsorum inter se habendo, vt pater filij pater, & rursus filius patris filius dicitur. Similiter amicus amici, & dextrum sinistri, & reciprocè, sinistrum dextri, item dominus serui, & similiter in aliis eiusmodi. Sic igitur prototypum imaginis prototypum, & imago prototypi imago, nec vllus imaginem habitudine solutam alicuius imaginem dicat. Simul enim alterum cum vtroque introducitur, & cogitatur, & li-

A cet archetypum aliò abierit, habitudo tamen non simul esse desijt, non enim ratio simul intereundi, in omnia quæ hujusmodi sunt, manat: si quidem aliquando habitudines incolumes remanent rebus orbatæ, & nudæ, vt in patre & filio, & similibus euenit. Eum enim qui recessit tanquam præsentem, dum per similitudinem & memoriam forma & imago ostendit, habitudinem cum tempore continuatam seruat, id est, habitudo media, extremis interiecta est formæ scilicet assimilatæ, & cui assimilata est, copulans eam cum imagine, licet natura differat, etsi enim vtrumque aliud & aliud natura est, non tamen alius & alius, sed ipse ille cuius imago est: per figuram enim formæ, quæ à principio extitit, cognitio illius formæ efficitur, & in ipsa figura ille ipse qui pictus est, conspicitur, quod quidem in alio eorum, quæ huiusmodi sunt, non cernitur, vt in patre, aut filio, aut amico. Hæc enim contra atque illa, se habent; vnumquodque enim
B horum non aliud, & aliud est, siquidem eandem substantiam participant Alius vero & alius sunt diuersitate hypostaseõ. Quod si in his habitudo etiã partita in diuersas hypostases, non perit, multo magis in illis conseruabitur. Hoc vero amplius fit, quòd similitudo communitatem nominis largitur, vna enim est in ambobus appellatio. Rex enim dicitur etiam imago regis, quæ dicere posset, Ego & rex vnum sumus, scilicet præter substantiæ differentiam. Hæc autem diximus, vt ostenderemus, quomodo imago ad archetypum, cum imago consideratur, habitudinem habet, nec idem est cum eo secundum substantiam. nec enim quæcumque de archetypo dicuntur, necessario de eius imagine dicuntur. Illud enim fortassis est animatum, hæc vero inanimata. Aut illud est rationis particeps, & mouetur, hæc vero sine ratione & sine mo-
C tu, non igitur ambo idem. Quin potius partim similitudinem imaginis inter se habent; partim similitudinem substantiæ. Quia igitur imago est eorum, quæ sunt in habitudine, idcirco honorato prototypo, simul honoratur imago eius: & rursus inhonorato, simul inhonoratur. Nos autem à doctoribus Ecclesiæ instituti, intra terminos & fines pietatis consistimus, non naturam verbi ad passiones carnis trahentes, sed has illud sibi attribuentem œconomicè passũ esse dicimus, nullo in his modo à recta ratione excidentes, siquidem vnus & idem est, qui honoris ac gloriæ, & contumeliarum particeps fuit. Sicut igitur passiones corporis œconomicè attribuit, & sicut corpus Dei dicitur, sic imago sanctissimi corporis eius, & similitudo tanquam propria ad eum refertur, atque ita attributa & facta propria communiq; nomine naturarum affecta, eadem appellatione qua prototypum, homóue
D appellatur. Diuina quidẽ operatio æterna, immo ipsa per se operatio est, quia non distinguitur operatio à substantia, quin potius eandem rationem recipit, propter simplicis & incorporeæ naturæ sempiternitatem, adest autem in omni differenti κατ' τωνὸν, id est, simul, & vt ita dicitur, incircumscriptè, non enim cum prius esset potestate, postea & potestate ad actum adducta est. Huc pertinet quod dominus dixit: Pater meus vsque modo operatur, & ego operor, non solum dicit illam à principio creationem rerum ex nihilo, sed earum consecrationem & prouidentiam, vt facere Angelos spiritus, extendere cœlum sicut pellem, & tegere aquis superiora eius, & fundare terram super stabilitatem eius, quæ quidem semel facta diuina operatione continuata permanent, ac perseuerant. Operatio autem humana non est æterna, sed finita, &, vt magis proprie dicatur, circumscripta. Si-

lennium enim interrumpit differentem, & qui dormiebat, euigilauit, & quies motum circumscripsit, & vt summarim dicam, qui hoc facit. ἐν ταυτῷ. id est, simul, ferme non aliud faciet. Quis enim, qui parum sit rationis particeps non intelligat aliud esse picturam, aliud circunscriptionem? Pictura enim, vt à simplicioribus incipiamus, dupliciter dicitur; altera enim characteribus horum elementorum serie & ordine signata, & syllabatim procedens, à scriptoribus exprimitur: altera vero per similitudines ad imitationem exemplaris formatur ac figuratur, vt in ea pictura fit, quæ nunc in quæstione posita est. Atque illa quidem per voces, quæ proferuntur, patefacit ea, quæ sermones contexti nunciant: hæc vero per ea, quæ apparet, ostendit imitationem personarum, quæ repræsentantur. non est autem nunc necessarium considerare, an aliquando imago quarumdam formarum, & rerum ἔμφασιν afferat. Pictores autem vtrique, qui hæc faciunt, consuetudine sic loquendi vocantur, qui scilicet sermonem describit, & qui scientiam pingendi consecutus est. Quod enim veteres γράφειν dicebant pro eo, quod est polire, non longe abest à significatione horum, id est scribendi & pingendi. Circunscriptio autem aiunt bis efficitur, aut enim circunscriptum loco circunscribitur, aut tempore, aut inchoatione, aut comprehensione; loco quidem vt corpora: loco enim continentur, siquidem locus est terminus corporis continentis; tempore autem, quæ non erant prius, à tempore autem cœperunt esse, sicut angelos, & animas circunscribi dicimus. corporeo enim nō continentur loco angeli, quia non figurantur; operatur vero in loco secundum naturam suam, quia adsunt ibi νοητῶς id est, spiritualiter, vtpote spiritus ac mentes, & non sunt alibi, sed illic vt mentes circunscribuntur. Potest etiam dici definitos & circunscriptos eos esse à creature: tempore etiam circunscripta sunt non solum quæ cœperunt esse, sed quæ finem habent, & extremum, cuiusmodi est vita nostra, immo ipsa valde circunscripta & terminata est, vnusquisque enim morte finem vitæ accipit, & huius vniuersi finis consummatio est, in qua vniuersum in aliam formam mutabitur. Circumscriptum autem comprehensione est, quod notione & lingua comprehenditur. vna enim species circunscriptionis est comprehensio, qua angeli naturam suam inter se aliquantum cognoscunt, vt sit circunscriptio comprehensio comprehensi, & definiti, aut terminatio cœpti, & moti, aut comprehensio intellecti & cogniti. quod autem nullo horum continetur incircunscriptum est. Christus igitur huiusmodi iam dictis modis humanè circunscriptus est, siquidem corpus verè, sicut nos, non fictè gestauit, loco circunscribitur, qui est incorporeus, & qui non cœpit esse principium, cœpit in tempore, & cum hominibus corpore versatus, comprehensus est qui erat incomprehensus. Cum tot modis dicatur circunscriptio, magna in his differentia reperitur, nec enim qui pingit, id est, imaginem hominis facit, de quo nunc propositum est dicere, eundem simul pingendo circumscribit, sicut sit includens cum etiam non præsentem, si quis aliquem loco, quo continetur, complectatur, in circunscriptione enim necessario adest ille, cum depingitur vero, non necessario: immo neque circunscribet præcipuè, quamuis aliquis existimet se hoc facere, omnino enim in iis, quæ corporeè circunscribuntur, locus est, qui ea proxime circunscribit, quid autem sit locus, iam dictum est. Neque, rursus, si quis aliquem corporeè circunscribat, eundem depingit, id est, imaginem eius facit, nulla enim ratio cogit hoc dicere, quia nec habent hæc, pingere scilicet & circunscribere, inter se consecutionem, vt dicetur. Ac rursus in hoc loco, in aliquo scilicet pariete, aut tabula dicimus quidem pingit hominem, sed in illo ipso loco nemo prudens & concordatus dicat circunscribi, id est, definiri. Homo enim in imagine sua pingitur quidem, non tamen in ipsa circunscribitur, sed in loco suæ propriæ circunscriptionis. Et modus horum propter multa

A differt; pingitur enim homo coloribus, & calculis, si ita facere contingat, idque variè & multipliciter figuratus, diuersisque coloribus, nequaquam tamen potest his ipsis circunscribi, quia circunscriptionem aliter se habere diximus. Præterea pictura, id est imago, speciem corpoream picti repræsentat, & figuram ac formam eius signatam, & similitudinem. Circunscriptio vero nihil horum commune habens, tribus modis ea quæ continet, terminat, & imago ad simile relata, iuxta archetypum est, & imago archetypi est, & dicitur, & ab eo separata est, & separatur aliquando est, & existit: circunscriptio vero neque similis, neque dissimilis fit, neque facta est species, neque forma, neque dicitur circunscriptio archetypi, nec ad archetypum refertur, & inseparabiliter ac suapte natura cum ijs simul existit, quæ continet, & semper il-
B lis adest. Semper enim in loco est homo, & in tempore, & in comprehensione, & natura circunscriptum necessario sequitur circunscriptio ex loco, nullo vacuo dirempta, sicut quis potest cernere in circunscriptione, quam facit locus, quæ terminos vtriusque corporis, scilicet continentis & contenti, ad superficiem amborum adiungit: vbi enim est moles & magnitudo, necesse est cogitetur locus. Pictura autem, id est, imago simpliciter, & infinitè definiens, cum ijs omnibus, quæcunque circunscribi natura sua possunt, circūfertur. Non enim in hoc quidem circūscribit in illo vero non. Atque imago quidem in sensu, & ostensione tota consistit circunscriptio vero magna parte in notione. forsitan enim solum circun-
C scribentem sentimus. Et vt in summa dicam, nec imago hominis circunscribit hominem, licet sit circunscriptus, vtrumque enim rationem suam habet. Præterea imago quidem cōtinetur à circunscriptione, circunscriptio vero non continetur ab imagine, sed continet eam, idcirco non fit reciprocatio. Latius namque patet circumscriptio. nam si quid est pictum, id est, imaginem habet, homo inquam & ipsa imago dici potest circunscriptum, de quo nunc nobis sermo est, quod vbique notare oportet, non enim de alio agimus. Non tamen remeat, vt si quid est circunscriptum, etiam imaginem habeat, imo & sermones ipsi imagines rerum sunt, & eas sequuntur tanquam causas, ac primum quidem auditu accipiuntur, & sonitus dictorum in eos, qui sono pulsi sunt, incurrunt, secundo autem sermo auditus per ratiocinatio-
D nem in notionem rerum significatarum venit. Imago vero primum, & nullo medio ad ipsas res tanquam præsentem animum inspectantium adducti. Ac ex prima inspectione & congressu planam & limatam cognitionem horum præbet, siquidem quæ narratio descripsit, hæc imago tacens per imitationem demonstrat. quanto igitur opus sermone præstantius est, tanto imitatio & similitudo operis sonitu verborum ad declarationem rerum excellentior erit, vnde sæpenumero sermones per huiusmodi imaginum inspectionem potentiores & clariores fiunt. sæpe namque ex verbis dubitationes & quæstiones proficiscuntur, ac diuersi sensus in animis, vt consentaneum est oriuntur. Itaque multi à seipsis & alijs dissentiunt ac de verbis certant. de ijs, quæ dicuntur ambi-
E gentes; facere vero fidem per ea, quæ videntur ex omni parte ab omni dubitatione libera. Tanta autem est in vtrisque, in imagine scilicet & narratione communitas, ac societas, vt in vno eodemque libro, sicut multis in locis in vetustis chartis videre licet, ex vna parte contingat, depingi sermonem per Symbola & imagines, ex altera per historiam, eandemque narrationem in literis ostendi. Videmus autem leges scriptas, neglectas tamen, quia traditio & consuetudo, quæ alia est, vigeat. Consuetudo enim est, quæ omnia confirmat, quia opus potentius validiúsque sermone. Quid enim aliud est lex quam consuetudo scripta? Consuetudo vero lex est non scripta. Hoc autem facile perspici potest in externis. Grammatici enim, si forte accidat vt aliqua vox præter regulam positam, aliter propter consuetudinem vigentem scribatur, traditionem excusans tanquam regulam regulæ. Quod

autem nomen imaginis nam est è numero earum vocum, quæ simpliciter, sed potius vox homonyma, ex ijs quæ multipliciter dicuntur, subtiliter hic ipse pater alio loco de hac distinctione disserit, vt prima quidem notionia informatione imago in naturalem, & artificiosam distinguatur, altera vero distinctione infra hanc, imaginem artificiosam dir esse formæ, & figuræ, & speciei, ac coloris. Dicant ergo nobis quis modus cogit alteram partem distinctionis amplecti, quæ in naturalibus imaginibus accipitur, & existimare affinitatem & habitudinem purè seruari, alteram vero partem quæ in artificiosis esse dicta est, reijcere? Cur non hæc etiam habitudinem & cognationem secundùm propriam rationem non habebunt: Siquidem ratio imaginis vt imaginis simpliciter in vtrisque æqualiter, & æquè honoratè apud eos, qui mentem habent, accipitur, licet res ipsæ significatæ, in quibus versatur ratio imaginis, differentes sint. sicut enim in naturalibus ratio imaginis, vt imaginis, similitudinem habet, & non variatur: sic in artificiosis secundum speciem & formam, quamuis natura in seipsis differentiam ostendunt, vnde vnum & idem nomen homonymè comparticipauerunt. Dicimus igitur, vt à simili ordiamur; siquidem simile est imago, quoniam imago Christi similitudo eius est, &c.

FINIS.

THEODORI HAGIOPOLITANI

DISPVTATIONES TRES.

1. Disputatio de nomine Dei.
2. Disputatio de Deo & Deitate.
3. Disputatio cum Nestoriano.

Interprete

Francisco Turriano Societatis IESV.

Nunc primum ex MS. edita.

THEODORI HAGIOPOLITANI DISPVTATIO DE NOMIME DEI.

NOMEN Dei à quadam operatione dictum est, non tamen significat operationem, sed naturam operantem. Si enim nomen, Deus, significat operationem, omne autem nomen cuius habet significationem, illius est nomen, igitur nomen Deus nomen operationis est. Quare quod nominatur Deus, operatio Dei est, operatio igitur Dei est Deus; & Deus est operatio sua. Idem igitur est Deus, & operatio Dei.

Si quis vero contentiosè dicat, posse hoc poni, & concedi, sciatis, multa absurda inde sequi.

Primum, ad idem dici. Quæ enim sunt eadem, ad idem dicuntur. At operatio Dei, Dei operatio dicitur; Deus vero non dicitur esse Deus Dei.

Preterea, operatio operantis operatio est; Deus autem non est Deus operantis.

Rursus, si idem ipsum est Deus, & operatio Dei, dicentur ambo de eisdem, at Deus de patre dicitur, & filio, & Spiritu sancto; operatio vero non sic. Pater enim Deus est, similiter & filius, & Spiritus sanctus; pater autem non est operatio, vel filius, & Spiritus sanctus, sed operantes.

Quod vero maximum est, non dicere Deum esse ante suam operationem, sed simul. Quæ enim sunt eadem, necesse est cōfiteri simul esse. Si igitur Deus est æternus, & operatio eius æterna est, ex quo fit, vt effectus operationis æternus sit. Est autem effectus operationis mundus, vt positum est. Atqui dicere hoc, non solum non licet, sed impium est. [illegible]

Ad hæc, omnia, quæ proprie, & maxime de indiuiduis subiectis dicūtur, aut natura sunt, aut pars naturæ. Deus autem proprie & maxime dicitur de tribus personis. Deus igitur aut natura est, aut pars naturę. Sed quia pars non potest in Deo dici, relinquitur, vt sit natura. Deus igitur est natura; & nomen, Deus, naturam significat. Sicut enim nomen homo, à quadam operatione dictum est, non tamen significat operationem, sed naturam, & substantiam; similiter anima, & angelus, & fere omnia nomina substantiarum ab operatione, aut affectione siue passione dicta sunt non tamen operationem aut affectionem siue passionem significant. Sic intelligendum est in nomine Dei, & non oportet sequi per errorem Etymologias, & leges Grammaticæ, neglecta regula veritatis, qua multi profitentur vti, pauci vero vtuntur. Sed de his hactenus. [illegible] [illegible]

FINIS.

EIVSDEM THEODORI HAGIOPOLITANI DISPVTATIO DE DEO, ET DEITATE.



HÆRETICVS. Vtrum tibi videtur idem esse, Deus, & deitas? An aliud?

Orthodoxus. Idem.

Hæreticus. Nonne, quæ eadem sunt, de eodem dicuntur?

Orthodoxus. Non est necesse.

Hæreticus. Si eadem sunt, quomodo non de eodem prædicantur? Si verò non prædicantur, quomodo non sunt diuersa, quæ eadem sunt, quod quidem fieri non potest?

καθ' ἡμᾶς. *Orthodoxus.* Non satis est, vt prædicentur eadem de eodem, esse tantum eadem, sed oportet in eo conuenire, vt similiter dicantur, & intelligantur. Quia igitur Deus, & deitas, sensu nostro idem sunt, modus autem, significandi scilicet, diuersus est. Non enim similiter intelligitur Deus & deitas; siquidem Deum intelligentes, & dicentes, naturam tanquam in hypostase intelligimus, & dicimus. Deitatem vero cum dicimus, ipsam naturam tanquam nudam, & sine personis, ratione tantum consideratam intelligimus, & dicimus, idcirco Deum prædicamus de hypostase, tanquam in hypostase consideratum; deitatem vero nequaquam (Non enim dicimus, pater est deitas, sed Deus) tanquam per se, & solam sine personis consideratam; aduertendum autem est, quòd deitas non est sine tribus personis. Considerata vero per se & sola, sine personis consideratur. Siquidem consideratio non prohibet existentiam. Quia enim deitas secũdum se considerata, natura sine proprietatibus intelligitur, liquet sine hypostasibus considerari; si enim consideratur per se sine hypostasibus, liquet considerari sine proprietatibus, quod quidem non erat positum.

Deinde, quod non potest intelligi sine alio, necesse est ad aliquid esse, & non substantiam: deitas autem non est ad aliquid, sed est substantia supra substantiam, quare potest considerari per se solam, & non cum alio. Rursus, sicut homo non est sine loco, consideratus vero per se, & definitus, sine loco consideratur, & definitur, item anima hominis viuentis non est sine corpore, considerata vero per se, sine corpore consideratur: Sic deitas sine personis non est, considerata vero per se, sine his consideratur.

Hæreticus. Aliud ne est substantia, & aliud hypostasis?

Orthodoxus. Aliud & aliud, non tanquam res alia, & alia: sed tanquam aliud significet hypostasis, & aliud substantia. Sicut granum frumenti dicitur, & est semen & fructus, non tanquam res alia & alia. Aliud vero significat semen, & aliud fructus, quoniam semen quidem semen est futuræ agriculturæ; fructus vero præteritæ agriculturæ fructus est.

τὸ κοινὸν ... *Hæreticus.* Quid significat substantia? Et quid hypostasis?

Orthodoxus. Substantia significat quid commune, & si quid est proprium substantiæ, hoc commune est hypostaseon, quæ sunt subter substantiam. Hypostasis autem proprietatem habet, quæ non est communis hypostaseon eiusdem substantiæ, & numerum recipit.

Hæreticus. Substantia ne non habet proprietatem?

Orthodoxus. Neque proprietatem habet, quæ non sit communis hypostaseon substantiæ: neque numerum plurium recipit, cum sit vna. Quod enim numerum plurium recipit; omnino etiam proprietatem habet, & quod habet proprietatem, numerum recipit. Ipsa enim proprietas numerum introducit.

Hæreticus. Non intelligo, quod ais, dic clarius.

Orthodoxus. Dicisne patris substantiam immortalem, & incorruptibilem, & inuisibilem, & creatricem, & Deum?

Hæreticus. Maximè.

Orthodoxus. Dicis similiter de filio?

Hæreticus. Etiam.

Orthodoxus. Sicut dicis substantiam patris immortalem, & reliqua, sic ne etiam dicis patrem ipsam substantiam?

Hæreticus. Ita est.

Orthodoxus. Filium vero dicis patrem?

Hæreticus. Minimè.

Orthodoxus. Non est igitur pater proprium substantiæ, sed ipsius hypostasis.

Hæreticus. Quomodo?

Orthodoxus. Quia propria substantiæ similiter sunt communia patris, & filij & Spiritus sancti. Pater autem non est commune, non est igitur pater substantiæ, sed hypostaseos. Si igitur alia est proprietas hypostasis, & alia proprietas substantiæ, non est idem significatum substantia & hypostasis.

Hæreticus. Nonne est proprium patris ingenitum, & filij genitum, & Spiritus sancti procedens? Quare non dicimus tres substantias?

Orthodoxus. Quia necesse est dare proprietatem numero. Proprietas autem diuersitas est. Diuersitas autem substantię diuersum substantia facit. Quod autem diuersum est substantia, non est similite immortale, similiter incorruptibile, & sanctum, & immutabile, & reliqua. Vna igitur substantia est patris, & filij, & Spiritus sancti. Cum vero dicimus tres hypostases, dicimus quod verum est, differentiam proprietatum esse in hypostase.

Hæreticus. Si vna est deitas, vna est hypostasis.

Orthodoxus. Si scires donum Dei, cognosceres, quod deitas significat esse commune hypostaseon. hypostasis vero significat τὸ τι εἶναι, id est esse hoc aliquid, sicut humanitas significat esse cõmune, hypostasis vero esse hoc aliquid. Non enim omnis hypostasis est deitas, nec omnis hypostasis est humanitas. Si autem non omnis hypostasis est humanitas, nec omnis hypostasis est deitas, igitur nõ significant idẽ hypostasis, & deitas, & humanitas.

Hæreticus. Humanitas ἐχ ὑφίσαται?

Orthodoxus. Maximè, scilicet cõsiderata in indiuiduis.

Hæreticus. Igitur hypostasis est?

Orthodoxus. Dixi, in indiuiduis considerata.

Hæreticus. Quid est indiuiduũ? Et quid est humanitas?

Orthodoxus. Indiuiduum est vnaquæque hypostasis nostra. Humanitas vero communitas substantiæ.

Hæreticus. Et quæ est differentia communitatis, & hypostasis?

Orthodoxus. Quod tua hypostasis non est omnium hominum; humanitas vero communis est omnium hominum.

Hæreticus. Hypostasis patris non est deitas.

Orthodoxus. Maxime. Verum deitas, esse siue essentiam significat, hypostasis vero hoc aliquid esse, siue hanc essentiam.

Hæreticus. Et hypostasis filij non est deitas?

Orthodoxus. Est.

Hæreticus.

Hæreticus. Duæ igitur sunt deitates?

Orthod. Nequaquam Non enim alia & alia deitas est.

Hæreticus. Alia & alia hypostasis est.

Orthod. At non idem significant, vt dixi, deitas, & hypostasis. Sicut enim non sunt duæ humanitates Petri, & Pauli, sic non sunt duæ deitates patris & filij.

τὸ εἶναι.
τὸ τί εἶναι.

Hæreticus. Non est igitur hypostasis patris deitas?

Orthod. Hypostasis quidem patris deitas est. Hypostasis item filij, deitas etiam est, non tamen quia sunt duæ hypostases, idcirco sunt duæ deitates.

Hæreticus. Quomodo non?

Orthod. Quia non est differentia immortalitatis. Immortalitas enim ab immortalitate non differt.

Hæreticus. Si verè est alia & alia hypostasis, quomodo non est alia & alia immortalitas?

Orthod. Nos enim aliam & aliam hypostasim habemus, non autem aliam & aliam humanitatem. Et hypostasis Petri homo est; & hypostasis Pauli homo est, & duæ sunt hypostases, & non duæ humanitates. Et aliam, & aliam hypostasim habemus, non tamē aliam & aliam immortalitatem, quam per vnum baptisma accepimus. Alia enim & alia immortalitas, aliud & aliud baptisma; alia & alia fides: & non est vnus Dominus, vna fides, vnum baptisma.

Hæreticus. At nostra hypostasis alia est præter immortalitatem, & præter baptismum. Igitur hypostasis Dei alia est præter immortalitatem.

Orthod. Nequaquam, immo ipsa hypostasis immortalitas est; & non solum immortalitas, sed incorruptibilitas, & iustitia. Et non est hæc Deus compositione, sed sic dictus secūdum diuersas notiones: immortalitas quidem, quia caret fine. Incorruptibilitas, quia non potest dissolui Iustitia, propter æqualitatem. Sanctificatio, quia seruat à peccato. Redemptio, quia vitam nostram seruat à corruptione Dominatio, quia in omnibus dominatur, & in omnia habet imperium. Virtus, quia nihil ei resistit. Hæc omnia in hypostasi etiam filij similiter vt in patre, & non participatè considerantur. Et idcirco duas hypostases dicimus patris & filij, vnam vero deitatem, virtutem, & quæcunque huiusmodi sunt.

Hæreticus. Quomodo dictum est de Spiritu sancto, non loquetur à semetipso, sed quæcunque audiet, loquetur, siquidem eiusdem naturæ est?

Orthod Hoc est, quod declarat, ipsum non esse mendacem, & eiusdem naturæ esse.

Hæreticus. Quomodo?

Orthod. Quia omne creatum, si est particeps rationis, quando vult, à seipso loquitur, quia habet propriam voluntatem, cui imponit silentium, vt voluntatem Dei dicat. Spiritus autem sanctus non sic, sed tanquam spiritus Dei, voluntatem Dei habet. Et hoc est, quod ait, Non loquetur à semetipso. Siquidem de se etiam dixit filius: A me ipso facio nihil, sed sicut docuit me pater, loquor.

FINIS.

EIVSDEM THEODORI HAGIOPOLITANI DISPVTATIO CVM Nestoriano,



ORTHODOXVS. En adest certamen disputationis. Vnde igitur incipienda nobis est disputatio? Ab ea ne arte, quæ ad scientiam comparādam pertinet? An potius primum ab eo, quod ex alijs quæstionibus maximè necessarium est? Sed quodnam hoc est? Ea scilicet accuratè indagare, quæ do fide dubitantur.

Hæret. Incipiendum profectò est à dogmatibus fidei.

Orthod. Filius Dei ex muliere natus, quid ex ea accepit, naturam, an hypostasim?

Hæret. Naturam.

Orthod. Deinde, cum proprietatibus, an sine proprietatibus?

Hæret. Solam naturam accepit sine proprietatibus.

Orthod. Relinquitur igitur, vt sine colore, & figura, & mixtione elementorum, & sine magnitudine? Quamobrem, neque agnoscebatur, neque videbatur, neque tenebatur, neque crescebat, vt ex puero fieret vir. Quid igitur? Confiteris interitum coloris, & figuræ & aliorum, quæ exposita sunt, in Christo?

Hæret. Minimè.

Orthod. Confiteris igitur fuisse hæc in eo?

Hæret. Confiteor.

Orthod. Quid? An non sunt hæc proprietates?

Hæret. Cur non?

Orthod. Habuit igitur Christus naturam nostram cum

Hæret. Sic est.

Orthod. At hoc fieri non potest

Hæret. Et vnde hoc docere potes?

Orthod. quia vel vnitæ sunt hypostases; vel remanserunt separatæ; & tunc Christus erit duo, & non vnus. quare si colis Christum qui sit duo, colis etiam patrem, & spiritum eius, ergo cultor quatuor videris esse. Si autem vnitæ sunt in vnam hypostasim cōpositam, erit hypostasis composita, neque merè, & purè diuina; neque humana, sed intermedia; si autem Christus hypostasis composita est, Christus igitur opinione tua neque hypostasis diuina est, neque humana. Sed media inter Deum & homines. At fugienda est impietas. quomodo enim soluis nobis argumentum?

Hæret. Non sum idoneus ad soluendum. Quare in gratiam nostram, doce, quid assumpserit Christus, naturam ne, an hypostasim?

Orthod. Naturam.

Hæret. Cum proprietatibus, an sine his?

Orthod. Cum proprietatibus.

Hæret. Hypostasim igitur assumpsit?

Orthod. Minimè.

Hæret. Et vnde hoc constat?

Orthod. Ego tibi explicabo. Est enim aliquid, quod dicitur hypostasis; & est aliquid, quod dicitur hypostaticum, & commune vtrique est componi ex natura & proprietatibus. Differunt tamen, quia hypostasis non

cum proprietatibus ad generationem hypostasis, sed A oportet, cōcurrere ad hoc, & non esse partem. Quia igitur pars Christi est assumptum corpus animatum, idcirco non est hypostasis, sed hypostaticum. Et sicut non connumeratur cum Petro corpus eius, vt sint duo, alterum enim cum altero συντεγέσται, sic neque cum filio Dei incarnato connumeratur corpus animatum assumptum, vt sint duo. Atque hæc quidem videntur mihi satis esse ad solutionem dubitationis.

Aliud principium.

H*æreticus.* Vtrum videtur tibi esse Christus, Deus, an homo?

Orthodoxus. Vtraque seorsum, & vtrumque simul. B

Hæreticus. Quomodo?

Orthodoxus. Etenim Deus est separatim, similiter & homo: & simul Deus & homo.

Hæreticus. Deinde, est secundum naturam, an alio modo? Gratia scilicet, vel exercitatione quapiam, & progressu?

Orthodoxus. Natura.

Hæreticus. Vnius igitur naturæ est Deus & homo?

Orthodoxus. Erras. Non enim secundum eandem naturam, sed secundum aliam est homo; & secundum aliam Deus.

ἄλλος. *Hæreticus.* Igitur quia aliud est Deus, & aliud homo, secundùm autem naturam est hæc Christus, Christus igitur alius est à seipso?

Orthodoxus. Minime, sed aliud natura dixi. Hoc enim oportet concludere ex iis, quæ concessa sunt.

Hæreticus. Quod dicis, obscure dixisti: sed explana.

Orthodoxus. Christus & Deus & homo est. Deus autem, & homo aliud natura, Christus igitur aliud natura. Teipsum igitur decepisti. Non enim si aliud natura, continuo alius à seipso Christus. Non est Christus natura, sed habet naturam.

Hæreticus. Sint ista sic. Quid igitur tibi videtur, nonne Christus homo, homo autem aliud à Deo. φύσις.

Orthodoxus. Maxime.

Hæreticus. Christus igitur aliud à Deo?

Orthodoxus. Adhibe distinctionem, secundum humanam naturam aliud à Deo. Secundùm diuinam naturam non aliud.

Hæreticus. Deus igitur & non Deus, quæ quidem contradictio est.

Orthodoxus. At non est hæc contradictio. Non enim secundùm idem est Deus & non Deus, vt sit contradictio. Sicut enim homo est sub sensum cadens, & non sub sensum cadens secundum aliud, & aliud. Secundum enim corpus sub sensum cadit; secundum vero animam non cadit. Et non est hæc contradictio secundùm regulam veram: sic Christus Deus & non Deus secundùm aliud, & aliud: & non est hæc contradictio: secundùm enim diuinitatem Deus, secundum vero humanitatem non Deus. Ac de his hactenus.

Finis Tomi quarti.

